



C. 9d

Library of The Theological Seminary

PRINCETON · NEW JERSEY



5  
127

*D. A. White*  
*Aug 1 1879*

498

ESSEX INSTITUTE.

PRESENTED BY  
DANIEL A. WHITE.

LIBRARY CONDITIONS.

THE Library to be under the control of the Directors, who may withhold such books from circulation, as they may deem expedient.

Each Member shall be entitled to take from the Library, one folio, or one quarto, or two of any lesser fold, with the plates belonging to the same, upon signing a receipt for the same, and promising to make good any damage which may be sustained when in their possession, or to replace the same, if lost.


No person shall lend any book belonging to the Institute, except to a member, under a penalty of one dollar for every offence.

The Directors may permit other persons than members to use the Library. No member shall detain any book longer than four weeks, after being duly notified that the same is wanted by another member, under a penalty of twenty-five cents per week.

On or before the first Wednesday in May all books shall be returned, and a committee of the Directors appointed for that purpose shall examine the Library and make a report of the condition at the Annual Meeting.

Dieſe aünſgab ſine loco e' año, in ſua —

L. a. ſamſt. ſchriſt, d'ann i' fol. Gmaab amſtelodami IX. volum. 1671.  
Editio ſtantiſſima, ſplendidiſſima e' rariſſime i' noſtris ory obvia. ſolg.  
ſide. p. 1. p. 46.





172

# IOANNIS CAL- uini opuscula omnia in vnum volumen collecta.

Indicem  
post præfa-  
exhibet

Quibus accessit libellus nunc primum editus, De æterna Dei prædestina-  
tione, aduersus Albertum Pighium Campensem, & Georgium Siculum.

Locorum sacre Scripturæ in his opusculis obiter interpretatorum index.

Alteri editioni a Th. Beza A° 1576 publicata.

Et Illustriss: Guilhelmo Ayraco dicata acceptore

Confessio Gallic. Ecclesiarum. fo. 62.

Interim aduetergermanum. fo. 1547.

Responsio ad versibellum mediatorum. fo. 1561.

sive abellum Cabandri & Balduini.

Ad Balduini conuicia fo. 61.

Gratulatio ad præcentorem Lugdunensem.

Enchiridion e' Gallicis.

Confutatio cuiusdam Hollandi.

Defensio contra Seruetum. fo. 54.

contra Valentinum gentilem. fo. 61.

Responsio ad Blandratum. fo. 58.


Frates Polonos fo. 63.

Contra Castellionem de prædestinatione. fo. 54.

Defensio contra Westphalum. fo. 57.

Contra Hesiusium. fo. 61.

In Seneca de Clementia Commentarius. 1532.





Quum hætenus quamplurima & veterum & recentiorū authorum scripta hominum incuria perierint, quæ maximum nobis fructum adferre potuissent: nos profecto, extremis hisce tēporibus, quibus magnæ graueſque calamitates imminent, diligentiores eſſe oportet in conſeruandis theſauris quibus Dominus Eccleſiam ſuam locupletauit: niſi admodū ingratu eſſe velimus. Ac ſedulo occurrēdum eſt fraudibus ſathanæ, qui hæc nobis cripare, atque è medio tollere modis omnibus conatur, vt iterū iactatis errorū ſeminibus, nos inermes atq; incantos facilius opprimat. Neminum enim, niſi cæco, perſpicuū non eſt quid ſuperioribus ſeculis acciderit, & quàm latè graſſata ſit ſuperſtitio & impietas, quū ſublatis doctōribus & doctōrina, ſparſiſque tenebris ſathan oculos penè omnium incredibili aſtutia perſtrinxit. Nullis quidem artibus efficere potuit vt ſacræ literæ interirent: ſed ita ab earum lectione & vera interpretatione auerterat omnium animos, vt fabulis & mendacijs potius quàm veritati locus eſſet: vaniſque & friuolis quæſtionibus potius quàm ſolidæ ſcripturæ tractationi, vel ipſi theologiæ candidati incumbere. Ita perierat legitimus verbi uſus, ita Eccleſiæ adminiſtratio & diſciplina euerſa, ita ſacrilega & deteſtabilia cōmenta pro veris inſtitutis Dei recepta erant. Nūc quū inſigni Dei beneficio, ſacræ literæ ab impijs cuiſmodi cōmentis vindicatæ ſuæque puritati reſtitutæ ſint ab ijs quos Dominus noſtris tēporibus aduerſus Antichriſti tyrānidem excitauit: danda eſt opera vt eorū ſtudia, præclaras aetiones, inſignēſque virtutes imitemur. Ac potiſſimum in id toto animo incumbendum eſt, vt puritatem doctōrinæ tueamur, qua ſola cultus Dei & religio conſeruari poſſunt. Qua igitur fide & diligentia, qua reuerentia & modestia præſtantes hi viri locos ſacræ ſcripturæ tractarint, qua prudētia & dexteritate actus & fraudes aduerſariorum detexerint, eorūque inſidias vitarint, quàm ſcitè monſtrarint fucos & fallacias impoſtorum, quanto pietatis ſtudio accenſi errorum monſtra oppugnarint, quanta uehementia in Antichriſtum cuiſque mancipia inuecti ſint, diligenter nobis animaduertendū eſt. Et quo rariores ſunt hæc doctes, eo maiore ſtudio viros qui ijs præditi ſunt, & quæ ab ijs proficiſcuntur, amplecti debemus: vt attētè diligētēque contēplemur quemadmodū uſi ſint gladio verbi, ne inani eius ſplendore aut ſonitu contenti ſimus. Porrò inter veritatis propugnatores qui noſtris temporibus excelluerunt, quàm fidelem ſtrenuū, fortem, & inuictū ſe præbuerit D. Caluinus,

sic testantur eximia eius scripta, ut alieno praeconio non indigeat. Iam ab ineunte adolescentia simulatque à Deo vocatus est, tanta constantia fidem suam non dictis solum, sed scriptis etiam ac factis testatam fecit, ut multos, ubicunque versatus est, reliquerit testes eius luminis, quod acceptum à Deo, ceteris quantum in se fuit, communicauit. Quod si propterea & alacri animo Dominum vocatam sequutus est, ac viam semel ingressus, nec languori nec ocio se dedit: quo etiam magis progressus est & grauiore sustinuit pugnas, eo ardentius in hoc instituto perseverauit. Non referam singula, quae alio loco fortassis aptiora erunt. Sed haec mihi nunc perstringenda putauit, quod magis perspicuum sit omnibus, non frustra collecta esse in unum corpus opuscula quae à tanto viro iam ab octodecim annis subinde profecta sunt. Nam maximo vsui erunt ijs exercendis & confirmandis qui ad veritatis propugnationem sese accingunt. Quod ut reipsa experti sunt ij qui studiosè ea legerunt, ita omnes qui eodem studio ducentur, idem experturos spero ac confido. Non leuis autem fuisset iactura, plerosque libros qui hoc opere continentur, interire. quod facile, ut alijs plerisque, accidisset, si semper excusi seorsim ac sparsi essent. Nam etsi perexigui sunt nonnulli, uberrimos tamen fructus pariunt: & doctrinam saeculis omnibus accommodam comprehendunt. Ac quauis plerisque haec temporaria videri possint, doctrinam tamen utilem ac perpetuam tradunt, qua pii non minus in posterum quam hoc tempore aduersus Euangelij hostes muniantur. Nam ut videmus, ea quae Augustinus alique sancti ac celebres viri olim aduersus idolorum cultores, haereticos, ac seductores scripserunt, nobis hodie maximo vsui esse: ne dubitemus quin hi libri summopere profuturi sint posteris, quibus grauiora profecto bella sustinenda erunt, nec cum vnus tantum generis hostibus decertandum erit. Noua in dies errorum portenta parit diabolus: vetera etiam renouat atque interpolat, & tam specioso colore tegit, ut nunquam extitisse videantur. Artificia mira excogitat, quibus veritatem aut obscuret aut suspectam atque inuisam reddat. Quamobrem his certaminibus exerceri necesse est, ut insidias eius vitare, & fraudulentia consilia detegere possimus: & quum manus conscendae erunt, forti & inuicti animo obistamus, ac confidamus fore ut Dominus (sicuti admonet Paulus) Sathanam sub pedes nostros breui conterat. Itaque insigne exemplum in hoc praestanti Ecclesiae pastore nobis proponitur, qui cum varijs hostibus saepenumero congressus est. Nec enim vnus generis hostes negotium nobis facessunt. nunc ab exteris impetimur, nunc à domesticis, hoc est ab ijs qui nostri videri volunt, quum tamen alienissimi atque inimicissimi sint. Qua-

lem se aduersus externos & apertos hostes gesserit noster Calvinus, vt nunc insolentem Pighij arrogātiā cohibuerit, nunc putidas Sadoleti blāditias & calumnias diluerit, nunc Sorbonicos censores conuicerit inscitie & impudentiæ suæ, nunc Concilio Tridētino laruam detraxerit: denique vt semper occurreret insidijs Antichristi, impiæque eius tyrannidi sese opposuerit, ac tādē vt lenonum eius, hoc est Interimistarū, laqueos diremerit, hi libri facile indicabunt. Sed cum alijs etiam hostibus non minus perniciosus ei negocium fuit: qui quum veritatis fautores videri velint, errores nihilominus & mendacia admiscent, quibus omnia peruertunt ac corrumpunt. Quemadmodum ij qui ex Anabaptistarum genere exorti nouū necis genus animis inferebāt: suadentes se hoc modo purgatorij figmentū sublaturus: ac si error errore tolli posset. Cum ijs primum Aureliæ congressus, tam apertis Scripturæ testimonijs eorū deliria cōfutaui, vt statim eorum virus, quod longius serpebat, represserit: atque sic opem tulit multis quorum animi iam ancipiti cogitatione distrabebantur, vt etiam docuerit ea quæ omnibus seculis prodesse, & spem beatæ ac immortalis vitæ cōfirmare possint. Postea quū videret plurimos quibus nota erat Dei veritas, nihilominus se nefandis impiorum sacris polluere, magisque fortunarū aut vitæ rationem habere quàm Dei, eos aculeis verbi stimulos, ac tum priuatim tum publicè excitandos putauit: ne degenerarent tādē, lumēque illud diuinū quod in animis eorum accēsum erat, extinguerēt. Itaque vt quod priuatim sæpius monuerat, publicè quoque testaretur, epistolas duas edidit, quas de hac re ad quosdam amicos ex Italia scripserat: vt quàm detestandum sit corā Deo idololatriæ crimen, omnes intelligerent. Graues tunc auditæ sunt querimoniæ multorū, qui se ita pungi atque è veterno suo excitari egrescebant, quasi seuerior ac rigidior erga ipsos Calvinus esset. Sed ijs repugnantibus atque inuitis, tantū suis exhortationibus effecit, vt plurimi qui fucum Deo sibi que prius faciebant, culpam suam agnoscerēt, aliāque omnino viuendi rationem ineundam esse faterētur, & re ipsa Christianos se in posterū præberent. Alij sibi indulgentes, externum idolorum cultum pernicaciter excusare, atque horrendum scelus vanis coloribus obducere non destiterunt. Quamobrem sæpius incunda hæc pugna fuit, alijsque libris ostendendum quàm inanes eiusmodi colores essent. Exortum est deinde aliud bellū aduersus Anabaptistas, quorū dogmata prius sepulta, rursus emerferant: item aduersus fanaticam Libertinorū sectam, qua leues quædam nostrorum ac vicinorum mentes abreptæ erant. Horum impietatem ac vesaniam ita patefecit, vt nemo, nisi admodum hebes, ab ijs postea falli

posset. Sed ne longior sim persequendis singulis quæ ad reformandam Ecclesiam, ad imbucendos pia doctrina rudium animos, ad scandala vitanda, ad tolerandam crucem, ad curiosas artes reuiciendas, denique ad conseruandum religionis statum his libris aperte fideliterque docuit, ex eorum lectione quam utiles ac fructuosi sint, melius intelliges. Eos quidem pleniores atque vberiores habere potuisses, si iterum ipse manum adhibuisset: sed quales ab initio prodierunt, nunc etiam extare maluit, quum ijs parè ac perspicuè omnia tractentur. Nec sanè viro grauissimis rebus occupato importuni esse volumus, vt ea rursus tractaret quæ iam fidelissimè tradidisset. nam maiora in dies ab ipso expectamus. Accessit etiã hisce diebus perutilis ac necessarius liber De aeterna predestinatione, de qua varia quæstiones tum à leuibus & curiosis ingeniis, tum ab hostibus verbi agitatae fuerunt. Vix certe ipsum hoc tempore editurus erat, nisi insolens male feriatu cuiusdam erroris proteruita eum pepulisset. Tantus enim erat omnium Ecclesiarum consensus in hac doctrina, vt eius argumèti tractatio non admodum necessaria videretur. Sed quum hic impostor erroribus, quos ex putidis Georgii Siculi & Pighii lacunis hauserat, ecclesiam nostram turbasset, statim obuiam eundem fuit, atque edito vnius manu nostrum omnium consensu, monstrandum quid in hac re pijs omnibus ex Scripturæ auctoritate sentiendum sit: vt & vanas quæstiones vitet, & aeterno Dei consilio tribuat quod arrogantes & vani homines impio prætextu detrahere non dubitarunt. Sed in scelerato eorum conatu benignam erga nos Dei prouidentiam agnoscamus, qua effectum est vt maxime prodesse ea quibus isti se maxime nocere posse existimarunt. Nam clariora & illustriora reddita sunt quæ iam pridem multas piorum alioqui hominum mentes implicuerant, atque omnino satisfactum iis quorum sanæ ac sobrie mentes erunt. Peruicaces enim ac morosos aut fastidiosos homines quibus nullæ satisfaciunt vel apertissimæ rationes, nihil est quod moremur. Pius, modestis, placidis ac minime contentiosis hæc omnia scripta sunt, qui si vt integras mentes Deo offerunt, vt ei in obsequium addicant, ita integro & cædido ad hæc animo accesserint, magnam profecto ex his libellis confirmationem vberimumque fructum percipient. Valete.

Genevæ, pridie Cal. Mart. M. D. LII.

PSYCHOPANNYCHIA, QVA REFEL-  
litur quorundam imperitorum error, qui animas post mortem vsque  
ad vltimum iudicium dormire putant.

Authore Ioanne Caluino.

P R A E F A T I O I O A N N I S C A L V I N I  
ad amicum quendam.

Q V V M mecum pridem nonnulli pij viri agerent, & subinde etiam  
instarent vt publicè aliquid ederem, ad eorum intemperiam compescen-  
dam, qui de animarum vel dormitione, vel interitu, imperitè simul ac tu-  
multuose hodie disputant: nullis tamen haëtenus nec precibus, nec flagi-  
tationibus cesserã. adeo mihi ab omni contentionis genere abhorrebat ani-  
mus. Et erat tum sane quod excusarem: partim, quia sperabam fore vt ine-  
ptum istud dogma statim, nullo subscriptore, euanesceret: aut certe in-  
ter pauculos nugatores deliresceret: partim, quòd mihi minime expedi-  
tum erat cum ijs manum conferere, qui starèt ab aduersis partibus: quo-  
rum nec castra, nec tela, nec subterfugia noueram. Nondum enim quic-  
quam adme perlatum erat, præter murmura & raucos strepitus: vt con-  
gredi cum ijs qui in arenam nondum prodierant, nihil prorsus aliud vi-  
deretur, quàm aërem clausis oculis verberare. At de successu longe ali-  
ter accidit quàm speraueram. Siquidem blaterones illi tanta strenuitate  
in partes suas incubuerunt, vt aliquot iam hominum millia in eãdem se-  
cum insaniam traxerint. Et ipsum etiam malũ (vt video) incruduit. qui-  
dam enim principio confuse garriebant, mortuorũ animas dormire: ne-  
que definiebant quid per somnũ vellent intelligi. Emerserunt postea Ju-  
δαei isti, qui prorsus eas iugulant, sed sine vulnere. Aliorum quidem er-  
rorem non ferendum, horum verò insaniam grauiter coercendam existi-  
mo. vtrosque nec ratione, nec iudicio niti. Verùm id alijs persuadere nõ  
ita facile est: nisi vanitatem palàm, & (quod dicitur) in os refellam: quæ  
non nisi in eorũ scriptis deprehenditur. Dicuntur autem suas nugas ne-  
scio quibus schedulis ventilare, quas mihi necdũ videre contigit. Tantùm  
ab amico notulas quasdã accepi: quibus perscripserat quæ vel ex ore lo-  
quentium excipere illi cursim licuerat, vel vndecunque colligere. Altera  
igitur excusatio quanquã ex dimidia parte sublata est, ob notulas: ex al-  
tera tamen mihi nunc quoque superest. Verùm quũ illis susurris, & qua  
maxime pollent, garrulitate, clanculum se insinuãtes, non pauciores suo  
a.iiii.

*errore illaqueēt, quàm si excusis libris publicè cursitarent: causā mihi habere non videor quin veritatis proditor dicar, si in tanta necessitate taceam ac dissimulem. Certè quando permagnum operæ meæ usum imperitoribus & minus exercitatis fore confido, nonnullum etiam & mediocriter eruditis, qui hoc argumentum leuius attigerint: non dubitabo apud bonos omnes deponere fidei meæ rationem: non illam quidem fortassis satis instructam omnibus & machinis, quibus impetum in hostem faciat, & præsiidiis, quibus arceat: sed non penitus exarmatā. Quòd si per eorum importunitatem licuisset, qui hæc somnia in vulgus spargunt, libens abstinuissim me ab hoc genere certaminis: quod non tantum fructus refert, quantum insumit operæ: quum præsertim hac in parte valere existimarem Apostoli exhortationem, si quando vsui foret, vt ad sobrietatē sapiamus. Et quanquam isti, quam optamus sobrietatem, nobis non permittūt: modicè tamē, aut etiam intra modum differam. Atque vtinam inuenta esset alia ratio, quæ malū hoc plus nimio pullulascens maturè recideret: ne, velut cancer, magis ac magis in dies serpat. Neque tamen nunc primū nascitur. Siquidem legimus Arabicos fuisse quosdam huius dogmatis authores: qui iactarent animam cum corpore vnā emori, in die iudicii vtrunque resurgere. Et aliquanto post tempore, Ioannem episcopum Romanum, quem schola Parisiensis ad palinodiam adegerit. Verūm seculis aliquot sopitum, nuper per aliquot ex Anabaptistarum face excitatum, scintillas emisit. Hæ verò longè latèque peruagatæ, iustas faces accenderunt: quæ vtinam pluuia illa volūtaria, quam Dominus hereditati suæ segregauit, primo quoque die extinguantur. Agam autem citra vllius odium, citra priuatam cuiusquam contumeliam, denique citra cōuitiandi procacitatem, vt iure nullus queri debeat se læsum aut leuiter etiam offensum esse. Quanquam spectare hodie aliquos licet, insania carpendi, mordendi, sugillandi libidine æstuantem, quos si summo digito attingas, flebiliter deplorant scindi vnitatem Ecclesiæ, violari charitatem. His responsum sit, primū, nullam nos agnoscere vnitatem, nisi in Christo: nullam charitatem, nisi cuius ipse sit vinculum. Esse ergo hoc caput cōseruandæ charitatis, vt fides nobis sancta atque integra maneat. Deinde, nulla charitatis offensione hanc disputationem transigi posse: modò tales aures afferant, qualem ego linguam afferre statui. Tibi autem, ornatissime vir, hanc lucubratiunculā nuncupare, cum multis nominibus visum est: tum hoc præsertim vno, quod inter istos vanarum opinionum tumultus, quibus spiritus vertiginis Ecclesiæ quietem exagitat, firmum te ac integrum summa prudentia ac moderatione consistere perspicio.*

Aureliæ. M. D. XXXIII.

Euse. Eccl.  
 hist. l. 6. c. 26.  
 Augu. lib. de  
 Hæc. c. 83. in  
 dec. dist. 16.  
 Ioan. 2. de quo  
 Gerf. in sermo  
 ne pasch. prio  
 50.

## LECTORIBVS.

QVVM disputationem hęc relegerem, animaduerti, quędam inter  
 differendi cōtentionem, paulo acrius atque etiam asperius esse dicta: quę  
 aures quorundam delicatulas radere fortasse possent. Et quādo scio nō-  
 nullos bonos viros, quibus de hoc somno aliquid in animum instillatum  
 fuerit, vel nimia credendi facilitate, vel ignorantia scripturę, qua ad re-  
 sistendum, pro tempore, non fuerint satis armati: in eorum offensicnem  
 (quoniam non peruicaciter peccant, nec maliciosę) quoad per eos liceat,  
 nolui incurrere. Volui igitur hęc commodum eos pręmonere, qui tales  
 sunt, ne quicquam in contumeliam suam trahant: sed quoties aliqua di-  
 cendi libertate cuehor: sciant me agere cum nequissimo illo Anabaptista-  
 rum grege (ę quorum scatebris hęc primũ, vt dixi, aqua profluxit) qui  
 nec sic quidem pro meritis suis tractantur. Cum quibus sic pugnam insti-  
 tui, vt si in posterum obluętentur, sensuri sint, si non valde peritum, cer-  
 te constatẽ veritatis defensorẽ: & vt mihi audeo de gratia Dei pro-  
 mittere, inuictum. Quanquam nec cōtra eos, nisi modicę, bilem effudi: vt  
 qui ab omni procacitate & loquendi petulantia perpetuõ abstinue-  
 rim: sicque ferę vbique stilum temperauerim, vt docendo esset aptior,  
 quã cogendo: trahere tamẽ posset eos qui duci nolint. Omnes certẽ in  
 viam reducere magis quã incessere, animus fuit. Lectores autẽ, si qui fu-  
 turi sunt, hortor & obtestor per nomẽ Dei & Domini nostrĩ Iesu Chri-  
 sti, vt integrũ iudiciũ ad legendũ adferat, & animũ, quasi paratã veri-  
 tati sedẽ. Scio quantũ gratię habeat nouitas ad demulcendas quorundã  
 aures. Sed debemus cogitare, vnã esse vocẽ vitę: quę est ex ore Domi-  
 ni. Huic vni patere debere aures nostras, quũ de doct̃rina salutis agitur:  
 ceteris omnibus clausas esse. illius, inquam, verbũ nō nouũ est: sed quod  
 fuit à principio, est, & semper erit. Et quã errat, qui verbũ Dei, pcruer-  
 so vsu & ignauia desitũ, quũ in lucem redit, nouitatis nomine infamãt:  
 tã peccant in alterã partẽ, qui, velut arũdines, quouis vento impellũtur:  
 imõ ad quãlibet leuem auram nutat & inflectũtur. An hoc est Christum  
 discere, quibusuis doct̃rinis, etiam veris, sine verbo Dei aurem accõmo-  
 dare? Si accipis vt ab homine: nõne & mendacia eadẽ facilitate hauries?  
 Quid enim homo suum habet, nisi vanitatẽ? At non sic illi, qui quũ rece-  
 pissent verbum, scrutabantur scripturas, an hęc ita se haberent. præcla-  
 rum exemplũ, si quidẽ imitaremur: verũ nos nescio qua desidia, seu po-  
 tius contẽptu, verbum Dei recipimus. Vt quũ tres syllabas didicerimus,  
 statim opinione sapiẽtię turgeamus, & tatum non crepemus, nobis diui-  
 tes ac reges. Hinc tam multos videas, qui in omniũ seculorũ ignorantiam

tragicè vociferatur, nō minus ipsi indocti, sed quid facias? Christiani vi-  
 deri volūt, & dicuntur: quia aliquot capita locorū communiū delibant.  
 & quū nescire aliquid pudeat, de omnibus cōfidentissimè, quasi ex tripode,  
 respōdent. Hinc rursus tot schismata, tot errores, tot fidei nostræ scā-  
 dala, qua occasione nomen ac verbum Dei blasphematur inter impios.  
 Tandem (quod est caput mali) dum obstinatè tueri pergunt, quod se-  
 mel temere effutiuerunt: tum oracula Dei consulunt, ex quibus errorum  
 suorum patrocina querāt. Ibi, Deus bone, quid non inuertunt? quid non  
 deprauāt atq; corrūpunt? vt ad sensum suū, nō dico inflectāt, sed vi incur-  
 uēt. Scilicet verè dixit Poeta, Furor arma ministrat. Hæcine est discēdi  
 via? versare ac volutare scripturas, vt libidini nostræ seruiāt? vt sensui no-  
 stro subiiciatur? quo nihil est stolidius. O fonticam pestem, & certissima  
 zizania inimici hominis: quibus vult obcæcare verū semē. Et adhuc mi-  
 ramur vnde tot sectæ inter eos qui primū in nomen Euāgelio dederāt, ac  
 renascenti verbo? Equidē terret me dira illa denūtiatio, Auferetur à vo-  
 bis regnū Dei, & dabitur genti facienti fructū eius. finem hīc conquerē-  
 di faciam. Nam longū volumen conscribendū sit, si in hanc temporū per-  
 uersitatem ad iustū modū declamare libeat. Nos verò, fratres, tot exem-  
 plis moniti, vel sero tandē sapiamus. Pendeamus semper ex ore Domini:  
 & nequid ad eius sapientiā addamus aut admisceamus de nostro: ne, ve-  
 lut fermentum, totam massam corrumpat, & salcem etiā ipsum, qui in no-  
 bis est, infatuet. Præstemus nos Domino quales vult habere discipulos:  
 pauperes, sapientiæ nostræ inanes & vacuos: discendi avidos, sed nihil  
 sciētes, aut etiā scire volētes, nisi quod ille docuerit: quicquid est exoticū,  
 non secus ac præsentissimū venenum, fugiētes. Volo autē & ijs occurre-  
 re, qui consiliū meum reprehendent: quod de re nihili concitem ingentes  
 pugnas, atque istæc leptologmata cruentis dissidijs decidam. non enim  
 desunt qui sic me accipiant. His responsū sit: quū ex professo tentatur  
 Dei veritas: nullo modo ferendū esse, ne tantillū quidem ex ea delibari.  
 Nec rem esse nihili aut cōtēmendā, videre tenebris diaboli extingui Dei  
 lucē. Deinde, maioris momenti esse hanc causam, quā à multis credatur.  
 Neque tamen (vt falsò interpretantur) ad cruorē vsque dissidet, qui alio-  
 rum erroribus non acquiescit. Reprehēdi eorū curiositatē, qui has que-  
 stiones, reuera nihil aliud quàm ingenij tormenta, exagitarēt. Postquā au-  
 tem mouerunt hanc camarinam: reprimenda est eorū temeritas: ne supra  
 veritatē inualescat. Id an effecerim, nescio, volui certe: & quod optimū ha-  
 bui, dedi. Alij, siquid melius habeant, in commūne bonum conferant.

Mat. 21. d. 43.

Basilea. M. D. XXXVI.



LIBRORVM HOC VOLV MINE  
contentorum ordo & catalogus.

- *Psychopannychia, qua refellitur quorundam imperitorum error, qui animas post mortem vsque ad vltimum iudiciũ dormire putant.* pag. 1.  
A<sup>o</sup> 34.
- *Epistolæ duæ: Prior, de fugiendis impiorum illicitis sacris, & puritate Christianæ religionis obseruanda. Altera, de Christiani hominis officio in sacerdotijs Papalis Ecclesiæ vel administrandis vel abiiciendis.* pag. 41.  
A<sup>o</sup> 37.
- *Iacobi Sadoleti Romani Cardinalis Epistola ad Senatum populũmque Geneuensem, qua in obedientiam Rom. Pontificis eos reducere conatur. Cum Iohannis Caluini ad eam epistolam responsione.* pag. 94.  
A<sup>o</sup> 39.
- *De Cæna Domini.* A<sup>o</sup> 1540 pag. 129.
- *Epinicion Christo cãtatum ab Iohanne Caluino, Calendis Ianuarij, anno 1541.* pag. 148.
- *Catechismus Ecclesiæ Geneuensis, hoc est Formula erudiendi pueros in doctrina Christi.* A<sup>o</sup> 36
- *Formula sacramentorum administrandorum, in vsum Ecclesiæ Geneuensis conscripta.* A<sup>o</sup> 40. pag. 205.
- *Defensio sanæ & orthodoxæ doctrinæ, de seruitute & liberatione humani arbitrij, aduersus calũnias Alberti Pighij Campensis.* pag. 216.  
A<sup>o</sup> 43.
- *Admonitio paterna Paulitertij Romani Põtificis ad inuictissimum Cæsarem Carolum quintum, Cum scholijs Ioannis Caluini in eandem epistolam.* A<sup>o</sup> 44. pag. 352.
- *Articuli à facultate sacræ Theologiæ Parisiensi determinati super materijs fidei nostræ, hodie controuersis. Cum antidoto.* A<sup>o</sup> 42 pag. 378.
- *De necessitate reformandæ Ecclesiæ, ad Cæsarem Carolum quintum & Principes, aliõsque ordines, Spiræ imperij conuentum agentes.* A<sup>o</sup> 44. pag. 410.
- *Breuis instructio muniẽdis fidelibus aduersus errores sectæ Anabapti-*

Starum. Item, aduersus fanaticam & furiosam sectam Libertinorum, qui se Spirituales vocant. Item, Epistola ad fideles qui degunt Rotomagi, aduersus Frãiscanum quendam Libertinorum erroris sectatorem. A°. 44. pag. 466.

Admonitio qua ostenditur quàm è re Christianæ reip. foret, Sanctorum corpora & reliquias velut in inuentarium redigi: quæ tam in Italia quàm in Gallia, Germania, Hispania, caterisque regionibus habentur  
A° 1550 pag. 577.

De vitandis superstitionibus, quæ cum sincera fidei confessione pugnant. Item excusatio aduersus Pseudonicodemos. Quibus accessit responsum Pastorum Tigurinae Ecclesie. A°. 45. pag. 604.

Acta Synodi Tridentinae. Cum antidoto. A°. 47. pag. 651.

Vera Christiana pacificationis & Ecclesie reformandæ ratio, vnà cum appendice. pag. 742.


Admonitio aduersus Astrologiam quam iudiciariã vocãt, aliãsq; præterea curiositates nõnullas quæ hodie per vniuersum ferè orbem grassantur. A°. 48. pag. 801.

Consensio mutua in re sacramentaria, Ministrorum Tigurinae Ecclesie, & D. Ioannis Caluini Ministri Geneuensis Ecclesie, iam nunc ab ipsis authoribus edita. A° 54. pag. 822.

De scandalis quibus hodie plerique absterrentur, nõnulli etiam alienantur à pura Euangelij doctrina. A°. 50. pag. 829.

De æterna Dei prædestinatione, qua in salutem alios ex hominibus eligit, alios suo exitio reliquit: item, De prouidẽtia qua res humanas gubernat, Consensus Pastorum Geneuensis Ecclesie à Io. Caluino expositus. A°. 51. pag. 879.

QVAE CONDITIO ET VITA  
animarum post hanc vitam.



**N**UNC HÆC DISPUTATIONE expolienda, ut non multum à me studij ponetur, ita dabitur opera, quò sensum meum quàm simplicissimam perspicuitate, explicatum habeant lectores. Et sanè quacunque de re instituaturs disputatio, cum ubique plurimum refert, rem ipsam quæ agitatur, & scriptori probè perspectam esse, & lectori perspicuè definitam: ne aut ille suos fines transiliat, ac longius oratione euagetur: aut hic in ipso disputationis campo, sine certa via aberret: tum id verò præsertim in omni controuersia diligenter obseruandum: quando hic non docendi solum habenda cura, sed cum aduersario negotium est, qui certè (ut ferè sunt hominum ingenia) nec vinci se vnquam patietur, nisi inuitus: nec victum se fatebitur, quandiu cauillando, restitendo, tergiversando, ludere ac delicias facere poterit. Hæc autem optima premendi, stringendique aduersarij, ne quæ elabatur, ratio est: si controuersia caput ita designatè dilucidèque explices, ac in medium proponas, ut, quasi in rem præsentem, manu consertum vocare possis. De hominis ergo anima nobis certamen est, quam alij fatentur quidem esse aliquid: sed à morte, ad iudicij vsque diem, quo è somno suo expergescet, sine memoria, sine intelligentia, sine sensu dormire putant. Alij nihil minus quàm substantiam esse concedunt: sed vim duntaxat vitæ esse aiunt, quæ ex spiritu arteria, aut pulmonum agitatione ducitur: & quia sine corpore subiecto subsistere nequit, ideo vnà cum corpore interire & euanescere fingunt, donec totus homo suscitetur. Nos verò & substantiam esse ipsam contendimus, & verè post corporis interitum viuere, sensu videlicet & intelligentia præditam: ac vtrunque euentibus Scripturæ testimonijs nos probaturos recipimus. Valeat hinc quicquid est humana prudentia: quæ multa quidem de anima cogitat, nihil tamen certum percipit. Valeant philosophi: quibus, cum in omnibus penè rebus solenne sit, nec finem, nec modum facere dissensionibus, hinc ita inter se vixantur, ut vix duos testes habiturus sis, in quacunque tandem opinione acquiescas. De animæ facultatibus præclare aliquot locis Plato: argutissimè autem omnium Aristoteles disseruit. Verùm quid sit anima, & vnde sit, frustra ab ijs & vniuersa omnino sapientum natione quaras, quanquam multò certè & prudentius & sinceriori senserunt, quàm isti nostri, qui se Christi discipulos esse gloriantur. Prius tamen quàm longius progredimur, ansa logomachia præcidenda, quam arripere ex eo possent, quòd nunc spiritum & animam promiscuè vocabimus id, de quo nunc nobis controuersia est: interdum, ut diuersa, distinctè enuntia bimus. Nam hic est vsus Scripturæ, dare his verbis varias acceptiones: quarum plerique dum nullam habet rationem, ut quæque prima sibi occurrit, eam mordicus tenet, & pernicaciter defendant. Aliquoties legerunt animam pro vitæ: id perpetuum putant, & acerbè confirmant. At si quis contra obijciat versus Dauidis: Anima eorum in vitæ benedicetur: interpretabuntur vitæ in vitæ benedici? Similiter si locus ille ex Samuele proferatur: Per vitæ tuam, & per vitæ animæ tuæ: an istis verbis nihil significari dicent? Nos itaque scimus, animam s&

psal. 48.

2. Sam. 11.

p̄sal. 118. piſſimè pro vita poni, vt in iſtis locis: *Anima mea in manibus meis. Itē, Quare*  
 Iob. 18. *laccro carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis? Itē,*  
 Matt. 5. *Nōne anima pluris eſt quàm eſca? Item, Stulte, anima tua hac nocte repetetur*  
 Luc. 12. *abs te. Et ſimilibus, quos iſti animicida ſemper in ore habent. Nō tamen eſt, quòd*  
*ſibi inde tanto pere placeant: ſiquidem animaduertere debebant, illic metonymi-*  
*cè, animæ nomē, pro vita uſurpari: quòd anima, cauſa ſit vitæ, quòdque vita cō-*  
*ſtet anima: quam figurā inter elementa pueri quoque perdiſcunt. Quis verò non*  
*miretur tantam hominum cōfidentiam, qui & ſibi de ſe magnum aliquid perſua-*  
*deant, atque alijs etiā videri vel. ut, qui tamen docendi ſunt tropos & loquendi*  
*ſchemata? Scimus & pro voluntate ſeu deſyderio accipi, non abſimili ratione:*  
 1. Reg. 18. *nempe, quia voluntatis & deſyderij ſedes eſt. Quo ſenſu dicta eſt anima Iona-*  
 Gen. 34. *thæ, conglutinata animæ Dauidis: & anima Sichem adheſiſſe cū Dina, filia Ia-*  
 Acto. 4. *cob: & Lucas dicit, multitudinis credentiū fuiſſe cor vnum, & animam vnā.*  
 p̄ſal. 107. *Quis verò non videat iſtis hebraiſmis multā vim ineſſe? Benedic anima mea Do-*  
 & 103. *mino. Magnificat anima mea Dominū. Dic anima mea, ſalus tua ego ſum: pluſ-*  
 Luc. 1. *que neſcio quid exprimi, quàm ſi dictum eſſet, ſine adiecto, Benedic dominū, Ma-*  
 Gen. 49. *gnifico Dominū, Dic mihi, ſalus tua ego ſum. Aliquādo ſimpliciter pro homine*  
 Eze. 28. *animato. Vt, cū dicuntur ſeptuaginta ſex animæ deſcēdiſſe cum Iacob in AE-*  
 Leuit. 20. *gyptū. Item, Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Anima quæ declinauerit ad*  
 2. Sam. 2. *magos & ariolos, morte morietur, &c. Nonnunquam & flatū vocari, quo ſpi-*  
 Acto. 20. *rāt ac reſpirant homines: in quo vitalis corporis motus reſidet. Quomodo hos lo-*  
 1. Reg. 17 *cos accipio: Anxietas apprehendit me, etiam ſi tota anima mea adhuc in me eſt.*  
 Gen. 35. *Et, Anima eius in ipſo eſt. Et, Reuertatur anima pueri intra viſcera eius. Quin*  
 Iefa. 26. *& eadē loquendi forma, qua vulgò dicimus animā eſſari & expirari, Scriptura*  
 Gal. 5. *animam egredi dicit. Vt de Rachel: Egrediente autē anima (nam ipſa morieba-*  
 Iefa. 25. *tur) vocauit nomen pueri, Ben-oni. Scimus ſpiritum eſſe flatum ac ventum, &*  
 1. The. 5. *hac ratione vocari à Græcis frequētius. Scimus, pro re vana & nihili uſur-*  
 H. br. 4. *p̄ari apud Ieſaiā. Concepimus & parturiuimus, & peperimus ſpiritū: ſapiſſimè*  
*verò, quòd ex ſpiritu Dei regeneratū eſt in nobis. Nā cū Paulus ſcribit, ſpiri-*  
*tum concupiſcere aduerſus carnem: non intelligit, animam pugnare cum carne,*  
*aut rationem cū cupidine: ſed animā ipſam, quatenus à ſpiritu Dei regitur, ſe-*  
*cum luctari, quatenus adhuc ſpiritu Dei vacua eſt, ſuiſque cupiditatibus addicta.*  
*Scimus, dum ſimul iunguntur, per Animā, voluntatē d. ſignari: per ſpiritū ve-*  
*rò, intellectū. Sic loquitur Ieſaias, Anima mea deſyderauit ad te in nocte: ſed &*  
*in ſpiritu meo intra me vigilabo ad te. Et Paulus, cū precatur vt Theſſaloni-*  
*cēſes integro ſint ſpiritu, & anima & corpore, ita vt in nullo poſſint culpari in*  
*aduētū Domini noſtri Ieſu Chriſti: hoc enim vult, vt reſta omnia cogitēt & ve-*  
*lint, nec mēbra ſua exhibeāt arma iniquitatis peccato. Eodē pertinet, quòd ſcribit*  
*alibi Apoſtolus: ſermonem Dei viuum eſſe, & penetrantioſam omni gladio*  
*ancipiti, pertingentem uſque ad diuiſionē animæ & ſpiritus comp̄gūmque, &*  
*medullarum, diſcretorem cogitationu n cordis. Quanquam in hoc poſtremo loco,*  
*nonnulli per ſpiritum, malunt intelligere eſſentiam illam, cui in eſt ratio ac vo-*  
*luntas, de qua nunc diſceptamus: per Animam autem, vitalem motum, & ſenſus*  
*quos philoſophi ſuperiores & inferiores vocant, id eſt, <sup>ἡ ψυχή καὶ αἰσθητικὸς</sup>. Verūm*  
*cū vtrunque plurimis locis eſſentiam immortalē, quæ in homine vitæ cauſa eſt,*  
ſign. ſi-

significet, non rixandi causas captent ex nominibus, sed rem ipsam percipiant, quocumque significetur nomine. Id verò quàm verum sit, nunc doceamus.

**I**ncipiemus autē ab ipsa hominis creatione, in qua perspiciemus, qualis ab initio factus fuerit. Sacra historia nobis, ante creatum hominem, commemorat Dei consilium de faciendo ipso ad imaginem & similitudinem suam. Quæ verba de corpore nullo modo accipi possunt. In quo, tamen si mirabile opus Dei, præ cæteris corporibus creatis, apparet, nulla tamen eius imago effulget. Quis enim hæc loquitur? Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrā: nempe, Deus, qui spiritus est, qui nulla corporis effigie representari potest. Atqui, ut imago corporea, quæ faciem externam nobis refert, debet ad viuum exprimere omnia lineamenta & omnes ductus, ut ex pictura vel sculptura concipiamus, quæcumque in exemplari conspici possunt: ita hæc imago Dei debet, sua similitudine, aliquam Dei cognitionē in animis nostris informare. Audio quosdā eorum sic nugari, ut dicant imaginem Dei referri ad imperium quod traditum est homini in beluas: quòd homo ea in parte simile aliquid cum Deo habeat: cuius imperium est in omnia. In quē lapsus Chrysostomus quoque incidit, dum nimia contentione prohibetur contra insanos anthropomorphitas. Sed Scriptura non patitur sic se eludi. Nā Moses, ne quis in hominis carne hæc imaginem constitueret, prius è limo terræ corpus formatū narrat, sed nullam imaginem Dei referens. Deinde ait inditum luteo corpori vitæ spiraculum: ut tum demū eluceret in homine Dei imago, cum omnibus suis partibus constaret. Quid igitur? dixerit aliquis, an spiraculum illud vitæ, imaginē esse Dei putas? Non sanē. Quanquam id cum multis, nec fortasse improbè, dicere poteram. Quid enim, si contendam verbo Dei constitutum discrimen, quo istud vitæ spiraculū, à beluarum animis distinguatur? Vnde enim habent ortum aliorum animalium animæ? Producat (inquit Deus) terra animam viuentem, & cætera. Ita in terrā resoluantur, quæ de terra emerferunt. Anima verò hominis non de terra est, sed ex ore Domini: hoc est, ex virtute secreta. Sed hinc inquā, non hæreo: ne pugnam mihi faciunt: sed vnum tantum obinere volo: Imaginē ipsam esse extra carnem: alioqui, non admodum præclarum foret elogium hominis, quòd ad imaginē Dei factus sit: quod tamen nobis tantopere Scripturis cōmendatur, ac subinde repetitur. Quid enim opus erat, Deum deliberantem inducere, & quasi in cōsiliū mittere, si vulgare aliquid facturus erat? Nam reliqua omnia ut essent, dixit: & facta sunt. Cū ad hæc imaginem ventum est, velut singulare specimen editurus, sapientiam suam & virtutem aduocat, & secum cogitat, antequam manum admoueat operi. Hos ergo loquendi tropos, qui ἀνδρῶν ὁμιλίαις, ad balbutiei nostræ modulos, Dominum ἀνέξιστον nobis figurāt, an de nihilo tā anxie Moses affectauit? ac nō potius imaginem Dei, quæ in homine relucet, magnificè cōmendauit? nec semel dixisse contentus, sapius repetit. Quicquid nugentur vel philosophi, vel isti somniatores, habemus nihil esse quod imaginē Dei ferat, nisi spiritum: ut Deus spiritus est. Hinc non est agendum coniecluris, ut inquiramus, quæ sit huius imaginis similitudo ad suum archetypum: quādo id facile ex Apostolo discere licet: qui dum præcipit, ut induamus nouum hominem, qui renouatur in agnitione, secundum imaginem eius, qui creauit illū, liquidò ostendit, quæ sit hæc imago, aut in quo cōsistat. Et alibi dum scribit: Indui

Gen. 1.

Amb. li. 6  
hex. aug.  
gust. c. 4.  
de trin. &  
alibi.Imago Dei  
hominis,  
carnem.Id obser.  
uant Hil.  
in Psa. 63  
Augu. lib.  
de spiritu  
& anima  
c. 39.  
Baf. Hex.  
congef. 8.

Colo. 3.

Eph. 4.

Ephe. 4. te nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Quæ omnia cum vno verbo comprehendere volumus, dicimus hominem, secundum spiritum, factum esse participem sapientiæ, iustitiæ & bonitatis Dei. Hoc sequuti sunt duo sacri scriptores: quorum alter, cum hominem distribuat in duas partes, corpus de terra sumptum, & animam, ad quam refert Dei imaginem, breuiter complexus est quod Moses longius profecutus fuerat. Creauit, inquit, Deus hominem, & secundum imaginem suam fecit illum. Alter verò, cum exegeticè vellet designare, quò pertineret Dei imago, vocauit hominem inextermiabilem, qui creatus esset ad imaginem Dei. Quorum scriptorum auctoritate aduersarios nostros non valde premerem, nisi eos ipsos nobis opponerent. Qui tamen vnicunque, aliquo loco nobis esse debent: si non vt canonici, certè vt veteres, vt pij, vt multorum suffragijs recepti. Verùm eos omittamus, illam imaginem Dei in homine retineamus, quæ, nisi in spiritu sedem habere non potest.

1. Pet. 1. & 2. Sed iam, quæ apertius de anima Scripturâ loquitur, audiamus. Cum de animarum salute Petrus loquitur, & cum carnalia desideria militare aduersus animam dicit: & cum castificare animas nostras præcipit, & Christum vocat Episcopum animarum nostrarum, quid sibi vellet, nisi animæ essent, quæ saluarentur, quæ oppugnarentur à prauis desiderijs, quæ castificarentur, quæ ab episcopo suo Christo regerentur? Et in historia Iob legimus: Quanto magis qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum? Quod sanè de anima, si propius animaduertas, dici intelliges, quæ in corpore luteo habitat. Non enim hominem vas luteum appellauit: sed dicit vas luteum incolere: quasi bona pars hominis (quæ est anima) domicilio illo terreno contineatur. Sic Petrus: Iustum, inquit, arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonitionem: cum sciam breui futurum, vt deponam hoc meum tabernaculum. Quæ loquendi forma, nisi valde stupidi sumus, possumus intelligere & aliquid esse in tabernaculo, & aliquid quod exuatur tabernaculo: vel (vt ait ipse) tabernaculum deponat. Eandem distinctionem carnis à spiritu manifestam statuit auctor Epistolæ ad Hebræos: cum parentes carnis nostræ, à quibus geniti sumus, nominat: vñ autem Deum, Patrem spirituum. Et paulò post, cum regem cælestis Ierusalem Deū nominasset, subicit ciues, angelos, & spiritus iustorum perfectorum. Nec 2. Cor. 7. video quomodo aliter intelligi possit illud Pauli: Has igitur habentes promissiones, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus. Nam satis constat, illic non esse collationem, quæ alibi vti solet: cum spiritui inquinamentum tribuat, quo nomine alijs locis significat merâ puritatem. Addam & locum alterum: quanquam video eos, qui calumniari volent, protinus ad suas glossas delapsuros. Dum enim ait, Quis est hominum, qui sciat quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita, & quæ sunt Dei nemo cognouit, nisi spiritus Dei. Poterat dicere hominem scire quæ sua sunt: sed partem illam verbo appellauit, in qua residet vis cogitandi & intelligendi. Atque etiam, cum dicit, spiritum Dei testimonium reddere spiritui nostro, quòd filij Dei sumus, nonne eadem loquendi proprietate usus est? Quid, quòd vno verbo conuincere eos potui? scimus enim, quàm sæpe Christi voce damnatus sit error Sadducæorū, cuius partem esse Lucas in Actis scripsit, quòd spiritum non esse dicerent. Verba sunt: Sadducæi

Sadducei autem dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum: Pharisei verò hæc omnia confitentur. Vereor ne de Spiritu sancto cavillentur hæc intelligi, aut de Angelis. Cui obiecto facile est occurrere. Nam & Angelos seorsum posuit: & certum est Phariseus illis nullam ferè fuisse Spiritus sancti notitiam. Atque etiam id melius assequentur, qui Græcè norunt. Lucas enim sine adiectione articuli, dixit *πνεύματι*, adiecturus indubiè, si de Spiritu sancto locutus esset. Hoc si non illis os obstruit, non video qua ratione vel trahi, vel duci possint: nisi fortè dicant, neque damnatam fuisse ex eo Sadducæorum opinionem, quòd spiritum negarent: neque probatam Phariseorum, quòd assererent. Cui cavillo ipsa Evangelistæ verba obuiant. Vbi enim Pauli confessionem posuit, Phariseum se esse: subdit eam Phariseorum sententiam. Aut igitur oportet callidam & malitiosam fuisse Pauli simulationem: (quod recipi non debet in confessione fidei) aut cum Phariseis de spiritu sensisse. Quòd si nobis fidem faciunt historia, hoc perinde inter Apostolos certum erat ac constitutum, atque mortuorum resurrectio, aut aliquod simile fidei nostræ caput. Non pigebit hæc adscribere verba Polycarpi, viri, omnibus & didicis & factis, spirantis martyrii: qui & discipulus Apostolorum fuit, & ita sincère quod ab illis acceperat, posteris tradidit, ut nihil unquam immisceri fermenti passus fuerit. Is igitur inter multas præclaras voces, quas flammæ admotus edidit, eo die representandum se dixit coram Deo in spiritu. Quo eodem tempore Melio episcopus Sardensis, vir parvis sinceritatis, librum scripsit de corpore & anima: qui si hodie extaret, superfluis esset hæc labor. Adde autem hæc sententia meliore illo seculo valuit, ut Tertullianus reponat eam inter communes & primas animi conceptiones, quæ à natura communiter apprehenduntur. Tamen si iam multis rationibus pugnatum est, quæ enincere, nisi fallor, debuerunt quod contendebant: nempe, animam aut spiritum hominis substantiam esse à corpore distinctam: quæ tamen nunc fatentur, certiore adhuc eius rei fidem facient. Venio enim ad id, quod secundo loco à me propositum erat: Eam ipsam animam, ab interitu corporis superstitem manere, sensu ac intelligentia præditam. Fallitur autem qui existimat me hic aliud quidpiam affirmare, quàm animæ immortalitatem. Siquidem qui animam vivere fatentur, illamque simul omni sensu spoliant, prorsus animam frangunt, quæ nihil animæ habeat: aut animam ipsam à se ipsa auellant: cum eius natura, sine qua consistere ullo modo nequit, sit, moveri, sentire, vigere, intelligere: atque (ut ait Tertullianus) animæ anima, sensus sui. Istant ergo immortalitatem ex Scriptura discamus.

Acto. 23.

Ecc. hif. co. 4. c. 13. Euf. c. 19.

Euf. c. 24

Eo. de resurrectione. carnis.

Eo. de carne Christi.

**C**um Christus suos hortatur, ne timeant eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt: sed eum timeant, qui cum occiderit corpus, animam potest mittere in gehennam ignis: an non innuit animam superesse post mortem? Benignè verò in eo nobiscum egit Deus, quòd animas nostras istorum arbitrio non permisit, qui ad eò ex facili eas trucidant: aut certè, quia non possunt, conantur. Tyranni torquent, secant, vrunt, verberant, suspendunt, sed corpus: solus est Deus, qui ius habet in animam, ut eam mittat in gehennam ignis. Aut igitur anima reliqua est post mortem: aut falsum est, tyrannis potestatem non esse in animam. Hic (ut audio) respondent, animam quidem ad præsens occidi, cum mors

Matt. 10. Luc. 12.

infigitur: sed non perire, quia futurum est, ut suscitetur. Qua via euadere uolunt, concedant oportet neque corpus occidi, quod etiam suscitabitur. Et quia utrunque conseruatur in diem iudicij, neutrum perit. Verbum autem Christi fatetur corpus occidi, animam esse saluam testatur. Hac dicendi forma, Christus utitur de sua ipsius morte, cum ait: Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Dicebat autem de templo corporis sui: quia ratione animam ab eorum potestate eximit, quam etiam moriens in manus Patris commendat, ut Lucas scribit, & David prädixerat. Et Stephanus eius exemplo, Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Habent hinc quod garriant, Christum Patri, & Stephanum Christo, vitam commendare, in diem resurrectionis custodiendam. Sed uerba aliter sonant, praesertim illa Stephani. Et Euangelista addit de Christo, quod inclinato capite, tradidit spiritum: quae uerba ad anhelitum, aut pulnonum agitationem respicere non possunt.

**N**ec minus euidenter Apostolus Petrus, animas à morte & esse, & uiuere ostendit: cum tradit, Christum his, qui in carcere erant, spiritibus praedicasse: nec spiritibus modò piorum, remissionem ad salutem: sed impiorum quoque spiritibus confusionem. Sic enim illum locum interpretor, qui multa ingenia torfit: & persuasurum me bonis omnibus confido. Nam cum de humilitate crucis Christi locutus esset, ostendissetque pios omnes oportere ad eius imaginem conformari, ne desperatione conciderent, continuo attexit resurrectionis mentionem, ut doceat quibus tribulationibus futurus sit finis. Commemorat enim, Christum non succubuisse morti: sed, ea subacta, uictorem emeruisse. Id suis uerbis dicit mortificatum quidem carne, uiuificatum tamen spiritu: eodem scilicet sensu, quo Paulus scribit, passum fuisse in humilitate carnis, excitatum autem uirtute spiritus. Iam ut uirtutem ipsam ad se quoque pertinere fideles intelligerent, subiungit Christum hanc uirtutem erga alios exeruisse: neque erga uiuos modò, sed etiam mortuos: deinde non tantum erga seruos suos, sed incredulos quoque ac gratiae suae conemptores. Porò intelligamus defectiuam esse orationem, deesseque ex duobus membris alterum: cuius generis multa sunt in Scripturis exempla, praesertim ubi multae sententiae una clausula colliguntur, quemadmodum hic factum est. Nec uerò miretur quisquam, includi carcere sanctos Patres, qui redemptionem Christi expectabant. Quia enim, ueluti sub nube & umbra, eminus lucem prospiciebant (ueluti qui reliquias dici uident sub serum crepusculum, aut diem uenientem sentiunt, ante auroram) nec adhuc habebant exhibitam sibi Dei benedictionem, in qua requiescerent: eorum expectationem, uocauit carcerem. Erit igitur sensus Apostoli: Christum in spiritu, ijs qui in carcere erant spiritibus praedicasse, hoc est uirtutem redemptionis per Christum partae, mortuorum spiritibus apparuisse, ac exhibitam esse. Hinc deest alterum membrum, quod ad pios pertinebat, qui hunc fructum agnouerunt & perceperunt. Exprimit autem de incredulis, qui eundem ipsi hunc nuntium receperunt in confusionem. Viderunt enim unam esse redemptionem: à qua exclusi, quid aliud possent quam desperare? Video istos iam fremere, ac mutire, glossam hanc esse è capite meo effictam: his legibus se non subijci. Non addicam ergo eos meis legibus, sed hoc tantum rogabo, an non spiritus carcere clausi, spiritus sint? Clarius est quod apud eundem scripto:



scriptorem legitur: in hoc mortuis predicatum esse Euangelium, ut iudicentur 1. Petr. 4.  
 secundum homines carne: viuant autem secundum Deum spiritu. Videtis, ut carne in mortem tradita, spiritum asserat in vitam? Cum enim ratio sit vita ac moris, per antithesin, alterum mori clarum est, alterum viuere.

**I** Dipsum ex Solomone discimus: qui mortem hominis describens, longo discrimine animam à corpore separat. Donec, inquit, reuertatur puluis in terram, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Scio eos parum affici hoc argumento: quòd dicunt vitam redire ad Deum, qui est fons vitæ: itaque nihil amplius esse. Sed verba ipsa clamant, sibi hoc modo vim inferri, ut nullum sit operapretium refellere hanc argutiolam, indignam & lectu & auditu. Iam hoc significet illis oportet animas redire ad fontem vitæ suæ per somnium. Atque huic sententiæ respondet quod est apud Esdram, quem equidem scriptorem eis non opponerem, nisi ipso valde niterentur. Audiant igitur suum Esdram: Eccl. vii. 4. Esd. 2.  
 Terra reddet quæ in ea dormiunt, & in silentio habitant: & promptuaria reddent quæ illis commendatæ sunt animæ. Nugantur, promptuaria, esse providentiam Dei: animas verò, cogitationes: ut liber vitæ offerat cogitationes in conspectum Dei. Quæ in hoc tantum ab eis dici constat, quia, cum tacere pudeat, nihil habent melius quoddicant. Quòd si ad hunc modum libèret Scripturas circumuoluere, peruertere omnia promptum esset. Nihil tamen hinc (quanquam alia multa suppetunt) de meo contrà proferam, quando se ipse scriptor à calumnia tuetur. Paulò enim antè dixerat: Nonne de his interrogauerunt animæ iustorum in promptuarijs suis, dicentes: Usquequo Domine speramus sic? quando veniet fructus aræ mercedis nostræ? &c. Quæ sunt ista animæ, quæ interrogant & sperant? Hinc cuniculum alium effodere eos oportet, si subterfugere volunt.

**V** Eniamus nunc ad historiam diuitis & Lazari: quorum alter, præteritis huius Luc. 16.  
 ius mortalitatis laboribus & arumnis, tãdem in sinum Abrahamæ delatus est: alter in tormenta delapsus. Ille tormenta patitur: hic recipit consolationẽ. Magnam chaos interpositum inter huius gaudia, & illius afflictionem. Sũntne hæc somnia portæ corneæ, de qua poetæ fabulantur? Verum, ut habeant effugium, quo elabantur, faciunt ex historia parabolam: aiuntque fictionem esse, quicquid de Abraham, diuite, paupere, veritas loquitur. Tantum reuerentiæ & Deo, & verbo eius deferunt. Cedò, proferant unũduntaxat in Scriptura exẽplum, ubi in parabola, nomine aliquis vocetur. Quid sibi hæc verba volunt? Erat quidã mendicus nomine Lazarus. Aut verbum Dei mentiri oportet, aut veram esse narrationẽ. Idetiam animaduertent veteres Scripturæ interpretes: nam Ambrosius: Narratio est, inquit, magis quàm parabola, quia nomen additur. Idipsum, sentit Gregorius. Certè Tertullianus, Irenæus, Origenes, Cyprianus, Hieronymus, quasi historiam referunt. Ex quibus Tertullianus arbitratur in diuitis persona, Herodem signari: in Lazaro, Ioannem Baptistam. Verba autem Irenæi sunt: Tertu. co. adue. mar  
 Non fabulam narrauit nobis Dominus, Lazari & diuitis, &c. Et Cyrillus dum respondet Arrianis, qui ex eo loco machinam struebant aduersus Christi diui- Ire. lib. 4. contra. hæref. cap. 4.

nitatem, non refellit ut parabolam, sed ut historiam interpretatur. Hoc magis  
 Ori. Ho. 5. in Eze. ridiculum, quod errori suo præcedunt Augustini nomen, quem cauillantur in  
 Cy. epi. 3. hanc opinionem consensisse: opinor, quia quodam loco dixerit, In parabola per Le  
 Hiero. in zrum, Christum intelligendum: per diuitem, Phariseos: cum nihil aliud significet  
 Esa. c. 49. & 65. quam narrationem transferri ad parabolam, si Lazari persona, Christo: diuitis, Pha  
 Hilari. in risais attribuatur. Hic mos est eorum, qui in præiudicatam opinionem toto impetu  
 Psal. 3. feruntur: cum vident nihil sibi esse stabile, quo inmitatur, non syllabarum decipulas  
 Cyril. in 1. cap. 10 las, sed ipsos literarum apices in suum commodum rapiunt. Ne quid tamen ad  
 Cap. 2. huc obstrepant, alibi ipse scriptor profitetur, se pro historia recipere. Erit nunc  
 Lib. 3. de gen. adli. & vendant suos fumos in media luce. Neque tamen effugere possunt, quin semper  
 in eosdem incidant laqueos. Ut enim concedamus esse parabolam (quod minime  
 obtinere possunt) quid aliud euincunt, quam esse collationem, quæ sine veritate  
 stare non potest? Id si nesciunt magni isti theologo, d sciant ex elementis  
 grammaticorum: & parabolam inuenient esse similitudinem, sumptam ex veritate.  
 Sic, cum dicitur, hominem quendam habuisse duos filios, quibus diuisit suas  
 portiones, oportet esse in rerum natura & hominem, & filios, & hereditatem,  
 & diuisionem portionum. Denique, hæc est perpetua lex parabolæ, ut primum  
 concipiamus rem naturam, ut proponitur: deinde, ex ea conceptione deducamur  
 ad finem parabolæ: hoc est, ad rem ipsam, cui accommodatur similitudo. Imiten  
 tur Chrysostomum, hæc in re suam Achillem. Existimauit quidem ille esse para  
 bolam, ex qua tamen veritatem saepe elicit. Ut cum inde probat, mortuorum ani  
 mas in certis esse locis, ostendit gehennæ grauitatem, & deliciarum perniciem.  
 Par. ad The. la. Ne hic mihi multum verborum perdenam sit, consulant sensum communem, si  
 quem habent: & facile assequentur vim atque rationem parabolæ.

Quam  
 quam. ho  
 mi. 4. In  
 Matth.  
 videtur  
 narrare.  
 ut hillo  
 riam,

**E**T quando satis feri, quantum in nobis est, omnibus volumus: non nihil disere  
 mus hoc loco de animarum quiete, quæ in certa fide promissionum Dei, à corpo  
 ribus soluantur. Siquidem, per suam Abrahamæ, nihil aliud quam quietem illam  
 Scripturæ nobis designare volunt. Primum, nos quietem vocamus, quam illi som  
 num. Neque sanè abhorreremus à somni nomine, nisi iam eorum mendacis corru  
 ptum, & penè pollutum esset. Deinde, per quietem, non desidiam, ut veterum,  
 aut aliquid simile ebrietatis, quale animæ affingunt, intelligimus: sed conscientie  
 tranquillitatem & securitatem: quæ cum semper fidei adiuncta sit, nunquam ta  
 men perficitur, aut suis numeris constat, nisi post mortem. Audit quidem ex ore  
 Dei benedictiones fidelium Ecclesia, quæ hanc terram adhuc, velut aduena, incolit.  
 Ambulauit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia,  
 & in requie opulenta. Quæ & ipsa rursum gratias agens occinit benedicenti Do  
 mino: Domine, dabis nobis pacem. Omnia enim opera nostra operatus es nobis. Hæc  
 pacem habent accepto Euangelio fideles, cum Deum, quem prius iudicem cogitabant,  
 sibi Patrem esse vident: se pro filijs iræ, filios gratiæ: effusa in se viscera misericordie  
 Dei: ut iam nihil aliud à Deo expectent, quam bonitatem & mansuetudi  
 nem. Verè enim, quoniam milita est, vita hominis super terram, necesse est eos, qui  
 sentiunt & aculeos peccati, & carnis reliquias, in mundo pressuram habere, in  
 Deo autem consolationem, atque ita non planè animo esse composito & imperturba  
 to. Verè enim, cum carnem & concupiscentiam (quæ, ceu hostes domestici, eorum pacem  
 infestant)

Iesa. 32.  
 Eiu. 26.

Iob. 4.

*infestant) exuerint: tunc verò demum acquiescunt, & apud Deum resident. Sic enim loquitur Propheta: Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo: & Iesai. 57. Viri misericordiae colliguntur: à facie enim malitiae collectus est iustus. Veniat pax: requiescat in cubili suo, qui ambulauit in directione sua. An non eos ad pacem vocat, quibus pax fuerat domestica? Sed quia illis pax fuerat apud Deum, pugna cum mundo: eos ducit in altio rem gradum pacis. Ideo Ezechiel & Ioannes, cum vellent describere thronum gloriae Dei, circumdant eum iride, quam scimus esse signum foederis inter Deum & homines. Quod alio loco clarius idem Ioannes docuit: Beati, inquit, mortui, qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis, &c. Hic igitur ipse est sinus Abrahae. Apo. 14. Ipse enim est, qui promissam sibi in suo semine benedictionem, ita proprio animo cõplexus est, ut nihil dubitauerit, quin verbum Dei, virtus esset ac veritas. Et quasi iam opere Deus impleuisset quod promiserat, semen illud benedictum, non minus certa fide expectauit, quam si manibus cõtreclasset, ac omnibus animi corporisq; sensibus percepisset. Itaq; testimoniũ reddit illi Dominus noster, quòd Ioan. 8. viderit diem suum, & gauisus sit. En pax Abrahae, en quies, en somnus: modò non polluatür foedo istorum dormit. antium ore, honestum nomen. Quid enim suauius potest habere conscientia in quo securè acquiescat, hac pace: quæ illi caelestis gratia thesauros aperit, quæ dulcedine calicis Domini inebriat? Quid, ò dormitabũdi, cum auditis ebrietatem, an non vertiginem capitis, grauedinem, crassum carnalemque somnum vestrum cogitatis? Hæc enim ebrietatem sequuntur incõmoda. Hæc vos quidem, pro vestra crassitie: at intelligunt theodidacti, eodẽ dicendi vsu somnum vocari, tranquillitatem conscientia, quam Dominus suis largitur in domo pacis: quo ebrietas, affluentia dicitur, qua Dominus suos satiat in domo opulentiæ. Si Abraham pacem hanc possedit, mediũ adhuc inter hostium incursum, labores, discrimina, imò ferens secum suam carnem, hostem domesticũ, quo nihil est perniciosius: quantam putamus eius pacem, vbi extra hostium iclus, telorumque iactus euolauit? Miretur nunc aliquis, cur requiescere in sinu Abrahae dicantur electi Dei, qui ex hac vita ad Deum suum transferunt: nempe, quòd in sede pacis recipiuntur cum Abraham patre fidelium, vbi Deo fruuntur ad satietatem, citra fastidium. Quã obrem, non abs re Augustinus quodã loco: Quemad- De ciuit. Dei. l. 19 modum, inquit, finem beatorum appellamus vitam æternam, ita possumus vocare pacẽ. Nihil enim melius dare potest, qui nihil aut maius aut melius seipso dare potest, qui Deus est pacis. Posthac ergo, cum de sinu Abrahae sermo fiet, non rapiant ad suum somnũ: quoniã eorum vanitatẽ arguit ac conuincit Scripturæ veritas. Est, inquã, requies illa, caelestis Ierusalem, hoc est visio pacis: in qua Deus pacis dat se videndum suis pacificis, iuxta Christi promissum. Quoties autem hu- Matth. 5. ius pacis meminit in sacris literis Spiritus, ad eò familiariter vititur dormiendi & quiescendi tropo, ut nihil sit magis obuium. Exultat ùt, inquit Dauid, sancti tui, letabuntur in cubilibus suis. Alter verò: Viuent mortui tui, interfecti tui resurgent. Extergiscimini, & laudate habitatores pulueris: quia ros pratorũ, ros tuus: & terram gigantum detrahes in ruinã. Vade popule mi, intra in tabernacula tua, claude ostia tua super te, abscondere ad modicum, donec pertranseat indignatio. Quin Hebraica lingua, hoc verbum vsurpat ad significationem cuiusuis securitatis ac fiducia. Dauid rursum: In pace in idipsum dormiam & psal. 4.*

Osec. 2. requiescam. Et Propheta: Percutiam fœdus in die illa cum bestia agri, & cum  
 volucre cœli, & cum reptili terræ: arcum, & gladium, & bellum conteram de  
 Leuit. 26. terra: & dormire eos faciam absque terrore. Moses verò: Dabo pacem in fini-  
 Job. 11. bus vestris, & non erit qui exerceat. In libro verò Iob: Et habebis fiduciam  
 proposita tibi spe, & defossus securus dormies. Requiesces, & non erit qui ex-  
 terreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi. Cuius rei nos Latinum quoque  
 prouerbum admonet: Dormire in vtranque aurem, pro securè agere. Dormiunt  
 igitur & pacem habent viuentium animæ, quæ verbo Domini acquiescunt, nec  
 praire Dei sui voluntati cupiunt: sed quò ille vocauerit, sequi paratæ, sub eius ma-  
 nu se continent. Quod illis præceptum est: Si moram fecerit eius veritas, expe-  
 Iefa. 28. cta illam. Item, In spe & silentio erit fortitudo vestra. Cum autem expectent  
 Habac. 2. aliquid quod non vident, & desyderent quod non habent: constat pacem eorum  
 Icta. 38. esse imperfectã. Rursum, cum certò expectent quod expectant, & fide desyderent  
 quod desyderant: clarum est, quietum esse desyderium. Hanc pacem auget, & in-  
 melius prouehit mors, quæ huius mundi militia solutos, & quasi exauthoratos,  
 ducit in locum pacis: ubi dum toti animo & aspectu in Deo hærent, nihil habent  
 melius, quò auertant oculos, aut desyderium retrahât. Decet tamen adhuc quid-  
 dam, quod videre cupiât: nempe summa & perfecta Dei gloria, ad quam semper  
 aspirant. Vt nulla sit illis impatientia desyderij, nondum tamen plena & perfe-  
 cta quies. Si quidem requiescere dicitur, qui est ubi esse appetit: nec modus desy-  
 derij finem habet, nisi eò peruenierit quò tendebat. Si autem oculi electorum ad  
 supremam Dei gloriam, velut ad scopum, collimant, semper in cursu est eorum  
 desyderium, donec impleta fuerit Dei gloria: cui implementum affert dies iudi-  
 cij. Tunc verum erit illud: Satiabor, cum uigila uero, aspectu uultus tui.

7. **V**T autem reprobos omitteremus, quibus quid accidat, non magnæ curæ nobis es-  
 se debet, uelim mihi bona fide respōdeant, unde illis spes resurrectionis, nisi  
 quia Christus resurrexit? Ipse est enim primogenitus mortuorum, & primitiæ  
 resurgentium. Quemadmodum ille mortuus est & resurrexit, ita nos in eo mori-  
 mur ac resurgimus. Si enim mors, cui obnoxij eramus, vincenda illi fuit per mor-  
 tem, haud dubiè mortè eandem subiit, quam & nos, atque idem in morte passus  
 Coloss. 1. est, quod nos patimur. Id planum facit veritas, cum uocat primogenitū mortuo-  
 Apo. 1. rum, & primitias resurgentium. Atque ita docuit, ut fideles in media morte i-  
 psam sibi ducem agnoscant: & dum mortè suam ipsius morte sanctificatam aspi-  
 Philip. 3. ciunt, nullã eius maledictionem formident. Quod significat Paulus, dum ait, con-  
 formem se fieri morti eius, donec perueniat ad resurrectionem mortuorum. Hanc  
 enim conformitatem, hinc per crucem inchoatam, prosequatur, donec eam morte  
 adimpleret. Nunc paulisper, ô somnatores, redeatis ad cor, & uobiscum cogite-  
 tis, quemadmodum Christus mortuus est. Num tunc etiam dormiebat, cum uigila-  
 ret in salutem uestrã? Non sic ipse de se loquitur: Sicut, inquit, Pater habet vi-  
 tam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso. Qui in se uim uitæ  
 habet, quomodo eam perderet? Neque mihi respondeant, hæc ad diuinitatem spe-  
 Augusti. clare. Si enim ei datur qui non habet, homini igitur, non Deo, datum est in se ha-  
 sic acci- bere uitã. Cum enim Iesus Christus Dei sit filius, & hominis: quod est naturã ut  
 pit, sed ni- Deus, id est gratiã ut homo. Ut sic de plenitudine eius omnes accipiamus, & gra-  
 mis durè. tiã

riam pro gratia. Apud Deum vitam esse si audiant homines, quantum inde spei concipiant: cum simul sciant, peccatis suis, nubem inter se & Deum oppositam. At hæc demum verè magna consolatio est, quòd Deus Pater Christum vixerit oleo lætitiæ præ consortibus: quòd ipse Christus homo acceperit à Patre dona in hominibus, ut in natura nostra vitam reperire possimus. Quæ ratione legimus turbam post suscitatum puerum, glorificasse Deum, qui dedisset talem potestatem hominibus. Hoc profectò vidit Cyrillus, qui nobiscum in huius loci explicatione consensit. Cum autem dicimus Christum, quatenus homo est, habere vitam in semetipso, non ipsum sibi causam esse vitæ dicimus: sed hoc tantum, omnem vitæ plenitudinem à Deo Patre effusam esse in Christum hominem. Quod familiari similitudine plerumque fieri potest. Fons, ex quo omnes hauriunt, ex quo riuuli desluunt & deriuantur, aquam in semetipso habere dicitur: nec tamen ex semetipso, sed ex scaturigine, quæ illi assidue subministrat quod & riuus labentibus, & haurientibus hominibus sufficere possit. Ergo Christus habet vitam in semetipso: hoc est, vitæ plenitudinē, quæ & ipse viuat, & suos viuificet: non tamen habet ex semetipso, quæ admodum ipse alibi testatur, quòd viuit propter Patrem. Et cum in se, ut Deus, vitam haberet, ubi hominem assumpsit, donum accepit hoc à Patre, ut vitam ea etiam parte haberet in semetipso. Hæc nobis certissimam fidem faciunt, Christum extingui morte non potuisse, etiam secundum hominem: & quanquam verè ac naturaliter in mortem traditus est, quam omnes subimus, donum tamen illud Patris semper retinuisse. Veramò s fuit, corporis & animæ solutio. Cæterùm, anima vitam suam nunquam perdidit, quæ Patri commendata, non poterat non salua esse. Id volunt verba ex concione Petri, quibus affirmat impossibile fuisse teneri ipsum à morte, ut Scriptura impleteretur: Quoniam non dereliques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. In qua prophetia, ut concedamus animam vitam esse, duo petit & expectat à Patre Christus: ne aut vitam suam in perditionem deserat, aut se in corruptionem venire sinat: quod impietum est. Nam anima eius, diuina virtute suffulta est, ne in perditionem iueret: & corpus eius in sepulchro seruatum est ad resurrectionem. Hæc omnia vno verbo complexus est Petrus, cum dixit, non potuisse teneri à morte Christum. καὶ ἔζησεν, hoc est, mortis imperio succumbere, & in mortis potestatem venire, aut à morte comprehendere. Quòd autem Petrus in illa concione, missa disputatione de anima, corporis duntaxat incorruptionem prosequitur: id facit, ut suo ipsorum testimonio, Iudeos conuincat, hanc prophetiam non pertinere ad Dauidem, cuius sepulchrum apud eos extabat, cuius cadauer nouerat in putredinem collapsum, cum Domini nostri resurrectionem abnegare non possent. Præbuit & nobis aliud argumentum immortalitatis animæ suæ, cum Ionam triduo immersum in ventre ceti, mortis suæ typum cōstituit: sic enim se futurum in ventre terræ, tribus diebus & tribus noctibus. Atqui, Ionas de ventre piscis clamauit ad Dominum, & exauditus est. Venter ille, mors est. Animam igitur saluam in morte habuit: secundum quam clamaret ad Dominum. Isaac quoque, qui figuram Christi gessit, & à morte patri redditus est, quodam, ut ait Apostolus, resurrectionis typo, vobis veritatē in figura aperit: cum enim impositus esset altari, parata victima, & alligatus esset postea iussu Domini solutus est. Sedaricus, qui inter vepres hæserat, in vicem Isaac suppositus est. Quid est autem quòd Isaac non moritur, nisi quia quòd propriū est hominis, immor

Act. 2.

Ion. 2.

Gen. 22.  
Heb. 11.

tale Christus præstitit: hoc est, animã? Arias verò, animal irrationale, qui in eius locum ad mortem substituitur, corpus est. Quòd autem alligatur Isaac, animã representat, quæ in morte Christi speciem morientis dedit: & dat etiam quotidie in vulgari morte hominum: ubi omnia, humana opinione, creduntur extincta: cum tamen ex vinculis soluta sit Christi anima, & nostræ quoque soluantur, antequam pereant. Perfricat frontem nunc quispiam ex vobis, & iacet mortem Christi somnum fuisse: vel omnino in castra Apollinaris transfugiat. Ille quidem vigilauit, dum incumberet in salutem vestram: vos autem dormitis somnum vestrum, & tenebris cæcitate obruti, vigilias non exauditis.

8

**P**atere a non hoc tantum nos consolatur, quòd Christus caput nostrum, in medio vmbre mortis non perijt: sed ad hanc securitatem accedit eius resurrectio, qua mortis dominum se constituit, ac nos supra mortem extulit, quicumque partem in ipso habemus. Vt non dubitauerit Paulus dicere, vitam nostram absconditam esse cum Christo, in Deo. Et alibi: Viuo ego, iam non ego, sed viuit in me Christus. Quid superest, nisi vt aperto ore, Christum in animis dormientibus dormire, & desiderè clament? Si enim Christus est qui in illis vixit, idem est qui in illis moritur. Si vita Christi nostra est, qui vitam nostram finiri vult morte, detrahat Christum è dextera Patris, & in secundam mortem deturbet. Si mori ille potest, certa mors nos sequitur: si nullum habet vitæ finem, neque animæ nostræ, quæ illi insitæ sunt, finiri vlla morte possunt. Et quid adhuc laboramus? An verò sunt obscura eius verba? Quia ego viuo, & vos viuetis. Si viuimus, quia viuit: ergo si morimur, ipse iam non viuet. An obscurum est quod promisit, eum in se mansurum, & se in eo, qui per fidem sibi iunctus fuerit? Auellamus ergo à Christo membra sua, si volumus ipsis vitam adimere. Nostra hæc confessio est, quam suis armis satis instruximus: In Adam quidem omnes nos esse mortuos: sed in Christo viuere. Hæc splendide & magnifice à Paulo tractantur: nempe, quòd si Christi Spiritus habitat in nobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, at spiritus vita est propter iustitiam. Corpus scilicet vocat massam peccati, quæ ex carnis natiuitate in homine residet: Spiritum verò, partem hominis spiritualiter regeneratam. Quare, cum paulò antiè, ob peccati reliquias in se hærentes, miseriam suam deploraret, nõ simpliciter optabat tolli, & nihil esse, vt ex illa miseria euaaderet: sed liberari à corpore mortis: hoc est, massam peccati in se interire: vt spiritus purgatus, & quasi defæcatus, pacem cum Deo haberet: hoc ipso declarans, meliorem sui partem, corporis vinculis captiuam teneri, ac per mortem liberatum iri.

Col. 2.  
Gal. 2.Ioan. 14.  
Ioan. 6.

Rom. 8.

Rom. 6.

Ioan. 5.

Ioan. 6.

**V**itam recta fide percipere possemus quale sit regnum Dei, quod est intra fideles, etiam dum hanc vitam viuunt. Nam simul facile esset intelligere, inchoatam vitam æternam. Promisit hoc nobis qui fallere non potest. Qui verba, inquit, mea audit, habet vitam æternam, & in condemnationem non venit: sed transit à morte in vitam. Si transitus factus est in vitam æternam, cur eam morte interrumpunt? Alibi: Hæc, inquit, est voluntas Patris, vt omnis qui credit in Filium, non pereat, sed habeat vitam æternam: & ego suscitabo eum in nouissimo die. Rursum, Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Non sicut comederunt

mederunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui ederit panem hunc, viuet in aeternum. Nolite huc vestra commenta ingerere, de die nouissimo. Duo nobis pollicetur, vitam aeternam, & illam resurrectionem. Duo cum audiatis, alterum tantum amplectimini. Magis etiam vos conuincit altera Christi vox. Ego sum, inquit, resurrectio & vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Ioan. 11. Et omnis qui viuit & credit in me, non morietur in aeternum. Nec euadent si dixerint, non mori eum in aeternum, qui suscitatur: quoniam non id tantum voluit Dominus, sed nunquam accidere posse, ut moriantur. quem sensum melius exprimit graeca phrasıs, ubi legitur, αὐτὸν οὐκ ἀποθνήσκει: quod latinis in seculum significat. Qua loquendi forma significamus nunquam fore, id quod in seculum futurum negamus. Sic alibi: Qui sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in aeternum. Hoc inuictum stat argumentum contra eos. Non visurum mortem eum, qui sermonem Domini seruauerit. Quod vnum satis esse possit Christianis ad armandam suam fidem, contra eorum prauitatem. Hoc credimus, hoc expectamus. Illis autem quid reliquum, nisi ut fortiter dormiant somnum suum, donec eos experges faciat clangor tubae, qui, ut fur, deprehendet in tenebris dormientes?

**E**T si fidelis animae vita, Deus est, perinde atque ipsa, vita est corporis: quid est 10 quod anima, quamdiu in corpore est, ipsum agit, nec vnquam ita otiosa est, intentionemque suam remittit, ut non aliqua officij parte fungatur, Deus aut. m. velut agendo fatigatus cessat? Si tanta est vis animae, in massa terra sustinenda, mouenda, impellenda: quanta vis erit Dei in anima, quae natura agilis est, mouenda & agenda? Et audent alij dicere, animam euanescere: alij, vi sua non exerceri, post dissolutam compagem corporis? Quid ergo respondebunt ad carmen Dauidis? quo principium, medium, & finem, via beatorum describit. Ibunt, inquit, de Psal. 73. virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Syon: vel (ut habent hebraei:) de abundantia in abundantiam. Si crescunt semper donec Deum videant, & ab illo incremento transcunt ad Dei visionem, quomodo eos sepeliunt isti in ebrietate & alta socordia?

**I**D ipsum testatur Apostolus, & multò apertius: ut, si rumpantur, spiritui Dei 11 amplius resistere non possint. Scimus quod si terrenum domicilium huius tabernaculi destructum fuerit, adificationem habemus ex Deo, domicilium non manufactum, aeternum in caelis. Nam in hoc gemimus, domicilio nostro, quod est è caelo, superindui cupientes: si tamen induti, non nudi reperiemur. Etenim, qui sumus in hoc tabernaculo, gemimus onerati, propterea quod nolumus exui, sed superindui, ut absorbeat mortalitas à vita. Post paulò: Itaque bono animo sumus semper, & scimus quod cum domi sumus, in corpore: peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per speciem) confidimus autem & magis probamus, peregre abesse à corpore, & praesentes esse apud Dominum. Hic rimam inueniunt: in diem iudicij conferenda Apostoli verba, quo & superinduimur, & absorbetur mortalitas à vita. Proinde haec, inquit, vna clausula comprehendit Apostolus: Manifestari omnes oportere coram tribunalı Christi. Verum, cur illud superindui magis ad corpus referunt, quam ad Dei benedictiones, quibus à morte luculenter abundamus? Quis cogit vitam illam accipere de resurrectione? Cum simplex & promptus sit sensus Apostoli, Nos quidem cupere egredi ex hoc corporis erga-

stulo, sed nō vt vagemur incerti sine hospitio. Esse enim meliorem domum, quam nobis Dominus preparauit: si tamē induti, & nō nudi reperiemur. Indumentū siquidē nostrū Christus est, & armatura illa, qua nos induit Apostolus. Et scriptum est, quōd rex cōcupiscet decorē cōiugis suæ, quæ fortis erit in muneribus, cuius omnis gloria intrinsecus. Denique signauit suos Dominus, quos & in morte, & in resurrectione agnitus est. Cur nō potius respiciunt ad id quod proximē dixerat, & cui hanc ipsam sententiā cōnectit? Licet is qui foris est homo noster corrūpatur, tamē eum qui intus est, renouari de die in diem. Quōd autē Apostolus clausulam illam subdidit, de manifestatione coram tribunalī Christi, magis eos stringit: cū prius dixisset nos & domi, & peregre agentes, cōcedere, vt illi placeamus. Cū per domum, corpus intelligat, quid est illud peregre? Vt ergo nihil addamus, verba sine interprete hoc loquitur: nos, & in corpore, & extra corpus cōcedere, vt placeamus Domino: deinde, nos sensuros Dei præsentiā, cū ab hoc corpore separabimur. Iam non per fidem ambulaturos, sed per speciem: quoniam hoc terræ pondus, quo premimur, nos à Deo, quasi maceries, longo intervallo separat. Isti nugatores contrā, nos per mortem, longius à Deo discessuros garriunt, quā dum sumus in hac vita. De quibus enim scriptum est: Domine, in lumine vultus tui ambulabunt. Item, Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quōd filij Dei sumus. Et multa eius generis: his & lumen vultus Dei, & spiritus testimonium addimunt. Quōd si verum est, fœliciores nunc sumus, quā post mortem. Et si enim sub elementis huius mundi viuimus, habemus tamen habitationem & politiam in cælis, vt ait Paulus. Vbi autem veteris illi, & rerum omnium obliuio animas à morte exceperit, perdunt quamcunque habent suauitatem gustus spiritualis. Melius nos docent sacre literæ. Corpus, quod corrumpitur, agnauare animam, & terrena habitatione deprimi sensum multa cogitantem. Si corpus, animæ est carcer, si terrena habitatio, compedes sunt: quid anima soluta hoc carcere, exata his vinculis nonne sibi redditur, & quasi se colligit? Vt diuere liceat, tantum illi accrescere, quantum decreuit corpori. Velint nolint, hoc semper in confesso est. Vbi molem hanc corporis adijcimus, cessare pugnam illam spiritus aduersus carnem, & carnis aduersus spiritum. Denique mortificationem carnis, esse viuificationem spiritus. Tum igitur anima, excussis sordibus, verè est spiritualis, vt consentiat voluntati Dei, nec sentiat carnis tyrannidem sibi repugnantem: vt in hac tranquillitate resideat, nihil aliud, quā Deum cogitans. Et tunc scilicet dormit, cū eleuare se, nullo pondere aggrauante, potest? Tunc stertit, cū multa percipere sensu & cogitatione potest, nullo impedimento interpellante? Hæc non solum errorem istorum produunt, sed etiam malignitatem contra Dei opera & virtutes, quas eum in sanctis suis operari Scripturæ predicant. Nos agnoscimus Deum velut nascentem in electis suis, & de die in diem crescentem: quod nos docet Sapiens: Iustorum, inquit, semita, quasi lux crescens in perfectum diem. Et affirmat Apostolus. Quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Domini Iesu. Isti non solum opus Dei ad tempus intermittunt, sed etiam extinguunt. Qui prius ibant de fide in fidē, de virtute in virtutem, & beatitudinis gustu fruebantur, cū se in Dei cogitatione exercerent eos & fide, & virtute, & omni Dei cogitatione exuunt dēpides: tantum & veterinosos in stratis collocant. Quomodo enim profectum illum interpretantur? An existi-

Ephes. 6.  
Psal. 44.  
Apoc. 7.

1. Cor. 4.

Psal. 88.  
Roma. 3.

Philip. 3.

Prover. 4.  
Philip. 1.



existimant animas perfici, cum dormiendo saginantur: ut pingues & nitide offerantur in conspectum Dei, cum ad iudicium sederit? Si micam salis haberet, non ita crasse balbutirent de anima: sed quantum distant caeli à terra, caelestem animam à terreno corpore discernerent. Ergo, cum desiderat Apostolus dissolui, & esse cum Christo, an illis videtur velle dormire, ut nullo amplius Christi desiderio teneatur? Nempe, hoc fuit eius desiderium, qui sciebat se aliam aedificationem habere ex Deo, domum non manu factam, si terrestris domus sui habitaculi dissolueretur. Pulchre verò esset cum Christo, qui desineret vivere vitam suam.

philip. 1.

**Q**uid? an non horrent ad vocem Domini, qui vocans se Deum Abraham, Isaac & Iacob, simul respondet, se Deum esse viventium, non mortuorum? Neque igitur ille est eis in Deum, neque illi sunt in populum. Sed aiunt haec tum demum vera fore, cum mortui suscitabuntur ad vitam. Cum etiam verba sic se habeant: De resurrectione mortuorum non legistis quod dictum est? non tamen sic se explicant. Cum enim Christo negotium esset cum Sadducæis, qui non resurrectionem modo negabant, sed animarum quoque immortalitatem: hoc uno verbo duos errores conuicit. Nam si Deus, viventium est Deus, non mortuorum: Abraham autem, Isaac, & Iacob, defuncti erant hac vita, cum Mosi Deus loqueretur, dicens se eorum esse Deum, colligitur ergo eos aliam vitam vivere. Esse enim eos oportet, quorum Deus se Deum facit. Vnde & Lucas addit: Omnia enim illi viuunt: non intelligens omnia vivere Dei praesentia, sed eius virtute. Hoc ergo relinquitur, Abraham, Isaac, & Iacob, vivere. Cui sententia accedit illud Apostoli: Siue viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur: siue viuimus, siue morimur Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, ut viuus dominetur, & mortuis. Quid poterat solidius erigi ad fulciendam fidem nostram, quam dicere, Christum mortuis dominari? Non enim dominari potest nisi his qui sunt: cum subiectos esse oporteat, ubi sit imperium.

Matt. 22.  
Marc. 12.

Luc. 20:38.

Rom. 14.

**E**cce etiam testimonium contra eos ferunt in caelo, coram Deo, & Angelis eius, animæ martyrum, quæ clamant voce magna sub altari: Usquequo Domine, non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Et data sunt illis stola alba, & dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum: donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum qui interficiendi sunt, sicut & illi. Clamant mortuorum animæ, datur illis stola alba. Quid o spiritus dormitorij, vobis sunt stola alba? puluaria scilicet, in quibus ad somnum decubent. Videtis iam stolas albas somno non conuenire. Vigilent oportet, quæ sic induuntur. Quod si verum est, haud dubie stola alba principium gloriæ designant, quod diuina liberalitas martyribus impertit, donec expectatur dies iudicij. Non enim nouum est, in Scripturis stolam albam, gloriam & festiuitatem figurare & gaudium. Nam in veste candida Dominus in visione cõspectus est Danieli. Apparuit hoc habitu Dominus in monte Thabor. Apparet Angelus Domini ad sepulchrum mulieribus in veste alba. Apparent eadem specie Angeli discipulis in caelum respicientibus, post Domini ascensionem. Eadem fuit species Angeli apparentis Cornelio. Et cum filio, qui dissipata substantia, ad patrem reuersus erat, reddita est prima stola, symbolum fuit gaudij & festiuitatis. Demde, si clamabant mortuorum animæ, non dormiebant. Quando igitur isto sopore perfundi ceperunt? Neque mihi obtrudat quispiam, quod

Apoc. 6.

Daniel. 7  
Matt. 17.  
Matt. 28.  
Marc. 16.  
Acto. 1.  
Acto. 10.  
Luc. 15.

sanguis Abel clamabat ad Deum. Vulgaris tropus est, fateor, rem ipsam loqui: sanguinis effusionem, vindictam postulare. Hoc verò in loco, affectum martyrum per clamorem nobis representari certum est, quòd eorum desiderium sine vlla figura exprimitur, & petitio describitur. Vsq̄ quòd Domine non vindicas, &c. Quare in eodem libro Ioannes duplicem resurrectionem prodidit, quemadmodum mortem duplicem. Nimirum priorem animæ, ante iudicium: alteram, cùm corpus suscitabitur, & cùm anima quoque suscitabitur in gloriam. Beati, inquit, qui habent partem in resurrectione prima: in his, secunda mors non habet locum. Itaque vobis horrendum est, qui primam illam resurrectionem agnoscere non vultis, quæ tamen vnus ingressus est ad beatam gloriam.

14

**H**OC etiam acerrimum telum est contra eos, quod responsum est latroni imploranti misericordiam. Rogauerat ille, Meminto mihi Domine, dum veneris in regnum tuum. Audit, Hodie mecum eris in Paradiso. Ille se affuturum latroni promittit, qui vbiq̄ est. Et paradysum promittit, quia satis deliciarum habet, qui Deo fruatur. Neque illum reijcit in longam dierum seriem, sed eo ipso die vocat ad delicias regni sui. Iactatur istorum cauillum, quo Christi verbum eludunt.

**V**nus, inquit, dies, sicut mille anni, in conspectu eius. Sed non meminerunt Deum humanis sensibus se accommodare, quoties hominibus loquitur. Neque legunt diem vnum in Scripturis positum, pro mille annis. Quis ferat hunc interpretem, qui cùm audierit ex Deo, aliquid hodie futurum, cogitet annorum millia? An verò, cùm Ninivitis Ionas denuntiaret, Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur: poterant illi expectare Dei iudicium securè, donec quadragies mille anni effluerent? Neque hoc sensu dixit Petrus, mille annos, in conspectu Dei, sicut diem vnum. Sed cùm pseudopropheta aliqui, dies & horas supputarent, vt Deum mendacij arguerent, qui non ad primum eorum votam promissa solueret: admonet apud Deum esse æternitatem, cui mille anni vix sunt vnum momentum. Quoniam verò sentiunt se teneri adhuc implicitos, contendunt, Hodie, in Scripturis significare tempus noui Testamenti, sicut Heri, veteris. Huc torquent quod in epistola ad Hebræos legitur: Iesus Christus heri, & hodie, ipse in secula. Hic verò toto cælo errant. Nam si heri tantum fuit, aliquãdo cæpit esse qui nõ erat ante initium veteris Testamenti. Vbi erit Iesus ille Deus æternus, iuxta humanitatẽ etiam primogenitus omnis creaturæ, & agnus ab origine mudi occisus? Deinde, si Hodie id temporis designat, quod intercedit inter diem iudicij, & Christi humanitatem, habemus Paradysum obuenturũ latroni ante eum diem, quo surgere animas à somno suo docent. Atque ita, eorũ cõfessione, extorquebitur, impletam promissionem latroni datam, ante iudiciũ: quam, nisi post iudiciũ, implendam negant. Quòd si verbũ illud ad tempus trahit, quod iudicium sequitur: cur addit author Epistolæ, Et in secula? Atq̄, vt palpare possint suas tenebras: si respiciebat Christus in ea promissione tempus iudicij, nõ debuit dicere Hodie, sed futuro seculo. Quẽadmodũ Iesaias, cùm vellet significare resurrectionis mysteriũ, vocauit Christi, Patrem futuri seculi. Cùm autẽ heri & hodie & in secula dixerit Apostolus, pro eò quod dicimus, fuit, est, & erit, (quæ tria tempora nobis æternitatem designant) quid aliud agunt suis argutiolis, quàm sensum Apostoli peruertit? Hæc esse proprietatẽ primi vocabuli, vt tempus æternũ cõmeat, licet ex Propheta discere, qui scribit præparatam ab hesterno impijs

*impjjs gehennā: cū sciamus, ex Christi verbis, preparatum ab aeterno ignem Diabolo & angelis eius. Vident hīc, quibus est aliquid iudicij aut sanæ mentis, nihil futurum illis reliquum, quo eludant manifestam ad eò veritatem. Est tamen adhuc quiddam quod obstrepunt: sic promissum fuisse paradysum latroni eo die, quemadmodum indicta mors primis parentibus, quo die gustarent de arbore scientiæ boni & mali. Quod ut illis concedamus, hoc tamen extorquebimus, latronem eo die restitutum à miseria, in quam inciderat Adam, quo die legem sibi dictam præuaricatus fuerat: fuisse igitur redditam latroni immortalitatem. Deinde cū de morte statim differam, satis (ni fallor) explicabo, quomodo eo die mortui fuerint primi parentes, quo die se à Deo abalienauerunt.*

Mat. 25.

**N**unc mihi ad eos sermo conuertatur, qui bona pace conscientia, promissorum Dei memores, in illis acquiescunt. Hæc inquam fratres, hæc vobis fides non excutiat, etiamsi omnes inferorum portæ insultent, ubi Deum habetis sponso-rem, qui veritatem suam abnegare non potest. Vox eius est minimè obscura, ad Ecclesiam adhuc in terris peregrinantem: Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, neque splendor lunæ illuminabit te, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam. Quòd si suo more ad vltimam resurrectionem nos trahunt, promptum erit refellere vanitatem ex singulis verbis capitis: quibus nunc Dominus promittit suum Christum, nunc Gentes in fidem cooptandas, &c. Semper in memoriam nobis redeat quod Spiritus docuit per os Davidis: Iustus ut palma florebit, sicut cedrus in Libano multiplicabitur. Plantati in domo Domini, in atrijs Dei nostri flore- bunt, adhuc germinabunt, in senectute pingues & virides erunt. Ne vos terreat quòd omnes naturæ virtutes deficere creduntur: cū auditis senectutem viridem, pinguem, & germinantem. Hæc vobiscum reputantes, exemplo Davidis occinite animæ vestræ: Benedic anima mea Domino, qui satiat bono os tuum: re- nouabitur, ut aquila, iuuentus tua. Cætera Domino permittite, qui custodit introi- tum nostrum, & exitum nostrum, ex hoc nunc, & vsque in seculum. Hic est qui pluit imbrem matutinum & serotinum, super electos suos. De quo nobis dictum est: Deus noster, Deus salutis est: & Domini Dei egressus mortis. Hanc Patris bonitatem exposuit nobis Christus, cū dixit: Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, & illi mecum sint: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.

15

Iesa. 60.

psal. 91.

psal. 102.

psal. 120.

Ioel. 2.

psal. 67.

Ioan. 17.

**H**anc igitur fidem, omnibus prophetijs, Evangelica veritate, Christo ipso subnixam, teneamus. Spiritum, imaginem esse Dei, instar cuius vigeat, intelligat, æternus sit. Quandiu in corpore est, virtutes suas exerere: cū ex illo erga stulo egreditur, ad Deum migrare, cuius sensu interim fruitur, dum in spe beatæ resurrectionis requiescit. Hanc requiem, illi esse paradysum. Spiritum verò reprobis hominis, dum terribile iudicium in se expectat, torqueri illa expectatione, quam Apostolus ob id *1<sup>o</sup> 1<sup>o</sup> 2<sup>o</sup>*, id est, formidabilem vocavit. Ultra inquirere, se immergere est in abyssum mysteriorum Dei, cū satis sit didicisse, quod satis habuit docuisse Spiritus optimus magister: cuius verbum est: Audite me, & viuet anima vestra. Quam ille sapienter, præ istorum vaniloquentissima arrogantia: Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormētum mortis. Vt si sunt oculis insipientum mori, illi autem sunt in pace, &c. Hic finis est nostræ sapientiæ, quæ (ut

16

sobria est, & Deo subiecta, ita nouit eos qui supra se niuntur, semper correre.

17

**N** Vncunas excutiemus, in quibus sopitas animas componunt: & papauer dilucmus, quod illis ad conciliandum somnum propinant. Circunferunt enim aliquot Scripturæ locos, qui videntur isti somno suffragari: tum, quasi ad liquidum dormitio probata sit, fulminant in eos, qui non statim errori suo consentiunt. Obijciunt primùm, non aliam homini infusam animam à Deo, quàm quæ sit illi cum bestijs omnibus communis. Omnibus enim ex æquo Scriptura attribuit animam uiuentem. Vt cum dicitur: Creauit Deus cete grandia, & omnem animam uiuentem.

Gen. 1. Item, Bina ex omni carne, in qua erat Spiritus vitæ: & alia eiusdem generis. Etsi nusquam sacræ literæ meminissent, nos tamen liquidè admoneri ab Apostolo, animam illam uiuentem nihil differre à præsentī vitæ, qua corpus hoc vegetatur.

Gen. 7. Verba sunt: Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget spirituale. Quemadmodum scriptum est, Factus est primus Adam in animam uiuentem: nouissimus in spiritum uiuificantem. Fateor animam uiuentem non semel attributam bestijs, quia & ipsæ vitam suam degunt: verùm aliter illæ viuunt, aliter uiuit homo. Anima uiuens est homini, qua sapit & intelligit: anima illis viuens est, qua motum & sensum dat corpori. Cum igitur animæ hominis insit ratio, intellectus, voluntas, quæ virtutes non sunt corpori adnexæ: nihil mirum, si sine corpore subsistat, nec pereat instar brutarum, quæ nihil aliud habent, quàm sensus corporeos. Quæ

Acto. 17. ratione non erubuit Paulus, post ethnicum illum poetam, genus nos Dei appellare. Itaque iam, vt volent, communicent beluis animam uiuentem cum homine, cum eadem prorsus vita sit omnibus, quantum ad corpus attinet: verùm ex eo gradum sibi facere non possunt ad confundendam cum beluis, hominis animam. Neque mihi obtrudant Apostoli verbum, quod magis nobiscum, quàm contra nos pugnat: Factus est primus Adam in animam uiuentem, nouissimus in spiritum uiuificantem. Est enim antypophora ad eorum questionem, qui de resurrectione persuaderi non poterant. Sic enim obijciebant: Quomodo resurgunt mortui? Quali corpore venient? Cui obiectioni vt occurrat Apostolus, sic eos aggreditur. Si vsu discimus, semen quod uiuit, quod crescit, quod fructum reddit, prius mortuum esse: cur non instar seminis, corpus quod mortuum fuerit, resurgere potest? Et, si nudum ac siccum granum sementem refert vberiore, postquam mortuum fuerit, virtute mirabili, quam illi Deus indidit: cur non eadem Dei virtute, corpus suscitabitur melius, quàm mortuū fuerat? Et ne adhuc mireris; vnde uiuit homo, nisi quia formatus est in animam uiuentem? Hæc tamen anima, tametsi ad tempus molem corporis agitat ac sustinet, non tamen dat illi immortalitatem aut incorruptionem: & quandiu etiam suam vim exerit, non tamen per se ipsa sufficit, sine adminiculis cibi, potus, somni, quæ signa sunt corruptionis: nec constantem illi ac continentem dat statum, quin alijs atque alijs inclinationibus subiectum sit. Vbi autem Christus nos secum assumpserit in gloriam, nõ solum erit animale corpus, ab anima uiuificatum: sed spirituale, quale nec mens nostra cogitare, nec lingua exprimere potest. Vides igitur nos non aliud futuros in resurrectione, sed tamen alios: detur vobis venia. Atque hæc quidem de corpore dicta sunt, cui anima sub elementis huius mundi vitam administrat: vbi autem figura huius mundi præterierit, participatio gloriæ

Sic loquitur Tertul & August epist. 3. ad Fortunatiam.

rio gloriae Dei id supra naturam euehet. Habemus verum ac germanum Apostoli sensum: In quo explicando cum lapsus esset Augustinus, (vt nunc isti) errorem postea agnouit, ac correxit inter suas retractationes: & alibi etiam multò aperitius id ipsum tractat. Ex quo loco pauca transcribemus. Anima in corpore animali uiuit quidem: sed non uiuificat vsque ad auferendam corruptionem. In corpore verò spiritali, quando adherens perfectè Domino, vnus spiritus efficitur, sic uiuificat, vt spiritale corpus efficiat: absumens omnem corruptionem, nullam metuens separationem. Denique, vt omnia illis concedam de anima uiuente (in quo nomine, vt iam dixi, non hæreo) illa tamen sedes imaginis Dei semper salua consistit: siue animam, siue spiritum, siue quiduis aliud nomenent. Nec magis ad refellendum difficile est, quod ex tricesimo septimo Ezechielis capite obijciunt: ubi Propheta quãdam resurrectionis hypotyposin faciens, vocat spiritum à quatuor uentis, qui uitam in spiritum aridis osibus, . Inde optimè sibi colligere uidentur, hominis animam nihi le esse aliud, quàm uim facultatè que motionis sine substãtia: quæ uis in morte quidem euanescat, in resurrectione uerò iterum recolligatur. Quasi uerò mihi etiam non liceat eodem modo colligere, spiritum Dei aut uentum aut euanidam motionem esse, cum in prima sua uisione Ezechiel ipse uentum nominet, pro æterno Dei spiritu. Sed homini non prorsus stupido facilis erit solutio huiusmodi, quam boni isti uiri, pro sua uel inscitia, uel ruditate, non obseruant. Vtroque enim loco factum est, quod fieri subinde solet à Prophetis: qui res spirituales ac humano sensu altiores, corporeis ac uisibilibus symbolis figurant. Cum ergo Ezechiel expressa & quasi «conica uisione & spiritum Dei & hominum spiritus sub oculos quodammodo representare uellet, idque esset à spiritali natura alienum: similitudinem sumpsit à rebus corporeis, quæ imaginis uice esset.

Eo. retract  
in c. 10. e-  
pist. 146  
Cõsentio

18

**O** Bjciunt secundò, animam, tametsi immortalitate donata esset, in peccatum tamen prolapsam: qua ruina, immortalitatem suã obruerit ac perdidit. Hæc constituta erat pœna peccato, & denuntiata primis parëtibus: Morte moriemini: Et Paulus ait, stipendium peccati, mortem esse. Et Propheta, animam quæ peccauerit, morituram clamat. Hæc illi, aut similia. Sed quæro primùm, an non etiam Diabolo redditum est idem peccati stipendium? nec tamen ille sic mortuus est, vt non semper uigilet, vt non circumueat, quærens quem deuoret, vt non operetur in filiis diffidetiã. Deinde, an omnino aliquis finis futurus est eius mortis, an non? Si enim nullus est, vt certe fateri eos oportet: igitur illi, quantumlibet mortui, ignem tamen æternum sentient, & uermem, qui non moritur. Hæc nobis clarum faciunt, suam animæ immortalitatem, quam aßerimus, quàm que boni uel mali sensu cõstare dicimus, etiam tum esse, cum mortua est, mortemque illam, aliud quidpiam esse quàm quod obtinere uolunt in nihilum redigi. Neque id etiam tacuerunt Scripturæ, si animum inducerent, illis potius sensum suum accommodare, quàm arroganter affirmare, quicquid cerebrum adhuc à somno fumosum dictauerit. An uerò cum Deus aduersus hominem peccatorem, sententiam hanc pronuntiat: Puluis es, & in puluerem reuertèris, aliud dicit, quàm quod sumptum è terra est, in terram rediturum? Quò igitur anima? an in sepulchrum descendit, ad marcorem & putredinem? Atque ista quidè, paulò post aperitius. Nunc quid tergiuersantur? Audiui-  
mus quod terræ est, terræ etiam reddendum. Cur spiritum hominis sub terras demer-

Gen. 3.  
Roma. 6.  
Ezec. 18.

gimus? Non dicit hominem in terram rediturum: sed qui pulvis est, reuersurum in puluerē. Is verò pulvis est, qui formatus est de limo terræ: ille in puluerem reuertitur, non spiritus, quem aliunde quàm è terra acceptum, Deus homini dedit. Ad hunc modū legimus in libro Iob: Memento quia sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Hactenus de corpore. Paulò pòst subdit de spiritu: Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum. Illa igitur vita non erat reditura in puluerem. Mors animæ longè alia est: iudicium scilicet Dei, cuius grauitatem misera anima ferre non potest, quin tota confundatur, concidat, & dispereat: vt & Scripturæ nos docent, & vsu ipso experti sunt, quos Deus horrore illo aliquando perculit. Vt enim ab Adam incipiamus, qui primus exitiale illud stipendium meruit, quo animo putamus fuisse, imo quid omnino fuisse, cum horribilem illam vocem audiuit: Adam ubi es? Facilius sanè est cogitare, quàm dicere: quanquam ne cogitari quidem potest, nisi sentiatur. Et quemadmodum maiestas Dei quàm sit sublimis, verbis explicari non potest: ita nec quàm terribilis sit ira ijs, quibus incumbit. Vident præsentem Dei omnipotentis grauitatem: quam vt effugiant, in mille abyssos se demergere parati sunt, effugere tamen non possunt. Et quis non fateatur hanc esse veram mortem? Hic rursum dico, verbis opus non habere eos, qui aliquando conscientie cauterio compuncti sunt: qui verò experti non sunt, audiant Scripturas: quibus Deus noster, ignis consumens est: qui dum in iudicio loquitur, occidit. Talem nouerant, qui dixerunt: Non loquatur Dominus nobiscum, ne fortè moriamur. Vultis scire quæ sit animæ mors? Deo carere, à Deo desertam esse, sibi relictam esse. Si enim Deus, eius vita est: perdit vitam suam, cum perdit Dei præsentiam. Atque vt quod dictum est in vniuersum, partibus ostendatur: si extra Deum lux non est, quæ nocti nostræ luceat: vbi lux illa se subduxerit, anima certè in tenebris suis sepulta, cæca est. Tunc muta est, quæ confiteri non potest ad salutem, quod crediderit ad iustitiam. Surda est, quæ viam illam vocem non audit. Clauda est, imo se sustinere non potest, vbi non habet cui dicat: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me. Nullo denique vitæ officio fungitur. Sic enim loquitur Propheta, cum vult ostendere fontem vitæ esse apud Deum: Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus, vbi sit diurnitas vitæ & victus, vbi sit lumen oculorum & pax. Quid ultra ad mortem requiritis? Et ne hic aqua nobis hæreat, nobiscum cogitemus, qualem vitam nobis attulerit Christus: & succurret, à quo genere mortis nos redemerit. Vtrunque nos docet Apostolus: Surge, inquit, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Vbi non cinerem alloquitur: sed eos qui inuoluti peccatis, inferos & mortem secum ferunt. Alibi: Et vos, cum essetis mortui peccatis, conuiuificauit vos in Christo, donans vobis omnia delicta. Ergo quemadmodum Apostolus nos mori peccato dicit, dum extinguitur concupiscentia in nobis: ita & Deo morimur, dum viuenti concupiscentiæ nostræ in nobis subiecti sumus. Imo verò (vt vno verbo complectamur quod de vidua deliciante ait,) viuentes, morimur: hoc est, immortales sumus ad mortem. Quia licet anima sensum suum retineat, tamen mala concupiscentia quasi stupor quidam est mentis. Iam verò qualis qualis erat illa animæ mors, Christus tamen pro nobis ea defunctus est. Quod enim prophetijs promissum erat, de eius victoria contra mortem, ipse morte sua præstitit. Prophetæ pronuntiabant:

præ-

Præcipitabit mortem in æternum. Item, Ero mors tua, ô mors: moïsus tuus, ô infer- Ose. 13.  
ne. Apostoli iam facta denuntiant. Destruxit quidem mortem: illuminauit autem Colof. 2.  
vitam per Euangelium. Rursum: Etenim si per vnius delictum mors regnauit per Roma. 5.  
vnum: multò magis ij qui exuberantiam gratiæ acceperunt, per vitam regnabunt  
in Christo. Hæc fulgura, non verba, si possunt, sustineant. Cum enim ex Adam  
dicant esse mortem, quod fatemur: non quam ipsi fingunt, sed eam quam in ani-  
mam cadere nuper docuimus: nos rursum vitam à Christo: quod inficiari non pos-  
sunt. In comparatione Adæ & Christi, totius controuersia cardo vertitur. Con-  
cedant primum Apostolo necesse est, non modò instauratum in Christo id omne  
quod in Adam collapsum fuerat, sed quantò fuerit effusior gratiæ quàm peccati  
virtus, tantò Christum fuisse potentiorum in restituendo, quàm Adam in perden-  
do. Palam enim prædicat, non esse donum vt peccatum: sed longè exuberasse: non  
quidem in plures homines: sed abundantius, in quibus exuberauit. Respondeant, si  
volent, exuberasse, non quia abundantiorum vitam dederit, sed quia multa pecca-  
ta deleuerit: cum vnicum Adæ peccatum nos in ruinam detraxisset. Hoc ego de-  
mum postulabam. Deinde, cum alibi tradat, aculeum mortis esse peccatum, quid  
habet mors quo nos pungat, vbi aculeus mortis retusus, imo consumptus est? At-  
qui, nihil aliud agit multis capitibus Epistola ad Romanos, quàm vt planè decla-  
ret, peccatum esse penitus abolitum: ne in fideles imperium suum exerceat. Iam  
verò si virtus peccati Lex est: cum occidunt eos qui in Christo viuunt, quid aliud Roma. 3.  
quàm in maledictionem Legis eos retrahunt, quæ è medio sublata est? Quamobrè  
confidenter iactat Apostolus, nullam esse dånationem ijs qui sunt in Christo Iesu,  
qui non secundum carnem ambulant, sed iuxta spiritum. Scilicet in eos, quos Aposto-  
lus ab omni condemnatione liberat, grauissimam sententiam pronuntiant: Morte  
moriemini. Vbi autem gratia, si mors adhuc regnat inter electos Dei? Iam (vt ait  
Apostolus) peccatum quidem regnauit in mortem: gratia verò regnat in vitam æ-  
ternam: quæ si peccatum superat, nullum morti locum relinquit. Ergo, quæ admodum  
mors per Adam ingressa regnauit: ita nunc per Iesum Christum regnat vita. Sci-  
mus autem quòd Christus excitatus à mortuis, iam non moritur: mors illi vltra Roma. 6.  
non dominabitur. Quòd enim mortuus fuit peccato, mortuus fuit semel: quòd autè  
viuit, viuit Deo. Atq; hinc videre est, vt suum errorem suo ipsi gladio confodiant.  
Dum enim pœnam peccati mortem esse dicunt, simul profitentur hominem, si la-  
psus non esset, futurum fuisse immortalè. Nam & quod cœpit, aliquando nõ fuit:  
& quod pœnæ est, non est naturæ. Contrà Apostolus, peccatum absorberi à gratia  
clamat, vt aduersus electos Dei agere amplius non possit. Obtinemus igitur, ele-  
ctos Dei tales nunc esse, qualis fuerit ante peccatum Adam. Et vt ille creatus est  
inexterminabilis, ita & nunc eos esse, qui per Christum in meliorem naturam re-  
creati sunt. Neq; obstat illud Apostoli: Tunc fiet verbum: Absorpta est mors in  
victoria. Quando Fieri, pro Impleri dictum, nemo inficiari potest. Implebitur e- 1. Cor. 15.  
nim in corpore, quod nunc inchoatum est in anima. Vel potius, In anima simul &  
corpore implibitur, quod in anima duntaxat inchoatum est. Nam & mors hæc cõ-  
munis, quæ velut communi naturæ necessitate omnes defungimur, magis est electis  
naturalis quidam transitus ad summum gradum immortalitatis, quàm aut malum,  
aut pœna: atque, vt ait Augustinus, nihil aliud quàm carnis occasus, qui non con-  
sumit coniuncta, sed diuidit: cum origini suæ vtrunque reddit.

De difcri-  
mine vi-  
te huma-  
ne & brut.  
cap. 43.

19

**T**ertio loco afferunt, quòd toties dormire legantur, qui mortui sunt. Ut de  
 Stephano, Obdormiuit in Domino. Item, Lazarus noster dormit. Item, No-  
 lite solliciti esse de dormientibus. In libris verò Regum sapiissimè, ut vix alia  
 phrasis Scripturæ sit familiarior. Maximè verò instant, cum arripiunt senten-  
 tiam ex libro Iob: Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursus virescit: & ra-  
 mi eius pullulant: Homo verò ubi mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, v-  
 bi quæso est? Quomodo si recedant aquæ de mari, & fluiuius vacuefactus arefcat:  
 sic homo cum dormierit, non consurget, nec euigilabitur de somno suo, donec atte-  
 ratur cælum. Si animæ ideo vobis dormire credantur, quia mors vocatur Dormi-  
 tio: primum, anima Christi eodem somno correpta est. Sic enim in persona ipsius  
 loquitur Dauid: Ego dormiui, & somnum cæpi, & exurrexi, quia Dominus me-  
 cum est. Et audit ab inimicis sibi insultantibus verbum iniquum: Nunquid qui dor-  
 mit, non adijciet ut resurgat? Si autem nihil tam humile atque abiectum de anima  
 Christi suspicandum est, ut disputatum est fusius, nemo ambigat, quin Scriptura  
 externam duntaxat corporis compositionem spectauerit: & illud dormire ab homi-  
 num aspectu duxerit. Hæc enim duo promiscuè leguntur: Dormiuit cum patribus  
 suis: &, Appositus est patribus suis. Cum anima non apponatur animis patrum: sed  
corpus in sepulchrum patrum deferatur. Est etiam secundum me, quod impijs quo-  
 que Regibus attribuit Samuel hanc dormitionem in Regum historia: quod idem  
 videre est in posterioribus libris Regum, & libris Paralipomenon. Cum auditis  
 dormire impium, cogitatis animæ somnum? quæ peiorem habere carnificem non po-  
 test, à quo torqueatur, quàm malam conscientiam. Vbi somnus inter tales angu-  
 stias? Impij enim sicut mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant flu-  
 eius eius in conculcationem & lutum. Non est pax impijs, dicit Dominus. Et ta-  
 men Dauid, cum vellet exprimere conscientia aculeum acerrimè pungentem: Illu-  
 mina, inquit, oculos meos, ne vnquam obdormiam in mortem. Ecce fauces infero-  
 rum miserum obsident, vis peccati exagitat, & tamen dormit: imo verò ideo dor-  
 mit, quia hæc patitur. Hic etiam ad prima discendi elementa reijciendi sunt, qui  
 necdum didicerunt *κατὰ συνουσίαν* à parte interdum totum intelligi, interdum à to-  
 to partem: cum hæc figura toties usurpata sit in Scripturis. Nolo mihi fidem haberi,  
 nisi prius locos aliquot protulerim, qui euincant synecdochen esse in vsu illius  
 verbi, quoties pro morte legitur. An verò cum Iob diceret, Ecce nunc in puluere  
 dormio, & simane me quæsieris non subsistam: existimabat animam somno per-  
 fusum iri? Atqui, non erat coniicienda in puluerem. Ergo non in puluere dormitu-  
 ra erat. Alio etiam loco, cum diceret: Et tamen simul in puluere dormient, &  
 vermes operient eos. Et Dauid: Sicut vulnerati dormientes in sepulchris: an  
 videntur vobis animas vermicibus exposuisse, quas arroderent? Idem nos docet  
 Propheta, qui scripturus exitium Nebuchadnasar: Conquieuit, inquit, &  
 siluit omnis terra, abietes quoque latata sunt super te, & cedri Libani: ex quo  
 dormisti, non ascendit qui succidat nos. Et paulò post: Omnes Reges Gentium  
 vniuersi dormierunt in gloria, vir in sede sua: Tu autem proiectus es è sepul-  
 chro. Quæ omnia de cadauere dicta sunt: ut Dormire, sit iacere & proster-  
 ni: à more dormientium, qui humi prostrati iacent. Hanc loquendi formam po-  
 terant eos docere Ethnici, quorum vnus: Nobis cum semel occidit breuis lux,  
 Nox est perpetua vna dormienda. Alter verò, Stulte, quid est somnus, &c.

Alibi



*Alibi. Dicite, Nasonis molliter ossa cubent. Atque hæc quidem loquuntur, qui multa fingunt de inferis portenta, multasque & varias passiones, quibus mortuorum umbra afficiantur. Quæ rat. one à veteribus impostum nomen loco, qui mortuorū sepulchris destinaretur. <sup>νομιστὶς πρὸς τὸ νομίζεσθαι</sup> quod dormire significat. Nō quòd intelligerent illic mortuas animas ad quietem reponi: sed corpora. Iam satis euanuisse arbitror ipsorum fumos, quibus animarum dormitionem inuoluebāt. Vbi probatum est, nusquam inueniri in Scripturis, dormendi verbum attributum animis, quoties pro morte legitur positum. Cæterum de animarum quiete fusius alibi disseruimus.*

20

**Q**uarto, locum Solomonis in nos, quasi fortissimum arietem, impellunt. Vbi ille in Ecclesiasta suo scribit. Dixi in corde meo de filijs hominum, ut probaret eos Deus, ut ostenderet similes esse bestijs. Idcirco vnus interitus est hominis, & iumentorum, & aqua vtriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius. Cuncta subiacent vanitati, & pergunt in vnum locum. De terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur. Quis nouit an spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus iumentorum descendat deorsum? Quid si vno verbo Solomon ipse hic illis respondeat? Vanitas vanitatum, dicit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quid enim aliud agit, quàm ut sensum hominis vanum, & rerum omnium incertum ostendat? Videt homo se mori instar beluarum, sibi vitam & mortem cum illis esse communem: conditionem igitur sibi equam cum illis, colligit, Et quemadmodum in post mortem illis nihil superest, ita sibi nihil facit reliquum. Hæc mens hominis, hæc ratio, hic intellectus. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus: stultitia est illi, & non potest intelligere. Homo videt oculis carnis, spectat mortem presentem, hoc vnum se cum reputat, de terra omnia orta esse, & in terram pariter reuertit: interim animæ nulla ratio. Atque id est quod subiicit: Quis nouit, an spiritus filiorū Adæ ascendat sursum? Quid si ad animam veniatur, humana ratio tota in se contracta, nihil statim aut liquidum, studendo, meditando, ratiocinando, comprehendet. Cum igitur Solomon humani sensus vanitatem ex eo ostendat, quòd in animi consideratione varius sit & suspensus, minimè errori eorum patrocinaur: sed fidem nostram præclatè sustinet. Quod enim humanae mentis captum excedat & modulos, hoc nobis explicat Dei sapientia: spiritum scilicet filiorum Adam sursum ascendere. Proponam simile ex eodem scriptore, quo duram istam ceruicem paulum illis instat. Non intelligit homo odium vel amorem Dei erga homines: sed omnia seruātur incerta, eò quòd vniuersa æque eueniunt iusto & impio, bono & malo, immolanti victimas & non immolanti &c. Si omnia seruātur incerta in futurum: ergo fidelis, cui omnia in bonum cooperantur, afflictionem interpretabitur esse Dei odium? minimè: fidelibus enim dictum est: In mundo pressuram habebitis, in me consolationem. Cui verbo dum incumbunt, non modò in fracta animi æquitate perseverant quicquid euenerit, sed etiam gloriantur in tribulationibus, confitentes cum beato Iob: Etiam si occiderit nos, in ipso sperabimus. Quomodo igitur in futurum seruātur incerta omnia? Hæc secundum hominem. Verum tamen vanitas omnis homo viuens. His subiicit: Hoc est pessimum quod vidi sub sole, quia eadem cunctis eueniunt: vn

Eccle. 3.

Gene. 9.

de & corda filiorum hominum implentur malitia & contemptu, in vita sua: & post hæc, ad inferos deducuntur. Nemo est qui semper uiuat, & qui huius rei habeat fiduciam. Melior est canis uiuus, leone mortuo. Viuentes enim sciunt se esse mortuos: mori uero nihil nouerunt amplius. Nec habent ultra mercedem, quia obliuioni tradita est memoria ipsorum, &c. Nonne hæc loquitur de eorum crassitia, qui cernunt tantum ante pedes, nec futuram uitam, nec resurrectionem sperantes? Nam & si ueram esset, nihil nos esse post mortem: superest tamen resurrectio, in cuius spem si intuerentur, non imbuerentur contemptu Dei, nec replerentur malitia: ut omnia alia omittam. Constituamus ergo post Solomonem, hæc omnia non cadere sub sensum rationis humanæ. Quod si certum aliquid habere uolumus, ad legem curramus & ad testimonium: ubi ueritas & uia domini. Hæc nobis Eccl. vlti. loquuntur: Donec reuertatur puluis in terram, unde erat: & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Nemo ergo dubitet, qui uerbum Dei audierit, quin spiritus filiorum Adam ascendat sursum. Ascendere autem sursum, simpliciter illic accipio, pro consistere, & immortalitatem retinere: quæ admodum Sursum descendere, dixisse mihi uidetur, pro collabi, decidere, disperdi.

21

Quintum argumentum pleno adit atque aperto gutture intonant, ut profundis: mû somnũ dormientibus excuere possint. In eo enim meliorem suam uictoria partem constituunt. Et cum fucum suis neophytis facere uolunt, id potissimum arripiunt, quod fidem eorum, & sanam mentem labefacient. Vnum, inquit, iudicium, quod reddet omnibus suam mercedem: pijs gloriam, impijs gehennam. Nihil ante illum diem statuitur, aut beatitudinis, aut miseris. Sic ubique Scripturæ restantur. Mittet Angelos suos cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos eius à quatuor uentis, à summis cælorum, usque ad erminos eorum. Item, in con-Matt. 24. summatione seculi, mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Matt. 13. Tunc iusti fulgebunt, sicut sol, in regno patris sui. Item: Tunc dicet rex his qui a dextris erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum uobis à constitutione mundi: Disceditis à me maledicti in ignem æternum. Et ibunt, hi in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam. Simile est apud Daniele: Daniel. 2. Et in tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. Hæc omnia, inquit, si de die iudicij scripta sunt, quomodo uocabuntur tunc ad regni cælestis possessionem electi, si nunc possident? Quomodo dicetur illis ut ueniat, si iam sunt? Quomodo saluabitur populus, si nunc saluus est? Quam obrem fideles, qui nunc etiam in fide ambulant, non alium expectant salutis suæ diem, ut ait Paulus: Scientes, quoniam qui suscitauit Iesum à mortuis, & nos cum Iesu suscitabit. Et alibi: Expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit uos usque in finem, in diem aduentus &c. Verum, ut hæc omnia illis concedamus, cur addunt de somno suum? Non enim in tot locis ac similibus, syllabam unam de somno proferre possunt. Atqui, etiam si uigilent, carere possunt gloria. Quare cum insani sit hominis, nedum temerarij, sine Scriptura depruare de ijs, quæ sub sensum hominis non cadunt: quo tandem uultu pergant temulenti isti & noui dogmatistæ in defensionem somni, qui non acceperant ex ore Domini? Hoc sanis & sobrijs satis esse possit: quo agnoscant somnum istum

istum improbè confingi, qui aperto Dei verbo probari non possit. Sed age, hos locos obiter differamus, ne quid simpliciores moueant, cum audiunt salutem animarum in diem iudicij differri. Primum illud quidem in confesso esse volumus, quod iam antè explicatum à nobis est, beatitudinem nostrã semper in cursu esse, vsque ad diem illum, qui omnem cursum cludet & terminabit: ita electorum gloriam, & ultimæ spei finem, ad eum ipsum diem spectare, vt impleatur. Nam hoc satis inter omnes cõuenit, nullam esse vel beatitudinis, vel gloriæ perfectionem: nisi perfectam cum Deo coniunctionem. Huc omnes tendimus, huc properamus huc omnes Scripture mittunt, & Dei promissiones. Quod enim semel Abraham dictum est, nos etiam pertinet: Abraham, ego merces tua magna nimis. Hæc ergo cum sit constituta omnibus merces, qui cum Abraham partem habent: Deum possidere, & eo frui, præter quam, & ultra quam, nullam aliã appetere liceat: coniuncti sunt illuc oculi, cum de expectatione nostra agitur. Hactenus, ni fallor, assentiuntur nobis aduersarij nostri. Atque istud rursus nobis, vt spero, concedent, regnum illud, ad quod fideles possidendum vocantur, quod & salus alibi, & merces, & gloria nuncupatur, non aliud esse, quàm illam cum Deo vnionem: vt scilicet in Deo plenè sint, à Deo impleantur, ipsique vicissim Deo adhæreant, Deum plene possideant, vnum denique cum Deo sint. Sic enim dum in fonte sunt omnis plenitudinis, ultimã metam attingunt omnis iustitiæ, sapientiæ, gloriæ: quibus benedictionibus constat regnum Dei. Nam id esse vltimum punctum regni Dei insinuauit Paulus, cum inquit: Vt sit Deus omnia in omnibus. Si Deus illo demum die verè erit omnia in omnibus, & suos fideles ad iustum modum implebit: non absque causa dies ille salutis nostræ dicitur: ante quem non omnes salutis nostræ numeri implentur. Quos enim Deus implet, ij implentur omnibus diuitijs, quas neque lingua eloqui, nec auris percipere, nec oculus videre, nec mens cogitatione assequi potest. Hæc duo si extra cõtrouersia sunt: frustra nituntur nostri hypnologi cõuincere sanctos Dei seruos, hac vita defunctos, nõdum ingressos esse in regnum Dei, ex eo quod illis dicitur: Venite, possidete regnum &c. & similibus. Promptum enim nobis est respondere: non ideo nunc nullam esse regnum, quia nõdum perfectum est. Sed cõtrã, dicimus tunc perficiendum esse, quod iam inchoatum est, cuius rei fidem tunc demum factum à me volo, vbi planam fecero, ex certis Scripturarum argumentis. Nam & dies ille regnum Dei dicitur, quia tunc verè subijciet sibi potestates aduersarias, Satanam interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, ipse verò totus in electis suis habitabit & regnabit. Neque enim aliter regnare olim in se Deus potest, quàm regnauit ab initio: cuius maiestati, nihil accedere aut decedere potest. Sed regnum eius dicitur, quod omnibus manifestabitur. An verò dum oramus vt regnum eius adueniat, cogitamus nõc nullum esse? Et vbi erit illud? Regnum Dei intravos est. Regnat igitur Deus iam nõc in electis suis, quos agit Spiritu suo. Regnat & cõtra Diabolum, peccatum & mortem, dum iubet è tenebris lucem splendescere, qua confundantur error & mendacium: & dum prohibet, ne noceat potestates tenebrarum ijs, qui signum Agni in fronte gerunt. Regnat, inquã, iam nunc cuius vt regnum adueniat, oramus. Regnat quidem dum operatur virtutes in suis, dum Satanam legem dicit. Sed tunc regnum eius adueniet, cum implebitur. Implebitur autem, cum planè manifestabit gloriam maiestatis suæ electis suis ad salutem: reprobis ad confusionem. Quid autem aliud vel dicendum vel credendum est de electis: quorum

Gene. 11.

1. Cor. 15.

1. Cor. 15.  
2. Tess. 2.

- regnum est & gloria, in regno Dei glorioso esse, & cum Deo veluti regnare, & in eo gloriari: denique diuinæ gloriæ participes esse. Hoc quidē regnū, tamen si nō
- Matt. 16. dum aduenisse dicitur, tamen aliqua ex parte spectare licet. Nam in regno Dei incipiunt esse, qui regnum Dei quodam modo intra se habent, & cum Deo regnant: aduersus quos portæ inferorum præualere nequeunt. In Deo iustificantur,
- Iesā. 43. de quibus dictum est: In Domino iustificabitur, & laudabitur omne semen Israel. Ut prorsus regnū istud, sit Ecclesiæ edificatio, seu profectus fidelium, quem nobis describit Paulus: qui per omnes ætātū gradus adolefciūt in virū perfectum. Vi
- Ephes. 4. dēt boni isti viri huius regni principia, vidēt incrementa: statim atque hæc abeunt ex oculis, non dant fidei locum, nec sustineant credere, quod non habent præ oculis carnis. At verò longè aliter Apostolus: Morui, inquit, estis: & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos simul cum ipso apparebitis in gloria. Vitam quidem absconditam nobis tribuit cum Christo, capite nostro, apud Deum: gloriam differ. in diem gloriæ Christi, qui vt caput est Ecclesiæ, trahet secum suæ membra. Idem prorsus Ioannes alijs verbi: Charissimi, nunc Filij Dei sumus, sed nondum apparuit, quiderimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Non dicit nos in terra, aliquo temporis interuallo, nihil futuros: sed cum sumus filij Dei, qui expectamus hereditatem patris, sustinet a. suspendit expectationem nostram in diem illum, quo in omnibus gloria Dei manifestabitur, & nos in eo gloriabimur. Hæc rursus mirari sibi: cum audiunt Dei filios, qui non redeant ad sanam mentem, & sentiant hanc generationem immortalem esse, quæ ex Deo est, & qua diuinæ immortalitatis sumus participes. Sed ad institutum pergamus. Clament quantum volent, non vocari benedictos Dei ad regnum ante diem iudicij, nec ante promitti salutem populo Dei. Respondeo, Christum caput nostrum esse, cuius regnum & gloria nondum apparuerunt: si membra caput præcedant, peruersum ac præposterum esse ordinem. Tum verò nos secuturos principem nostrum, cum ille veniet in gloria patris sui, & sedebit in sede maiestatis suæ. Interim tamen vivere, quod ex Deo in nobis est: hoc est, spiritum nostrum, quia Christus vivit: vita nostra absurdam enim esse, vt vivente vita nostra, pereamus ipsi. Viā autem hanc & apud Deum, & cum Deo esse, & beatā esse, quia in Deo sit. Hæc omnia sibi cōstant, & veritati consentiunt. Cur enim nondum saluati esse dicuntur, aut regnum Dei poss. dere, qui in Domino mortui sunt? Quia expectant, quod nondum habent, nec suam felicitatis attingerunt. Cur nihilominus beati sunt? quia & Deum agnoscunt sibi propitium, & futurā mercedē eminens vidēt, & incerta expectatione beatæ resurrectionis acquiescunt. Quamdiu certè habitamus in hoc carcere luteo, speramus quæ nō videmus: & præter sp̄, credimus in spem: quod ait Apostolus de Abraham: Vbi autē oculi mentis nostra, qui nunc sepulti in hac carne, hebetes sunt, absterferint hæc velut lippitudinē, videbimus quæ expectabamus, & in ea requie delectabimur. Neque enim veremur id post Apostolū dicere, qui è cōverso dicit *πολιταν τῆς ἐλπίδος* non glorios, minere reprobos, id est, formidabilē expectationē iudicij. Si hæc terribilis: illa sane & læta, & beata merito vocabitur. Et quoniā cōsiliū est docere aduersarios magis quàm cogere: cōmodent nobis paulisper aures, dū ex figura veteris testamēti eruimus veritatē, neq; id sine authore. Quæ ad
- s. Cor. 10. modū Paulus in trāsitu filiorū Israel, tractat allegoricè submersū Pharaonē, viā

liberationis per aquam: permittant etiam nobis dicere, in baptismo submergi Pharaonem nostrum, crucifigi veterem hominem, mortificari membra nostra, nos sepeliri cum Christo, migrare è captiuitate Diaboli, ac imperio mortis: sed migrare duntaxat in desertum, terram aridam ac inopem, nisi Dominus pluat man è cælo, & aquam scaturire faciat è petra. Anima enim nostra, sicut terra sine aqua illi, psal. 142. quæ rerum omnium penuria premitur, donec ille pluit gratias spiritus sui. Transi-  
tur postea in terram promissionis, duce Iesu filio Naue, terram abundantem lacte & melle: hoc est, gratia Dei nos liberat è corpore mortis, per Iesum Christum Dominum nostrum, non tamen sine sanguine & sudore. Siquidem caro tum maximè resilit, & vires suas ad pugnam exerit, ut confligat aduersus spiritum. Postquam in terra residetur, tunc pasчимur in abundantia. Dantur enim stola albæ, & requies. Sed nondum erecta est Ierusalem, caput ac sedes regni. Nondum Solomon rex pacis sceptrum tenet, omniaque moderatur. Sunt ergo sanctorum animæ post mortem in pace, quæ extra manû hostis euolarunt. Sunt in opulentia, de quibus dictum est: Ibit de abundantia in abundantiam. Vbi verò surrexerit in gloriam suam cælestis Ierusalem, & verus Solomon Christus, rex pacis, sublimis sederit in tribunali, regnabunt cum suo rege veri Israelitæ. Quòd si libet à rebus hominum petere similitudinem: pugnamus cum hoste, quandiu conflictatio est nobis aduersus carnem & sanguinè: vincimus hostem, dum exuimur hac carne peccati, vt toti Dei simus. Agemus triumphum, & fructu victoriæ potiemur, cum caput nostrum supra mortem, verè erigetur in gloria: hoc est, cum mors in victoria absorbebitur. Hæc meta, hic scopus noster, de quo scriptum est, Satiabor, cum euigilauero, aspectu gloriæ tuæ. Hæc ex Scripturis facile discere possunt, quicumque Deo auscultare, & vocem eius exaudire didicerunt. Hæc etiam nobis per manus tradiderunt, qui parcè & reuenter tractarunt Dei mysteria. Sic enim permiserunt sibi loqui veteres, vt dicerent animas quidem in paradiso & in cælo esse, nondum tamen gloriam aut mercedè percepisse. Nam Tertullianus: Et merces, inquit, & periculum, in resurrectionis pendet euentu: qui tamen, sine vlla ambage, docet animas cum Deo esse, & in Deo viuere, ante euentum illum. Alibi: Cur non capiamus sinum Abrahamæ dici, temporale aliquod fidelium animarum receptaculum: in quo deliniatur fidei imago, ac candida vtriusque iudicij prospiciatur. Irenæus verò: Cum Dominus in medio Lib. 9. ad uerfus Haeres. umbrae mortis abierit, vbi animæ mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexerit, & post resurrectionem assumptus est manifestum est, quia & discipulorum eius, propter quos hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in inuisibilem locum, definitum illis à Domino: & ibi, vsque ad resurrectionem, commorabuntur, sustinentes resurrectionem: post, recipientes corpora sua, & perfectè resurgentes, hoc est, corporaliter, quemadmodum & Dominus resurrexit, sic venient in cõspectum Dei. Nemo enim discipulus supra magistrũ, &c. Et Chrysostomus, Intelligite quale Homi. 8. in 11. ad Hebrae. & quantum est, Abraham sedere, & Apostolum Paulum, quando perficiatur, vt possint tunc mercedem recipere. Nisi enim nos illuc venerimus, tunc pradixit eu Pater, se non daturum mercedè: sicut bonus pater amator filiorum, & probabilibus filijs, & opus perficientibus, dicit, se non daturum cibum, nisi venerint alij fratres. Tu autem anxius es, quia nec dum accipis? quid autem faciet Abel, qui antè vicit, & adhuc sine corona sedet? Quid Noe? quid cæteri illorum temporum? Quia ecce expectauerunt, & alios expectant, qui post te futuri sunt. Paulo post: Præuenerunt

nos in certaminibus, sed non præuenient in coronis: quia unum definitum est tem-  
 pus omnium coronarum. Augustinus autem multis in locis secreta receptacula de-  
 scribit, quibus piorum animæ contineantur: donec coronam & gloriam recipiant:  
 cum interim reprobi pœnas luunt, expectantes iustam iudicij pœnam. Et qua-  
 dam ad Hieronymum epistola: Anima, inquit, post mortem corporis, requiem est  
 habitura, & corpus eadem ad gloriam receptura. Bernardus verò, homilij duabus  
 habitis in festo omnium Sanctorum, ubi ex professo hanc quæstionem tractat, san-  
 ctorum animas corporibus exutas, adhuc in atrijs Domini stare docet, ad requiem  
 admissas, non autem ad gloriam. In illam, inquit, beatissimam domum nec sine nobis  
 intrabunt, nec sine corporibus suis: id est, nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne.  
 Et multa alia in hanc sententiam. Qui autem in cælo eas collocant, modò non  
 attribuant illis resurrectionis gloriam, nihil ab ea sententia dissident: sicut Augu-  
 stinus ipse facere alicubi videtur. Nam cum certum sit, nunc torqueri malos Dæ-  
 mones (ut Petrus affirmat) ignis tamen ille, in quem mittentur reprobi in die iudi-  
 cij, dicitur præparatus Diabolo. Vtrunque ille expressit, qui scripsit reseruos  
 sub æternis vinculis, in iudicium magni diei. Vbi per reseruationem, pœnam si-  
 gnificauit, quam nondum sentiunt: per vincula, præsentem, quam sustinent. Et  
 Augustinus ipse alio loco se exponit, cum inquit: Tuus certè dies vltimus longè a-  
 besse non potest. Ad hunc te præpara. Qualis enim exieris de hac vita, talis reddè-  
 ris illi vitæ. Post vitam istam non statim eris ubi erunt sancti, quibus dicetur, Ve-  
 nite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mun-  
 di. Nondum ibi eris: quis nescit? sed iam poteris ibi esse, ubi illum quondam vlcero-  
 sum pauperem, diues ille superbus & sterilis, in medijs suis tormentis, vidit à longe  
 requiescentem. In illa requie positus, certè securus expectas iudicij diem, quando re-  
 cipias & corpus, quando immutèris, ut Angelo æquèris. Neque displicet, quod ali-  
 cubi docendi causa traditum est ab eodem, si tamen sanum & modestum interpre-  
 tem habeat: multos esse gradus animæ: primum, animationem: secundum, sensum:  
 tertium, artem: quartum, virtutem: quintum, tranquillitatem: sextum, ingressio-  
 nem: septimum, contemplationem: seu quis malit: primum, de corpore: secundum, ad  
 corpus: tertium, circa corpus: quartum, ad seipsam: quintum, in seipsa: sextum, ad  
 Deum: septimum, apud Deum. Quæ verba huc accersere visum est magis, ut sancti  
 viri sensum hac in re ostenderem, quàm ut quenquam, aut me etiam ipsum, ad hu-  
 ius distinctiunculæ legem adigam. Id enim ne ipse quidem Augustinus, opinor, o-  
 ptauit: sed quàm potuit crassissimè, enarrare voluit quendam esse animæ profe-  
 ctum: qui non ad vltimam metam perueniat, vsque ad diem iudicij. Postremò suc-  
 currit, ex hoc iudicij die, cui tantopere incumbunt, errorem eorum posse reuelli. In  
 symbolo nanque, quod est fidei nostræ compendium, confitemur non animæ, sed car-  
 nis resurrectionem. Neque erit locus cauillo, ut dicat, Carnis nomine, totum signi-  
 ficari hominem. Quid quidè illis interdum esse concedimus: sed hinc minimè admit-  
 timus: ubi rudi populo admodum significantia & simplicia verba expressa sunt.  
 Certè Pharisei, egregij resurrectionis assertores, & semper in ore habentes eius no-  
 men, simul tamen credebant non esse spiritum.

22  
**I**niciunt tamen adhuc nobis manus, & nos hærere cogunt ad hunc scopulum.  
 Verba Pauli ciuant quibus testatur nos esse omnibus hominibus miserabiliores,

si

si mortui non resurgunt. Quorsum, inquiunt, resurrectione opus est, si ante resurrectionem beati sumus? Inò verò quæ tanta est Christianorum hominum miseria, quæ omnium hominum miseriam superat si verum est eos esse in requie, dum interim alij torquentur, & miris modis cruciantur? Hic eos admoneo, si eludendi consilium esset (quod ipsi unum moluntur) patere mihi elabendi locum. Quid enim prohibet, sanos quosdam homines sequi, qui disputationem illam accipiunt, non de vltima modò resurrectione, qua ex corruptione recipiemus corpora incorruptibilia: sed de vita, quæ nobis superest post hanc vitam mortalem, quam nomine resurrectionis in Scripturis designari, visitatum est. Cum enim dicitur, Seducos negare resurrectionem, non refertur ad corpora: sed simpliciter dicitur, ex eorum opinione, nihil superesse homini post mortem. Cuius rei probabile est argumentum, quòd omnia, quibus ibi sententiam suam adstruit Paulus, vno verbo eleuari poterant, si responsum esset, animas quidem viuere: corpora verò, quæ in pu'uerem euanescerent, nullo modo suscitari posse. Exempla subiicimus. Quod ait: Ergo qui in Christo dormierunt, perierunt: refutari poterat à philosophis, qui animæ immortalitatem fortiter asserbant. Ad id quod dicit: Quid facient qui baptizantur pro mortuis? facile erat respondere. Quia animæ post mortem supersistentes. Ad illud verò: Vt quid nos periclitamur omni hora? nos exponere fragilem hanc vitam pro immortalitate: in qua meliori nostri parte viuemus. Iam multum verborum posuimus, quorum nullus usus fuisset inter dociles. Ipse enim Apostolus, nos esse miseros dicit, si in hac tantum vita in Christo speramus. Quod sine controuersia liquidum est: vel eo teste, qui fatetur moros sibi penè pedes, & penè effusos gressus, dum videt pacem peccatorum in terra. Et sanè, si ante pedes respicimus, beatum dicemus populum, cui omnia ex sententia affluunt. Si verò longius extendimus oculos, beatus erit populus, cuius Dominus Deus est, penes quem est exitus mortis. Nos tamen certius aliquid adferemus, quod non modò ipsum refellat obiecta sed germanam Apostoli mentem explicet: ijs, qui citra verborum cõtentionem discere volent. Nam si non est carnis resurrectio: meritò, vel ob hoc vanum, infelices vocat pios: quòd tot vulnera, flagella, ormenta, contumelias, vltimas denique necessitates in corporibus suis perferunt, quæ putantur destinata ad immortalitatem, quandoquidem hac spe sua falluntur. Quid enim magis, non iam dico miserum, sed ridiculum, quam spectare eorum corpora, qui in idem viuunt, omnibus delitijs delibuta? Christianorum corpora, fame, frigore, plagis, omni contumeliarum genere confecta? si & horum & illorum corpora ex æquo intereunt? Possem enim id ex eius verbis confirmare, quæ subiicit. Vt quid periclitamur omni hora? Quotidie morior per vestram gloriam fratres &c. Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Satius, inquit, esset illud valere inter nos. Manducemus &c. Si hæc quæ patimur in corporibus nostris opprobria, non ea, quæ speramus, gloria mutaretur. Quod non futurum est, nisi in resurrectione carnis. Deinde ut hoc præiudicium cedat, pressi hinc alteram rationem addere. Ideo nos esse omnibus hominibus miserabiles, si non sit resurrectio. Quia tamen si ante resurrectionem beati sumus, nõ tamẽ in resurrectione. In hoc enim beatos esse sanctorum spiritus dicimus, quia acquiescunt in spe beatæ resurrectionis: quæ si non esset, periret hæc omnis beatitudo. Est igitur verum illud Pauli, nos esse miserabiles omnibus hominibus, si non sit resurrectio. Nec cum illis verbis pugnat hoc dogma. beatos esse sanctorum spiritus,

ante resurrectionem: sed propter resurrectionem.

23

Heb. 11.

**P**roferunt etiam quod in epistola ad Hebræos legitur, de veteribus patribus. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis promissionibus: sed à longè eas salutantes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hoc dicunt, significant se patriam inquirere. Et siquidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique potestatem revertendi: nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. Unde in hunc modum ratiocinantur: Si appetunt patriam cœlestem, ergo non possident. Nos vero sic: Si appetunt, ergo sunt: non enim cadit appetitus, nisi in subiectum. Et, quod ab illis solum exprimeret conor, convenit esse sensum boni & mali, ubi est appetitus, qui aut sequatur, quod boni speciem præfert, aut refugiat, quod malum visum fuerit. Appetitus ille, dicunt, iacet in Deo. Quo nihil magis ridiculum cogitari aut fingi potest. Siquidem è duobus, alterum evincimus: aut Deum quippiam appetere, melius quàm habere: aut aliquid esse in Deo, quod non sit Dei. Quæ res mihi coniecturam facit, in re serâ eos ludere. Atque ut hæc omittamus, quid vult sibi revertendi potestas? Re deant itaque ad cor, & aliquid melius audiant, quàm hæc tunc senserunt. Si tamen persuasum habent, quod in primis labris circumferunt. Loquitur Apostolus de Abraham, & eius posteritate, qui inter extraneos habitavit in terra aliena: tantum non exules, certè inquilini, vix corpora regentes humilibus tugurijs: iuxta Dei præceptum, quod Abraham datum fuerat, ut exiret de terra sua, & de cognatione sua. His promiserat Deus, quod nondum exhibuerat. Salutauerunt ergo eminus promissiones, & in certa fide defuncti sunt, fore olim, ut præstaret Deus promissa sua. Iuxta quam fidem confessi sunt, non esse sibi statim sedem in terris, & extra terram sibi esse patriam, quam appeterent: nempe in cœlo. In fine verò capitis significat eos omnes, quos recensuit, non adeptos esse ultimam repromissionem, ne sine nobis perficerentur. Cuius verbi, si proprietatem observassent, nunquam concitassent tantus turbas. Mirum quomodo cacuciant in tanta luce. Sed hoc magis mirum, quod panem nobis pro lapidibus porrugunt: hoc est, dum volunt impellere, sustinent.

24

Acto. 9.

**I**n quod de Thabita narratur in actis Apostolorum, putant valde firmum sibi esse columen, quæ cum discipula fuisset Christi, plena bonis operibus & eleemosynis, suscitata est ex mortuis à Petro. Iniuriam aiunt factam Thabita, si verum dicimus, animas solutas à corpore, cum Deo & in Deo vivere, quod reuocata sit à consortio Dei & beata illa vita, in hoc mare malorum. Quasi verò non liceat idem contra eos retorquere. Nam siue dormiebat, siue nihil erat, quia tamen defuncta erat in Domino, beata erat. Nō igitur expediebat illi redire in hæc viâ, quam confecerat. Hunc nodum, quem colligant, priores ipsi dissolvant. Siquidem æquum est eos legi parère, quam alijs imponunt. Quæquam nobis dissolvere facile est. Quæcumque nos maneat fors post mortem: quod de se ait Paulus, transfertur

Philip. 1. ad omnes fideles: ut mori nobis sit lucrum, & esse cum Christo melius. Et tamen Philip. 2. Paulus dicit, Epaphroditum, qui certè in numero fidelium erat, misericordiam consequutum à Domino, quod infirmatus ad mortem, reuallisset. Isti quidem, qui iam irreverenter & parum sobriè tractant Dei mysteria, misericordiam istam interpretarentur crudelitatem. Nos verò misericordiam sentimus

&amp;



Et fatemur, cum sint gradus misericordiae Dei, sanctificari electos, glorificari sanctificatos. Nonne igitur misericordiam suam exercet Dominus, cum nos magis ac magis sanctificat? Quid, si voluntas Dei est magnificari in corpore nostro per vitam, ut ait Paulus, nonne misericordia est? Quid, quod Deo legem miraculorum dicere non nostrum est? satisque est, si in illis eluceat authoris gloria. Quid si dicamus Deum non consuluisse Thabita commodis, sed pauperes respexisse? ad quorum certe preces suscitata est, flentium & ostendentium vestes, quas conuebat illis Thabita. Hanc enim rationem viuendi sufficere sibi credebat Paulus, cum multo melius esset illi, ad Deum migrare. Et cum Deum misertum esse Epaphroditum dixisset, subiecit. Non solum auem eius, sed & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Ite nunc, & Deo dicam, iudice: quod mulierem in ministeria pauperum sedulam, reddidit pauperibus. Nam ut constet nobis operis ratio, hoc ceterum Christus meruit, ut glorificetur in vita nostra & in morte, qui mortuus est & resurrexit, ut uiuis dominetur & mortuis. Roma. 8.  
Roma. 14.

**V**ocant & Dauidem in causa sua patrociniū, nostrae optimum patronum: sed adeo sine pudore, aut etiam sensu communi, ut pudeat ac pigeat multa, quae ab eo argumēta mutuantur, referre. Omnia tamen quae ab illis usurpari a diuinitate, bona fide a nobis referentur. Audet primū istud citare: Ego dixi dii estis, & filij excelsi oēs: vos autem, sicut homines, moriemini. &c. ac interpretantur, deos quidem & filios Dei esse fideles, sed mori & cadere cū reprobis: ut aequi sit fors utrorumque, donec separabuntur a igni ab haedis. Respondemus, quod à Christo ac episcopis: illic vocari deos, ad quos sermo Dei factus est: hoc est, Dei ministros: iudices scilicet, qui gladium in manu gerant, acceptū à Deo. Et si deesset nolis Christi interpretatio, vsusque Scripturae, qui ubique concinit, locus ipse per se satis clarus est, quo obiurgantur qui iudicant iniquitatem, & facies peccatorum sumunt. Hi dicuntur dii, quod personam Dei sustinent, cum alijs praesunt. Sed admonentur, futurum sibi iudicem, cui rationem reddant functionis. En specimen. 25  
psal. 81.  
Ioan. 10.  
Exo. 22.

**A**udiamus alterum: Exhibet spiritus eius, & reuertetur in terram suam: In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Vbi accipiunt spiritum pro vento, hominem abiturum in terram, nihil futurum nisi terram, perituras omnes cogitationes, quae utique remanerent, si esset anima. Nos verò non ita subtiles sumus: sed pro nostra crassitie, scapham, vocamus scapham, & spiritum, spiritum. qui dum exit ab homine, ipse homo in terram suam reuertitur, de qua, umptis est, ut diffusè explicauimus. Restat ut videamus, quid sit cogitationes perire. Admonemur, ne constituamus fiduciam in hominibus, quae debet esse immortalis: foret enim incerta & parum stabilis, cum vita hominum cito pertranseat. Ad quod significandum, dixit perire eorum cogitationes: hoc est, quicquid moliebantur dum uiuerent, dissipari & in ventum abire. Ut alibi: Peccator videbitur & irascetur, dentibus suis fremet & tacebit, desiderium peccatorum peribit. quod aliàs dicitur, dissipari. Dominus dissipat consilia gentium. Item, In te consilium & dissipabitur. Quod verborum periphrasi, beata Virgo in cantico significauit: Dissipabit superbos sensu cordis sui. 26  
psal. 145.  
psal. 11.  
psal. 32.  
Iesa. 8.  
Luc. 2.

27

**T**ertium: Et recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, & non rediens. Et spiritum pro vento positum, ut ferè ubique contendunt. In quo non intelligunt, se non animarum modò immortalitatem abolere, sed spem quoque resurrectionis præcidere. Si enim est resurrectio: spiritus cerè redit. Si non redit, resurrectio tollitur. Quamobrem eos imprudentiæ culpam hîc magis deprecari conuenit, quàm fortius instare, ut obtineant tam perueſum postulatam. Atque hæc quidem in hoc tantum dicta sint, ut videant omnes, quantum pateat effugium, si de refutandis eorum argumentis tantum cogitaremus. Fatemur enim libenter, idque ex nostra ipsorum sententia, hîc quadrare nomen venti. Concedimus homines ventum esse fugientem nec redeuntem. Quòd si ad sua sensa trahunt, errant, nescientes Scripturas: quibus mos est, per id genus periphraſis designare, nunc humanæ cõditionis imbecillitatem, nunc breuitatem vitæ. Cùm de homine dicit Iob, florem esse, qui egreditur & conteritur, & velut ombra fugere: quid aliud, quàm describere voluit, hominem esse fluxum & fragilem, & similem flori decidui? Iesaias verò clamare iubetur omnem carnem fœnum esse, & omnem eius gloriam, quasi florem fœni. Exiccatum esse fœnum, & cecidiſſe florem. Verbum autem Domini æternum permanere. Agedum, colligant vno verbo, animam hominis exarere & emarcere: & pauò acutius cernant, quàm crassus ille piscator, qui ex eo probat fideles omnes immortales esse, quia renati sint ex semine incorruptibili: hoc est, Verbo Dei, quod æternum permanet. Eos verò Scriptura florem fluxum vocat, & ventum prætereuntem, quibus fiducia est in hac vita. Qui quasi hîc sedem permanentem fixerint, regnatos se putant sine fine: nec eum finem respiciunt, quo sit mutanda conditio, & aliò demigrandum. De quibus etiam ait Prophetas: *Peperimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Eorum vanam spem irridens, non deputat ad vitam, quod illis est initium moris pessimæ. Ad sine & mori eos affirmat, quibus melius esset non esse, quàm sic esse. Simile est quod alio Psalmo legitur: *Quomodo misere tur pater filiorum, misertus est Dominus omnium timentium se.* Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum: recordatus est quia pulvis sumus. Et homo, sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri, sic efflorescit. Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum. Ex quibus verbis si affirmant spiritum perire & euanescere: iterum illis prædico, videant ne fenestram aperiant Epicureis, si qui sint qui insurgant, ac nostram, eorumque fidem de resurrectione labefacere conentur: ut certè multi sunt. Eadem enim ratione, colligent, spiritum in corpus non redire, cùm dicatur non cogniturum amplius locum: sed dicent, vitiosè colligent. Quoniam huic ratiocinationi apertè reclamant loci de resurrectione. Et ipsi vitiosè colligunt, quibus est cum illis commune argumentum. Simile ferè est illud Ecclesiastici. Numerus annorum hominis, ut multum, centum anni, quasi gutta aquæ maris deputati sunt, & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die æui. Propter hoc patiens est Deus in illis, & effundit in eos misericordiam suam. Fatendum igitur illis, longè aduersum fuisse Prophetæ sententiam, ab ea quam somniant. Dominum esse eorum misertum, quos agnosceret, sola sua misericordia stare, à quibus si paulisper manum retraheret, eos in puluere redituros, vnde sumpti essent. Deinde subiicit breuam humanæ vitæ descriptionem: eam flori comparans, qui dum hodie vult, nihil aliud est, quàm crastinum fœnum. Quòd si pronuntiaſſet spiritum

ho-

hominis perire & decidere in nihilum, ne sic quidem armasset ipsorum errorem. Nam cum dicimus spiritum hominis esse immortalem, non affirmamus contra mandatum Dei stare posse, aut sine eius virtute subsistere. Absint à nobis hæc blasphemia. Sed dicimus, eius manu ac benedictione sustineri. Sic Irenæus, qui nobiscum spiritus immortalitatem asserit, vult tamen, discamus, natura nos mortales esse, solum autem Deum immortalem. Et eodem loco: Vt non quasi ex nobis habentes vitam, inflemur aliquando, & extollamur aduersus Deum: experimentoque discamus, quoniam ex illius magnitudine, & non ex nostra natura habemus in æternam perseverantiam. Hæc igitur nobis pugna est cum Davide, quem faciunt nobis tan copere aduersarium. Ille ait hominem, si ab eo auferat suam misericordiam Dominus, ruere ac perire. Nos docemus, Dei benignitate ac virtute sustineri: quoniam ipse solus habet immortalitatem: & quicquid est vitæ, ab eo est.

Iren. lib. 5.  
aduersus  
Haere.

psal. 104.

1. Tim. 3.

**Q**uartum. Satiata est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit: Aestimatus sum cum descendētib; in lacū: sicut homo sine adiutorio: Sicut interfecti dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & qui de manu tua abscissi sunt. Quid, inquit, si abscissi sunt à virtute Dei, si providentia eius & memoria exciderunt, nonne esse desierunt? Quasi verò non liceat mihi retorquere. Quid? Si abscissi sunt à virtute Dei, si memoria exciderunt, quomodo rursus erunt? Et ubi erit resurrectio? Rursus, qui conuenient istæ? Iustorum animæ in manu Dei sunt. Aut, vt certis Dei oraculis agamus, In memoria æterna erit iustus. Non igitur exciderunt à manu Domini, nec memoriam eius fugerunt. Quin potius hoc loquendi genere, percipiamus grauem sensum hominis afflicti, qui apud Deum conqueritur, se penè desertum cum impijs in perditione: quos Deus non nosse, & oblitus esse dicitur, quia nomina eorum in libro vitæ scripta non sunt: & de manu sua abicisse, quia eos non regit Spiritu suo.

28

pral. 87.

Sapi. 5.

psal. 111.

29

**Q**uintum. Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi? Nunquid nariabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, aut iustitiam tuam in terra obliuionis? Item, Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. Sed nos, qui viuimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc & vsque in seculum. Item, Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam? Quibus coniungunt illud prorsus simile, ex cantico Ezechia, Quia infernus non confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam. Viuens, viuens, ipse confitebitur tibi: sicut & ego hodie: pater filijs notam faciet veritatem tuam. Et illud Eccl. sastic: A mortuo, quasi nihil, perit confessio. Confiteberis viuens. Nos respondemus, non simpliciter his locis vocari mortuos, qui communi naturæ lege defuncti sunt, dum ex hac vita decedunt. Non simpliciter dici, laudes Dei à morte cessare: sed partim significari, non cantaturos Domino laudes, nisi qui eius bonitatem & misericordiam senserint: partim verò, non illustrari post mortem nomen eius: quia non annuntiantur tunc inter homines eius beneficia, quemadmodum in terra. Hæc singula expendamus ac ordine pertractemus, vt simul & singulis locis reddamus suum iussum. Primum, hoc discamus. Et si per mortem, præsentis vitæ solutio significa-

psal. 87.

psal. 113.

psal. 9.

tefa. 38.

Eccl. 17.

tur sapius: & per infernum, sepulchrum: vsu tamen Scripturæ non infrequenti,  
 hæc nomina accipi pro ira Dei & abiectioe: vt mori & in infernum descende-  
 re, vel in inferno habitare dicantur, qui alienati sunt à Deo, qui Dei iudicio  
 prostrati sunt, & eius manu attriti. Infernus ipse non sepulchrum, sed abyssum  
 & confusionem significet. Propterea aperuit infernus animam suam, & deglu-  
 tiuit multos. Atque hoc quidem schema, cum passim in Scripturis se offerat, Psa-  
 l. 5. mistamen maximè est familiare: Veniat mors super illos, & descendant in in-  
 p. sal. 14. fernum viuentes. Item, Deus meus, ne quando sileas, & assimilabor descenden-  
 p. sal. 27. tibus in lacum. Item, Domine, eduxisti ab inferno animam meam. Saluasti me  
 p. sal. 29. à descendentibus in lacum. Item, Conuertantur peccatores in infernum, omnes  
 p. sal. 9. gentes quæ obliuiscuntur Deum. Item, Nisi quia Dominus adiuuuit me, paulomi-  
 p. sal. 140. nus habitasset in inferno anima mea. Item, Dissipata sunt ossa nostra secus in-  
 p. sal. 142. fernum. Item, Collocauit me in obscuris, sicut mortuos seculi. In nouo autem Te-  
 stamento, vbi apud Euangelistas est <sup>adus</sup>, interpretes reddidit Infernum: sicut Lu-  
 cæ sextodecimo, de impio diuite: In inferno autem cum esset, &c. Item, Mat-  
 thæi vndecimo: Et tu Capernaum, nunquid in cælum exaltaberis? Amen dico tibi,  
 vsque in infernum descendes. In his locis non tam locum, quam eorum conditio-  
 nem, quos Deus damnauit addixitque exilio, significat. Atque id est quod in Sym-  
 bolo confitemur, Christum ad inferos descendisse: hoc est, in omnes mortis dolores  
 pro nobis à Patre coniectum esse: omnes eius angustias & terrores pertulisse, &  
 Verè afflictum esse: cum prius dictum esset, fuisse sepultum. Sic rursus viuere &  
 victuri dicuntur, quos Deus sua benignitate prosequitur. Quoniam illic mandauit  
 p. sal. 132. Dominus benedictionem & vitam vsque in seculum. Item, Vt eruat à morte a-  
 nimas eorum, & alat eos in fame. Item, Euellet te Deus de tabernaculo tuo, &  
 p. sal. 32. radicem tuam de terra viuorum. Item, Placebo Domino in regione viuorum.  
 p. sal. 51. Vt finem faciamus, vnus nobis locus sufficiat: qui virumque ita graphicè depingit,  
 p. sal. 55. & 114. vt, nobis tacentibus, sensum nostrum abundè explicet: Qui confidunt in virtute  
 p. sal. 48. multa: & in multitudine diuitiarum gloriantur. Frater non redimit, redimet ho-  
 mo? num dabit Deo placationem suam? Et pretium redemptionis animæ suæ: &  
 laborabit in æternum, & viuet adhuc vsque in finem? Non videbit interitum,  
 cum videbit sapientes morientes? simul insipiens & stultus peribunt. Sicut oves  
 in inferno positi sunt: mors depascet eos. Et dominabuntur eorum iusti in ma-  
 tino: & auxilium peribit in inferno, à gloria ipsorum. Veruntamen Deus redi-  
 met animam meam de manu inferi, cum acceperit me. Hæc summa: Qui spem in  
 diuitijs habent, & virtute sua, morientur, & in infernum descendant: diues &  
 pauper, stultus & sapiens, simul interibunt: Qui sperat in Domino, liberabitur à  
 potestate inferni.

**H**ÆC nomina Mortis & Inferni, non aliam habere posse acceptionem, in ver-  
 sibus Psalmorum quos obrudunt, & in cantico illo Ezechie, contendo. At-  
 que id certis argumentis euinci posse, confirmo. In his enim versibus: Nunquid  
 mortuis facies mirabilia, &c. Item, Quæ utilitas in sanguine meo, &c. Siue  
 Christus, caput fidelium, siue Ecclesia, eius corpus, loquitur: mortem, vt rem hor-  
 ribilem ac detestandam, refugit ac deprecatur. Quod etiam facit Ezechias in suo  
 cantico. Cur sic horrent ad nomen mortis, si Deum misericordem ac sibi propitium  
 sen-

sentiunt? An quia amplius nihil futuri sunt? Sed euadent ex hoc turbulento seculo, ex infestis tentationibus, ex inquietudine, in summum otium, & beatam requiem. Et quia nihil erunt, nihil mali sentient: excitandi suo tempore ad gloriam, quæ & eorum morte nihil differtur, neque vita acceleratur. Conuertamur ad aliorum Sanctorum exempla, an tale aliquid eis acciderit? Cum Noe moritur, non deplorat miseram sortem suam. Abraham non lamentatur. Iacob etiam inter ultimos spiritus gratulatur sibi, quod salutare Domini expectet. Iob non lachrymatur. Moses, cum audit à Domino, ultimam horam instare, non commouetur. Omnes, quantum videre licet, prompto animo mortem amplectuntur. Voces illæ, quibus vocanti Domino, Sancti respondent, passim obuiæ sunt. Ecce, ego adsum Domine. Oportet igitur aliud quiddam esse, quod Christum, & eius fideles, compellat ad huiusmodi querimonias. Non dubium, quin Christus, cum se offerret pro nobis ac repræsenteret ad poenam, cum potestate Diaboli, cum inferorum cruciatibus, ac doloribus mortis, pugnaverit. Quæ omnia in nostra carne vincenda erant: ut ius suum, quod in nobis habebant, perderent. In hoc igitur agone, cum rigori ac seueritati diuinæ iustitiæ satisfaceret, cum aduersus inferos, mortem, ac Diabolum, congregaretur: inuocauit Patrem, ne se in tantis angustijs desereret, ne se potestati mortis permitteret: nihil aliud à Patre petens, quàm ut infirmitas nostra, quam in suo corpore sustinebat, à potestate Diaboli & mortis solueretur. Hæc est fides nostra, cui nunc incumbimus: quod pœna peccati in carne nostra admisi, quæ in eadem carne soluenda erat, ut diuinæ iustitiæ satisfaceret, soluta ac depensa est in carne Christi, quæ nostra erat. Mortem igitur non deprecatur Christus: sed grauem sensum seueritatis Dei, qua per mortem pro nobis corripiendus erat. Vis scire ex quo affectu hæc vox prodierit? Non possum tibi melius exprimere, quàm vox eiusdem altera. Pater, Pater, ut quid me dereliquisti? Hos igitur mortuos & sepultos, in terram obliuionis deportatos, vocat à Deo derelictos. Ad hunc modum Sancti, docente Spiritu Dei, non usurpabunt has voces, quò à se auertant mortem, ut Dei uocationem: sed quò iudicium, iram, & seueritatem Dei deprecantur: quæ per mortem corripi se à Deo, sentiunt. Hoc ne comminisci videar: quæro, sitne fidelis uocaturus simplicem & naturalem mortem, iram & terrores Dei? Non arbitror illos eò usque impudentes, ut audeant affirmare. Atqui, mortem illam sic interpretatur Propheta ijsdem locis: In me transferunt Deus iræ tuæ, & terrores mortis conturbauerunt me. Et multa alia subiicit, quæ pertineant ad iram Dei. Alterius uero loci hæc uerba sunt: Quoniam momentum in indignatione eius, & uita in beneuolentia eius. Sed lectores hortor, ad uolumen se conferant: ut ex integris duobus Psalmis, & cantico illo, certio rem fidem petant. Sic enim nec fucus illis fiet: & faciliè obtinebo apud eos, qui sano iudicio legent. Constituimus ergo, mortem illis locis esse, sentire iram ac iudicium Dei, hocque sensu perterrerri ac conturbari. Sic Ezechias, cum uideret se relinquere regnum expositum hostium probris ac direptioni, prolem uero se non relinquere, à qua descenderet expectatio Gentium: hæc, quæ signa erant irati & punientis Dei, sollicitabant animam eius, non mortis terror, quam postea nulla deprecatione subiit. In summa, fateor mortem ex se malum esse, cum sit maledictio & pœna peccati: & cum ipsam, per se, plenam esse terroris ac desolationis, tum uero in ultimam desperationem eos depellere, qui sentiunt eam sibi infligi ab irato & puniente

Genpena

Psal. 87.  
Plal. 29.

Deo, vnum est condimentum, quod tantam eius acerbisatem temperet. inter eius angustias, cognoscere Deum sibi esse Patrem, Christum habere ducem ac comitem. Hoc condimento qui carent, habent mortem pro confusione & perditione æterna. Quare Deum laudare in morte non possunt.

**I**am versus ille: Non mortui laudabunt te. &c. claudit laudes populi, gratias agentis Deo, quod eius manu, protectus esset à periculo: in hunc sensum, si permisisset nos opprimi Dominus, ac venire in potestatem hostis, insultasset eius nomini ille, & gloriatus esset, se superasse Dominum Israel. Nunc verò ubi Dominus eius ferociam repressit ac contudit, ubi nos ab eius sauitia eripuit, in manu potenti & brachio excelso: non poterunt Gentes dicere, Vbi est Deus eorum? qui se verè Deum viuentem ostendit. Nec poterat eius misericordia in dubium venire, quam adco mirificè exhibuit. Et hinc mortui appellantur, derelicti à Deo, & qui eius virtutem ac benignitatem erga se non senserunt. Quemadmodum, si populum suum libidini ac ferociæ impiorum tradidisset. Hanc sententiam planè confirmat oratio, quæ est in libro Baruch: saltem qui eius nomine inscribitur: *Baruc. 2.* *Aperi oculos tuos, & vide: quia non mortui qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est à visceribus suis, dabunt gloriam & iustitiam Deo: sed anima, quæ tristis super magnitudine mali, incedit curua & infirma, & deficientes oculi, & anima efuriens, dabit gloriam. Vbi, citra dubium, videre est, mortuorum nomine contemni, qui afflicti & contriti à Deo, in exitium abierunt: animam: ristem incuruam & infirmam, quæ sua virtute defecta, & sui fiducia non innixa, currit ad Dominum, eum inuocat, ab eo auxilium expectat. Hæc omnia si quis velit per prosopographiam accipere, facilem habebit methodum, ad eorum explicationem: vt in personis, rem ipsam accipiat: & dum mortuos audit, mortem intelligat, hoc sensu: Dominum misericordiam & bonitatis laudem non conf. qui, dum affligit, perdit, ac punit: (tametsi iustæ sunt poenæ) sed tum demum creare sibi populum, qui laudem suæ bonitatis concinat & celebret, dum afflictos, contritos, & desperatos, liberat ac in spem erigit. Sed ne cauillentur, nos ad figuras & obliqua schemata confugere, citra figuram quoque accipi possunt.*

**S**ecundo loco dixi, peruersè ex his locis statui, Sanctios, post mortem, cessare, ac desinere à laudibus Dei. sed laudare potius, esse commemorare, ac prædicare apud alios Dei beneficia, in quibus laudetur: quem sensum non modò recipiunt verba, sed necessariò exigunt. Nam annuntiare, & narrare, & patrem notum facere filijs, non est animo mentèque cõcipere Dei gloriam: sed ore celebrare, vt alij audiant. Hic si me interpellent, quod illis id ipsum agere liceat, si (vt credimus) in Paradiso sunt cum Deo: respondeo: In Paradiso esse, & cum Deo viuere, non est alterum alteri loqui, & alterum ab altero audiri: sed tantum Deo frui, sentire bonam eius voluntatem, in eo acquiescere. Si hoc illis Morpheus aliquis nar. v. 1. reuelauit, habeant sibi certum. Ipse mihi non adsciscam tortuosas illas quæstiones: quæ ad contentionem valent, nihil ad pietatem conferunt.

**E**ccelesiasticus non hoc agit, vt ostendat mortuorum animas perire: sed dum hortatur, vt maturè, & per occasionem, Deo confiteamur: simul docet, non ef se

se confitendi tempus post mortem: hoc est, non esse locum pœnitentiæ. Quod si quis ipsorum adhuc obstrepit: quid perditionis filijs futurum sit, nihil ad nos. Ego pro fidelibus respondeo: non morientur, sed uiuent, ac narrabunt opera Domini. Qui habitant in domo eius, laudabunt eum in secula seculorum.

**S**extum: Laudabo Dominum in uita mea, psallam Deo meo, quandiu sum. Et in hanc formam arguantur: Si laudabit Dominum in uita, & quamdiu erit: non laudabit post uitam, & quando non erit. Quando hæc, per lusum iocumque ab illis iactari opinor, ipse quoque in eorum gratiam ludam. Aeneas Vergilianus, cum hospita sua promittebat animi gratitudinem, dum memor esset sui, an innuebat, aliquando se venturum in sui ipsius obliuionem? Cum dicebat: Dum Spiritus hos reget artus: an non cogitabat, & apud manes, in illis fabulosis campis, se gratiam habiturum? Absit, illis ut concedamus sic torquere hunc locum, ne simul & hæretico Heluidio succumbamus. Nunc serio loquar: Et ne obtendant, secum non paria fecisse me, quintuplum reddam. Deus meus, in æternum confitebor tibi. Item, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Item, Confitebor tibi in æternum, quia fecisti. Item, Laudabo nomen tuum in seculum & in seculum seculi. Item, Sic Psalmum dicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi. Agnoscunt illum Dauidem nuper sibi amicum, sese tam acriter impetentem? Apage sis hæc argumenta, quæ ex atomis literarum conficiuntur.

Psal. 117.  
& 83.

Psal. 145.

Psal. 29.

Psal. 33.

Psal. 51.

Psal. 144.

Psal. 6c.

**S**eptimum: Desine à me, & roborabor, donec uadam, & non sim: cui coniungunt illud Iob: Dimitte me, ut plāgam paululum dolorem meum: antequam uadam, & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Hæc nihil ad causam. Verba enim sunt æstu & anxietate conscientie plena, verè experientia, & quasi in tabula referentia affectum eorum, qui terrore iudicij Dei percussi, manum Dei iam ferre non possunt. Orant autem, ut si merentur à Deo abijci, saltem uel tantillum respirare liceat ab ira Dei, qua concutiuntur: adque in ultima desperatione. Nec mirum est, Sanctos Dei seruos illuc adigi. Dominus enim mortificat, & uiuificat: deducit ad inferos, & reducit. Non esse autem pro eo dicitur, quod est à Deo alienum esse. Si enim ille solus est, qui est: non verè sunt, qui in illo non sunt. Propterea quòd à facie eius perpetuò confunduntur ac deijciuntur. Deinde, non uideo, quid nos tantopere offendere debeat hæc loquendi forma, si simpliciter non esse dicantur mortui, modò id ad homines referatur. Iam enim non sunt apud homines, nec coram hominibus: tametsi apud Deum sint. Ita (ut uno uerbo explicemus) non esse, erit non extare. Quæ ille est illud Ieremiæ: Vox in Rhama audita est, Rachel plorantis filios suos: & noluit consolari, quia non sunt.

Psal. 39.

Iob. 10.

1. Reg. 2.

Ierem. 31

**I**am ad ea veniamus, quæ supersunt ex historia Iob. Quædam enim sparsim, ut occurrebant, attigimus. Primum: Quare non in uulua mortuus sum? Egredius ex utero non statim perij? Cur exceptus genibus? Cur lactatus uerberibus? Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem, cum regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines: aut cum principibus, qui possident aurum, &

replent domos suas argento: aut sicut abortiuum absconditum, non subsisterem: ut qui concepti, non viderunt lucem. Ibi impij cessauerunt à tumultu, & ibi requieverunt fessi robore: & quondam vincti, sine molestia, non auderunt vocem exactoris. Paruus & magnus ibi sunt: & seruus, liber à domino suo. Quid si decimum quartum Iesae caput retorqueam? Vbi mortui describuntur, prodeuntes è sepulchris, ac obuiam euntes Regi Babylonio: vbi eorum sermones referuntur. Ecce, tu humiliatus es quemadmodum nos. &c. Nihil enim minore pretextu inde arguam, mortuos sentire atque intelligere, quam ipsi ex verbis illis colligunt, omni sensu excidisse: sed relinquo illis tales nugas. In loco autem, quem citat, explicando, non multum erit negotij: nisi volumus nobis ipsi fingere labyrinthos. Iob enim pressus multa afflictione, & quasi fatigatus sub onere, presentem duntaxat miseriam respicit: & eam non solum maximam omnium facit, sed penè solam. Mortem nihil horret, imo appetit: quod omnibus equam afferat sortem: Regum imperia finiat, & seruorum pressuras: quæ sit denique rerum omnium linea, in qua, quam quisque sortitus sit in hac vita conditionem, deponat. Sic enim sperat, ut & ipse suæ calamitatis finem visurus sit: interim non respicit, quibus legibus illic viuatur, quid factururus, quid passurus sit. Tantum, omni animi ardore expetit mutari presentem rerum statum. Ut mos est eorum, qui vehementi doloris sensu urgentur, atque affliantur. Nam si in magnis æstatis caloribus, benignam hyemem iudicamus: rursus, hyemis frigoribus puncti, omnibus votis ad æstatem adspiramus: quid faciet is, qui manum Dei sentit sibi aduersam? Nihil malorum refugiet, modò presens maum effugiat. Hoc si nõ illis persuadetur, nihil mirum. Concerpunt enim minutas sententiolas, quibus se instruant: ad summam totius operis non colligunt. Qui verò recto oculo totam historiam persecuti sunt, ijs me approbaturum meam rationem confido.

Iob. 7. **S**ecundum: Memento, quia ventus est vita mea: & non reuertitur oculus meus ut videat bona: nec aspiciet me visus hominis. Oculi tui in me, & non subsistam. Sicut consumitur nubes & pertransit, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet. Quibus verbis, Iob deplorans apud Deum suam calamitatem, in hoc exaggerat: ut cui nulla spes exitus sit proposita. Habet præ oculis mala sua, quæ se persequantur ad sepulchrum. Tum occurrit, ut mors misera sit exceptura vitam calamitosam. Non enim aliter potest cogitare, qui manum Dei sentit sibi aduersam. Ab hac igitur amplificatione mouet misericordiam: & se Deo miserabilem facit. Non video quid præterea queratis in hoc loco, nisi non expectandam resurrectionem. Quid non est huius instituti, excutere.

Iob. 17. **T**ertium: Solum mihi superest sepulchrum. Item, In profundissimum inferni descendunt omnia mea. Istud quidem verissimum est. Neque enim quicquam satius restat ei, qui Deum propitium non habet, (qualem se esse Iob tunc cogitabat) quam infernus & mors. Cum igitur percurrisset omnem fabulam suarum miseriarum, dicit extremum actum esse, confusionem. Atque hic est exitus eorum, quos Deus sua manu tangit. Mors enim in ira eius: vita autem in misericordia. Id non ineleganter explicauit Ecclesiasticus, cum ait: Vita viri in numero dierum: dies autem Israel innumerabiles. Verum quia non est firmæ autoritatis scrip-



ptor, omisso illo, audiamus prophetam id suis verbis pulchrè docentem. *Afflixit in cursu virtutem meam, inquit, abbreviauit dies meos. Dicebam autem: Domine mi, ne tollas me in dimidio dierum meorum, in æternum sunt anni tui. Peribunt cælum & terra, quæ tu pridem fundasti: instar vestium corrumpentur. Hactenus quàm fragilis sit & fluxa hominum conditio exposuit, quànque nihil sit sub cælis stabile: cum ipsi quoque ad interitum vergant, sequitur postea: Tu autem es, & anni tui non finientur. Filij seruatorum tuorum habitabunt, & posteritas eorum coram te stabilietur. Hic videmus, ut piorum salutem cum Dei æternitate coniungit. Quoties igitur mihi obijcient Iob manu Dei afflictum & penè desperandum, nihil sibi reliquum facientem, præter infernum & mortem: respondebo, irato Domino, hunc exitum nos manere: & hanc esse eius misericordiam, quòd eripimur à moris faucibus.*

Psal. 102.

**Q**uartum, si direxerit ad eum cor suum: spiritum & flatum hominis ad se trahet: deficiet omnis caro simul: & homo in cinerem reuertetur. Quæ verba si de iudicio accipiunt: quasi dicatur, hominem eius ira dissolui, disici, confundi, & in nihilum abire: plus illis concedam quàm postulent. Si intelligunt spiritum, id est, animam per mortem ad Deum redire, & flatum, id est, virtutem motus, seu vitam agitationem recedere ab homine: nihil reluctor. Si contendunt animam, perire, fortiter reclamo. Quamquam paulò etiam secus habent hebraica. Verùm eorum cauilla contentus depulisse, non insequar longius.

Iob. 34.

**V**ibrant & alia quadam, sed obtusa tela: quæ nec feriunt, & terrent non multum. Citant enim nonnulla, minimè ad rem facientia, eaque ex libris incertæ fidei quarto Esdræ & secundo Machabeorum, quibus nihil aliud responsum volumus, quàm quod prius differuimus de resurrectione. Quamquam hic omnibus se produnt, quam sint perditæ fronte: qui Esdræ, cum totus noster sit, ad se irahere audent. Machabeorum libros, pro se proferre non verentur: ubi Ieremias mortuus Dominum precatur, pro belligerante populo: ubi instituuntur pro defunctis, orationes, quibus à peccatis soluantur. Habent fortè & alia: sed mihi incognita. Ut cui eorum commenta omnia videre non contigit. Nihil sinè præterij sciens, quod simpliciores vel de gradu dei cere, vel mouere posset. Istud rursum lectores omnes (si qui tamen erunt) memoria tenere volo. Catabaptistas (quos, ad omne genus flagitiorum designandum, nominasse satis est) esse præclari huius dogmatis auctores. Meritò enim debet nobis esse suspectum, quicquid à tali officina prodierit: quæ tot portentæ, & fabricatæ est, & quotidie fabricatur.

E 2

FINIS.

IOANNIS CALVINI, VERBI, DEI, IN  
Ecclesia Geneuensi, fidelissimi ministri, Epistolæ duæ, de rebus  
hoc seculo apprimè cognitu necessariis, ante annos tredecim  
editæ, nunc denuò castigatius impressæ.

PRIOR, DE FUGIENDIS IMPIORVM IL-  
licitis sacris, & puritate Christianæ religionis obseruandæ.

ALTERA, DE CHRISTIANI HOMINIS OF-  
ficio in sacerdotijs Papalis Ecclesiæ vel administrandis, vel abijciendis.

IOANNES CALVINVS PIO  
Lectori S.

ETS I iam cum fructum apud pios aliquot viros Epistolæ istæ nostræ edide-  
runt, qui spem aliquanto maiorem mihi in posteram faciat: quoniam tamen  
& familiares quosdam meos, & alios non paucos, à quibus lectæ fuerunt, etiam si  
mihi verbo tenus assentiantur, non tamè magnopere hinc commoueri audio, quod  
duram asperamque nimium conditionem à me sibi causentur imponi: non mini-  
mum visus sum mihi operæ pretium facturum, si paucis hinc probos omnes obtestarer,  
ac per tremendum illud Dei nomen obsecrarem, ne quas è Dei verbo sumptas ex-  
hortationes hinc habent, perinde accipiant, ac si fabula sibi à Poeta, aut à Rhetore  
aliquo declamatio recitetur, quam plausu blandisque acclamationibus satis sit acce-  
pisse: verùm & vitæ doctrinam tradi sibi meminerint, quæ non aliter, quàm ob-  
temperando, rite approbetur: & eam ipsam doctrinam, Dei verbum esse cogitent,  
quod impune ludibrio ha! ituri non sint. Quam sententiam, quia pluribus in præ-  
sentia verbis persequi non licet, vno Iezechielis Prophætæ vaticinio summatim  
Iezec. 33. complectar. Insignis est locus, qui & in Iudeorum exemplo quendam infelicis hu-  
ius seculi effigiem representet, & terribili diuini iudicij expectatione me-  
ritò nos percellere debeat. Turmatim (dicebat Prophætæ Dominus) ad te veniunt,  
coram te sedent, verbæque tua audiunt, sed ea non exequuntur. Ludibrium enim  
in ipsorum ore, & cor eorum in auariciam inclinatum. Et factus es illis non secus  
ac ludicra cantio sonora dulcedinis, quandoquidem verbis tuis intentas habent au-  
res, quæ exequi non curant. Sed cum tempus venerit (quod certè iam instat) cogno-  
scent apud se fuisse Prophetam. Vale. Geneuæ pridie Idus Ianuarij. An-  
no MDXXXVII.

i. Regum. 18.

Vsquequo claudicatis in duas cogitationes? Si Dominus est Deus, se-  
quimini eum: Si autem Baal, sequimini illum.

DE FUGIENDIS IMPIORVM ILLI-  
citis sacris, & puritate Christianæ religionis obseruanda.

I O A N N E S C A L V I N V S, O P T I M O  
Viro, & amico singulari, N. S.



**G**O verò, amicissime frater, molestissime tecum sero, ac pro eo vt de beo, vices tuas miseror: cui nondum ex illa AEGYPTO emergere liceat, in qua tot idolorum, idololatriæque portenta obseruantur tibi assidue, ac oculis tuis ingeruntur: id quorum famam cum pia aures perhorrescant, presenti aspectu oculos (quorum scilicet & tenerrimus est sensus, & vehementius afficitur) supra quam dici potest, grauitè offendi, par est. Cogèris spectare (vt narras) in monachis & sacrificulis fœdas impietatis formas, in plebe mille genera superstitionum, plurima veræ religionis ludibria: quibus omnia istic scatent & perstrepunt. A quibus spectaculis qui oculis suis parcunt, eos beatos existimo: præ vt illa est tua, quam refers, verè misera necessitas. In primis verò, summum illud abominationum omnium caput, MISSA, spectabilem se ac visendam exhibet, ac inter reliquas omnes nequitia partes longè supereminet: in qua quicquid sceleratissime impietatis cogitari potest, perpetratur. Huiusmodi spectacula si ludicra essent, possent forte abs te rideri: nunc autem vbi maximè seria sunt, cum grauissima Dei contumelia, non dubito (qua tua est pietas) quin bilem tibi magis quam splenem moueant, vel lachrymas potius eliciant. Quòd autè mecum deliberas, qua te ratione, inter nefanda illa sacrilegia & Babylonis sordes, in quibus pro temporis rerumque tuarum conditione viuere nunc tibi necesse est, purum Domino atque impollutum conserues: id quidem ego per libenter facio, tota vt ea de re animi mei sensum tibi exponam, eoque magis, quòd cum multos hodie, qui gustum Dei aliquem percepisse videri volunt, professioni suæ minimè respondere conspiciam: hac tamen in parte præsertim, perosque fere omnes à recta via decedere video. Neque valde sine impedita res est, consilium hac de re dare, si te in Dei disciplinam totum tradideris, tuosque affectus omnes eius verbo domandos permiseris. Sed nescio quomodo bona pars nostrum improba temeritate aduersus eius imperia interdum exultamus, ac ijs contemptis, aut certe omisissis, idèoque & contemptis, earum rerum quas acerrimè prohibebant, licentiam, quoties libet, nobis facimus. Atque id potissimum in presenti negotio vsu venire solet. Cum enim ij, qui inter tales angustias versantur, quales te nunc circumstant, nec tranquillitatem se suam tueri, nec cum ijs quibuscum viuunt, retinere se posse concordiam prospiciunt, nisi conuiu idiolatriæ simulando indulgeant, tanta hac difficultate obsessi atque impliciti, magis quid sibi expediat, quam quid Deo placeat: magis quo modo homines habeant propitios, quam quo Deo satisfaciant, cogitant. Interim defensionem quoque meditantur, qua suas conscientias arment coram Dei tribunali: se minimè consentire interiori cordis affectu in vllam impietatem: sed modica, eaque innoxia simulatione se inire rationem, qua imperitorum hominum ignorantia cedant: quibus sic melius consultui sint, si

qua spes est eos erudiri posse: certe quos summo suo periculo, nullo fructu, maiori libertate irritare stultum sit. Verùm talibus inijs videmus ruinam suam auspiciatos, quibus hac nostra memoria contigit, velis retrorsum datis, in naufragium recurrere, unde enatarant. Principiò, cum magnum vel in cõspectu discrimen esset, si quibus in rebus oportebat ingenuè profiterentur quod habebant in animo, secum reputabant rem esse non magni momenti, si in populi gratiam paulùm ineptrent: qua tamen ratione graues offensiones redimere promptum esset. Itaque impijs ceremonijs promiscuè cum alijs defungebantur. Deinde cum ne sic quidem hominum suspicionem effugerent, pedem adhuc alterum progrediebantur: satis esse, si bonos viros fidei suæ conscios, haberent: aliorum opinionem quauis arte falli, nihil nocere. Hic, si quid ab aduersarijs Christi in veram doctrinam deblateratum erat, vultu, nutu, totius corporis gestu, voce denique assentiebantur. Cum neque hunc sibi astum satis ex sententia succedere intelligerent, secreta ab omnium arbitrio conscientia contenti esse incipiebant: quod vt obtinerent, diligenter cauebant, ne quam darent Christiani peccatoris significationem. In hunc modum cum à recta, officij linea, quadam (vt sibi videbantur) temperata cautione deflecterent paulatim, ac delaberentur, tandem cæci, ac veluti sui obliti, sese in exitium præcipites dederunt. Manifesta sanè Dei vindicta: qua eos sensus sui vanitate deijci æquum fuit, qui præposterè sua prudentia Deum fallere & homines cogitabant. Nam hic postremus fabulæ actus illis fuit: non modò nullius aures atque oculos, cordis sui testes, vt prius solebant, admittere: sed quantum in se erat, omni studio contendere, vt omnes haberent earum rerum testes, quæ quàm longissimè ab homine Christiano ab esse debent: & quod antea occultum saltem apud se retinebant, auersari palàm ac detestari. Talibus scilicet documentis admoneri nos decet, vt ommissa nostri ratione, soll. citi ambulemus in conspectu Dei nostri, quemadmodum Propheta loquitur: ne, lasciuiente quadam audaciâ, ijs nos legibus soluamus, qui us nos Dominus alligauit: ac quod ille astringit, relaxemus: tum verò etiam terreui, ne si sapientes simus apud nos ipsos, comprehendat ille sapientes in astutia sua, & prudentium consilia subuertat. Sed est illud scilicet, quod principiò sum questus, verius quàm vellem, bonam hominum partem nihil hìc liquidè perspicere, nihil rectè iudicare, nihil sincere statuere, posse: quòd dum ab integra puraque diuinæ legis obseruatione videt imminere pericula, corum metu perplexa & consternata circumspicit, quomodo cum Dei venia retinere possit hominum gratiam. Qua in consultatione nihil nisi ex sua anxietate cæciæque perturbatione consultit: peruersè omnino quidem vt runque, & præposterè. Nam & quòd Dei voce decretum semel sancitumque est, deliberationi astrictæ nefas est subijci: neque rursus quicquam bonæ spei reliquum sibi facit, qui de tanti momenti rebus, timiditatem pusillanimitatè que suam in consilium mittit: ex quo affectu turpes semper (vt ille inquit) filij nascuntur. Itaque & hanc deliberandi peruersitatem simile consilium sequitur. Siquidem deflexis à verbo Dei oculis, nihil à se plus exigunt, quàm quòd incoluim salutis suæ rerumque suarum statu præstari queat: quicquid discrimine aliquo nimiaque difficultate inuolutum est, id vt missum faciant, sibi facillè permittunt, nec interim exaudiunt, quàm horribilis edicta sit in eos vindicta, qui contemptis Dei præsijs, quò meliora sibi comparent, suam stationem deserunt. Sic enim per Prophetam Iudæos Dominus obiurgat,

iurgat, quòd præsentibus opibus, quibus eos acquiescere ipse iusserat, diffisi, interdita Ægypti subsidia sibi accerserent: *Va, inquit, filij desertores, ut agitaretis consilium, & non ex me: ut ordiremini telam, & non per Spiritum meum: ut adderetis peccatum peccato: qui vos accingitis, ut descendatis in Ægyptum, & os meum non interrogastis: sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & fiduciam ponentes in umbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem: & fiducia umbra Ægypti in ignominiam. Cùm verò tanta in eos asperitate feratur, quid indulgentius mitiusve expectent isti, qui indignè ferentes, fremensque omnium sese odijs, omnibusque periculis Dei voluntate obiectari: ea valere iussa, nouas sibi illicitasque cautiones suo Marte confingunt? Neque verò ignoro, quanto suauius carnis nostræ molliitudini blandiantur suffugia, quæ periculum aliquod submouere videantur: quàm simplex istæ erga Dei verbum obedientia, cui tantum discriminum sit propositum. Verùm nullæ est tanta difficultas, quæ non elucet, qui hac se cogitatione affirmauerit: non posse grauius quicquam minari vniuersum hominum genus, quàm quod castrorum suorum desertoribus, in illa quam reuolimus prophetia, Dominus denuntiat. Non minimum operæpretium fuerit hîc nobis succurrere, quod de Cypriano, quodam loco narrat Augustinus. Postquam capite damnatus fuisset, datam illi optionem redimendæ vitæ, si verbo duntaxat abnegaret eam religionem, cuius causamortem obibat: nec illi factam modò potestatem, sed vbi iam in supplicij locum ventum esset, ambitiose rogatum à Prouinciæ præside, ut deliberaret, an non vitæ suæ (quoniam ita licebat per Cesarum clementiam) consultum mallet, quàm pœnam luere ineptæ peruicaciæ. Illum contrà breuiter ad omnia respondisse: In re tam sancta nullum esse deliberationi locum. Si quis sanctum virum, cùm in conspectu essent tormentorum apparatus, instaret atroci truculentoque vultu carni-fex, ceruicibus iam iam immineret ictus gladij, dixit undique insanientis populi mixtæ probris imprecationes obstreperent, terriculamentis illis omnibus non fuisse deiectum miratur, quominus sese velut deuotam aræ victimam in cruciatum alacriter daret, iure id quidem facit: sed simul cogitet, ipsum vna hac cogitatione infractam illam animi magnitudinem ad extremum sustentasse: quòd cum mentem in Dei mandatum, quo ad pietatis confessionem vocabatur, cogitationemque defixam penitus haberet, simul à talibus spectaculis, quorum terrore vacillare poterat, totam auertebar. Vocem ergo edidit ad omnem quidem immortalitatem consecrandam, sed non laude magis quàm imitatione dignam. Ita est sane. Quæcumque sese nobis ingerat vel boni, vel commodi species, quæ nos vel latum unguem à Patris nostri cælestis obedientia subducatur, confestim occurrere primæ deliberationi nos decet: quòd res ad eò sancta, quàm nobis sanctum esse debet quæcumque Dei mandatum, non extra omnem modò controuersiam, sed deliberationem quoque posita sit. Cùm enim primum deliberare nobis permittimus, iam fines eo ipso transilimus: quibus refractis, nimirum procul euagari, longiusque aberrare, perquam procliuè est. Hæc contra communem omnium nostrorum timiditatem, non absque causa, antequam ad tibi respondendum aggrederer, præfari libuit: quòd videam eius (ut ita dicam) lip-pitudine magis animos nostros impediri, ne verum hæc in parte cernant, quàm alia quavis ignorantione. Ac longius fortasse id quidem feci, quàm res ferebat ipsa: at certè breuius etiam, quàm huius postulent seculi mores: quando plurimos hodie vi*

deo, qui nisi obiurgatorie asperere ad sanguinem penè usque vellicentur, ad omnem doctrinam obsurdescunt. Iam istud quoque nostri æque ac seculorum omnium vitium est, tam vastras esse, amabiles, captiosas, speciosisque pretextas nominibus, ad illudendum unumquenque, carnis suæ illecebras, ut illam arcere à consilijs nostris, abigerereque, primus sit sapiendi gradus. Neque verò ad eò ingenio tuo diffido, ut tantum in exhortando verborum positurus fuerim, si tui unius hinc rationem ducerem. Satis enim superque tam placida mansuetæque docilitati fuerit (quamram esset tuam permultis iam dudum argumentis sum expertus) simpliciter admoni, à ac edoceri esse. Verum dum postulatis tuis priuatim satisfacere instituo: quia tamen eius generis res est, de qua interrogas, in qua & periculose & vulgò peccatur, non frustra, nec sine fructu aliquo facturum me existimaui, si eadem simul opera compluribus me docendis accommodarem, qui in eodem versantur errore: ut si qui forte eorum in hanc Epistolam inciderint (ego autem omnes incidere non modo facile patiar, sed etiam vehementer cupiam) sibi quoque scriptam putent: & si quidem auscultare volent, habeant quam sequantur officij sui admonitionem: sin minus, testimonium saltem aduersum se accipiant, quo conuincantur, scientes prudentes, ac etiam volentes in exitium suum perrexisse.

Principiò in id nos, velut defixis oculis semper intueri conuenit, quod discipulis suis omnibus proponit Christus, dum primo eos scholæ suæ tyrocinio inuitat. Nam ubi à sui ipsorum abnegatione crucisque tolerantia auspicari eos docuit, simul & hoc subiicit: Qui me & meos sermones erubuerit coram hominibus, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. Hoc ergo nobis à Christo Domino, cum in eius familiam primùm adscribimur, edici meminimus: hoc perpetuum esse edictum, in omnem vitam ijs promulgatum, qui in eius regno censeari volunt: ut si vera cordis pietate, eius amplexi sunt doctrinam, eam ipsam cordis pietatem externa professione declarent. Et sanè, quanta fuerit improbitas, eam nolle inter homines profiteri, à quo se coram Angelis agnoscere velint: & quam sibi in cælo constare velint Dei veritatè, in terra abnegare? Quare, non est quod callida dissimulatione iam hinc sibi quisquam placeat, aut falsa pietatis opinione blandiatur, eam se fouere in corde fingens, quam externis testificationibus prorsus euertat. Vera enim pietas, veram confessionem parit. Nec vanum haberi debet quod ait Paulus: Quomodo corde ad iniustitiam creditur, ita ore fieri confessionem ad salutem. Denique suos ad confessionem vocat Dominus: quam qui detrectant, alium sibi magistrum querant oportet: quando ab eo ferri cum sua simulatione non possunt. Querat hinc quispiam: Nun igitur qui inter impiam ac superstitiosam multitudinem pauci ac dispersi viuunt fideles, iis, quò fidem suam rite testificentur, necesse sit opportunè, importunè, publicè simul ac priuatim in suorum popularium impietatem vociferari? ad predicandam Dei veritatem plateas occupare? suggestus conscendere? conciones aduocare? Minime id vero, quin potius cum peculiariter ad verbi sui ministerium accersat Dominus sine Apostolos, siue Prophetas, siue nuntios, seu quo alio nomine appellare libet, quorum voces publicè personare velit: idem ab omnibus passim tentari ad eò necesse non est, ut nec omnino expediat, ac ne deceat quidem. Quamobrem hoc agendum magis, ut singuli quid vocationi suæ, suoque ordini conueniat, pro se quisque cogitent: cui si optimè respondeant, quod officij sui est

est præstabit etiam optimè. Quos verbi sui ministerio Dominus destinat, ijs veluti publicam personam imponit, ut eorum vox in luce versetur, & super tecta, ac tanquam tubæ clangor exaltetur. Cæteris sic à publico Apostolorum munere abstinendum est, ut priuata tamen vitæ officijs, Christianos se esse profiteantur. Hoc quia tanta breuitate commodè explicari non potest, quale sit, pluribus differamus. At verò illam, quam ad certos homines peculiariter reticimus, publicæ professionis functionem omitemus in præsens: de qua erit fortè alias opportunior d. cendi locus: tantùm quod peræquè ad vnum quenque è populo pertineat, inquiremus, qualem scilicet confessionem exigat à suis Dominus, qui inter impios sparsi palatque degant eo in loco, vnde veræ religionis disciplina exulet: tum qualibus in externa vitæ actione notis eos à idololatrarum turba, cui permixti sunt, differre velit. Neque rursus animus est ceriò definire, quædo, & apud quos, & quo loco, & quam apertum fidei suæ testimonium sit editurus homo Christianus: nec limitare, quater us progredi debeat, vel vbi consistere possit citra offensam, quoties propaganda Dei gloriæ oblata occasio, aut spes quoquomodo proficiendi facta fuerit. Quæ disputatio, præter id quod præ se immensa foret, etiam ab hoc docendi genere non nihil est aliena: quòd certis regulis includi comprehendique nequeat. Neque enim illi, quam à nobis requirit Petrus, promptitudini fines præscribere facillè est, cum vult nos paratos esse ad respondendum cuilibet poscenti, ut loquamur de ea quæ in nobis est, spe: nec item ingenti illi celebrandæ nominis Dei, regni que eius magnificentie studio, quo exultantem æstuantemque Dei populum inducunt Propheta, cum ita loquentem faciunt: Venite, ascenda-

Iefa. 2.  
Mich. 4.

mus in montem Domini, ad domum Dei Iacob: & docebit nos de vijs suis, & ambulabimus in semitis eius. Quibus verbis (ut videmus) inest penè clamorosa ad appetendam Dei cognitionem cohortatio. Iam verò tot Pauli de sicilianda edificatione præcepta quam latè pateant, quis non videt? ut nullam certiore legem expectare debeant, qui vera erga Deum suum pietate sunt affecti, quam vi sanctam eius maiestatem (cui totos esse consecratos ac deuotos ipsos docet) quæque licet commodatione illustrent: non alium sibi finem modumve eius illustrandæ præstituant, quam ut omnibus occasionum articulis immineant, omniæque (ut ita dicam) continenter capient momenta, quæ diu aliquid se posse efficere confident. Alius quidem alio & præstantius, & fortius, & constantius: omnes tamen huc singuli, secundum gratiæ suæ modum, simul contendant. Quare, ut diximus, in illam ad id fusam disputationem expatiari, non est huius loci proprium: quo non vniuersum completum propositum est, quantum vel Domini gloriæ, vel ædificationi hominum debeas, sed duntaxat breuiter ostendere, quæ tibi istic inter impios agenti, necessariò tenenda sit cautio: & quam prætermittere, quin te profanis illorum sacrilegijs inquines, non possis.

Ac quoniam quicquid de hac re Scripturis traditum est, eorum præsertim causa præceptum fuisse videtur, qui inter gentes Dei ignorantes versarentur, plurimum autem inter illarum idololatriam, & eorum, quibus cum hodie nobis negotium est, superstitione interesse vulgò existimant, quòd i ac Dei & Christi nomine quodammodo obrecta, fucum facit: illa paulò crassiore ignorantia summi Dei cultum palam aspèrnat: nos, illi prius proponemus, quæ in Scripturis extant præcepta: deinde oculos ad nostra tempora referemus, & ex rerum similitudine,

quid ad nos pertineant, dispiciemus. Quamquam non video cur aeterna Dei mandata ita vnius seculi spatio terminemus: sed hunc ordinem imperitis, ne quis in eorum animis scrupulus resideat, concedemus. Cum lege sua Dominus idola coli aut adorari vetuit, hęc capite totum illum externum cultum complexus est, quem de ferre suis idolis impij solent. Nam & verbis, quibus usus est, ea inest proprietates: quorum alterum incurvari, alterum honorare significat. & eam adorationis speciem notatam esse constat, qual lignea lapideave simulacra corporis gestu coluntur. Hęc itaque interdictio est, non qua simpliciter populum suum Dominus prohibeat in ligno aut lapide, gentium instar, obstupescere. sed vlllo modo profanam earum stoliditatem imitari, coram simulacris sese honoris causa prosternendo, aut aliam quamuis obseruantia significationem dando, qualem dare, aut nudato capite, aut genu flexo nobis in more est. Qua ratione vbi pueros sui cultores describit, ab hac eos nota designat, Seruabo, inquit, mihi septem millia virorum. Quid? an quorum corda non sunt vanitate ac medicjs Baal infatuata? non id modo: sed quorum genua non sunt curuata ante Baal, & quorum ora non sunt osculata manum eius. Eodemque alibi symbolo, cum agnoscendam omnibus & caelestibus & terrestribus, & inferis, suam maiestatem affirmat, agnitionem ipsam exprimit: Mihi, inquit, curuabitur omne genu, & omnis lingua in nomine meo iurabit. Quo contra efficitur, simulacrum ab ijs Dei religione consecrari, qui vlllo corporis gestu, eius cultum significant. Neque ad eorum conuincendam prauaricationem interest, qua id simulatione, vel sinceritate faciant. Idolum enim quicumque est aliqua venerationis specie profecutus, vtcunque sit animo persuasus, Deum esse confessus est. Diuinitatis vero nomen idolo qui tribuit, Deo sustulit. Itaque tres illi Danielis comites, quanti eiusmodi foret simulatio, docuerunt: quibus corpus ac censi fornacis flammis crudeliter absorbendum tradere, leuius visum est, quam paululum inflexis coram statua poplitibus, Regis oculis sati sfacere. Quorum aut nos infaniam videamus, quod nullam adeo ob causam potentissimi Regis iracundiam in se, magno capitis sui discrimine, inflamarint: vel exemplo discamus, externae quoque susceptaeq; in hominum gratiam idololatriæ grauius omni morte subesse piaculum. Quare, cum è duobus eligendum esset alterum, aut vt excusso Dei timore, scelerato cuncto obsequerentur: aut homines se pro Deo contemnere palam declararent, notum esse Regi voluerunt, quod eius non colerent deos, nec quam erexerat statuam, adorarent. Parem etiam Danielis ipsius in causa perquam simili constantiam, quicumque sit ille scriptor, qui ad eius prophetiam appendicem adiecit, commemorat: cum maluisse narrat leonum vnguibus se discerendum permittere, quam ad draconis cultum, qui pro Deo à ceteris colebatur, genu submittere. At quoniam non omnibus fidem facit historia, ex ea fidem dictis meis conciliare supersedeo. Porò ne qui ab adorandis status caput duntaxat, aut genu abstinnisset, ideo se perfunctum existimaret, plurima addidit precepta Dominus de ceremonijs suis sanctiè custodiendis, de vjs Gentium in totum fugiendis. Apud Prophetam autem vno verbo pronuntiauit, quam procul ab omni impietatis communicatione abesse populum suum vellet, cum Iudæis Babylonem deportatis omnino interdixit, immundum ne attingerent. Qua clausula (vt Paulus interpretatur) summatim comprehendit, ne qua religionis suæ sanctitate aliena indignaque ceremonia se contaminarent. Nam Corinthiorum Ecclesiæ de ea re præcipiēs,

ad



ad colligendam totius suæ sententiæ summam, hoc testimonio contentus fuit. Non est istud, mihi crede leuiter, nec oscitanter prætereundum: sacrosanciam Dei religionem rite eos solos conseruare, qui nullis ipsam peruersarum superstitionum inquinamentis profanent. Eandem illos violare, polluere, lacerare, qui impuris ipsam impiisque ritibus misceant. Quæ cogitatione qui se exercebunt fideles, tali sacrilegio ne quando se obstringant, omni studio providebunt. In eum modum Abraham, Isaac, cæteri que Patriarchæ, cum regionum essent earum inquilini, quæ idolorum abominationibus refertæ essent, quanquam non sine gemitu spectabant hospitem suorum insanias, quia tamen mederi non poterant, ferelant quidem eas, sed se in puro illibatæque Dei sui cultu sollicitè continebant. Atque ut ab eorum superstitionibus se disidere, publicè non proclamabant: ita nec ullam dubitant significationem, qua se consentire simularent. Huius simplicitatis insigne extitit in Danicle documētum. nam quamuis Babylone in medijs idololatriæ sordibus versaretur, quia tamen ab omni procul aberat communicationis simulatione, perinde ac si longo intervallo disjunctus esset, maculam nullam contraherat: quoniam autem in confesso populi veræ pietati videbat non fore locum, ab eius conspectu sulducus, obductis cœnaculi foribus, Deum suum, quæ decebat puritate, seorsum colebat: ita in publico urbis ac gentis errore, à via ipse non deslecebat. Huc & illa Iudæis in Lege præcepta obseruatio spectabat, ut ne aurum vel argentum è gentium sculptilibus appeterent, ac inferrent in domos suas: sed quasi spurcitiæ & sordes abominarentur, quòd Domini forent anathemata. Sic enim ad detestandum id omne, execrandumque quicquid idoli nomine semel institutum fuisset, eos instituebat: quò ab omni Gentilium superstitionum immunditie animosius abhorrent.

Dani. 6.

Quòd si tanta externæ professionis synceritate religionem suam, obscuram adhuc, & figuris duntaxat adumbratam, sub veteri Testamento coli voluit Deus: quanto id Christianæ Ecclesiæ verius fuerit præstandum: cui ipse per unigenitum Filium dum apparuit, sapientiæ suæ mysteria latè reserauit, & toto veluti ambitu veritatem suam illucere fecit? Idque ipsam Apostolorum doctrina confirmare promptum est: nam argumētum, quo Paulus aduersus fornicationem utitur, quando huius quoque loci propriam habet rationem, huc accommodare minimè absurdum erit: Nescitis, inquit, corpora vestra, membra esse Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. Sic & ad eandem nobis formam ratiocinari licet: Membra nostra cum Christi membra sint, idolorum cultu vel immundis superstitionibus fedabimus? at quid hoc fuerit, nisi vel Christi gloriã tali sulycere ignominia: vel corpus nostrum à Christi corpore abscindere, ut cū idolis fornicetur? Quam verò demum præceptionē subijcit, ad omnem externam moderationem generalis est: ut corpus nostrum meminerimus templum esse Spiritus Sancti: nos non esse nostros: emptos enim esse pre. io magno, idcirco portandum & glorificandam Deum in corpore nostro. Ecquid elucebit in corpore nostro. Dei gloria, si inter sacrilegiorum sordes prouoluatur? Ecquid sacra templi Dei sanctitas conseruabitur, si alienis profanisque ritibus polluetur? Verum, si qua alia in parte vehemens est ad officium cohortator Paulus, in hac maxime causa vehementia suæ neruos omnes contendit, dum Christianos admonet, ne quid in hominum oculis fidei suæ confessione indignum, prauas ceremonias usurpando, præferant. Dualis au

1. Cor. 6.

tem propositis noxiis, Dei inhonoratione, & hominum offensione, quas secum ferat omnis idololatria simulatio, vel quacunque ratione suscepta imitatio, ab ea nos longissimè absterret. De diuini nominis ac honoris profanatione, hac eius verba sunt: Clarissimi, fugite ab idolorum cultu (sub Cultus nomine, exteriores omnes ritus collegisse, qui impiorum sacris adhibeantur, iam ex sequentibus manifestum erit) vt prudentibus loquor: vos ipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nōne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nōne communicatio corporis Domini est? Ergo vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus. Videte Israel secundum carnem. Nōne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? Dico quòd idolis immolatum sit aliquid? aut quòd idolum sit aliquid? Sed quòd quæ gentes immolant, daemōijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos participes fieri daemōiorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem daemōiorum. Non potestis mensæ Domini participare, & mensæ daemōiorum. Inuitò in memoriam illis reuocat, quàm propinqua sit istæc illis cum Christo Domino societas, corporis & sanguinis ipsius participes fieri, vt quanto eos propius illi adiunxerit, tanto ab omni idolorum participatione longius abstrahat. Externa autem sacramenta quædam quasi vincula esse, quibus cum Domino cohæreant: id ipsum igitur illis è conuerso accidere, qui immundis ceremonijs se admiscunt, vt per eas idolorum societati se innectant atque inserant. Deinde omnem tergiversationem præcidit, cum eorum obiecta occupat, qui præterdere possent, idolum nihil esse: idcirco carnem idolis immolatam, nihil à vulgari carne differre. Quod illis, quantum ad carnem ipsius substantiam, cōcedit: sed aliam esse hominum opinione excipit, quorū iudicium in factis nostris spectari debeat, quæ ipsorum oculis sulciuntur. Eos autem qui carne idolis immolata vescantur, argumentum imperitorum errori præbere, vnde iudicent, si modo idolis ipsos sacrificare, s.c. in hominum conspectu Deum inhonorari. Iam & asperiores sententiam postea sulciit, tantum esse inter Christi & daemōiorum mensam dissidium, vt altera se abdicet, qui delibet quicquam ex altera. Hac demum clausura exhortationem suam absoluit. Num prouocamus Dominum? Num fortiores illo sumus? Cuius antarsis est. Vt magis acriter, ac magis penè dixim traguè, exagitare se. eratum vllum facinus non potuerit, quàm illam exagitaui superstitionum fictionem: quæ vix pro leuissima culpa hodie à multis duci ur. Alibi: Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ pars fidei cum infidei? Quæ societas luci cum tenebris? Quæ concordia Christi cum Belial? Quis porò consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei, sicut dicit: Quoniam inhabitabo in illis, & inter eos ambulabo, & ero illorum Deus, & erunt mihi populus. Non vult vsque eò Christianos ab omni infidelium necessitudine abhorrere, vt nulli inter eos intercedant ciuiles contractus, nulla commercia, nulla denique colloquia. Nam alioqui, vt ipse ait, exeundum esset ex hoc mundo: sed nullam coire societatem permittit, quæ horum imitandis superstitionibus fideles irretiat. Post Iesaiæ subnectit testimonium: Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dixit Dominus, & immundum ne tetigeritis. Quo non ab incredulorum corporibus, locorum spatijs procul esse distitos, sed à pollutis eorum sacris longè dirempcos esse iubet. Quod verò Prophetæ verbis, siue de suo, siue aliunde attexuit Paulus, quòd

cum sit recepturus nos Dominus, & patrem nobis præstaturus, nõsque agnitus in filios & filias, valde percellere nos debet, ne si contrà quàm præcipit, immundorũ atrectatione nõ prorsus abstinuerimus, atijci ab ipso repudiarique mereamur. Proximi offensionem cum aliàs sæpe, tum in priore ad Corinthios Epistola abundè tra-  
 1. Cor. 8.  
 Etat, ad hunc modum: De epulis quæ idolis immolantur, scimus quòd idolum nihil est, & quòd nullus est nisi vnus Deus: nam tamen multi nominantur, siue in cælo, siue in terra, dij, nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum: sed non est in omnibus scientia. Hic etiam ab anticipatione exorditur, qua eos qui interioris conscientia innocentiam obtendendo cauillantur, talibus subterfugijs exclusos, ad hominum opinionem reuocat: quos factorum suorum testes dum adhibent, ad eadem audenda exemplo suo inuitant. Audent verò, non quia licere intelligant, sed quòd authore vident quẽ imitentur: tamen si ex aduerso hæsitante, imò reclamante conscientia iudicio. Ac vide, quàm seuerè hac vna exceptione omnes tergiversandi ansas circuncidat. Idololatria speciem quandam & simulationem habebat ille ad sacrum idolorum epulum accubitus: accumbebant nihilominus ex fidelibus quidam, hoc prætextu, quòd puras & sanctas Dei creaturas ederent: quæ etiam simillies idolis essent consecrata, contaminari tamen sacrilega huiusmodi consecratione non possent: quandoquidem nihil sit idolum, nisi vanum indoctorum figmentum. Futilem hunc prætextum quò illis tollat Apostolus, illam nimium versutam prudentiam, qua præteritis neglectisque fratribus, sibi duntaxat saperent, acerbè castigat: Scientia, inquit, inflat, charitas ædificat. Siquis autem existimat se scire aliquid, nondum quicquam intelligit, qualiter nosse oportet. Ac simulacrum quidem nihil esse concedit: sed contrà obijcit, aliquid esse simulacrorũ cultum: cuius obeundi indoctis ipsi authores essent. Non est, inquit, in omnibus scientia. Quidam verò cum idoli conscientia, quasi simulacris consecratum manducant, & conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. Siquis eum viderit, qui scientiam habet, in simulacrorum epulo recubentem, nõne conscientia eius, cum sit incertus, ædificabitur ad manducandum? & peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & vulnerantes infirmas eorum conscientias, in Christum delinquitis. Ac si diceret: Quòd omnes gentium de dijs suis persuasiones, vana esse ac friuola commenta (vt re vera sunt) ducitis, vobis id solis sapere est: quòd præ vobis palàm fertis, ad falforum deorum cultum quòd pertinere videri possit, id verò facitis multorum periculo. Nam qui eiusmodi spectaculo rudes adsunt, & simplices, cum nondum vestram illam prudentiam sint assecuti, qua intelligant idola nihil esse, vos autem idolorum sacris communicare videant: quid concipere aliud animo possunt, nisi vos idolorum esse cultores, ac proinde vestro exemplo confirmari ad id pepercandum, quòd conscientia sua iudice damnatum habeant: Quare illam, quam obtenditis, prudentiam nihil moror: quæ vt capciosa est fratribus, errandique materiam præbet, ita in digna est hominibus Christianis. Quin illa quæ ab indoctis ad imitationem vestram committitur impietas, quando vestra culpa contrahitur, vobis præstanda est. Iam ergo satis perspicuum est, tamen si publico profitendæ religionis munere non omnes pariter Christiani defungi necesse habeant, esse tamen priuatam quandam confessionem, quæ à singulis, citra exceptionem postuletur: quæ intra quos

consistere fines debeat, nullo modo definire licet. Propterea quod nec eadem omnes ad ipsam edendam gratia præditi sunt, & eius ratio bona ex parte ab occasionibus pendet, quæ non omnibus similes obueniunt: eatenus certè progredi debet, ne quid fidei veritate indignum, ne quid religionis nostræ integritate alicui, à nobis vel dicatur, vel fiat. Eius confessionis exempla, quantum conijcere partim ex Apostolorum scriptis, partim ex vetustis historijs possumus, in primis illis bene institutis ac moratis Ecclesijs præclarè elucebant. Nam ut non leguntur eius seculi fideles, in vrbis ac locis publicis de sua religione declamitasse: ut etiam Christianos se esse dissimulasse coram ijs, quibus euulgari periculosum esset, leguntur: ita non minore studio rursus obseruabant, ne vel aduersus suam religionem quicquid designarent vel alios simularèt se esse quàm Christianos. Et sanè quo numero habeat Dominus eos, qui fidem omni confessione vacuam intus continent, animaduertere ex elogio licet, quo ab Euangelista describuntur: Multi, inquit, ex principibus crediderunt in eum, sed propter Phariseos non confitebantur, ne eijcerentur è synagoga. Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei. O exitialem gloriæ appetentiam! Nam si ab hominum probis auspicianda est gloria, quam apud Deum expectamus, quid ijs futurum est, qui hominum se quàm Dei iudicio approbare malunt? Et si Domini sententia pronuntiatus est, eos in futurum seculum animam suam perdere, qui in hoc saluam habere velint: quanto id in gloriam cadit aptius, cuius longè sit facilius quàm vitæ iactura? Porro si ab ijs se velle sanctificari declarauit, quibus se in sanctificationem pollicetur futurum: quid de se sperare audent, qui eius non tanti dignantur sanctificationem, quam vel mediocri opinionis suæ imminutione redimant? Quod verò de hac confessione ad præsentem locum propriè attinet, sit extra controuersiam istud posuimus, quod minimè dubijs verbi Dei testimonijs luculenter euictum est: non oris modò abiuratione violari ipsam ac labefactari, sed externa quoque omni impiarum superstitionum simulatione: ac quauis veræ religionis profanatione. Quamobrem eum qui sincere pietatis studio afficiatur, non linguam modò ab impijs vocibus, sed partes omnes corporis, à sacrilego omni ritu continentibus habere oportet.

Verum quoniam permulti (ut supra commemorauimus) qui Christianam pietatem, si vllis idolorum abominationibus commisceatur, dissipari atque euertere nihilo minus quàm nos fatentur, à Papistis tamen sacris (sacrilegis quidem illis & profanis, sed quæ ut aiunt, Dei, non idolorum titulum præferunt) non perinde hodie nobis abhorrendum censent: refellendus est hoc loco nobis eorum error, & quod polliciti sumus, ex rerum præsentium collatione, cum eorum temporum statu, quibus, illa quæ ex diuinis Literis protulimus, scribantur, ostendendum, non minus esse in ceremonijs quibusdam Papistis anathematis, quàm in vllis vnquam idolorum abominationibus. Ac de ea quidem, quam causantur, discriminis ratione, postea viderimus: hoc modo inter nos, quod dico, prius constiterit, nullum vnquam ingentium superstitionibus magis execrabile extitisse sacrilegium, & quod veram pietatem vel opprimeret grauius, vel contumeliosius afficeret, quàm sunt hodie nonnulla quæ passim in regno Papæ visuntur. Quanquam autem, si aliquando dederit Dominus ut ad plenum repurgentur Ecclesiæ, quas præstigiarum ille antistes suis imposturis corrumpit, non alia melior futura sit moderationis ratio, quàm ut à radice euellantur vniuersa, & vna (ut dicitur)

litura corrigantur, quæ ex eius disciplina prodierunt. Non tamen sunt eiusmodi ex ijs quadam, quin tu ea ad tempus tolerare, atque unâ cum alijs citra piaculum aliquod exequi possis. Verùm enim prudentia hîc & diligenti animaduersione opus est, quæ quæ eius notæ sunt & formæ, discernere ab ijs noueris, quæ cum Dei verbo non obscure pugnant, & velut impressam in fronte gerunt manifestam impietatem. Quod totum, exempla & sub oculos subijcient melius, & breuius expedient. Carnium esum religionis nomine interdicerè, hocque interdico fidelium obligare conscientias, planè tyrannicum, atque etiam (vt Apostolus loquitur) <sup>1. Tim. 4.</sup>abolicum fuit. At cum sit istud Domini permissu tibi in medio relictum, vescaris ne omni die carnibus, an in totam vitam abstineas, illis diebus quin te abstineas, nihil prohibet. Cur enim non interdum liceat, quod semper liberum est? Ita scelerato imperio ipse absque scelere parebis, animus sit tibi modò, rudum ignorantia in hoc concedere, non etiam animam in illos traditionum laqueos tuam inferere. Arcere coniugio eos, qui carnis incontinentia exagitantur, ex eodem est tyrannidis genere: nec tamen eadem tibi parendi fuerit facultas, si quidem illo ardoris aculeo pungeris, quòd non vt carnum, ita vxoris abstinentiam libertati tuæ permiserit Dominus. Hunc, quem in ceremonijs vestratibus, quarum causa hæc instituta est disputatio, pro eo tempore, quo istic tibi viuendum est semper intuearis, scopum tibi propono: vt quæ nulla sunt impietate notabiles, ijs sobriè quidem & parcè, sed tamen cum vsus postulabit, liberè, securèque defungaris: facit, vt appareat, nullam esse tuam nec in affectando, nec in refugiendo superstitionem. Quæ vel minima sacrilegij nota sunt aspersæ, eas non magis quàm venenatù serpentem attingas: esse enim re vera quouis serpente, solo a ta tu pestilentiores, quin tibi sim probaturus, nihil diffido. Earum verò in numero, simulacrorum venerationem, vnctionis susceptionem, indulgentiarum emptionem, irrigationem ex aqua execrandis illis exorcismis incantata, similèsq; alios per se damnabiles ritus repono. Quid enim tandem afferri queat, quod in eorum omnium excusationem satis valeat, quo minus tanti à nobis maleficij damnari debeant? Scio enim quosdam esse moderatores, quibus ad exagitandas leues istas (vt credi volant) & nihili nugæ, videmur nimium asperi: sed quid illi, inquam, ad diluendam nimiam hanc nostram (quando ita vocari placet) acerbiter tandem afferunt? Negare certè non audebunt vbicunque ad cultum prostati in templis simulacra, maximam & propè vniuersam hominum multitudinem diuinis ipsa honoribus prosequi: ac in eo in secūdum Legis præceptum, quod est de non colendis idolis, impingere. Non stolidum hominum vulgus, sed prudentissimos quosque, & summus ingenij doctrinæque dotibus præditos, hoc errore captos inuolutosque esse dico: ad ipsorum te opinionem (quod Apostolus fieri, vt meministi, iubet) te reuoco. Si, quò illis testatum facias, religione te ab ipsis non discrepare caput coram simulacro de regis, aut genu curuas: quid aliud quàm disertâ testificatione idololatram te esse profiteris? At vt vt simulacro te honorem deferre hominibus fingas, Dei tamen vnus cultum cogitatione complecteris. Quasi verò tuum sit honorem, ad arbitrij tui modum inter simulacrum & Deum viuere em partiri: Deoque omnia intuen: i perinde palàm illudere, ac si eius oculos, quod omnium hominum perspiciunt oculi, præteriret. De Chrismate quid dicam aliud? in quo suscipiendo si te nihil peccare defendis, quòd hominum iniquitati vt satisfacias, membra diuitaxat inungi, nulla con-

scientia religione patiaris: ego contra, grauius te delinquere arguo, qui vel frontem afferas, in quam inscribatur, quæ in sua Confirmatione ab illis usurpatur blasphemias, te salutis Chrismate confirmari: vel manus porrigas, in quibus illa insculpatur, qua sacerdotes suos peragunt, sacrificandi te potestate donatum: vel omnes corporis partes exhibeas non minori execratione inurendas, qua in extrema (quam vocant) vntione vtuntur, per oleum tibi remitti peccata. Quod quidem vel leue, vel nullum delictum esse tibi concedam, nisi tua ipsius confessione obtinueris, rem esse plusquam indignam, quæ ad incorruptionem regni Dei destinata sint corpora, tanta blasphemiarum fœditate cõspurcari, quam in conspectum Domini afferant, quo die ad recipiendam immortalem gloriæ coronam eius tribunali sistentur. Sic qui in arculam stipem coniecerit, vbi venales prostent veniæ, aut quicquam omnino ex illo plus satis fœcundo ac liberali indulgentiarum dispensationumque thesauro sibi redemerit, in nefandas illas nundinationes nomen inscripsit suum, ac in cas consentire se, velut data tessera comprobauit. Neque illam, quæ vulgò iactatur, excusationem accipio: non secus ac iniecta offa maleficæ beluæ compefcuntur, ita vel pauculis nummis, vel etiam largiore interdum nummorum copia deliniendam esse sacrificulorum rabie: qui cum de lucro agitur, sic prædæ inhiât, quouis vt famelico leone sint rabidiores, prælium (quem morem pseudoprophetis ac pseudosacerdotibus semper fuisse, testis est Propheta) super vnumquemque sanctificantes, qui non illis aliquid in os dederit. Hanc, inquam, accipiendam esse excusationem nego. Quid enim diplomata illa, quorum te gratiam appetere simulas? An non edita voce clamant, vt nummis relictis, plenas anathemate, atque omni execratione dignas indulgentias tibi auferas? Hoc qui intelligunt (nemo autem non intelligit) ac nummum te offerre vident (videri autem nisi cuperes, non faceres) num paruum luculentam habent abs te testificationem, indulgentiarum participatione velle te vti frui? Atqui earum latebras si excusseris, nusquam prolixius quam illic, Christum cum sua cruce irrideri comperies. Aqua denique illa, diabolice exorcismis consecrata, frontem qui aspergunt, quam omnino frontem habent, vt impunè id liere contendere ausint? Quid enim tali sibi aspersione volunt? an vt putida aqua guttula faciem in publico emaculent? an ita in celebri hominum cœtu sine causa lasciuè ludunt? Neutrum istorum est, nec quicquam simile. Verum spectantem populum eo simbolo attestantur, exorcismi sanctitatem se contempti non habere. Quo simul haud dubie omnes, quæ ab exorcismis euomuntur, blasphemias obignat: virtutem illi aquulæ infusam esse, qua dæmones pellat, curet morbos, abigat phantasmata, noxas omnes dissoluat. Ac ne calumniosè me criminari sua facta queri possint, quæ procul absint ab ea, quam illis affingo, impietate, eorum conscientiam semper appello, cuiusmodi ritibus dum perfunguntur, an aliquid minus, quam quod reprehendo, populo persuadere velint? Illum igitur ipsum populum, cuius satisfacere iudicio hîc student, illis iudicem fero: è quo nemo erit, qui non pronuntiet, idem sibi videri. Iniquam si esse dicant, ad hanc se exigere regulam: cum Apostolo, cuius istæc est seueritas, non mecum, expostulent.

Video nullum fore, nec mihi dicendi exitum, nec ijs finem tergiversandi, qui repugnare velint: nisi certa vna in re constiterimus, in qua planius ac penitus euidenter, id quod decere volumus, perspici possit. Sit igitur Missæ nobis exempli loco, in quam nisi plusquam iusto iure conferri possit, quicquid de idololatria vel

vel Scripturis traditur: vel dici potest, quo minus ceremonijs istis omnibus, à quibus tantopere fugiendum censeo, velut rebus medijs indifferentè alutaris, causam non dico. Ipsam autem eligere ex omnibus potissimum libet: quòd vna præ omnibus usque ad eò sancta obseruatione colitur, vt cùm in alijs prætercùdis hominum fallere animaduersionem quoquomodo liceat, hac te eximere, quin multorum oculis obseruèris, haud faciè queas. Quo fit, vt in cæteris quantum insit mali qui videant, ac illis se idco abstineant, satis multi reperiuntur: qui veò fateantur, quanta scateat abominatione Missæ cultus, vel ab eo sese planè extricare auserint, per paucos offendas: siue terrore obcæcati, verum non cornunt, siue animi deiectione magis & langore, quàm mentis errore labuntur. Quamobrem sic existimo, totam præsentem causam solo hoc capite quodammodo contineri, hac vt hallucinatione discussa, qua maxime perstringuntur, de reliquis partibus, in quibus non ita grauitè cecutiuit, vltro mihi sint omnes concessari. Omnes, intelligo tui similes, qui sancto Dei verbo parère auscultarèque didicerint: quales, vt sum præfatus, tecum hìc docendos suscipio. Quale ergo sit istud, ne sacrosanctæ Missæ maiestas ludibrio tibi despectuque esse videatur, eius peragendis mysterijs interesse, atque adorantis ritu inter eorum cultores stare, paululum perpendamus. Primum omnium tamen si quid Missæ ipsa sit, non ignorant quicunque, vel mediocri Dei cognitione sunt imbuti: id tamen ipsum quod norunt, vt probè teneant, mihi sunt monendi. Si quidem bonam eorum partem ex eo labi video, quòd totam eius vim cum domi luculenter mediocritatem habeant, ad ipsam dum accedunt, quòd n̄ horrenda tragœdia futuri spectatores veniant, obliuiscuntur. Verum ne longam ac altè repetitam disputacionem ordiri mihi necesse sit, de Missæ sacrilegijs ad Institutionem nostram lectiores mittam: vbi satis explicatè pro operis diuina auctoritate, expeditè me arbitror cum vniuersum eum locum, tum quicquid ex eo huc pertinebit. Tantum dico, quòd fidelium neminem latere debet vana sacrificij nomen (vt ipsum quidem missarum sacrificij accipiant) & Christi crucem proflus abolere, & sanctam eius Cœnam, in qua mortis suæ memoriam consecrauit, euertere. Nam & sua gloria, vt scimus, Christi mors penitus spoliatur, nisi vnicuius habetur æternumque sacrificium: & si vllum adhuc sacrificium restat, tota corrumpitur atque à radice labefaciatur Christi Cœna: que non aliud est, quàm vnicuius oblationis testimonium, & quedam veluti ob signatio. Hæc autem duo, quæ ita continentèr Missæ sunt affixa, vt auelli ab ea nullo modo queant, si sola essent, quibus omnem Missæ communicationem facere tibi execrabilem conarer: quid posses, nisi vno tecum ore ipsam detestari? Quid enim? An tu, cum nulla alia in re quàm in Christi cruce gloriari licet, cum ad extinguendam eius gloriam, ad concidendam evertendumque eius testimonium coniuratos conuenisse videas, illis te socium adiungas? Atqui si recio oculo rem intueri volumus, quid aliud, quàm ad talis coniurationis societatem profitendam digitum tollunt, qui se quavis Missæ participatione illigant? Est tamen istud etiam vniuersum tertium, quod quòd est manifestius, eò pios animos afficere pressius potest: nempe nefanda idololatria, dum panis diuinitatem induere fingitur, proque Deo in sublime adorandus tollitur, sublatus ab omnibus colitur. Quæ tanta atrocitate, tantaque indignitate referta res est, vt vix, nisi specietur, credi queat: sic omnium oculis subiecta patet, vt argumentis opus minime habeat. Pro Deo, inquam, ostentatur, adoratur, inuocatur panis crustulum:

Deus denique esse creditur: quod de suis simulacris nullis unquam Gentibus persuasum fuit. Neque licet mihi quispiam obstrepat, non panem, sed Christum adorari, qui in panis locum subierit, ex quo legitimo sit ritu consecratus. Quod etiam si sanctiæ Christi Cœnæ convenire demus, quanquam nihil minus concedimus, ad Missam tamen nihilo pertinet magis, quàm ad veteres Pontificum cœnas, aut Saliorum epulum. Id quidem si inter nos conveniret, quod certò constare debuerat, Dominum in mystica sua Cœna corpus præbere non quod adoremus, sed quod edamus: præsentiamque non illum naturalem, quam loco illo contineri oporteat, sed spirituales, quam nullum loci intervallum, nulla distantia impedire possit, proponere: aut si manes, non naturam sui corporis præsentem illic & circumscriptam exhibere, sed efficaciam & virtutem, ne in ipsa quidem Cœna hic scrupulus resideret. Verùm quoniam nondum id videre omnibus datum est, rem dubiam ac controversam pro confessa certaque me presumere nequis cavillemur, illa parte non instabo. Adsit sanè in sua Cœna præsens vero ac naturali corpore Christus, manibus atteratur, dentibus atteratur, faucibus deglutatur, divinitatem illic præterea suam sistat, qualiter in eius carne ineffabili modo habitavit, quam ius fidei sit adorari (quorum tamen verumque rarissimum esse, alibi demonstratum abundè à nobis est): verùm utrunque ubi concessum fuerit, quid tamen inde ad panis frustulum accesserit, extra Christi Cœnam? Non enim si Dominus suis fidelibus, mortis suæ memoriam piè colentibus, corpus suum sub pane edendum præbet, protinus etiam consequitur, impuris ipsum sacrificiis immolandum se, mactandumque, quoties illis libeat, tradere: nisi forte tantam putido oleo subesse virtutem arbitramur, qua omnes quas innoxerit manus, peritas Christi formandi reddat artifices: aut sacrificii libidinem, cœlestis decreti pondus habere credimus, ut quoties è cœlo Christum deducere decreverit, præsentem ad nutum extemplo habeat: aut Christi verbis vim quandam magicam affingimus, quæ articulatè tantùm demurmurata, energiam suam explicent. Talibus enim inepiis è pane Christum se educere, nobis persuadere conantur. Quicquid ergo illi de sua potestate, consecrandi intentione, verborum pronuntiatione stolidè garrunt, valere sinamus. Nos promissionem quam falso iactant, primum esse Cœnæ propriam: deinde piorum fidei datam, non impiiurum irrationem scimus. Quid si extra Cœnam locum nullum habet, in Missa, quæso, quem habebit, qua nihil usquam Cœnæ magis adversum est? Et si non nisi fidei ad attendendam confirmandamque suam fidem proposita est, qui unice Christi oblatione, quam in cruce peregit Deo Patri, æternum sanctificationis se credunt: qui præstaretur iis, qui nec ipsam intelligunt, & ipsius prætextu ad illudendam eius veritatem sceleratè abutuntur? Illam igitur Deum, quem ludibundus sacerdos quaquaersum circa suum altare ventilat, non è cœlo, ut erudi volunt, elicium: sed talem esse, qualis è pristino sit extracius, palàm est. Nam promissionem quæ Christi corpus sub panis symbolo fidelibus præbet, non ad eos magis, quàm ad pecudes: nec ad Missas magis, quàm ad Bacchanalia aut Turcarum prandia spectare, nihil est iam ambigendum. Quid? histrionice illæ gesticulationes, ita indecoræ profusæ & immodestæ, ut à sanis sobriisque hominibus proficisci non debeant, dum in Christum conferuntur, sacrosanctio eius nomini videntur ne tibi leuiter contumeliosæ? A morionibus forè talia tolerari ludicra poterant. Dominum verò illis inscribi, ut grauius eius sanctitati iniuriam est, ita indignissimè, aut

(quod



(quod verius dixerim) nullo modo nobis est ferendum. Præsertim cum eò rectè tenere videamus, ut institutam diuinitus spiritualis Cœnæ ceremoniam, sepultâ, sub uersâque penitus extinguant. Agendum, ad simulandam Missæ religionem, quæ conscientia peragendis eius mysterijs intersis, necum nunc recognosce. Primum statim ingressu sese in conspectum infert altare, parum illud quidem à mensæ compositione differens, sed quod ipsa tamen nuncupatione sacrificando se destinatum clamat. Iam hoc certè solum blasphemia non caret. Vides prodeuntem sacrificium, qui quatuor digitorum vnctione pacificatorem se inter Deum & homines constitutum gloriatur: qui Christi promissionem, quæ corpus & sanguinẽ suum sub panis & vini symbolis seruis suis edendum bibendumque proponit, exceptâ fidelium Ecclesiæ, atque ab ipsa Cœnâ abreptam, sibi similibusque sui carnificibus vendicat: qui caelestem eius cœnam Missæ nomine, in qua tota ipsa inuertitur ac deformatur, in honorat. Astat populus, nihil non eorum diuinum esse persuasus: cui permixtus, eadem teneri religione simulat. Vbi ad altare propius ille accessit præstigiator, fabule suæ actus partim motorios, partim statarios orditur magicasque illas susurrationes, quibus è cœlo Christum sibi videtur euocaturus: cuius quidem certè videri vult, quibus euocatum, ad immolationem deuouit: quibus Dei erga hominum genus reconciliationem, ac si in demortui Christi locum subrogatus esset, molitur. Hæc cum simili, qua superiora illa, veneratione excipi ab vniuersa multitudine vides, ad eam quoque ipsam imitandam vultum assumulas, in quem (vt minimum) inscriptam esse eiusmodi spectaculi acerrimam abominationem decebat. Et adhuc mihi negabitur, qui Missam religionis specie audiatur, eum totidem, quo in ea perpetratur, sacrilegiorum consortem se apud homines, quicquid animus Deo intus canat, profiteri? Ecce demum idolum illud, corporis quidem specte pusillum, affectuque candidum, sed omnium longè & pestilentissimum & terribilissimum, ad tangendos superstitione spectantium animos attollitur. Huic dum sese omnes superstiti aduoluerunt, tu simul conuerso in ipsum intuitu, venerabundis prosterneris. O perditam nostram impudentiam: si quicquam eorum, quæ sacris literis aduersus idololatriam prodita sunt, ab ista sic deprehensa conuiciâ, ue deprecamur? Quid enim? an hoc est aliud idoli genus, quàm quod adorare secundo legis capite vetatur? Quod si ita est, cur eius cultum minore de icto, quàm Baby. onice illius statua censeam? quem tamen tres illi, quos supra retulimus, Israelitæ, & morte, & exquisito ad salutem mortis genere, grauius exhorruerunt? Si vulgaribus ac quibuslibet gentium superstitionibus subesse pronuntiat Dominus immunditiam non tangendam, in tanta sordium congerie, quanta hic constat, tot sacrilegiorum cumulis volutari qui liceat? Vt autem omnes Apostoli sententias, quibus in idololatriam inuehitur, vno isto verbo complectamur, non posse nos mensæ demoniorum & Christi mensæ vnâ fieri participes, quis ad Missam id spectare neges? cuius altare euersa Christi mensa erigitur: cuius epulam diremptis, laceratis, sordidatis mensæ Christi epulis instrui in: in qua Christus traducitur, eius mors illudatur, execrabile pro Deo idolum supponit, eam vocare demoniorum mensam si ppendel: ita non potius, quod tanta impietatis meretur insolentia, nouum excogitabimus aliquod nomen, quo detestabilius quiddam si fieri possit) exprimatur. Et sanè de eo hesitare quomodo hominibus non profusus cæcis in mentem veniat, valde miror, an demoniorum mensam appellare Missam debeant, ad quam ex adificandam fier-

nendámque, omnes demonum technas, machinas, copias concurrisse, planè conspiciunt.

Verùm, nouæ rursum ambages ab alijs mihi obtenduntur. Nam eorum nonnulli, qui olim, cum in cõmuni errorum labyrintho versarentur, sacerdotij Papalis oleo inuncti fuerunt, in veteris etiãnam hæræ stercorebus confidunt: & quanquam de vnico æternoque Christi sacerdotio, Dei beneficio, præclare sunt edocti sacrificare nihilominus pergunt: idque vt impunè sibi liceat, postulant. Impudens sanè postulatiõ: nempe vt Missa præesse sibi cõcedatur: cui ne interesse quidem Christianis hominibus, iãndiu validissimis rationibus cõtendo. Quas tamen ad elabèdum argutiolas nectant, audire, refutarèque obiter operæpretium est. Quando inquitur, neque sacrilega illa immolãdi Christi cogitatio, nec vana de panis, in Deũ transitiõne opinio, neque earũ superstitionũ quæ Missam ipsam impiam faciunt animis nostris vlla in fide: externi ritus, quorum representatiõne, indoctorũ iniquitati satisfacere cogimur, quales sunt, non magnopere refert: nec verò possunt, quo minus pro Missa sanctã Domini Cœnã celebremus, impedire. Nam nimium peruersa ista fuerit morositas: Missam externa ceremoniarum larua leuibùsque dantaxat ineptijs æstimare, nõ prauis opinionibus ac sacrilegis mendacijs, quibus in rebus sitam esse eius impietate omnes fatemur. Omissa igitur offerendi mentione, superstitionum omnium vanitate sublata, si Cœnam Domini, quo modo per iniquos seculi mores licet, colere nos nihil ambigitur, friuolas quasdam ceremoniarum nugas, ingentis sceleris instar insectari perquam indignum est. At si eorum quæmpiam ex aduerso aggrediar: Cœnam Domini suis & ipsam ceremonijs, nequaquam negligendis, constare, quòd & a caelesti magistro sint instituta: & sic instituta, vt propria essent germanaque Cœnæ symbola, quibus sublatis, agnosciam illa non possit: cuius permissu tantum se ausum esse respondebit, illud vt nescio quid onnitus Cœnæ symbolis exutum ac deformatum, fabulæque magis quàm vllius diuini mysterij simile, Cœnam nuncuparet. Cœnam esse Domini nego,  
<sup>1</sup> ad cuius spirituales epulas, non in commune omnes qui adsunt fideles inuicentur,  
<sup>2</sup> nisi in qua & sancta panis ac calicis symbola Ecclesiæ proponantur, & promissio  
<sup>3</sup> nes, quibus obsequi iudis data est, enarrentur, & acquisita nobis per Domini mor-  
<sup>4</sup> tem vitæ gratia prædicetur. Horum tu mihi vel minimum apicem in Missa ostendes? ac non potius aduersa, contrãque pugnantia omnia? Tu igitur aut Dei nomine stolidi hominum temeritate excogitatum inuisitatem insignies, aut Cœnæ nomen ad circulatorios usus, in quibus nullum eius vestigium appareat, transferes? Tudenique sub diabolica Missæ imagine Domini mensam representabis? Tu in quo Dominũ mortem ignominiosè traducas, in eo te eius Cœnam colere persuadetis, qua nos ad prædicandam mortem suam nominatim exhortatur? Quid tecum tacite demurmures, à nemine exauditur. At cum totius corporis actione sacrificium esse, quod peragis, disertè pronunties, idne est mortem Domini annuntiare? quam, si sacrificijs locum post se reliquit, vanam fuisse consequitur. Et cur non semel caullis eorum omnibus, quod facile est, viam præcludo? Populum enim, quem fabulæ suæ spectatorem admittunt, ad sacrificij celebritatem conuenisse sciunt. Huic quod expectat sacrificium præstent re vera, necne, ad rem nihil pertinet: ceriè quod eius opinione sacrificium haberi velint, exhibent. Ad flagitiosam idoli adorationem paratum vident: adorandum, proprijs manibus, ipsi excelsò in loco  
statuunt

statuunt: quasi easdem simul manus & ad Deum viucentem extendere, & ad prostituendum idololatræ populo, quo cum fornicetur, idolum attollere possint? Non hic dico, quod si dixerim, an refellere ipsi sat probè queant, nescio: ne minimam quidem pietatis scintillam fouere eos, quibus ad nefandi adco flagitiij gestionem manus suppetant, quos non inter medios saltem conatus, vires omnes ac nerui deficiant, quibus non membra omnia horrore tremant ac labascant. Sed id solum dicam, cui posthac inficiando non erunt: viam illam, qua se accedere ad Domini Cœnæ tabant, ab eius accessu tantum abducere, quàm hæc inter se duo longè differunt, diuinæ gloriæ strenuum præstare animosumque præconem: & perpetrands sacrilegij ducem, præsidem, auspiciem se præbere. Simul etiam reliquos obtestor: quibus (si quis eos, quòd ad audiendas Missas ingrediantur, accuset) respondere mos est, Missæ dum intersunt, sibi quid sacrificulus seorsum deblateret, curæ non esse: sed eam symboli tantum loco se accipere, quo perinde ac si sanctæ Domini Cœnæ intersint, mortis eius memoria exerceantur: eos, inquam, obtestor, post hæc nulla vt potius, quàm hac misera excusatione vtantur: neque (vt spero) vtemur. Si quidè cum animis suis rectè reputet, quàm sit vtrunque multis modis absurdum, & monumētum mortis Christi facere Missam, quæ nullâ, nisi obliuione omni peiorum eius recordationem hominum animis afferat (vt pote quæ vim eius vniuersam obliteret ac sepeliat, cum summa præterea Christi ipsius conuulsiua coniuncta sit:) & eandem dicere sibi propemodum Cœnæ esse loco, in qua tantum ab annuntianda Domini morte absunt, ipsam vt propemodum abiurent. Nam primum quantum ad Missam attinet, quoquò vertant oculos, quid spectare possunt, quòd sibi aternæ illius sanctificationis, iustitiæ, redemptionis, per vnicum Christi sacrificium partæ, memoriæ subijciat? quòd vnicum sacerdotem esse Christum, nullo consorte, nullo successore, doceat atque ostendat? quòd eius morte perfecta, quæ in salutem nostram erant omnia, testetur? Et quo igitur iure Missa eius mnemosynon censeatur, cuius nec apiculum proferat? Porro quòd sese aiunt eundem ferè inde vsum, quem è Cœnâ capere: amplissimum ipsi de se testimonium ferunt, nihil se illic meditari minus, quàm vt gloriæ confessionem Christo Domino tribuant, ad quam præscriptis verbis in Cœnâ vocantur fideles.

Eius autem discriminis, cuius speciem præsentis idololatricæ rationem, à veteris illius causa disjungere vulgò conantur, quanquam exemptam iam planè bonis viris omnem dubitationem arbitror, quale id tamen sit, quando ita nos facturos recipimus, & quorundam forte frangendæ obstinationi expedit, consideremus. Cur tot execrationibus sancitum sit olim à Domino, ne gentium superstitionibus serui sui vllò se modo commiscerent, causam fuisse aiunt, quòd ille idolis habitus honor cum falsis dijs manifestè tribueretur, diuinitatis quoque honorem à vero Deo ad illos transferebat: mundum quidem non minus abominanda hodiè que superstitione insanire, ceremonijs ineptire æquè prope, stolidis & fatuis: verum hoc interesset, quòd quales tandem cunque ceremoniæ istæ sint, quia tamen Dei nomen præferunt, eiusque sunt cultui destinatæ, eas si quis peruersi superstitione vacuus solutusque vsurpet, nihil de vera Dei religione sit derogaturus. Hæc si de medijs ritibus, quos docendi causa, indifferentes nuper vocauimus, disputarent, eorum permissioni non vehementer reclamarem. At cum eas quoque ceremonias complectantur, quæ manifesta sunt impietate ac non ferendo Dei opprobrio insignes, quàm infcitè ratiocinentur, paucis è Scriptura petitis exemplis ostendemus. Ser-

Numc. 21. *pentem illum aneum, qui postquam vsum præstare desisset, cuius causa fuerat ex-  
 citatus, posteris etiam, quò æternum esset seculis omnibus diuini beneficij monu-  
 mētum, relictus fuerat: cūm præpostera patrum imitatione à filijs postea coli  
 cœptus esset, eundem semper optimæ religionis prætextum retinuisse quis dubitet?  
 passimque & vulgatum fuisse, & obtinuisse, illam summi Dei esse imaginem,  
 quæ in eius gloriam adoranda foret? Quòd si eorum quempiam, quos tum Domi-  
 nus prolabi in tantam cæcitatem passus non erat, narrarent Historiæ, procul om-  
 ni superstitione, tantum vt publicæ populi insanæ se accommodaret, genu coram  
 2. Reg. 18. *idolo illo incuruasse: nostrum opinor nemo fuerit, qui non confestim illam simu-  
 landi improbitatem detestetur: & sanè communi piorum omnium abominatione  
 digna esset. At nisi nobis frustra blandimur, nihilo nunc leuiore flagitio genua  
 coram panis crusta incuruamus, quàm tum inflectere coram serpente licuisset.  
 Quid? Aaron cūm vitulum à se conflatum populo Israel ostenderet, ac irrisoriè  
 diceret eos esse deos, à quibus educti essent è terra Aegypti, nonne ille seriò as-  
 sentiebatur: nempe Deum, quem redemptorem suum libertatisque nuper acquisi-  
 tæ, vindicem non abnuebat, in vitulo tamen cernere volebat: quòd propè sibi  
 adesse non confidebant, nisi præsentibus ipsum oculis intuerentur. Itaque solenne  
 Dei sacrum cūm ab Aaroue inductum esset, nihil restitabant, nec deprecabantur:  
 sed quam Deo viuenti gloriam dare volebant, eam coram vitulo ceu spectro eius  
 quodam, persoluebant. Tollant vtrinque, vt libet, superstitionem omnem: non ta-  
 men fatius idcirco fuisse, aut tolerabilius, coram hoc vitulo honoris causa procide-  
 re, quàm coram boue Aegyptiaco, dicere certè sustinebunt. Ieroboam quoque quo  
 1. Reg. 11. *vitulos suos consilio sit fabricatus, si querimus, neque nouos sibi deos a sciscere in  
 animo habebat, neque sic à Deo planè se desciscere cogitabat: neque Dei modò re-  
 ligionem non aspernabatur: sed ne sanctas quidam ceremonias, quas pessundare co-  
 nabatur, improbaret: sola erat diffidētia, quæ hominem in hanc amētam præcipi-  
 tem ferret. Nam cūm illa, quam nobis refert sacra Historia, anxietate miserè  
 astuaret, ne Templi religione, sanctaque maiestate tacti plebis animi, ad Davidis  
 domum, vnde defecerant, rursus inclinarent, nouos excogitare ritus voluit, qui  
 bus à Templi conspectu abstractos, simul à regno Iudaico paulatim alienaret. Vi-  
 tulos ergo cūm proferret, non à priore Deo vt ad illos deficerēt, hortabatur: quod  
 futurum erat omnium auribus iniuis asperum: sed veterem assuetumque Deum vt  
 in illis colerent, edocebat. Huc enim illa spectabat oratio: Vobis vltra modum in  
 Ierusalem ascendere graue est: O Israel, hi sunt dij tui, qui te eduxerunt è terra  
 Aegypti: illis vt persuaderet, non se exterminato priore Deo, nouitium aliquem  
 inferre Deum: sed modum tradere duntaxat, quo minore molestia illum ipsum ado-  
 rarent, cuius virtute quondam fuissent è misero Aegypti seruitio liberati. Ille  
 vitulorum cultus, quantumuis æterni Dei nomine prætexeretur, qualis fuerit, a-  
 bunde restantur Propheta. Vt cunque ab esset superstitio, vt cunque à vituli vene-  
 ratione interior cogitatio abhorreret, innoxius esse non poterat, quicumque in Be-  
 thel ad sacrificandum ascendisset: quam Dei verbum Bethauem pronuntiabat.  
 Quod j: scelesti illi: nos rusti scilicet, qui panis micam, simul atque impij sacrificu-  
 li destinatione, deuota immolationi fuerit, nobis pro Deo esse profitemur? Iam &  
 Samaritanorū religionē nō ob id imitari nō licebat omnino, quòd deorū esset alie-  
 norū cultu implicata: sed quòd prauo illegitimòq; Dei cultu polluta foret. In hoc,  
 mi***

mi Frater, in hoc fallimur, quòd dum immundas per se & sacrilegas ceremonias esse non putamus, nisi quæ Gentilium deorum nominibus palàm sint insignitæ, sacrosanctum Dei nomen profanare, summum esse sacrilegium obliuiscimur. Profanatur autem non magis, dum suppositis alijs dijs, planè ipse repudiatur: quàm dum commentitium illi quippiam, quòd eius maiestatem inhonoret, affingitur. Eant nunc, qui ad missalis illius è pan. vrio Dei conspectum, genuz simulandæ religionis causa inclinant: & leuius se delinquere iactant, quòd sub Dei nomine idolum adorent. Ac si non illa potius nefaria sui nominis usurpatione bis irrideretur Dominus: quòd & eo nihilo secius relicto, ad idolum curritur, & transire ipse in panem fingitur, obscuro ac velut magico murmure incantatum.

Porro quòd omni impiarum superstitionum communionem ita præcisè interdico, id in eam partem nolim accipias, quasi earum rerum tibi religionem iniiciam, quas ve effugere omnino non sit in tua positum facultate, vel liberas alioqui esse conueniat. Neque enim si intra templorum omnium, quæ quidem istic sunt, parietes, infinita quotidie impietatis exempla eduntur, idcirco te à primis eorum limitibus arceo: nec si simulacra omnia nefandis sacrilegijs sunt dedicata, ideo ea protinus aspicere veto. Quando alterum sine noxa est: alterum, præter id quòd nihil obest, simul ac pedem domo extuleris, ( tanta idolorum multitudine refertæ sunt via omnes) tui arbitrij esse desinit. Te ergo vsque ad idò supersticiosum esse nolo, vt templi magis ingressu pedem, aut simulacri aspectu magis oculum pollui existimes, quàm si vel illum in vulgarem quemuis locum inferas, vel hunc in rudem informemque aliquem lapidem conicias. Verùm enim, vt illa tibi esse permisa audis: ita ne vltra eius libertatis modum, licentia progrediaris, etiam atque etiam reputes. Hunc modum definire non improprie mihi videor, cum ab omni in vniuersum sacrilegiorum communionem abstinendum tibi doceo. Siquidem per communionem, non simplicem loci propinquitatem ( quæ minimè nos illis implicat) sed tum internam consensionem, tum externam quamuis testificationem, qua in illorum approbationem subscribatur, intelligis. Consensu ne illis adhærescant, qui modica veritatis luce sunt irradiati, vix est timendum. Illis illis testificationibus scelestæ participationis laqueus sese induunt: nec intelligunt, superstitione id, an callida simulatione faciant, ad rem non pertinere. Quando vtroque pariter modo & sacram Dei religionem ludibrio habent inter homines, & exemplo suo partim vridium inscitiam, ad obstinatiorè perucaciam confirmant, partim imbecillum dubias hesitantesque conscientias labefaciunt. Communicare vbi vetuit Ephes. 5. Ap<sup>o</sup>stolus operibus infructuosis tenebrarum, simul adijcit, vt potius à nobis redarguantur. Qua posteriore particula, quid per illam priorem voluisset, explicauit: nèpe tum nos flagitiosis ac iniquis facinoribus communicare, cum illa nobis placere quoquomodo significamus. Vnde profectò absque dubio perspicias, ab istarum abominationum, de quibus nobis sermo est, inquinamentis eum se demum præstare immuncm, qui nullam earum, ne fictam quidem imitationem in se suscipiat: ceterum, qui se ad eum modum abstinente n præstiterit, eum nec aspectu, nec ingressu, nec vicinitate, vllam ad idò vel noxam, vel maculam contrahere, vt ex eo constantiam suam Domino magis approbet, quòd hostilibus copijs circumsessus, expugnari tamen se non patiat. Hac ratione Paulo licuit, illa sa pietate, non modò circum omnes Atheniensium aras obambulare, eaque loca pedibus terere, quæ essent mil Acto. 17.

le impietatum notata vestigijs, & recentium fortè sacrificiorum odorem adhuc referrent. Verùm oculos huc atque illuc circumferre, & quid in vnaquaque ara inscriptum foret, curiosè contemplari. Non enim ad singula deorum nomina sese religiosè inclinabat, nec quos in salutandis suis simulacris ritus obseruabant idololatra, representabat: sed superstitionum omnium neglectum præferens, requi-  
 Acto. 28. rebat quod tandem reperit, vnde ad illustrandam Domini gloriã, velut ex aduersariorum tabulis argumentum profferret. Eadem ratione periculum non fuit, ne conscensa naui, quæ insigne haberet Geminorum, aliquid ex ea dedicatione piaculi in se susciperet, cum ita se gereret, nullum vt superstitionis ritum cum impijs ipsum communicare facile apparet. Neque enim, quod alios ex more egisse verisimile est, arbitrari possumus ipsum, aut sub primum ingressum deos tutelares salutasse, aut soluentem à portu, secundam ab illis nauigationem petijisse, aut perentibus succinuisse, quasi in eorum precationem consentiret. Quare ne quo scrupulo vanæ Gentium dedicationes animos nostros impediret (acsi efficere possent, ne ijs rebus vti purè liceret, quas in vsum nostrum Dominus sanctificauit, modò ne perperam abutamur) nomi natim expressit Lucas, Paulum illos Castoris & Pollucis titulos, quo minus trañciendi causa, nauem illis consecratam conscenderet, nihil reformidasse. Quod dubium nemini futurum erat, tacuit: diligenter hæc cauisse ac præstitisse, vt quod Christiani hominis erat, ab omni idololatriæ specie quàm longissimè abesset.

Quamquam autem (quæ tua est erga Dei veritatem obseruantia) sententiam, quam tot diuinis testimonijs ob signatam videas, tibi iam planè probatam esse confido: quando tamen non tibi hæc vni scribuntur, aliorum vt me rationem simul habere patiaris, abs te peto. Quos ad concedendum veritati aliquanto esse in hac causa difficiliore quàm oporteat, minus idcirco miror, quòd insuaue illis ingrátumque esse non dubito, ab ea, cui diu placidè que indormierint, indulgentia excitari. Ac mihi sanè videre iam quosdam videor, friuolam intempestiuamque hanc meam morositatem irridentes, qui rem non ita magni ponderis perinde vrgeam, ac si in eo cardine tota religionis summa verteretur. Nam & ipse quosdam memini, quibuscum de hac re mihi olim sermo fuit, cum præsius me insistere viderent, quàm vt suam causam recta ratione tueri possent, ad hunc confugere locum solitos. Vt nunc temporum foret ratio: nondum à rescindendis grauioribus ve réque serijs malis tantum esse otij nobis, vt de fr. uolis istis delictis, & velut minutis nexijs valde sollicitos esse oporteret. Primum hanc decere esse curam, vt vera in hominum animis inseratur ac coalescat pietas, vt mores ad pietatis regulam exigantur ac formentur: vt denique tota charitate, mansuetudine, patientia ceterisque Spiritus donis vita intingatur. Id vbi consecuti fuerimus, tum fore idoneum tempus ad hæc leuiora descendendi. Tanta contra peruersitate esse hodie quosdam, vt cum vna Missarum ac ceremoniarum abominatione totam religionis nostræ vim describant, quiduis in homine Christiano ferant potius, quàm Missam vnã auditam: eum verò qui à Missa strenuè abhorruerit, etiam si nulla in reliquis vitæ partibus mica pietatis eluceat, solum Christiani nomine dignum & agnoscant, & prædicent. Talibus obiectis quid tum responderim, testes illi mihi sunt, quos dico. Verùm quoniam nonnullos, vt dixi, fore prospicio, qui nunc quoque non dissimiliter nos accipiant: hac sua ratiocinatione parum se profice-

ficere, ut intelligant, faciurum me spero. Eos igitur omnes hortor, primum, ut omni contentione posita, secum dispiciant, num pro facili leuique delictio sit ducendum, quo Paulus Dominum ad pugnam prouocari, quo aduersus Christum peccari, quo mensæ demoniorum communicari, quo Christi mensam repudiari tradit. Si leues illi, facilique digni venia lapsus: flagitijs ac sceleribus definiendis, quæ digna tandem verborum grauitas reperietur? Huc si obliquè illas Pauli oburgationes detorqueri aiunt, quò igitur dirigi possunt, non video. Acerbum illum stylum in eos stringebat, qui ad edendas hostiarum reliquias, festus idolorum epulis assidebant. Deum ipsi de conscientia sua innocentia testabantur: quandoquidem contempta Gentium vanitate, nihil aliud quàm vescerentur puris Dei creaturis, quas oratione ac gratiarum actione sanctificari in fidelium vsum nossent. Excipiebat ille contrà, confessum illum infidelium, ad simulacri cultum conuenire: solenne illud epulum, idoli nomine gratiaque institutum. In ea ergo & conuentus & epuli celebritate qui sederet, vtcunque animatus apud se esset, id tamen committere, vnde & idololatrarum ludibrio Dei gloria exponeretur, & imbecilla fratrum conscientia subuerterentur: quòd & illi consortem ad simulacri sui cultum habere se Christianum hominem autumarent, ac gloriarentur: & hi eius exemplo ad idem agendum, quanquam nutante vacillantèque conscientia, audaces fierent. Quid autem isti nostri? Ad Missam, quam longo variòque sacrilegiorum apparatu instructam vident, conueniunt: & conueniunt cum multitudine, quam perniciofa Missæ persuasione miserè infatuatam norunt. Cuius tamen sic cecitatem superstitionemque intus miserantur, ut exterius imitentur. Panem quem idolum reliquis esse sciunt, simul cum illis vnòque gestu venerantur. An non hinc & Christi crucem apud eius inimicos deridiculo prostituunt, & infirmorum fratrum hesitantem simplicitatem exemplo suo ad imitandum concutiunt? Non est igitur cur hinc suæ præuaricationi molliter blandiantur, aduersus quam tanto verborum fulmine exardere Apostolum vident. Quid, quòd à professis iuratisque Christi & Evangelij eius aduersarijs, hoc veluti pignus abueganda veræ pietatis de se exigi intelligunt? Hic enim illis hodie ad explorandam vnuscuusque fidem, lapis Lydius est, curiosose obseruare quis Missam audiat, necne: ut in vno Missæ cultu tacitam nescio quam professionem accipiant, qua in vniuersas suas abominaciones semel iuretur: vnus Missæ contemptu, corruiere easdem & interire existiment. Respondeant nunc mihi bona fide isti Missarum alumni, quibuscum mihi quaestio est, dum capitalibus verbi Dei hostibus id concedant, quod illis abiuranda veræ religionis symbolum esse non ignorant: an non hoc, ceu dato pignore, illorum sese execrabilireligione obligant ac deuinciunt? Non enim iam qualis ipsa per se sit Missæ audientia, considerandum scilum dico, sed quantum ponderis cum suis circumstantijs appensa secum ferat. AEstimandam autem tanti censeo, quantum impiorum improbitati in ea dare volunt. Sit nobis ille in exemplum Eleazarus, de quo Machabæorum narrat historia: illa item, quæ ibidem refertur, mulier cum septem suis filijs. Omnes cum paucillum suillæ carnis gustando, vitam redimere possent, extremos subire cruciatus maluerunt, quàm eius soporem, linguæ adnouere. Quorum omnium si factum per seipsum species, parum aberit quin tibi in oppetenda usque eo temerè morte, insanisse videantur: sin causam diligenter expendas, grauissimam fuisse rationem inuenies, cur ad seuisissima quæque perferenda suppli-

Ioseph. in  
libello de  
machab.  
&c. ma. 6.

cia darent potius sese, quàm interdicti cibi gustu contaminarent. Fateor in suilla  
 esu nihilo fuisse alioqui plus religionis, quàm in manducandis panibus propositi-  
 onis: quibus tamen urgentem famem depellere Dauidi nullo piaculo licuit. Verùm  
 cum impius tyrannus, qui non Dei legem modò abolitam, sed nomen quoque peni-  
 tus extinctum cupiebat, illis instaret, ut hoc symbolo ab observatione Mosaicæ le-  
 gis deficere se testarentur, reputabant, id quod res erat: non in vna duntaxat ce-  
 remoniola, si obsequerentur, violatum iri à se legem: sed editum iri testimonium,  
 quo Deum cum vniuersa sua lege abnegarent. Quo factum est, ut cum sancto illi  
 viro ab amicis carnes aliæ supponerentur, quas pro suillis ederet, ne ea quidem si-  
 mulatione elabi sustinuerit, quòd videbat eandem semper Dei aduersarijs bla-  
 sphemia tesseram se daturum. Non est, aiebat, etati nostræ decorum, fingere:  
 quò multi adolescentes Eleazarum nonagenarium, ad vitam alienigenarum  
 transisse arbitrati, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum cor-  
 ruptibilis vitæ tempus decipiantur: atque ita maculam & execrationem me se-  
 nectuti acquiram. Nam etsi in præsentis tempore hominum supplicijs eripiar, ma-  
 num tamen Omnipotentis, nec viuus, nec mortuus effugiam. Quapropter vita  
 fortiter excedendo, agã quod etate mea dignum est: adolescentibus autem exem-  
 plum fortè relinquam. si prompto animo ac constanter pro grauissimis & sanctis-  
 simis legibus, honesta morte perfungar. En profectò, non dicam appositissimum e-  
 xemplum, sed expressam imaginem, quæ nobis ad viuum referat, quid sit, ad pla-  
 candos Euangelicæ veritatis aduersarios, Missam audire. Ad hæc, ut ut istud vi-  
 tij in minimis malis habeant: si tamen & vitium esse, & diuinæ voluntatis trans-  
 gressionem fatentur, quod negari non potest, non ad eò nihil æstimare debent,  
 ut nobis propè permissum faciant. Quanquam enim si inter se ipsa conferantur  
 Dei mandata, alterum altero præponderatur: vbi tamen ab illa collatione dis-  
 cessimus, nihil tanti esse nobis debet, quod non eorum postremo facillè cedat. Sic e-  
 nim ipse quoque Magister sua voce docet: Qui vnum, inquit, ex minimis istis  
 mandatis soluerit, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno Dei. Vi-  
 demus hac oratione genus illud Doctõrum directè peti, qui sic inter Dei leges di-  
 stinguunt, quasdam ut leuiore esse doceant, quarum contemptui facilius sit in-  
 dulgendum. Nullum fore numero in regno cœlorum cum audiunt eum, qui vel  
 minimum ex Dei præceptis contemptibile sua facilitate fecerit, qua confidentia  
 dicitare adhuc audent, omittendam in præsentis eius mentionem, in quo vulgò ab  
 omnibus ferè delinquatur? Nimirum hæc humani iudicij est prauitas, quale ipsum  
 sit quod iubetur, opinione sua, non Dei voluntate expendere: deinde in solum præ-  
 ceptum intueri: non aduertere interim (quod maximè referebat) Deum esse legis-  
 latorem, cuius maiestas leuibus etiam illis, si ita volunt, transgressum culis minua-  
 tur. At verò Dominus, ut huic prauitati obuiaret, docerètq; quàm nulla legis suæ  
 particula eleuanda esset à nobis, volumen maledictionis in vniuersam faciem terræ  
 egressum Prophetæ in visione ostendit, quo furtum omne & omne periurium pari-  
 ter condemnaretur. In eandem quoque sententiã ab Iacobo dictũ est: Qui vetuit oc-  
 cidere, vetuit & adulterari, & furari, & aliena cõcupiscere. Quare, qui totã le-  
 gẽ seruauerit, si offēdat in vno, factus est omnium reus. Sic sic instituēdi erāt homi-  
 nes, nullum esse in Dei præceptis, quātunvis exigua de re præcipere videatur, quod  
 non plusquam sacrosanctum nobis esse debeat. Nam dum ita vel minima rei (cuius

Matt. 5.

Zacha. 5.

Iac. 2.



tamen obseruationem lege sua mandauerit Dominus) negligentia in hominum animos insinuat: irrepit paulatim & subsequitur legis vniuersa ac iustitia contemptus. Insulfos illos, quos aiunt, religionis descriptores, si qui tamen sunt, qui totam ipsam intra vnam Missæ abominationem limitant, adeò tueri mihi in animo non est, ut etiam eorum errori fortiter resistendū censeam: nec pro fidelibus agnoscendos dicam, à quibus maxima ex parte pietatis vis sic eneruetur. Neque tamen si præposterè agunt, dum oram religionem minima eius partiuncula terminant, idcirco non & illa, quæ atulacunque est portio, inter eius partes continetur. At isti dum tantopere Missam detestari non oportere ex eo colligunt, quòd quidam nihil aliud esse pietatem falsò autumant, quàm eius detestationem: perinde faciunt, ac si quis furtum & homicidium contemnendū dicat, quòd qui in ipsa acerrimè hodie vindicant, adulterijs, periurijs, blasphemijs ignoscunt. Non sic Dominus noster. Nam cum Phariseorum & Scribarum hypocrisim castigaret, qui sic minutissima quæque legis pænula confectiabantur, ut summa interim capita præterirent iudicium, misericordiam, & veritatem: non docuit, illis omisus, hæc faciendæ: sed hæc fieri oportuisse, illa verò non omitti. Itaque bonus quidem istis viris hoc non adimo, quin eorum inconsiderantiam iure reprehendant, qui ad cætera vitia conuenientes, & plura numero, & pondere grauiora, vnam Missæ detestationem pedibus ac manibus vrgent: verùm si præstare volunt quod par est, non modò ut eorum errorem iure reprehendere, sed in melius etiam corrigere existimentur: non id tollant, in quo illi nimium hærent (quando sine pietatis iactura tolli nequit) sed dum non esse negligendum concedunt, alia quoque esse non minus curanda commonefaciant. Vides profecto, mi Frater, quàm late totus hic locus patebat, si in eum oratione excurrere voluisssem: sed quoniam me agere cum illis hominibus confido, qui veritati simul atque ipsam agnoverint, manus sint daturi: mihi nihil maiori studio fuit, quàm illam ipsam veritatem, qua summa poteram breuitate, indicare.

Equidem neque etiam me præterit, quas præterea sibi ad præpādam carnis suæ mollitiem, alijs ad ignauiam animi sui obtegendam, delicias facere soleant: Se nihil sibi permittere aiunt, nisi quod Naaman illi, militiæ regis Syria præfecto, à Propheta Domini Eliseo concessum fuerit. Nam ille ab idolorum vanitate ad vniuersi Dei religionem cōuersus, confessusque nullum esse in vniuersa terra Deum, nisi Deum Israel: cum tamen rem vnam sibi à Domino ignosci petiisset, si cum Rege suo in templum Remon ingressus, illic adoraret: cum pace ab Eliseo dimissus est. Si illi, inquit, in idoli templo non fuit nefas adorare, cur nobis non liceat Deum in ijs templis adorare, quæ eius nomini sunt dedicata, etiam si agere aliud videamur? Utinam in cognoscenda officij sui recondita essent acati & perspicaces, quàm ad exquirenda subterfugia, ingeniosos se esse produnt. Viam potius eam sequerentur, ad quam tot Dei vocibus disertè vocari se audiuit: quàm in semitam declinarent neque satis cognitam, & vnius dumtaxat hominis pedibus pressam. Nam cum cæteris quidem in rebus omnibus, singularibus hominum exemplis insistere, siquid peculiari Dei permissu egisse leguntur, non satis tatum est: tum verò in fidei confessione, id in primis periculosum, cuius sibi legem vniuersæque pro cognitionis, qua præditus est, modo, statuere sibi debet. Ac id sanè ipse viderint. Ego tamen nisi in Naaman exemplo, dissimilia eorū factus esse omnia ostend-

dero, quin illis suffragetur, non resistam. Sin contrà planum fecero, totum id, cuius Naaman insimulant, ab eo longissimè abfuisse, alieno falsòque pretextu velim ut se excusare desistant. Quòd ipse antè pollicitus erat, quàm illa deprecatione vteretur se nullis posthac dijs sacra faciurum, nisi vni Deo Israel: sub ea pollicitatione publicam fuisse testificationem comprehensam dico, qua & Regem, & gentem Syriae uniuersam, religionis suæ consciam faceret. An vero cùm potentissimus Dynastes quem quotidianis sacrificijs deos suos placare oportebat, si aliqua eorum religione teneretur, & solitum antea fuisse verisimile est) ne exiguo quidem thure in tota vita litaret, ignoraret: imò dubitaret quisquam, deos illos abnegasse, quos honore nullo dignaretur? Quid ergo postea deprecatur, sibi ut in idoli templo adorare liceat? Simulanda superstitionis causa si id postulasse probaret & à Propheta obtinuisse, verbum non adderem: sed si rem longe secus habere ipsa sacra Historiæ verba clamant, facile hæc iam soluitur difficultas: præsertim ubi constat, sic publicata eius religione, qualiter euulgaturum se promittebat, nullum superfuisse dubitationi locum, quin idola omnia planè & contemneret, & execrationi haberet. Hæc autem est postulati forma: Si templum Remon ingrediatur fortè Rex meus, & mihi inuixus adorauerit, ego quoque si simul in templo Remon adorauerim, hanc rem ne imputet Dominus seruo suo. Illud de Rege in illum innitente tam apertè, tamque notabiliter dicitur si vel non obseruant, vel abs re positum putant, valde sunt hebetes. Nam inde citra controuersiam colligitur, non aliam sibi concedi adorationem petuisse, quàm qua se ad Regis inclinationem, quæ fulciebat ipse & sustentabat, accommodaret. Id autè erat, non idoli cultum fingere, sed sua Regi officia obsequiaque reddere. Nunc si Naaman imitari volunt, ne sint illi in eo dissimiles, in quo solo à me reprehenduntur. Id sibi habeant cum illo commune, quo solo consequutus est ille, reprehensione ut suum factum caveret nempe omni se idololatriæ suspitione prius liberet: quàmque toto animo ab illis superstitionibus abhorreant, quarum incidere posset dubitatio, testatum omnium hominum conscientijs faciant. Id ubi præstiterint, tum demum videbo, sinne illis concessurus, ut civilis officij causa, siue in cognatorum honestandis funeribus, siue nuptijs celebrandis, ad Missas, aliaque eiusmodi profana sacra interdum accedant. Nam & ex eo quod in epistola illa legitur, quæ sub Ieremiæ titulo fertur, ad populum Babylone exulantem, nonnullam sibi defensionem querunt. Nam quemadmodum illic captiuo populo suadebat Propheta, vel quisquis fuit epistolæ author, ut quoties in humeris circumferri aureos & argenteos deos videret, turbamque vndeque obstupefcentem, ne ipse eodem afficeretur stupore, sed adorans in corde suo, diceret: Te oportet adorari, Domine. Ita se aiunt, dum inter seculi huius sacrilegia versantur, cordibus tamen ad Dominum sublati cogitare illum esse, quem oporteat adorari. Quasi verò ad interiorum cordis adorationem dum illos vocaret Propheta, simul annueret nihil periculi fore, si vultu ad simulacrorum cultum composito, Babylonijs interim gratificarentur. At verò cum nemo non videat, eò duntaxat spectasse ipsum, ut quando minimè licebat Israelitis publicam gentis, sub cuius imperio ac iugo degerent, superstitionem cohibere, suæ tamen religionis integritatem sibi priuatim in animis suis retinerent: non est quòd idololatriæ suæ patronum boni isti viri eum idcirco aduocent. Quòd si ad hanc ipsam Prophætæ trutinam rectè expendere sua facta in animum inducant

suo

suo semet gladio iugulari facile perspicient, Qualis enim hic queso fuerit, imò quis esse omnino poterit, qui conscientia intus Deo canente, ipsum esse unum quem deceat adorari, vultum externumque corporis gestum componere ad idoli adorationem sustineat? Ipsos proinde interrogo, qua conscientia eodem temporis momento, quo Deum solum qui adoretur dignum esse apud se recognoscunt, idola venerari se palam apud homines simulam? Quid enim arcana ista confessione proficiunt, nisi quòd externam illam suam idololatriam coram Dei tribunali proprio animi testimonio accusant? Quare, quòd in eiusmodi simulandi improbitate, Prophetæ consilio se obtemperare iactant, frustra id mentiuntur. Neque enim ab illis quicquam plus ipse exigo, quàm quòd ille (quisquis est scriptor) suis popularibus imperabat: nempe ut publicè sacrum Dei nomen profanari dum aspiciunt, taciis animi votis ipsum apud se sanctificent: tantum ne externis significationibus, eius se profanationis consortes esse testentur. Ad hæc, si quideam simulatione peccant: exëplo Pauli se peccare, ostendere conantur, qui non valde dissimili fictione usus fuerit, Aët. xi. cum ad recolligendam gentis suæ gratiã, votum, cuius ceremoniam cum cæteris legis umbris abrogatam esse nouerat, nuncupauit, atque ad id persoluedum detonsus, & ex legis præscripto purificatus in templo se stitit, spectandumque omnibus exhibuit. Non hic dicam, quòd vel eorum nonnullis arrisurum esse certò scio, nos perperam agere, si eam Pauli astutiam, ad imitandum nobis proponamus, quàm infelici successu castigatam, minime sibi placere Dominus declarauit: quandoquidem rationem esse nullam video, cur hoc Pauli facinus prauæ & illius versutiæ insimulemus. Sed eos toto celo hic quoque errare dico, qui innoxiam, nullaque impura superstitione aspersam Pauli detonsionem, cum sacrilegis ritibus comparandam putent. Nam ut demus, Nazæeorum purificationem & oblationem id fuisse ceremoniæ genus, quòd prodeunte Christo, unà cum reliquis Mosaicæ legis figuris euanescere debuerit: quia tamen nullum alium in finem institutum erat, quàm ad referendam Domino gratiarum actionem, ac sacrificium laudis offerendum, ex eorum utriusque numero fuit, in quibus Apostolo ad tempus licuit, Iudæis se Iudæum præbere, quòd Iudæos lucrifaceret. Eadem si foret missarij sacrificij ratio, quæ fuit eius oblationis: si idem ipsis consilium esset, quòd Apostolo fuisse constat, ego sanè & tan benignam aduersus infirmos fratres mansuetudinem exoscular, & eos exhortarer ad pergendum. Verùm quantum insit in Missa flagitij, planum in me factum esse confido. Quid animi habeant, ipsi sibi locupletissimi sunt coram Deo estes. Quòd verò illis postremum suffugium est, quàm vanum sit ac frivolum cavillum satis fuerit vno verbo indicare. Plurimos esse bonos viros, Dei que timentes, obijciunt, qui nulla veri cognitione adhuc imbuti, Missam habeant sacrosanctam: esse quoque in fratribus non pessimè alioqui verbo Dei edoctos, quibus nondum tamen persuasam sit, quanta sit execratione referta. Eius itaque contemptum si coram ipsis præ se ferant, maximas utrinque offensiones imminere causantur, quibus occurrere, Christianæ sit modestiæ ac mansuetudinis. Benè istud quidem, & prudenter, si esset hoc scandalis obuiam ire, sic cauere ne in te incurrant hominum offensiones, ut simul eorum pedibus scandala instruas, quibus in Christum ipsum impingant. Et quid aliud agunt, dum operantur, ne Missæ contemptu, vel prorsus in doctos, vel nondum planè confirmatos offendant? Nã illorum quidè offentione à se amoliantur: sed ad Deum offendendum, exemplo suo eos illectant. At non ita

Votum  
Pauli.

Roma. 15 nos instituit Dominus, qui vult profecto nos omnibus placere, non tamen nisi in bonum: qui precipit, vt infirmis nos accommodemus, at in adificationem: quam minime omnium sectantur, qui eorum simplicitatem perniciosissimo errore, quo illaqueatam ipsam vident, fortius adhuc constringunt. Hinc porro accidit, vt dum omnes scand. li conscientia deterreri se fingunt, re vera hominum aduersum se indignationem reformidant, nemo syncera integræque puritate præire vnquam alijs incipiat. Quid enim causæ esse putemus, quod è tanta multitudine nemo in hac parte expergiscitur, nisi quia dum ita alter alterum intuetur, ad Deum oculos nemo dirigit: ac dum vnusquisque quid alijs prestent expendit, iusta regula, hoc est Dei verbo, modum officij nemo metitur? Et cum in hunc modum ipsi sibi mutuo laqueos neclant, scandalorum mentionem facere audent: quæ aut nulla, aut quàm minima essent, nisi in plana expeditaque via ab ipsis obijcerentur.

Nunc vt ad te, suauiss me Frater, sese oratio nostra referat: quanquam certe ipse per te iam intelligis quid consilij tibi restet, vbi perspectum habes, quod te ducat verbi Dei linea (ad quam deliberationes omnes tuas conformari limitarique decet): ne qua tamen in parte tantis desim tuis angustijs, quam à me tibi perscribi officij formulam literæ tuæ flagitant, eam quàm potero breuissimè tibi expediam. Ad sis modò vicissim tum accincta propensaque ad auscultandam Domini vocem obedientia, tum ad exequenda eius imperia constanti introp: adque animi destinatione: ac denique, id quod est, memineris, non tam ab homine tibi dari consilium quàm è sacro aterni Dei ore acceptum oraculum per hominem pronuntiar. Hoc ergo in primis tibi in vniuersum interdiciam arbitrare, ne te quisquam aut Misæ sacrilegio communicent, aut coram simulacro caput detegentem conspiciat, aut ullam omnino superstitionem suscipientem, ex earum genere, quibus obscurari Dei gloriam, quibus eius religionem profanari, quibus eius veritatem corrumpi, supra docuimus. Quas vsurpare non potes, quin & impijs confessionem edas, in Deum peuitus contumeliosam: & imbecillos fratres in exitialem ruinam exemplo tuo trahas. Sic autem dum te geris (si quidem ad manifestiorem confessionem progredi animus nõ est) perspicendam simul est tibi, quantum in te situm fuerit, ne miseri illi ac cæci idololatæ (quibus sublata sua superstitione, Deus ipse cum tota sua religione collapsus videtur) dum tibi sua idola contemptui deridiculòq; esse obseruariat, Dei quoque contemptorem te ac derisorem esse opinentur. Quod aliqua ex parte assequeris, si & rarus in eorum sacris compareas, & totam vitæ tuæ rationem sic instituas, vt religiosam illis quiddam spiret. Age igitur, optime Vir, tale in tuis moribus eluceat pietatis, bonitatis, continentie, charitatis, castitatis, innocentie studium, quod omni te impietatis suspicione in omnium hominum conspectu præclare purget: vt etiam si superstitiosuli non esse te sui similem indignè accipiant, seruum tamen Dei, velint nolint, agnoscere cogantur. Deinde, nisi ad exponendam cuius fidei tuæ rationem te comparas, eorum morositati eatenus indulgeas, ne quo tempore sacra sua peragunt, in ipsa media tete inferas, contemptum sine causa ostentaturus, quem ab ipsis (qua sunt ignorantia) pro mera in Deum impietate acceptum iri scias. Et quid inde lucri vel tibi, vel alijs redeat, si atheon te esse suspicentur, quem nulla tangi religione existiment? Verum, vt illam suspensionis causam ne vltro datæque opera præbeas, consulo: ita, si fortè fortuna illuc incideris, satius multò fuerit, quiduis de te suspicentur, quàm ido-

idololatram conspiciant. Quòd si dignam Christiano homine sanctitatem mores tui habuerint, tum ad refutandas eorum sinistras obreclationes, in illa vitæ integritate præsidij satis habebis. Iam & familiæ instituendæ curam in primis caue prætermittas: cui non ideo solum te esse præfectum cogitare debes, ut obsequia tibi sua operasque reddat, sed ut religiose abs te in timore Domini educatur, optimaque disciplina imbua ur. Nam si verum est quod ab Aristotele dicitur, suam unicuique domum quandam esse paruuli regni effigiem, in qua pater familiæ ipse instar reguli, leges ferat, quibus plebeculam suam ad omnem iustitiam innocentiamque instruat: ne hominum quidem iudicio excusandus est ille, qui regendæ familiæ securus, modò ipsam erga se satis sedulam ac officiosam semper habeat, in Deum & homines flagitiosam esse sinit. At tibi altius etiam cogitatione assurgendum est: nempe custodiae fideique tuæ commissos à Domino eos, quibus te Dominum destinari: à Domino, inquam, tibi assignati sunt, qui tibi subsunt serui, quos ipsi primùm, deinde & sub ipso tibi obedire seruireque doceas, atque assuescias. Quare, non sine causa tam graui censura notauit eos Apostolus, qui administrandæ familiæ sollicitudinem à iocrent, ut eos assereret fidem abnegasse, & esse infidelibus deteriores. Quid enim aliud, quàm prouinciam sibi à Deo traditam deserunt & abiurant, vocationemque eius renuntiant? At pessimo sunt ingenio famulorum plerique, & in quibus verum ferè vetus illud de seruis prouerbium experimur: Tot esse domi nobis hostes, quot sicut serui. Sic quidem vulgò existimatur, & iactatur: sed non ita est. Non enim eos habemus hostes, sed vitio nostro nobis facimus, dum eos instar brutarum animantium, sine doctrina, sine Dei cognitione, sine pietatis institutione alimus: ac conseruos esse nostros obliuiscimur, quorum regimen nobis fuerit à cœlesti Domino commendatum. An verò Scriptura Christiani elogium, homini nemini deferret, ut non simul adijciat ipsum credidisse, & domum eius totam: nos autem de Christi fide gloriabimur, eius abnegationem intra domus nostræ parietes, in seruis nostris fouentes? Quare, si in homine frugi istud apprimè requiritur, ut rectè & ordine familiam administret: Christiani autem hominis familia tum rite demum composita censeri debet, si cuiusdam veluti Ecclesiolæ species in ea spectatur: danda omnino tibi opera est, ne tuam pietatis rudem, atque ignorantem relinquant. Neque est quòd te vulgares illi scrupuli moerentur: Egone vitæ meæ arbitrium famulo permittam? Ego, ad me tagulandum, exertum ensem in manum præbebo? Primùm, fac tales in familiam tuam allegas, quorum indoles ac natiuum ingenium boni nonnihil polliceatur: eos nactus, Dei doctrina excolere aude, verbi, ne eius semine conserere. Prouidebit ipse cetera, datoque successu efficiet, ne te mandatis suis obsequatum fuisse unquam pœniteat. Et sanè nisi tibi sponte imponis, dispicere tecum potes, quanto maiore tum molestia, tum periculo habiturus sis perpetuò in ipsis domus tuæ penetralibus, quos appositos tibi custodes ducas, à quorum insidijs tibi semper metuas, quorum timore angulum nullum habeas, in quo hiscere audeas, nisi bis antè circumspicias, an te obseruent: quàm semel eorum fidem vel periculum se te stare. Sic verbi sui contemptum sæpe vliscitur Dominus. In connubio conuolando (quando eam tibi libertatem integram hæcenus esse Dominus voluit) vide quos tibi laqueos induas, si uxorem accipis religione tecum dissidentem. Quinquam quid te considerare iubeo labyrinthos illos, quos animo complecti nemo queat, nisi qui iam ma-

lo suo expertus fuerit? Utinam timeas potius & caueas, quàm aliquando velis experiri. Vestras illas tricas novi: Ita nunc aduersatur, ut paulatim manum daturam confidam. Noli hoc de te frustra polliceri, sed de Domino: cuius donum est singulare, vxor bona. Bonam autem ab eo expectare qui ausis, quem non audis seuerè interdicentem, ne iugum dicas cum infidelibus? Habes à me quod postulabas, vel  
 PRO. 19.  
 3. COR. 6.  
 potius per manum meam à Domino, consilium: periculosum quidem illud carni tue, & parum blandum, sed animæ tuæ fidele & salubre, addo & tibi prorsus necessarium, nisi Domini iugum à ceruicibus tuis excutere, eiúsque religionem abiurare voles.

Tuum nunc est, ad reddendam Domino, quam abs te poscit, laudis confessionem temet exhortari, tibi instare, te urgere & excitare, animúmque colligere: quò labascere seruum Dei, in tanto præsertim religionis cardine, perquam absurdum indignúmque est. Nam quod tibi supra confirmavi, id ut subinde memoria repetas, tibi pæ assiduè subijcias, nunc etiam te coram Deo & sanctis ipsius Angelis obtestor. non hic leuiore de causa controuersiam agitari, quàm quò modo Christum in hominum conspectu non abnegemus: ne ab ipso nos rursus (quod per Apo  
 2. TIMO. 2.  
 stololum suum minatur) cum summum illud tribunal ad iudicandum conscenderit, abnegemur. Ac ne singulare nescio quid tibi imperari credas, quod præstare non sit cui uslibet, in promptu est, quo eiusmodi errori occurram. Si quidem pietatem tuam non peto ut propalam profitearis: solum ne impietatis professione ipsam abneges, abs te contendo. Quid enim aliud, vel tota disputatione spectari, vel nunc obtinere volo, quàm ne horrendis sacrilegijs sanctam Dei religionem contamines? ne corpus tuum, quod sibi in templum dedicauit, fœdus abominationibus profanes? ne in execrabiles blasphemias tuum nomē inscribas? Et istæ scilicet omnia tanti esse ægrè persuademur, quæ cum aliquo vitæ periculo, aut etiam, si opus sit, fuso sanguine fugiamus? Imo verò breuem miseræ huius vitæ vsuram nimio æstimamus, si tan i eam ducimus, quæ talis impietatis mercede constare debeat: mortemque nimium perhorrescimus, si grauius in ea quiddam esse putamus, quàm in hominum venia, quæ nos coram Deo faciat sacrilegos, apostatas, perfidos, proditores: si à Christo audire malumus, indignos esse nos qui eius discipuli censeamur, quàm ab hominibus nos esse dignos, qui moriamur: si denique eius timore, spem æternæ vitæ resignamus. O inanes gloriolæ nostræ flatus, siue fidem in Christum iactamus, siue quo alio titulo nos venditamus! An verò Poctam illum, qui mortem terribile ducebat esse exitium, in altera quidem persona, sed ex sua sententia exclamare patiamur: Vsq̃ue ad eónem mori miserum est? Nos autem verbo Dei edocti, nihil aliud, quàm per momentaneum doloris sensum, in vitam immortalem, ac beatam quietem ingressum ipsam esse, contrà reclamabimus, miserum esse mori?

1. COR. 15.  
 O nos septies miseros, quos cunctis mortalibus calamitosiores, testatur Paulus, si præsentis duntaxat vitæ fiducia nitamur! In alto, inquires, pinguique otio viriles istos igniculos iacere faci. è tibi est: non secus ac de bello in vmbra philosophari: at si in rem præsentem ventum fuerit, aliter sentias. Equidem quanquam longè meliora de eius bonitate mihi polliceor, cuius virtute omnia possumus: nec dubito, quocunq̃ue me tandem certaminis discrimine implicari permiserit, quin eundem, quem dedit animum, ad extremum vsque spiritum sit confirmaturus: nolo tamen in me oculos conijcias. Non enim ea tibi solum propono, quæ in vmbra tili

*mea quiete mecum sim meditatus: sed quæ sibi semper in medijs crucibus, ignibus, ferarum, lanienis subiecerunt inuicti Dei Martyres. Quorum recordatione nisi sese acuisent, æternam Dei veritatem, quam suo sanguine fortiter obfirmarunt, perfidè, dicto citius abnegassent. Atqui non ideo illi in asserenda veritate constantiæ exemplo nobis præierunt, eam ut nunc deseramus, quam sic testatam consignatamque nobis tradiderunt: sed artem docuerunt, qua Domini præsidys freti, inexpugnabiles contra totam mortis, inferni, mundi, Sathanae aciem, consistamus.*

*Vale.*

### 1. Petri 2.

*Vos estis genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes enarretis illius, qui vos vocavit in admirabilem lucem suam.*

DE CHRISTIANI HOMINIS OF-  
FICIO, IN SACERDOTIIS PAPALIS EC-  
clesiæ, vel administrandis, vel abiiciendis.

IOANNES CALVINVS, VETERI

Amico, nunc Præsuli, N. S.



**C**um hæc scribere instituerem, subueritus sum primò, ne ineptire tibi atque ad eò insanire quodammodo viderer, quòd inter tot gratulantium voces, vnus tibi mea morositate obstrepã: quin & ipsum id in te de plorem, quod alij tibi omnes tantopere gratulantur. Neque enim dubium esse potest, quin ea in gente, quæ præcipuam ac propè vnicam hominum dignitatem in facultatum amplitudine, fortunæque splendore reponit, amplissimi huius sacerdotij, quo te nuper auctum intellexi, accessio plurimum tibi & gratia & ornamenti attulerit: vt sine controuersia verè beatus ac fortunatus communi omnium suffragio & videaris, & prædicèris. Amicos verò ferè omnes videre mihi iam videor, quò suam in te benevolentiam testentur, ingentem animi lætitiã certatim pro se quenque, aut literis, aut præsentis voce declarantes. Quibus blandimentis te non aliquantum demulceri, quàm sit difficile intelligo: quando & ad delicias eiusmodi omnes, minimè naturà corneæ sunt hominum aures: & tales sunt istæ, quibus nunc tentaris, vt seueriores quoque aures non nihil delinire queant. Siquidem vt permultos esse concedamus, vita procul omni ambitione composita, auræ popularis minimè appetentes: paucissimos tamen reperias, vel eorum qui habentur aliqui moderatissimi, qui si totius theatri plausu accipiantur, animis auribusque affirmatis, nihil moueantur. Atqui vbi te vel tantillum palpandum populi blanditijs titillandumque dederis, te, nec sentientem, non dico in cupiditates nunquam antea cogitatas. sed in ipsius tui obliuionem prorusus abripiunt. Id spectaculi cum animo meo proponerem, non modò, quod iam nuper sum confessus, subdubitauim quam in partem esses accepturus obstreperas istas meas voces. sed substiti etiam paulum in ipsa scribendi cogitatione, & parum abfuit, quin consilium prorusus alijcerem: quòd inter suaues illas Syrenum cantiones vllum satis consilijs locum fore, confidere vix audebam. Enimvero cum mecum rursus reputarem, quantos in scopulos incautum te paulò post illisura essent hæ ipsæ, quæ nunc tibi suauiter arrident illecebræ: hoc me amicitia nostræ veteri, fraternæque penè coniunctioni putauim debere, ne in exitialem ruinam ferri te sciens, ac videns, cum præcipitanti manum dare liceat, dissimulem. Non dissimulabo igitur, & extremum hoc, quod à me deberi existimo nec situdini nostræ, officium persoluam. Cuius si fructus aliquis extiterit, qualem emergere, & vehementer cupio, & libenter sperem, magnam labori meo gratiam ipse retuleris. Sin minus, neque sic tamen operæ pœnitebit: quæ vt tibi sit & alijs quibusdam, vel etiam centum, si libet, ac mille lectoribus in fructuosa, nonnullos tamen fore planè confido, qui ad rem usque ad eò seriam, animi in-



entionem propius admouebunt. Quanquam enim qui ex illo Romana mensa calice semel vel hauserunt, vel minimam guttam delibarunt, eos venefica illa portione ebrios ferè omnes videmus: nisi tamen vehementer fallor, non sic omnes obstupuerunt, ut non possint vnus & alter meis aculeis, quibus hic eorum somnolentia pungetur, excitari. Quamobrè hanc epistolam sic tibi destinavi, ut qui in eadem (ut dicitur) tecum naui vehuntur, omnes sibi scriptam intelligant. Nam neque in vno sacerdotij genere tractando (quod tibi satis erat) eam consumere, sed per vniuersam vestrarum opum colluuiem deducere in animo est: & stylum ita studebo temperare, ut non cum vno duntaxat homine, sed toto simul ordine mihi esse negotium appareat. Equidem non sum nescius, quàm ardua difficilique in causa verfer, dum eos mihi fero iudices, quorum fortunas honorésque omnes in iudicium postulo. Ac quibusdam fortè insanus videri possim, qui sola facundia obtinere in animum inducam, ut se vnica vitæ præsijs abdicare vltro isti velint: quibus ægerrimè cedunt, qui vi manúque illis exuuntur. Apud integros sanè & incorruptos iudices non ita difficile fuerit palam facere totam illam Romanensis opulentia congeriem, ab ipsa suprema sede, ad minimam vsque capellaniam (ut vocant,) ex imposturis, furis, rapinis, sacrilegijs, pejs. misque artibus constat: esse: & cuius nullam particulam attingere possis, quin multorum scelerum conscientia te obstringas. Nam de eo si quis abigit, ei facilè sua dubitatio, antequam dicendi finem faciamus, eximetur. Eandem verò confessionem ab ijs exprimere, quorum ut venter etusmodi imposturis, rapinis, furtis, sacrilegijs, pascitur, ita mens animusque corrumpitur: non ita promptum est. Neque enim scitè magis quàm verè pronuntiatum olim hoc à Carone fuit, vntri nullus esse aures, quibus rationi melioribusque consilijs auscultare queat. Atqui, non hic cum vno duntaxat venire mihi negotium est, sed cum ambitione quoque: cuius affectus ad verum perspicendum non minus cæcus est, quàm ad audiendum surdus illius sensus. Est tamen quiddam, quod in tanta etiamnum difficultate spem mihi aliquam faciat, in ipsis vel docendis, vel monendis, vel obsecrandis, non inanem me operam sumpturum. Tametsi enim omnes præstigijs illis fascinati, quibus suos excacare solet Romanus Pluto, quàm calamitosas possideant opes, non vident: bona etiam pars malo suo altius indormit, quàm ut vllus clamoribus expergiscatur: non sic tamen omnes (nisi vehementer fallor) ad meliorem doctrinam obsurduerunt, ut non vel dimidiam saltem auricm, è tam numerosa gente pauculi nobis arriant. Magna sanè vus est verbi Domini, potentiórque quàm reputare quisquam temerè queat, nisi expertus, & quæ plurimum valeat in vtraque partem: ut quicquid eo attactum fuerit, quamlibet durum sit & saxeam, vel emolliatur protinus, vel conteratur: ut quicquid petatum eius odore fuerit, vel in mortem afficiatur, vel in vitam. Sint igitur innumeri, qui deuoto animo in suam ipsorum perniciem ruentes, mea ista exhortatione, fidelissimo alioqui mali sui remedio, grauius adhuc exulcerentur: quosdam tamen fore minimè dubito, qui obiectum naribus suis vitæ odorem, magna cum lætitia persentiscant. Quorū in numero ut te, Vir mihi amicissime, certissima fiducia ponere ausim, facit cum ingenium illud tuum, & præclaris naturæ dotibus ornatum, & optimis artibus liberalissimè expolitum: tum verò reliquiæ, quas in te semper residere confido, pristina tua pietatis: quam & ingenti cum fructu, nec sine admiratione olim mihi spectatam, verè asseuero. Tentemus igitur, quantum apud

re, aliósq̄ue nondum deplorata cæcitat̄is homines, possit Dei veritas: hoc prius à Domino ipso comprecati, vt te pariter ac eos castigatione sua corrigere malit quàm frangere.

Felicem te omnes, Fortunæque alumnū prædicant, ob nouum istū Episcopatus honorē: qui præter in signe illud Præfuls nomen ac decus, cuius maiestati passim assurgitur, cuius gratia illustres conciliantur amicitia, cuius auctoritate plurimæ clientelæ comparantur, magnarum quoque opum ingentem prouentum tibi sit allaturus: vnde non priuatos modò vitæ sumptus sustinere, sed multorum etiam subleuare egestatem, beneficentiámque in commune exercere liceat: atque (vt nimium in hanc partem ferè creduli sumus) tibi fore persuadent. Ego verò dum reputo quale sit illud totum quod vulgi opinione tanti aestimatur, calamitatem ex animo tuam miseror: eoque magis, quòd sub felicitatis specie sit fallit, ne miserum te esse cernas. Ille enim ordinis vestri splendor, illa maiestatem plena veneratio, opulentia illa, domesticus nitor, amplum famulitium, quandoquidem ab hominibus proficiuntur, quale sit vestrat̄is populi de ipso iudicium, ostendunt: at, sanè Dei iudicium, à quo Episcopus ipse profectus est & institutus, primo loco requirendum erat. Quare, vbi illa omnia audies quæ solent ad tibi gratulandum commemorari, popularis illud trutinæ examen esse memineris: in quo ea sæpius præponderant, quæ in Dei trutina nec appenduntur: in aestimando autem Episcopi munere, populo neque rectè, neque tutò credi iudicium vnus Dei esse audiendum, cuius & auctoritate cõstitutum est illud, & legibus definitum. Atque ad id si animum seridò ad Dominum aduertere libet, diffidant inanes illi omnes fumi, tibi que penitus euanescant oportet: qui si qua in parte habeant tuæ cogitationis, oculos nõ impedient modò, sed oblimabunt, quominus spectare ad liquidum queant illam, quam Dominus proponet veritatem. Nihil & quius cogitari potest hoc meo postulato. Verum, ad tantam æquitatem ad id nulli sunt attentis, vt neque primo, neque secundo, nec postremo quidem loco, quam à Domino prouinciam acceperint, cogitent. In mitra partim, & lituo, & pallio, & annulo, reliquaque eiusmodi supellectile defixæ sunt omnium mentes: partim verò, & quidem altius, in illis facultatibus, quibus & domesticus splendor, & populosa familia, & mēse elegantia, & omne deliciarum magnificentiaque genus continetur. At enim vniuersam istarum ineptiarum vanitatem tantisper ex animi intuitu scemoue, dum veram muneris tui rationem mecum è verbo Dei recognoscas. Episcopus creatus es? Instat tibi mox sua exhortatione Apostolus Paulus: prospiciendum esse tibi, quod acceperis in Domino ministerium, vt illud impleas. Ministerij nomen cum audis, & constitutum te alijs debitorem, neque tuo te commodo, sed in rem vsūque aliorum Episcopum esse succurrat. Ministerium autem ipsum quale sit, vt non sine causa videre iubet, ita diligenter in hanc curam est incumbendum. Nam neque pascendæ Christi Ecclesiæ præfectum esse, res est vulgaris momenti: nec leuis operæ negotium, functionem ipsam fideliter exercere: neque mala fide administrare, mediocre, facilisque veniæ delictum. Quos Ecclesiæ suæ pastores Dominus præficit, eos se in populi sui tutelam, & custodes apponere, & speculatores collocare testatur. Tantum ponderis vel his duobus verbis subest, quantum ad erigendas omnium mentes satis esse debeat, ne tanta in procuratione vel cõtemptu, vel securitate, vel ignavia, vel negligentia torpescant. Non hîc ago de ordinis dignitate: operis etiam mo-

Colo4.

Ifa. 62.  
Ezech. 2.

lem

lem nondum attingo: sed de ipsa duntaxat rei magnitudine loquor, ne exigua contemptibilique in prouincia versari se putent, quibus est id muneris à Domino demandatum. Sunt igitur, quicumque regendis Ecclesiis præsumt, custodes populo Dei constituti, qui eius curam & habiant, & gerant: sumi & speculatores, qui in eius salutem inuigilent: præclara omnino administratio, dignissimâque (si qua alia sub celo digna est) in qua nerui omnes contendantur, tota ingenij vis explicetur, omnes denique & animæ & corporis partes desudent. Simul enim & æconomi intelliguntur in Domini familia constituti, & in moderando eius regno quidam veluti procuratores. Qualis verò æconomia species? Non ad tenue sanè sordidumque aliquod ministerium, sed ad dispensanda cælestis sapientia mysteria, ad cõque ad ipsam Dei domum ex adificandam & constituendam destinantur. 1. Cor. 4.  
1. Cor. 3.

Qualis regni procuratio? Non ea certè quæ exigua aliqua in parte aut leniculis functionibus, sed quæ in exerenda excendâque, ad fidelium salutem, Domini potentia, versetur. Quare & sal terræ, & lux mundi, & Angeli Dei, & ipsius Domini cooperarij vocantur, quicumque docendi personam in Ecclesia Domini sustinent: ipsa autem prædicatio, & virtus Dei in salutem omni credenti, & regnum Dei nuncupatur. Hæc ergo prouincia magnitudo, si oscitantiam omnem excutere tibi debet, vbi ad ipsam operis molem animum conuer. eris, enarrari non potest, quanto studio excitari te inflammarique oporteat, nequid in obeundis eius munijs diligentia reliquum facias. Non enim ea est, quæ aut torpere hominem ac desidere sinat, cuius humeris incubuerit, aut leui perfunctoriâque opera contenta sit. In præfecturis quidem & satrapijs, quibus familiares suos, reges honorant, otiosam sapius dignitatem spectare licet: at quos Dominus ad regendam Ecclesiam suam vocat, ijs administrationem mandat, negotij, curæ, sollicitudinis plenam: nisi verò ideo facilem esse iudicamus, quia paucissimis verbis apud Prophetam perstringitur: vbi Dominus iubet accipi ab ore suo verbum, & ex se populo annuntiar. Sed huic paucorum verborum imperio quantum subsit ponderis, Dominus non ster indicauit, eos demum familiae suæ æconomos officio suo respondere testatus, qui in reddenda procurationis ratione, duas non vulgares virtutes, fidem ac diligentiam approbare possint. Matt. 6.  
Mala. 2.  
1. Cor. 3.  
Rom. 1.  
Matth. 2.

Enimvero hic plerosque videmus hallucinari, qui dum annuntiandi verbi munus sibi demandatum audiunt, præclare se defunctos putant, si qualencunque populo Verbi gustum præbuerint: minimè autem animaduertunt, aut quale annuntiar verbum velit Dominus, aut quam annuntiandi rationem statuât. Atqui non exiguum quiddam ab Ecclesiæ suæ ministris requirit Dominus, cum eos dicit se potuisse custodes, qui nec die nec nocte quiescant, quin perpetuo excubent ad eam protegendam. Deinde quales ipsos agere excubias velit, per alterum quoque Prophetam declarat: Nempe, vt populo quietem agente, ipsi quasi è specula eminens circumspiciant, ne qua improuisa calamitas incautos opprimat: sed quæ impendere pericula viderint, longè antè denuntient, vt sit eorum prouidentia, non secus ac omnes Ecclesiæ oculi: eorum vox, non aliter atque clangor tubæ, in cuius signum intenta sit ciuitas vniuersa. Quamquam ne his quidem adhuc finibus tota Episcopi functio continetur, sed omnes eius partes semel complexus est Dominus, vbi Pascendi verbo designauit, cum Petrum pascendis suis ouibus præficeret. Nam vt Platonem & Homerum omittamus (qui plurimas regis dotes melius exprinere nõ Iesa. 62.  
Ieze. 33.

possunt, quam dum *ποιέειν λόγῳ* vocant) sacrae Literæ, dum omnem pietatis, amoris, suavitatis, sollicitudinis affectum complecti volunt, Pastoris nomine hæc omnia simul enuntiant: plus utique aliquid significantes, quam si vel pa rem, vel præsidem, vel ducem vel custodem dicerent. Siquidem pastor & deducendi, & regendi, & seruandi non solum curam gerit: sed quodammodo etiam pater est. Neque temere reperiri possit in patris visceribus tantus amoris ardor, quantum Dominus non sicut pastori tribuit, cum bonum pastorem dicit animam pro ouibus suis ponere. Ita que ipse quoque cuius sanguine pascimur, Pastoris titulo à Prophetis præsignatus est, & se quoque præsens hoc nomine appellauit. Atque ut clarius perspiciamus, quibus iam limitibus describatur Episcopi officium, dum pastoritio muneri comparatur, quibus in rebus vigilantia sedulitasque pastoris sita sit, tecum ipse considera. Ut enim huius integritatē nemo ludauerit, nisi qui sufficiens gregi pascuis intētiſsimam curam impendat, nec minus interim de arcendis ab eo depellendisque omnibus & iniurijs & insidijs sit sollicitus, postremo vocando ac deducendo, viam semper ipsi demonstrat, quam sequatur: ita nec Episcopum suo munere rite defungi putes, nisi qui tribus istis sedulo toro que studio aduigilarit: Ecclesiam ut verbi pabulo nutriat, & verbi præsidijs aduersus Sathanæ incursiones muniat: demum vitæ sanctitate viam ostendat, quæ sit ijs tenenda, qui ad regnum Dei aspirant ac contendunt. Hanc sanè pascendi legem & sibi fuisse propositam vidit Apostolus Petrus: tanta se eius muneris difficultate premi confessus, ut ne mensis quidem simul vacaret ministrare: & alijs quoque proposuit, quos exhortatur, ut curâ gregis agant, excubantes in eius salutem, non quasi necessitate coacti, sed sincera animi propensione: neque sordido lucri studio, sed tota peccoris alacritate: nec Dominium exercentes in Christi hereditatem, sed se ad omnis boni exemplar regulam que formantes. Quid quod Ecclesiæ suæ ministris tantam imposuisse sollicitudinis molem Dominus non contentus, canum etiam vices, qui ipsorum alioqui pastorum excubitores esse solent, sufficere suppleréque iubet: ad eò ab hoc munere omnem feriendi securitatem laborisque remissionem sublatam esse voluit. Iam videmus non sine causa facere Apostolos, dum tot dotibus instruunt eum, qui sit in pastoris locum cooptandus: quando quidem plurimum abest, quin sit cuiusvis præstare, quod in ordine illo Dominus seuerissimè requirit.

Verum nos seposita vitæ mentione, docendi duntaxat officium, quale sit, in præsens ostendamus. Idque ipsum, quò dilucidius sub oculos tuos sistatur, ab amplis illis, quibus diffunditur, spatijs reductum, secundum Pauli partitionem in duo membra colligamus. Neque enim hic absolutam veri pastoris imaginem formare statuimus, ut iustam de eius ministerio disputationem necesse sit ordiri: sed te paucis admonere, quantum oneris suscincas, dum tu, etiamsi alienum ab Ecclesiastico pastore munus profiteris, nomen tamen Episcopi personamque sustines. Sic ergo totam docendi prouinciam cum Apostolo partimur, ut eo qui secundum doctrinam est sermone institutus Ecclesiæ minister, talis sit, qui & exhortari possit in doctrina sana, & eos qui aduersantur conuincere. Cum duplici hominum genere negotium illi proponi vides: quorum apud alios quidem exhortationis est vsus, aliorum frangenda est reuincendaque pernicia. Et quid hoc aliud est, quam quod iam antea demonstratum fuit: partim pascendus ouibus, partim lupis abigendis intentum esse oportere eius & animum & studium? Qui veri primariique

vijque pastoris voci aures habent apertas, & ad auscultandum paratos facilesque sese præbent, ac tractabiles, hi sunt ouium loco habendi. Proinde, siue docenda eorum ignorantia, siue excitanda tarditate, siue imbecillitate exhortanda, siue lapsus obiurgandis, siue erroribus monendis, semper & fouere pastoritia sollicitudine ipsos, & benignitate tractare studeas oportet. Rursum, altero quoque oculo sunt obseruandi lupine à Christi septis abductas incautas oues deprædentur, quales partim sunt contemptores isti, quibus vt verbum Domini propè fabula est, ita eodem Dei contemptu verlique eius ludibrio, pios animos imbuere summa est voluptati: partim pseudoprophetae, qui veram puramque religionem & perniciosis mendacijs obscurare, & prauis dogmatibus contaminare, & dissidiorum contentione scindere, & quibus denique vijs possunt, euertere conantur.

Iam verò sequitur, quod tertio loco propositum erat: nihilo esse neglectæ desertæque functionis pœnam leuiorem, quàm sit administranda difficultas. Nihil enim grauius proferri potuit, quàm illa planè horrenda denuntiatio, quæ Episcopi auribus assidue insonare debet. Id enim ipsum, quod Prophetæ suo denuntiabat olim Dominus, nihilo ad eos minus, quàm ad Prophetam, cui semel dictum est, Ier. 3. & 33. pertinet: Posui te, inquit, populo meo speculatorem. Si dicente me ad impium, morte morieris, non locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat, ipse quidem in sua iniquitate morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram. Quis iam in eo delinquendi sibi licentiam indulgere audeat, in quo vlciscendo se ad eò seuerum fore Dominus ostendit? Quis iam negligentia suæ blandiatur, aduersum quam sic tonat Dominus ac fulminat? Quis impunitatis confidentia sese deludat, terribili hac sententia pronuntiata? Paulus sanè, quanta sententiæ huius religione teneretur, abundè testatus est, cum & necessitate se ad euangelizandum obstringi ait, & maledictionem ipse sibi indixit, nisi necessitati parèret: addita sola ista ratione, quia munus sibi creditum esset. Quare, & cum apud Ephesinæ Ecclesiæ ministros de sua integritate differeret, quò suo eos exemplo animaret, ideo se mundum esse ab omnium sanguine affirmavit, quoniam non subterfugerat, quominus omne Dei consilium illis annuntiaret. Acto. 20.

Verùm ne quicquid in genere de pastorum officio disputatur, quasi minimum ad te pertineat, securus audias: iam conuerso ad te sermone, experiar num aliquis adhuc in te resideat Dei timor, quo te olim non penitus vacuum esse sensi. Istud tamen dissimulatum tibi nolo, mirari me non satis posse, qualis sit ille tuus stupor, vt cum tot Domini iudicij ac telus letalibus configantur ignaui pastores, nullum eorum in te dirigis sentias: cum illi tamen, nisi per tuum latus, vulnerari non possint. Quid enim, postquam Episcopi & nomen & locum tenes? Omnia pro Episcopi iure ac potestate administras, omnium in te coniecti sunt oculi, velut in religionis antistitem: fidem Ecclesiæ tuam obligasti: quo quæso prætextu officium ipsum abs te reijcies? Tu, dum tuum commodum, dum potestas, dum prærogatiua, dum dignitas agitur, Episcopus agnosci vales: dum abs te exigitur, vt quod munus est tui vicissim præstes, Episcopum esse te negabis? Noli putare, ô bone vir, vel talibus ineptijs Deum quo cum hic tibi negotium est, ludificaris: aut talibus cauillis verbum eius eludi posse: quando ne homines quidem istam in tyranno barbariem ferrent, si rodendo populo, principem se esse prædicaret, regendo negaret. Et tamen audio abs te, tuique ordinis hominibus, voces istas subinde iactari: sa-

cerdotia, quæ sub Episcoporum titulo geritis, nihil esse minus quàm episcopatus: sed dominia potius, aut ciuiles præfecturas, aut honorarias pensiones, aut aliud quiduis, modo ne episcopatus censeatur. An non hoc est Deum simul & homines velle fallere? Quoniam institutum Domini est, vt eligantur, qui Ecclesis præsent, pastores: hoc obtentu allectus es in eam, quam obtines dignitatem: qualiscunque tandem sit, aut quocumque vocetur nomine: non vt satrapiam inuaderes, sed vt Ecclesie administrationem obires, arripis conditionem, inuocato Dei nomine, iuras in probi sanctique pastoris munus. Ea quæ sunt dignitatis pro Episcopo geris: & quo populum habeas obsequentem, nomen libenter præfers, totum populum in te, quasi vix directorem, reclinare: reiectaque ad tuam providentiam religionis cura, securum esse pateris. Ita Deo & hominibus obstrictus, nihil tua referre nugaris, si omnia pessum eant, quorum in te procuracionem recepisti. Equidem si me interroges, quo te loco aut ordine habeam, quiduis potius esse te, quàm Episcopum respondebo: in quo ne obscurissimam quidem lineam extare conspicer, quæ Episcopum aliqua saltem ex parte figuret. At non propterea debere desinis, quod es, Deo teste & hominibus, aut verius, Deo simul & hominibus, sacramento pollicitus: quod expectari abs te hominum opinione vides: denique quod tuo nomine profiteris. Quid profectio ipsam, sacrilegij te reum agit: quando quidem ore Domini in sanctos Ecclesie usus consecratum, ita peruersè abs te & improbè profanatur. Quamobrem frivolis illis tergiversationibus valere iussis, nunc te appello & obtestor præsidem religionis, quàm fideliter & scilicet in componenda constituendaque religione labores: ducem ac moderatorem populi, quanta sedulitate curâdis populi rebus inuigiles. Si te vidente & conuiunte proscindi, conculcari, contaminari, eueri denique totam Dei religionem: si populum miserè circumscribi, fraudibus irretiri, in ruina præcipitari ostendo: qualem iam prætextum afferre possis, qui vel ad minimam excusacionem valeat? Quid quòd non conuiues modò, sed talibus quoque flagitijs te ipsum inscribis? nec tacendo solum & dissimulando, verbum populi quæque Domini prodis, sed manu ipse tua & labefactas veritatem, & populum trucidas. Hoc enim non est quod neges: centum furtorum generis, quibus simplex plebecula expilatur: mille sacrilegiorum formas, quibus & nomen Dei profanatur, & dissipatur veritas: in summa, quicquid penè impietatis & abominationis habet tua diecessis, & manus tue subscriptione approbata esse, & annulo consignata. Quod est sacrilegium sub celo Missa execrabilius? Et tamen sacerdotes, nefandis illis sacris, aut ipse initiis, aut alibi de manu in manum (quod dicitur) initiandos tradit. Quo postea se Christi carnifices iactent, ac ipsum populo, veluti promercatam, quotidie prostituant: non sine summa crucis eius contumelia, cuius virtutem commentitijs illis suis sacrificijs profusus eneruant. Missis ergo suis, quibus nulla est in terris nocentior lues, quoties populum fascinant, acceptum abs te venenum porrigunt. Circulatores istos probè nosti, qui populum vt pecunia emungant, mortuorum ossa circumferunt. Quid vel eorum uindicatione fedius, vel præstigijs nocentius? Vtrumque tamen non sine tuo permissu, addo etiam commendatione, exercetur. Quales veidè sunt excommunicationes quæ nunquam, nisi tua auctoritate prætextæ, efferuntur? Qualia sunt edicta omnia, quæ nomine tuo publicantur? siue aliquid interdiciunt, siue indulgent, an non semper meram spirant tyrannidem? Verùm quia eluenda huius sentinæ nullum futurum finem video,

deo,

deo, diutius in enumeratione non commorabor. Tantum, si tuum est, quicquid à Suffraganeo, à Vicario, ab Officiali tuo ex officio geritur, quid ex tribus illis officinis prodeat cognosce: & per me plane absolutus esto, nisi plus illic pessimorum scelerum reperiās, quorum conscientia obstrictus tenearis, quam sermone designare possim. Nullum enim vel impietatis in Deum, vel aduersus homines iniustitiæ genus prætereunt, dum optima fide, quod suarum est partium exequuntur. Earum, inquam, partium, quas tua voce priuatim demandasti, quas publicè solenni diplomate confirmasti. Ut gesta eorum perinde habenda sint, ac si gerendis illis coram ipse præfuisset. Equidem inuitus, nec sine pudore facio, ut delicta istæc tuæ tam præcisè urgeam: ne accusationem magis instruere videar, quam monitorem agere. Sed quid in re aperta tibi blandiar? Præsertim, cum cò periclitari maximè te cognoscam, quod in perpetrandis id genus nequitijs, perinde ac si quiddam ludicrum foret, tibi delicias facis? Hoc ergo rursum pronuntio, cui inficiendo nequaquam eris: religionem plebèmq; Dei, quarum tibi cura demandata erat, non tua modò ignauia desertas pessum ire, sed improbitate etiam nequitiaque profligari. Si iure in militiæ desertorem capitaliter leges animaduertunt, quæ satis iusta pœna in transfugam constituatur, qui non loco tantum & ordine suo cesserit, sed hostiliter etiam castra ipsa vexarit, quorum in defensionem iurauerat?

Age verò, nihil hîc grauius, quàm officij prætermissione, te delinquere fingamus (quanquam longe secus rem habere palàm est) quod tamen adhuc Dei maledictiones vndique te obsideant, cernis. Væ mihi, nisi euangelizem, dicebat Paulus: munus enim mihi demandatum est. Et qua, quæso, maiore prærogatiua, Væ istud abs te deprecèris, quod ipse sibi Apostolus denuntiabat? Debitorem ille se eruditus pariter & rudibus profitebatur, ad quos Apostolus mittebatur. Tu cur aliquid minus tuis debeas, quibus Episcopus es præfectus? Ille Ephesinis mun- Rnm. 1. dum se ab omnium sanguine testabatur, quia nunquam subterfugisset, quominus omnem Dei voluntatem illis enarraret. Tu quam à sanguine munditiem iactabis, cuius ex ore nulla penè vnquam syllaba audita est, quæ vel vna in re Domini voluntatem saltem subobscurè indicaret? Neque verò eo vsque sum iniquus, ut pasto- Acto. 10 rem nullum ferendum censeam, nisi qui incomparabilem illam & verè diuinam Pauli virtutem æquis, ut dicitur, passibus sit affecutus. Quin potius & permultos fuisse olim, & hodie esse non paucos dico, non Episcoporum nomine solum, sed laude etiam admirationeque omnium dignissimos: quorum ueminem tamen video parem illi extitisse. Sed hoc honore dignamur eos, qui etsi ad vltimam illam perfectionem non pertingant, ad eam tamen strenuè contendunt & enituntur, ut si cum Paulo ipso comparentur, impares esse dicas, magis quàm dissimiles. Tu cum nullam eiusmodi similitudinem præ te feras, mirum est, si Væ illud, impendere tibi non sentis: quod à se non audebat sanctus Dei Apostolus deprecari, si partibus suis defuisset. Iam verò (qualis est præsens Ecclesiæ tuæ status, aut verius ruina) nisi plusquam saxeus esses, eorum quoque fortuna commoueri te oportebat, quos in fidem tutelamque tuam Dominus contulit. Quibus enim oculis otiosus & oscitabundus tantam eorum cladem aspicias, quorum tibi salutem adeò sollicitè Dominus commendauit? Vnus si desidia tua perierit, sanguinem è manu tua se reposciturum Dominus edicit. Recognosce paulisper mecum, quot iam paucis his mensibus, quibus Episcopi locum occupasti, animæ tua culpa perierint, quot etiam quo-

Iefa. 5. tidie perant: si tamen potes. Nam si verum est quod per Prophetam suum conquiritur Dominus: Infernum propterea in immensum os suum aperuisse, & animam suam dilatasse, propterea captivum esse ductum populum, quia non habuerit scientiam: quis inferni gurgis ad deglutendam miseram hanc & tua perfidia perditam plebeculam, sufficere? quæ non vulgari inscitia obvoluta tenetur, sed altissimis tenebris immersa, oculos vix iam attollere potest. Illam Iudæorum ignorantiam, quam deplorat Prophetæ, cum seculi huius cecitate conferas: illos sanè præ tuis eximè sapuisse dices. Adò nihil istis superest humani sensus, quominus planè obstupuerint, nisi quòd nihil aliud, quàm perire edocèi, mira percundi cupiditate insaniant. Et cum ita omnes ad unum agminatim attoniti, & velut exitio suo devoti sese in voraginem vltro deuoluant, instant tamen semper à tergo furia, quæ nouis subinde aculeis instigent, & precipitantes impellant. Denique non alia est facies, quàm si ciuitas aliqua & graui pestilentia correpta, & hostiliter expugnata, duplici pariter internecione concideret, & vno simul incendio vniuersa conflagraret. Ad buccinam excubitor, ad arma pastor. Quid cessas? quid torpes? quid dormis? Dum animum externis & nihil ad rem pertinentibus curis abreptum, huc non aduertis, omnia strage referta sunt. Tot mortes Domino debes, infelix, toties homicida es, toties reus sanguinis, cuius guttas omnes è manu tua Dominus requiret. Et sustines adhuc tãtum fulnè intrepidus? Non exhorres? non turbari? non animo & corpore totus concidis? O te nimium præfracta contumaciæque ceruice hominem, si ad tantum Domini iudicium non consternaris, cuius profecto grauitatem cælum & terra, & ipsa muta elementa non sustinerent. Sed parum adhuc dico, cum te homicidam appello, & tuorum proditorem. Hoc enim maius omni probro flagitium est, quòd Christum ipsum, quantum in te est, rursum vendis, rursum crucifigis. Quid est enim aliud, Ecclesiam (quam suo sanguine Christus acquisiuit) modò improbam lucri cupiditatem expleas, dissipadam prostituere, quàm ipsum Christi sanguinem, quo æstimata est pretio, addicere? Quid est autem Christum crucifigere, nisi hoc est? sanguini eius contemptim illudere, ac tantum non ipsum ludibrio habere? Et hanc scilicet tam in signem contumeliam semper feret ille, quem Pater gloria & honore coronauit? Tu verò, si sapias, nunc sacrosanctum Christi sanguinem, quæsti meretur, potius æstimabis: quàm expectabis, dum supplicij atrocitate discas, quanti à Domino ipso fiat.

Proinde videndum nunc tibi quoque est, quo iure ad te redeat proventus ille amplissimus, quem Episcopi dum esse iactas, tuum facis. Equidem video sic esse à Domino constitutum, vt qui Euangelium administrant, ijs vicissim, qui quid est ad vsus vitæ necessarium, administretur. Nec illi placere, vt os obligetur boui trituranti. Sed quis tibi concedat, vt fructum, quo Euangelij ministerium Dominus muneratur, ipse, nihil minus, quàm Euangelij minister, legas: & quæ boui trituranti ad iudicat alimenta, otiosus voret? Presbyteros, qui bene præ sunt, nobis commendat Apostolus, vt duplici in honore habeantur: præsertim qui in verbo laborant. Eum ergo, qui sibi honorem poscit Episcopi, bene regendo prius efficere æquum est, vt honore dignus iure censeatur. Quòd si etiam ita te geras, vt adoptimi Pastoris fidem, studium, diligentiam, integritatem nihil desiderari possit: quorsum tamen immodica illa, nullisque finibus terminata opulenta? Vitæ ne pastoris sustinenda, cuius ipsam moderationis esse vult Dominus, limitata: ac non ty-



vannicæ potius luxuriæ par est? Sed eam nondum reprehendo, quæ suo postea loco perstrigetur. Hanc in præsentia duntaxat improbitatem accuso: quod uberrimos inde fructus referas, sementem ubi penitus nullam feceris. Hæc, inquam, impudensissima est rapacitas: & quod audire ordinis tui homines minimè sustinent, furum bis manifestum: Eum qui manum operi nunquam admoerit, opere tamen mercedem imperiose flagitare. Si fustuario dignus est, qui vicini parientem perfodisse sit deprehensus, quò in eius arcam inuolaret: flagitiosum hoc tuum latrocinium, quæ furca satis prodignitate multabunt? qui hinc, quod officij laboribus debetur stipendium, suffuraris? inde omnium domos rapacissimè deprædaris? Sic quidem longa annorum præscriptione obtinuit illa furædi licentia, ut honestis etiam titulis ornetur. Verùm utcumque inter homines æstimetur, nõ cori errore tamen rescindetur, quæ semel aduersus eam pronütiata est à Domino sententia: Væ pastorebus, inquit, qui pascunt semetipsos. Nonne greges à pastoribus pasci moris est? Vos autem lac comedistis: quod pingue erat occidistis: lanis fuistis operi, gregem autem meum non pauistis: quod infirmum fuit, non stabilistis: ægrotum non sanastis, fractum non alligastis: abiectum non reduxistis: quod perierat, non quasistis: sed cum austeritate imperastis gregi, & potentia: & dispersæ sunt oves meæ, eo quòd non esset Pastor: & factæ sunt in deuorationem, nec erat qui requireret: non erat inquam, qui requireret. Propterea, Pastores, audite verbum Domini: Vtuo ego, dicit Dominus: quia factæ sunt oves meæ in rapinam ac deuorationem bestiis a gressibus, eo quòd Pastore carerent: nec enim eas requirebatis, sed tantum pascebatis vosmetipsos. Ideo ecce ego gregem meum requiram de manu vestra: & cessare vos faciam, ne ultra gregem meum pascat: liberabòque ipsum ex ore vestro, ne sit post hæc volis in escam. Tu scilicet aut his designari te negabis: quæ non tam vitæ tuæ faciem ad viuum deſingunt, quàm te tibi totum velut in speculo representant? Aut iudicium Domini inane terriculamentum esse dices, quòd minus feriat, quàm minatur? Quamobrem non est cur istis opibus iam te beatum putes, quarum & te furem esse vociferatur Dominus, & repetundarum postulat. Furti ergo sacrilegiique ignominiam nec vnus è cornuto illo grege, inficiari potestis. Verùm, quoniam nonnullos inferioris classis Pastores istis esse audio (ex eorum scilicet ordine, quos & parocos, & curiones vulgò appellant) qui aliqua officij sui particula utcumque defungantur, hocque prætextu sese tueri planè conentur, quòd paulò quàm alij verecundius delinquant, illi mihi sunt paulisper hoc loco appellandi. Quòd autem intelligant, quàm non sim malignus æstimator qualiscunque istius, quàm pascentis Ecclesiis impendunt, seduitatis, plus aliquid vtrò illis dabo, quàm postulare aſint. Tæmetſi eas ut plurimum Ecclesias, quibus præfecti sunt, non incolunt: adſunt tamen adſolentes multos dies: verba pauca pro concione faciunt: populo semina quedam pietatis aspergunt, ac guttas veluti quasdam instillant purioris doctrinæ, neque illaudati discedunt toius suæ plebis suffragiis. Atqui si hæc officiola ipsorum, ad eam, quam ex Dei verbo descripsimus, regulam, exigantur, immanè quantum à veris etiamnum Pastoribus aberant: qui cum tota illa sua sedulitate nihil aliud, quàm infideliter sese in opere Domini versari produnt. Hoc enim ut dissimulem, præneri suo minimè ipsos respondere, nisi tempestiuè simul & intèpestiuè instando, arguendo, increpando exhortando, cum omni lenitate & doctrina (quorù omniam illis nihil curæ est) quid tamè operam suam ma-

Ieze. 34.

\* nec tu,

2. Tim. 4.

gno veditent, cuius ne quod omnino pretium extet, ipsi diligenter prouident? In re perspicua longiori argumentatione opus non est. Miseram plebeculam, cuius eruditores videri volunt, cum tanta ignorantia caligine excæcatam, tot errorum præstigijs delusam, tot mendaciorum fascinis incantatam & consopitam satis norint (quod nemini quidē est in cognitum) sentire vt nihil queat, nisi quod manibus pedibusque palpet atque attrectet: quia tamen ingenuè verum dicere periculosum est, nec suam vocationem tãti aestimant, vt laudi sibi esse velint, in ea docēda, obscuritatem data opera & vafriem adhibent, qua vel acutissimum quenque fallere conātur. Istudne, quæso, docere est, cum apud rusticanos homunciones, natura non valde argutos, praua etiam institutione hebetatos, habenda est oratio, sententias per se hominum ingenio difficiles, sic perplexis enigmatibus implicare, quo in illis intelligendis OEdipus quoque ipse laboret? Nam siquid dicere eiusmodi instituunt, vnde sibi aliquid negotij molectiæve fore suspicentur, illud velut conceptis verbis obscurissimè effantur: vt si discrimen immineat, tergiversatione semper elabi possint. Atque id potissimū ijs in rebus vsu venit, quas explicatissime & tradi, & enarrari Christianæ Ecclesiæ referebat: quandoquidem vt quidque ad stabilendum Christi regnum maxime conducit, ita Sathanæ est odiosissimum eiusque furore impetitur acerrime. Itaque sic de fide concionantur, vt plebis diffidentiam nihilo emendent magis, quam si tacerēt. Sic Christum mediatorem ostendunt, vt in sanctis semper hareatur. Sic Dei gratiam prædicant, vt eadem meritorum propriæque iutitiæ hallucinatio semper maneat. Sic verbi Dei autoritatem cōmēdant, vt pluris fiant fabulosa hominum commenta. Sic Deum vnum colendum docent, vt eandem semper idololatriam relinquunt. Sic de vera religione disserunt, vt è tot impijs superstitionibus nullam conuellant. Denique sic veritatem proponunt, vt stet mendacium semper incolume. Apagesis tergiversatoriam istam calliditatem, & perplexitatem affectatam, ab eo, qui docendi munus proficetur: cuius prima est virtus, auditorum captui sese attemperare. A Christiano verò doctore quàm longissime arceatur, à quo nihil nisi sincerissimum, & simplicissimum audiri debet. Nam si docendus est populus, quorsum istæ enigmata, quæ nihilo doctiorem dimittant auditorem, quàm venerat? Nempè hoc vnum satis clarum indicium est, qualis sit eorum opera: quãdo hoc quod agunt, agendo, nihil prorsus agunt. Sed istud ad refutandam eorum vanitatem, multò certius est argumentum: quòd palàm est, eos ne studere quidem, vt quicquam proficiant: quin potius data opera cauere, nequid proficiant. Porro quò dilucidius adhuc perspiciant, ineptijs illis suis omnibus se nequaquam assequi, vt ne perfidi magis proditores, quam probi Pastores censeantur: paucis verò demonstremus, id quod Pastoribus Dominus mandauit, quàm illi bona fide exequantur. Hac enim comparatione obtineri facile posse puto, ne nugaci nescio quo, nihilique pretextu freti, aliorum numero post hac se eximant. Quoniam autem quæ sit Episcopis tenenda docēdi ratio, summatim declarauit Apostolus, dum strenuos esse ipsos iussit, & ad exhortandum in doctrina sana, & ad eos qui contradicant, reuincendos, ad eam regulam, morem docendi istorum metiemur. Qualem ergo se gerit eorum præstantissimus? Cùm Sathanam Ecclesiæ sibi commissæ dominari, afflictæ oppressæque Dei veritati insultare, laceras & mutilas Christi oues in prædam abigere, planèque ceu Christo subiugato, triumphare videat: paucis anni diebus in concionem, defungendi tantum

causa prodit, non aliter quam si tranquilla omnia, atque optime composita forent. Rursum, qua rabie, Christi aduersarij, apud vos, ad euertendum eius regnum, feruntur, cum non liberam modò & constantem, sed paulò sinceriorem verbi prædicationem cum vitæ suæ discrimine coniunctam sciat: ipse autem vel minima iungicula iacturam, Christi causa facere reformidet, conciones ipsas ita moderatur, ut se extra periculi alcam contineat. Hæc præclara sunt eorum stratagemata, quorum merito præ alijs eximij haberi volunt: in quibus si neutrum adhuc eorum spectare licet, quæ Episcopis in illa Pauli reguli præscribuntur, tam inani fiducia superbire illis non concedam. Quorsum enim Christianæ Ecclesiæ conciones, nisi quibus sana doctrina instituat? Quæ autem sana institutio tradi ab eo potest, qui nihil, nisi cum Sathana pace experitur? Id si alioqui dubiū esset, ipsi suo documento faciunt certissimum. Quicquid de vera orandi ratione præcipiant, non alium tamen orandi in populo suo usum esse vident, quàm pessimam illam orationis pestem, inanem battologiam, qua eadem subinde verba sine mente, sine corde, sine intellectu, magico more demurmurant: ut illis non aliud sit orare, quàm rosarij circulum euoluere. Atqui, hoc malum quia nisi periculose attingere non licet, securè dissimulant. Vt cunque de vero Dei cultu differant: qui ut interioris cordis fiducia, serua inuocatione, laudis confessione constat, ita totus spiritualis esse debet: populum tamen quia inde auelli citra grauem Sathanae offensionem nequeat, in stolidis ac bis carnalibus ceremonijs toto pectore stupere, sinunt. Vt cunque ad Dei adorationem vocent, idolis tamen hæreere cum omnes cernant, neminem autem reprehendant, sua illa dissimulatione, quæ nutus instar, & tacite cuiusdam approbationis accipitur, fortius affingunt. Quicquid de iustitia, sanctificatione, salute à Christo petenda balbutiant: susque deque tamen habent, quòd populus, omisso Christo, ea omnia querit, ubi minimè reperiri possunt. O præclaras in sana doctrina exhortationes, quæ dum insanienti populo placidè blandiuntur, ac tantùm nõ applaudunt, simul etiã efficiunt, ut obstinatius furere pergat! Quis enim displicere illis putet, quæ inter conciones ipsas eorum oculis assidè ingeruntur: eius generis præsertim, quæ si mala forent, vel tantillum tolerare nefas fuerit? Quicquid autè nõ displicere illis putatur, eo loco habetur, ac si ipsorum suffragio palam confirmatum esset. Et quæ iam eorum esset in reuincendo aduersario magnanimitas, si ad certamen ventum foret: qui tantam in simplici exhortatione animi pusillanimitatem produunt? qui sine aduersario ita protinus concidunt, & de præsidio statione que nondum appugnata decedunt? Quamquam si qualis hodie sit Ecclesiæ conditio consideremus, Christo restitui non potest, nisi si è luporum faucibus ereptus: ad Dei pasceam non adduci potest, nisi hominum laqueis solutus: recta via agi non potest, nisi errorum labyrinthis extricata. Sic enim in euertenda extinguendaque religione, Sathanae ministri profecerunt, ut eam, nisi ab ipsorum impietate assertam, instigare hominum animis non liceat. Id in obruenda, obliterandaque Dei veritate consecuti sunt, ut in lucem emergere, nisi ab illorum mendacijs vindicata, nequeat. Interim quid egregij isti & excubiores, & pastores? Gladium conspiciunt, non, ceruicibus impendentem, sed iugulis propè adhaerentem. Oues cernunt, non luporum insidijs appetitas, sed dentibus correptas & mutilatas. Securi tamen, ut in media pace, torpent: nisi quòd suo capiti priuatum timentes, abiecta publicæ salutis cura, de seipsis plus satis sunt solliciti. Istam quidam inertiam

ne a perfidiam potius vocē, dubito: si impunē sibi futurā confidunt, meras sibi fabulas esse, quicquid dominus aut promittit, aut minatur: ex eo testatū faciunt. Quod enim per Iezechiele Dominus edixit se populi sanguinem ē speculatoris manu repositurum, qui cū imminentem gladium videret, clangore tubæ non indicavit in quem magis propriē competere, quā in seipos respōdebunt? Nempe si ea lege, Ecclesiæ excubijs impositi sunt custodes, qui neque nocte, neque die, quiescant: non minus sanguinaria est eorū aciturnitas, qua populi salus malitiose proditur, quā ipse hostium furor, quo inermes & indefensi opprimuntur. Iure ergo ex eorum manibus sanguis repositur, quo nō minus, quā hostiū gladij, aspersa, fœdat & que sūt. Quod aliud hominum genus cerius, quā seipos, causabuntur, illa Christi sententia, qua pastorem eum seuerissimē obiurgat, & mercenarium contumeliose appellat, cui negat esse curæ oves, qui dum venientem prospicit lupum, & iam iam instantem, in fugam, relicto grege, sese proripit? Quod si nunquam id à Domino pronuntiatum esset, propriam illis conscientiam iudicem fero: pastorem, qui vel minimas insidias noctu senserit, nisi experge factus mox accurrat, nōne ignavia accusabunt? Eum verò, qui perfosis staluli parietibus, confractōque ostio, pauper culum gregem omnibus ventorum, imbrium, hostium, luporum insidijs expositum obnoxiumque reliquerit, quantæ fœcordiæ condemnabunt? Quid ille? cuius sub aspectu media in luce oves atrociter laniantur, ipso ad lupos abigendos ne digitum quidem commouente? Quo satis digno elogio insigniri poterit istæ tam flagitiosa perfidia? qua supplicij gravitate dignè pro merito mulctari? Posthac si iustam & suæ speculationis, & pastoritiæ curæ rationem reddere volent, videant hoc in primis, sine quo nihil efficiunt ad fidem suam approbandam, nihil sibi esse reliqui, ubi rei sanguinis meritò arguuntur: à quo se mūdōs esse improbissimē, mētuntur, nisi cū Paulo verò ac seriò affirmare queant, se nequaquā subterfugisse, quominus publicè priuatī nque vnunquenque admonendo, omnem Dei voluntatem enarrarēt: præsertim ubi circumuentam Sathanæ artibus Ecclesiam, grauius periclitari senserint. Quis in partes tanta solertia incubuisse sanctum illum Apostolum videmus, vt sæpius coram monuisse suos non contentus, eadem quoque monita scriptis absens, ac è vinculis repeteret: obseruarent canes, obseruarent prauos operarios, obseruarent concisionem, quæ impijs contentiōibus veram Ecclesiæ vnitatem discinderet.

Ioan. 10.

Quid quod non conuiuendo tantū, ac indulgendo miseræ, ac perditæ plebæ cæcitatem fouent: sed errorum superstitionūque omnium ministros ei se præbent? Etenim huic teterrimo flagitio quotusquisque ipsorum inficiando erit, quin primo statim ingressu pessimo errore plebem imbuat, dum ipsa spectante, & ad stuporem vsque attenda, stolidis exorcismis aquam incantat, mille postea infandis superstitionibus seruituram? Quin è suggestu rursus ad altare prodeat? sacrificium illud abominandis blasphemijs refertū aut peragat, aut se peragere simulet? ad execrabilis idoli venerationem, populum & exemplo suo & nutu inuiter? quin dira illa auriculariū cōfessionū carnificina misellos ipsemet excruciet? vanis satisfactionibus, cōmentitijsque absolutionibus deludat? quin fabulosas purgatorij ne-nitas, quæ tantū secū vehūt perniciosæ impietatis, solenni prece stabiliat? Neque verò recipi debet, quod obiectare subinde solent: His superstitionum morbis nō alia melius ratione purgari hominum animos posse, quā si molliter initio paulò indul-

gen-

gētibus attraheretur, donec ferēdis mali remedijs assueverint, & quodāmodo sint cōfirmati. Itaq; nisi quis moderationē adhibeat, quæ eorū teneritudini nō nihil concedat, exoriturus sine vllō profecū graues offensiones, odiūque aduersus Dei veritatem acerbius exarsurum. Id sanè nemo est qui non libenter illis cōsulat, nedum permittat: quin doctrinam omnem suam sic temperent, vt rationem semper habeant tantæ imbecillitatis, quāta nunc populū ferè laburare constat: quin præteritis interdum minutis rebus, apprime necessaria vrgeant: quin emendandis maioribus delictis insistentes, ad exiguos quosdam nauos pro tempore conuieant: denique lacte ac melle pascant, qui nondum solido cibo sunt idonei. Sed enim illorum vicissim fuerit, primū dare operam, ne suæ ipsorum imbecillitati prætextum magis capient, quā rationem ineant sustinendæ eorum infirmitatis, quibus confirmandis studere debent. Deinde non ea dissimulare, quibus stantibus emergere Christus cum Euangelij sui luce prorsus nequeat: tum non ea indulgentia ignorantiam ferre, quæ magis ac magis indurescat, sed quæ paulatim dissuatur: quando momento vno rescindi commodè non potest. Postremò veritatis prædicationem sic moderari, ne perniciosus rursus mendacijs ipsam contaminent. Quid autem clarior est, quā sinistra illa sua prudentia non aliud querere, nisi vt sibi dumtaxat sapiat? Si nullo discrimine liberè docendi potestas facta illis esset, satis appareret quam infirmitatem cura habeant. Et si verum esset, aliqua ipsos populū sollicitudine tangi, quod quidem vanissimum est: quis tamen illis largiatur, vt horrendæ impietatis exempla sub oculis suis perpetrari dissimulante ferant? Quis vnquam Apostolorum, Deum vnum annuntiavit, qui non aperta voce deos omnes Gentium, demonia esse clamaret? Quis de puro Dei cultu concionatus aliquando est, qui non à vanis deorum superstitionibus longissimè abstraheret? Quis sit, in Christo salutem docuit, qui non ab idolorum fiducia prorsus auerteret? Quis cum mendacio veritatem, lucem cum tenebris, Euangelium cum execratione, Christum cum Belial, eadem copula colligauit? Isti verò deorum myriades, idolorum plaustra, superstitiones plusquam magicas æquo animo se tolerare causantur, quò vidoctiam rudemque plebeculam, sine offensione, ad veri cognitionem adducant. Salutis fiduciam, quæ à Christo pendere tota debuerat, huc atque illuc tantisper diuagari non agrè patiuntur, dum eminens raptimque inspecto Christo, populū toto pectore, si libuerit, ad ipsum applicet. Atqui isthac erāt prima exordia, quibus Ecclesiam inchoare: prima fundamenta, quæ ad exadificandam iacere debuerant. Quare, hac tolerantia, in rebus minime tolerandis nihil simile habet cum lacte illo, quo imbecilles adhuc Corinthios Paulus nutrebat. Illo enim, qui sunt adhuc in Christo pueri, vtcunque pro suo modulo ad pietatem imbuuntur: hac, vniuersa religio dissipatur. Illo pedetentim ignorantia diluitur: hac in peruicaciam coalescit. Illo nutriuntur ad cœlestem vitam animæ: hac encantantur. Verum ineptè facio, qui in re expeditissima, & quæ verbo vno absolui potest, diutius commoror. Si quidem eum nemo audiendum duxerit, qui ad salutem rebus extremis afferendam missus, quò melius procedat sua opera, prima salutis initia in longum tempus differre se dicat: præsertim vbi palàm fit, illius mora, omnia pessum ire, ne cuius postea opè instaurari queant. Porò, ad resellendā eorum tergiversationem, illud quoque accedit, quò omnibus propè errorum pestibus, quibus repurgandam Ecclesiam susceperant, eam inficiunt. Quid enim aliud est, pro mortuis apud Deum in-

tercedere, quàm pestilenti Purgatorij opinione inquinare hominũ mentes? Quid, audita peccatorum enumeratione, iniunctaque satisfaciõne, absolutos dimittere: nisi quibus inuoluti sunt laqueis, fortius adhuc ipsos constringere? Quid verò, vt alia multa omittamus, Missaticum sacrificium peragere, nisi vno simul exitio & populum dare, & ipsam quoque religionem? Perinde ac si chirurgus, ad cõparandam homini incolumitatem, ipsum antè ingulet: aut si medicus stomachum salubri portione refecturus, toxico primum imbuat. O moderatores, quibus & Dei verbum, & hominum animas, sine modo, sine ratione, sine delectu contaminare, obscurare, perturbare, dissijcere, extinguere satius est, quàm cuticulæ iactura, præscriptam à Deo simplicitatem tenere! Eius ergo populi vt fidi probique Pastores censeantur, postulabunt, quem non modò libidini prostituunt impiorum, sed ipsi flagitiose circumscribunt? Conciones illæ ne scio quales, fastuose nobis obrudent, ad quas talibus proæmij auditores comparant: quas talibus demum catastrophis claudunt atque terminant? Imò qua fronte verbum iam in sui defensionem facere audebunt, quos detestabilis idololatriæ, & non vnius sacrilegij authores esse constat? Tacco reliquum anni tempus, quo procul à suis Ecclesiis absentes, per vicarios suos, furacissimos prædones, rapinas, direptiones, populationes, Larcinia omne genus exercent, quibus enumerandis, volumen vnum non sufficeret. Et sunt ad eò prodigiosa nomina, quibus expilationes illas suas prætexunt, vt non nisi ab illis, paucisque captivis pragmaticis, intelligantur. Atque vt viscos illos, & tot furandi artes dissimulemus, quo tamen iure præcipiunt, quod Pastorum alimentis destinatum erat? Cùm enim reddenda erit Principi Pastorum ratio, quomodo expensum ille sceletratis Latronibus feret, quod probis sanctisque Pastoribus in laboris stipendium cedere voluit? Scilicet non cogitant, iam olim ab ipso ea de re pronũtium esse: vbi canes somnolentos tam seuerè obiurgat, qui cùm muti sint, & ad latrandum ignaui, saturitatem tamen nesciunt.

Enimvero maius mihi certamen cum reliqua sacerdotum turba (atque vt ipsis quidem videatur) multò difficilior restat. Nam quorum sacerdotia non ea sunt conditione, vt Ecclesiis Pastorum nomine ipsi præsideant (quo è genere sunt prodigia illa nominum Abbatie, Prioratus, Præbendæ, Cappellanie, Decanatus item, Præposituræ, Thesaurarie, alijque infiniti, vt vocant, personatus) nulla ratione sibi videntur impediri, quominus & teneant illa & eorum prouentu, ceu iusto patrimonio, in quos visum fuerit sumptus abutantur. Sed de prouentu mox: nunc tantum eiusmodi pedicis an illis se implicare liceat, consideremus. Audio quid pro se dicant Abbates, si qui sunt qui à verbo Dei non alieni videri velint: præsentem rerum statum sibi non minus, quàm optimo cuique improbari, atque vt totam monasticam, quam scaterè omni impietate norunt, abominationi habent: ita eam se minime fouere. Neque verò per se stare, quo minus pereat ac deiciatur: si res in sua potestate sita foret, eius animi specimen se edituros. Quòd autem fructus è paludibus illis prouenientes colligunt, non tamen ideo se in illarum cœno prouoluere, sed oblatam à Domino benedictionem non spernere: hac interim conscientia securos, quòd nullius flagitij, vel authores sunt, vel fautores. Hæc si sermò predicarent, an eius quam detestari se aiunt, impietatis Principes haberi paterentur? Ac non magis eam sic toto animo auersarentur, vt à minima etiam participatione penitus se dimouerent? Quid autem est Abbas, nisi monastica supersti-

stitutionis præses atque assertor? Proinde non video, cur vituperari monachismus debeat, ut non prima voce impetatur ille, qui monasterij administrationem non secus ac rem sanctam recipit: nisi forte annuendum ei ducimus, qui damnata piratica, archipiraticam laudet. Quid? An non, quæcunque in foetidis illis fornicibus peraguntur sacrilegia, auspicijs ductuque Abbatum perpetrantur? Et quis iam illis displicere credet, quæ nomine nutuque eorum geruntur? Quis specimen expectet, unde sibi improbari declarent, quæ quanta possunt, approbatione confirmant? Iam quod otiosam sibi, & sine onere dignitatem obtigisse putant, in eo quidem, opinione falluntur. Quis enim dubitet, eorum vnumquemque Pastorem in suo collegio debere præstare, cui regendo Abbas est constitutus? Neque enim alia conditione cooptantur in eum locum, nisi ut pastoritia sollicitudine defungantur: & illi, dum munus ineunt, id ipsum sacramento confirmant. Si è vulgo quispiam de Abbatis officio interrogetur, extemplo respondet, monachis esse illum moderatorem positum: qui pura doctrina, sanctisque moribus, toti collegio præeat, rudes instituendos curet, delinquentes castiget, errantes in viam reducat. Hac cum intrinsece, tam disertè de eorum munere disserantur, quàm friuolè mentiuntur, nihil ad se pertinere, qualis sit monachorum vita? neque sua quicquam referre, quàm sit aut probè composita, aut perditè effrenata? ut autem id totum de hominum iudicio eludant: quia tamen fidos se fore Pastores, solennibus verbis deierant, sua certè promissione obstringuntur. Eorum ergo curam longè à se reiciant, quos in fidem custodiãque suam, Deum atque homines prius attestati, susceperunt? Vbi reuerentia, qua nomen suum usurpari Dominus imperauit? Vbi iurisiurandi religio, nulli non Barbariæ sacrosancta? Vbi promissorum veritas, pars humanitatis potissima? Porcos sibi commissos aiunt, quorum explendi sunt ventres, non animi excolendi. Sed homines Deus creauit, quos oportet à beluina illa, in quam degenerarunt, feritate, ad humanam mansuetudinem, optima disciplina reuocari. At durior est barbaries, quàm quæ doctrina emolendam se præbeat. Cure ergo pronuncia non se protinus abdicant, cui se impares esse agnoscunt?

Hactenus quæ propria quodammodo Abbatum erant, persecuti sumus: nunc quæ habent communia cum reliquis illa, quam nuper recensuimus, collauie, vno, ut dicitur, fœce simul complectamur. Quoniam autem singulas flagitiorum species, quæ nefandis istis omnibus sacerdotijs perpetuò cohærent, seorsum excutere, & ordine explicare, propè immensum fuerit: mihi satis erit ostendisse, nullum penitus ex vniuerso numero teneri posse, quod non abominandis duobus sacrilegijs cõster: quo pretio nullam omnino felicitatem redimere peccius Christianum sustineat. Vulgare inter eos Proverbium est, propter officium beneficio se frui, & honori suo semper esse annexum onus. Quamquam autem oneris varia sunt genera, hoc tamen omnibus perpetuum inest, ut Missarijs sacrificijs, velut satisfactione persoluta, mortuorum animæ à peccatis suis expientur. Hoc, inquam, onere utcunque defungi necesse est eorum vnumquemque, qui sacras illas opes participant. Nulla est tam opulenta Abbatia, nulla rursus Capellania vsque cõtenuis, quæ non ea lege deuincta sit. Nec interest, ipsine per se, an conducti vicarij opera, sanctum illud munus exequantur. Siquidem non de futuros suspicor, qui ad miseram hanc excusationem se conferent: quòd inquinamentis illis ad sordidos sacrificulos ablegatis, opes ipsi possideant, nullo scelere profanatas. Sed quid inde porrò aliud

consequentur, nisi ut dum culpa <sup>vna</sup> purgare se moliuntur, duplicem nequitiam prodant? Cedo, quod sceleratè perpetratum iri conspiciunt, ab eo religiose manus abstinent: perpetrandum tamen interim diligenter curant. Quibus iam obsecro culpa facinoræ adscribetur, nisi quibus authoribus admissum fuerit? Cùm vero in sua autoritatè que sua ad maleficium impellant, quorum ministerio abutuntur, an non alterum quoque crimen hic se profert? Si quis hominem à se interemptum i-  
deo negaret, quòd non sua manu, sed conducto à se sicario casus esset, à quo nostrum non conspueretur? Nempe qui sua confessione bis se accusaret: & quòd cædis author fuerit, & quòd alterum malis artibus corruptum, in sceleris societatem traxerit. Quid autem ab illo dissimile isti faciunt, qui & contumeliam Deo irrogandam procurant, & ad id audendum, alios pretio corrumpunt? At non eos, inquit, corrupimus, qui venales ad patranda[m] quamvis impietatem prostant. Perinde ac si homicida ille minimè ab se corruptum defenderet, quo ad maleficium administro vsus fuerit, quia gladiator antea fuisset, latrocinij assuefactus. Itaque quemadmodum ille, dum latronem exercitatione acuit, eius audaciam confirmat: ita isti quos nouis subinde sacrilegij exercent, eos ad nequitiam magis ac magis indices obdurant. Sed hac parte propius instare animus non est: neque verbum fecissem, nisi sua me improbitate coegissent, dum in re ad eò perspicua fucum tamen nescio quem facere conantur. Nihil, inquam, eos ultra laceffo, modò inter nos istud constet, quòd nullo cauillò declinare iam possunt: neminem eorum esse, qui gemina illa, quàm nuper commemorauimus, impietate non sit inquinatus. Nemo est enim, qui non de Missarijs sacris peragendis sceleratum commercium in-  
eat: nemo, qui non commentitijs satisfactionibus, quas pro mortuorum redemptione Sathan excogitauit, pretium statuatur. Si per Missam, Christi sacerdotium, quòd æternum esse oportet, abrogatur: si sacrificium, quò semel omnia delicta expiauit, aboletur: si sanguis eius, cuius mundicie abluimur omnes, conspuitur: si tota redemptio, morte eius acquisita, dissipatur: si Cœna, qua nobis mortis suæ memoriam commendauit, profanatur: si Dei maiestas, erecto in eius locum idolo, deijcitur: viderint qui faciendis missis sumptus suppeditant, qua satis speciosa ratione purgare se possunt, quo minus istorum omnium rei agantur, quibus occasionem scientes ac volentes præbent. Si denique nullum à Missa blasphemiæ genus abest, quo Dei Christi que gloria possit obscurari, viderint quoties sacrificulum ad altare mittunt, an non triumphum apparent, quo totum Christi Regnum à Sathanà traducatur? In hunc modum si Christum cum sua cruce ludibrio habere, & prostituere homini Christiano nefas non est nihil erit quòd non liceat. Imò verò mille potius mortes oppetende, quàm tale probrum sacrosancto Christi nomini, nostra culpa, aliquando inuatur. Quis enim eo intercessore confidat, quàm suo sacerdotio, hoc est intercedendi munere, quotidie spoliet? Quis æternam sui sanctificationem reponat in vnica Christi oblatione, quam suppositis alijs assidue inducit ac obliuerat? Quis suarum sordium abluitionem speret a Christi sanguine, quem porcis conculcandum projicit? Quis spem beatæ vitæ ex Christi morte concipiat, cuius fructum aliò vt transferat, eam tota sua virtute eneruat? Quis se Christi participatione, extra quam non nisi mors est, viuere cogitet, qui sacram eius communicationis tesseram disrumpit? Quam conscientia securitatem ad Dei tribunal afferat ille, qui eius gloriam, quam illibatam sibi vni seruari poscit, ad idolum



traductam procuret? Atqui in eo corde, cui sunt illa omnia ablata, quæ vel fidei vel pietatis scintilla restare potest? Illas præterea satisfactiones dum mercantur, quibus à cruciatu soluantur mortuorum animæ, mirum nisi probe intelligunt, quàm flagitiosa in Christum perfidia sese obstringant. Quotquot enim animarum salutem pretio nundinantur, eos veram illam ac vnicam, quæ non auro aut argento, sed pretioso Christi sanguine constitit, redemptionem abnegare, certò certius est. Tam neminem fore existimo, cui quidē in aliqua frontis particula pudor hæreat, qui conscientia innocentiam in tenendis profanis illis sacerdotijs testari ausit: quorum quæ purissima videntur, tantum execrabilis nequitia secum trahunt.

Nunc ad te, ô Vir eximiè, aliòsque in vniuersum omnes, qui in Papæ regno locum aliquem beneficij nomine obtinent, orationem meam refero. Quicquid prouentus annuatim inde ad vos redit, qua conscientia vsurpare audeatis, quero. Si in cancellis vestratium iudiciorum hæc disputatio versaretur: scio ad obtinendum satis superque esse, allegari annorum præscriptionem: verùm si huiusce rei cognitio ad bonos viros deferatur, qui iustum potius & æquum, quàm annorum numerum expendant: quo titulo, amabo, vestram possessionem defendetis? Fingamus verò apud Dei tribunal hanc causam agitari, quando & ad illius cognitionem propriè pertinet, nec inter homines melior reperiri potest, aut iustior arbiter. Facultates, quãtùm intelligo, quadrifariam partitas habetis. Nã partim decimis, partim annuis aut agrorum aut vectigalium pëssionibus, partim blandis captionibus (quas vos extraordinarias oblationes) partim violentis exactionibus (quas spiritualia iura nuncupatis) constant. Decimas quia lex Mosaica Leuitis attribuebat, ad vos (Leuiticum scilicet genus) optima ratione nunc esse translatas dicitis. De his ergo primo loco differendum. Quamquam superuacuum, ac propè ridiculum arbitror, anxiam de iure decimarum tecum disputationem instituere, qui non ignoras successionem istam cupidorum hominum calliditate, vafre quidem, sed nulla probabili causa excogitatam. Nam quod ex Apostolo citant, translato sacerdotio, Legis translationem necessariò secutam: id quàm infirmum sit & euandum, ostendere piget. Ad Christum sanè transit Aaronis sacerdotium, cuius beneficio non certus rasorum numerus, sed vniuersa sine exceptione fidelium natio in regale sacerdotium assumpta fuit. Quid hoc ad nescio quos Pseudoleuitas? quibus ne postrema quidem subsellia in Dei populo concedimus? Quòd si in Leuitarum vices subierunt, eadem qua ipsi fuerunt conditione, cur præter decimas, tot possessiones absorbere, tantam vndique rerum varietatem corrådere, sibi permittunt? Ea enim lege huiusmodi portio Leuitis assignabatur, ne pedem terræ præter domicilium possiderent. Cur vini vsus tam benignè ac liberali, et sibi indulgent, quod Leuitis gustare non licebat? Faceffant ergo nugæ istæ: quas t. imetsi refutatione indignas ducebam, quia tamen video imperitis fumos offundere: verbo vno attingere necesse habui. Equidem si quibus ordo iste approbetur, vt quemadmodum apud Israelitas decimis alebantur Leuitæ, ita in populo etiam Christi. no decimæ colligantur, quæ in alimenta Pastorum conferantur, & pauperum: nihil reclamo, quin potius eorum sententiæ meum quoque calculum addo: quando quidem alicunde certe desumi, quod ad sustentandos Ecclesiarum ministros impendatur, necesse est. Nec expedire mihi videtur, quod æquissimè constitutum fuerit, sine causa innovari: modò ne ius illud Leuiticum falsò prætendatur, & Ecclesiastici Pastoris stipendium,

Iosu. 14.  
& alibi.  
Leuit. 10.

non decimarum fertilitate, sed Apostoli præscripto definiatur, ut sit necessarijs  
 vita subsidjs contentus. Cæterum cum in hos vsus destinantur decimæ, simul arcentur,  
 velut positæ repagulis, omnes isti pigri ventres, qui se illis nunc soli refectunt,  
 ne segetis spicam, aut pullum vnum attingant. Vt nunc autem res habent, de  
 cimas nullo neque diuino, neque humano iure sibi debitas extorquendo, improbi sè  
 mo furto, in alienas fortunas inuadunt. In iure annuarum pensionum describen-  
 do, hoc est (nisi fallor) *ῥυμικῶν τῶν βίῳ πρῶτον*, omnes donationis titulo vobis obu-  
 enisse, quam Iurisperiti Obcausam vocant: ut Missæ sacrilegio, alijsque incantatorijs  
 precibus, ex illo Vtopiensis purgatorij carcere, mortuorum animas eliceretis. Sic  
 enim in Papæ schola instituti homines fuerunt, ut delictorum conscientia trepi-  
 dis, hac demum conditione spes obtinendæ veniæ proponeretur: si vel pœnam ni-  
 hil hominis Dei seueritati exoluerent, vel satisfactione redimerent. Supplicij  
 exactio, purgatoriæ flammæ ardore torreri fuit: satisfactio, in monachorum ac sa-  
 cerdotum ventres ingurgitare, quod eorum iudicio ad delicti compensationem sa-  
 tis foret. En quibus nata exordijs, quibus deinde incrementis progressæ hucusque  
 sint vestra possessiones: quod peruenisse hodie videmus, ut nulla sit prorsus terra vn-  
 cia, quam non acceptam purgatorio referre debeatis. Nunc te coram Deo appello  
 Vir mihi amicissime, alijsque qui à verbi Dei puritate non abhorrent, quorum  
 ex animis discussus est inanis ille purgatorij fumus: cum probè intelligatur, quascun-  
 que tenetis possessiones, non alia lege vobis fuisse transscriptas à suis dominis, nisi ut  
 à purgatorij cruciatu vestra intercessione soluerentur. parum dico nisi ut abomi-  
 nandæ ipsorum impietati à vobis satisficeret: iustamne possidendi rationem vobis  
 constare ducitur? Sanè leges ciuiles (cum nihil voluntati magis aduersum sit quàm  
 error) donatorem, qui vel errore deceptus, vel fraude circumscriptus fuerit, absol-  
 uunt. Donationes autem istas solo errore niti, bona etiam ex parte impostura non  
 carere scitis: Iisdem legibus, quæ illicitam conditionem habet donatio, irrita esse  
 pronuntiat. Nulla est istarum donationum, quæ horribi Dei blasphemia non vos  
 obstringat. At nihili ducendæ sunt eiusmodi leges. Quis autem vobis permisit alie-  
 nas copias vestro arbitrio obtinere, quæ dum ascripta lege vobis ceduntur, nisi illa  
 intercedente vestra, non sunt? Ius enim istud pactorum, quæ mutuam habent obli-  
 gationem peruulgatum est ac cuius cognitum: ut agere ex pacto non possit, nec fru-  
 ctum vllum percipere, nisi qui defunctus promisso fuerit. Itaque aut aliena vsurpa-  
 tis, aut ea conditione vestra sunt, quam in se receperunt, quorum per manus vobis  
 sunt tradita. Quod si flagitia hæc illis pascisci fas non fuit, vobis in pacti societatem  
 succedere qui liceat, considerate. Itaque nisi accensa purgatorij flamma, calere  
 hac parte culina vestra non potest: quo extincto, tantundem remittatur oportet.  
 Nam hominum quidem oculis præstigijs, quibus ludificentur, offundere promptum  
 est: ad Dei autem tribunal vbi causa vestra vocata fuerit, quemadmodum certè  
 olim vocabitur, solo furti prædeq; titulo prætexta corruet. Quæ autem donatio-  
 rum & anathematum nomine templis oblata in crumenas vestras recidunt (quod  
 tertium fecimus vestrarum opum genus) sic anathemate referta sunt omnia, ut ad  
 ipsum contactum vos non exhorrescere valde mirer. Quibus idolis, quanta cum Dei  
 contumelia, qua superstitione offerantur, vobis clam non est. Quo tamen hæc qua  
 si vobis dicata deuoretis, vos talium sacrorum mystas & antistites profiteri nihil  
 pudet. O Roma (ut vno verbo radicem omnium malorum, auaritiam complectar)

quot alioqui nõ male nata ingenia corrūpis? pessima tua educatiõe corrupta, magis  
 ac magis nequitia deprauas ita deprauata perdis! Tantane cecitate percussos esse  
 homines, vt cumè manibus offerentiũ suscipiant cõsecrata idolis donaria, quæ aliũ  
 superstitionum antistitibus sint destinata, tota idololatriæ participatione illiga-  
 ri se non cogitent? Si tantus Domini furor in Israelitas exarsit, ob clanculariam  
 anathematis expilationem: quam impunitatem expectant, qui ad deglutiendũ ex  
 10iũ. 7.  
 ueracionis plenas oblationes, idolorum sacrificijs præesse non verentur? Sequi-  
 tur iam exactiões, quæ iurã spiritualia vobis authoribus censentur. quæ ab obla-  
 tionibus voluntarijs eò differunt, quòd illis quidem fraudulentè populus circumscri-  
 bitur, his autem hostiliter vexatur. Ac tui quidem ordinis homines, quorum latro-  
 cinijs patet latior campus, optimiores prædas agunt. (sic enim inter suos distinxit  
 Romanus archipirata, vt quò quisq; gradu propius ad eum accedit, eò licentius præ-  
 detur.) æquè tamen immaniter depopulantur alijs omnes, quod suæ rapacitati pu-  
 zant attributum. Itaque obsignator ille rapinarum tuarum annulus, copiosiore  
 multò præda quotannus te onerat, quàm minutum aliquem paræciam suã in corra-  
 dendo conuerrendo que strenuitas: nihilo tamen minus diræ ac sanguinariæ sunt il-  
 lius vexationes, quibus plebem ille suam pro suo modo exercet ac fatigat. Porrò  
 quantum quisque accipit, tanto se peculatu obligat. O nunquam satis detestatas  
 opes, quamlibet insana hodie multorum cupiditate (quæ est seculi nostri peruersi-  
 tas) furiosè expetantur! in quibus nummus nullus est non furto, aut sacrilegio, aut  
 latrocinio pollutus. Illisne placide fruuntur, ac se beabunt Christiani? Scilicet, se  
 tanti sunt, vt earum causa spe æternæ hereditatis nosmetipsos abdicare debeamus:  
 quam sanè neque fures, neque rapaces vnquam consequentur. Sed opere pretium  
 est audire speciosam quorundam exceptionem. Sunt enim qui se pulcherrimè excu-  
 sitos putent, quòd has, vrcunque partis facultates, non turpiter, nec libidinosè di-  
 lapident: sed partim in moderatos vitæ vsus conferant, partim verò decidant sub-  
 leuandæ pauperum egestati. Quasi verò ista satis ad furem prædonemve purgan-  
 dum, defensio valeat, si suam domi parsimoniam & frugalitatem approbarit: aut  
 accepta sit Domino benignitas, qua furtorum reliquias egenis impartimur. Qui  
 Iefa. 18.  
 frangere quidem esurienti panem iubet, sed nostrum: qui iubet elargiri pauperi-  
 bus, sed de nostra substantia. Contrà verò, vehementi interdico canis mercedem  
 Prouer. 3.  
 sibi vetat offerri: quo symbolo immundam & scelere quasitam quamuis oblatio-  
 nem, abominationi sibi esse designat. Adeò verum est quod scripsit ille, cum qui  
 Deut. 23.  
 è pauperis substantia sacrificium offert, non secus æstimari coram Domino, quàm  
 Ecc. 34.  
 qui filium in patris conspectu mactat. Tu verò, tuique similes, quorum turpitudini  
 ne sub hoc quidem inani & perfluo integumento locus est, quid obtendetis? Iam  
 vobiscum summo iure, hoc est, Dei verbo non disceptabo: sed quid, si ius ipsum Ca-  
 nonicum (cuius beneficio viuunt) reperundarum vos etiam damnet? ac litem non  
 multo minoris quàm pro nostra postulatione æstimet? Velitis, nolitis fateri hoc  
 conuenit, nihil hïc à vobis plus vsurpandum, quàm quod ipsis canonibus defertur.  
 Atqui non adco Spartacum vestrum depudit, quin ferinis suis sanctionibus hoc  
 saltem Hieronymi verbulum infereret: Bona clericorum, bona pauperum esse, qui-  
 bus vltra exigua frugique alimenta si quis abutitur, eum pauperibus furari. Imma-  
 nis autem illa profusio, quæ domi vestræ visitur, quid cum hac regula simile habet?  
 Iniuriã scio, vobis à me fieri clamabitis, omnes Pseudo-cæangelici præsules, qui

sub iugum, pijs omnibus excutiendum, indignè vos adigam. Mihi verò hîc de vestra aut libertate, aut seruitute non est institutus sermo: sed quemadmodum in agris iure dignoscendo, non qualem habeat dominum, sed quo ipsum iure leges regionis esse definiunt, quaritur: ita seposita vestri mentione, quæ in Papæ ditione sacerdotia, non nisi illius permisso, ac secundum eius leges obtinetis, fundum suum sequi dico: hac inquam lege teneri vos dico, nequid plus è sacerdotijs in rem vestram conuertatis, quàm per Papisticos canones vobis conceditur. Quorum vinculis adstringi si vos piget, illis ne vos vltiò implicetis. Sed quid in hac re euincenda anxie laboro? quandoquidem eos, quorum liberalitate locupletes estis, nihil dubium est non ideo detractas hæredibus propriæ opes vobis tam plena manu fuisse elargitos, vt regijs lautitijs instrumentum ministrarent: sed vestræ fidei commisisse, quæ bonis viris cum pauperibus communes forent. Itaque non tam earum vos dominos, quàm œconomos instituerunt. Si extremum est perfidiæ genus in deposito fidem fallere, vobis sanè ignoscendum nullo modo est, qui adeo insigni improbitate pauperibus præripitis, quod apud vos depositum in hoc fuerat, vt in eorum manus perueniret.

Huic malo alterum quoque proximum est: quòd eam personam non potestis sustinere, quin multa offensionum semina varijs modis spargatis. Vt istud vnum satis causæ sit homini Christiano, quo centum simul sacerdotijs, quamlibet optimis & splendidis, se protinus abdicet. Nemo enim ferè piorum est, qui non isto exemplo magnopere perturbetur. Qui paulo sunt adhuc imbeciliores, hac dubitatione percelluntur, iocône an seriò, malitiosène an syncerè aduersus papistas contendamus: dum nostræ partis homines, Papæ stipendiarios simul vident. Alij dubitare malunt, si nec res licita, à qua viros, quos ipsi non malos existimant, nequaquam ab horrere vident. Quidam etiam animosiores ad imitandum accenduntur. Plerique totam fabulæ ac ludibrio religionem vobis esse, meritò persuasum habent. Christi autem aduersarij, quibus non calumnijs sanctum Dei Euangelium proscindunt? quibus non lædorijs Christi seruos subsannant? quos non triumphos agunt? Quid dicam? Perquam pauci sunt, qui non ad vitæ vestræ lapidem, aut hoc, aut illo modo impingant. Qualis hic (malum) est stupor: ad omnia proborum æquè ac prauorum hominum iudicia nec tantillum commoueri? præsertim vbi per vestram ignominiam, sannâsque illas ac scommata, quibus cæca vestra cupiditas iure optimo perstringitur, ipsam quoque Dei maiestatem illudi, sacrum eius Euangelium maledictis lacerari, venerandam eius religionem conculcari intelligitis? Si sanæ mentis guttula, vt ita dicam, in vobis resedisset, ac non illa vos nescio quæ rabies corpore & animo penitus transuerso egisset, primo statim limine vos Dominus admonerat, ne ad hoc lethale præcipitiũ, gradũ iaceretis. Quibus enim primordijs estis auspicati? An nõ in Papæ nomẽ ac verba iurat totũ illud cornutiũ Episcoporuũ, Abbatũ, ac Priorũ pecus: dũ Romanæ sedi obsequetes, studiososque dignitatis illius vindices sacramẽto adacti, se pollicentur? Minorũ autem classium sacrificuli, an non etiã ipsi, sua quadam iuramenti forma, sanctæ matris Ecclesiæ obsequio deuouentur? Huiusmodi auspicia quem faustiore euentum portendere valent? Imò quàm nullis ambagibus infelicem exitum minantur? Quare, vestram hebetudinem minus iam mirari incipio: qua haud dubie vindicari tãtus ille Dei cõtemptus merebatur. Quatamẽ excusatione culpa partem nonnulli deprecetur, prætereundum non est. Nam etsi ingenuè fatetur, reprehensione se nõ penitus carere, minori tamen publico ma

In Ecclesijs se præesse dicunt, quàm si deteriores illis præsiderent (quales sunt iurati Christi hostes) qui Euangelij ruinam ex professo machinantur. At si hæc ratio recipitur, cur non speluncas occupamus? itinera obsidemus? In insidijs excubamus, eo animo, ne viatores, vt efferati isti solent latrones, violentus: sed spoliatos dimittamus? Sic enim mitioribus latrocinijs mundus infestaretur. Enimvero boni viri est, non improborum hominum subire vices, quo mala quædam tenus moderetur: sed cum improbis, ac cum ipsa etiam improbitate acerrimum bellum gerere: quo suo conatu si parum proficit, suum tamen officium sic præstiterit. Quod illi satius esse debet, quàm delicto vno mille flagitijs occurrere. Fures itaque excipiendis prædis, latrones hominibus iugulandis sanamus esse intentos: nos verò, si Christiani sumus, in omnem puritatem, innocentiam, sanctitatem vocatos meminimus.

Si tantum exhortatione mea profectum est, vt te ad dandas Domino manus, affectumque tuum illius imperio penitus subiiciendum compararis: non dubito, quin iam in me respicias, mecumque deliberes, qua ratione in meliorem viam recipere te queas. Ego verò, quanquam opportunitate præsentis ad aliquid pro Christi gloria fortiter animosæque gerendum vti te malim, nisi quid tamen melius potes, exeuendum tibi primo quoque die censeo. Te enim quoquomodo ex hac palude euolui præstat, quàm diutius illic hærendo, & in illius gurgite profundius in dies defigi, & cæno magis magisque conspurcari. Satiùs illud quidem & longè optabilius, ne tantam illustrandæ Domini gloriæ occasionem è manibus amittas: quando ea est rerum agendarum penes te facultas, quæ si tota in Dei obsequia optima fide impendatur, multum momenti ad promouendum Euangelium afferre possit. Et nostrarum est partium, non ignauia torporæque nostro admittere, vt hoc genus opportunitates è Dei manu nobis oblata, infructuosæ pereant. Sed enim si præstando veri fidique Pastoris officio nullo modo idoneum te vides, hoc secundum est, malè tibi assignatum munus vt deponas potius, quàm indignè ac perfidiosè administras. Cedendo enim, Episcopum te non esse saltem declarabis: cuius personam nunc sustines, & functionem profiteris. Equidem si aut Ecclesiæ Christianum in morem vt cunque composita, legitimo ritu præfectus esses: aut etiam plebem istic haberes, tua sedulitate Christo acquisitam, cuius oculi in te cen Ducem ac Pastorem conuerterentur, nunquam concederem, vt abiecta temerè non dubia Domini vocatione, libertatem tibi sumeres aliò, quò ferret animus, demigrandi. Christianis enim (quos in sua vocatione perstare decet) aliena est desultoria ista leuitas. Sed ab hac minimè recta viuendi via, in quam te Sathana, non Domino, vocante, contulisti, quo minus pedem referas, quid te impediatur non video. Omnino sanè, aut tibi, quod ab Episcopo requiri audis, præstandum est: aut sedes Episcopi deserenda. Flebiles illas vestras querimonias noui: quibus si quis ad indulgendam vobis veniam non permoueatur, eum non hominem esse iudicatis. Quid? Ergone fortunis omnibus exuti, hinc nos velut è præsentaneo incendio proripiemus? Quid autem fiet miseris nobis? Scilicet vt qui tràquillè ac placidè in nostro habitamus, vagi ac palantes in alienas concedamus, nobisque incognitas terras? Quorum largitate viuunt plurimi, precariam penè vitam aliorum beneficio agitemus? Qui delicijs assueuimus, non sine dignitate, tenuiter, asperè, contumeliosè victitemus? Quibus nunc otiosis feritur ac metitur, atrum ex iure hesterno panem, vt ille inquit, sudo-

re nostro manibusque partum voremus? Verum ad eò speciosis querelis vno verbo respondeo. Ergo Christiani ne sitis. Christianitas enim hac manet necessitas, ut si furabatur, furari iam desinat: sed manuum labore potius, & sua, & fratrum inopia succurrat. Graue quidem, non secus atque abiecta sui cura, subsidijs presentis vitæ omnitus exuere se ac nudare: sed multò grauius haberi debet, tot malefactorum conscientiam sustinere, cuius flagellis exagitari te, cuius aculeis perpetuò lancinari (si tamen Deum viuere, atque alteram quandam in eius Regno vitam fore putas) necesse est. Durum & istud quoque est, fateor: natale solum, ubi & amantissimè & honorificè accipiaris, aliena regione, in qua futurus sis abiectus hospes, exiliij specie verere: sed multò etiamnum durius, quoquò te veritas, iudicium hoc circumferre. Quod ne dubium nobis foret, Dominus per suum præconem iam pridem promulgauit: sic enim apud Zachariam legimus: O Pastor inanis, delinquens gregem! Gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius. Brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius obscurabitur. Quanquam hîc etiam mirificum artificem Dominum experiuntur fideles, qui reus hominum iudicio tam acerbam, paupertatem dico, suauem illis, verbi sui condimento, gratiosamque reddit. Non quòd asperitate prorsus nullam gustu percipiant: sed quia, illa condimenti suauitate temperatam, non nimis agrè, quin nec sine eximia incurditate ferunt. Quòd si tamen alterutrum eligendum tibi sit, ut vel calamitosam probitatem seclèris, vel calamitatem nequitia effugias: cur non sanctam ac dignam vocatione tua vitam potius in miserijs agas, meliori expectatione fretus, quàm momentaneam nescio quam mortaliem, Dei indignatione, & æternæ mortis ultione redimas? Ita est sanctè si ad illam populo Dei promissam hereditatem serriò aspiras, Moysen te via ducè sequi oportet: qui eiurato Pharaonis genere, satius sibi esse cum Dei populo affligi duxit quàm temporariâ habere peccati fruitione: plura Christi opprobrium, quàm omnes Aegyptiorum diuitias aestimâs. Nam ut ille simul & nepos vocari Pharaonis, & inter Abraham filios censerî non potuit: nec Dei benedictionem, unâ cum Aegyptijs opibus possidere: ita vanissima spe te ipsum laetas, si locum tibi in Dei populo esse confidis, dum in Antichristi castris moreris: si & cœlestè Regnum cum Dei Filio, & cum scelestis latronibus furta ac rapinas participare te simul posse speras. Quare, nec illa solenni vobis deprecatione magnopere moueor, nisi multa humanæ imbecillitatis vitia, qualia scilicet in piorum carne semper resident, toleramus: (ut in hominibus nihil est perfectum) nos Christianum neminem posthac relicturus. Quin neque penes nos mansurum Christianorum nomen, nisi cum venia vita nostra expendatur. Hoc autem vestrum delictum, si quod nominari aliud potest, eiusmodi esse cui meritò sit ignoscendum. Nos tam illa u communem omnium imbecillitatem scimus sanè, & hanc veniam petimusque damusque vicissim: ne propterea quòd interdum titubamus ac labimur (quod perfectissimo cuique sæpius quàm optandum fuerit, accidit) Christiani tamen inter nos haberi desinamus. Sed non alia lege, nisi qui sic claudicat, vacillet, ac decidit, viam nihilominus Domini sequatur: neque verò claudicatione hic impediatur, quia enitatur contrâ, incedendique difficultatem eluctari strenuè contendat: utcumque vacillando trepider, nunquam deficiat animo: collapsus, etiam in pedes se recipiat: nulla denique remora sic, ardetur, quin intentis in Dei Regnum oculis, cæptum iter persequatur. Eos, inquam, cum suis delictis & lapsibus fra-

fraterna benignitate complectimur, eos fratrum in numero retinemus, eos in sinu nostro fouemus, quos vita Christianè instituta, toto animo adspirare ad Dei Regnum apparet. Etsi ne pios quidem sic cum suis vitijs ferimus, vt ea palpando ac blandiendo nutriamus: sed quos Dominus seruos suos agnoscit, è nostro consortio non abijcimus. In te verò quid prorsus simile? cuius vita nec Christianam vllam vocationem præfert, & toto cursu à via Domini auersa est? Proinde quandiu pauperum sanguinem furtis ac direptionibus exuges, quem postea luxuriosè profundas: quãdiu locum Pastoris ad perdendas, nequissima perfidia, oues occupabis: quandiu in eo eris hominum grege, quos latrones & sanguinarios Ecclesiæ suæ prædones Christus appellat: de te, vt voles, æstimabis: mihi certè nec vir bonus eris, nec Christianus.

Vale.

F I N I S.

## IACOBI SADOLETI, ROMANI

Cardinalis, Epistola ad Senatum Populumque Geneuensem:

Qua in obedientiam Romani Pontificis eos re-  
ducere conatur: ad exemplar ipsum  
Sadoleti recognita.

Anno. 1540.

Ioannis Caluini Responso.

IACOBVS SADOLETVS, EPISCOPVS CARPEN-

toracii, S. R. E. Tituli Sancti Calixti Presbyter Cardinalis :

Suis desideratis fratribus Magistratui,  
Consilio, & Ciuibus Geben-  
nensibus.



Charissimi in Christo fratres, pax vobis, & nobiscum, hoc est cum Catholica Ecclesia, matre omnium nostrum atque vestrum, amor atque concordia, à Deo Patre omnipotente, & unico eius Filio D. N. Iesu Christo, Sanctoque simul Spiritu, quæ est unitas in tribus perfecta: cui laus est & imperium in omne seculorum æuum, Amen.

Arbitror, fratres charissimi, aliquibus vestrum esse notum, me nunc degere Carpentoracii: quod veni ab Nicea, summum illuc Pontificem, ad pacificandos Reges ex Vrbe Roma proficiscentem prius profecutus. Amo enim Ecclesiam & ciuitatem hanc, quam mihi spiritualem & sponsam & patriam Deus esse voluit: populòsque hosce meos verè paterna charitate complector, disjungique me ab illis valde ægre fero. Quod si honos iste Cardinalatus, qui mihi inopinanti & inscio delatus est, Romam me coegerit redire (vt certè coget) quod in ea vocatione in qua sum vocatus ibidem Deo seruiam, non is tamen meum animum atque amorem ab his populis auocabit, quos habiturus sum in medijs cordis mei penetralibus semper infixos. Igitur Carpentoracii cum essem, audiremque multa quotidie de vobis, quæ partim quidem mihi dolorem, partim etiam spem nonnullam excitarent, vt non diffiderem nos & vos, qui fuimus quondam in rella erga Deum religione vnanimes, eodem Deo benignius nos respiciente, ad eundem consensum cordium esse redituros, visum est Spiritui Sancto & mihi (sic enim Scriptura loquitur, & certè quæcunque integro & pio erga Deum geruntur animo ex Spiritu Sancto omnia sunt) visum est mihi, inquam, scribere aliquid ad vos, & eam animi curam ac sollicitudinem, quam pro vobis capio, literis vobis declarare. Non enim, charissimi, noua est hæc mea erga vos suscepta & benenolentia & voluntas: sed cum ab eo tempore quo ego Dei voluntate Episcopus Carpentoracien sum factus sum, annis ab hinc tribus ferè & viginti, propter

Com-



commercium, quod vobis cum meis his populis frequens est, multa de vobis absens  
 & de moribus vestris cognouissem, adire iam tum cœpi nobilitatem vrbis ve-  
 stræ, ordinem formamque reipub. dignitatem civium, & illam imprimis vestram  
 laudatam ac probatam apud omnes, erga externos homines & aduenas humani-  
 tatem: & quoniam vicinitas quoque non exiguam sæpe partem ad diligendum  
 affert, sicut in vrbe propinqua domus, sic in orbe finitimæ provincie amoris in-  
 ter vicinos conciliatrices sunt. Non contigit ante hoc tempus, scilicet, vt vos  
 huius mei erga vos animi aut fructum perciperetis, aut aliquod signum indici-  
 umque haberetis. non enim opera vsquam eguistis mea: quæ vobis profecto para-  
 tissima fuisset: verum nulla sese adhuc nobis obtulit occasio. At nunc quidem cer-  
 tè non contigit solum mihi, verum etiam necesse est, vt quo in vos animo sum affe-  
 ctus, vobis demonstrare aditar, si fidem meam erga summum Deum, & christia-  
 nam illam in proximum charitatem retinere mihi cupio. Etenim post quàm fuit  
 ad aures meas delatum, homines quosdam astutos, inimicos Christiane vnitatis  
 & pacis, id quod in alijs antea nonnullis fortissima gentis Heluetiorum oppidis  
 & pagis iam fecissent, item in vobis & ciuitate vestra malæ discordiæ semina ie-  
 cisse, Christi que fidelem populum à via patrum maiorumque suorum, & à perpe-  
 tua Catholice Ecclesie auertisse sententia, omnia que disidijs & seditionibus im-  
 plesse (qui tamen mos proprius eorum semper est, qui auctoritate Ecclesie oppu-  
 gnanda, nouas sibi potentias & nouos honores querunt) testor Deum omnipoten-  
 tem, eum ipsum qui nunc intimis meis cogitationibus præsens adest, me & indo-  
 luisse grauitè, & duplici quadam misericordia affectum fuisse: cum ex vna parte  
 viderer mihi audire gemitum plorantis matris nostræ Ecclesie & lamentantis,  
 quæ tot & tam dilectis filijs vno tempore esset orbata: ex altera, vestris, o cha-  
 rissimi, incommodis & periculis commouerer. Sciebam enim ego, tales viros no-  
 uatores veterum & bene constitutarum rerum, tales turbas, tanta disidia, non so-  
 lum animabus hominum pestifera (quod tamen malum omnium maximum malo-  
 rum est) sed rebus etiam & priuatis & publicis perniciose existere. Id quod vos  
 quoque ipso euentu rerum edocti, cognoscere potuistis. Quid ergo est? cum meus  
 erga vos amor, & mea in deum pietas me cogat, vt tanquam frater fratribus, &  
 amicus amicis, intimum omnem animi mei sensum vobis liberè exponam, vos pluri-  
 mum rogatos volo, vt bonitatem illam vestram, qua semper vt consueuistis, mihi  
 quoque in præsentia, meis non ingratiè accipiendis & legendis literis, præbeat.

Spero enim, si quis modò mentibus hæc quæ scribo attendere volueritis, vos, si non  
 consilium meum, at animum certè rectum & simplicem, & vestra imprimis salutis  
 cupientem, non minimùm probaturos: neque me quæ mea sunt, sed quæ vestra com-  
 moda atque bona, querere intellecturos. Neque ego tamen spinosas & subtiles or-  
 diar disputationes: quam Philosophiam beatus Paulus vocat, & fideles Christi  
 semper monet, ne se per eam patiantur decipi, per quam isti quidem vos circumdu-  
 xerunt, cum inter imperitos obscuram quandam iaciarent scripturæ interpretatio-  
 nem, fraudemque & maliciam, præcæro illo quidem, sed falso atque alieno do-  
 ctрина & sapientiæ nomine honestarent: ego ea proponam, que cura sint atque  
 illustra, quæ nullam in se erroris latebram, nullum fraudis & fallaciæ habeant di-  
 uerticulum. cuiusmodi tamen semper est veritas. Ea enim & in tenebris lucet, &  
 nemini non perspicua est, & à doctis iuxta atque indoctis faciliè percipitur: præ

cipuëque in Christiano genere doctrinæ, non syllogismis, nec verborum captioni-  
 bus, sed humilitate, sed religione, sed erga Deum obedientia est subnixæ. Viui-  
 dus est enim sermo Dei & efficax, & cõcidentior omni acuto vtrunque gladio, pe-  
 netrâtque ad iuncturas spiritus atque animæ, & ad intima cõpaginum ac medulla-  
 rum, neque animos illaqueat impeditis argumentationibus, sed celesti quodam in-  
 terueniente cordis affectu, planum sese & patentem mentibus nostris offert: ut  
 non tam humana intus ad intelligendum ratio, quàm ipse, ad se qui nos vocat, ope-  
 retur in nobis Deus. Quem ego Deum patrem omnis rectæ intelligentiæ supplex  
 precor, ut & mihi ad dicendum & vobis ad percipiendum, ea adiumenta suæ beni-  
 gnitatis præbeat, per quæ possim iterum in vno corde erga ipsum & in vna men-  
 te consentire. Atque ut inde initium capiamus, vnde maximè opportunum esse du-  
 cimus: ego, fratres charissimi, sic existimo, me & vos, & reliquos præterea omnes  
 qui in Christo spem & fidem suam posuerunt, id ea vna de causa ita facere & fe-  
 cisse, quo salutem sibi atque animabus suis, non hanc mortalem & citò interituram,  
 sed illam sempiternam & immortalẽ quærerent, quæ in cælo solùm verè obtineri  
 in terris autem nullo modo potest. Est quidem ita dispartitum hoc officium nostrum,  
 ut iactò primùm fidei fundamento, hîc deinde laboremus, quò illic quiescamus: in  
 terra semen iaciamus, quod in cælo postea possimus demerere: & quibus hîc in ope-  
 ribus, quibusæ in studijs nosmetipsos exercuerimus, similes deinde atque dignos  
 operum & laborum nostrorum fructus in altera vita adipiscamur. Cùmque via  
 Christi ardua, & ratio degendæ nobis secundum eius leges & præcepta vitæ per-  
 difficilis sit propterea quòd animos nostros ab omni terrenarum iucunditatum  
 contagione auocare, & in eo ipso vno figere, despiciere præsentia bona quæ in ma-  
 nibus habemus, & futura quæ non cernimus, appetere iubemur: tantum est tamen  
 unicuique nostrum sua & suæ animæ salus, ut nihil recusare asperum, nihil laborio-  
 sum non pati, animum inducamus, quò tandem aliquando vna nobis spe salutis no-  
 stræ proposita, per arumnas multas, & per sollicitudines, (præeunte semper actioni-  
 bus nostris Dei clementia & misericordia) stabilem salutem illam & perpetuam  
 consequamur. Hac spe Christus annuntiator veri boni, quondam ab orbe terrarum  
 tanto consensu & studio omnium acceptus fuit hac ratione à nobis adoratur &  
 colitur verèque agnoscitur Deus esse, & Dei veri Filius: quòd vnus ipse ab initio  
 omnium seculorum animos hominum Deo omnipotenti, in quo solo vita est, mor-  
 tuos, ac huius quidem mundi fallacibus & caducis blanditijs paulum temporis vi-  
 uentes, mox prorsus & ex omni sui parte ad interitum condemnatos, à mortuis,  
 hoc est, ab hoc maximè pernitioso mortis genere excitauit: primusque ipse, semet,  
 salutem & liberationem & doctrinam nostram esse volens, morte carnis accepta  
 & paulò post vita non iam amplius mortali recuperata, suo exemplo nos instruxit  
 & docuit: ut contraria longè ac prius consueueramus via, mundo huic & carni;  
 hoc est peccato mortui, Deo deinde viueremus, spēsque in eo nostras bene ac beatè  
 perpetuò viuendi poneremus: quæ est propria, & verè digna Dei omnipotentis  
 gloria & maiestate, nostrorum omnium à mortuis suscitatio: quæ non vnus aut al-  
 ter homo, sed cunctum hominum genus à tetra & funesta animæ morte, ad veram  
 & celestem eiusdem animæ vitam reuocatum est. Hanc huiusmodi à mortuis su-  
 scitationem sibi proponens Paulus, maximùmque in ea intuens diuinitatis Christi  
 argumentum atque indicium, Separatus ego in Euangelium Dei, inquit quod pro-  
nife

miserat per Prophetas in Scripturis sanctis de Filio suo, genito quidem ex semine David, secundum carnem, determinato autem & declarato filio Dei in potentia per Spiritum sanctitatis, hoc est, in potentia spirituali, quæ propria Dei potentia est: quod non corpore Deus, sed spiritum mirabilia sua agit. Imperare enim ventis, & cæcis verbo lumen reddere, & mortuos excitare, non corporeis, sed spirituali, quæ eadem & diuina est, fiebat potestate. Declarabatur igitur Christus Dei filius ex hac spirituali potentia, quæ sola diuina est. Et quod subiungit Paulus, ex suscitatio-  
 ne à mortuis, non tam ea, quidem, qua corpus Lazari, aut filium viduæ, aut principis Synagoga filiam (quanquam ista quoque opera Dei erant) verum ea etiam suscitatio magis, qua Mariam Magdalenam à demoniis septem, Mattheum à telonio, multos à terrena & moribunda vita, omne denique genus humanam à peccato & peccati morte, & à potestate huius mundi tenebrarum, ad celestem appetendam atque sperandam & cognationem & lucem excitauit, demersosque in luto terræ hominum animos, erexit ad cælum, atque extulit. Atque hoc maximum, Iesu Christi erga nos beneficium, præcipuumque in eo ipso diuinitatis argumentum idcirco & institutum à Deo in missione filij sui, & ab ipso filio susceptum, & suo nobis tempore per eum datum tributumque est, vt omnibus & diuinis & humanis in vno Christo cõsilijs, auxilijs, virtutibusque adiuti, nos animas Deo nostras saluas sistere possimus. Tãta est nobilitas, tam insigne præciũ, tã grandis æstimatio huiusce rei, quæ anima hominis est, vt quò ne ea perderetur, sed & Deo ipsi & nobis lucrifieret, conturbatis penitus totius nature legibus, atque ordine rerum permutato, & Deus descenderet in terras, vt fieret homo, & homo erigeretur in cælum, vt esset Deus. Credimus ergo in Christum (vt dicebam) omnes quò salutem animabus nostris, id est, nobismetipsis vitam inueniamus: quo nullum optatum vehementius, nullum bonum interius, nec magis coniunctum ac familiare nobis adesse potest. Quantum enim sese diligit vnusquisque, tantum ipsi salus chara est sua: quæ si negligatur, & alijciatur, quod tandem erit præmium quod posuit par acquiri? Quam enim dignam accipiet homo compensationem pro anima sua, inquit Dominus, aut quid proderit homini, vel si vniversum mundum lucretur, animæ autem suæ iacturam patiatur? Hæc igitur tam ampla, tam clara, tam preciosa possessio, quæ nostre animæ salus unicuique nostrum est, cum vi & conatu nobis retinenda est: siquidem cætera bona omnia quæ appetimus, externa atque aliena nobis sunt, hoc vnum bonum conseruata animæ nostre, non solum nostrum, sed verè nosmetipsi istud ipsum bonum sumus. Quod qui neglexerit atque amiserit, is ne bonum quidẽ aliud habere vllum poterit, quo fruatur: pumpe cum ipse ille qui debuisset frui, iam se præmium perdidit. Affequimur porrò bonum hoc nostre perpetuæ vniuersæque salutis, fide in Deum sola & in Iesum Christum. Cum dico fide sola, non ita intelligo, quemadmodum isti nouarum rerum repertoires intelligunt, vt seclusa charitate, & cæteris Christianæ mentis officijs, solam in Deo credulitatem & præiudiciã illam, quæ persuasus sum in Christi cruce & sanguine meamhi delicia omnia esse ignota: est hoc quidẽ etiam nobis necessarium, priusque hic nobis patet ad Deum introitus: sed istamen non est satis. Ai entẽ enim præterea afferamus oportet pietatis plenam erga summum Deum, cupidamque efficiendi quæcumque illi grata sunt: in quo præcipuè Spiritus sancti vsus est. Quæ mens, etiam si interdum ad exteriora opera non progreditur: ipsa tamen ex sese ad bene operandum iam intus parata

est, promptumque gerit studium, ut Deo in cunctis rebus obsequatur: qui verus  
 Divinae iusticiæ in nobis est habitus. Etenim, quid aliud significat, aut quam ali-  
 am nobis offert intelligentiam & notionem in hoc ipsum iusticiæ, si non re-  
 spectus in ea ad bona opera habeatur? Dicit enim scriptura, Quod misit Deus filiū  
 suum, ut faceret sibi populum acceptabilem secundum bonorum operum. Et alio  
 loco, Ut edificemur in Christo ad bona opera. Si ergo missus est Christus,  
 ut bene operantes, per eum accepti Deo simus, atque ut in eo edificemur ad bona  
 opera, cerè fides, quæ in Deum nostra per Iesum Christum est, non solum ut con-  
 fidamus in Christo, sed bene in illo operamur, operamur instituentes, ut confidamus,  
 imperat nobis ac præscribit. Est enim amplum & plenum vocabulum fides,  
 nec solum in se credulitatem & fiduciam continet, sed spem etiam & studium obe-  
 diendi Deo, & illam, quæ in Christo maxime perspicua nobis facta est, principem  
 & dominam Christianarum omnium virtutum charitatem: qua in charitate pro-  
 priè & peculiariter Spiritus sanctus inest, vel potius ipse est charitas. Siqui-  
 dem Deus charitas est. Quamobrem sicuti sine Spiritu sancto nihil nostrum ne-  
 que gratum, neque acceptum Deo est, ita neque esse sine charitate potest. Cum er-  
 go dicimus fide sola in Deum & Iesum Christum saluos nos esse posse, in hac ip-  
 sa fide charitatem vel in primis comprehendendam esse ducimus, quæ princeps &  
 potissima nostræ salutis est causa. Sed, ut abeamus à disputatione, & revertamur  
 eò unde sumus digressi, ostendimus vobis, fratres charissimi, vel ostendere potius  
 conati sumus (non enim æquat magnitudinem rei oratio nostra quantum momenti sit,  
 quantum opere ad nos pertineat, nostræ nobis animæ eiusque salutis procuratio, quia  
 nostra in anima nosmetipsi toti sumus, bonumque hoc propriè & unicū nostrū est,  
 cetera bona, aliena nobis omnia atque disjuncta: quibus ne ipsis quidem frui vllis  
 possumus, si ex hoc principe & verè nostro excidamus. Pro quo sibi tuendo & con-  
 servando animæ bono tot quondam Christi gloriosissimi martyres, mortalem hanc  
 vitam proprio animo posuerunt: tot sanctissimi doctores nocturnis diuinisque su-  
 doribus ac vigilijs, quò nos in viam rectam inducerent & constituerent, sibi ela-  
 borandū esse statuerunt: tota olim tam multas & tam graues ab impijs tyrannis &  
 presidibus gentium iniurias & calamitates pertulit Ecclesia. Quæ ideo om-  
 nia & à præpotente Deo permissa, & à foribus illis virus, Christi verè cultoribus  
 suscepta, tolerata, decertataque sunt, ut per omne experimentorum & pro-  
 bationum genus plurimis veluti malleis excusa, multo igni purgata, tantis sanctorū  
 arumnis atque laboribus conflata, consolidata, expressa, & maximam apud Deum  
 gratiam fidelitatis suæ Ecclesiæ obtineret, & summam apud homines auctori-  
 tatem. Hæc nos Deo Ecclesia in Christo regeneravit, hæc nos aluit, confirmavit:  
 instruxit quid nos sentire, quid credere, in quo spem ponere, qua via in cælum ten-  
 dere nos oporteat ipsi eadem docuit. Nos in hac communī Ecclesiæ fide incedi-  
 mus, nos illius leges & præcepta retinemus: & si quando fragilitate & incon-  
 tinentia victi ad peccandum prolabimur (quod vitam saltem rarò ac non ni-  
 miùm sæpè nobis accideret) in eadem tamen fide Ecclesiæ exurgimus: quibusque  
 illa expiationibus & poenitentijs & satisfactionibus peccata nostra ablui, &  
 ad integritatem pristinam, clemente erga nos semper & misericorde Deo, nos  
 restitui docet, eas expiandi & satisfaciendi rationes suscipimus & adhibe-  
 mus idque ita cum facimus, confidimus nos veniæ & misericordiæ locum  
 apud

apud Deum inuenire. Non enim præter sententiam & authoritatem Ecclesiæ arrogamus nobis quicquam, nõ plus nos sapere quàm oporteat sapere nobis ipsis persuademus, non superbiam afferimus ad contemnendum Ecclesiæ decreta, non animi elationem neque ingenium inter populos nostrum, aut nouam quandam sapientiam ostentamus, sed (de probis & rectis Christianis loquor) in humilitate ingredimur atque in obedientia: & ea quæ per maiorum nostrorum sanctissimorum hominum, sapientissimorumque authoritates tradita nobis & constituta sunt, tanquam per Spiritum Verè Sanctum dictata atque præcepta, omni cum fide suscipimus. Etenim nouimus & scimus quantum habeat virum, quanti sit momenti, quanti ponderis apud Deum humilitas: quæ vna virtus imprimis Christiana est, eamque semper maximè Christus Dominus noster & monitis, & præceptis, & factis atque operibus suis præ se tulit, paruulisque solis, id est humilibus propositum dixit esse Regnum cælorum. Non enim refert, corporè ne parui an magni simus, sed illud plurimum refert, vtrum animo simus humili, ane superbo. Superbia, quæ angelos deiecit de cælo, hominibus eadem iter in cælum impedit. Vnde cæleste animal Angelus, propter superbiam expulsus est, eò terrenum animal homo, propter humilitatem extollitur. vt adpareat planè, constitutum esse nobis in humilitate potissimum, & adiumentum perpetuæ salutis nostræ, & huius beatæ ac iucundæ spei, qua ad cælum tendimus, firmamentum. Quæ cum ita sint, charissimi fratres, cum nostra salus nobis, cum vera vita, cum æterna felicitas, cum nosmetipsi denique nobis ipsis imprimis & maximè cæterarum rerum omnium chari esse debeamus, cum si nosmetipsos perdidimus, nihil vsquam nostrum, id est quod iuuet, aut quod pertineat ad nos, simus amplius reperiri, cum nullum grauius damnum, nullum exitiosius malum, nulla acerbior calamitas amissione & iactura animarum nostrarum accidere nobis possit, quanto, obsecrò, studio, qua animi cura & sollicitudine prouidere debemus, ne in hoc tantum periculum salus & vita nostra conijciatur? Dabitur vos profecto mihi & concedetur, nihil perniciosius neque funestum magis euenire nobis posse, quàm amissionem animæ vnicuique suæ. Dabitur ergo e iam illud, opinor, nihil esse à nobis maiore diligentia & studio, quàm ne id accidat, præcauendum. Cuius enim mali fors, si ea in nos incidat, omnium malorum est deterrima, eiusdem mali periculum maximè omnium nobis esse formidolosum debet. Etenim quanta est in malo moles, tantus in periculo mali necesse est vt sit timor. Atque vt qui horrent & metuunt in pelagus præcipitari, hi ne ad præruptam quidem & imminentem pelago rupem audent accedere, sic qui terribile illud Dei & damnatorium iudicium perhorrescunt, ab eo fugiunt imprimis periculo, quod sempiternæ illi miseriæ maximè finitimum proximèque adiunctum est. Neque ego hoc in hoc dico nunc loco, non omnes peccare homines, non omnes nos, quoad hanc viuimus vitam, in periculo semper esse (sumus enim planè, & aberramus, & offendimus, & labimur, interdum omnes. sapius, varius, prout cuique sua & ex Deo in iura ad se cohibendum virtus inest) veruntamen peccata cætera, præsertim quæ non iudicio stabili, sed per fragilitatem admissa patratæque sunt, ad summam Dei misericordiam facilem reditum habent. Illud autem peccatum horribile & pertimescendum, quo præuè colitur Deus, qui rectissimè debet coli, & quo falsa de illo sentiuntur, qui est summa, solus, veritas: illud, illud inquam est peccatum, quod non solum in proximo periculo æterni mali nos constituit, sed spem propè e-

riam & conatum declinandi & fugiendi eiusmodi periculi nobis aufert. Nam reliquis nostris in peccatis tanquam in vitæ fluctibus illa tamen anchora nostræ nauis salua est, quæ nos prohibet à scopulo & naufragio, quòd cogitationes interdum nostras in Deum conijcientes, & stimulis dolorum propter peccata compuncti, tacitis suspirijs, & confessione iniquitatis nostræ illius misericordiam imploramus. Atque ipse, ut bonitatis & clementiæ plenus est, flectitur statim ad ignoscendum, morèque sibi patris filiorum suorum preces placatus admittit. At in hoc truci, horribili & peccato præpostera falsæque religionis, nec Deum nobis, nec anchoram amplius relinquimus. Quapropter hoc præcipuè periculum, fratres charissimi, si salui esse volumus, accuratissimè & studiosissimè vitandum nobis est. Potest hic dici, cum vel corrupta, vel integræ religionis varia sint iudicia, & diuersa hominum, in hoc præsertim tempore, sententiæ, aliùsque hoc modo, illo alius interpretetur, satis videri debere, si unusquisque ad id quod primum occurrerit, credendum, sincero animo accedat, suumque iudicium submittat hominum se doctiorum & peritiorum iudicijs. Fateor, fratres charissimi, has esse voces hominum simpliciorum, & quorum ingenia natura hebetiora sunt: quos qui detorquent & abstrahunt à via recta, maius illi multò in se peccatum habent: nam peritis quidem & callidis, oratio ista non conuenit. Sed ut nunc temporis causa confitear, omnibus ista & doctis & indoctis incerta esse (quod tamen est factus, habet enim catholica Ecclesia certam regulam, qua à veris falsa discernat) verum, esto, concedamus dubia esse: nonne, quoniam de periculo nostræ salutis agitur, quoniam animas nostras, hoc est, nosmetipsos plurimi facimus, nec nunc in discrimen aut fortunarum, aut valetudinis, aut etiam corporis & mortalis huius vitæ venimus (quorum omnium iacturam viri fortes pro Christo & pro sua anima constanter saepe pertulerunt) sed de nobis id decernitur, vtrum sempiternè miserimi, an beatissimi simus vicini, circumspicere, considerare, perpendere diligenter nos oportet, ut eo nos constituamus in loco (de re loquor velut idubia, quæ tamen non est) ut ibi, inquam, consistamus, ubi minùs multò nobis timoris atque periculi, longèque plus spei & alacritatis ostenditur? Nemo hoc, credo, negaturus mihi est, quin in re anticipiti & dubia (in qua præsertim summa agitur vitæ & salutis nostræ) id potius capere & sequi consilij debeamus, quod ratio nobis suaserit, quàm quod fortuita obtulerit temeritas. Videamus igitur vtra in parte, & in vtra secta maius sit à Deo longius nos remouendi, & ad perpetuum exitium propius nos admouendi periculum. Quam rem i'a agam & proponam, quasi habeam vos adhuc deliberantes, nec dum animi certos, quorum potius aut voluntatibus obsequi, aut consilijs credere debeatis. Disceptatio est, vtrum vestra salutis magis expediat, gratiusque Deo vos facturos existimetis, si ea credideritis, eritisque sequuti, quæ Ecclesia catholica cunctum per orbem terrarum annos iam mille & quingentos amplius, aut (si claram certamque rerum gestarum memoriam & notitiam querimus) annos iam amplius mille & trecentos, magno consensu comprobat: an hæc quæ vafri homines, atque, ut sibi ipsi videntur, acuti, aduersus tot seculorum usum & contra perpetuam Ecclesiæ auctoritatem, his annis quinque & viginti inuouerunt: qui certè ipsæ catholica non sunt Ecclesia. Est enim catholica Ecclesia, ut breuiter definiamus, quæ in omni anteacto & hodierno tempore, omni in regione terrarum, in Christo vna & consentiens, vno Christi spiritu vbiq; & semper, dire-

Ha est, in qua nullum potest dissidium existere: omnis enim ea inter se connexa & conspirans est: quod si quid accadat dissensionis & dissidij, magnum quidem corpus Ecclesiae idem permanet, fit autem apostema, quo corrupta aliqua caro, ab animante corpus cunctum spiritu diuisa secernitur, nec de substantia ulterius corporis Ecclesiastici est. Non ego hic deueniam ad singulas rerum disputationes, neque aures vestras copia verborum atque argumentorum onerabo: Tacebitur à me nunc de Eucharistia, in qua nos verissimum Christi corpus adoramus. Isti sane parum gnari quemadmodum in vnoquoque genere doctrinae adhibere argumenta & rationes oporteat, ex alienis & longè diuersis dialecticæ inanisque philosophiæ rationibus, Dominum ipsum vniuersi, & diuinam in eo spiritualémque potentiam (quæ prorsus libera & infinita est) in angulos corporeæ naturæ, quæ suis cancellis circumscripta est, conantur includere. Non loquar de confessione ad sacerdotem, peccatorum: in qua, quod maximum est nostræ salutis fundamentum, vera Christiana humilitas, & à Scriptura demonstrata, & ab Ecclesia præcepta ac constituta est: quam isti humilitatem, & per calumnias eludere, & per arrogantiam abijcere studuerunt. Silebo de precibus, aut Sanctorum pro nobis apud Deum, aut nostris pro mortuis: quas ydem isti cum aspènantur & irrident, easque nullius penitus esse momenti dicunt: quid tandem sibi volunt? Num nam animas arbitrantur vnà cum corporibus suis interire? Et nimirum id videntur innuere, quod agunt etiam manifestius, cum libertatem sibi viæ ab omnibus Ecclesiasticis solutam legibus, & licentiam cupiditatum comparare adnituntur. Si enim mortalis anima sit, clamus & bibamus, inquit Apostolus, paulò post enim moriemur: sin autem sit immortalis, vt certè est, vnde, quæso, tantum & tam repente factum est corporis morte dissidium, vt & viuentium & mortuorum animæ inter se nihil congruant, nihil communicent, omnis sint cognationis nobiscum, & communis humanæ societatis oblitæ? Cùm præsertim charitas, quæ præcipuum Spiritus Sancti in Christiano genere est donum, quæ nunquam non benigna, nunquam non fructuosa est, & in eo in quo inest, nunquam inutiliter consistit, salua semper & efficax in vtraque vita permaneat. Sed vt relinquam controuersias, easque ad sua tempora reseruem, excutiamus id quod prius est propositum, vt videatur & queratur, quid nolis magis conducatur, factumque rectius sit, quid ad gratiam summi Dei obtinendam magis sit accommodatum, sentiri ène cum vniuersa Ecclesia, eiúsque decretis & legibus, & Sacramentis cum fide obtemperare, an assentiri hominibus dissidia & res nouas quærentibus. Hic locus est, charissimi fratres, hoc illud est biuium quod diuersa duo in itinera scinditur: quorum iter alterum ad vitam, alterum ad perpetuam mortem nos deducat. In hoc discrimine & delectu agitur salus animæ cuique suæ, aguntur pignora futuræ vitæ: vtrum videlicet nos æternæ felicitatis, an miseræ infinitæ simus futuri compotes. Quid ergo dicemus? Fingamus hinc duos, qui ex vtroque genere, hoc est, vtroque ex itinere, ante illud terribile summi iudicis tribunal sint constituti: quorum causa cognoscatur & expendatur, quò vel damnatoria in eos sententia, vel salutaris iure ferri possit. Interrogabuntur: fuerintne Christiani. Fuisse se ambo dicent. Rectène crediderint in Christum: & trique pariter respondebunt, Næ. Quid autem crediderint, aut qua modo crediderint cum explorabuntur (nam hæc de fide rectè cogni:io, illam quæ est de vita & moribus, antecedit) cum igitur ab eis exigetur rectæ fidei confessio, dicet ille

quidem qui in catholica Ecclesia gremio & disciplina fuerit educatus, Ego, cum institutus essem à parentibus meis, qui & ipsi à patribus suis & auis acceperant, ut cunctis in rebus catholicae Ecclesiae essem obsequens, eiusque leges, & monita, & decreta, tanquam à teipso, Domine Deus, lata observarem & colerem: cumque omnes eos ferè, qui in Christiano nomine censerentur, quique & nobiscum, & ante nos, longè & latè per orbem terrarum tua signa essent secuti, in eadem sententia esse & fuisse animaduertentem, ut cuncti matrem fidei suae hanc ipsam Ecclesiam agnoscerent & venerarentur, & ab eius praeceptis constitutisque discedere sacrilegij inster putarent, in hac eadem fide, quae catholica seruat docetque Ecclesiae, probare tibi me studui. Et quanquam venerant homines noui Scripturas multum in ore & manibus habentes, qui noua quadam commouere, vetera libefactare, Ecclesiam redarguere, obedientiam quam illi nos omnes praebeamus, eripere nobis & extorquere conarentur, in eo tamen constanter manere volui, quod à patribus meis, & à communi sanctissimorum doctissimorumque Patrum consensu iam inde antiquitus in Ecclesia fuisset & obseruatum & traditum: etsi multorum quidem praesidium hominumque Ecclesiasticorum praesentes mores essent ij, qui mihi stomachum mouere possent, quibus tamen non sum à sententia deductus. Ita enim constitui, eorum praeceptis, quae certè sancta erant, obtemperare me debere, sicuti tu Deus in tuo Euangelio praeceperas, uia autem & gestorum: e uinum iudicem esse oportere: praesertim cum ego quoque, his tot peccatis, quae in hac mea fronte enibi manifesta sunt, commaculatus atque infectus, aliorum dignus Iudex esse non possem. Pro quibus nunc adyto ante Tribunal tuum, non seueritatem tuam, clementissime Deus, sed misericordiam potius & placabilitatem implorans. Dixerit hoc modo iste causa suam: Citabitur alter, comparebit. Imperabitur illi ut dicat. Hunc habebit exorsum orationis suae (fringatur enim de illis unus esse qui sunt, aut fuerint dissensionum authores: melius enim credo tutabitur iste causam suam, qui se Doctorem ceteris addeficiendum ab Ecclesia fuerit professus) Mibi, inquit, o summe Deus, intuenti mores hominum Ecclesiasticorum ubique ferè corruptos, & sacerdotes nihilominus religionis gratia, in honore omnibus esse cernenti, opesque illorum iniquo animo ferenti, iusta, ut puto, iracundia animum inflammavit, ut me illis aduersarium constituerem: cumque respicerem meipsum, qui tot annos operam literis & theologiae dedissem, non tamen habere cum in Ecclesia locum, quem labores mei meriti essent, multos autem indignos ad honores & sacerdotia extolli perspicerem, ad eos, fateor, infectandos me contuli, quos tibi quoque ipsi minime placere & satisfacere sum ratus. Et quoniam eorum potentiam reuellere non poteram, nisi obtererem prius leges ab Ecclesia latas, populi magnam partem induxi, ut ea Ecclesia iura contemneret, quae diu antè rata inuiolataque fuissent. Quae si in concilijs uniuersalibus fuissent decreta, conciliorum authoritati non cœcedendum esse dixi: si instituta à priscis Patribus & Doctoribus, veteres Patres ut imperitos & bona expertes intelligentiae sum criminatus: si per Romanos Pontifices, eos sibi astruxisse tyrannidem, & falso nomine vicarios se Christi dicere affirmarum: omnibus denique modis contendendi, ut hoc tyrannicum Ecclesiae iugum, quae cibos interdum prohibet, quae dies seruat, quae confiteri nos uult peccata nostra sacerdotibus, quae vota impleri iubet, quae homines in te Christe liberos tot seruitutis uinculis alligat, à nobis



cuncti qui te colimus, excuteremus: solamque fidem in te, non etiam bona opera, quæ maximè extolluntur & prædicantur in Ecclesia, iustitiam nobis & salutem parere cõsideremus: cum tu præsertim pœnam pro nobis pependisses, tuoque sancto sanguine cunctorũ delicia & scelera deleuisses: ut nos hac una fide in te freti, liberius deinde agere quæcunque nobis libuisset, possemus. Scripturas etiam ingeniosus sum perscrutatus quàm veteres illi: ac tum quidem maximè, cum aliquid querebam in eis, quod contra istos detorqueere possem: quæ etiam doctrinæ & ingenij opinione, apud populos famam & existimationem nactus, totam quidem Ecclesie auctoritatem euertere non potui: magnarum tamen seditionum in ea, & scissionum fui autor. Hæc ubi iste dixerit, & verè dixerit (neque enim mentiendi apud illum caelestem iudicem est locus, tametsi multa idem de ambitione sua, de avaricia, de studio popularis gloriæ, fraudibus & malicijs intestinis, quæ intus ipse agnoscat, in sese reticuerit, quæ tamen illi, prima ipsa in fronte appareb. ut inscripta, quod tandem, ò Gebennenses fratres mei, quos ego in Christo, & in Christi Ecclesia unanimis mecum habere opto, non solum de his, sed comitibus affectatoribusque eorũ iudicium fore existimatis? Non-ne hic ceriè qui catholicam Ecclesiam fuerit secutus, nullum suum erratum in hac re afferet? Primum, quia nõ errat, neque ad eò errare potest Ecclesia, cuius illa publica & universalis decreta atque cõcilia Spiritus sanctus assidue gubernat. Deinde etiã si errasset ea aut erraret (quod tamen creditu & memoratu est nefas) nullus hæc quidem suus exprobraretur error, qui sincero animo, & propter Deum humili, maioram fidem suorum & auctoritatem esset persecutus. At iste alter suo innitens capite, neminem habens veterum sanctorum patrum, ac ne generalium quidem ex omnibus Episcopis conuentuum, quem honore dignum putet, cui inducat animum cedere & obtemperare, omnia sibi arrogans, ad obrectandum magis, quàm ad discendum docendumve paratus, cum à cõmuni Ecclesia desciscit, quem respicit portum foruarum suarum? quo propugnaculo confidit? quibus apud Deum aduocatis fretus est? ut non grauius debeat metuere, eiectum se iri in tenebras exteriores, ubi erit sletus & stridor dentium, hoc est, ubi miseria suas perpetuò desleturus, & contra semetipsum dentibus increpaturus sit: quòd cum posset, si id studuisset, illam acerbissimam vitare calamitatem, id facere neglexisset. Quàm porò infausti & incõmodi comites traducenda vitæ sint mæror & favor, vnus per sese quisque potest intelligere: præsertim cum illiusmodi mali atque damni nullus futurus vnquam finis sit, nullæ determinatio, nunquam ibi plorare, nunquam desinatur irasci. Atqui, reliqua istorum omnia aliquo tamen pacto perferri & tolerari possint, hoc quemadmodum ferretur (in quo mihi videtur ne ad ignoscendum quidem illis, locum vllam veniæ & misericordiæ apud Deum dari posse) quòd sponsam huius Christi vnicam discernere sunt conati? quòd tunicam illam Domini, quam prophani milites diuidere noluerunt, isti ausi sunt, non diuidere solum, sed lacerare? Quot enim iam, istis initium facientibus, sectæ Ecclesiam disiderunt, neque cum istis congruentes, & ipsæ inter se discordes, quod manifestè iam esse falsitatis iudicium omnis doctrina confirmat. Veritas enim vnica semper est, varia autem & multiformis est falsitas: & simplex, quòd rectum est, multiplicium, quòd obliquum. Sed huiusmodi scissionem, cuiusmodi sanctæ Ecclesie dilaniatione, potest ne quisquam Christum agnosce, & confitens, & cuius aliquando menti atque cordi Spiritus sanctus illuxerit, non in-

telligere, Sathana, & non Dei propriam operationem esse? Quid imperat nobis Deus? quid præcipit Christus? Nempe ut unum omnes in ipso simus. Quò datum est nobis è celo atque Deo illud singulare & præcellens charitatis donum, quod Christiano duntaxat generi, non cæteris gentibus diuinitus infusum est? Nonne ut omnes vno corde & ore Dominum confiteamur? An arbitrantur isti Christianam religionem aliud omnino esse, quàm pacem cum Deo, & cum proximo concordiam? Videamus quid ipsemet loquatur in Ioanne Dominus, Patrem suum pro discipulis deprecans. Pater sancte. serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos: non pro his autem rogo solùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quòd tu me misisti: & ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus, ego in eis & tu in me, ut sint perfecti in unum. Videtis, fratres charissimi, & in clara Euangelij luce discernitis, quid sit verè esse Christianum: cum fides in Deum nostra, cum Dei omnis gloria, quæ & ipsius apud nos, & nostra apud eum esse possit, in hac sola inter nos vnitatem consistat: cum hoc unum requirat & postulet à Patre de nobis Christus, isque suos in hoc labores, suas ærumnas, suam susceptam pro nobis humani corporis fragilitatem, suam crucem, suam mortem, sic fructum allaturam sibi putet, & ad gloriam Patris, quam maximè expetebat, & ad salutem nostram, pro qua erat moriturus: si nos internos, & in ipso fuerimus unum. Atqui hoc semper laborat, hoc adnititur Ecclesia catholica, ut sit consensio nobis, & in eodem spiritu vnitatem: quòsque homines aut spatia disiungunt terrarum, aut intervalla temporum, quod coire in unum corpus omnes non possunt, eos vnustamen spiritus, qui vbiq; idem semper est, & foueat & regat. Cui quidem Ecclesiæ catholice & Spiritui sancto, hi se aduersarios è regione profitentur, qui vnitatem frangere, qui varios, spiritus immittere, qui consensionem soluere, qui tollere concordiam de Christiana religione conantur, tanta cupiditate, tanto studio, tot machinationibus & artibus, ut eorum sollicitudinem & anxietatem nulla satis dignè exprimere oratio possit. In quos ego quidem id non imprecor, ut disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam: neque item, ut addat iniquitatem super eorum iniquitatem: sed ut conuertat eos, & ad spiritum bonum deducat, dominum Deum meum supplex rogabo, sicuti rogo. Vosque & oro, & hortor fratres mei Gebennenses, ut, discussis aliquando ab oculis mentis vestræ erroris nebulis, & patefacta luce, ad calum illud oculos attollentes, quod perpetuam patriam vestram, si in vnitatem Ecclesiæ manseritis, proposuit vobis Deus, redire in concordiam nobiscum, & fidele obsequium præstare matri nostræ Ecclesiæ, colereque Deum in vno nobiscum spiritu iam velitis. Nec si mores nostri vobis fortasse displicent, si quorundam culpa splendor ille Ecclesiæ, qui perpetuus & incontaminatus esse debuit, aliquando fit obtusior, vestros id animos moueat, aut in diuersam & contrariam trahat partem. Odisse forsitam personas nostras potestis (si id ab Euangelio conceditur) doctrinam certè & fidem habere odio non debetis: scriptum est enim, Quæ dicunt facite. Neque verò non aliud dicimus, quàm quòd nostram vestræ salutis cupiditatem vobis indicamus. Quæ si à vobis, Gebennenses charissimi, in bonam partem fuerit accepta, si me amantissimum vestri gratis animus audieritis: non poenitebit vos profectò, & apud Deum recuperata pristina

na gratia vestra, & apud homines laudis. Ego, quæ meæ partes sunt, & quod benevolentia erga vos meæ mihi præscribit, assiduus ero ad Deum pro vobis deprecator, meo quidem ipse indignus vitio, sed forsitan charitas efficiet me dignum. Tum autem quicquid valeo possûmque, etsi id quoque paruum admodum est, sed siquid est in me ingenij, consilij, autoritatis, diligentia, id ita vobis totum & vestris opportunitatibus defero, ut pro magno meo commodo habiturus sim, si vos ali quod ex me commodum fructûmque meæ operæ & laboris & in diuinis rebus, & in humanis percipere potueritis. Extremum est, ut vos orem, ut eum nuntium quem ad vos cum his literis misi, ea comitate ac benignitate accipiatis, quam & humanitas vestra, & ius gentium, & in primis Christiana mansuetudo postulat & requirit: quod vobis honestum, mihi autem vehementer futurum est gratum. Deus vos dirigat, & propitius tueatur, fratres, charissimi.

Carpentoracli XV. Calend. Aprilis, M. D. XXXIX.

FINIS.

## IOANNES CALVINVS IACOBO

Sadoleto Cardinali, Salutem.



*Cum in magno doctorum hominum prouentu, quos tunc nostrae haec aetas, id sis, cum excellētis doctrinae tuae, tum verò insignis facundia merito affecutus, ut te inter paucos colant ac suspiciant quicumque videri voluit bonarum artium studiosi, inuicem equidem facio ut nomen tuum publicè inter eruditos ista, quae à me audies ex postulatione perstringam. Neque verò eram id facturus, nisi fuisset in hanc arenam pertractus magna necessitate. Non enim ignoro, vel quanta improbitatis foret vlla cupiditate incitari ad eum virum laceffendum, qui de bonis disciplinis sit optime meritus: vel quam id quoque sit futurum odiosum apud omnes literatos, si sola importunitate percitum, nulla autem iusta causa impulsus fuisse intelligerent, ut stylum in eum stringerem, quem amore dignum & honore propter eximias dotes non sine causa iudicant. Verum ubi consilij mei rationem exposuero, non modò me omnes à culpa liberabunt, sed nemo erit ut spero, qui non mihi concedat, causam hanc, quae à me suscipitur, nullo modo fuisse mihi deferendam, nisi officio meo turpiter deesse vellem. Literas non ita pridem scripsisti ad Senatum populumque Geneuensem, quibus tentasti eorum animos, an sub Pontificis Romani iugum, quod semel excusserunt, reduci se sustinerent. In istis literis, quoniam non expediebat eos grauius vulnerare, quorum fauore tibi opus erat ad causam obtinendam, fecisti quod erat boni rhetoris. Multis enim blanditijs eos demittere conatus es, quò in tuam sententiam pelliceres. Quicquid erat inuidiae & acerbitalis, in eos deriuasti, quorum opera id factum erat, ut ab illa tyrannide defecissent. Atque hinc, si Deo placet, plenis velis inuheris in eos, qui urbem illam sub Euangelij praetextu, id istam, quam deploras, religionis & Ecclesiae conturbationem malis artibus perpulerunt. Ego autem, Sadolerte, ex his quos tam hostiliter incesis ac laceras, vnum me esse profiteor. Tametsi enim constituta iam religione, ac correctae Ecclesiae forma, illuc vocatus fui: quia tamen quae à Farello ac Vireto gesta erant, non modò suffragio meo comprobauit, sed etiam quantum in me fuit, conseruare studui ac confirmare, separatam ab illis causam habere nequeo. Quòd si tamen priuatim abs te laesus essem, facile profectò id condonarem tuae doctrinae, ac literarum honori. Sed cum ministerium meum, quod Dei vocatione fundatum ac sanctum fuisse non dubito, per latus meum sanciri videam, perfida erit, non patietur, si taceam hic atque dissimulem. Doctoris primum, deinde pastoris munere in Ecclesia illa functus sum. Quòd eam prouinciam suscepi, legitima fuisse vocationis iure meo contendo. Quanta autem fide ac religione administrauerim, non est cur multis nunc verbis ostendam. Perspicaciam, eruditionem, prudentiam, ac dexteritatem mihi nullam arrogabo, ac ne diligentiam quidem. At certè ea sinceritate, qua in opere Domini decuit, me illic versatum esse, probè coram Christo iudice meo, & omnibus ipsius Angelis, mihi conscius sum: & boni omnes eius rei luculentum mihi testimonium reddunt. Hoc ergo ministerium ubi à Domino esse constiterit (quae admodum certè liquidò constabit, ubi audita fuerit causa) si abs te proscindi ac infamari tacitus*

feram

ferat, quis non eiusmodi filitium prauaricationis dāne? Nemo ergo iam non videt, me summa officij mei necessitate constringi, neque posse euadere, quin me crimina ionibus tuis opponam, nisi quam mihi actionem Dominus demandauit, manifesta perfidia deserere ac prodere velim. Quod autem geneuensis Ecclesie procuratore sum in presentia explicatus, ea res effuere non debet, quin paterna charitate illum complectā: cui, dum semel me profecit Deus, perpetuò fidem illi meam obligauit. Age, ubi illi Ecclesie, cuius salutem mihi summa cura esse vult Dominus, extremas insidias intentari cerno, & graue periculum imminere, nisi obuiam eatur, quis mihi consiliet, vt tacitus ac securus exitum expectem? Quante, obsecro, socordia id esset, otiosum, & velut oscitantem conuiuere ad eius exitum, ad cuius vitam tuendam & conseruandam excubare debeas? Atqui superuacua hinc foret longior oratio, quando tu ipse me omni difficultate liberas. Nam si vicinitas, & illa non adedò propinqua, tantum apud te valuit, vt dum tuam erga Geneuates dilectionem vis profiteri, non dubitaris tantè atrocitate me ac meam famam impetere, mihi profectò humanitatis lege id concedetur, vt dum cupio publico eius ciuitatis bono consulere, quæ mihi longè alio, quàm vicinitatis iure commendata esse debet, mihi consilia conatusque tuos, quos in eius perniciem tendere non dubito, interpellare liceat. Adhæc, vt Ecclesiam Geneuatium minime respiciam (cuius certè curam non magis, quàm propriæ animæ, abijcere possum) sed vt nullo eius studio afficiar, ubi tamen ministerium meum quod quidem vt à Christo esse noui, ita sanguine meo, si opus sit, vindicandum mihi est) falsò traducitur ac proscinditur, quæ mihi dissimulanter id ferre liceat? Itaque non æquis lectoribus modò iudicare, sed tibi quoque, Sadolete, reputare promptum est, quot & quàm iustis rationibus coactus, in hoc certamen descenderim. si tamen certamen dici meretur, simplex & moderata innocentia meæ aduersus calumniosas tuas criminationes defensio. Meam innocentiam dico, tametsi pro me agere non possum, quin collegas simul meos complectiar, quibuscum rationes omnes sic mihi in administratione illa fuerunt coniunctæ, vt quicquid de illis dictum fuerit, in me libenter recipiam. Iam verò quem animum in causa hac aduersum te suscipienda habui, cum ipsa quoque actione testari atque approbare studebo. Faciam enim vt omnes intelligant, non causæ modò bonitate & æquitate, conscientia rectitudine, cordis sinceritate, sermonis candore me esse multò superiorem: sed etiam in retinenda lenitate & modestia aliquantò constantiorum. Erunt sanè aliqua, quæ animum tuum vel pungent, vel fortè etiam lancinabunt: dabo tamen operam, ne qua vox asperior à me exeat: nisi quam vel iniquitas accusationis tuæ, qua sum prior impetitus, vel rei necessitas extorserit. Deinde, ne ad aliquam vsque intemperiem aut impotentiam erumpat hæc ipsa asperitas, nè ve vlla procacitatis specie ingenuos animos offendat.

Ac principio, si cum alio quolibet tibi negotium esset, non aliunde procul dubio inciperet, quàm ab eo argumento, quod ego in totum præterire institui. Consilium enim scribendi tuum non sine magna specie exagitaret, donec pulam faceret, te quiduis potius scribendo quæsisse, quàm quod prætendis. Nisi enim magnam candoris tui fidem prius feceris, aspersione non caret, quòd homo alienus, cui nihil antea cum populo Geneuensi necessitudinis fuerit, tantam nunc de repente beneuolentiam erga eum testaris, cuius nullum antea signum extiterit: & is homo,

qui propè à pueritia imbutus Romanis artibus, quales scilicet nunc discuntur in Romana curia, in illa calliditatis ac versutiarum omnium officina, adeoque in sinu Clementis educatus, nunc etiam factus Cardinalis, multas notas habes, quæ te suspectum plerisque ferè omnibus hac in parte reddat. Insinuationes verò illæ tuæ, quibus in simplicium hominum animos influere te posse credidisti, nullo negotio refellerentur ab homine non prorsus stupido. Verùm istud, quod multis forsitan credibile futurum sit, quia mihi cadere non videtur in hominem liberalibus omnibus doctrinis expoliturum, adscribere tibi nolo. Agam igitur perinde tecum, ac si optimo animo, quemadmodum scilicet vivam ista doctrina, prudentia, gravitate præditum decet, ad Genevates scripseris, suas seris que bona fide ipsis, quæ ad eorum salutem, incolumitatemque videbantur tibi pertinere. Verùm qualiscumque tibi animus fuerit (quoniam gravare te invidia in hac parte nolo) quod tamen ea, quæ illis à Domino per manus nostras tradita sunt, quam acerbissima potes verborum contumelia, laceras, & labefactare ad extremam moliris in eo tibi aperte, velim nolim, reclamare cogor. Sic enim demum Ecclesiam adificiant Pastores, si non dociles modò animis ad Christum placidè manu ducunt, sed armati etiam sunt ad propulsandas eorum machinationes, qui Dei opus impedire enituntur. Tametsi longas ambages habet tua Epistola: in hac tamen præcipuè summa vertitur, ut illos in potestatem Romani Pontificis recipias, quod vocas in fidem obedientiamque Ecclesie reducere. Sed quia in causa parum favorabili, præmollendi erant animi, longa oratione præfari, de incomparabili æternæ vitæ bono. Deinde ad causam propius accedis, cum demonstras nullam esse nocentiorum animabus pestem, quam peruersum Dei cultum. Adhæc, Dei ritè colendi eam esse optimam regulam, quæ ab Ecclesia præscribitur. Actum igitur esse de eorum salute, qui Ecclesie unitatem abruperunt, nisi resipiscant. Postea verò contendis, manifestam esse ab Ecclesia defectionem, quod à vestra societate disjuncti sunt. Deinde, quod à vobis Evangelium acceperant, nihil esse quam magnam impiorum dogmatum farraginem. Inde ergo demum colligis, quale Dei iudicium eos maneat, nisi tuis istis monitis obtemperent. Quoniam autem quid plurimum causa serviebat, fidem omnem verbis nostris abrogare: in eo primum laboras, ut quod in nobis salutis suæ studium perspexerant, sinistris suspitionibus graves. Itaque nihil aliud fuisse nobis propositum cavillari, nisi ut ambitionem & avaritiam expleremus. Quando igitur hac ars tua fuit, labem nobis aliquem aspergere, quod præoccupata nostri odio lectorum mentes, nihil nobis crederent, antequam ad aliam veniam, ad istam objectionem breuiter respondebo. De me non libenter loquor. Quoniam tamen prorsus silere non poteris, dicam, quod salua modestia poterit. Ego si meis rationibus consultum voluissim, nequaquam discissem à vestra factione. Neque verò gloriabor, fuisse mihi in illa facili ad honores obtinendos viam: quos ego nunquam concupiui, & quibus captandis animum nunquam potui adijcere. Quamquam certè non paucos novi ex meis æqualibus, qui ad aliquem locum strepsere, quos mihi partim assequi, partim præcurrere licebat. Id unum dicere contentus ero, quod in summis votis fuisset, mihi non fuisse difficile illic adipisci. Nempe ut ocio litterario, cum honesta aliqua ingenuaque conditione, fruere. Proinde nunquam verbor, ut mihi quispiam, nisi penitus perdita fronte, objiciat, me extra regnum Patre aliquid corpori meo quæsisse, quod illic non esset mihi paratum. Farellio autem  
quis

quis id obijcere audeat? si sua illi industria fuisset viuendum, eos iam in literis progressus fecerat, qui esurire ipsum non sinerent. Et erat splendidiore familia natus, quàm vt alienæ opis indigeret. De nobis, quos veluti digito notabis, respondere tibi nominatim placuit. Sed quoniam videris omnes, qui eandem nobiscum hodie causam sustinent, obliquè suggillare, velim intelligas, nullum posse abs te nominari, pro quo non melius tibi respondeam, quàm pro Farello, vel meipso. Sunt aliquot nostrorum tibi ex fama cogniti: de illis conscientiam tuam appello: putè sine fame fuisse adactos, vt à vobis demigrarent, & rebus desperatis, ad istam conuersionem, velut ad nouas tabulas profugisse. Verùm, ne longum catalogum recenseam, hoc dico, eorum, qui causæ huius aggrediendæ Principes fuerunt, neminem fuisse, qui non meliore foret apud vestros loco & fortuna, quàm vt de noua aliqua vitæ ratione propterea cogitandum fuerit. Age nunc, paulisper mecum reputa, quos honores & quas potentias simus adepti. Nos enim alias neque opes, neque dignitates affectasse, aut captasse, quàm quæ nobis obtigerunt, testes erunt omnes qui nos audierunt. Cùm illi in omnibus dictis ac factis nostris non modò suspicionem nullam animaduernerint eius ambitionis, cuius nos in simulas: sed etiam claris indicijs nos ab ea toto pectore abhorreere deprehenderint, non est quod verbulo vno sic eorum mentes fascinari posse speres, vt futuri maledictio potius credant, quàm tot ac tam certis, quæ à nobis habuerunt, experimentis. Ac vt re potius agamus quàm verbis: Ius gladij, & alias civilis iurisdictionis partes, quas sub immunitatis specie personati Episcopi & Sacerdotes fraudulentè, magistratui ereptas sibi vendicarant, an non magistratui restituiimus? Omnia, quæ sibi usurpauerant, dånationis & ambitionis instrumenta, nõnne derestati sumus, & adnixi vt abolerentur? Si spes aliqua erat emergendi, cur non callidè dissimulabamus, vt ista simul cum Ecclesiæ gubernandæ munere ad nos transfirent? Totum autem regnum illud, vel potius carnificinam, quam in animas sine Dei verbo exercebant, cur euertere tanto conatu aggressi sumus? Quomodo non cogitabamus, tantundem nobis deperire? Quantum ad opes Ecclesiasticas attinet, vorantur adhuc magna ex parte ab illis gurgitibus. Verùm si spes erat, aliquando ipsis ademptum iri (vt certè necesse tandem erit) cur non viam quærebamus, qua ad nos deuenirent? At nos, cùm clara voce pronuntiauiimus, Episcopum furem esse, qui ex opibus Ecclesiasticis plus in vsum suum conuertit, quàm quod necesse est ad sobriam frugalemque vitam sustinendam: cùm testati sumus, Ecclesiam pessimo veneno tentatam esse: dum tanta opum affluentia onerati sunt Pastores, quæ ipsos postea obrueret: cùm professi sumus non expedire, vt penes eos residerent: cùm postremò consilium dedimus, vt ministris tantùm erogaretur, quantum ad frugali: atem, ordine suo dignam sufficeret, non quod ad luxum redundaret, reliqua promouere veteris Ecclesiæ dispensarentur: cùm ostendimus eligendos esse graues viros, qui illis præficerentur, ea lege, vt Ecclesiæ & magistratui rationem quotannis redderent: Hòcne erat aliquid nobis aucupari, an potius à nobis vltro excutere? Atque hæc quidem demonstrant omnia, non quid simus, sed quid esse voluerimus. Si ista autem palàm ac vulgò sic nota sunt, vt nullus apiculus negari queat, qua fronte iam exprobrare nobis perges affectatas opes ac potentias extraordinarias, præsertim verò apud eos, quibus nihil istorum est incognitum? Portentosa de nobis mendacia cùm tui ordinis homines quotidie apud suos spargunt, nihil miramur (nemo e-

num adest qui vel reprehendat, vel refutare ausit) at ijs, qui eorum omnium, quæ nuper recitati, oculati sunt testes, contraria omnia velle persuadere, hominis est parum prudentis, & Sadoletum ista doctrinæ, prudentiæ, gravitatis existimatione vehementer dedecet. Quod si à re ipsa æstimandum animum nostrum censes, reperietur non aliò nos spectasse, quàm ut nostra tenuitate atque humilitate Regni Christi amplitudo promoveretur. Tantum abest, ut regnandi cupiditate, sacrosancto eius nomine fuerimus abusi. Taceo plurima alia, quæ in nos pleno, ut aiunt, ore conuicia detonas. Homines astutos vocas, inimicos unitatis Christianæ & pacis, nouatores veterum & bene constitutarum rerum, seditiosos, cum animabus pestiferos, tum publicè priuatimq; permissivos vniuersæ hominũ societati. Si effugere reprehensione non voluisses, aut non de bebæ, inuidiæ causa, tribuere nobis linguam magniloquam: aut aliquantulum ab ista magniloquentia tibi temperare oportebat. Nolo tamen in singulis immorari, nisi quod te reputare cupio, quàm sit indecorum, ne dicam illiberale, si a vexare immerètes multis verbis, quæ verbo vno statim refelli queant. Quæquam leue est homines afficere iniuria, præut est indignitas tantæ contumeliæ, quæ, ubi ad causam venis, Christo & eius verbo abs te irrogatur. Quod Geneuenses nostra prædicatione docti ab illa errorum colluuiæ, in qua demersi fuerant, ad puriore non Euangelij doctrinam se contulerunt, defectionem à Dei veritate: quod à Pontificis Romani tyrannide se vindicarunt, ut paulò meliorem Ecclesiæ formam apud se constituerent, discessionem ab Ecclesiâ esse dicis. Agendum, utrumque ordine excutiamus. In præfatione autem illa tua, quæ æternæ beatitudinis excellentiam prædicando, tertiam circiter & pistolæ partem occupat, responsionem meam diu herere, nequaquam opere precium est. Tamen si future æternæque vitæ commendatio, res est digna, quæ nocte diuque auribus nostris insonet, quæ assidè memoria repetatur, in qua meditanda sine fine exerceamur: de ea tamen nescio qua de causa hic sermonem ad eò protraxeris, nisi ut te aliquo religionis indicio commendares. Siue autem, ut omnem de te debitam tolleres, testari voluisti te de gloriosi apud Deum vitæ sermò cogitare: siue censuisti tam longa eius commendatione excitandos vellicandosque esse eos, ad quos scribebas (nolo enim diuinare quid tibi consilij fuerit) id tamen parum est theologicum: hominem ita sibi ipsi addicere, ut non interim principium hoc illi vitæ formandæ præstiturus, illustrandæ Domini gloriæ studium. Deo enim, non nobis nati imprimis sumus. Siquidem, quemadmodum ab eo fluxerunt omnia, & in eo consistunt, ita in eum referri debent, inquit Paulus. Siquidem, fateor, Dominus ipse, quò nominis sui gloriæ magis commendabilem hominibus faceret, eius promouendæ atque amplificandæ studium temperauit, ut cū nostra salute perpetuò coniunctum foret. At cū docuerit, illud ipsum oportere omnem cuiuslibet boni & commodi nostri curam cogitationemque excedere, & naturalis æquitas id quoque dicit, non tribui Deo quod suum est, nisi rebus omnibus præferatur, Christiani certè hominis est altius conseruare, quàm ad quærendam & comparandam animæ suæ salutem. Itaque nuntiam recta pietate imbutum fore puto, a quo non insipida censetur tam longa, & accurata ad studium celestis vitæ exortatio, quæ hominem penitus in se ipsi detineat, nec ad sanctificandum Dei nomen, vel vno verbo, erigat. Post hanc verò sanctificationem libenter tibi assentior non aliud rota vitæ nobis debere esse propositum, quàm ut ad supernam illam vocationem contendamus.



mus. Hunc enim omnibus & factis, & dictis, & cogitationibus nostris perpetuum scopum, præstituit Deus. Nec sanè aliud est, quo beluam homo antecellat, nisi spiritalis cum Deo communicatio, in spem beatæ illius æternitatis. Nec ferè aliud agimus concionibus nostris, nisi vt omnium animos ad meditationem studiumque eius erigamus. Hoc quoque tibi non ægrè concedo, non aliunde esse grauius salutis nostræ periculum, quàm à præpostero peruersoque Dei cultu. Hæc enim sunt prima rudimenta, quibus solemus ad pietatem instituere, quos Christo volumus acquirere discipulos, ne temerè, ac pro sua libidine, nouum aliquem Dei cultum sibi fingant: sed hunc vnum legitimum esse sciant, qui à principio fuit illi approbatus. Afferimus enim, quod sacro oraculo testatum est: obedientiam esse quolibet sacrificio præstantiorem. Denique, modis omnibus assuefacimus, vt vna colendi Dei regula contenti, quam ex illius ore habent, commentitios omnes cultus valere iubeant. Proinde cum tu hanc, Sadolete, voluntariam confessionem edideris, iactum est abs te defensionis meæ fundamentum. Nam si fateris, hoc horribile esse animæ exitium, vbi, præuis opinionibus, in mendacium conuertitur diuina veritas, nunc tantum nobis superest, quærere, vtra tandem pars cultum illum Dei, qui vnus est legitimus, retineat. Quò eum parti vestra afferas, assumis, certissimam esse ipsius regulam, quæ ab Ecclesia præscribitur. Quãquam, ac si tibi hîc obisteremus, qualiter in rebus dubijs fieri solet, sententiam istam in deliberationem reuocas. Ego autem Sadolete, quia frustra desudare te video, hac te subleuabo molestia. Falsò enim opinaris, ab ea colèdi Dei ratione, quam semper obseruauit Ecclesia catholica, nos abducere velle populum Christianum, sed in Ecclesiæ nomine vel hallucinari, vel certè sciens ac volens fucum facis. Atque in hoc quidem posteriore te mox deprehendam: fieri tamen potest, vt alicubi etiam aberres. Primum, in eius definitione prætermitti, quod te ad rectam intelligentiã non parùm adiunxisset, cum dicis eam esse, quæ omni anteaçto tempore, vt hodierno, omni in regione terrarum, in Christo vna & consentiens, vno Christi spiritu, vbiq; & semper directa est: vbi hîc verbum Domini, maximè perspicua nota illa, quam ipse Dominus, in Ecclesia designãda, toties nobis cõmendat? Quia enim providebat, quàm periculosum foret absque verbo Spiritu iactare, Ecclesiam à sancto quidè Spiritu gubernari asseruit: sed eam gubernationem, ne vaga & instabilis crederetur, verbo alligauit. Hac ratione clamat Christus, ex Deo esse, qui verba Dei audiunt: Oues suas esse, quæ vocem suam Pastoris esse recognoscunt: quamlibet aliam, hominis esse extranei. Hac ratione Spiritus per os Pauli pronuntiat, Ecclesiam fundatam esse super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Item, Ecclesiam Domino sanctificatam lauacro aquæ in verbo vitæ. Id ipsum per os Petri etiam clarius: cum docet regenerari Deo populum, per semen illud incorruptibile. Denique, cur toties Euangelij prædicatio regnum Dei nuncupatur, nisi quia sceptrum est, quo plebem suam moderatur Rex cælestis? Neq; in literis tantum Apostolicis illud reperies, verum quoties, vel de instauranda, vel de propaganda in orbem vniuersum Ecclesia, vaticinantur Prophetæ, primum semper locum verbo assignant. Prodituras enim aquas viuas dicunt è Ierusalem, quæ in quatuor flumina diducia, totam terrã inundabunt. Quæ verò sint aquæ illæ viuæ, illi ipsi enarrant, cum aiunt: Exituram Legem è Zion, & verbum Domini è Ierusalem. Bene ergo Chrysostomus, qui repudiandos monet omnes, qui sub prætextu Spiritus, à simplici Euangelij doctrina

nos abducunt: cum Spiritus sit promissus non ad nouam doctrinam reuelandam, sed  
 imprimendam hominum animis Euangelij veritatem. Ac nos re ipsa hodie expe-  
 rimur, quam fuerit necessaria admonitio. A duabus seclis oppugnamur: quæ inier  
 se plurimum videntur habere discriminis. Quid enim Papæ simile in speciem cum  
 Anabaptistis? Et tamen, ut videas Sathanam nunquam tanta versutia se transfi-  
 gurare, quin aliqua ex parte se prodat, idem utrique præcipuum telum habent,  
 quo nos fatigant. Spiritum enim cum fastuose iactant, non aliò certè tendunt,  
 quam ut, oppresso sepultoque Dei verbo, locum faciant suis ipsorum mendacijs.  
 Tūque Sadolete, in primo limine impingendo, dedisti pœnas eius contumeliæ,  
 quam Spiritui sancto inuisti, cum separasti ipsum à verbo. Nam velut in biuio  
 sint constituti, qui viam Dei quærunt, ac certo signo destituti, eos hæsitantes in-  
 ducere cogerus: utrumne magis expediat, Ecclesiæ auctoritatem sequi, an ijs auscul-  
 tare, quos nouorum dogmatum repertores, vocas. Si sciuiesses, vel dissimulare nolui-  
 ses, Spiritum Ecclesiæ præluere, ad patefaciendam verbi intelligentiam: verbum  
 autem instar esse lydij lapidis, quo illa doctrinas omnes examinet, an ad istam a-  
 diò perplexam & spinosam quæstionem confugisses? Tuo igitur experimento di-  
 sce, non minus importunum esse, Spiritum iactare sine verbo, quam futurum sit in-  
 sulsum, sine Spiritu verbum ipsum obtendere. Nunc si definitionem Ecclesiæ tua  
 Veriorem recipere sustines, dic posthac, societatem esse sanctorum omnium, quæ per  
 totum orbem diffusa, per omnes atates dispersa, vna tamen Christi doctrina, &  
 vno spiritu colligata, vnitatem fidei, ac fraternam concordiam colit atque obser-  
 uat. Cum hac esse nobis quicquam dissidij negamus. Quin potius, ut eam reuere-  
 mur matris loco, ita in sinu eius cupimus permanere. At hic me redarguis. Doces  
 enim, quæcunque ab annis mille quingentis, aut amplius, constanti fidelium con-  
 sensu sunt comprobata, ea nostra importunitate conuelli & abrogari. Hic non  
 requiram, ut verè ac candidè nobiscum agas (quod tamen Philosopho, nedum Chri-  
 stiano, sponte præstandum erat) sed rogabo tantum, ne ad illiberalem vsque calum-  
 niandi licentiam descendas, quæ existimationem tuam apud probos & graues vi-  
 ros, nobis quoque tacentibus, vehementer laesura est. Scis hoc, Sadolete: & si infi-  
 ciari pergis, faciam ut te sciuisse, ac callidè & saepe dissimulasse, omnes intelli-  
 gant: non modò longè meliorem nobis cum antiquitate consensum esse, quam vo-  
 bis: sed nihil aliud conari, quam ut instauretur aliquando vetusta illa Ecclesiæ  
 facies: quæ primò ab hominibus indoctis, & non optimis, deformata & fœdata, po-  
 stea à Pontifice Romano, & eius factione flagitiosè lacerata, & propè deleta est.  
 Non adè te præcisè vrgebo, ut reuocem ad illam Ecclesiæ formam, quam Apostoli  
 constituerunt (in qua tamen vnicum habemus veræ Ecclesiæ exemplar: à quo si quis  
 vel minimum defleuit, aberrat) sed ut eatenus tibi indulgeam, statue, quæso, tibi ob  
 oculos veterem illam Ecclesiæ faciem, qualem Chrysostomi & Basilij ætate apud  
 Græcos: Cypriani, Ambrosij, Augustini seculo, apud Latinos extitisse, ipsorum  
 monumenta fidem faciunt: postea ruinas, quæ apud vos ex illa supersunt, contem-  
 plare tantum certè discriminis apparebit, quantum Prophetæ, nobis describunt in-  
 ter præclaram Ecclesiam, quæ sub Dauide & Solomone floruit, ac illam, quæ sub  
 Zedecia & Ioachim, in omne superstitionum genus prolapsa, diuini cultus purita-  
 rem prorsus vitauerat. Iamne hostem antiquitatis esse dices, qui, antiquæ pietatis  
 ac sanctimonie studio, præsentium rerum omnium corruptione non contentus, quæ  
 sunt

*sunt in Ecclesia dissipata ac deprauata, corrigere in melius, & restituere in pristinum nitorem molietur? Cùm tribus partibus constet ac fulciatur potissimum Ecclesia incolumitas, doctrina, disciplina, & sacramentis: quarto loco accedant ceremonia, qua populum in pietatis officijs exerceant: vt maximè parcatur Ecclesie vestrae honori, qua parte vis eam censeamus? Doctrina prophetica & Evangelica veritas, qua fundatam esse Ecclesiam oportet, non modò illic magna ex parte interijt, sed hostiliter ferro & igni abigitur. Tu mihi pro Ecclesia obrudes, qua omnes religionis nostrae sanctiones, & qua Dei oraculus sunt prodita, & qua sanctorum quoque patrum libris sunt consignata, & qua priscis concilijs approbata, furiose persequitur? Agè, sancta illius & vera disciplina, quam veteres Episcopi in Ecclesia exercuerunt, qua tandem ex tant apud vos vestigia? Nón-ne omnia eorum instituta ludibrio habuistis? Nón-ne omnes canones pedibus proculcastis? Sacramenta verò quàm sceleratè à vobis sunt prophanata. sine summo horrore cogitare nequeo. Ceremoniarum habetis quidem plus satis, sed illa cùm & significatu, vt plurimum, sint ineptissima, & innumeris superstitionum formis vitata, quid valere queant ad Ecclesiam conseruandam? Nihil istorum, vt vides, accusatorie à me exaggeratur. Et sunt omnia sic in propatulo posita, vt demonstrare digito liceat, si sint oculi qui animaduertant. Nunc, si placet, ad hanc nos legem exige: multùm profectò aberit, quin eorum criminum, qua nobis intentasti, reos peragas. In sacramentis nihil tentauimus, nisi vt in natiuam puritatem, vnde deciderant, restituta, dignationem quoque suam reciperent. Ceremonias magna ex parte aboleuimus. Verum coacti sumus id facere: partim quòd sua multitudine in Iudaismum quendam degenerauerant: partim quòd tanta superstitione occupauerant plebis animos, vt stare modo nullo possent, quin pietati, quã promouere debuerant, officerent plurimum. Retinuimus tamen eas, qua pro temporis ratione sufficere videbantur. Disciplinam, qualem habuit vetus Ecclesia, nobis deesse, neque nos diffitemur. Sed cuius erit aequitatis, nos euersæ disciplinae ab ijs accusari, qui & eam soli penitus sustulerunt, & cùm postliminiò reducere conaremur, nobis haetenus ostiterunt? Neque verò in doctrina dubitamus ad veterem Ecclesiam prouocare. Et quoniam, exempli causa, capita quadam attigisti, in quibus aliquam nos suggillandi causam habere tibi videbaris, ostendam breuiter, quàm iniquè falsoque cauilleris, ea fuisse à nobis contra Ecclesiae sententiam ex cogitata. Antequam tamen ad species descendo, admonitum te velim, etiam atque etiam consideres, quæ ratione vitio vertas nostris hominibus, quòd in scripturae explicationem studium impenderunt. Scis enim, tantam verbo Dei lucem suis lucubrationibus intulisse, vt hoc in genere, omni laude ipsos fraudare, vel inuidiam ipsam pudeat. Eiusdem est candoris, quòd tradis, populum spinosis subtilibusque questionibus fuisse à nobis seductum: adeoque per illam philosophiã, à qua cauerciubet Christianos Paulus, circumductum. Quid? Num meministi, quale fuit tempus illud, quo nostri homines prodierunt? Qualem in scholis doctrinam discerant, qui ad Ecclesias erudiendas se comparabant? Scis ipse, meràm fuisse Sophisticè: sed ad eò contortam, implicitã, sinuosam, perplexã, vt merito dici posset scholastica theologia, quadam arcanae magia species. Quò quisque illic densiores offundebat tenebras, quò se & alios importunis enigmatibus magis fatigabat, eò maiorem acuminis ac doctrinae referebat palmam. Cùm verò doctrinae suae fructum ad populum*

volebant proferre, qui in officina illa fuerant formati, quanta, obsecro, dexterritate Ecclesiam edificabant? Ac ne singula persequar, quæ tunc fuerunt in Europa conciones, quæ simplicitatem illam repræsentarent, in qua Paulus vult tota vita Christianum populum occupari? Imò quæ omnino fuit, ex qua non plura deliria referrent anicula, quàm comminisci toto mense ad fecum suum possent? Sic enim ferè distributæ erant conciones, vt dimidia pars caliginosis illis scholarum questionibus daretur, quæ rudem plebeculam obstupescerent: altera suaves fabellas, aut non inamœnas speculationes contineret, quibus populi alacritas excitaretur. Pauca tantum uocula ex Dei verbo aspergebantur, quæ fidem talibus nugamentis, sua maiestate, conciliarent. Vbi autem primum nostri signum sustulerunt, momento vno discussæ sunt apud nos omnes illæ officinæ. Vestri autem concionatores partim ex eorum libris ita profecerunt, partim pudore atque obmurmurationibus omnium coacti, eorum exemplo ita se conformarunt, vt pleno gutture adhuc spirent veterem illam insulstatem. Vt si quis rationem agendi nostram cum illa atque etiam cum ea quæ hodie vobis est in precio, comparet: non minimam te nobis iniuriam fecisse agnoscat. Quod si paulò ulterius Pauli verba prosecutus esses, facilè quiuis puer intellexisset, in vos proculdubio competere, quod nobis crimen impingis. Inanem enim Philosophiam illic Paulus ieterpretatur eam esse, quæ pias animas, per constitutiones hominum, & elementa huius mundi, deprædat: quibus vos Ecclesiam perdidistis. Et ipse tuo deinde testimonio nos absoluis: qui inter dogmata nostra, quæ exagitanda tibi duxisti, nullum profers, cuius cognitio non sit ad Ecclesiæ adificationem imprimis necessaria. Fidei iustificationem primo loco attingis: de qua nolis primum & acerrimum certamen vobis scum est. Est ne illa spinosa, & inutilis questio? At, sublata eius cognitione, & Christi gloria extincta est, & abolita religio, & Ecclesia destructa, & spes salutis penitus euersa. Dogma ergo istud, quod in religione summum erat, dicimus fuisse à vobis nefarie ex hominum memoria deletum. Perspicua eius rei probatione referti sunt libri nostri. Et crassa eius ignoratio, quæ in vestris omnibus Ecclesiis etiamnum manet, testatur, nos nequaquam falso queri. At tu perquam malignè hinc inuidiam nobis facis: quòd fidei omnia deferendo, nullum operibus locum relinquamus. Hic non ingrediar iustam disputationem, quæ non posset nisi longo volumine terminari: sed enim si catechismum inspiceres, quem Geneuensibus ipse conscripsi, cum pastoris apud eos sustinerem personam, tribus verbis victus obmutesceres. Breuiter tamen hinc tibi expediam, quo modo ea de re loquamur. Primum, iubemus hominem à sui recognitione incipere, & illa quidem non leui nec defunctoria, sed vt conscientiam coram Dei tribunali suam iustat: & cum suæ iniquitatis satis conuictus fuerit, simul iudicij illius seueritatem reputet, quod in omnes peccatores edicitur: ita miseria sua confusus ac perculsus, coram Deo prosternatur, & humilietur: abiecta omni sui fiducia, tanquam vltimo exitio perditus, ingemiscat. Tum, vnicum salutis portum esse ostendimus in Dei misericordia, quæ nobis in Christo exhibetur: quia omnes salutis nostræ partes in eo sunt adimpletæ. Cum ergo vniuersi mortales perditii sunt coram Deo peccatores, dicimus Christum vnicam esse iustitiam: quando quidem, obedientia sua, transgressiones nostras aboleuit: sacrificio, iram Dei placavit: sanguine, maculas abstersit: cruce, maledictionem nostram sustinuit: morte, pro nobis satisfecit. In hunc ergo modum dicimus hominem Deo Patri in

Chri-

Christo reconciliari, nullo suo merito, nulla operum dignatione, sed gratuita clementia. Cùm autem fide amplectamur Christum, & veluti in eius communionem veniamus, hanc, secundum Scripturæ morem, vocamus fidei iustitiam. Quid hic habes, quod vel mordeas, vel carpas, Sadolete? An quia operibus locum nullum relinimus? Certè in homine iustificando negamus vel pilum unum valere. Ubique enim Scriptura vociferatur omnes esse perditos: & sua quæque conscientia graviter accusat. Nihil spei reliquum esse docet eadem Scriptura, nisi in sola Dei bonitate, qua peccata nobis ignoscuntur, iustitia imputatur. Utrunque gratuitum asserit: ut tandem pronuntiet, beatum esse hominem sine operibus. At, quam aliam affert nobis notionem nomen ipsum Iustitiæ, nisi respectus ad bona opera habeatur? Imò si animadvertes, quid Scriptura per verbum Iustificandi significet, in eo non hesitates. Non enim ad propriam hominis iustitiam refert, sed ad Dei clementiam quæ iustitiam peccatori, contra quàm sit promeritus, accepit, idque, in iustitiam non imputando. Illa, inquam, est nostra iustitia, quæ à Paulo describitur, quòd Deus nos sibi in Christo reconciliauit. Modus, deinde subiicitur, non imputando delicta. Nos demum fide fieri eius boni participes demonstrat, cùm dicit, eius reconciliationis ministerium Euangelio contineri. At amplius est vocabulum fides, inquis, & cuius significatio latius patet. Imò verò Paulus, quoties iustificandi facultatem ei tribuit, simul adstringit ad gratuitam divinæ benevolentia promissionem: ab omni autem operum respectu procul auerit. Unde illa familiaris ei collectio: si fide, ergo non operibus. Rursum, si operibus: ergo non fide. Atqui iniuria fit Christo, si prætextu gratiæ eius, repudiantur bona opera: cùm venerit, ut redderet populum Deo acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Et extant multa similia in eam rem testimonia, quibus probatur, ideo venisse Christum, ut bene operantes per eum accepti essemus Deo. Est hæc quidem calumnia aduersarijs nostris perpetuò in ore, quòd benefaciendi studium tollimus è vita Christiana, gratuita iustitiæ commendatione: sed quæ magis friuola est, quàm ut nos valde premat. Opera bona in homine iustificando negamus vllas habere partes: in iustorum vita regnum illis vendicamus. Nam si Christum possidet, qui iustitiam est adeptus, Christus autem nusquam sine suo Spiritu est, inde constat, gratuitam iustitiam cum regeneratione necessariò esse coniunctam. Proinde si ritè intelligere libet, quàm sint res indiuiduæ, fides, & opera, in Christum intueri: qui ut docet Apostolus, in iustitiam & sanctificationem datus nobis est. Vbi ergo cunque ista, quam gratuitam prædicamus, fidei iustitia est, illic est Christus. Vbi Christus, illic Spiritus sanctificationis: qui animam in vitæ nouitatem regeneret. Contra verò ubi non viget sanctitatis innocentiaque studium, illic nec Spiritus Christi, nec Christus ipse est. Vbi non est Christus, neque etiam ille est iustitia, imò neque fides: quæ Christum in iustitiam, sine Spiritu sanctificationis, apprehendere non potest. Cùm ergo, secundum nos, regeneret Christus in beatam vitam, quos iustificat, à regno peccati ereptos, traducat in Regnum iustitiæ, transfiguret in imaginem Dei, adeoque Spiritu suo in obedientiam voluntatis suæ former: non est, quòd frena carnis libidinibus laxari, nostra doctrina, conueraris. Neque verò aliud sibi volunt, quæ adducit testimonia. Quòd si velis ad diruendam gratuitam iustificationem illis abuti, vide quàm imperitè ratiocineris. Dicit alibi Paulus, ante mundi creationem nos in Christo electos esse, ut sumus sancti

& irreprehensibiles in Dei conspectu, per charitatem. Quis inde, vel non esse gratuitam electionem colligere ausit, vel causam eius, esse charitatem? Quin potius, ut gratuita electio finem hunc habet, ut vitam coram Deo traducamus puram & impollutam, sic & gratuita iustificatio. Verum enim est illud Pauli, nos minime ad immunditiam vocatos esse, sed ad sanctitatem. Interim constanter hoc retinemus, hominem non modò semel gratis iustificatum, nullo operum merito, sed hac gratuita iustitia hominis salutem perpetuò constare. Neque etiam aliter fieri posse, ut acceptum sit Deo ullum hominis opus, nisi per eam approbetur. Quamobrem vehementer obstupescit sum, cum apud te legerem, charitatem, principem esse ac potissimam salutis nostræ causam. O Sadolete, quis abs te unquam talem vocem expectasset? Cæci profecto ipsi certius in tenebris palpant Dei misericordiam, quàm ut salutis suæ principatum charitati ausit arrogare. Qui verò vel scintillam unam habent diuinæ lucis, sentiunt non alia re consistere sibi salutem, quàm quòd sunt à Deo adoptati. Est enim æterna salus, hæreditas cœlestis Patris, quæ solis eius filijs est præparata. Porro, quis aliam adoptioni nostræ causam assignet, quam quæ passim à Scriptura prædicatur? Quòd scilicet non priores dilexerimus eum, sed ultro in gratiam ac benevolentiam ab eo recepti simus. Ab hac cæcitate error etiam ille emergit, quòd pœnitentijs & satisfactionibus expiari peccata decet. Vbi ergo erit illa unica hostia piacularis, à qua si disceditur, nullum omnino piaculum restare, testatur Scriptura? Percurre quicquid habemus oraculorum Dei, si vnicus Christi sanguis ubique pro satisfactionis pretio, pro pacificatione, pro ablutione, proponitur, quæ confidentia tantum honorem ad tua opera transferre audes? Nec est, quòd sacrilegium hoc Ecclesiæ Dei adscribas. Habuit, fatcor, vetus Ecclesia suas satisfactiones: non illas tamen, quibus Deo litarent peccatores, seque à noxa redimerent, sed quibus, & quam profitebantur respicientiam non esse factam approbarent: & eius offensionis, quæ ex eorum peccato excitata erat, memoriam delerent. Non enim quibuslibet, sed ijs modò, qui in graue aliquod flagitium prolapsi erant, solenni ritu præscribebantur. In Eucharistiæ causa, id reprehendis, quòd Dominum ipsam vniuersi, & diuinam in eo spiritualémque potentiam, (quæ prorsus libera & infinita est) in angulos corporeæ naturæ, quæ suis cancellis est circumscripta, conamur includere. Et quis tandem calumnijs erit finis? Nos disertè semper testati sumus diuinam Christi non modò potentiam, sed essentiam quoque, diffundi per omnia, nullis finibus limitari: tu autem exprobrare nobis non dubitas, fuisse in angulos corporeæ naturæ à nobis inclusam? Quis sic? Quia corpus eius nolimus terrenis elementis vobiscum affigere. At, si qua tibi sinceritatis cura esset, non ignoras profecto, quàm inter ista duo intersit: localem corporis Christi præsentiam à pane remoueri, & spiritualemente Christi potentiam circumscribi corporis cancellis. Nec dogma istud nostrum debuisti nouitatis insinulare, cum in Ecclesia semper habitum pro confesso fuerit. Sed quia disputatio hæc sua magnitudine librum vnum implet, satius est, quòd tanta molestia vterque nostrum eximatur, Augustini Epistolam ad Dardanum legas: ubi reperies, quomodo vnus idemque Christus & suæ diuinitatis amplitudine cælum terramque excedat: & secundum humanitatem non ubique sit diffusus. Veram carnis ac sanguinis communicationem, quæ fidelibus in Cœna exhibetur, magnificè prædicamus. Eam autem verè cibum esse vitæ, sanguinem illum verè potum, dis-

ser-

ferè ostendimus: quorum non imaginaria conceptione contenta sit anima, sed efficaci veritate fruatur. Præsentiam Christi, qua nos illi inferamur, à Cœna minime excludimus. Neque verò ipsam obscuramus, modò absit localis circumscriptio, modò ne gloriosum Christi corpus ad terrena elementa detrahatur, modò ne in Christum fingatur panis transsubstantiari, ut deinde pro Christo adoretur. Dignitatem vsuque mysterij quibus possumus elogijs illustramus: quanta deinde ad nos vtilitas redeat, declaramus. Quæ omnia propè apud vos negliguntur. Præterita enim, quæ hic nobis confertur, diuina beneficentia, præterito tanti beneficij legitimo vsu, quibus plurimum decebat immorari, satis habetis, si populus ad signum visibile, sine vlla spiritalis mysterij intelligentia, obstupescat. Quòd autem crassam illam, quam statuitis, transsubstantiationem damnauimus: quòd stupidam illam adorationem quæ hominum mentes in elementis detinet, in Christum assurgere non sinit, peruersam esse docuimus & impiam, id non fecimus, nisi suffragante nobis veteris Ecclesiæ consensu: cuius vmbra frustra conaris factissimas, quibus hîc laboratis, superstitiones obregere. In auriculari confessione illam Innocentij legem improbauimus, quæ iubet quotannis vnumquemque proprio sacerdoti recensere omnia peccata. In ea porrò abroganda quas rationes secuti simus, recensere longum foret. Rem tamen fuisse nefariam, vel inde apparet, quòd diro illo tormento soluta piæ conscientiæ, tunc acquiescere demum in diuinæ gratiæ fiducia cœperunt, cum antea perpetua anxietate aestuassent. Ut taceam interim tot, quis in Ecclesiam importauit, clades, quæ meritiò illam nobis execrabilem reddere debeant. Quòd autem in præsentia agitur, hoc habet nequus Christi mandato, nec veteris Ecclesiæ instituto fuisse traditam. Locos Scripturæ omnes validè extorsimus Sophistis, quos ad eam detorquere moliebantur. Quæ autem in manibus sunt Ecclesiasticæ historiæ, puriore illo seculo minime extitisse narrant: quibus Patrum quoque testimonia consentiunt. Fucus ergo est, quòd humilitatem illic, & à Christo, & ab Ecclesia præceptam ac constitutam, ais. Tametsi enim illic quadam apparet humilitatis species, longè tamen abest, quin deiectio quelibet, humilitatis nomine apud Deum commendetur. Itaque, veram demum humilitatem Paulus esse docet, quæ ad verbi Dei regulam est composita. In asserenda Sanctorum intercessione, si hoc tantùm intendis, eos assiduis votis expetere Regni Christi complementum, in quo salus omnium fidelium continetur, nemo est nostrum, qui aliquam de ea re controuersiam faciat. Itaque, nullum operæpretium fecisti, in hanc partem tantopere incumbendo: sed noluisti scilicet amittere falsam illud diciturum, quo nos verberas, quasi opinemur, animas vnà cum corporibus interire. Nos verò phitosophiam istam summis vestris Pontificibus, ac Cardinalium collegio relinquimus: à quibus fidelissimè iam multis annis culta fuit, neque hodie colidesinit. Itaque & illud quod subijcis, illorum est, suauiter deliciarî, nulla futuræ vitæ sollicitudine: ac nos miseros homunciones, quòd tam anxie pro Christi regno laboramus, ludibrio habere. Caterùm, in Sanctorum intercessione nos eam in partem institimus, quam non est mirum cur prætermittas. Innumera enim superstitiones hic fuerunt excidendæ: quæ eò vsque emerferant, ut penitus ex hominum animis deleta esset Christi intercessio: Sancti pro dijs inuocarentur: in illos, quæ propria sunt Dei officia distribuarentur: nec quidpiam interesset inter eorum cultum, & veterem illam, quam omnes meritiò execramur, idololatriam. Quantum ad Purgatorium attinet,

scimus veteres alicubi Ecclesias fecisse nonnullam in precibus mortuorum mentionem, sed illam raram, & sobriam, & paucis tantum verbis comprehensam. Denique, in qua appareret, nihil aliud velle, quàm suam erga mortuos charitatem obiter testari. At nondum nati erant architecti, à quibus Purgatorium istud vestrum construeretur: qui postea in tantam amplitudinem illud dilatarunt, in tantam extulerunt altitudinem, vt potissima regni vestri portio ipso fulciatur. Scis ipse, qualis errorum lerna inde emerferit: scis quot præstigias sponte excogitarit superstitio, quibus se luderet: scis quot imposturas fabricata sit hinc auaritia, quòd omne genus homines emulgeret: scis quanto pietatis detrimento factum id fuerit. Nam vt omittam verum Dei cultum ex eo valde concidisse, hoc certe fuit pessimum, quòd dum certatim volunt omnes sine vlllo Dei præcepto opitulari mortuis, germana charitatis officia, quæ tantopere exiguntur, penitus neglexerunt. Non patiar, Sadolete, vt eiusmodi flagitijs Ecclesiæ nomen inscribendo, & eam, contra fas & ius infames, & nobis inuidiam apud imperitos facias, ac si bellum cum Ecclesia gerere nobis decretum foret. Nam, vt fateamur iacta fuisse olim semina quædam superstitionum, quæ ab Euangelij puritate nonnihil degenerabant, scis tamen ista, quibuscum in primis belligeramur, impietatis monstra, non ita pridem, vel nata esse, vel certè in hanc magnitudinem excreuisse. Sanè ad regnum vestrum expugnandum, conterendum, disperdendum, non diuini verbi modò virtute, sed Sanctorum etiam Patrum præsidio armati sumus. Atque, vt Ecclesiæ auctoritatem, quam, veluti Atiacis clypeum, subinde nobis opponis, aliquando tibi profusus excutiam: nonnullis adhuc propositis exemplis, indicabo, quanto intervallo à sancta illa antiquitate differatis. Euersi ministerij vos accusamus, cuius vacuum sine re nomen apud vos manet. Quantum enim ad pascendi populi curam attinet, Episcopos ac Presbyteros mutas esse statuas, pueri quoque cernunt. Prædando solum ac vorando strenuos esse, omnium ordinum mortales experiuntur. In sacræ Cœnæ locum sacrificium subiisse, quo sua virtute exinanitur mors Christi, indignè ferimus. In execrandam Missarum nundinationem vociferamur: Cœnam Domini dimidia ex parte querimur ereptam esse populo Christiano. In sceleratam simulachrorum adorationem inuehimur. Sacramenta ostendimus multis profanis opinionibus inquinata. Indulgentias docemus horrendo crucis Christi opprobrio obrepisse. Traditionibus humanis Christianam libertatem imploramus obrutam fuisse & oppressam. His ergo ac similibus pestibus purgandas curauimus, quas nobis Ecclesiæ Dominus commendauit. Expostula, si potes, nobiscum de iniuria, quam catholica Ecclesiæ irrogauimus, dum ausi sumus violare sacras eius sanctiones. Enimvero id iam magis peruulgatum est, quàm vt negando quippiam proficias, in istis omnibus non obscure à nobis stare veterem Ecclesiam: vobisque nihilominus, quàm nos ipsos, aduersari. Hinc verò succurrit, quòd alicubi extenuandi causa dicit, etiam si mores vestri parum sint compositi, non esse ideo causam, cur à sancta Ecclesia discessionem faciamus. Fieri quidem vix potest, vt tot crudelitatis, auaritiæ, rapacitatis, intemperantiæ, arrogantia, insolentiæ, libidinum, scelei umque omnium exemplis, quæ in hominibus ordinis tui palam conspicua sunt, non magnopere à vestra parte alienentur plebis animi: verum nihil eorum nos perpulisset ad ea tentanda, quæ multò maiori necessitate sumus aggressi. Ista porrò fuit necessitas, quòd lux diuinæ veritatis extincta, sepul-



pultum Dei verbum, virtus Christi profunda obliuione inducta, munus pastorale inuersum erat. Interim sic grassabatur impietas, vt nullum propè religionis dogma à fermento purum, nulla ceremonia errore vacua, nulla diuini cultus portiuncula à superstitione intacta esset. Qui cum talibus malis consiliantur, bellumne indicunt Ecclesiæ, ac non potius extremis malis afflictæ opitulantur? Et adhuc obedientiam humilitatè que vestram nobis venditas, quod vos retineat Ecclesiæ veneratione, quò minus ad exigenda hæc flagitia manum admoueat. Quid homini Christiano cum ista prauaricatrice obedientia, quæ verbo Dei licentiosè contempto obsequia sua defert hominum vanitati? Quid cum ista contumaci præfracta que humilitate, quæ, despecta Dei maiestate, homines modò suspicit ac reueretur? Facessant inanes virtutum tituli, qui ad obregenda vitia accersuntur. Rem ipsam sine fuco asseramus: sit internos humilitas, quæ ab infimo exorsæ, suo quæque gradu ita colat, vt Ecclesiæ summam dignationem obseruantiamque deferat, quæ iam ipsa demum ad Christum, Ecclesiæ caput, referatur: sit obedientia, quæ sic ad audiendos præfectos ac maiores nos componat, vt omnia tamen obsequia ad vnicam verbi Dei regulam exigat: sit denique Ecclesiæ, cui supræmæ curæ sit, religiosa humilitate suspicere verbum Dei, & sub eius obedientia se continere. At, cuius arrogantia est, inquires, iactare penes vos solos esse Ecclesiæ, & eam interim adimere orbi vniuerso? Nos verò, Sadolete, Ecclesiæ Christi eas, quibus præsidetis, esse non negamus, sed Pontificem Romanum, cum toto pseudoepiscoporum grege, qui pastorum locum istic occuparunt, immanes esse lupos dicimus: quibus vnicum studium hæstenuis fuit, atterere & disperdere Christi regnum, donec vastitate & ruina deformarent. Neque hanc tamen querimoniam primi mouimus. Bernardus quanta vehementia in Eugenium omnesque suæ ætatis Episcopos fulminat? At quanto seculi illius conditio hac præsentis tolerabilior? Ad extremum enim nequitia peruentum est: vt iam nec vitia sua, nec remedia pati possint adumbrati isti præsules, in quibus stare & perire Ecclesiæ putas, à quibus nos ipsam dicimus immaniter fuisse disiectam & mutilatam, & parum abuisse, quin ad interuersionem usque deleteretur. Quod certè fuisse factum, nisi singularis Dei bonitas obstitisset: ita in omnibus locis, qui Romani pontificis tyrannide occupantur, vix appareret sparsa quadam & lacera vestigia: ex quibus Ecclesiæ illic semisepultas iacere agnoscas. Neque id absurdum videri tibi debet, qui audis ex ore Pauli, non alibi sedem Antichristo fore, quam in medio Dei sanctuario. An non vel vna hæc admonitio expergefaceret nos debet, neque fortè nobis præstigiæ & captiones in Ecclesiæ nomine intendantur? Sed quali scilicet sint, inquis, scriptum tamè est, quæ dicunt facite. Sanè, si in cathedra Moysi sedeant. Sed vbi è cathedra vanitatis populum nugis demerant, scriptum est, Cauete ab eorum fermento. Non est nostrum, Sadolete, suam Ecclesiæ ius eripere, quod illi non modò Dei benignitate concessum, sed multis etiã interditiis seuerè vindicatum fuit. Nam vt ad regendam Ecclesiæ non enuntantur ab ipso cum licentiosa ex legique potestate pastores, sed ad certam officij formulam adstringuntur, quam excedere non liceat: ita explorare iubetur Ecclesiæ, quam fide liter vocationi respondeant suæ, quos ca lege sibi præfectos habet. Atqui vel non multum habebit momenti Christi testimonium aut nephas erit, autoritatem, vel minima ex parte ijs abrogari, quos tam splendidis elogijs ornauit. Imò verò falleris, si putas Dominum inuisisse populo suo tyrannos, qui pro libidine dominaren-

tur, ubi ijs quos ad Euangelium promulgandum mittebat, tantum de ulit potestatis. In eo autem impingis, quod non cogitas antè illos circumscribi certis finibus, quam potestate instruantur. Audiendos ergo fatemur, non secus ac Christum ipsum Ecclesiasticos pastores, sed qui munus sibi iniunctum exequantur. Id porro ipsum esse dicimus, non quæ à seipsis placita temere excuderint, confidenter ingerere, sed quæ ex ore Domini oracula acceperint, religiosè ac bona fide proferre. Nam & ijs cancellis terminauit Christus, quam Apostolis reuerentiam voluit exhiberi: nec Petrus plus aliquid vel sibi tribuit, vel alijs permittit, quam ut quoties loquuntur inter fideles, veluti ex ore Domini loquantur. Effert quidem magnificè Paulus spiritualem illam, qua præditus erat, potestatem, sed adhibita moderatione, ut ne quid valeat, nisi ad edificationem: ut ne quam dominationis speciem præferat: ut ne ad fidem subiugandam conferatur. Superbiat nunc, ut volet, Petri successionem Pontifex vester: etiam si eam sibi euicerit, nihil tamen inde consequetur, quam sibi obedientiam à Christiano populo deberi, quanti sper fidem ipse Christo seruauerit, nec ab Euangelij puritate defleat. Non enim in alium ordinem vos cogit Ecclesia fidelium, quam in quo stare vos Dominus voluit: ubi ad eam vos regulam exigit, qua tota vestra potestas continetur. Hic, inquam, ordo inter fideles est constitutus Domini voce, ut Propheta, qui locum docendi tenet, à confesso iudicetur. Ab eo quicumque se eximit, è numero prophetarum se prius expungat necesse est. Atque hic mihi se aperit latissimus redarguendæ inscitæ tuæ cæpus, siquidem vulgo fidelium nihil inter religionis controuersias reliquum facis, nisi ut auersis à re ipsa oculis, doctioribus se addicant. At cum ubnoxiam sathanæ animam esse constet, quæ aliunde quam à Deo vno pendet, quam misererunt, quicumque talibus fidei rudimentis imbuentur? Hinc animaduerto, Sadolete, nimis otiosam te habere theologiam: qualis est ferè eorum omnium qui serijs conscientia certaminibus nunquam fuerunt exercitati. Alioqui enim hominem Christianum in tam lubrico, inò tam præcipiti loco nunquam constitueres, in quo vix momentum posset consistere, si quando vel minimùm impelleretur. Da mihi non dico aliquem de media plebe indoctum, sed rudissimum subulcum, si in grege Dei censetur, comparatum esse ad militiam illam oportebit, quæ pjs omnibus est à Deo ordinata. Adest accinctus hostis, imminet, congregitur, ac hostis quidem instructissimus, & cui nulla mundi virtus est inexpugnabilis: quibus ad resistendũ, vel præsidijs munitur; vel telis armabitur ille miser, ut non statim absorbeat? Vnico sanè gladio pugnandũ docet Paulus, Verbo Domini. Ergo inermis Diabolo ad necè deditur anima, ubi Dei verbo spoliatur. Agè nunc, an non erit prima hæc hostis machinatio, ut gladiũ Christi militi excutiat? Quis porro excutiendi modus, nisi ut dubitationem illi inijciat, sit ne verbum Domini, quo innititur, an hominis? Quid misero hic facies? Iubeasne circumspectare vbinã sint viri docti, in quos reclinatus, quietè capiat? At ne respirare quidem ipsum in hoc subterfugio si: et hostis. Nam si semel eò impulerit, ut in homines incumbat, urgebit ac percellet magis ac magis, donec præcipitem dederit. Ergo aut ex facili opprimetur, aut relictis hominibus, reclã in Deum respiciet. Ita sanè res habet, fidem Christianam non humano testimonio fundatam, non ambigua opinione suffultam, non hominum auctoritate subnixam esse oportet, sed digito Dei viuentis cordibus nostris insculptam, ut nullis errorum offucijs obliterari queat. Itaque nihil habet Christi, qui hæc elementa non tenet, Deum vnum esse,

esse, qui mentes nostras ad perspiciendam suam veritatem illuminat, qui eodem illam spiritu cordibus obfigurat, qui certa eius testificatione conscientias confirmat. Hac illa est plena firmaque, ut ita loquar, certitudo nobis à Paulo commendata: que, ut nullum dubitationi locum relinquit, ita non modò inter hominum defensionem non vacillat aut hesitat, utri potius adhareat parti, sed que, toto orbe aduersante, constare sibi non desinit. Hinc ea quoque nascitur, quam Ecclesiæ tribuimus, & illibatam volumus seruari, iudicandi facultas. Vtunque enim tumultuetur mundus, opinioúmque varietate perstrepat, nunquã tamẽ sic destituitur fidelis anima, quin rectum ad salutem cursum teneat. Neque tamen aut eam fidei perspicacitiam somnio, quæ in veri falsique discrimine nusquam aberret, nusquam hallucinetur: aut eam affingo contumaciam, quæ vniuersum hominum genus, velut ex alto, desiciat, nullius iudicium moretur, delectum inter indoctos ac eruditos nullum habeat: quin potius fateor, piæ, ac verè religiosas mentes non omnia Dei mysteria semper assequi, interdum etiam in rebus evidentissimis cæcutire: ita scilicet Domino providente, quò ad submissionem modestiãque assuefiant. Rursum, tantam esse fateor apud eas honorum omnium, nedum Ecclesiæ, reuerentiam, ut non facile ab vllò se homine dimoueri sinant, in quo rectam Christi intelligentiam deprehenderint: ut nonnunquam suspendere iudicium malint, quàm ad dissensionem leuiter prosilire. Tantùm contendo, quàm in sper Domini verbo insistant, nunquam ita deprehensus teneri, ut in exitium abducantur. Verbi autem ipsius certam ad eò ac perspicuam ijs esse veritatem, ut neque ab hominibus, neque ab Angelis labefactari queat. Proinde facessat nugatoria illa, quam rudibus & illiteratis conuenire dicis, simplicitas, ad doctiores respectare, & ad eorum nutum inclinare. Præterquam enim quòd fidei nomen non meretur, de religione persuasio quantumlibet obstinata, quæ alibi, quam in Deo, ac quiescit, quis fidem appellet, ambigam nescio quam opinionem, quæ non tantùm diaboli artibus facile extorqueatur, sed sponte, pro temporum inclinatione, fluctuetur? cuius vix alius sperari finis potest, quàm ut tandem euanescat? Quòd non aliò nos spectasse cauillaris, tyrannicum hoc iugum excutiendo, quàm ut nos in effrenem licentiam solueremus, abiecta etiam, si Deo placet, futuræ vitæ cogitatione, iudicium ex comparatione vitæ nostræ cum vestra feratur. Multis quidem vitis abundamus, labimur nimis sæpe, ac delinquimus, sed impediòr verecundia, ne, quoad per veritatem licet, gloriari ausim, quantò vos omni ex parte antecellamus: nisi fortè Romam excipere velis præclarum illud sanctitatis sacrarium: quæ, ruptis rectæ disciplinæ repagulis, proculcata omni honestate, sic in omnia flagitiorum genera exundauit, ut vix vnquam tale fœditatis exemplum extiterit. Nos scilicet oportebat tot discrimibus ac periculis capita nostra obijcere, ne eius exẽplo, ad seueriorem continentiam adstringeremur. At nos minimè refugimus, quin disciplina, quæ vetustis canonibus sancita fuit locum hodie habeat, diligenter, ac bona fide custodiatur: quin potius semper testati sumus, ut Ecclesia ita miserè collaberetur, non aliunde magis factum esse, nisi quia luxu & indulgentia enervata fuit. Disciplina enim, non secus ac neruis, corpus Ecclesiæ, ut bene cohæreat, necesse est colligari. Ea autem quomodo in vestra parte vel colitur, vel appetitur? Vbi sunt veteres illi canones, quibus, veluti frenis, episcopi ac presbyteri in officio retinebantur? Quomodo apud vos eliguntur episcopi? qua probatione? qua censura? qua diligentia, qua cau

tione. Quomodo muneri suo initiatur? quo ordine? qua religione? Tatum defungere  
 di causa, iure iurando adiguntur, se pastorale munus obituros: sed id non in alium, ut  
 apparet, finem nisi ut, super alia flagitia, periurio quoque se obstringant. Quia ergo  
 Ecclesiastica munera inuadendo, potestatem videntur sibi inire nulla lege adstri-  
 ctam, omnia sibi in ea licere putant: ut credibile sit, inter pyratas ac latrones plus  
 esse iuris & politia, magisque valere leges, quam in vniuerso vestro ordine. Quo-  
 niam autem ad extremum inducta, quae causam nostram sustineret, persona, nos ve-  
 luti reos ad Dei tribunal citasti, ego vero illum te non dubitanter reuoco. Ea enim  
 nobis constat doctrina nostra conscientia, quae nec caelestem illum iudicem exhor-  
 rescat, a quo ipsam non dubitat prodixisse. Illus autem inepias nihil moratur, qui-  
 bus ludere tibi placuit: minime cerere in loco. Quid enim in iugis importunum, quam  
 ubi in Dei conspectum ventum est, iugas nescio quas commisceri, & defensionem  
 nobis parum idoneam affingere, quae mox incidat? Pius animus quoties in men-  
 tem venit dies ille, maior incutitur religio, quam ut illis ita ociose delitiani va-  
 cet. Omissis ergo delicijs talibus, diem illum cogitamus: cuius expectatione suspen-  
 si semper esse debent hominum animi. Ac minuerimus, non ita fidelibus esse ex-  
 pectandum, quin profanis ac sceleratis, Dei uero contemptoribus merito formidabilis  
 esse debeat. Aures arriamus ad illum tabae clangorem, quem ipsi quoque mortuo-  
 rum cineres ex sepulchris suis exaudient. Mentis animosque intendamus in illum  
 iudicem, qui sola vultus sui illustratione reueget, quicquid in tenebris latet: om-  
 niaque humani cordis arcana patefaciet: & solo spiritus oris proteret omnes ini-  
 quos. Tu nunc vide quid pro te ac tuis serio respondeas: causam sane nostram, ut  
 Dei veritate suffulta est, ita iusta defensio minime deficiet. De personis non lo-  
 quor, quarum salus non in patrocinio, sed in humili confessione, supplicique de-  
 preccatione posita erit: sed quantum ad ministerij causam attinet, nemo erit no-  
 strum, qui non ita pie se loqui possit. Ego quidem iam expertus, Domine, quam  
 difficile sit ac graue sustinere apud homines eius, qua in terris premebar, accusatio-  
 nis inuidiam sed qua fiducia semper ad tuam tribunal prouocauit, eadem nunc co-  
 ram te appareo: quanto in iudicio tuo eam scio regnare veritatem, cuius ego fidu-  
 cia subnixus, primo a gradibus sum: cuius praesidio instructus, perficere potui,  
 quicquid a me in tua Ecclesia gestum est. Duobus maximis criminibus reum me  
 fecerunt haereses, & schisma uiciumque haeresis illis fuit, quod receptis inter eos  
 dogmatibus ausus sum reclamare. Quid vero fecissem? Audiebam ex ore tuo, non  
 aliam esse veritatis lucem, ad animas nostras in viam vitae dirigendas, quam quae  
 a verbo tuo accenderetur. Audiebam esse vanitatem, quicquid de tua maiestate,  
 decultu, aminis tui, de religionis tuae mysterijs concipiunt a seipsis humana men-  
 tes. Audiebam sacrilegam esse temeritatem, si nate in hominum cerebris, doctri-  
 nae, pro verbo tuo Ecclesiae ingerantur. Cum autem oculos ad homines conuertere-  
 rem, illic omnia longe diuersa apparebant. Qui fidei antistites habebantur, ver-  
 bum tuum neque intelligebant, neque magnopere curabant. Peregrinis tantum dog-  
 matibus circumagebant miseram plebem, ac nescio quibus inepiis deludebant. In  
 plebe ipsa summa verbi tui veneratio erat veluti rem inania cessantem procal reuereri,  
 interim ab omni eius inquisitione abstinere. Haec tum supina pastorum socordia, tum  
 populi stupiditas fecerat, ut omnia perniciosos erroribus, medicis, superstitionibus  
 referta esset. Vnum quidem te Deum nominabant, sed quam maiestati tuae gloria vendi-

casti, aliò transfferentes: tot sibi figurabant atque habebant deos, quot pro Sanctis colere volebant. Christus tuus adorabatur quidem pro Deo, & seruatoris nomen retinebat, sed qua parte honorari debuerat, propè iacebat inglorius. Sua enim virtute spoliatus, velut vnus aliquis è vulgo, in turba Sanctiorum delitescbat. Nemo erat, qui vnicum illud, quod tibi in cruce obtulit, & quo nos tibi reconciliauit, sacrificium, verè reputaret. Nemo qui de æterno eius sacerdotio, & qua inde pendet, intercessione, vel per somnium, cogitaret. Nemo, qui in vna eius iustitia acquiesceret. Illa verò salutis fiducia, quæ verbo tuo & præcipitur, & fundatur, ferè euauerat. Quin id erat instar oraculi receptum, stultæ esse arrogantia, & vt ipsi loquebantur, præsumptionis, si quis tua benignitate, filijque tui iustitia fretus, certam ac intrepidam salutis spem conciperet. Erant profanæ opiniones non pauca, quæ prima eius doctrina, quam nobis verbo tuo tradidisti, placita à radice subuerterent. Sana quoque Baptismi Cœnæque intelligentia, plurimis mendacis corrupta erat. Iam verò cum omnes non sine graui tuæ misericordiæ contumelia fiduciam in bonis operibus ponerent, cum bonis operibus gratiam tuam demereri, cum iustitiam sibi comparare, cum peccata expiare, cum tibi satisfacere adniterentur (quæ singula virtutem crucis Christi obliterant ac exinimunt) quæ tamen essent bona opera, prorsus nesciebant. Perinde enim, ac si minimè ad iustitiam lege tua instituti forent, multas sibi fabricati erant inutiles nugas, quibus fauorem sibi tuum conciliarent: in quibus ita sibi blandiebantur, vt præ illis penè contemnerent, quam in lege tua commendasti veræ iustitiæ regulam: adèò humana decreta, occupato semel regno, tuis ipsius præceptis, si non fidem, at certè auctoritatem derogauerant. Hæc, Domine, vt animaduerteterem, tu mihi Spiritus tui claritate affulsisti: vt deprehenderem, quam impia noxiæque essent, tu mihi facem verbo tuo prætulisti: vt pro merito abominarer, inimum meum pupugisti. In ratione verò doctrinæ reddenda, vides quid conscientia mea ferat, non fuisse scilicet mihi propositum, extra eos euagari fines, quos videbam seruis tuis omnibus esse constitutos. Quod ergo didicisse me ex ore tuo non dubitabam, fideliter Ecclesie di dispensare volui. Eò certè me potissimum tetendisse constat, in quo plurimum elaborauit. Nempe vt bonitatis iustitiæque tuæ gloria, discussis, quibus antea obtegebatur, nebulis, conspiciua emineret: vt virtutes, beneficiæque Christi tui, absterfis omnibus fucis, ad plenum effulgerent. Nam & nefas esse ducebam, eas res in obscuro iacere, quibus cogitandis ac reputandis essemus nati. Nec malignè aut tenuiter putabam indicandas, quarum amplitudine longè inferior esset omnis oratio. Nec dubitabam in illis diutius homines detinere, vbi eorum quoque sanus residebat. Non enim fallere posset oraculum illud, Esse hanc vitam æternam nosse te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Quòd autem mihi de discessione ab Ecclesia obycere soliti sunt, neque in eo malè mihi conscius sum: nisi forè pro desertore habendus est, qui vbi milites fusos ac palatos, videt procul ordines reliquisse, signo ducis sublato, eos in stationes suas reuocat. Sic enim dispersi erant tui omnes, Domine, vt non modò imperia exaudire non possent, sed etiam, vt oblitum propemodum essent & ducis sui, & militiæ, & sacramenti militaris. Ego, vt eos ab errore colligerem, non alienum signum sustuli, sed insigne illud tuum vexillum, quod nobis sequi necesse est, si volumus in populo tuo censerì. Hic manum mihi iniecerunt, qui cum alios retinere in ordine deberent, in errorem ab-

duxerant: & cum minimè desinerem, violenter restiterunt. Hic cœptum est gra-  
uiter tumultuari, donec ad dissidium vsque, certamen exarsit. Verum penes quos  
sit culpa, tuum est nunc pronuntiare, o Domine. Ego semper, & verbis, & factis,  
testatus sum, quanto vnitatis studio tenerer. Verum illa mihi erat Ecclesiæ vni-  
tas, quæ abs te inciperet, ac in te desineret. Quoties enim pacem & consensio-  
nem nobis commendasti, simul ostendisti, te vnicum esse illius conservandæ vin-  
culum. Me, si pacem habere vellem cum ijs, qui se iactabant Ecclesiæ præfules, &  
fidei columnas, eam redimere oportebat veritatis tuæ abnegatione. Quidvis au-  
tem potius subeundum esse cœnsui, quàm vt ad nefariam istam pactionem descen-  
derem. Nam Christus ipse tuus nobis edixit, etiam si cœlum terræ permisceatur, o-  
portere tamen verbum tuum æternum permanere. Neque verò dissidere me ab Ec-  
clesiâ tuâ putabam, quia mihi cum primoribus illis bellum erat. Nam & per Fili-  
um, & per Apostolos, præmonueras, ad eum locum emersuros, quibus consentien-  
dum minimè esset. Non de extraneis ille hominibus, sed ijs, qui se pro Pastoribus  
venditarent, prædixerat, fore lupos rapaces, & pseudoprophetas: simulque man-  
dauerat, vt cauerem. Vbi cauere iubebat, an ego manum præbuissem? Nec magis  
pestilentes fore Ecclesiæ tuæ hostes denunciabant Apostoli, quàm intestinos, qui  
sub Pastorum titulo delitescerent. Quos pronuntiabant esse habendo pros hostibus,  
ab ijs cur dubitassem me seiungere? Erant mihi in oculis Prophetarum tuorum e-  
xempla, quibus videbam tantas fuisse contentiones cum seculi sui Sacerdotibus ac  
Prophetis: quos certè constat fuisse in populo Israelitico Ecclesiæ præfules. At  
non ideo habentur pro schismaticis Prophetæ tui, quòd, dum collapsam religio-  
nem instaurare volunt, illis summa vi repugnantibus non cesserint. Manebant er-  
go in vera Ecclesiæ vnitatem, cum à sceleratis sacerdotibus àiis omnibus deuoue-  
rentur, cum indigni censerentur, qui locum inter homines, necdum inter Sanctos  
haberent. Eorum ergo exemplis confirmatus, sic constitui, vt nihil me illæ de Eccle-  
siæ desertione obnuiciatione s minime territarent, quòd minus constantè intrep-  
dè quoque pergerem ijs aduersari, qui sub Pastorum persona plusquam impia tyranni-  
de Ecclesiam tuam disperdebant. Eram enim mihi optimè conscius, quanto vni-  
tatis Ecclesiæ tuæ studio flagravem, modò concordia eius vinculum esset tuaveritas.  
Qui subsecuti sunt motus, vt à me non sunt excitati, ita non est cur mihi imputen-  
tur. Scis, Domine, res etiam ipsa apud homines testata est, vt nihil quaesierim, quàm  
verbo tuo controuersias omnes dirimi, quòd, coniunctis animis, vtraque pars ad sta-  
biliendum Regnum tuum conspiciat: vt non detractarim, vel capitis mei dispen-  
dio, pacem Ecclesiæ restitui, si frustra tumultuari deprehensus forem. Quid au-  
tem aduersarij? Nonne protinus ad ignes, ad cruceas, ad gladios furiosè procurre-  
runt? Nonne vnicum sibi præsidium in armis & sauitiæ esse iudicarunt? Nonne  
ad eundem furorum omnes ordines instigarunt? Nonne omnes pacificationis ra-  
tiones respuerunt? Eò factum est, vt res, quæ sedari amicè alioqui poterat, in tale  
certamen exarsit. Quanquam autem in tanta rerum conturbatione varia fue-  
runt hominum iudicia, iam tamen omni timore sum liberatus, postquam ad tuum  
Tribunal adstamus: vbi æquitæ cum veritate coniuncta, non nisi secundum inno-  
centiam pronuntiare potest. En, Sadolete, non quam tibi, ad nos prægrauandos,  
comminisci libuit causæ nostræ actionem: sed quam esse verissimam & nunc boni  
cognoscunt, & omnibus creaturis in illo die patefet. Neque varò ijs etiam, qui  
præ-

prædicatione nostra edocti, ad eandem nobiscum causam accesserint, deerit quod pro se loquantur, quando hæc cuique parata erit defensio: Ego, Domine, ut à puero fueram educatus, Christianam semper fidem professus sum. Ipsius autem fidei rationem non aliam initio habui, quàm quæ tunc passim obrinuerat. Verbum tuum, quod instar lampadis prælucebat uniuerso populo tuo debeuerat, ademptum, vel certè suppressum nobis erat. Et ne quis maiorem lucem desideraret, infederat omnium animis ista persuasio, cœlestis illius arcanæque philosophiæ inquisitionem paucis melius delegari, à quibus oracula peterentur: plebeijs ingenijs non altiorem intelligentiam conuenire, quàm ut se ad Ecclesiæ obedientiam subigerent. Rudimenta autem, quibus fueram initiatus, eiusmodi erant, ut nec me ad legitimum numinis tui cultum satis instituerent: neque mihi ad certam spem salutis viam expedirent: nec me bene ad officia formarent Christianæ vitæ. Te quidem unum pro Deo meo colere didiceram: sed cum me penitus fugeret vera colendi ratio, in primo statim ingressu excidebam. Credebam, ut fueram edoctus, filij tui morte me redemptum esse ab obligatione æternæ mortis: sed eam imaginabar redemptionem, cuius virtus nequaquam ad me perueniret. Expectabam futurum resurrectionis diem, sed cuius memoriam, velut rei infaustissimæ, abominarer. Atque hic sensus non mihi priuatim domi natus erat, sed ex ea doctrina, quæ tum à populi Christiani magistris populo passim tradebatur, conceptus. Clementiam erga homines tuam prædicabant illi quidem, sed non nisi eos, qui se dignos præbuisserent. Dignitatem porro in operum iustitia collocabant, ut ille demum in gratiam abs te reciperetur, qui se tibi operibus conciliaret. Nec dissimulabant tamen interim, miseros esse nos peccatores, & qui sæpe carnis infirmitate laboreremur. Proinde communem oportere omnibus esse salutis portum, tuam misericordiam: sed enim eius obtinendæ hanc demonstrabant rationem, si pro offensis tibi satisfaceret. Tum satisfactio nobis iniungebatur: primùm ut confessi sacerdoti omnia peccata, veniam ab solutioneque supplices peteremus: deinde, ut bonis operibus malorum memoriam apud te deleueremus. Postremò, ut ad sufficiens, quod nobis deesset, sacrificia expiationis que solennes adderemus. Iam quia rigidus esses iudex, ac seuerus vindex iniquitatis, ostendebant, quàm formidolosus esse deberet tuus cõspectus. Ideo iuebant ad Sanctos primùm confugere, ut eorum intercessione, exorabilis ac propitijs nobis redderetur. His omnibus cum ut cunque perfunctus essem, tamen non nihil inter, quiescebam, procul tamen adhuc aberam à certa conscientia tranquillitate. Quoties enim vel in me descendebam, vel animum ad te attollebam, extremus horror me incepsabat, cui nulla piacula, nullæ satisfactioes mederi possent. Ac quò me propius considerabam, eò acrioribus pungebatur aculeis conscientia: ut non aliud restaret solatium, quàm me ipsum obliuione ludere. Quia tamen nihil melius offerebatur, iter, quod exorsus eram, prosequer: cum interim excitata est longè diuersa doctrinæ forma, non quæ à Christiana professione nos abduceret, sed quæ illam ad suum fontem reduceret, & velut à facibus repurgatam, suæ puritati restitueret. Ego verò nouitate offensus, difficulter aures præbui: ac initio, fateor, strenuè animosèque resistebam. Siquidem (quæ hominibus ingenta est in retinendo, quod semel susceperunt, instituto, vel constantia, vel contumacia) egerimè adducebar, ut me in ignoratione & errore tota vita versatum esse conpiterer. Vna præsertim res animum ab illis meum auertebat, Ecclesiæ reuerentia. Verùm ubi

aliquando aures aperui, meque doceri passus sum, superuacuum fuisse timorem illum intellexi, ne quid Ecclesie maiestati decederet. Multum enim interesse admonebant, secessionem quis ab Ecclesia faciat, an vitia corrigere studeat, quibus Ecclesia ipsa contaminata est. De Ecclesia præclare loquebantur, summum unitatis colendæ studium præferebant. Ac ne in Ecclesie nomine cauillari viderentur, ostendebant non esse nouum, vt Antichristi pro Pastoribus illic præsiderent. Eius rei exempla non pauca proferebant, quibus apparebat, nec aliò spectare ipsos, quàm ad Ecclesie adificationem: & in eo similem habere causam cum multis Christi seruis, quos ipsi in numero Sanctorum habebamus. Quòd autem liberius ferrentur in Romanam Pontificem, qui & pro Christi vicario, & Petri successore, & Ecclesie Principe colebatur, sic excusabant: Eiusmodi titulos, inania esse terculamenta, quibus adèd persirungi piorum oculos non oporteret, vt rem intueri ac excutere non auderent. Illam, cum mundus ignorantia & hebetudine velut alto sopore, oppressus esset, in tantum fastigium emeruisse: certè non verbo Dei constitutum, non legitima Ecclesie vocatione ordinatum Ecclesie Principem fuisse, sed voluntarium, & à seipso lectum. Illam porro tyrannidem, quæ in Dei populum grassaus esset, nullo modo esse ferendam, si vellent saluum apud nos Christi Regnum. Nec illis decrant, quibus ea omnia confirmarent, validissimæ rationes. Principiò, quicquid ad stabilendum Papæ principatum solebat tum adduci, clarè diluebant. Vbi omnia illi sua firmamenta abstulerant, tanquam quoque eius altitudinem, Dei verbo, demoliebantur. Eò usque res deueniebat, vt palam esset, conspicuumque eruditis simul ac indoctis, verum Ecclesie ordinem tunc interisse: clauis, quibus Ecclesie disciplina continetur, fuisse pessimè adulteratas: cellapsam Christianam libertatem: prostratum denique fuisse Christi Regnum, cum cretus fuisset hic principatus. Habebant præterea, quo conscientiam meam stringerent, ne in istis, quasi nihil ad me pertinerent, securus comminearem. Multum enim abesse, quin sit aliquod voluntario errori apud te patrocinium, cum ne is quidem impandè erret, qui mera ignorantia à via seducitur. Quòd si a filij tui testimonio comprobabant, si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt. Cum iam animus meus ad feriam attentionem comparatus foret, hic verò, tanquam illata luce, animadaerti, in quo errorum sterquilinio fuisset volutatus, quot inde sordibus ac maculis fœdatus essem. Quòd ergo officij mei fait, eius, in qua prolapsus eram, miserie, multò etiam magis eius, quæ mihi imminabat, æternae mortis agnitione, vehementer consternatus, nihil prius habui, quàm vt damnata, non sine gemitu ac lachrymis, superiore vita, me in vitam tuam reciperem. Et nunc, Domine, quid aliud misero mihi superest, quàm vt deprecationem tibi pro defensione offeram, ne horrendam illam à verbo tuo defectionem ad calculam reuoces, à qua me semel mirifica tua benignitate vindicasti? Nunc istam actionem, Sadolete, cum ea, si libet, compara, quam plebeio tuo assignasti. Mirum, si hæsitabis, vtram alteri præferre debeas. Illius enim profectio salus de filo pendet, cuius defensio in hoc cardine vertitur: quòd quæ sibi à proavis ac maioribus tradita sit religio, eam constanter retinuerit. Iudei, & Turce, & Sarraceni hac ratione Dei iudicio elaborentur. Faceffat ergo inanis ista tergiversatio ab eo tribunali, quod non hominum authoritati comòbata, sed vniuersa carne vanitatis mēdacijs dànata, asserēdæ vnius Dei veritatis erigetur.

Quòd



Quòd si ineptijs tecum certare vellem, quam mihi imaginem pingere liceat, non dico Papam, aut Cardinalis aut cuiuslibet è vestra factione reuerendi prafalis (qui bus ferè omnibus qui colores aptari queant ab homine non valde ingenioso, pulchrè nosti) sed doctoris alicuius, vel inter omnes vestros, selectissimi? Nihil sanè opus esset, ad eius damnationem, vel dubias in eum coniecturas proferre, vel falsa crimina ementiri. Iustus enim ac certis plus satis grauaretur. Sed ne, quod in te reprehendo, imitari videar, hoc agendi genere supersedeo. Tantùm hortabor, ut ad se aliquando redeant, ac secum reputent, quàm fideliter pascant Christianum populum: cui non aliud esse potest panis, quàm Dei sui verbum. Et ne sibi nimium blandiantur, quòd nunc magno applausu, & secundis, magna ex parte, admirationibus, fabulam suam agunt, cogitent nondum ad catastropham se peruenisse: in qua certè non habebunt, theatrum, ubi suos fumos impudè vendant, ubi credulas mentes imposturis illaqueent: sed vnius Dei arbitrio stabunt vel cadent: cuius iudicium non ab aura populari, sed à sua ipsius inflexibili equitate pendebit: qui non modò de cuiusque factis inquiret, sed de recondita cordis sinceritate, vel nequitia quæstionem exercebit. Ego de omnibus, nulla exceptione, pronunciare non audeo: Quotus quisque tamen eorum est, qui, dum aduersum nos conflatur, non sibi conscius sit, operam se magis hominibus, quàm Deo locare? Tam cum tota epistola nos supra modum inuoluntè trahes, extrema tamen clausula virum tuæ acerbissimè, pleno ore, in nos effundis. Quamquam autem nos minime consilia illa ferunt, & illis iam pro parte antea responsum est, quid tamen, quæso, in mentem tibi venit, ut auaritiã adhuc nobis obijceres? Putas ne tantam in nostris hominibus fuisse hebetudinem, ut non ab ipsis exordijs cogitarent, se eam ingredi viam quæ lucro & quæstui esset aduersissima? An verò cum vestram ipsorum auaritiã traducerent, non videbant magnam se necessitatẽ sibi imponere continentie ac frugalitatis, nisi pueris quoque ipsis facere se ridiculos vellent? Cum rationem eius corrigendæ esse ostenderent, ut nimijs opibus exonerarentur Pastores, quò ad Ecclesiæ curam magis essent expediti, an non sibi sponte aditum ad opes præcludebant? Quæ enim iam restabant diuitiæ, quibus imminerent? Quid? an non hoc erat facillimum ad diuitias honorèsq; compendium, statim ab initio ijs quæ offerebantur pactionibus vobiscum transigere: quãtũ tum multorum silentium redemisset pontifex vester? Quanti hodie quoque redimeret? Cur, si vel minima habendi cupiditate ti-illantur, omni spe augendæ rei præcisa, malant perpetuò sic miseri esse, quàm circa magnam difficultatem vno temporis momento ditescere? sed ambitio, scilicet, eos retinet. Eius quoque suggillationis quam habueris causam, non video, cum nihil aliud potuerint expectare, qui hanc actionem aggressi sunt primi quàm ut à toto orbe conspuerentur: & qui postea accesserunt scientes ac volentes se innumeris totius mundi contumelijs ac probris exposuerint. Vbi autem fraudes illæ ac intestinæ malitiæ? Nulla enim earum suspicio nobis hæret. De ijs ergo potius tracta in sacro vestro collegio, ubi quocumque agitur. Calumnias illas, quia ad finem propero, præterire cogor, quòd nostro inuitentes cepit, neminem reperimus in tota Ecclesia, quem putamus fidè aliqua dignum: calumnias tamen esse, iam antè satis demonstrari. Tametsi enim solim Dei verbum extra omnem inducimus aleam constituimus, concilijs verò & patribus ita certam denam auctoritatem constare volumus, si ad eius normam respondeant: eo tamen honore

locóque concilia & patres dignamur, quem obtinere sub Christo par est. Sed omnium teterrimum est illud crimen, quòd sponsam Christi discerpere conati sumus. Id si verum esset, meritò & tibi, & orbi vniuersò haberemur pro deploratis. At qui nõ aliter crimẽ istud in nos recipiã, nisi discerpi ab ijs Christi sponsam contendis, qui virginem castam exhibere Christo cupiunt: qui sancta quadam zelotipia sollicitantur, quòd eam Christo illibatam cõseruent: qui prauis lenocinijs corruptam, ad fidem coniugalem reuocant: qui aduersus adulteros omnes, quos eius pudicitia infideli deprehenderint, contentionem suscipere non dubitãt. Et quid nos aliud fecimus? Nõne peregrinis doctrinis tentata, imò violata fuerat, à vestra facione Ecclesie castitas? Nõne violenter à vobis fuerat innumeris superstitionibus prostituta? Nõne fœdisimo illo adulterij genere, simulacrorum cultu, inquinata erat? Scilicet, quia non sumus passi, sacrosanctum Christi thalamum tanto haberi à vobis ludibrio, sponsam eius lacerasse dicimur. Ego autem dico, illam quam à nobis falsò accusas, lacerationem, apud vos non obscure conspici. Neque in Ecclesia id modò, sed in Christo ipso, quem miserè dissectum esse constat. Quomodo sponso suo adhaereat Ecclesia, quem saluum non habet? Vbi autem incolumitas Christi, dum & iustitiæ, & sanctitatis, & sapientiæ gloria alio transfertur? At qui antequam accenderetur à nobis certamen, tranquilla omnia, & optimè pacata erant. Inter Pastores quidem, & in ipsa plebe, ignauia & stupor effecerant, vt nullæ propemodum essent de religione cõtrouersie. In scholis autem, quam strenuè Sophistæ rixabantur? Ergo non est, quòd pacificum ad cõ vobis regnum tribuas: vbi non alia ratione quies fuit, nisi quia Christus conticebat. Post nouum Euangelij exortum, magna, fateor, contentiones efferbuerunt, à quibus antea ocium erat. Sed nostris hominibus immeritò id imputetur, qui nihil toto, actionis suæ decursu quesierunt, nisi, vt instaurata religione, in veram vnitatem, discordijs fusæ ac dispersæ Ecclesie colligerentur. Et ne vetera commemorem, quid nuper recipere detrectarunt, tantum vt Ecclesiis pacem conciliarent? Sed frustra omnia experiuntur, vobis contra nitentibus. Quia enim pacem illi habere cupiunt, cum qua simul floreat Christi regnum: vos autem, quicquid accedit Christo, deperire vobis putatis, non mirum est, si fortiter resistatis. Et habetis artes, quibus euertatis vnò die, quicquid ipsi multis mensibus pro Christi gloria instituant. Non multis verbis te obruam, quia vno verbo expedire rem licet. Obrulerunt se nostri ad reddendam suæ doctrinæ rationem. Cedere non detrectant, si vicli rationibus fuerint. Per quos nunc stat, quominus & optima pace, & veritatis luce fruatur Ecclesia? In nunc, & nos seditiosos appella, qui Ecclesiam quiescere non sinamus. Ne quid autem pretermitteres, quod ad grauandam causam nostram faceret, quia multæ paucis istis annis seclæ obullerunt, eius quoque rei inuidiam, pro tuo candore, in nos deriuas: sed vide qua æquitate, vel quo etiam pretextu. Nam si nos propterea odio digni, iusto quoque olim odia apud impios laborasset Christianum nomen. Aut ergo desine hac parte nos infestare: aut palàm profitère, Christianam religionem tollendam ex hominum memoria, quæ tot mundo tumultus pariat. Hoc ergo causæ nostræ minimè obesse debet, quòd modis omnibus conatus est Sathan Christi opus impudire. Hoc quærere magis ad rem pertinebat, quis omnibus, quæ se extulerunt seclis expugnandis incubuerit. Constat autem nos solos, vobis ociosis ac stertentibus, totam hanc molem sustinuisse. Faxit Dominus Sadolete, vt tu ac

reliqui

reliqui omnes tui, aliquando intelligatis, non aliud esse Ecclesiasticæ unitatis vinculum, quàm si Christus Dominus, qui nos Deo patri reconciliauit, in corporis sui societatem nos ab ista dissipatione recolligat: vt ita vno etus verbo, ac spiritu in cor vnum & animam vnam coalescamus. Argentorati Calend. Septembribus. M D X X X I X.

## FINIS.

LIBELLVS DE COENA DOMINI, A  
Ioanne Caluino pridem Gallica lingua scriptus: Nunc  
verò in Latinum sermonem conuersus.

NICOLAVS GALLASIVS PIIS

Lectoribus, Salutem.



Libellum hunc, pietatis & doctrinæ plenum, ante annos quinque Caluinus scripsit, vulgari sermone, nudè & sine vllò apparatu: venustè tamen ac perspicuè: ordine etiam adhibito, & certa docendi ratione: quibus in scriptis suis vti solet. Cupiebat enim nostris hominibus, ac præcipuè illiteratis, subuenire: quorum animus, ob cõtrouersias illas quæ inter magnos viros agitata erant, ita est uabat dubitatione, vt quid potissimùm sequerentur ignorarent. Quo quidem ita nobis profuit, vt non tantum imperiti ac rudes, sed etiam docti quam plurimi, magnam se ex eo utilitatem adeptos esse fateantur. Per multi enim, qui adhuc vagabantur incerti, hoc perlecto libello ita conquieuerunt, vt positis contentionibus veritatem Dei agnoscerent & amplecterentur. Docet enim piè quis sit sacramentorum vsus, quantum eis tribuendum, tum in quo offenderunt ij, qui plus æquo ipsis tribuere, qui item detrahere voluerunt. Itaque cum viderem hunc libellum etiam literatis vsui esse posse: ac plerosque non vulgares viros, quibus nullus lingua nostræ vsus est, latinè scriptum desiderare, me non inutiliter operam collocaturum existimaui, si eorum desiderio satisfacere conarer: atque efficere vt quod nobis seorsum videbatur scriptum, cæteris etiam communicaretur. Nostrum enim est curare ac studere vt veritas magis ac magis luceat. In quo dum operam impendo meam, bonis omnibus gratum me facturam confido. Quòd si nonnullis hæc minus ornata videbuntur, cogitare debent me non in eo studuisse, vt orationis ornamenta conquirerem, sed vt fideliter redderem, & scriptorè ipsum imitauer, qui populariter hæc scribens, etiam rudioribus sese accommodauit. Quare pro lectores rogatos velim, vt rem ipsam & sententiam, magis quàm verbi, attendant: simul hoc maiorem in modum pero atque obsecro, vt puro ac sincero veritatis studio ducti, omnia legant attentius, ne præiudicata opinio eos verum cernere non sinat: vt id tandem quod studiose inquirunt, assequantur. Valet. Cal. Ianuar. M D X L V.

## LIBELLVS DE COENA DOMINI.



*U*m sanctissimum Cœna Domini nostri Iesu Christi sacramentum, diu multis magnisque erroribus implicitum fuerit: atque adeò superioribus annis inuolutum varijs opinionibus, ac disceptationibus, minus quàm decebat placidis, minimè mirum videri debet, per multos infirmæ conscientiæ homines, haud facillè statuere posse quid potissimum sequi debeant: sed dubio & suspenso animo expectare, quoad positus contentionibus, inter Dei seruos conueniat, resque ad aliquam concordiam deducatur. Quia verò eiusmodi dubitatio multum habet incommodi: periculosissimumque est, nihil in eo mysterio habere certi, cuius intelligentia ad salutem nostram adeò necessaria est: vtilissimum fore putavi, si breuiter tractarem summam præcipuam rei: explicarem tamen dilucidè quid potissimè hîc tenere operæpretium sit. Adde quòd non nulli boni viri, qui rem ita postulare videbant, à me id summopere flagitarunt. Quibus omnino, nisi officio deesse vellem, id denegare non potui.

*U*t autem facilius difficultas eis expediatur, ordinem quem sequi instituimus, notare necesse est. Primum, quam ob causam & quem ad finem, sanctissimum hoc sacramentum Dominus instituerit, explicabimus. Deinde, quis fructus ad nos redeat: ibique declarabimus quomodo nobis in eo corpus Christi donetur. Tertio, quis sit usus ipsius legitimus. Quarto, quibus erroribus & superstitionibus contaminatum fuerit, recitabimus: atque ostendemus, quid discriminis, Dei seruos à pa-pistis habere oporteat. Postremò dicemus quæ fuerit origo contentionis, quæ tam acerbè agitata est ab ijs ipsis, qui nostris temporibus Euangelio in lucem reducendo, Ecclesiæ instaurandæ, puræque doctrinæ restituendæ, omnè operam collocarunt.

*Q*uod ad primum attinet. Cum Deo opt. max. Deo inquam nostro placuerit, nos per baptismum in Ecclesiam cooptare, hoc est in domum suam, quam ipse vult alere & tueri: nôsque receperit non solum vt domesticos, verum etiam vt filios suos: superest, quòd boni patris officio fungatur, vt nos educet, nobisque omnia ad victum cultumque necessaria subministret. Quæ enim ad corporis educationem pertinent, quia communia sunt omnibus, eorùmque mali perinde vt boni sunt participes, non sunt propria ipsius familiæ existimanda. Paternæ quidem ipsius erga nos bonitatis in eo testimonium habemus, dum corpus nostrum alit & tuetur, dum omnium bonorum quæ nobis largè & munificè suppeditat, participes sumus: sed vt vita in qua ab ipso regenerati sumus, spiritualis est: ita cibum, quo conseruemur, ac confirmemur, spirituale esse necesse est. Intelligere enim debemus, nos non solum ad possidendam aliquando hereditatem illam cœlestem vocatos, verum etiam spe iam quodammodo in eam possessionem inductos esse: vt non tantum vitam nobis promiserit, sed etiam à morte ereptos, nos iam re ipsa in eam traduxerit. Id verò consecuti sumus, cum nos adoptatos regenerauit semine immortalitatis. sermone inquam suo, quem Spiritu sancto cordibus nostris impressit atque infixit.

*H*anc ergo vitam vt tueamur & sustentemus, quærendi non sunt cibi corruptibiles & caduci, quibus venter pascur: sed longè melioribus & præstantioribus animæ nostræ opus habent. Tota verò Scriptura testatur, panem spiritualem quo sustentantur animæ nostræ, eum ipsi in sermonem esse quo Dominus nos

re generauit: rationemque vnā adiungit, quod Christus, vnica vita nostra, nobis in eo donetur atque administretur. Nam cum Deus in Christo omnem vitæ plenitudinem repositam esse voluerit, vt eam per ipsum nobis communicet: sermonem etiam, veluti instrumentum statuit, quo Christus, cum gratijs suis omnibus, nobis dispenseretur. Stat interim vera illa sententia, animas nostras nullo alio cibo quàm Iesu Christo vesci ac educari. Quamobrem Pater cælestis, educationis nostræ sollicitus, nullū aliud nobis alimentum dedit: quin potius id nobis vnice commendauit. Eo nos contentos esse, in eo animas nostras conuiescere voluit: cum ijs reficiendis ac sustentandis abundè sufficiat: cum eo omnino carere non possimus: quo sublato, nullam aliud reperire ur.

Quomodo Christus, vnicus cibus sit, quo animæ nostræ pascuntur, iam vidimus. Sed quoniam nobis distribuitur sermone Domini, velut instrumento huius rei destinato, panis & aqua nominatur. Quod verò de sermone dicitur, pertinet etiam ad Sacramentum Cœnæ, quo Dominus ad communicationem Christi nos deducit. Nam, quia aded imbecilles & infirmi sumus, vt certa animi fiducia ipsam recipere non possimus, cum nuda doctrina per adicationem nobis offeratur: Pater misericordiae, se in eo inbecillitati nostræ accommodare volens, sermone signi, quod sub oculorum sensum caderet, adiunxit, quo promissionum suarum substantiam nobis repræsenteret, vt omni dubitatione & incertitudine sublata, in eo confirmari & roborari possimus.

Cum igitur hoc mysterium, sublime & arduum sit: nec queamus ingenio comprehendere, aut cogitatione complecti, quomodo corpus & sanguis Christi nobis communicetur: ad idque rudes & ignari sumus, vt diuinarum rerum nec minimas intelligamus: eo modo id ostendi atque aperiri necesse fuit, quem ferret ingenij nostri facultas. Eam ob causam, Dominus Cœnam instituit: vt conscientijs nostris obsignaret eas promissiones, quibus in Euangelio se corporis & sanguinis sui participes futurum promissit: atque in hac persuasionem nos obfirmaret, sitam in eo esse spirituales vitam nostram, vt tali tanque in signi arrabone accepto, firmam salutis fiduciam concipiamus. Deinde, vt in agnoscenda summa ipsius erga nos bonitate, eaque celebranda & magnificis laudibus extollenda, exerceamur. Tertio, vt ad sanctitatem & innocentiam amplectendum incitemur, cum nos Christi membra agnoscimus, ac præcipue, vt amicitiam colamus fraternamque concordiam, quæ nobis vnice commendatur. Cum bene diligentèrque notauerimus tres hæc rationes, quæ Dominum spectasse cum Cœnam institueret dubium non est: pate factus nobis erit aditus, vt rectius intelligamus quis fructus ad nos redeat, & quonam modo eo rectè vtamur.

Iam ergo ad secundum caput veniendum est vt ostendamus quàm salutarem fructum nobis adferat Cœna Domini, modo eum percipere & colligere velimus. Id cognoscemus, cum accuratè indigentiam nostram, cui ipsa subuenit, perpendimus. Nos vehementer perturbari & animo torqueri necesse est, quoties animaduertimus quales sumus ipsi, & quicquid in nobis est examinamus. Nullus enim nostrum est, qui in se vel micam iustitiæ reperire possit: sed è diuerso tot vitijs ac sceleribus inquinati sumus, tanta peccatorum multitudine pleni atque reperi, vt nullo accusatore præter conscientiam nostram opus sit. nec alius iudex qui aduersus nos sententiam ferat, quaerendus est. Ex quo consequens est, iram

Dei in nos concitatam esse, neminẽque posse mortis æternæ iudicium effugere. Nisi verò valde somnolenti aut omnino stupidi esse velimus, horribili illa cogitatione quasi perpetua gehenna nos torqueri & vexari necesse est. Nec enim in memoriam nobis redire potest iudicium Dei, quin damnatio nostra simul nobis appareat. Iam ergo voragine mortis deglutimur, nisi Deus opt. max. nos eripiat. Quam verò spem resurrectionis habere possumus, cum carnem nostram consideramus putridam ipsam, & omni corruptioni obnoxiam? Itaque, siue corpus, siue animam spectemus, nihil est nobis miserabilius, quamdiu in nobis ipsis residemus: neque possumus non miserabiliter angī, summæque molestia affici, dum tantarum miseriarum sensu afficimur. V. igitur Pater cœlestis huic nostræ calamitati subueniret, Cœnam nobis dedit, veluti speculum, in quo Christum crucifixum & suscitatum contemplemur. Crucifixum, ut deleantur peccata & delicta nostra. Suscitatum, ut à corruptione & morte liberati, cœlesti immortalitati reddamur. Hæc singularem consolationem ex Cœna Domini percipimus, quod nos dirigit ac ducit ad crucem & resurrectionem Christi: ut certò sciamus, nos quamvis iniquos & impuros, agnoscī tamen & recipi à Domino, atque etiam haberi pro iustis: quamvis morte circumseptos, nihilominus ab ipso vitæ reddi: quamvis miserabiles & calamitosos, nos tamen omni fœlicitatis genere impleri ac cumulari. Vel, ut facilius explicemus. Cùm nihil omnino boni in nobis resideat, nec vlla earum rerum quæ ad salutem cõsequendam adiumento esse debent: Cœna, locuples testimonium dat, nos quicquid utile & salutare est consecutos esse, cùm mortis & passionis Christi participes sumus. Quamobrem affirmare possumus Dominum, gratiarum spiritualium thesauros aperire, dum in societatem bonorum & diuitiarum Christi nos admittit. Meminerimus ergo Cœnam nobis exhiberi, veluti speculum, in quo Christum contemplemur: crucifixum, ut liberemur à morte & damnatione: suscitatum, ut iustitiam vitæque æternam consequamur. Licet autem eadem gratia nobis in Evangelio exhibeatur: tamen cum in Cœna certitudinem maiorem pleniorẽque fruitionem habeamus, hoc utilitatis ex ipsa ad nos redire meritò agnoscimus.

Sed quia Christi bona nihil ad nos pertinent, nisi prius ipse noster fuerit: primùm in Cœna nobis ipsum donari oportet, ut verè perficiantur in nobis ea quæ diximus. Propterea dicere sum solitus, Christum materiam & substantiam Sacramentorum esse: gratias autem & beneficia quæ per ipsum consequimur, vim & efficaciam. Porro, Cœna vix in eo consistit, ut reconciliationem cum Deo, per mortem & passionem Christi factam, confirmet: ut nos certiores reddat, animas nostras ipsius sanguine ablutas: nõsque iustitiam, ipsius obedientia consecutos esse: ut denique spem salutis, quam in ijs omnibus quæ pro nobis effecit collocamus, mentibus nostris obsignet. Hinc concludendum, substantiam huic virtuti coniunctam esse: alioqui nihil omnino in ea firmi, aut certi haberemus. Concludendum igitur, duo nobis in Cœna offerri: Christum scilicet, ut fontem, originem ac materiam bonorum omnium: deinde fructum & efficaciam mortis & passionis ipsius. Quod etiam verba quæ in Cœna proferuntur, satis ostendunt. Cùm enim iubet nos corpus suum manducare, & sanguinem bibere: addit, corpus suum pro nobis traditum fuisse, & sanguinem in remissionem peccatorum nostrorum effusum esse. In quo primùm demonstrat, nobis non simpliciter corpus & sanguinem ipsius, sine vl-

la alia consideratione, communicari, sed etiam fructum, qui ex morte & passione ipsius ad nos redit, percipi oportere. Porro ad tantorum bonorum fruitionem peruenire quæ possumus, nisi participes simus corporis & sanguinis ipsius, unde illa nobis exhibita & producta sunt?

Iam ingredimur questionem, & olim & hisce temporibus adeò agitatam: Quomodo intelligenda sint verba illa, quibus Christus corpus suum, panem, & sanguinem vinum appellat. Quæ faciliè expediri poterit, si principia illa à nobis antè posita teneamus: Omnem videlicet fructum quem in Cæna querimus, in nihilum redigi, nisi in ea Christus, ut totius rei fundamentum & substantiam, nobis donetur. Hoc constituto, fatebimur haud dubiè, Sacramentum inutile & superuacuum reddi, si in eo veram Christi communicationem offerri negemus: quod blasphemia execrabilis atque auditu indigna non careret. Præterea, si ratio communionis cum Christo, ea est, ut omnium gratiarum & beneficiorum quæ nobis morte sua acquisiuit, participes simus: non id tantum agitur, ut cum spiritu solum, sed etiam cum humanitate participemus: in qua, ut debita nostra persolueret, perfectam obedientiam Deo Patri præstitit. Licet, ut propriè loquamur, alterum sine altero fieri nullo modo possit. Cum enim se nobis donat, id facit ut eum integrum possideamus. Idcirco, quemadmodum dictum est, Spiritum ipsius vitam esse nostram. ita ipse ore suo pronuntiat, carnem suam cibum nostrum, sanguinem suum verè potum nostrum esse. Si hoc non de nihilo dicitur, necesse est, ut vita nostra in Christo sita sit, animas nostras ipsius carne & sanguine vesci, velut cibarijs proprijs & peculiaribus. Eius rei testimonium habemus in Cæna, cum dicitur de pane, ut accipiamus & manducemus, corpus ipsius esse: de calice, ut bibamus, ipsius esse sanguinem. Nominatim de corpore & sanguine habetur sermo: ut discamus, in eis vitæ nostræ spiritualis substantiam inquirere.

Nunc, si queratur an nihilominus panis sit corpus Christi, & vinum sanguis ipsius: respondebimus, panem & vinum signa esse visibilia, quæ corpus & sanguinem Christi nobis representant: corporis verò & sanguinis nomen eis attributum, quòd sint veluti instrumenta quibus Dominus Iesus Christus nobis ea distribuit. Forma hæc loquendi, rei valde consentanea est. Cum enim non modò oculis, sed neque ingenijs nostris, comprehendere possit communitio quam in corpore Christi habemus, ea tamen illic aperte ob oculos monstratur. Exemplum in re simili valde proprium habemus. Cum vellet Dominus Spiritum suum in Baptismo Christi apparere, eum sub columbæ figura representavit. Ioannes Baptista historiam illam recitans, Spiritum sanctum descendentem se vidisse ait. Si propius attendamus, comperiemus ipsum nihil præter columbam vidisse. Nam sancti Spiritus essentia invisibilis est. Cum tamen sciret visionem illam inanem figuram non esse, sed Spiritus sancti præsentia signum certissimum: affirmare non dubitat se illum vidisse: quòd eo modo quo ipse ferre poterat, fuerit representatus. Ita in communitio, quam in Christi corpore & sanguine habemus, dicendum est: mysterium spirituale esse, quòd nec oculis conspici, nec ingenio humano comprehendere potest. Figuris igitur & signis quæ sub oculorum sensum cadunt, ut nature nostræ imbecillitas requirit, ostenditur: ita tamen ut non sit figura nuda & simplex, sed veritati suæ & substantiæ coniuncta. Meritò igitur panis appellatur Corpus: cum id non modò representet, verum etiam nobis offerat. Itaque faciliè concede-

mus, corporis Christi nomen ad panem transferri, quòd eius Sacramentum & figura sit. Sed hoc adiungemus, Sacramenta Domini nullo modo à substantia & veritate sua separari oportere. Ea quidem ne confundantur, distinguere non tantum conuenit, sed etiam omnino necessarium est. Sed ita diuidere ut alterum sine altero constituatur, absurdissimum. Cùm ergo signum visibile conspiciamus: quid representet, & à quo nobis donatum sit, cogitandum est. Panis enim datur ut corporis Christi sit figura, eumque iubemur comedere. Datur, inquam, à Deo: qui, veritas certa & immutabilis est. Quòd si Deus nec fallere nec mentiri potest, consequens est, ipsum omnia quæ illic significat, re ipsa implere ac præstare. Necesse est igitur, nos in Cœna verè corpus & sanguinem Christi recipere, cùm vtriusque communionem nobis Dominus representet. Quid enim sibi vellet, nos panem comedere, ac vinum bibere, ut significet, carnem ipsius, cibum esse nostrum, & sanguinem potum: si veritate spiritali prætermissa, vinum & panem solummodo præberet? Nõnne frustra, & mendaciter hoc mysterium instituisset? & quod lingua Gallica dicimus, falsis insignibus? Itaque fatendum est, si vera sit representatio quam adhibet Deus in Cœna substantiam interiorem Sacramenti, visibilibus signis coniunctam esse: & quemadmodum panis in manu distribuitur, ita corpus Christi, ut eius participes simus, nobis communicari. Hoc certè, etiam si nihil aliud esset, nobis abundè satisfacere deberet: cùm intelligimus, Christum nobis in Cœna veram propriamque corporis & sanguinis sui substantiam donare: ut pleno iure ipsum possideamus, & possidendo in omnem bonorum suorum societatem vocemur. Cùm enim ipsum tenemus, omnes diuitiæ diuinæque opes in eo reconditæ nobis exponuntur, ut nostræ sint, usque vnà cum ipso perfruamur. Ut ergo Cœnæ utilitatem breuiter definiamus: dicere licet, Iesum Christum nobis in ea offerri, ut eum ipsum, atque in eo, gratiarum & beneficiorum omnium quæ expetere animus potest, abundantiam & copiam, possideamus. Id quod maximo nobis adiumento est, ut conscientia nostræ, in ea fiducia quam nos in ipsum habere decet, confirmetur.

Altera utilitas est, quòd eo magis incitamus atque admonemur ad agnoscenda beneficia quæ accepimus à Domino Iesu Christo, & in dies accipimus: ut ei gloriam & honorem tribuamus: atque, ut par est, sanctissimum eius nomen perpetuis laudibus celebremus. Natura enim valde negligentibus sumus in meditando bonitate Dei nostræ nec vaquam de ea cogitamus, nisi si gratiam ipse nostram excutiat, & ad officium nos instiget. Ac rionibus verò stimulus pungi non possumus, quàm cùm nos cogit quasi conspiciere oculis, & manibus atrectare, aperteque cognoscere, & sentire, magnitudinè beneficii inestimabilis, cùm nos propria substantia sua pascit & reficit. Id quod significare & monstrare vult, cum iubet ut mortem suam annuntiemus, quo ad veniat. Quòd si res adeò ad salutem necessaria est, non immemores esse gratiarum & beneficiorum quæ Deus in nos conulit, quin potius diligenter ea in memoriam reuocare, & magnificè extollere apud alios, ut mutuis admonitionibus incitemur: in eo singularem Cœnæ utilitatem videmus: quæ ab ingratitude vitio nos reuocat, nec sint nos magni illius beneficii, quod Christum, nostræ causa moriens, in nos conulit, obliuisci: sed nos eò deducit, ut gratias ei agamus, & tanquam publica testificatione profiteamur quantum ipsi debeamus.



*Tertia utilitatis species in eo consistit, quòd ad sanctitatem & puritatem vite vehementius incitatur, ac precipue ad charitatem & amicitiam inter nos seruandam maiore hortationum vi impellatur. Cùm enim Christi membra facti simus, insiti corpori ipsius, vnàque cum eo vt capite nostro coniuncti: æquum est, nos primùm puritati & innocentia ipsius conformes esse, ac præsertim vt ea sit inter nos concordia, quæ inter eiusdem corporis membra esse debet. Quamuis, vt rectam huiusce utilitatis intelligentiam habeamus, existimandum non sit, Dominum nos solum hortari, & signa exteriori incitare, aut etiam inflammare. Hoc enim precipuum est, quod in nobis interius spiritu suo operatur, vt vim & efficaciam addat instituto suo, quod velut instrumentum ad id destinauit, vt opus suum in nobis impleat & perficiat. Quoniam ergo spiritus sancti virtus sacramentis cõiuncta est, cùm ita vt decet recipiuntur, sperare & confidere debemus, nobis ipsa adminiculo esse, vt in sanctitate vite, ac præsertim charitate, promouere possimus.*

*Iam ad tertium ex precipuis capitibusquæ huius libelli initio propositum, veniendum est, ad vsum scilicet legitimum, vt institutionem Domini reuerenter obseruemus. Quisquis enim despicatur quodam solutè aut oscitanter ad hoc sacramentum accedit, parum sollicitus tenendi propositi, & in eo perseverandi, in quo Dominus eum vocauit: eo peruersè abutitur, & abutendo illud factè contaminat. Polluere autem & contaminare, quod tam sanctè consecrauit Deus, magnum & intolerabile sacrilegium est. Nec frustra Paulus grauem & duram damnationem omnibus ijs denuntiat, qui id indignè perceperint. Nam sineque in cælo neque in terris quicquam præstantius sit corpore & sanguine Domini: culpa non minima est, id temere & inconsideratè recipere, nec accuratè diligentèrque preparatos illuc accedere. Præterea, vt nos ipsos probemus, hortatur: vt, quemadmodum res exigit & postulat, eo vtamur. Quòd si intelligamus qualis ea probatio esse debeat: qualis etiam is quem quærimus, vsus sit, percipiemus.*

*Sed in hoc magna & prudens cautio adhibenda est. Vt enim in nobis quemadmodum iussit Dominus examinandis nimitiù seduli esse nõ possimus: ita sophistici doctores miseræ conscientias nimitiù perplexas tenuerunt, & in anxietatem valde periculosam, imò in horribilem gehennam coniecerunt, dum nescio quam probationem & examinandi sui diligentiam requirebant, quàm nemo hominum præstare potuisset. Vt autem ab ijs perturbationum inuolucris expediamur, omnia, vt iam dixi, ad Domini institutionem reducenda sunt, tanquam ad normam, quæ nos, si eam sequamur, labi & errare non sinet. Eam sequentes, perpendere debemus num veram in nobis pœnitentiam & veram fidem sentiamus. Quæ duo ita coniuncta sunt, vt alterum sine altero nullo modo possit consistere. Nam si in Christo sitam esse vitam nostram existimamus: agnoscere debemus, nos in nobis ipsis mortuos esse. Si in eo vim & robur nostrum quærimus, nos viribus omnibus destituti ac defici intelligendum est. Si fælicitatem nostram in eius gratia collocamus: hac sublata, necesse est nos intelligere quanta sit miseria nostra. Si quies & tranquillitas nostra in eo sita est: nihil aliud in nobis ipsis quàm inquietas & turbulentas curas & sollicitudines sentire debemus. Talis verò affectus esse non potest, quin nobis ingeneret displicentiam totius vite nostræ, deinde fælicitudinem & iuocem, postremo amorem & desiderium iustitiæ. Is enim c. i cognita est peccati sui turpitudine, & miseria sua conditionis, dum est alienatus à Deo, tanto pudore affi*

citur, ut sibi ipse displicere, seipsum condemnare, ac præ animi dolore gemere ac suspirare, cogatur. Ad hæc, statim obijcitur iudicium Dei: quod miris angustiis peccatoris conscientiam premit, cum videt se nullo modo effugere posse, nec ullum defensionis relicum esse locum. Cum ita miseriam nostram agnoscentes, Dei bonitatem gustare possimus: tum desideramus omnem vitæ nostræ rationem ad illius voluntatem dirigere: ut ea quam prius sequebamur abiecta, nova in ipso creatura efficiamur. Si igitur eam quam decet communionem sanctissimæ cœnæ Domini habere velimus: firma animi fiducia Christum pro iustitia, vita, & salute nostrâ habeamus: promissiones ipsius amplectamur, certâsque & constantes esse existimemus: omnibus ex aduerso præsidijs, quæ cum ea pugnant, eorumque fiduciâ renuntiemus: ut nobis ipsis, cæterisque omnibus creaturis diffusi, in ipso vno acquiescimus, solâque ipsius gratia contenti simus. Quod cum fieri non possit, nisi nobis competentum sit, quantum ipsius ope & auxilio indigemus: nos acerrimè pungi, & miseria nostrâ sensu quasi stimulo fodi, necesse est: ut tanquam famelicus ipsum avidè expetamus. Quàm enim ridiculum esset, sine vlllo appetitu cibum quærere? Ut autem appetamus, vacuo stomacho esse non satis est, sed ita affecta ut cibum possit admittere. Hinc consequens est, animas nostras fame urgeri oportere, & ardenti desiderio teneri cibi, ut alimentum suum in cœna Domini reperiant.

Præterea notandum est, nos Christum desiderare non posse, nisi ad iustitiam Dei adspiremus: quæ in abnegatione nostri, & obedientia ipsi exhibenda consistit. Neque enim vlllo modo conuenire potest, ut corpori Christi simus insiti, atque interrim turpiter, libidinosè, dissolutè viuamus. Cum in Christo nihil sit, nisi puritas omnis, cõtinètia, benignitas, sobrietas, veritas, humilitas, cæteraque similes virtutes: si eius membra esse velimus, nos ab omni libidine & luxu, ab arrogantia, intemperantia, vanitate, superbia, cæterisque vitijs, alienissimos esse oportet. Nec enim sine magno dedecore & probro hæc cum ipso admiscere possimus. Nos perpetuò memoria tenere oportet, non magis inter ipsum & iniquitatem, quàm inter lucem & tenebras, conuenire. En quo modo ad veram pœnitentiam perueniemus, si eò tendamus, ut vita nostrâ ad exemplum Iesu Christi conformetur. Verùm, & si hoc ad omnes vitæ partes generale est: præsertim tamen in charitate locum habet: quæ nobis præcipuè in hoc sacramento commendatur. Quæ etiam ratione, eius nominatur vinculum. Ut enim panis illic in cõmunem omnium usum sanctificatus, ex multis granis coalescit, ita coniunctus inter se, ut alterũ ab altero separari ac discerni nequeat: eodem modo, inter nos indissolubili amicitia vinculo iuncti esse debemus. Atque ad eò idem corpus Christi recipimus omnes, ut ipsius membra simus. Quod si discordijs & dissensionibus laboremus: quantum in nobis est, Christum diuellimus ac laceramus: nec minoris sacrilegij futuri sumus rei, quàm si id ipsum admissemus. Ne ergo audeamus illuc accedere, si quid in nobis resideat odij aut malevolentia in quemuis hominem, ac præcipuè Christianum & Ecclesiæ vnitati coniunctum. Debemus etiam, ut ordinem Domini teneamus & sequamur, aliam præterea affectionè adferre: nempe, ut fateamur ore, & re ipsa testificemur, quantum seruatori nostro debeamus: eique gratias agamus: non tantum ut per nos gloria ipsius Nomini tribuatur, sed etiã ut mutuo nos instruamus, & proximi exemplo nostro discant quid sibi agendum sit.

Sed quia nemo hominum reperietur, qui ita in fide & vitæ sanctitate profecerit,

cerit, quin multum adhuc in ipso desideretur: periculum esset, ne permulta pia conscientia ipsa quae diximus perturbarentur, nisi obuiam iremus, ea praecipua temperantes, quae de fide & poenitentia posuimus. Nam valde periculosa est ea docendi ratio, qua nonnulli perfectam animi fiduciam & poenitentiam requirentes, omnes qui talibus praediti non fuerint, excludi volunt. Sic enim omnes, nemine excepto, excluderentur. Quod ut verum esse demonstremus, quis iactare poterit, se nullo diffidentiae vitio laborare, nulla animi labe, nullo infirmitatum genere deprauatum esse? Talem certe filij Dei fidem habent, ut eis necesse sit perpetuo Dominum rogare, ut eorum incredulitati adsit atque opem ferat. Is enim morbus tam alte radices in nobis egit, ut sanari omnino non possimus, prius quam ex his corporis vinculis liberemur. Talis etiam est sanctitas vitae, ut in dies necesse sit orare pro remissione peccatorum, & gratia proficiendi in melius, consequenda. Et quanuis alij sint alijs imperfectiores: nemo tamen est qui non in multis deficiat. Itaque si ea & fidei & vitae integritas cui nihil omnino desit, requiratur: cœna omnibus non tantum inutilis, verum etiam perniciosa erit. Quod certe alienissimum est à mente & consilio Domini: qui nihil salutarius Ecclesiae suae dedit. Cum ergo fidem adhuc imperfectam in nobis sentiemus, neque adeo pura conscientia praediti erimus, quin vitiorum permultorum nos accuset: id impedimento esse non debet, quo minus ad sacram Domini mensam accedamus: si modo, in ea imbecillitates, ab omni simulatione & hypocrisi vacui, salutem in Christo speremus, & vitam nostram ad Evangelij normam cupiamus dirigere. Ne qua sit hypocrisis, nominatim dico: quod permulti se ipsos vanis adulationibus decipiant, sibi persuadentes satis esse si vitia sua condemnent, licet ea foueant: aut etiam sufficere, si ab eis per aliquod tempus abstineant, mox ad ipsa reuersuri. Vera autem poenitentia, firma & constans est. Itaque efficit, non ut aliquot dies aut menses, sed ut sine vlla intermissione, per omne vitae nostrae tempus, malum, quod nobiscum gerimus ipsi oppugnemus. Cum ita nobis vitia displicere, verumque ipsorum odium, à timore Dei proficiscens, nobis insitum sentimus, ac simul bene sanctaeque viuendi desiderio nos duci: cœna Domini percipiendae idonei sumus: licet permulta adhuc supersint in nobis infirmitatum reliquiae. Imò nisi infirmi essemus, diffidentiae obnoxij, & vitae minus perfectae: sacramentum nobis foret inutile, eiusque institutio superuacanea fuisset. Cum igitur sit remedium, quo Deus imbecillitati nostrae subuenire, corroborare fidem nostram, charitatem augere, in sanctitate vitae promouere voluit: eò magis ipso uti debemus, quò grauius nos magnitudine morbi premi sentimus: tantum abest ut eo nos impediri oporteat. Nam si, ut nos subducamus ab usu cœnae, obtendamus nos adhuc in fide debiles esse, nec vitam satis integram: perinde est ac si quis vellet à medicina, propterea quòd aegrotaret, abstinere. Imbecillitas ergo fidei, & vitae nostrae vitia, nos monere debent ut ad cœnam veniamus velut ad singulare remedium quo emendari possint ac corrigi. Tantum, ne fidei ac poenitentiae vacui accedamus. Quarum prior, in animo absconsa est: ideoque à conscientia nostra nobis coram Deo testimonium reddi oportet. Posterior actione & opere ostenditur: ideoque eam in vita nostra apparere necesse est.

Quòd ad celebrandae cœnae tempus attinet, non omnibus certò constitui aut praefigi potest. Sunt enim nonnunquam priuata cuique impedimenta, quae hominem, si abstinerit, excusare possunt. Praeterea, nullum praecipuum habemus quo

omnes cogantur ea uti quoties ipsis offeretur. Si tamen finem spectemus ad quem Dominus nos ducit: cognoscemus, multò frequentiore usum quàm vulgò apud ple-  
rosque, esse oportere. Quòdenim maiore imbecillitate premimur, eò magis ac frequen-  
tius in eo exerceri debemus, quòd tum ad confirmandam fidem nostram, tum etiã  
ad sanctitatem vitæ promouendam, nobis vsui esse & potest & debet. Quã obrem  
in omnibus Ecclesiis bene constitutis ea consuetudo esse debet: ut cœna, quàm sæ-  
pissimè fieri potest, & quantum populi fert capacitas, celebretur. Ac priuatus quis-  
que, quantum in ipso est, ad eã recipiendã preparari debet, quoties in cõmuni cœna  
celebrabitur: nisi cogatur maximis de causis abstinere. Tamen si nullo præcepto sit præ-  
finitum tempus aut expressa dies: tamen hoc sufficere debet, quòd voluntatem Do-  
mini talem esse cognoscimus, ut eo sacramẽto crebrò utamur. Alioqui, utilitatem  
quæ ad nos inde reedit, ignoramus. Quæ verò à nonnullis adferantur excusationes,  
inanes sunt & friuolæ. Aiunt alijs indignos esse eoque præ textu abstinent to-  
to anno. Alij non tantùm quàm indigni sunt considerant: sed etiam obtendunt, se  
cum ijs quos imparatos eò accedere cernunt, communicare non posse. Alij etiam fre-  
quentem ipsius vsum superfluum esse putant: neque existimant, cum semel receperit  
Christum, id tam frequenter iterandum ac sæpius repetendum esse. A primis  
illis, qui se sua indignitate regunt, quæro: quomodo tantam miseriam plus annum su-  
stinere potest eorum conscientia, ut ritè Dominum inuocare non audeant. Teme-  
ritatis enim esse fatebuntur, Deum inuocare ut patrem, nisi membra Christi si-  
mus. Quòd fieri non potest, nisi cœna substantia & veritas in nobis impleatur.  
Quòd si veritatem ipsam tenemus, longè maiori ratione signo percipiendo su-  
mus idonei. Ex quo videmus, eos qui se ut indignos à cœna eximere volunt, ma-  
gno illo inuocandi & orandi Dei bono se ipsos priuare. Caterùm, vim adferre no-  
lim ijs quorum exagitantur conscientia, & terrentur aliqua religione, ut sese te-  
merè ingerant: sed potius consulo ut tantisper expectent, dum ipsos Dominus ea an-  
xietate liberarit. Si qua similiter iusta causa sit, quin differre liceat non inficior.  
Tantum ostendere volo, neminem diu in eo acquiescere debere, ut propter indigni-  
tatem suam abstineat. Sic enim Ecclesiæ communicatione priuatur: in qua salus no-  
stra omnis sita est. Potius nitatur aduersus impedimẽta omnia pugnare, quæ à Dia-  
bolo obijciuntur: ne excludatur à tanto bono, ac beneficijs pariter omnibus quibus  
eum priuari cõsequens est. Alteri plus videtur habere coloris: quòd argumento isto  
utantur: Si videlicet panem communem non liceat cum ijs edere qui se fratres no-  
minant, & nihilominus turpiter & dissolutè viuunt multo minus eum panem qui  
in hoc consecratus est, ut repræsentet ac exhibeat nobis corpus Domini. Verum ne  
que huc spõdere difficile est: non esse privati cuiusque, iudicare ac discernere quis  
admirèdus aut arcèdus videatur: sed ad totam Ecclesiam pertinere, sicut ad pasto-  
rẽ & seniores, quorũ adiumento in moderanda & gubernanda Ecclesia uti debet.  
Nec enim iubet Paulus ut alios, sed ut nos ipsos examinemus. Officij quidẽ nostri  
est, eos admonere qui flagitiosum vitã degunt: ac, si nos audire nolint, pastori de-  
nũtiare: ut rẽ, ecclesiastica authoritate peragat. Sed nõ eo modo debemus nos à fla-  
gitiosorum cœna subducere, ut cõmunionẽ Ecclesiæ relinquamus. Ad hæc, sæpius acci-  
dit, crimina nõ ita manifesta esse, ut ad excõmunicationẽ progredi liceat. Quãuis  
enim pastor in animo suo indignum aliquẽ esse iudicet: tamẽ eum talẽ pronũtiare,  
aut à cœna prohibere, non potest, nisi eum Ecclesiastico iudicio conuincerit. Quod

cum accidit, nullum aliud superest nobis remedium, quam ut Deum rogemus ut ab omnibus offensionibus Ecclesiam suam liberet: interim dum expectamus supremum diem, quo palea ab optimo grano se parabuntur. Tertij nullam omnino verisimilitudinis speciem habent. Nec enim panis hic spiritualis nobis datus est ut statim eo saturemur, sed potius ut dulcedinis ipsius gustum habentes magis appetamus, eoque utamur quoties nobis offeretur. Hoc est scilicet quod antè exposuimus: Iesum Christum, quamdiu versamur in hac mortali vita, nunquam nobis ita communicari ut eo satientur anima nostra, sed ut assiduam illis alimentum sit.

Ut ad quartum caput veniamus. Cùm Diabolus nihil hoc Sacramento vitilius Ecclesiæ à Domino relictum esse perspiceret: solito suo more statim ab initio ipsum erroribus varijs & superstitionibus contaminare nisus est, ut fructum ipsius corrumpere ac destrueret: nec ceptum suum persequi desit, quoad in uertit institutionem Domini, & in mendaciam vanitatemque conuerterit. Non est mei instituti, designare quo tempore impostura quæque & error initium cepit. Mihi sufficiet, articulatis errores notare à Diabolo inuectos: quos cauere necesse est, si integram & incorruptam Cœnam Domini habere velimus.

Primum igitur, cùm Dominus Cœnam nobis dederit, ut inter nos distribueretur, testificanda communionis gratia, quam in corpore ipsius habentes, sacrificij quoque quod ad expianda peccata nostra Deo Patri obtulit, participes sumus: homines contra suo ingenio commenti sunt, sacrificium esse quo remissionem peccatorum à Deo consequimur. Quod sacrilegium detestabile est, nulloque modo tolerandum. Nisi enim agnoscamus ac cerè teneamus, mortem Domini Iesu Christi unicum sacrificium esse, quo nos Deo Patri reconciliauit, ac deleuit peccata omnia quorum in iudicio ipsius eramus rei: vim & efficaciam ipsius euertimus ac destruimus. Nisi fateamur Christum solum Sacerdotem esse, cuius intercessione in gratiam redimus cum Patre suo: ipsum spoliamus honore, grauèque ei iniuriam inferimus. Cùm igitur ea opinio, quæ pugnât Cœnam Domini sacrificium esse quo remissionem peccatorum consequimur, contra pugnet: tollenda ipsa, & ut diabolica damnanda est. Pugnare verò certissimum est. Què enim ista conuenire possunt? Christum moriendo Patri sacrificium obtulisse, quo semel pro omnibus veniam & remissionem omnium delictorum nostrorum acquisiuit: & rursum quotidie sacrificandum esse, ut id obtineamus quod in sola eius morte quærendum est? Hic error non statim ab initio ad summum peruenit, sed pedetentim incrementa sua capiens, tandem huc prouectus est. Veteres quidem Cœnam sacrificium vocasse, notum est. Sed rationem adferunt, quòd mors Christi in ea representetur. Eorum ergo dictum eò speciat, ut, quoniam Cœna sacrificij illius vnici memoria est, in quo omnino conuiescere debemus, propterea sit nomen illud ei attributum. Neque tamen possum veteris Ecclesiæ consuetudinem excusare, quòd gestu ac ritu suo speciem quandam sacrificij figuraret, usdem ferè ceremonijs quæ sub veteri Testamento in usu erant: eo excepto quòd panis hostia animalis loco utebantur. Quod cùm nimis ad Iudaismum accedat, nec Domini instructioni consentaneum sit, minime probo. Veteri enim Testamento, figurarum tempore, tales ceremonias Dominus instituerat, tantisper obseruandas, dum sacrificium illud in carne Filij sui dilectissimi, qui earum veritas erat, celebraretur. Cùm igitur hoc totum perfectum sit, nihil superest amplius, nisi ut eius communicatione fruamur. Quare su-

perfluum est, id figuris commonstrare. Itaque, ex instituto Christi, non offerre aut immolare, sed quod oblatum & immolatum est accipere & comedere iubemur. Quauis autem in ea obseruatione aliquid offenderunt veteres: tamen impietas tanta non erat, quanta postea obrepfit. Quod enim proprium erat mortis Christi, ad missam omnino translatum est: vt scilicet ea satisfaceret Deo pro delictis nostris, & per eam ipsi reconciliaremur. Adhæc, quod officij Christi erat, ijs qui se Sacerdotes nominabant tribuebatur: vt sacrificarent Deo, & sacrificijs suis apud ipsum intercederent, ad veniam & remissionem peccatorum nostrorum impetrandam. Solutiones quas veritatis hostes huc adferunt, dissimulare nolo. Missam, nouum sacrificium non esse, sed sacrificij illius vnici de quo loquuti sumus, applicationem. Etsi colore aliquo abominationem suam tegere nituntur: tamen cauillationem meram esse perspicuum est. Nec enim tantum dictum est, sacrificium Christi, vnicum esse, verum etiam, iterari non oportere: cum eius vis & efficacia perpetua sit. Non dicitur, Christum semel oblatum Patri, vt alij postea eadem oblatione vterentur: vt vim intercessionis ipsius nobis applicarent: sed in Sanctuarium cæleste ingressum esse, ibique apparere vt sua intercessione Patrem nobis propitium reddat. Quod attinet ad applicationem meriti mortis ipsius, vt fructum sentiamus: id fit non eo modo quo in ecclesia Papali existimatum est: sed cum Euangelij nuntium recipimus, qualem sua prædicatione testificantur ministri quos Deus tanquam legatos constituit: qualis etiam Sacramentis vt sigillis obsignauit. Plebis opinio qua existimatum est, eum qui audiret Missam, aut emeret, gratiam & iustitiam propterea mereri, ab omnibus & Doctoribus & Pastoribus comprobata est. Vt verò fructum aliquem ex Cœna percipiamus, nihil nostri adferri oportere dicimus, vt id quod inquirimus mereamur: sed tantum gratiam nobis in eo oblatam, fide recipendam esse. Ea quidem in Sacramento non residet: sed vt à cruce Christi proficiscitur, ita ad eam nos remittit. Nihil ergo veræ Cœnæ intelligentiæ tam contrarium, quam de ea sacrificium comminisci. Impedit enim ne mortem Christi pro sacrificio vnico, quod perpetuò duraturum sit, agnoscamus. His bene intellectis, constabit omnes Missas, in quibus nulla fit Cœnæ communio qualis à Domino instituta est, meram esse abominationem. Nec enim Dominus constituit vt solus Sacerdos sacrificio suo peracto separatim sua ageret: sed hoc Sacramentum in publico cœtu distribui voluit, instar primæ, Cœnæ quam cum Apostolis suis celebravit. At postquam detestabilis hæc opinio inuenta fuit, ex ea quasi ex voragine prodijt infœlix illa consuetudo, qua populus actioni adistere contentus, quasi potiturus aliquo merito, interim abstinet à communionem: quia Sacerdos iaciat se pro omnibus, ac præcipuè qui adsistunt, hostiam offerre. Imposturas & ludificationes, quibus tantum inest absurditatis vt memoratu indignæ sint, prætermitto: veluti sanctulo cuique Missam suam attribuere: & quod de Cœna Domini dictum est, ad Guillelmum & Gualterium, sicuti Gallico prouerbio dicimus, transferre. Item, mercaturam de ijs exercere atque nundinari. Ceteræque sordium colluies quæ ab hoc sacrificij nomine manarunt.

Sequitur alter error, quem corrumpendi sacrosancti huiusce mysterij causa Diabolus sparsit: nempe cum transsubstantiationem panis in corpus Christi, & vini in sanguinem fieri commentus est, postquam verba cum intentione consecrandi pronuntiatæ essent. Primum, commentum istud nullum prorsus in Scriptu-

*ra fundamentum, neque vllum veteris Ecclesiæ testimonium habet: atque adeò cum verbis Domini convenire aut stare nullo modo potest. Nonne talis interpretatio nimis violenta & coacta est? Cùm Christus, panem ostendens, corpus suum vocat, dicere panis substantiam in nihilum redigi, & in eius locum Christi corpus succedere? Sed non est necesse rem in dubium vocare: cùm veritas dilucida ipsa per se tam absurdam vanitatem refutare possit. Infinita testimonia & Scripturæ & Patrum prætermittit: quibus Sacramentum panis appellatur. Tantùm dico Sacramenti naturam hoc requirere: vt panis materialis pro visibili corporis signo remaneat. Est enim regula generalis in omnibus Sacramentis: signa quæ in ipsis videmus, debere aliquid similitudinis habere cum re spirituali quam representant. Vt igitur in Baptismo certiores reddimur, animas nostras interius ablutas esse: cùm aqua quæ corporis sordes abluit, eius rei testificandæ causa effunditur: ita in Cœna materialem panem esse necesse est. vt nobis testatum sit, corpus Christi cibum nostrum esse. Quæ enim esset significatio, nobis id ab albedine figurari? Apertè igitur cognoscimus, omnem representationem quam Dominus, se se nostræ infirmitati accommodare volens, dedit, interituram, nisi panis substantia remaneret. Verba enim quibus Dominus vtitur, tantundem significant, ac si quis diceret: Quemadmodum hominis corpus pane nutritur & sustentatur: ita caro mea cibus est spiritualis, quo animæ viuificantur. Adhæc, quorsum similitudinem illam proponit Paulus? vt pluribus granis inter se permixtis & coniunctis panis vnus conficitur: ita nos inuicem coniunctos esse oportet, cùm ex eodem pane participemus. Si albedo tantùm sine substantia remaneret, num ridiculum esset ita loqui? Quam obrem sine vlla dubitatione concludimus, hanc transsubstantiationem, Diaboli commentum esse, quo Cœnæ veritas deprauatur. Ex eo figmento varia deliria secuta sunt: atque vtinam deliria tantum essent, ac non etiam horrendæ abominatones. Nam homines nescio quam præsentiam localem imaginati, putarunt Christi & diuinitatem & humanitatem albedini illi affixam esse, nulla habitari ratione absurditatum quæ inde consequebantur. Quauis autem veteres Doctores Sorbonici subtilius disputarunt, quomodo corpus & sanguis cum signis coniunctum sit: tamen negari non potest, hanc opinionem receptam fuisse à summis & infimis in Ecclesia Papali, atque hodie flamma, ferro, cade, & omni tormentorum genere crudeliter defendi & asseri: Christum contineri sub his signis, ibique eum inuestigandum esse. Quam opinionem vt sustineant fateantur etiam necesse est, Christi corpus tanquam infinitum nullo spatio contineri, aut diuersis in locis simul esse. Quod cum aiunt, cò tandem labuntur, vt à phantasmate nulla in re differat. Talem ergo præsentiam loco circumscriptam statuere, qua corpus Christi signo includatur, aut localiter, quod aiunt, coniungatur: non tantum delirium est, sed etiam execrandus error, gloriæ Christi detrahens: & quicquid de natura ipsius humana credendum, euertens. Scriptura enim vbique docet, Christum, vt in terra humanitatem nostram accepit, ita ereptam ex hac morali conditione, in cælum, natura tamen non immutata, extulisse. Sic itaque duo nobis consideranda sunt, cùm de Christi humanitate verba facimus. Primum ne veritati naturæ ipsius detrahamus, deinde ne derogemus gloriæ eius conditioni. Quod vt ritè obseruemus, erigenda sunt in cælum mentes, vt ibi redemptorem nostrum queramus. Nam si velimus eum sub elementa mundi corruptibilia abijcere: cùm ea destrue-*

mus quæ de humana eius natura Scripturæ testantur: tum etiam gloriosam ipsius ascensionem in nihilum redigimus. Quia verò multi copiose hoc argumentum tractarunt, superfedere quàm longius progredi malo. Hoc tantùm præteriens notare volui: includere cogitatione sub pane & vino Christum, aut ita coniungere ut ijs ingenium nostrum adhærescat, neque in cælum erigatur: delirij esse diabolici. Id quod etiam alio in loco attingemus. Peruersa hæc opinio semel recepta, multas alias superstitiones peperit. Primum carnalem illam adorationem, quæ nihil aliud quàm idololatria mera est. Nam se coram pane prosternere, ibique Christum, ac si coram adesset, eoque contineretur, adorare: nonne est idolum constituere Sacramenti loco? Neque enim adorare, sed accipere & manducare iussi sumus. Id ergo adèd temere attentari minimè oportuit. Præterea id in veteri Ecclesia semper obseruatam fuit, ut priusquam celebraretur Cœna, admoneretur populus, ut sursum corda erigeret, quo intelligeret non esse signo visibili in hærendum, ut Christus ritè adoretur. Sed de hoc articulo non diu pugnabimus: si rectè intelligatur presentia & coniunctio veritatis cum signo: de qua iam locuti sumus, iterumque postea tractabimus. Ex eodem fonte manarunt reliqui ritus superstitiosi: veluti, semel quotannis in pompa Sacramentum per vicos circumferre: alio tempore et tabernaculum extruere: & toto <sup>anno</sup> pyxide aut theca inclusum seruare, ut populus in id quasi in Deum intentus sit. Quæ omnia quia non tantum citra verbum Dei humano ingenio excogitata sunt, sed etiam cum Cœnæ institutione pugnant ex diametro, ab omnibus Christianis rejici debent.

Vnde in ecclesia Papali orta sit hæc calamitas, ut populus toto anno à communione Cœnæ abstineat, ostendimus: quia scilicet habetur pro sacrificio quod ab uno omnium in mine offertur. Præterea cum Cœnæ quotannis semel communicandum est, ea miserè discripiatur & quasi laniatur in partes. Nam cum omnibus distribui Sacramentum sanguinis oporteret, ut fert apertum Domini mandatum: constituunt, populum dimidia parte contentum esse oportere. Ita miseri Christiani, beneficium quod in ipsos Deus contulerat, nequissimè fraude priuantur. Nec enim minorem beneficium est, communionem sanguinis Domini habere nostri ælendi causa: nimiaque crudelitas est, ijs ad quos id iure pertinebat, eripere. In quo perspicere possumus, qua audacia & proteruita Papa tyrannidem exercuerit in Ecclesiam Dei, postquam dominatum solus occupauit. Vbi Dominus discipulis præcepit ut panem ederent sanctificatum in corpore suo: ad calicem veniens, non simpliciter ait Bibite, sed nominatim adiicit Omnes. An apertius quicquam requirimus? Iubet ut panem comedamus, nec vini: soli verbo vititur. De calice verò præcipit ut bibamus omnes. Vnde hæc differentia: nisi quia huic Diaboli malitiei & astutia occurrere voluit: tanta nihilominus est Papæ arrogãtia & superbia, ut audeat ex aduerso pronuntiare: Ne bibatis omnes. Ut autè se Deo sapientiorum esse ostendat: æquum & rationi consentaneum esse ait, Sacerdotè aliquid præter populum præcipui habere, quo sacerdotilis dignitas honoretur. Quasi Dominus satis prudens non fuerit, neque considerarit quomodo alterum ab altero discerni oporteat. Præterea obiicit pericula quæ accidere possèt, si calix vulgò omnibus porringeretur. Gentiã scilicet aliquam effundi posse: quasi Dominus id nõ præuidisset. Nonne est, Domini imprudentiæ arguere: quòd ordinè qui obseruari debuerat confuderit, ac populum suum absque vlla ratione in hoc periculum coniecerit? Ut pa-



rum incommodi ex ea mutatione sequi ostendant, aiunt totum sub vnica specie comprehendendi, quòd non possit corpus à sanguine separari. Quasi verò Dominus alterum ab altero distinxisset. Nam si pars altera vt superflua relinqui potest stultū & inane fuisset, vtrumque separatim ac distinctè commendari. Nonnulli verò ex eius satellitio, cū tantam abominationem non nisi impudenter defendi posse cernerent, eam alio modo tegere voluerunt. Aiunt enim Christum, cū hoc sacramentum institueret, Apostolis tantum loquutum esse, quos iam in ordinem sacerdotalem euexerat. Sed quid Paulorespondebunt, qui dicit se populo Christiano tradidisse quòd à Domino accepit, vt vnusquisque comedat de pane & de calice bibat? Quis verò eis reuelauit Christum Apostolis vt sacerdotibus cœnam dedisse? Verborū enim significatio cōtraria est: cū postea iubet vt suo exēplo idē faciant. Regulam ergo præscribit, quam vult in Ecclesia sua perpetuam esse. Qualis etiam antiquitus obseruata fuit: antequam Antichristus tyrannide occupata sese extulit, & aduersus Dei veritatem cornua erexit, vt eam funditus euerteret. Intolerabilis igitur peruersitatis esse videmus, hoc sacramentum sic diuidere & lacerare, vt ea partes quas Deus coniunxit, separentur.

Vt finem faciamus: comprehendemus sub vno capite, quòd alioqui distingui posset. Diabolum scilicet, hunc morem celebrande absque vlla doctrina cœnæ introduxisse: & in doctrinā locum ceremonias summississe, partim ineptas, partim inutiles, partim etiam noxias & periculosas: ex quibus mala permulta consequuta sunt. Ad eò vt missa, quæ in Ecclesia Papali pro cœnā habetur, vt bene eam definiamus, nihil aliud sit, quàm mera simiæ emulatio & actio histrionica. Simiæ emulationem appello, quòd sicut simia, hominum opera perperam ac sine ratione emulando, lasciuunt: ita hi sacram Domini cœnam sic imitantur, vt præposteris suis figmentis totam eius veritatem corrumpant. Quòd vt verum esse ostendamus, nonne id præcipuum est, quòd Dominus commendauit, vt mysterium hoc cum vera intelligentia celebretur? Ex quo consequens est, eius substantiā in doctrina sitam esse. Ea sublata, nihil aliud quàm frigida & inefficax ceremonia est. Id non tantum scriptura sed etiā ipsius papæ canones testificantur: vbi allegatur sententiā in qui querit Augustinus quid sit baptismus sine verbo, nisi elementum corruptibile. Verbo, vt statim subiicit, non ex eo quòd pronuntiat, sed quòd intelligitur. Quo significat, sacramenta ex verbo Domini vim suam accipere: cū eo modo quo intelligi possit, predicatur. Quòd restat, indignum est sacramenti nomine. At qui tantum abest vt in missa vlla sit doctrina quæ intelligenter audiatur, vt ediuerso totum mysterium profanatum putetur, nisi clam & occultè omnia & dicantur & fiant: vt nihil percipi aut intelligi possit. Ad eò vt eorum consecratio ab incantationis specie nihil differat. Nam incantatorum more susurrus & varijs gestulationibus putant se Christum è cœlo in manus suas deducere. Ex quo perspicimus missam ita ordinatam, prophanationem cœnæ manifestam potius quàm obseruationem esse: propriamque & præcipuam cœnæ substantiam deficere: quæ in eo consistit vt mysterium populo rite explicetur, & promissiones clara voce recitentur: non vt sacerdos sine vlla aut ratione aut intelligentia summissè obscurum murmur in susurret. Histrionicam actionē appello, quòd ineptiæ gestusque histrionici illic visuntur: quæ, fabule potius quàm sacrosanctæ Domini cœnæ conueniāt. Sacrificia quidem veteri testamento cum varijs ornamentis & ceremonijs celebra

Can. de-  
trahe. 1.  
4. J. Aug.  
tract. 80.  
in Ioan.

bantur. Sed quia bonam significationem habebant, erantque omnia propria ad instruendum & exercitandum populum in pietate: ab istis longè dissimiles erant: quæ nulli sunt prorsus vsui, nisi vt sine vlllo fructu populi animum occupent & suspensum teneant. Porro quoniam isti, vt ita appellem, missatores hoc veteris testamenti exemplum allegant, vt ceremonias suas tueantur, notare operæ pretium est, quæ sit inter id quod agunt, & id quod Deus populo Iudaico præceperat, differentia. Nam si hoc vnum adducam, quicquid tunc fiebat in mandato Dei fundamentum fuisse: friuolas autem horum ineptias, nullum aliud quàm in hominum inuentione fundamentum habere: nonne iam magna esset dissimilitudo? Sed multa habemus quibus ipsas improbemus. Non enim sine causa Dominus talem formam ad tempus præscripserat, vt aliquando finem acciperent & abrogarentur. Quod enim nondum tanto doctrinæ suæ lumine affelsisset, eò magis populum in figuris exerceri volebat: vt quod in vno deerat, in altero sarciretur. Verùm ex quo Christus in carne manifestatus est: quo magis illustrata est doctrina, eò magis figure sunt imminuta. Cum igitur corpore potiamur, relinquenda sunt vmbrae. Nam si abolitas ceremonias velimus instaurare, velum quod Christus morte sua rupit, reficiemus, atque adeò Euangelij lumen obscurabimus. Ita videmus hanc ceremoniarum multitudinem quæ in Missa visitur, formam Iudaismi esse, religioni Christianæ omnino contrariam. Eo quidem animo non sum, vt velim omnes ceremonias improbare, quæ honestati & ordini publico inserviunt, quibus maior reuerentia sacramento exhibetur: modò aptè conueniant, & sint sobria. Verùm immensus ille labyrinthus nullo modo tolerari potest: cum infinitas superstitiones genuerit, & populum sine vlla adificatione quasi stupidum reddiderit.

Hinc perspicui potest, in quo differre oporteat, à Papis, eos quibus Deus Veritatis suæ intelligentiam patefecit. Primum, sacrilegium abominabile esse non dubitabunt, Missam pro sacrificio habere, quo remissio peccatorum acquiratur: aut sacerdotem veluti mediatorem reputare, qui passionis Christi meritum applicet ijs qui missas redemerint, aut illis adstiterint, aut denique animi religione ipsas coluerint. Quin potius constitutum habebunt, mortem & passionem Domini, sacrificium vnicum esse, quo iræ Dei satisfactum est, & perpetua nobis iustitia acquisita. Adhæc, Dominum Iesum in Ianuarium cæleste ingressum esse: vt pro nobis illi se sistat, & virtute sacrificij sui intercedat. Caterum, eius mortis fructum nobis in cœna communicari facile concedent, non ex operis merito, sed ob promissiones nobis in ea factas: modò ipsas fide amplectamur. Deinde nullo modo concedere debent panem in corpus Christi, aut vinum in sanguinem, quod aiunt, transsubstantiari: sed in eo persistere debent, signa visibilia veram substantiam suam retinere, vt veritatem spiritualem, de qua loquati sumus, nobis representent. Tertio, quamuis apud se certò persuasi esse debeant, Dominum re ipsa exhibere, quod figurat: atque ita verè corpus & sanguinem Christi illic à nobis recipi: non tamen quasi sub pane inclusum quærent, aut signo visibili localiter, vt aiunt, affixum: tantum aberit vt sacramentum adorent: sed mentem & animum erigent in cælum, vt ibi Christum & recipiant & adorent. Hinc eueniet vt aspernemur & dñent ceu idololatriã, omnes illos superstitiosos ritus, tum efferendi in pompa & supplicationibus sacramentũ, tum extruendi tabernacula illa quibus adorandus proponitur. Nam promissiones Domini non longius patent, quàm ad  
vsu

usum quem nobis mādauit. Præterea, iudicabunt violari & corrumpi Domini institutum, cum populus altera sacramenti parte priuatur: necessariumque esse, quò rite obseruetur, vramque integrè distribu. Denique, tot ceremonijs vii, ex Iudaismo accersitis, præter simplicitatem in qua ab Apostolis instructi sumus, non superuacuum modò, verùm etiam periculosum esse existimabant, nec Christianam religionem decere. Item improbioris etiamnam peruersitatis esse censebunt, cœnam gesticationibus & motibus histrionicis ita celebrare, vt nulla omnino doctrina illic audiatur, sed potius sepeliatur: ac si species quedam esset artis magicæ.

Vt tandem aliquando finiamus, ad postremum ex præcipuis capitibus veniendum est. Ad contentionem videlicet illam, quæ nostris temporibus in hac materia agitata est. Quam ego, quoniam infauista fuit, & à Diabolo haud dubiè suscitata, ad impediendum vel potius abrumpendum Euangelij usum, obliuione sempiternæ deletam cuperem: tantùm abest vt in ea recitanda oblecter. Quia tamen permultas fias conscientias video, quæ quò se veritã nesciunt: breuiter dicam quod mihi necessarium videbitur, vt ostendam quomodo se explicare debeant.

Primum, fideles omnes per nomen Dei rogo atque obtestor, ne ad eò offendã ur, quòd hæc controuersia mota sit inter eos qui in restituenda Euangelij doctrina, & quasi postliminio reducenda di. ces fuerunt primarij. Neque enim nouum est, Dominum sinere seruos suos aliquid ignorare: & pati ipsos in e se contendere: non vt eos perpetuò errare sinat, sed ad tempus: quò humiliores reddat. Et certè si hæcenus prosperè cessissent, & ad voluntatem nostram fluxissent omnia, homines forsam oblitii essent sui: aut gratia Dei, minus quàm par erat, cognita fuisset. Itaque Dominus omnem gloriandi materiam hominibus adimere voluit: vt soli ipsi gloria tribuatur. Præterea si consideremus quàm opaca tenebrarum caligine obfusus erat orbis, cum ij qui hanc controuersiam mouerunt, cœperunt nos ad veritatis lumen reducere: minime profecio mirabimur quòd non omnia ipsis ab initio cognita fuerunt. Insigne potius Dei miraculum est, quòd tam exiguo temporis spatio ita fuerunt illuminati, vt ex illa errorum colluue, quibus tãdiu immersi fueramus, emergere ipsi, atque alios educere potuerint. Verùm nihil melius, quàm rem ipsam vt gesta est recitare. Inde enim apparebit, non esse tantam in hac parte offensionis causam quanta vulgò existimatur. Cum Lutherus do ere cœpit, sic materiam cœnæ tractabat, vt, quòd ad corporalem Christi præsentiam attinet, talem ipsam relinquere videretur, qualem tunc omnes concipiebant.

Nam transsubstantiationem damnans, panem corpus Christi esse dicebat, quòd vna cum ipso coniunctum esset. Adiungebat præterea similitudines duras quidem illas & rudes. Sed eis vt cogebatur, quòd aliter mentem suam explicare non poterat. Difficile enim est, rem tam arduam exponere: quin impropria quædam sub inde accersantur. De hinc suborti sunt Zuinglius & Oe. olampadius: qui cum imposturam & deceptionem à Diabolo inuectam considerarent, in stabilienda præsentia illa carnali: quæ ab annis sex centis tradita, & pro certa habita fuerat: re tanti momenti dissimulare nefas esse existimarunt. Maxime cum huic errori execrabilis idolo. atria annexa esset, quòd Christus quasi sub pane inclusus adhreret. Quia verò difficillimum erat, hanc opinionem quæ diu iam & altius radices egerat in animis hominum, reuelli, omni ingenij vim ad eam impugnandam applicarunt: admonentes crassissimi & absurdissimi erroribus esse, non agnosce-

re ea quæ de ascensione Christi tota scriptura testificatur. Ipsum in cælo in hominis natura receptum esse: ibique mansurum, quoad descendat ad iudicandum orbem. Sed huic proposito nimium intenti: quam præsentiam Christi in cœna credere debeamus, qualis illic cõmunicatio corporis & sanguinis ipsius recipiatur, dicere omittebant. Ad eò ut Lutherus eos nihil præter signa nuda, & spiritualis substantiæ vacua relinquere velle, existimaret. Ideo cœpit palàm obfistere: ita ut pro hæreticis habendos denuntiaret. Ex quo semel efferbuit cõtentio, sic tēporis progressu adauctæ & inflammata est, ut acerbius æquo exagitata sit per annos plus minus quindecim, quibus interim neutri alteros æquo animo & placido audire sustinebāt. Nam etsi semel contulerunt inter se: tanta tamen animorum alienatio erat, ut re infecta discesserint. Cùm etiam ad concordiam aliquam accedere debuissent, magis ac magis regressi sunt: nihil aliud speiãntes quàm ut opinionem suam tuerentur, & contrariam refutarent. Habemus itaque qua in re impegerit Lutherus, in qua etiam Oecolampadius & Zuinglius. Lutheri partes erant, ab initio admonere, nõ esse propositi sui, præsentiam localem talem statuere, qualem Papistæ somniant. Item, testari se non hoc quærere, ut sacramentum, Dei loco adoraretur. Tertio, abstinere à similitudinibus illis rudibus & perceptu difficillimis: aut moderatè eis uti, atque ita interpretari ut nullam offensionem parere possent. Denique, ex quo mota est contentio, ipse modum excessit: tum in declaranda opinione sua, tum in alijs nimia verborum acerbitate vituperandis. Cùm enim ita se debuisset explicare ut sententia eius recipi posset: pro solita vehementia sua, ut contraria asserentes impugnaret, hyperbolicis loquendi formis utebatur: quas haud facile erat rolerari ab ijs, quorum alioqui animi ad fidem ipsi adhibendam malè dispositi erant. Alij etiam offenderunt in eo, quòd ita tenaciter inhaeserunt in oppugnanda superstitiosa illa & phanatica opinione Papistarum, de præsentia locali & adoratione quæ inde sequebatur, ut ad vitium diruendum conatus suos potius conuerterint, quàm ad id quod cognitu utile erat, stabiliendum. Nam etsi veritatem non negarunt: eam tamen non ita aperte ut decebat, docuerunt. Hoc intelligo: dum nimis studiose ac diligenter in hoc toti incumbabant, ut assererent panem & vinum corpus & sanguinem Christi vocari, quod ipsorum signa sunt: non cogitarunt sibi hoc interea simul agendum, ut adingerent ita signa esse, ut nihilominus veritas cum eis coniuncta sit. Nec testati sunt se, non eò tendere ut veram communionem obscurarent, quam nobis hoc sacramento Dominus in corpore & sanguine suo exhibet.

Ut trique profectio in culpa fuerunt, dum sese mutuo audire non sustinuerunt: ut posita omni affectione, veritatem, vnde cum que patefieret, sequerentur. Verùm non ideo, quod nostri erga ipsos officij est, præcèrrere debemus. Ne scilicet oblitiscamur gratiarum & beneficiorum quæ Deus in eos contulit, & nobis per ipsorum manum distribuit. Nisi enim ingrati sumus, & immemores eorum quæ ipsis debemus: facile, ab omni vituperio & maiedictio abstinētes, ista & multò maiora cõdonabimus. Denique, cùm videamus ipsos & vitæ sanctimonia & doctrina excellenti præstitisse, atque etiam præstare qui hodie sunt superstites: non aliter debemus de ipsis, quàm cum summa modestia & reuerentia, & loqui & sentire. Maxime cum Deo nostro ita placuerit, posteaquam ipsos hoc modo ad humilitatem erudit, huic infœlici disceptationi finem imponere, aut saltem interim eam pacare

care, interim dum omnino finiatur. Hoc dictum volui, quoniam nulla adhuc publicata est formula, ubi concordia illa constituta sit: quod valde necessarium esset. Verum hoc fiet cum Deus volet in unum eos convenire omnes à quibus hæc sunt componenda. Interim hoc nobis sufficere debet, fraternam amicitiam & conjunctionem inter Ecclesias esse: quatenus Christianæ communionis interest. Vno igitur ore fatemur omnes, nos cum iuxta Domini institutum fide Sacramentum recipimus, substantiæ corporis & sanguinis Christi verè fieri participes. Quomodo id fiat, alij alijs melius definire & clarius explicare possunt. Ceterum, hoc imprimis tenendum, ut carnalis omnis imaginatio excludatur, animum oppor-  
 terè sursum in cælos erigere, ne existimemus Dominum nostrum Iesum Christum eo delectum esse, ut in elementis corruptilibus concludatur. Rursum, ne vis sacro sancti huius mysterij imminuatur, cogitare debemus id fieri occulta & mirabili Dei virtute: Spiritumque ipsius, vinculum esse huius participationis: quæ etiam, ob eam causam, spiritu-  
 alis appellatur.

F I N I S.


EPINICION, CHRISTO CANTATUM  
 ab Ioanne Caluino, Calendis Ianuarii,  
 anno 1541.

IO. CALVINVS LECTORI.



Vni nuper ex nundinis Lugdunensibus reuerſi noſtri mercatores edic-  
 tum attuliſent Monachi cuiuſdam Inquiſitoris, Toloſana curia decre-  
 to confirmatum: in quo phreneticus ille, pro ſolenni ſuorum more, pios  
 omnes libros damuabat: miratus ſum, cum verſus quoque meos (ſic e-  
 nim nominabat) recenſeri in eo catalogo vidi. Luſeram, animi gratia, ante annos  
 quatuor, cum eſſem Vormatia, breue carmen: quod cum paucis amicis legendum fa-  
 miliariter dediſſem: tria omnino, quod ſciam, aut ad ſummum, quatuor exemplaria  
 exſcripta tunc fuerant: quæ poſtea, quantum ex edicto coniecio, latius manarunt.  
 Nam alioqui ſepultum putaſſem: quòd inter meas chartas neglectum iacebat: vt  
 affirmare auſim, non eſſe in hac vrbe duos, qui antea legerint, me conſcio. Nec  
 cerè aliud habebam conſilij, niſi vt ſupprimeretur penitus. Sed quia furioſus hic  
 Monachus, & nihilo ſenior curia Toloſana, dum eius lectionem interdicere vo-  
 lunt, faciunt vt vulgo innotefcat, me aliquid ſcripſiſſe carmen, de quo, quodnam  
 & quale ſit, alij atque alij ſubinde à me quaerant: edere ſtatim malui, quòd & bonos  
 viros quaerendi moleſtia, & me, reſpondendi, ſubleuarem. Simul ſtolidum hunc  
 Monachum, eiùſque ſimiles commoneſcere volui, quid, ita aduerſum nos inſa-  
 niendo, proficiant. Nempe hoc conſequentur ſua inopportunitate, vt iſtis inuitis ac  
 crepantibus, in lucem veniant multa, quæ alioqui forſan laterent.

EPINICION.



Hæc nouum exoriens Ianus pater inchoat annum:  
 Quem mos eſt, fauſtus excipere omnibus.  
 Hæc eſt illa dies, veteri de more, priorem  
 Romani faciem quæ nouat imperij.  
 Quæque noui emergant fiſces, ſellaque curules  
 Conſpicuum & gemino conſule ſulget ebur.  
 Surgat vt auſpicys nobis faelicibus annus,  
 Solenni ornanda eſt iſta fauore dies.  
 Chriſtum ergo Regem plebs religioſa ſalutet:  
 Atque illum dignus prædicet e.ogys.  
 Ille quidem ſine fine regit, regnâtque, nec annis  
 Finit. un tenet, aut menſibus, imperium.  
 Aeternum huic decus eſt, æterna potentia regni:  
 Quam nullus variat, diminuit ve dies.  
 Cum tamen hic annos, menſeſque, dièſque gubernet:

Temporis & Varias ordinēt vsque Vices:  
 Fas est illius nascentem à laudibus annum  
 Incipere, vt cursu perpete prosper eat.  
 Quid? quod mirifica sic nunc Virtute refulget,  
 Vt qui clara recens munia consul obit.  
 Insignem & solito sese magis exerit, vt qui,  
 Magnanimus domito victor ab hoste redit.  
 Sic est: vicirici quatiens sceptrā aurea dextra.  
 Hostibus horreni signa dat exitū.  
 Spēque iubet certā nos exultare salutis,  
 Iamque triumphalem monstrat adesse diem.  
 Ergo pia rumpant ingrata silentia linguæ:  
 Nec tantā cessent cardine læicia.  
 Ludibrio ista quidem fiducia, cantus inanis  
 Hostibus, vt niuei carmen oloris, erit.  
 Forsitan & dicent: quanam hæc amentia? Christus  
 Nondum confert à victor eritne manu?  
 Rettulit intactā quisquam de gente triumphum?  
 Ante aciem fuscā laurea sumpta cui est?  
 Ergo semi-neces carmen feralē sepulchri  
 Accensum credent nos canere ante rogam.  
 Est aliquid, fateor, quod saluo robore regni  
 Impietas altā fide superba manet.  
 Integer ille manet mentito inflatus honore  
 Qui tribuit summi ius sibi Pontificis.  
 Quin magnos nutu regit, inflectitque monarchas  
 Erigit, & sternit, terre: & exhilarat.  
 Ad digiti signo sp.iciosum concutit orbem:  
 Nec minus est hodie, quā fuit antè, ferox.  
 Nec minus aut miserum Christi dispergit ouile,  
 Mendaci aut tetrum virus ab ore vomit.  
 Nec minus in Sanctos furit, insontique cruentas  
 Sanguine nunc passim tingit, vt antiè, manus.  
 Sed quia mors, vita est: & crux, victoria Christi:  
 Nil diræ impediēt gaudia nostra minæ.  
 Ille sui similis manet, æternūque manebit,  
 Vincere, non vinci, qui patiēdo, solet.  
 Cum premitur, patiturque, ac desperatus habetur:  
 Inde sibi atque suis pulchra trophæa parat.  
 Nunc stolide effertur terrena superbia: sed mox  
 Præcep̄ ipsa suo pulsa furore ruet.  
 Sanctus at ille cruor, diuini assertor honoris,  
 Gignendam ad sobolem feminis instar erit.  
 Vox gladius Christo est, & lancea spiritus oris,  
 Hostem igitur subita sternere voce potest.

Hunc gladium, huc, illuc, iam quintum denique lustrum  
 Vibrat, a gens valida, non sine cæde, manu.  
 Elusit Sathanas quos antehac pertulit iclus  
 Sacrilegæ princeps & Papa militia.  
 Nunc magis experti quò pungat acumine, tandem  
 Saucius insolito vulnere vterque gemit.  
 Hinc est, quòd stupidusque Papa, attonitusque satelles  
 Pendet, & exanimis turba profana pauet.  
 Hinc est, quòd strepitu implentur varioque tumultu,  
 Infandi & trepidant perfida castra ducis.  
 Sæpius & varijs alternant motibus: vt qui  
 Iam fracta tentat prelia summa manu.  
 Composita interea nobis fiducia mentis,  
 Et placido constat pectore firma quies.  
 Quis Christum hic neget ad perdendos funditus hostes  
 Exerere inuicta flammea tela manu?  
 Quis neget hoc victoris opus memorabile? quisve  
 Inuideat tanto laurea ferta duci?  
 Certatum est acie: partem sibi miles honoris  
 Vendicat, ac solidum non sinit esse ducis.  
 Quid si igitur victi laudem sibi Christus vt hostis  
 Afferat, absque hominum vincere Marte velit?  
 Vincere vi magnum est hostem, quid sternere nutu?  
 Pellere laus, quantum, stando, fugare decus?  
 Ecce quiescendo sternit, funditque silendo,  
 Quos rabidi: similes constitit esse feris.  
 Nonne hi sunt, passim quos norunt nuper amaro  
 De pulmone graues euomuisse nimis?  
 Cur concepta intus rabies inclusam moratur?  
 An quod opes atrox non habet ira pares?  
 Presidio quo non instructos cernimus? arte  
 Nequitia, gladijs, improbitate, dolis  
 Nos modica, imbellis, nuda, exarmataque turba,  
 Horribiles veluti grex ouium ante lupos.  
 An non mirifica est regis victoria Christi?  
 Nostra quòd intrepida corda vigore fouet.  
 Ergo triumphali redimitus tempora lauro  
 Quædri-iugi emineat conspicuus solio.  
 Edomiti currum, positòque furore, sequantur  
 Qui cum sacro eius numine bella gerunt.  
 Eccius hesternò ruber atque inflatus iaccho  
 Præbeat huc durus terga subacta flagris.  
 Huc caput indomitum subdat, verum antè recepta,  
 Qua semper caruit, fronte Cochlaus iners.  
 Nausea verbosis generans fastidia libris



Occluso tacit us iam ferat ore iugum.  
 Quique diu latuit sub nomine Bubo pelargi,  
 Sauro etiam rostro dura lupata premat.  
 Non quia præcipui: sed quòd certamine in isto  
 Signiferos statuit flagitiosa cohors,  
 Ergo sub triplici bellant quicumque tiara,  
 Totaque se huc sistant cum duce castra suo.  
 Astuta vulpes, tinctique cruore leones,  
 Et latratorum turba proterua canum.  
 Ordine quisque suo, magni atque ignobile vulgus,  
 In solito discant subdere colla iugo.  
 At vos de meliore nota sanctique poetæ  
 Musa quibus suaves fundit amœna modos.  
 Magnifico celebrem Christi cantate triumphum  
 Carmine. Io pæan cætera turba canit.

Quod natura negat, studij pius efficit ardor  
 Ut coner laudes Christe sonare tuas.

F I N I S.

CATECHISMVS ECCLESIAE GENE-  
uenfis, hoc est, Formula erudiendi pueros in doctrina Christi.

IOANNE CALVINO AVTHORE.

IOANNES CALVINVS, FIDELIBVS

Christi ministris, qui per Frisiam Orientalem, puram Euangelij do-  
ctrinam annuntiant.



Uum huc modis omnibus eniti nos conueniat, ut inter nos reluceat illa, quæ tantopere à Paulo commendatur, fidei vnitas, ad hunc certè finem potissimum solennis fidei professio, quæ Baptismo communi annexa est debebat referri. Proinde hic non perpetuum modo inter omnes consensum in pietatis doctrina constare: sed vnã quoque Ecclesijs omnibus esse Catechismi formã optandum esset. Verum, quia multas ob causas vix vnquam id poterit obtineri, quoniam suam quæque Ecclesiã propriam habeat, non est vehementius pugnandum: modò tamen ea sit in docendi modo varietas, quæ ad vnum Christum dirigatur omnes, cuius veritate inter nos copulati, sic in vnum corpus coalescamus vnũque spiritum, ut eodem simul ore, quæcunque ad fidei summam spectant, prædicemus. Ad hunc scopum qui non intendunt Catechistæ, præterquam quòd fidei materiam in religione serendo, capitaliter nocent Ecclesiæ, impiam quoque baptismi profanationem inducunt. Quæ enim amplius baptismi vtilitas, nisi maneat hoc fundamentum, ut consentiamus omnes in vnã fidem? Quò diligentius cauere debent, qui Catechismos edunt in publicum, ne quid temere proferendo, non in præsens modò sed etiam ad posteros, tum grauem pietati noxam, tum exitiale Ecclesiæ vulnus infligant. Hoc ideo præfari volui, ut id me quoque, sicuti par erat, non postremo loco spectasse, testatum esset lectoribus, ne quid in isto meo Catechismo traderem, nisi receptæ inter omnes pios doctrinæ consentaneum. Atque id ipsum, quod profiteor, non vanum esse comperient, qui candorem in legendo sanumque iudicium adhibuerint. Certè me consecutum esse confido, ut labor meus bonis omnibus, si non satisfaciatur, gratus tamen sit, ut qui vtilis ab ipsis censeatur. Quòd autem latinum feci, in eo si forte quibusdam non probabitur meum consilium eius tamen multæ rationes mihi constant, quas nunc referre omnes, nihil attinet: tantum eligam, quæ ad vitandam reprehensionem sufficere videantur. Primum in hoc tam confuso dissipatòque Christiani nominis statu, vtile esse iudico, extare publica testimonia, quibus Ecclesiæ, quæ longis alioqui locorum spacijs dissitæ, consentientem habent in Christo doctrinam, se mutuo agnoscant. Præterquam enim quòd ad mutuam confirmationem non parum istud valet: quid magis expetendum, quàm ut sibi vltro citroque gratulantes, pios votis aliæ alias Domino commendent? solebant olim in hunc finem Episcopi, cum adhuc staret inter omnes vigeretque fidei consensus, synodales epistolæ trans mare mittere: quibus, tanquam tesseris, sacram inter Ecclesias communionem sancirent. Quanto nunc, in hac tam hor-

horrenda Christiani orbis vastitate, magis necesse est, paucas Ecclesias, quæ Deū vite inuocant, & eas quidem dispersas, & undique circumseptas profanis Antichristi synagogis, hoc sanctæ coniunctionis symbolum dare vicissim & accipere, unde ad illum, quem dixi, complexum incitentur? Quòd si hoc adeò est hodie necessarium: quid de posteritate sentiemus? De qua ego sic sum anxius, vt tamen vix cogitare audeam. Nisi enim mirabiliter Deus è cælo succurrerit, videre mihi videor extremā barbariæ impendere orbi. Atque vtinam non paulò post sentiāt filij nostri, fuisse hoc verum potius vaticinium, quàm coniecturam. Quo magis elaborandum nobis est, vt qualescunque Ecclesie reliquias, quæ post mortem nostram restabunt, vel etiam emergent, scriptis nostris colligamus. Et alia quidem scriptorum genera, quis noster omnium fuerit in religione sensus, ostendent: sed illustriore documento, quam inter se habuerint. Ecclesia nostræ doctrinæ concordiam, perspicere nō poterit, quàm ex catechismis. Illic enim non modò quid semel docuerit vnus homo, aut alter, apparebit: sed quibus à pueritia rudimentis imbuti perpetuò fuerint apud nos docti simul atque indocti: vt haberent hoc omnes fideles, quasi solenne Christianæ communionis symbolum. Atque hæc sanè præcipua mihi fuit edendi huius catechismi ratio. Valuit tamen non parum quoque altera, quod eum à plurimis desiderari audiebam, quia lectu non indignum fore sperarent. Iudiciorum id an errore, pronuntiare non est meum, sed eorum tamen voto morem gerere æquum fuit. Quinetiam iniecta mihi propemodum necessitas erat, ne liceret impune detrectare. Nam cum ante annos septem edita à me esset breuis religionis summa sub Catechismi nomine: verebar nisi, hoc in medium prolato, anteuertere, ne illa, quod nolebam, rursus excideretur. Bono igitur publico si vellem consultum, curare me oportuit, vt hic, quem ego præferrebam, locum occuparet. Præterea ad exemplum pertinere arbitror, re ipsa testatum fieri mundo, nos qui Ecclesie restitutionem molimur, vbique in hanc partem fideliter incumbere, vt saltem catechismi usus qui aliquot antehac seculis sub Papatu aboli: us fuit, nunc quasi postliminio redeat. Nam neque satis pro sua utilitate commendari potest sanctum hoc institutum: nec papistis satis exprobari tam flagitiosa corruptela, quod illud in pueriles vertendo ineptias, non modò sustulerunt è medio, sed eo quoque ad impuræ & impiæ superstitionis prætextum turpiter sunt abusi. Adulterinam enim illam confirmationem, quam in eius locum subrogarunt, instar meretricis in gno ceremoniarum splendore, multisque pomparum fucis sine modo ornant: quinetiam dum ornare volunt, execrandis blasphemis adornant, dum sacramentum esse iactant baptismo dignius: vocantque semichristianos, quicumque fœtido suo oleo non fuerint infecti: interim verò tota eorum actio nihil quàm histrionicas gestulationes continet: vel potius lasciuos simiarum lusibus, absque vlla emulatonis arte.

Vos autem fratres mihi in Domino chariss. quibus ipsam nuncuparem, ideo elegi, quia præterquã quod me amari à vobis, & plerosque etiam vestrum scriptis meis delectari nonnulli ex vestro cætu mihi indicauerant, id quoque nominatim postularant à me per literas, vt hunc laborem sua gratia fusciperem. Alioquin vna illa satis iusta futura erat ratio, quod pridem ex piorum & grauium virorum relatu ea de vobis intellexi, quæ animum vobis meum penitus obstringerent. Nunc verò, quod vos sponte facturos confido, peto tamen à vobis vt hoc beneuolentiæ erga vos meæ testimonium boni velitis consulere. Valete. Dominus vos

sapientia, prudentia, zeli, & fortitudinis spiritu in dies magis ac magis an-  
geat in Ecclesia sua edificationem. Geneua. I I I I. Calendas Decem-  
bris. M D X L V.

## DE FIDE.



MINISTER.

*Vis humana vitæ præcipuus est finis?*

PVER.

*Vt Deum, à quo conditi sunt homines ipsi nouerint.*

M.

*Quid causæ habes, cur hoc dicas?*

P.

*Quoniam nos ideo creauit, & collocauit in hoc mundo, quò glorificetur in nobis. Et sanè vitam nostram, cuius ipse est initium, æquum est in eius gloriam referri.*

M.

*Quod verò est summum bonum hominis?*

P.

*Illud ipsum.*

M.

*Quamobrem id tibi summum bonum habetur?*

P.

*Quia eo sublato, infelicior est nostra conditio, quàm quorum vis brutorum.*

M.

*Ergo, vel inde satis perspicimus, nihil posse homini infelicius contingere, quàm Deo non viuere.*

P.

*Sic res habet.*

M.

*Porrò, quænam vera est ac recta Dei cognitio.*

P.

*Vbi ita cognoscitur, vt suus illi ac debitus exhibeatur honor.*

M.

*Quænam verò eius ritè honorandi est ratio?*

P.

*Si in eo sita sit tota nostra fiducia: si illum tota vita colere, voluntati eius obsequendo, studeamus: si eum, quoties aliqua nos vrget necessitas: inuocemus, salutem in eo querentes, & quicquid expeti potest bonorum: si postremo tum corde, tum ore illum bonorum omnium solum authorem agnoscamus.*

M.

*Verùm, vt hæc discutiantur ordine, & fusius explicentur: Quod in hac tua partitione primum est caput?*

P.

*Vt totam in Deo fiduciam nostram colloceamus.*

M.

Qua-

Qualiter autem id fiet?

P

Vbi omnipotentem nouerimus, & perfectè bonum.

M

Satisne hoc est?

P

Nequaquam.

M

Quamobrem?

P

Quia indigni sumus, quibus adinuandis potentiam exerat, & in quorum salutem, quàm bonus sit, ostendat.

M

Quid ergo præterea opus est?

P

Nempe vt cum animo suo quisque nostrum statuatur, ab ipso se diligi, eumque sibi & Patrem esse velle, & salutis authorem.

M

Vnde autem nobis id constabit?

P

Ex verbo ipsius scilicet, vbi suam nobis misericordiam in Christo exponit, & de amore erga nos suo testatur.

M

Fiduciam ergo in Deo collocandam fundamentum ac principium est, eum in Christo nouisse.

P

Omnino.

M

Nunc, quamnam sit huius cognitionis summa, paucis audire abs te velim.

P

In fidei confessione, vel potius in formula confessionis, quam inter se communem habent Christiani omnes, continetur. Eam vulgò Symbolum Apostolorum vocant, quòd ab initio Ecclesiæ recepta semper fuerit inter omnes pios: & quòd vel ab ore Apostolorum excepta fuerit, vel ex eorum scriptis fideliter collecta.

M

Recita.

P

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ: & in Iesum Christum Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est à Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit ex mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus ad iudicandum viuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam, Amen.

M

Vt penitus intelligatur singula: in quot partes hæc confessionem diuidemus?

P

In quatuor precipuas.

M

Eas mihi recense.

P

Prima ad Deum Patrem spectabit: Secunda erit de Filio eius Iesu Christo, quæ etiam totam redemptionis humanæ summam complectitur. Tertia erit de Spiritu sancto. Quarta de Ecclesia, & diuinis in ipsam beneficijs.

M

Cum non nisi vnus sit Deus: cur hic mihi tres commemoras, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum?

P

Quoniam in vna Dei essentia Patrem intueri nos conuenit, tanquam principium & originem, primamve rerum omnium causam: deinde Filium, qui sit æterna eius Sapiencia: postremò Spiritum Sanctum, tanquam eius virtutem per omnia quidem diffusam, quæ tamen perpetuo in ipso resideat.

M

Inde significas, nihil esse absurdi, si in vna diuinitate distinctas, constituamus has tres personas, Dicumque propterea non diuidi.

P

Ita est.

M

Recita iam primam partem.

P

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.

M

Cur Patrem nominas?

P

Christi primum quidem intuitu: qui & Sapiencia eius est, ab ipso genita ante omne tempus, & missus in hunc mundum, declaratus fuit eius Filius. Hinc tamen colligimus, cum Deus Iesu Christi sit Pater, nobis quoque esse Patrem.

M

Quo sensu nomen illi Omnipotentis tribuis?

P

Non hoc modo potentiam ipsum habere, quam non exerceat: sed omnia ipsum habere sub potestate & manu: prouidentia sua gubernare mundum, arbitrio suo omnia constituere: omnibus creaturis, prout visum est, imperare.

M

Itaque non otiosam Dei potentiam fingis: sed talem esse reputas, quæ manuum operi semper admotam habeat: sicut nihil, nisi per ipsum, eiusque decreto, fiat.

P

Sic est.

M

Quorsum addis Creatorem cæli & terræ?

P

Quoniam per opera se nobis patefecit: in illis quoque nobis querendus est. Neque enim essentia eius capax est mens nostra. Est igitur mundus ipse veluti speculum quoddam, in quo eum possumus inspicere: quatenus eum cognoscere nostra refert.

M. Per

M

Per cœlum & terrā an non quicquid præterea creaturarū extat, intelligis?

P

Imo verò: scd his duobus nominibus continentur omnes, quòd aut cœlestes sint omnes, aut terrena.

M

Cur autem Deum Creatorem duntaxat nuncupas: cùm tueri conseruarique in suo statu creaturas multò sit præstantius, quàm semel condidisse?

P

Neque verò hac particula indicatur tantùm, sic opera sua Deum semel creasse, vt illorum postea curam abiecerit. Quin potius sic habendum est, mundum, vt semel ab eo fuit conditus, ita nunc ab eo conseruari: nec aliter & terram, & alia omnia stare, nisi quatenus eius virtute, & quasi manu sustententur. Præterea, cùm sic omnia sub manu habeat, inde etiam conficitur, summum esse moderatorem omnium ac Dominum. Itaque, ex quo Creator est cœli ac terræ, intelligere conuenit, eum esse vnum, qui sapientia, bonitate, patientia, totum naturæ cursum atque ordinem regat: qui pluuia simul ac siccitatis, grandinum, aliarumque tempestatum, ac serenitatis sit author: qui benignitate sua terram fœcundet, eamque rursus, manum suam reducendo, sterilem reddat: à quo sanitas simul ac morbi proueniant: cuius denique imperio subiaceant omnia, & nutui obsequantur.

M

De impijs autem & Diabolis quid sentiemus? an eos quoque dicemus illi subesse?

P

Quantquam Spiritu eos suo non gubernat, sua tamen potestate, tanquam freno eos coercet, vt ne mouere quidē se queāt, nisi quoad illis permittit. Quinetiam voluntatis suæ facit ministros, vt inuiti ac præter suum consilium, exequi, quod illi visum fuerit, cogantur.

M.

Quid ad te ex eius rei cognitione vtilitatis redit?

P.

Plurimum. Malè enim ageretur noli scum, si Diabolis & impijs hominibus præter Dei voluntatem quicquam liceret: adeoque tranquillis animis nunquam essemus, nos eorum libidini expositos esse cogitantes. Verùm, tunc demum iudicium conqueſcimus, vbi frenari eos Dei arbitrio, & tanquam in arcto cõtineri scimus, ne quid, nisi eius permissu, possint: quum præsertim Deus ipse nobis se tutorem fore, salutisque præsidem receperit.

M.

Nunc ad secundam partem veniamus.

P.

Ea est: credere nos in Iesum Christum Filium eius vnicū, Dominū nostrū.

M.

Quid præcipuè complectitur?

P.

Filium Dei nobis esse seruatorem: simulque modum explicat, quo nos à morte redemerit, vitamque acquiserit.

M.

Quid sibi vult nomen Iesu, quo cum appellas?

P.

P

Quod Græcis significat nomen <sup>σωτήρας</sup>, Latini proprium nomen non habet, quo bene vis eius exprimat. Itaque, Saluatoris vocabulum vulgò receptū fuit. Porro Filio Dei hanc appellationem indidit Angelus, ipsius Dei iussu.

M

Estne hoc pluris, quàm si homines illi indidissent?

P

Omnino . Nam quum sic nuncupari velit Deus, talem quoque esse profusus necesse est.

M

Quiddeinde valet nomen Christi?

P

Hoc epitheto melius etiamnum exprimitur eius officium. Significat enim unctum esse à Patre in Regem, Sacerdotem, ac Prophetam.

M

Qui scis istud?

P

Quoniam ad hos tres usus Scriptura unctionem accommodat . Deinde, hæc tria, quæ diximus, sæpè Christo tribuit.

M

Sed quo olei genere unctus fuit?

P

Non visibili: quale in consecrandis antiquis Regibus, Sacerdotibus & Prophetis fuit adhibitum sed præstantiori: hoc est Spiritus sancti gratia, quæ veritas est externæ illius unctionis.

M

Quale verò hoc eius Regnum est, quod commemoras?

P

Spirituale, quod verbo & spiritu Dei continetur: quæ iustitiam & virtutem secum ferunt.

M

Sacerdotum verò?

P

Officium est ac prærogatiua sistendi se in Dei conspectum, ad obtinendam gratiam: & sacrificij, quod illi acceptum sit, oblatione, iram eius placandi.

M

Iam quo sensu Prophetam Christum nominas?

P

Quia cum in mundum descendit, Patris se legatum apud homines, & interpretem professus est. idque in eum finem, vt Patris voluntate ad plenum exposita, finem poneret reuelationibus omnibus & prophetijs.

M

Sed percipisne inde fructum aliquem?

P

Imò non aliò spectant omnia hæc, nisi in bonum nostrum . Nam ihs donatus est Christus à Patre, vt nobiscum ea communicet, quò ex eius plenitudine hauriamus omnes.

M

Ediſſe-



Ediffere hoc mihi paulò fufius.

P

Spiritu fancto repletus, perfectaque omnium eius donorum opulentia cumulatatus fuit, quò nolis ea impertiat, cuique fcilicet pro mefura, quam nobis conuenire nouit Pater. Ita ex eo, tanquam vnico fonte haurimus quicquid habemus bonorum fpiritualium.

M

Quid nobis confert eius Regnum?

P

Nempe, quòd eius beneficio ad piè fanctèque viuendum vindicati in libertatem confcientiarum, fpiritualibùsque eius diuitijs inftituti, potentia quoque armamur, quæ ad perpetuos animarum noftrarum hoftes, peccatum, carnem, Sathanam, & mundum, vincendos fufficiat.

M

Ad quid autem Sacerdotium conducit?

P

Primum, quòd hac ratione Mediator eft nofter, qui nos Patri reconciliet: deinde, quòd per eum accessus nobis patefactus eft ad Patrem, vt in eius confpectum cum fiducia prodeamus ipfi quoque, nòsque & noftra omnia illi in facrificium offeramus. Atque ita collegas nos quodammodo fuos facit in facerdotio.

M

Reftat Prophetia.

P

Quum Filio Dei magifterij collatum fit munus in fuos: finis eft, vt vera eos Patris cognitione illuminet, erudiat eos in veritate, & domesticos Dei difcipulos efficiat.

M

Huc ergo redeunt quæ dixifti omnia, Chrifti nomen tria officia cõprehendere, quæ in Filiũ contulit Pater, vt vim eorum ac fructum in fuos transfundat.

P

Sic eft.

M

Cur Filium Dei vnicum nuncupas: cum hac quoque appellatione nos omnes dignetur Deus?

P

Quòd filij Dei fumus, non id habemus à natura, fed adoptione & gratia duntaxat: quòd fcilicet nos eo loco habeat Deus. At Dominus Iefus, qui ex fubftantia Patris eft genitus, vniũsque cum Patre effentiæ eft, optimo iure Filius Dei vnicus vocatur: cum folus fit naturã.

M

Intelligis ergo, hunc honorẽ, eius eſſe proprium, qui naturæ iure illi debeat: nobis cum autẽ gratuito beneficio communicari, quatenus fumus eius mēbra.

P

Om̃ino. Itaque eius communicationis intuitu, alibi nominatur Primogenitus inter multos fratres.

M

Quãlter Dominum eſſe noſtrum intelligis?

P

*Sicut à Patre constitutus est, ut sub imperio suo nos habeat, ut Dei Regnum administret in cælo & in terra, sitque hominum caput & Angelorum.*

M.

*Quid sibi vult quod postea sequitur?*

P.

*Modum ostendit, quo Filius vnctus est à Patre, ut nobis esset Saluator. Nempe, quod assumpta carne nostra, ijs perfunctus est omnibus, quæ ad salutem nostram erant necessaria: sicut hîc recensentur.*

M.

*Quid his duabus sententijs significas, Conceptum esse ex Spiritu sancto: Natum ex Maria Virgine?*

P.

*Formatum in utero Virginis fuisse, ex eius substantia, ut esset verum semen Davidis, qualiter varicinijs Prophetarum prædictum fuerat: id tamen mirifica arcanaque Spiritus virtute fuisse effectum, absque virili coitu.*

M.

*Erātne igitur operæpretium, ut carnem nostram indueret?*

P.

*Maximè. Quia in obedientiam ab homine admissam in Deum, necesse erat in humana quoque natura expiari. Nec verò aliter Mediator esse noster poterat, ad conciliationem Dei & hominum peragendam.*

M.

*Christum ergo oportuisse hominem fieri dicis: ut tanquam in persona nostra, salutis nostræ partes impleret.*

P.

*Ita sentio. Nam ab ipso mutuemur oportet, quicquid nobis apud nos deest: quod fieri aliter nequit.*

M.

*Verum, cur id à Spiritu sancto effectum est, ac non potius communi, v'sitataque generationis forma?*

P.

*Quoniam penitus corruptum est humanum semen, in generatione Filij Dei intercedere Spiritus sancti opus decuit: ne hac contagione attingeretur, sed esset puritate perfectissima præditus.*

M.

*Hinc ergo discimus, eum qui alios sanctificat, immunem ab omni macula esse: puritatēque, ut ita loquar, originali fuisse ab utero præditum, ut totus Deo facter esset, nulla humani generis labe inquinatus.*

P.

*Sic intelligo.*

M.

*Cur à natalibus protinus ad mortem, ommissa totius vitæ historia, trās silis?*

P.

*Quia hîc non tractantur, nisi quæ redemptionis nostræ ita sunt propria, ut eius substantiam quodammodo in se contineant.*

M.

*Cur non simpliciter vno verbo Mortuum fuisse dicis: sed Præsulis quoque nomen adiicis, sub quo sit passus?*

P. Id

P.

*Id non ad historiae fidem modo spectat, sed ut sciamus mortem eius coniunctam cum damnatione fuisse.*

M.

*Expone hoc clarius.*

P.

*Mortuus est, ut poena nobis debita defungeretur: atque hoc modo ab ea nos eximeret. Quum autem omnes nos, sicuti peccatores sumus, obnoxij essemus Dei iudicio, quò vicem nostram subiret, fisti in còspèctum terreni iudicis voluit, damnarique eius ore, ut coram cœlesti Dei tribunali absolueremur.*

M.

*Atqui in fontem Pilatus eum pronuntiat: itaque non damnat pro malefico.*

P.

*Utrumque anima luertere convenit. Ideo enim eius innocentia testimonium reddit iudex, ut testatum fiat, non ob propria ipsius maleficia plecti, sed nostra solenni tamen ritu interea damnatur eiusdem sententia, ut patiam fiat, iudicium quod merebamur, tanquam vadem nostrum subiri, quò nos à reatu liberet.*

M.

*Bene dictum. Nam si peccator esset, non idoneus vas esset, ad solvendam alieni peccati poenam. Ut tamen eius damnatio nobis in absolutionem cederet, cenferi eum inter maleficos oportuit.*

P.

*Sic intelligo.*

M.

*Quòd crucifixus fuit, an plus habet momenti, quàm si alio quolibet mortis genere affectus foret?*

P.

*Omnino: quemadmodum etiam admonet Paulus, dum in ligno suspensum scribi, ut nostram in se maledictionem susciperet, quò ab ea solueremur. Genus enim illud mortis, execratione damnatum erat.*

M.

*Quid? an non irrogatur Filio Dei contumelia, quum dicitur maledictioni fuisse subiectus, etiam coram Deo?*

P.

*Minimè. Siquidem eam recipiendo, abolevit: nec verò de sit interea esse benedictus, quò nos sua benedictione perfunderet.*

M.

*Prosequere.*

P.

*Quandoquidem mors, supplicium erat homini impositum, peccati causa, eam Filius Dei pertulit, & perferendo vicit. Atque ut melius patet fieret vera morte ipsum defungi, collocari in sepulchro, instar aliorum hominum voluit.*

M.

*Verum, nò videtur quicquam ad nos utilitatis ex hac victoria redire, quum nihilominus moriamur.*

P.

*Nihil id obstat. Neque enim aliud nunc est mors fidelibus, quàm transitus in vitam meliorem.*

M.

Hinc sequitur, non amplius exhorrendam esse mortem, ac si res esset formidabilis: sed intrepido animo sequendum esse ducem nostrum, Christum: qui sic non perijt in morte, ita perire nos non patietur.

P.

Sic agendum est.

M.

Quod de eius ad inferos descensu mox adiectum est, quem sensum habet?

P.

Eum non communem tantum mortem fuisse perpeffum, quæ est anima à corpore separatio: sed etiam dolores mortis, sicut Petrus vocat. Hoc autem nomine horribiles angustias intelligo, quibus eius anima constricta fuit.

M.

Cedo mihi huius rei causam ac modum?

P.

Quia ut pro peccatoribus satisfaceret coram Dei tribunali se sistebat, torqueri hac anxietate eius conscientiam oportebat, ac si derelictus à Deo esset: imò ac si Deum haberet infestum, In his angustijs erat, quum exclamaret ad Patrem: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

M.

Erátne igitur illi offensus Pater?

P.

Nequaquam. Sed hanc in eum severitatem exercuit, ut impleretur quod prædictum fuerat per Isaiam: Ipsum percussum fuisse manu Dei propter peccata nostra: vulneratum propter iniquitates nostras.

M.

Verum Deus quum sit, qui potuit eiusmodi pauore corripí, ac si derelictus à Deo esset?

P.

Sic habendum est: secundum humanæ naturæ affectum, eò redactum fuisse necessitatis. Quod ut fieret, paulisper intercede lite secebat eius diuinitas: hoc est, vim suam non exerebat.

M.

Quæ tamen fieri rursus potest, ut Christus qui salus est mundi, huic damnationi subiectus fuerit?

P.

Non ita illam subiit, ut sub ea maneret. Sic enim istis, quos dixi, paucioribus correptus fuit, ut non fuerit oppressus: sed potius uictus cum potestate inferorum, eam subegit ac siegit.

M.

Hinc colligimus, quid differat conscientia tormentum quod sustinuit, ab eo quo cruciantur peccatores, quos Dei irati manus persequitur. Nam quod in illo temporarium fuit, in ijs est perpetuum: & quod illi vice duntaxat aculei fuit ad eum pangendum, in ijs est lethalis gladius ad cor, ut ita dicam, sauciandum.

P.

Sic est. Neque enim eiusmodi angustijs obsessus Filius Dei, sperare in Patrem desit. At peccatores, Dei iudicio damnati, in desperationem ruunt, fremunt aduersus ipsum, & usque ad apertas blasphemias prosiliunt.

M. Hincne

M.

Hincne possumus elicere, quem ex Christi morte fructū percipiāt fideles?

P.

Omnino. Ac principio quidem, videmus esse Sacrificium, quò peccata nostra expiauit coram Deo, atque ita placata ira Dei, nos cum eo in gratiam reduxit. Deinde sanguinem eius lauacrum esse, quo animæ nostræ maculis omnibus purgentur. Postremò, deletam esse peccatorum nostrorum memoriam, ne vnquam in Dei conspectum veniam: atque ita induclum, abolitumque fuisse chirographum, quo rei teuebamur.

M.

Nililne præterea utilitatis nobis affert?

P.

Imò verò. Nam & eius beneficio, siquidem vera simus membra Christi, vetus homo noster crucifigitur: aboletur corpus peccati, ne amplius regnent prauæ carnis concupiscentiæ in nobis.

M.

Perge in reliquis.

P.

Sequitur: Tertio ipsum die resurrexisset ex mortuis: quo victorem se peccati & mortis demonstrauit. Sua enim resurrectione mortem deglutiuit, abruptit Diaboli vincula, & totam eius potentiam redegit in nihilum.

M.

Quotuplex ex hac resurrectione fructus nobis prouenit?

P.

Triplex. Nam & iustitia nobis per eam acquisita: & certum nobis est pignus futuræ nostræ immortalitatis: & iam nunc eius virtute suscitamur in vitæ nouitatem, vt purè sanctèque viuendo, Dei voluntati obsequamur.

M.

Persequamur reliqua.

P.

Ascendit in cælum.

M.

Sed an ascendit, vt non sit amplius in terra?

P.

Sic. Postquam enim omnibus perfunctus fuerat, quæ illi à Patre iniuncta fuerant, quæ que in salutem nostram erant, nihil opus erat diutius eum in terris versari.

M.

Quid ex hac ascensione boni consequimur?

P.

Duplex est fructus. Nam quatenus cælum ingressus est Christus nostro nomine sicut in terram nostra causa descenderat, aditum illuc nobis quoque patefecit: vt iam aperta sit nobis ianua, quæ propter peccatum antè clausa erat. Deinde in conspectu Dei comparet pro nobis intercessor & patronus.

M.

Verum, an Christus in cælum se recipiendo sic à nobis recessit, vt iam nobiscum esse desierit?

P.

*Minimè. Contrà enim recepit, se nobiscum fore, usque ad finem seculi.*

M.

*Quòd autem nobiscum habitat, idne de corporis præsentiâ intelligendum?*

P.

*Non. Alia enim ratio est corporis, quod in cœlum receptum est: alia virtutis, quæ ubique est diffusa.*

M.

*Quo sensu eum dicis sedere ad Patris dexteram?*

P.

*Hæc verba significant, Patrem illi cœli & terræ imperium contulisse: ut omnia gubernet.*

M.

*Quid autem tibi significat Dextera, & quid hæc Sessio?*

P.

*Similitudo est à Principibus sumpta, qui ad dexteram suam collocare solent, quibus vices suas commendant.*

M.

*Non ergo aliud intelligis, quàm quod tradit Paulus: nempe, constitutum esse Christum caput Ecclesiæ, & supra omnes principatus euectum, nomen adeptum esse, quod sit supra omne nomen.*

P.

*Ita ut dicis.*

M.

*Transeamus ad alia.*

P.

*Inde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos. Quorum verborum sensus est, palam è cœlo venturum ad iudicandum orbem: sicut ascendere visus est.*

M.

*Quum iudicij dies futurus non sit ante finem seculi, quomodo tunc ex hominibus fore aliquos superstites dicis: quandoquidem omnibus constitutum est semel mori?*

P.

*Hanc quæstionem soluit Paulus, quum eos qui tunc supererunt, subita mutatione innouatū iri tradit: ut abolita carnis corruptione, induant incorruptionē.*

M.

*Tu ergo hanc mutationem, mortis instar illis fore intelligis: quòd primæ naturæ futura sit abolitio, & alterius nouæ initium.*

P.

*Sic sentio.*

M.

*An aliquod inde gaudium recipiunt nostræ conscientiæ, quòd Christus semel futurus sit mundi iudex?*

P.

*Recipiunt, & quidem singulare. Certò enim non nisi in salutem nostram venturum scimus.*

M.

*Non ergo reformidare nos conuenit hoc iudicium, ut nobis horrorem incutiat.*

P.

*Minimè verò: quando non nisi ad eius iudicis tribunal stabimus, qui patronus quoque noster est: qui que nos in fidem clientelamque suam suscepit.*

M.

*Veniamus iam ad tertiam partem.*

P.

*Ea est de fide in Spiritum sanctum.*

M.

*Quid verò nobis confert?*

P.

*Nempe huc spectat, ut nouerimus, Deum, sicuti nos per Filium redemit & seruauit, ita per Spiritum facere nos huius redemptionis ac salutis compotes.*

M.

*Quomodo?*

P.

*Quemadmodum purgationem habemus in Christi sanguine, sic eo aspergi conscientias nostras necesse est, ut abluantur.*

M.

*Hoc clariori etiamnum expositione indiget.*

P.

*Intelligo Spiritum Dei, dum in cordibus nostris habitat, efficere ut Christi virtutem sentiamus. Nam ut Christi beneficia mente concipiamus, hoc fit Spiritus sancti illuminatione: eius persuasione fit, ut cordibus nostris obsequantur. Denique, solus ipse dat illis in nobis locum. Regenerat nos, facitque ut simus nouæ creaturæ. Proinde, quacumque nobis offeruntur in Christo dona, ea Spiritus virtute recipimus.*

M.

*Pergamus.*

P.

*Sequitur quarta pars, in qua confitemur nos credere vnã sanctam Ecclesiam Catholicam.*

M.

*Quid est Ecclesia?*

P.

*Corpus ac societas fidelium, quos Deus ad vitam æternam prædestinauit.*

M.

*Estne hoc etiam caput creditu necessarium?*

P.

*Imo verò: nisi facere velimus otiosam Christi mortem, & pro nihilo ducere quicquid hæcenus relatum est. Hic enim vnus est omnium effectus, ut sit Ecclesia.*

M.

*De causa ergo salutis fuisse hæcenus tractatum, eiusque fundamentum ostensum intelligis, quum exponeres, Christi meritis & intercessione, nos fuisse in amorem à Deo receptos: & hæc gratiam, Spiritus virtute in nobis confirmari. Nunc verò explicari horum omnium effectum, quò certior ex re ipsa fides cõstet.*

P.

*Ita res habet.*

M.

*Porrò Ecclesiam quo sensu nominas sanctam?*

P.

*Quia scilicet quoscumque elegit Deus, eos iustificat reformatque in sancti*

tatem ac vitæ innocentiam, quò in illis reluceat sua gloria. Atque id est quod vult Paulus, quum admonet, Christum, Ecclesiam quam redemit, sanctificasse, ut sit gloriosa puraque ab omni macula.

M.

Quid sibi vult epitheton Catholicæ vel vniuersalis?

P.

Eo docemur, sicut vnum est fidelium omnium caput, ita omnes in vnum corpus coalescere oportere, ut vna sit Ecclesia per totum orbem diffusa: non plures.

M.

Quid autem valet illud, quod continuo de sanctorum communione additur?

P.

Ad exprimendam clarius, quæ inter Ecclesiæ membra est, vnitatem, hoc positum est. Simul indicatur, quicquid beneficiorum largitur Deus Ecclesiæ, in commune omnium bonum spectare: quum inter se omnes communionem habeant.

M.

Verum, estne hæc quam Ecclesiæ tribuis, sanctitas, iam perfecta?

P.

Nondum: quandiu scilicet in hoc mundo militat. La'orat enim semper infirmitatibus: nec vnquam vitiorum reliquijs penitus purgabitur, donec Christo, suo capiti, à quo sanctificatur, ad plenum adhæreat.

M.

Potestne autem hæc Ecclesia aliter cognosci, quàm quum fide creditur?

P.

Est quidem & visibils Dei Ecclesia, quam nobis certis indicijs notisque descripsit: sed hic propriè de eorum cõgregatione agitur, quos arcana sua electione adoptauit in salutem. Ea autem nec cernitur perpetuò oculis, nec signis digno scitur.

M.

Quid deinde sequitur?

P.

Credo remissionem peccatorum.

M.

Quid tibi Remissionis verbum significat?

P.

Deum gratuita sua bonitate ignoscere ac condonare peccata fidelibus, ne in iudicium vocentur, aut exigatur de illis pœna.

M.

Hinc sequitur, nos satisfactionibus proprijs nequaquam promereri quam à Domino peccatorum veniam obtinemus.

P.

Verum. Vnus enim Christus pœnam soluendo, satisfactione defunctus est. Quantum ad nos, nihil nobis compensationis suppetit, quod Deo afferamus: sed ex mera eius liberalitate, gratuitum hoc beneficium recipimus.

M.

Cur peccatorum remissionem subuectis Ecclesiæ?

P.

Quia eam nemo consequitur, quin & coadunatus fuerit antè populo Dei: & vnitatem cum Christi corpore perseveranter ad finem vsque colat: eoque modo testatum faciat, verum se esse Ecclesiæ membrum.

M. Hac



M.

*Hac ratione constituis, extra Ecclesiam non nisi damnationem & exitum esse?*

P.

*Omnino. Qui enim discessionem faciunt à Christi corpore, factionibusque scindunt eius unitatem, ipsa spes omnis salutis præcisa est, quantisper manent in eiusmodi dissidio.*

M.

*Recita quod superest.*

P.

*Credo resurrectionem carnis, & vitam æternam.*

M.

*Quorsum hoc caput in fidei confessione ponitur?*

*Vt admoneamur, non esse sitam in terra nostram felicitatem. Cuius cognitionis duplex est utilitas ac usus. Inde primum docemur, ita hunc mundum nobis incolendum esse, tanquam inquilinis, ut de migratione assidue cogitemus, nec corda nostra sinamus implicari cogitationibus terrenis. Deinde, vicunque adhuc nos lateat, & ab oculis nostris absconditus sit fructus gratiæ in Christo nobis collata, ne propterea despondeamus animos, sed patienter sustineamus usque ad diem revelationis.*

M.

*Quæ porro huius resurrectionis erit series?*

P.

*Qui autem mortui fuerint, recipient sua corpora, eadem scilicet quæ gestarunt: sed prædita nova qualitate: hoc est, non amplius obnoxia morti nec corruptioni. Qui autem tunc erunt superstites, eos subita mutatione Deus mirabiliter excitabit.*

M.

*Sed eritne piorum simul & impiorum communis?*

P.

*Vna omnium erit resurrectio: sed conditio diuersa. Alij enim in salutem ac beatitudinem resurgent: alij in mortem & extremam miseriam.*

M.

*Cur ergo sola hæc vita æterna commemoratur: inferiorum nulla mentio?*

P.

*Quoniam nihil hic, nisi quod ad consolationem piarum mentium faciat, habetur: ideo recensentur tantummodo præmia, quæ seruis suis Dominus preparauit. Itaque, non additur, quæ fors impios maneat, quos scimus à regno Dei alienos esse.*

M.

*Ex quo fundamentum tenemus, cui inniti fides debet, inde elicere veræ fidei definitionem promptum erit.*

P.

*Ita est: Sic autem definire licet, ut dicamus certam esse ac stabilem cognitionem paternæ erga nos Dei benevolentia, sicut per Euangelium Patrem se nobis, Christi beneficio, ac Seruatorem fore testatur.*

M.

*Eamne concipimus à nobis, an à Deo recipimus?*

P.

Docet Scriptura, singulare esse Dei donum; & experientia id confirmat.

M.

Quam mihi experientiam dicis?

P.

Nempe, rudior est mens nostra, quam ut capere spirituales Dei sapientiam queat, quæ nobis per fidem reuelatur: & corda nostra propensiora sunt, vel ad diffidentiam, vel ad peruersam nostri & creaturarum confidentiam, quam ut in Deo, suo pte motu acquiescant. Verum, Spiritus sanctus illuminatione sua capaces nos intelligendi facit ea, quæ captum nostrum longè alioqui excederent: nosque ad certam persuasionem format, salutis promissiones cordibus nostris obsequando.

M.

Quid nobis boni oritur ex hac fide, quum semel eam assequuti sumus?

P.

Iustificat nos coram Deo: & hac iustitia hæredes nos vitæ æternæ facit.

M.

Quid? annon bonis operibus iustificantur homines, quum sanctè & innocenter viuendo, approbare se Deo student?

P.

Si quisquam usque ad eò perfectus inueniretur, meritò censeri iustus posset: verum, quum omnes simus peccatores, multis modis rei coram Deo, aliunde quærenda nobis est dignitas, quæ nos illi conciliet.

M.

Verum, itane sordent, & ad eò nullius pretij sunt omnia hominum opera, ut gratiam coram Deo promereri nequeant?

P.

Principiò, quæcumque à nobis manant, ut nostra propriè dicantur, vitiosa sunt: ac proinde nihil possunt, quam Deo displicere, & ab eo rejci.

M.

Dicis ergo, antequam renati simus, reformatique Dei spiritu, nihil posse nos quam peccare: quemadmodum arbor mala non nisi malos fructus profert.

P.

Prorsus ita est. Nam qualemcunque speciem habeant in oculis hominum: mala sunt nihilominus, quandiu cor prauum est, quod præcipuè Deus intuetur.

M.

Hinc constituis, non posse nos ullis meritis Deum præuenire, aut prouocare eius beneficentiam. Quin potius quicquid tentemus aut aggrediamur operum, iræ ac damnationi eius subiacere.

P.

Sic sentio. Itaque mera sua misericordia, nullòque operum respectu nos gratis amplectitur in Christo, acceptòque habet, illius iustitiam nobis acceptam ferendo, ac si nostra esset: peccata verò nostra nobis non imputando.

M.

Qualiter ergo dicis iustificari nos fide?

P.

Quoniam dum certa cordis fiducia amplectimur Euangelij promissiones, huius, quam dico, iustitiæ possessionem quodammodo adipiscimur.

M.

Hoc ergo vis: iustitiam, ut nobis per Euangelium offertur à Deo, ita fide à nobis recipi.

P. Sic

P.

*Sic est.*

M.

*Verum, ex quo nos semel amplexus est Deus, annon illi accepta sunt opera, quæ Spiritu sancto nos dirigente facimus?*

P.

*Placent illi: non propriæ tamen dignitatis merito, sed quatenus suo favore liberaliter ea dignatur.*

M.

*Atquæ, quum à Spiritu sancto prodeant, annon favorem promerentur?*

P.

*At nonnihil semper inquinamenti ex infirmitate carnis admixtum est, quo vitiantur.*

M.

*Vnde igitur, aut qua ratione fiet, ut Deo placeant?*

P.

*Sola est fides, quæ gratiam illis conciliat: quum huic fiduciæ certò innitimur non ventura esse ad calculum summi iuris, quòd Deus ad severitatis suæ regulam exigere ipsa nolit: sed obteclis eorum vitijs, & sordibus, Christi puritate consespultis, eo loco habeat, ac si perfectia essent & absoluta.*

M.

*Verum, an inde colligemus, operibus iustificari hominem Christianum postquam à Deo vocatus est: aut operum merito consequi, ut à Deo diligatur: cuius dilectio vita æterna nobis est?*

P.

*Nequaquam. Quin potius teneamus quod scriptum est, neminem mortalium iustificari coram Deo posse: atque ideo deprecemur, ne in iudicium nobiscum intret.*

M.

*Non tamen bona fidelium opera inutilia esse propterea iudicabimus.*

P.

*Minimè verò. Neque enim frustra mercedem illis Deus, tum in hoc mundo, tum in futura vita pollicetur. Verum ex gratuito Dei amore, tanquam ex fonte, emergit hæc merces: quia nos scilicet primum amplectitur in filios: deinde, consespulta vitiorum nostrorum memoria, quæ ex nobis prodeunt, favore prosequitur.*

M.

*Sed anne sic à bonis operibus separari hæc iustitia potest, ut qui hanc habet, illis careat?*

P.

*Fieri hoc nequit. Nam quum recipiamus fide Christum, qualem se nobis offert: ipse verò non liberationem tantum nobis à morte & reconciliationem cum Deo promittat, sed Spiritus sancti simul gratiam, qua in vitæ novitatem regeneremur: hæc coniungi necesse est, ne Christum à seipso distrahamus.*

M.

*Hinc sequitur, fidem esse radicem, ex qua nascantur omnia bona opera: tantum abest, ut ab eorum studio nos reuocet.*

P.

*Omnino sic est: ac proinde tota Evangelij doctrina duobus his membris continetur: Fide & Pœnitentia.*

M.

*Quid est Pœnitentia?*

P.

*Diffidentia odiūque peccati, & amor iustitiæ, ex Dei timore profecta, quæ nos ad abnegationem vsque nostri, carnisque mortificationem adducant, ut spiritu Dei regendos nos tradamus, ac omnes vitæ nostræ actiones ad diuinæ voluntatis obsequium comparemus.*

M.

*Hoc verò secundum membrum fuit, in diuisione quam initio posuimus, quum tu rationem ostenderes ritè colendi Dei.*

P.

*Verum: ac simul additum fuit, veram hanc ac legitimam esse regulam colendi Dei, ut eius voluntati obsequamur.*

M.

*Qui sic?*

P.

*Quoniam is demum illi probatur cultus, non quem configere nobis libuerit: sed quem suo ipse arbitrio præscripserit.*

M.

*Quam autem viuendi regulam nobis posuit?*

## De lege.

P.

**L** *Egem suam.*

M.

*Quid ea continet?*

P.

*Duabus partibus constat: quarum prior quatuor habet præcepta: altera, sex. Ita decem omnino præceptis constat tota lex.*

M.

*Quis huius diuisionis est author?*

P.

*Deus ipse, qui in duas tabulas descriptam Moysi tradidit, & sæpe testatus est redigi in decem verba.*

M.

*Argumentum prioris tabulæ quale est?*

P.

*De pietatis erga Deum officijs.*

M.

*Secunda verò?*

P.

*Qualiter sit agendum cum hominibus: & quid illis debeamus.*

M.

*Recita præceptum vel caput primum.*

P.

*Audi Israel: Ego sum Iehoua Deus tuus, qui te eduxi ex terra Aegypti, Domino seruitutis. Non habebis deos alienos coram me.*

M.

*Nunc sensum verborum expone.*

P.

Initio quadam veluti præfatione vititur in totam Legem. Nam quum Iehouam se nominat, ius sibi vendicat & auctoritatem iubendi. Deinde, quò Legi suæ gratiam apud nos conciliet, addit, se Deum esse nostrum. Perinde enim valent hæc verba, ac si Seruatorem nostrum se vocat: et. Hoc autem beneficio quum nos dignetur, par est, vt nos illi vicissim exhibeamus in populum obsequentem.

M.

Verum, quod cõtinuò de liberatione subiicit, & fracto iugo seruitutis Aegyptiacæ, ánon ad Israeliticum populum, & eum quidem solum, peculiariter spectat?

P.

Fateor quoad corpus: verum, est alterum liberationis genus, quod ad omnes peraquè homines pertinet. Nos enim omnes ex spiritali peccati seruitute, & Diaboli tyrannide asseruit.

M.

Cur eius rei meminit, cum in Legem suam præfari veller?

P.

Vt nos commonefaciat, summæ ingratitude reos fore, nisi totos illi nos in obsequium addixerimus.

M.

Quid autem hoc primo capite exigit?

P.

Vt suum illi soli honorem in solidum asseramus: neque vllam eius partem transferamus aliò.

M.

Quis honor illius est proprius, quem aliò transcribere sit nefas?

P.

Eum adorare, collocare in ipso nostram fiduciam, inuocare ipsum, illi denique omnia deferre, quæ in eius maiestatem competunt.

M.

Quorsum hæc particula adiecta est, Coram facie mea?

P.

Cum nihil tam reconditum sit, quod eum lateat: sitque occultarum cogitationum cognitor ac iudex: significat, non externæ modò confessionis honorem requirere: sed veram quoque pietatem cordis.

M.

Transeamus ad secũdum caput.

P.

Non sculpes tibi simulacrum, neque imaginem vllam effinges eorum quæ aut in cælo sunt sursum, aut deorsum in terra, aut in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.

M.

Prohibétne in totum, ne aliqua pingantur aut sculpantur imagines?

P.

Non: sed duo tantum hinc vetat, ne quas faciamus imagines, vel Dei effingendi, vel adorandi causa.

M.

Cur Deum non licet visibili figura exprimere?

P.

Quia nihil inter eum, qui Spiritus est æternus, ac incõprehensibilis, & corpoream, corruptibilem, mortuamque figuram simile est.

M.

Iniuriam ergo fieri censes eius maiestati, cum in hunc modum representatur.

P.

Sic sentio.

M.

Quanam hic adorationis species damnatur?

P.

Quum ad statuam vel imaginem nos conuertimus precaturi, coram ea nos prosternimus: genuum flexione, aut alijs signis exhibemus illi honorem, ac si Deus illic se notis representaret.

M.

Non ergo quamlibet simpliciter picturam vel sculpturam his verbis damnari intelligendum est: sed tantum imaginis prohibemur facere in hunc finem, ut in illis Deum vel quaramus, vel colamus: siue, quod idem est, eas colamus in Dei honorem: aut quoquo modo illis ad superstitionem & idololatriam abutamur.

P.

Verum.

M.

Nunc in quem finem caput hoc referemus?

P.

Quemadmodum superiore vnum se esse denuntiavit, quem coli oporteat & adorari: ita nunc quæ recta sit adorationis forma ostendit, quò nos ab omni superstitione, alijsque vitiosis & carnalibus figmentis reuocet.

M.

Pergamus.

P.

Sanctionem adiungit: se Iehouam esse Deum nostrum, fortem, zelotypum, qui vindicet iniquitatem patrum in filios, usque in tertiam & quartam generationem, eorum qui se oderint.

M.

Cur mentionem fortitudinis suæ facit?

P.

Eo significat, se ad gloriam suam vindicandam satis habere potentia.

M.

Quid zelotypiæ vocabulo indicat?

P.

Æqualem aut socium ferre non posse. Nam ut se nobis, pro infinita sua bonitate, donauit: ita nos vult esse prorsus suos. Atque hæc animarum nostrarum est castitas, illi dicatas esse, & penitus adhærere: sicut rursus adulterio polui dicuntur, dum ab eo ad superstitionem defleciunt.

M.

Quò sensu hoc dictum est, Vlcisci patrum iniquitatem in filios?

P.

Quò plus nobis incutiat terroris, non tantum de ijs qui offenderint, pœnas sumpturum se minatur: sed eorum quoque sobolem fore maledictam.

M. At-

M.

*Atqui an hoc Dei æquitati consentaneum est, quemque punire propter alterius noxam?*

P.

*Si qualis sit humani generis conditio, reputamus, soluta est quaestio. Natura enim maledictioni obnoxij sumus omnes: nec est quod de Deo conqueramur, quum in hac sorte nos relinquit. Iam verò, sicut suam erga pios dilectionem, eorum posteritati benedicendo demonstrat: ita suam aduersus impios vindictam, eorum filios hac benedictione priuando, exequitur.*

M.

*Perge.*

P.

*Quò nos amabili etiam suauitate alliciat, misericordia vsurum se promittit erga omnes, qui se diligunt, suaque madata obseruant, in mille generationes.*

M.

*Intelligitne pij hominis innocentiam, posteris omnibus, quanuis impijs, saluti fore?*

P.

*Nequaquam: sed hoc modo, suam benignitatem eò vsque se effusurum erga fideles, vt in eorum gratiam, eorum quoque se liberis benignum exhibeat: non tantum res eorum prosperando, quoad præsentem vitam: sed animas quoque ipsorum sanctificando, quò in grege suo censeantur.*

M.

*Atqui hoc perpetuum non esse apparet.*

P.

*Fateor. Quemadmodum enim liberum hoc sibi retinet, vt misericordem se, cum libuerit, impiorum liberis exhibeat: ita suam gratiam non ad eò astrinxit fidelium liberis, quin pro suo arbitrio repudiet ex illis quos visum fuerit: sic tamen id temperat, vt promissionem hanc non vanam esse nec fallacem constet.*

M.

*Cur mille hinc generationes: in pœna verò damnatione tres duntaxat aut quatuor nominat?*

P.

*Quò significet, se ad humanitatem magis & beneficentiam, quàm ad seueritatem propensum esse. Sicut etiam alibi testatur, quum se ad ignoscendum facilem esse dicit, tardum verò ad iram.*

M.

*Iam ad tertium.*

P.

*Non vsurpabis nomen Iehouæ Dei tui frustra.*

M.

*Quis sensus?*

P.

*Vetat ne Dei nomine abutamur, non peierando tantum, sed præter necessitatem iurando.*

M.

*Estne aliquis nominis Dei vsus legitimus in iureiurando?*

P.

Imo verò: cum adhibetur ex iusta causa. Primum, afferendæ veritati: deinde cum eius momenti est negotium, ut iurare par sis, ad mutuam inter homines tuendam charitatem & concordiam.

M.

Verum, annon longius spectat, quàm ad cohibenda iuramenta, quibus profanatur Dei nomen, aut imminuitur eius honos?

P.

Proposita una specie, in vniuersum nos admonet, ne vnquam in medium à nobis proferatur Dei nomen, nisi cum timore ac reuerentia, & in eum finem, ut gloriosum appareat. Nam quam sit sacrosanctum, cauere debemus omnibus modis, ne aut ipsum contemptui habere videamur, aut alijs occasionem contemnendi præbeamus.

M.

Quomodo hoc fiet?

P.

Si de Deo, eiusque operibus non aliter cogitemus aut loquamur, quàm in eius honorem.

M.

Quid sequitur?

P.

Sanctio, qua non fore innocentem denuntiat, qui nomen suum in vanum vsurpauerit.

M.

Cum alibi pronuntiet, se in Legis suæ transgressores vindicaturum, quid hic amplius continetur?

P.

Eo voluit indicare, quanti nominis sui gloriam faciat: quò eius studiosiores sumus, dum videmus paratam fore vltionem, si quis eam profanauerit.

M.

Veni: mus ad quartum præceptum.

P.

Recordare diem Sabbathi, ut eum sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum. Septimus verò, Sabbathus est Domini Dei tui. Non facies in eo vllum opus, nec seruus tuus, nec ancilla, neque bos, neque asinus, neque inquilinus qui habitat inter portas tuas. Nam sex diebus perfecit Deus cælum, & terram, & mare, & quicquid in illis continetur: septimo quieuit. Itaque benedixit dei Sabbathi, & eum sanctum sibi segregauit.

M.

Iubétne sex diebus laborare, ut septimo quiescamus?

P.

Non simpliciter: verum sex dies hominum laboribus permittens, septimum excipit, ut quieti destinetur.

M.

An quemvis labor: m nobis interdicit?

P.

Hoc præceptum separatam & peculiarem habet rationem. Siquidem quietis obseruatio, pars est veterum ceremoniarum: itaque, Christi aduentu abrogata f. it.

M, Di-



M.

*Dicisne præceptum hoc ad Iudæos propriè spectare, ideòque temporarium duntaxat fuisse?*

P.

*Nempe: quatenus ceremoniale est.*

M.

*Quid ergo? subestne aliquid præter ceremoniam?*

P.

*Tribus ex causis datum fuit.*

M.

*Cedo mihi eas.*

P.

*Ad spiritualem quietem figurandam: ad conservationem politix Ecclesiasticæ: ad seruorum subleuationem.*

M.

*Quid per spiritualem quietem intelligi?*

P.

*Dum à proprijs operibus feriamur: quò Deus in nobis sua opera peragat.*

M.

*Quæ porro ferendi ratio?*

P.

*Si carnem nostram crucifigimus: hoc est, renuntiamus nostro ingenio, ut Dei spiritu gubernemur.*

M.

*An id septimo quoque die fieri satis est?*

P.

*Imò continenter. Nam ex quo semel cœperimus, peragendum est toto vitæ cursu.*

M.

*Cur ergo eius significationi destina:ur certus dies?*

P.

*Nihil necesse est per omnia congruere veritatem cum figura: modò conueniat, quantum satis est ad rationem figurandi.*

M.

*Cur tamen septimus potius dies præscribitur, quàm alius quilibet?*

P.

*Numerus hic perfectionem in Scriptura designat. Itaque ad notandam perpetuitatem aptus est. Simul indicat, spiritualem hanc quietem inchoari duntaxat in hac vita, nec antè perfectam fore, donec è mundo migremus.*

M.

*Verùm, quid hoc sibi vult, quòd suo nos exemplo ad quiescendum hortatur Dominus.*

P.

*Cùm mundi creationi finem intra sex dies imposuisset: septimum operum suorum considerationi dicauit. Ad id quo nos acius stimulet, suum nobis exemplum proponit. Nihil enim magis expetendum, quàm ut nos ad eius imaginem formemur.*

M.

Verum, continuane esse debet operum Dei meditatio, an ex septenis quibusque diebus unum illi destinari sufficit?

P.

Exerceri quidem nos quotidie in ea decet: verum, imbecillitatis nostrae causa, dies unus peculiariter statuitur. Atque haec politia est, quam dixi.

M.

Quis igitur eo die seruandus est ordo?

P.

Vt populus ad audiendam Christi doctrinam, ad frequentandas publicas preces, ad edendam fidei suae professionem conueniat.

M.

Nunc expone quod dixisti, Dominum hoc praeepto seruorum quoque subleuationi prospicere voluisse.

P.

Vt eis qui sub aliena potestate sunt, aliquid laxamenti detur. Quinetiam hoc ad retinendam communem politiam valet. Nam ubi dies unus quieti assignatur, ita se quisque ad laborandum in reliquum temporis assuefacit.

M.

Videamus iam, quatenus ad nos spectet hoc mandatum.

P.

Quoad ceremoniam, cum in Christo extiterit eius veritas, abrogatam esse dico.

M.

Quomodo?

P.

Nempe, quia mortis eius virtute vetus homo noster crucifigitur, nosque excitamur in vitae nouitatem.

M.

Quid ergo ex praeepto nobis restat?

P.

Ne sancta instituta, quae ad spiritualem Ecclesiae politiam faciunt, negligamus: praesertim vero, vt sacros conuentus ad audiendum Dei sermonem, ad mysteria celebranda, ad solennes preces, sicut erunt ordinati, frequentemus.

M.

Atqui, nihilne amplius figura nobis conducit?

P.

Imò verò. Ad suam enim veritatem reuocanda est. Vt scilicet insiti<sup>in</sup> Christi corpus, factique eius membra, desinamus à proprijs operibus, atque ita Dei gubernationi nos resignemus.

M.

Transeamus ad secundam tabulam.

P.

Eius initium est, Honora patrem & matrem.

M.

Quid tibi significat hinc vox Honoris?

P.

Vt cum modestia & humilitate morigeri sint & obsequentes filij parentibus, vt eos reuerenter colant: vt inueniant in necessitate, suasque illis operas impendant. His enim tribus membris continetur qui debetur parentibus honor.

M. Perge

M.

*Perge modò.*

P.

*Adjicitur mandato promissio: Ut prorogentur dies tui super terram, quam daturus est tibi Dominus Deus tuus.*

M.

*Quis sensus?*

P.

*Diu beneficio Dei victuros, qui debitum parentibus honorem præstiterint.*

M.

*Cùm tot ærumnis referta sit hac vita: cur beneficij loco, longam eius durationem nobis pollicetur Deus?*

P.

*Quantiscunque miserijs sit obnoxia: Dei tamen benedictio est erga fideles, vel hac vna de causa, quòd paterni eius favoris argumentum est, dum eos hic alit & conseruat.*

M.

*Sequitur ne è conuerso eum qui citò & ante iustam ætatem ex hoc mundo eripitur, à Deo maledictum esse?*

P.

*Minimè. Quin potius accidit interdum, vt quòd quisque magis diligitur à Deo, eò citius recipiatur ex hac vita.*

M.

*Atqui, sic agendo, qualiter promissioni suæ satisfacit?*

P.

*Quicquid nobis terrestriam bonorum Deus promittit, sub hac conditione accipere conuenit: quatenus in bonum animæ nostræ, salutemque expedit. Esset enim ordo valde præposterus, nisi semper antecederet animæ ratio.*

M.

*Quid de ijs qui parentibus fuerint contumaces?*

P.

*Non in extremo tantùm iudicio punientur: sed hic quoque in eorum corpora Deus vindicabit, aut hinc omnes tollendo in medio ætatis flore, aut ignominioso mortis genere plectendo, aut alijs modis.*

M.

*Verum, ànnon de terra Chanaan nominatim promissio loquitur?*

P.

*Sic est, quantum ad Israelitas spectat: at nobis hoc verbum latius patet, ac extendi debet. Quamcunque enim regionem incolamus, cùm Domini sit totus orbis, eam nobis assignat possidendam.*

M.

*Nihilne amplius restat de præcepto?*

P.

*Quanquam non nisi de Patre & matre verba sonant, intelligendi sunt tamen omnes qui nobis præsunt: quando eadem ipsorum est ratio.*

M.

*Quanam illa?*

P.

*Nempe, quia Dominus eos in superiorè honoris gradū extulerit. Nulla enim est vel parentum, vel principum, vel præfectorum quorumlibet authoritas, nullum*

*imperium, nullus honor, nisi ex Dei decreto: quia mundum sic illi placet ordinare.*

M.

*Recita sextum.*

P.

*Non occides.*

M.

*Nihilne aliud vetat, quam cades perpetrare?*

P.

*Imò verò. Nam cum hinc loquatur Deus: non externis tantum operibus legem dicit: sed animi etiam affectibus, adeoque his potissimum.*

M.

*Vidèris subindicare, genus esse quoddam arcanae cadis, à quo hinc nos Deus reuocat.*

P.

*Sic est. Ira enim & odium, & quævis nocendi cupiditas, cades coram Deo censetur.*

M.

*Satisne defuncti sumus, si neminem persequamur odio?*

P.

*Nequaquam. Siquidem Dominus odium damnando, & nos arcendo à quavis noxa, qua proximus noster ledatur, simul hoc se exigere ostendit, ut omnes mortales ex animo diligamus, ac fideliter ipsis tuendis conseruandisque studeamus.*

M.

*Iam ad Septimum.*

P.

*Non mœchaberis.*

M.

*Expone quæ sit summa.*

P.

*Scortationem quamlibet maledictam esse coram Deo. Proinde, nisi iram Dei velimus in nos pronocare, ab illa esse diligenter abstinentum.*

M.

*Nil ilne præterea requirit?*

P.

*Respicienda semper est natura Legislatoris: quem diximus, non externo modo operi immorari, sed animi potius affectibus esse intentum.*

M.

*Quid ergo plus comprehendit?*

P.

*Ex quo tum corpora nostra, tum anima templa sunt Spiritus sancti, ut castam utrisque puritatem præstemus: ac proinde non externi tantum flagitij abstinentia pudici simus: sed etiam corde, verbis, gestu denique corporis & actione. Denique corpus ab omni lasciuia purum sit, animus ab omni libidine: ut nulla pars nostri, impudicitia sordibus sit inquinata.*

M.

*Veniamus ad octauum.*

P.

*Non furaberis.*

M.

*Eane tantum furta prohibet, quæ humanis legibus puniuntur, an longius procedit?*

P.

*Malas omne genus fraudandi circumueniendique artes, quibus aliena bona occupamus, sub Furti nomine complectitur. Hic ergo vetamus, tum violenter inuolare in bona proximorum, tum per uafriem & dolum illis manum inijcere, tum alijs quibuscunque obliquis rationibus ad illa occupanda conari.*

M.

*Satisne est manus abstinere à maleficio: an cupiditas etiam hinc damnatur?*

P.

*Huc semper est redeundum: quum spiritalis sit Legislator, non externa tantum furta coercere eum uelle, sed omnia simul & consilia & studia, quæ alijs omnino incommodent: atque ipsam in primis cupiditatem: ne dite scere cum iactura fratrum expetamus.*

M.

*Quid ergo agendum est, ut præcepta pareamus?*

P.

*Danda est opera, ut suum cuique saluum sit.*

M.

*Nonum præceptum quod est?*

P.

*Non eris aduersus proximum tuum testis mendax.*

M.

*Prohibetne peierare in foro duntaxat: an <sup>in</sup> uniuersum mentiri aduersus proximos?*

P.

*Sub specie una comprehenditur doctrina generalis, ne falso proximos calumniemur: ne uel maledicentia nostra & obreclationibus ledamus eius famam, aut aliquam illi noxam afferamus in suis bonis.*

M.

*Cur autem nominatim exprimit publica periuria?*

P.

*Quò maiorem nobis huius uitij horrorem incutiat. Innuit enim, si quis maledicentia & calumnijs assueuerit: inde ad periuria proclinem fore lapsum, si occasio data fuerit proximi infamandi.*

M.

*Uultne à maledicendo tantum nos arceri, an etiam à malis suspicionibus, sinistrisque & iniquis iudicijs?*

P.

*Vtrumque, secundum rationem antè adductam, hinc damnat. Nam quod agere coram hominibus malum est, malum est coram Deo etiam uelle.*

M.

*Ergo quid in summa uelit, expone.*

P.

*Ne ad malè sentiendum de proximis, ne uel ad eos infamandos propensi simus, uetat: quin potius, hac nos æquitate & humanitate præditos esse iubet, ut de illis, quantum ueritas patitur, bene sentiamus, suamque eis existimationem integram tueri studeamus.*

M

*Recita vltimum.*

P

*Non concupisces domum proximi tui: non concupisces uxorem proximi tui: non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec quicquam aliud quod ipsius sit.*

M

*Quum spiritualis sit tota Lex: sicut etiam antè toties dixisti: nec tantum coercendis externis operibus, sed corrigendis etiam animi affectibus posita sint superiora præcepta, quid hîc amplius additur?*

P

*Reliquis præceptis voluntates atque affectus regere & moderari voluit Dominus: hic verò etiam cogitationibus, quæ nonnullam cupiditatem secum trahunt, neque tamen perueniunt ad statam vsque deliberationem, legem imponit.*

M

*Dicisne minimas quasque cupiditates, quæ fidelibus obrepant, & ipsis veniant in mentem, peccata esse, etiam si resistant potius quàm assentiantur?*

P

*Constat certè, prauas omnes cogitationes, etiam si non accedat consensus: ex naturæ nostræ vitio prodire. Verum, hoc tantum dico, damnari hoc præcepto vitiosas cupiditates, quæ ita cor hominis titillant ac sollicitant, vt tamen non pertrahant ad firmam deliberatamque voluntatem.*

M

*Hactenus ergo malos quidem affectus, quibus acquiescunt homines, & subigendos se permittunt, prohibitos fuisse intelligis: nunc verò tam exactam integritatem à nobis requiri, vt nullam peruersam cupiditatem corda nostra admittant, qua ad peccatum stimulentur.*

P

*Sic est.*

M

*Licetne iam breue totius Legis compendium colligere?*

P

*Maximè: siquidem eam in duo capita redigamus. Prius est: Vt eum amemus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Alterum: Vt proximos diligamus perinde ac nosmetipsos.*

M

*Quid sub Dei amore continetur?*

P.

*Amare ipsum, sicuti Deum amare decet: nempe, vt simul & Dominus, & Pater & Seruator agnoscatur. Itaque Dei amorì adiuncta est eius reuerentia, voluntas illi obsequendi, fiducia, qua in ipso collocanda est.*

M.

*Quid per Totum cor, totam animam, & totas vires intelligis?*

P.

*Eam æli vehementiam, vt nullis prorsus cogitationibus, nullis desyderijs, nullis studijs sit in nobis locus, quæ huic amorì aduersentur.*

M.

*Quis secundi capitis est sensus?*

*P. Quem-*

P.

Quemacmodum naturâ adeò propensi ad nos amandos sumus, ut hic affectus alios omnes superet: ita proximo, um charitatem sic regnare in nobis decet, ut nos omni ex parte gubernet, sitque omnium & consiliorum & operum regula.

M.

Quid Proximi tibi nomen significat?

P.

Non cognatos modò, & amicos, aut qui aliqua nobiscum necessitudine sunt coniuncti: sed etiam eos qui nobis incogniti sunt, adeòque inimicos.

M.

Quid autem illi coniunctionis nobiscum habent?

P.

Nimirum coniuncti sunt eo vinculo, quo uniuersum hominum genus Deus simul colligauit. Est autem id sacrosanctum & inuiolabile, quod nullius prauitate aboleri potest.

M.

Dicis igitur, si nos quispiam oderit, esse hoc eius proprium: manere nihilominus ipsam nobis proximum: eoque loco à nobis habendum esse: quia stet inuiolabilis Dei ordo, quo hæc inter nos coniunctio sancita est.

P.

Sic est.

M.

Quum formam Dei ritè colendi Lex ostendat: nõne prorsus secundum eius præscriptum viuendum est?

P.

Verum id quidem est. Atquæ ea imbecillitate laborant omnes, ut nemo quod debet, omni ex parte impleat.

M.

Cur ergo eam à nobis perfectionem exigit Deus, quæ sit facultate nostra superior?

P.

Nihil exigit, cui præstando non sumus obstructi. Cæterum, modò ad eam, quæ hinc præscribitur, viuendi formam enitatur, etiã si procul absumus à scopo, hoc est à perfectione, Dominus, quod deest, nobis ignoscit.

M.

De hominibùs sic uniuersis in genere loqueris, an de fidelibus duntaxat?

P.

Qui Dei Spiritu nondum est regeatus, ne ad minimum quidem Legis apicem inchoandum, erit idoneus. Præterea, si quemdemus inueniri, qui aliqua ex parte Legi obtemperet, non tamen ideo coram Deo defunctum indicabimus. Nam maledictos pronuntiat omnes, qui non omnia impleuerint, quæ in ea continentur.

M.

Hinc statuendum est, sicuti duo sunt hominum genera, ita duplex esse Legis officium.

P.

Omnino. Nam apud incredulos nihil aliud efficit, nisi quòd excusationem illis omnem præcludit coram Deo. Atque id est quod significat Paulus, quum eam vocat Ministerium moris & damnationis. Erga fideles longè alium usum habet.

R

M.

Quem?

P.

Principiò, dum iustitiam operibus consequi se non posse ex ea discunt, ad humilitatem hoc modo erudiuntur: quæ vera est ad quærendam in Christo salutem preparatio. Deinde quatenus plus mulò exigit ab ipsis, quàm sint præstando, eos ad petendam à Domino virtutem sollicitat, simulque perpetui reatus commonefacit, ne superbire audeant. Postremò, fræni instar illis est, quò in Dei timore retineantur.

M.

Tametsi ergo in hac terrena peregrinatione Legi nunquam satisfacimus, non tamen hoc superuacuum esse censuimus, quòd tam exactam à nobis perfectionem flagitet. Scopum enim ad quem nos collimare, & metam ad quam nos eniti convenit demonstrat, ut quisque nostrum pro modo collatæ sibi gratiæ, ad summam relictitudinem vitæ suam componere, & maiores subinde progressus facere, assiduo studio conetur.

P.

Sic sentio.

M.

An non perfectam in Lege omnis iustitiæ regulam habemus?

P.

Equidem adeò, ut nihil velit aliud Deus à nobis, nisi ut eam sequamur: rursum verò, irritum habeat ac repudiet, quicquid præter eius præscriptum suscipimus. Neque enim aliud sacrificium acceptam habet, quàm obedientiam.

M.

Quorsum igitur tot admonitiones, præcepta, exhortationes, quibus passim utuntur tum Prophætæ tum Apostoli?

P.

Nihil quàm mers Legis expositiones sunt, quæ ad Legis obedientiam nos manuducunt potius quàm ab ea abducant.

M.

Atqui de privata cuiusque vocatione nihil præcipit.

P.

Quum reddere cuique quod suum est, iubet, inde colligere promptum est, quæ sint privatim in ordine suo vitæque genere cuiusque partes. Et extant passim in Scriptura, quemadmodum dictum est, sparse singulorum præceptorum expositiones. Nam quòd hic Dominus summam complexus est paucis verbis, alibi fissus & plenius exequitur.

## De oratione.

M.

Quum de secunda parte diuini cultus, quæ in obsequiis obedientiæque sita est, satis disputatum fuerit, iam de tertia parte differamus.

P.

Diximus inuocationem esse, quum ad ipsum in quauius necessitate confugimus.



M.

Eumne solum censes inuocandum esse?

P.

Omnino. Id enim exigit, tanquam proprium numinis sui cultum.

M.

Si ita res habet, quónam licebit modo homines ad opem nobis ferendam implorare?

P.

Mágnum verò inter hæc duo discrimen est: Deum enim quem inuocamus, testamur nihil nos aliunde boni expectare, nec alibi nos collocare totum nostrum præsidium: interea tamen auxilia, quoad nobis permittit, facultatémque illis nos adiuuandi contulit, querimus.

M.

Quòd ergo ad hominum opem fidémque cõfugimus, nihil obstare dicis, quominus vnum inuocemus Deum, quum fiducia in eos nostra minimè recumbat: nec aliter imploremus ipsos, nisi quia beneficiendi facultate eos instruendo, beneficentiæ suæ ministros nobis quodammodo destinavit Deus, quorum per manus adiuuare nos & quæ apud illos d. posui: suscipere nos, & rogare nos velit.

P.

Sic sentio. Ac proinde quicquid ab illis beneficiorum percipimus, Deo acceptum referre conuenit: sicuti re vera vnus ipse illa omnia nobis eorum ministro largitur.

M.

Verùm, annon hominibus tamen, quoties aliquid in nos officij contulerunt, habenda est gratia? Id enim ipsa natura æquitas, & lex humanitatis dicat.

P.

Habenda prorsus, vel ob vnã hanc causam, quòd hoc ipsos honore dignatur Deus, ut quæ ex liberalitatis suæ fonte inexhausto fluunt bona, per eorum manus, tanquam per riuos ad nos deriuat. Hac enim ratione nos illis obstringit, atque iditsum vult nos agnoscere. Itaque qui se hominibus gratiam non præbet, suam in Deum quoque ingratitudinem hoc modo prædit.

M.

Hincne licebit colligere, perperam inuocari tum Angelos, tum Sanctos Domini seruos, qui ex hac vita demigrarunt?

P.

Licebit. Neque enim Sanctis hæc partes attribuit Deus, ut nobis opitulentur. Quantum verò ad Angelos spectat: tamen si eorum utitur opera in salutem nostram, non tamen à nobis vult implorari.

M.

Quicquid ergo ad ordinem à Deo institutum aptè congruentérque non quadrat, id cum eius voluntate pugnet, dicitur.

P.

Sic est. Certum enim infidelitatis signum est, ijs quæ dat nobis Deus, non esse contentos. Deinde si in Sanctorum, Angelorumve fidem nos conferamus, ubi nos ad se vnus Deus vocat, partémque fiducia, quæ tota residere in solo Deo debuerat transferamus in ipsos, in idololatriam protabimur: quum scilicet, partiamur inter eos, quod sibi Deus in solidum vni vendicabat.

M.

Nunc de orandi ratione tractemus. Sufficit ne ad orandum, lingua: an mentem etiam & cor requirit oratio?

P.

Lingua quidem non semper necessaria est: intelligentia verò & affectu nunquam carere potest vera oratio.

M.

Quo mihi argumento hoc probabis?

P.

Quandoquidem Deus Spiritus est, cum aliàs semper cor ab hominibus exigit, tum verò in oratione præsertim, qua cum ipso communicant. Quamobrem non nisi ij: qui cum in veritate invocauerint, propinquum se fore pollicetur: ex aduerso autem execratur omnes & maledicit, qui per fictionem, & non ex animo precantur.

M.

Vana ergo & nihili erunt preces quæcùmque lingua tantùm concepta fuerint.

P.

Non id modò, sed Deo etiam summo pere displicebunt.

M.

Qualem in oratione affectum exigit Deus?

P.

Primum, vt inopiam miseriasque nostras sentiamus: vtque is sensus mœorem in animis nostris & anxietatem generet: deinde vt vehementi serióque obtinenda à Deo gratiæ desyderio astuemus: quæ precandi quoque ardorem in nobis accendant.

M.

A natiuone hominibus ingenio manat hic affectus, an à Dei gratia illis prouenit?

P.

Deum hic nobis subuenire necesse est. Nos enim ad vtrunque prorsus sumus stupidi. Spiritus Dei est, qui inenarrabiles gemitus excitat in nobis, animosque nostros format in hac desyderia, quæ in oratione requiruntur.

M.

Eone spectat hæc doctrina, vt resides, & quodammodo oscitantes motum Spiritus expectemus, nec se quisque ad orandum sollicitet?

P.

Minimè verò. Quin hic potius est frus: vt dum frigere se, & ad orandum pigros vel minus bene comparatos sentiunt fideles, ad Deum protinus confugiant, sèque inflammati postulent igneis Spiritus eius aculeis, quò ad orandum redantur idonei.

M.

Non tamen intelligis, nullum in precibus esse linguæ vsum.

P.

Nequaquam. Est enim sæpe adiumento ad subleuandam retinendâque mentem, netam facillè à Deo abstrahatur. Præterea quum ad illustrandam Dei gloriam creata sit præ alijs membris, totam eius facultatem in hunc vsum explicari par est. Adhæc, hominem interdum studij vehementia huc impellit, vt præter consilium, lingua in vocem prorumpat.

*Si ita est, quid proficiunt qui exotica lingua, sibi que non intellecta orant?*

P.

*Id verò nihil est aliud, quàm cum Deo ludere. Ergo à Christianis facessat hæc hypocrisis.*

M.

*Verùm, quum precamur, facimúsne id fortuitò, de successu incerti, an verò constitutum id certò habere nos oportet, exauditum nos iri à Domino?*

P.

*Hoc perpetuum sit orationis fundamentum, exauditum nos iri à Domino, & quicquid petierimus impetraturos, quatenus nobis conducet. Hæc ratione dicit Paulus, ex fide manare reclamationem Dei. Nam ritè nemo unquam ipsum invocabit, nisi qui in certa bonitatis eius fiducia prius acquieverit.*

M.

*Quid ergo his fiet, qui hæsitantes orant: nec in animis suis statuunt, quid sint orando profecturi: imò incerti sunt, audiantur necne à Deo sue preces?*

P.

*Vana sunt ac irrita ipsorum preces, cum nulla promissione sint suffulta. Iubemur enim certa fide petere: & promissio additur, quicquid credentes petierimus, id nobis datum iri.*

M.

*Restat ut videamus, unde nobis tantum confidentiæ: ut cum tot modis indigni simus Dei conspectu, sistere nos tamen coram ipso audeamus.*

P.

*Primum, habemus promissiones, quibus simpliciter, ommissa dignitatis nostræ ratione, standum est. Deinde, si filij sumus, animat nos Spiritus eius, atque instigat, ut ad eum, tanquam ad patrem, familiariter nos recipere nihil dubitemus. Ac ne ideo quòd instar vermium sumus, & conscientia premimur nostrorum peccatorum, maiestatem eius gloriosam horreamus, mediatorem nobis proponit Christum, quo aditum patrefaciente, de obtinenda gratia minimè sumus anxij.*

M.

*Intelligis non nisi unius Christi nomine invocandum esse Deum?*

P.

*Sic sentio. Nam & disertis verbis ita nobis præcipitur: & additur promissio, facturum sua intercessione, ut consequamur quæ petimus.*

M.

*Non ergo temeritatis aut arrogantia accusandus est, qui hoc advocato fretus, ad Deum familiariter accedit: & hunc Deo & sibi proponit solum, per quem exaudiatur.*

P.

*Nullo modo. Nam qui sic orat, tanquam ex illius ore preces concipit: cum eius patrocinio adiuvari suam orationem, commendari que sciat.*

M.

*Tractemus iam, quid continere fidelium preces debeant. Licètne quicquid in mentem nobis venit, & Deo postulare, an certa hinc tenenda est regula?*

P.

*Hæc verò nimis præpostera esset orandi ratio, indulgere proprijs desiderijs, carnisque iudicio. Nam & rudiores sumus, quàm ut possimus iudicare quid nobis expediat: & ea cupiditatum intemperie laboramus, quæ franco cohiberi ne-*

cesse habeat.

M.

Quid proinde opus est factō?

P.

Hoc restat unum, ut Deus ipse rectam orandi formam nobis præscribat: ut tantum manu ducentem sequamur, & quasi verba præeuntem.

M.

Quam nobis legem præscripsit?

P.

Ampla quidem & copiosa passim in Scripturis, huius rei doctrina traditur. Verum, quò certiozem præfigeret scopum, formulam composuit, & quasi dictavit, quæ quicquid à Deo petere fas est, ac nostra refert, breuiter complexus est, & in pauca capita digessit.

M.

Recita.

P.

Rogatus à Discipulis Dominus noster Christus, quoniam orandum esset modo, respondit: Cum volueritis orare, sic dicite: Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, in terra sicut in cælo: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et remitte nobis debita nostra, sicut nos quoque remittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula. Amen.

M.

Quò melius intelligamus quid contineat, eam in capita partiamur.

P.

Sex habet partes: quarum tres priores solam Dei gloriam, non habita nostri ratione, tanquam proprium suum finem, respiciunt: reliquæ ad nos, utilitatemque nostram spectant.

M.

Ergò ne petendum est à Deo quicquam, vnde nihil ad nos boni redeat?

P.

Ipse quidem pro infinita sua bonitate, sic componit omnia, ut nihil cedat in ipsius gloriam, quin nobis quoque sit salutare. Itaque cum sanctificatur eius nomen, ut nobis quoque in sanctificationem vertatur, efficit: non aduenit eius regnum, quin simus quodammodo eius participes. Verum, in obtandis his omnibus, solam eius gloriam, præterita nostra utilitate, intueri conuenit.

M.

Nempe, secundum hanc doctrinam, tria hæc postulata cum utilitate quidem nostra coniuncta sunt: non tamen in alium scopum collimare debent, quam ut glorificetur Dei nomen.

P.

Sic est: atque ad eò in reliquis etiam tribus eadem Dei gloria curæ nobis esse debet: utcumque ipsæ, quæ in rem ac salutem nostram sunt, optandis, propriè sint destinata.

M.

Nunc ad verborum explicationem pergamus: ac principiò, Cur Patris nomen hic potius, quam aliud quoduis, Deo tribuitur?

P. Cùm

P.

Cum ad rectam orandi rationem in primis requiratur secreta conscientie fiducia: nomen hoc sibi assumit Deus, quod nihil nisi meram suauitatem sonat: ut ita excussa ex animis nostris omni anxietate, ad se familiariter implorandum nos inuitet.

M.

Ergo Deum audebimus sine difficultate rectè adire, ut filij parentes solent?

P.

Omnino: quinetiam multò certiore obtinendi quod petimus fiducia. Nam, ut admonet Magister, si nos cum mali simus, non possumus tamen filijs nostris bona negare, nec eos dimittere inanes sustinemus, nec vcnenum porrigimus illis pro pane: quantum plus beneficentiæ à cœlesti Patre expectandum est, qui non tantùm summè bonus est, sed ipsa etiam bonitas?

M.

An non ex hoc quoque nomine argumentum ducere licebit, quo id quod initio dictum est, preces scilicet vniuersas Christi patrocinio fundatas esse oportere, comprobetur?

P.

Et quidem firmissimum. Neque enim filiorum loco nos habet Deus, nisi quatenus Christi sumus membra.

M.

Cur Nostrum potius in commune Patrem nominas Deum, quàm Tuum peculiariter?

P.

Potest quidem fidelium vnusquisque suum vocare: sed communi epitheto ideo vsus est Dominus, quò nos ad exercendam in precibus charitatem assuefaceret: ne alijs neglectis, tantùm se quisque curet.

M.

Quid sibi vult quæ additur particula, Deum esse in cœlis?

P.

Perinde est, ac si excelsum, potentem, incomprehensibilem vocare ipsum.

M.

Quorsum id, & qua ratione?

P.

Nempe hoc modo sursum mentes, quum eum inuocamus, docemur erigere, ne quid de ipso carnale aut terrenum cogitemus, nè ve eum moduli nostri metiamur captu, ne humiliter de ipso aliquid sentientes, in obsequium voluntatis nostræ redigere ipsum velimus, sed potius cum timore & reuerentia suspicere discamus maiestatem eius gloriosam. Valet etiam hoc ad excitandam, confirmandamque nostram in ipso fiduciam: dum cœli Dominus ac pates, qui arbitrio suo regat omnia, prædicatur.

M.

Recita mihi primi postulati summam.

P.

Per Nomen Dei, Scriptura notitiam, famamque intelligit, qua inter homines celebratur. Optamus ergo, ut eius gloria vbiq; & in omnibus prouehatur.

M.

*Verum, accederéne quidquam illi potest gloria, aut decedere?*

P.

*In seipsa nec crescit, nec minuitur. Verum illustrari inter homines, ut par est, optamus: ut quicquid facit Deus, omnia eius opera, ut sunt, ita gloriosa appareant: quò modis omnibus ipse glorificetur.*

M.

*In secunda petitione, quid per Dei Regnum intelligis?*

P.

*Duobus potissimum membris constat. Ut electos Spiritu gubernet suo: ut reprobos, qui se illi in obsequium tradere recusant, prosternat, & exitio tradat: ut ita palam fiat, nihil esse, quod resistere eius virtuti queat.*

M.

*Qualiter Regnum hoc ut veniat, precaris?*

P.

*Ut fidelium numerum in dies augeat Dominus, ut novis subinde Spiritus sui donis eos cumulet, donec prorsus impleverit. Adhæc ut suam veritatem ad discutiendas Sathanæ tenebras magis ac magis lucidam, conspicuamque reddat: ut iustitiam suam proferendo, iniquitatem omnem aboleat.*

M.

*Nónne quotidie fiunt hæc omnia?*

P.

*Fiunt eo modo, ut inchoatum dici possit Regnum Dei. Optamus ergo, ut assiduè crescat ac prouehatur: donec ad summum fastigium peruenierit: quod ultimo demum die futurum speramus: quo Deus solus, omnibus creaturis in ordinem coactis, exaltabitur & eminebit: adeoque erit omnia in omnibus.*

M.

*Quod petis, ut Dei voluntas fiat, quem id habet sensum?*

P.

*Ut in eius obsequium subigantur creaturæ omnes, pendeantque ita ex eius nutu, ne quid nisi ipsius arbitrio fiat.*

M.

*Ergone fieri quicquam præter eius voluntatem posse sentis?*

P.

*Non optamus tantum, ut quod decreuit apud se, eueniat: sed etiam ut dormita, subiugataque omni contumacia, omnes omnium voluntates suæ subijciat, & in eius obedientiam componat.*

M.

*An non ita precando, proprijs voluntatibus cedimus?*

P.

*Omnino: neque in hunc tantum finem, ut quacunque cum sua voluntate pugnant in nobis desideria, irrita faciat: sed etiam ut nouas in nobis mentes, nouaque corda formet: ne quid velimus ipsi à nobis, sed Spiritus potius eius, votis nostris præstet, ut plenam habeant cum Deo consensionem.*

M.

*Cur id in terra fieri optas sicut in cælo?*

P.

*Quoniam hoc vnum propositum habent sancti Angeli, qui cælestes sunt eius creaturæ, ut illi in omnibus obsequantur, sintque semper & dictio audientes,*

&

Et ad obeunda obsequia vltro parati: talem obediendi propensionem hominibus opto, vt se quisque illi in voluntariam subiectionem prorsus addicat.

M

Nunc ad secundam partem venio. Quid tibi significat Quotidianus, quem petis, panis?

P

In vniuersum quicquid ad tuendam presentem vitam facit: non alendo tantum aut vestiendo, sed præbendis quoque alijs omnibus adminiculis, quibus sustententur externa vitæ necessitates: quod panem nostrum, quatenus expedire Dominus nouit, tranquilli comedamus.

M

Cur autem tibi à Deo donari optas, quod nos labore nostro parare iubet?

P

Tametsi victus parandi causa laborandum, ac etiam sudandum nobis est: non labore tamen nostro, non industria, non sedulitate alimur: sed vna Dei benedictione, qua labor ipse manuum nostrarum prosperatur, futurus alioqui inanis. Præterea sic habendum est: etiam quum ciborum copia nobis ad manum suppetit, illisque vescimur, non illorum tamen substantia, sed sola Dei virtute nos alit. Neque enim vim eiusmodi habent à natura ingentam: sed Deus è cælo, tanquam beneficentia suæ organis administrat.

M

Atqui tuum quo iure panem vocas: quum tibi à Deo postules dari?

P

Nempe, quia Dei benignitate fit noster: vt cunq̄ue nobis minimè debeatur. Admonemur etiam hoc verbo, ab alieno pane appetendo nobis temperare: contentosque eo esse, qui legitima ratione, tanquam ex Dei manu ad nos peruenerit.

M

Quotidianum cur addis & Hodie?

P

His duabus particulis ad moderationem institui mur ac continentiam: ne modum necessitatis vtriusque nostra excedant.

M

Cum hæc communis omnium esse debeat precatio, quæ fieri potest, vt diuites, qui domi abundant, repositamque in longum tempus annonam habent, sibi petant in diem dari?

P

Hoc diuites peræquè ac pauperes constitutum habere oportet, nihil eorum quæ habent, sibi profuturum, nisi quatenus & usum illis concesserit Deus, & sua gratia effecerit, vt usus ipse fructuosus sit & efficax. Itaque omnia possidendo nihil habemus, nisi quatenus in singulas horas ex manu Dei percipimus, quantum nobis necesse, satisque est.

M.

Quid continet quintum postulatum?

P.

Vt peccata nobis ignoscat Dominus.

M.

Nemone reperietur mortalium tam iustus, qui hac venia non indigeat?

P.

*Nemo prorsus. Hanc enim precandi formam cum Apostolis suis dedit Christus, vniuersæ Ecclesiæ destinauit. Quamobrem qui se hac necessitate eximere uolet, è societate fidelium exeat oportet. Et sanè audimus, quid Scriptura testetur nempe, qui in vno purgare se coram Deo contendet, deprehensum iri in mille reum. Vnicum ergo omnibus ad eius misericordiam per fugium restat.*

M.

*Quomodo peccata nobis remitti existimas?*

P.

*Sicut ipsa Christi uerba sonant: Esse nomina scilicet, quæ obstrictos æternæ mortis reatu nos teneant, donec mera sua liberalitate nos Deus liberet.*

M.

*Gratuita igitur Dei misericordia, peccatorum veniam obtinere nos dicis.*

P.

*Omnino. Nam si vnius vel minimi peccati redimenda sit pœna, nos satisfaciendo nequaquã erimus. Omnia igitur, gratuitò ignoscat & condonet necesse est.*

M.

*Quid ex hac remissione utilitatis ad nos redit?*

P.

*Tum illi perinde accepti sumus, ac si iusti essemus & innocentes: simulque paternæ eius beneuolentiæ fiducia, unde nobis certa salus, conscientijs nostris confirmatur.*

M.

*Hæc quæ apponitur conditio: ut nobis remittat, sicut nos remittimus debitoribus nostris: num mereri nos à Deo veniam significat: hominibus, siquid in nos peccârunt, ignoscendo?*

P.

*Minimè. Sic enim iam gratuita remissio non foret, nec sola Christi satisfactione, qua in cruce pro nobis defunctus est, sicuti par est, fundata. Verum, quia irrogatas nobis iniurias obliuiscendo, dum eius clementiam ac bonitatem imitamus, re ipsa nos eius filios esse demonstramus: hac ideo tessera confirmare nos uoluit: & simul ex aduerso ostendere, nisi faciles nos ad ignoscendum & flexibiles præbuerimus, nihil esse aliud à se expectandum, quàm summum & inexorabilem seueritatis rigorem.*

M.

*Hic ergo abdicari à Deo, expungique filiorum loco dicis omnes, qui offensiones ex animo deponere non possunt: ne quem sibi in cælo ueniæ locum fore confidant.*

P.

*Ita sentio: ut impleatur illud, Remensum cuique iri eadem mensura, qua erga alios usus fuerit.*

M.

*Quid postea sequitur?*

P.

*Ne nos Dominus in tentationem inducat, sed à malo potius liberet.*

M.

*Hoc totumne in vnâ petitionem includis?*

P.

*Non nisi vna est petitio. Posterius enim membrum, prioris explicatio est.*

M. Quid



M.

*Quid summatim continet?*

P.

*Ne ruere nos, aut labi in peccatum Dominus sinat: ne diabolo nos, carnisque nostræ cupiditatibus, quæ assiduam nostram bellum gerunt, vincendos permittat: quin potius sua nos ad resistendum virtute instruat, sustineat nos manu sua, presidio suo muniat ac tegat: ut ita sub fide tutelæque eius in tuto habitemus.*

M.

*Quo autem modo id fit?*

P.

*Cum eius Spiritu gubernati, tali iustitiæ amore desiderioque imbuimur, quo peccatum, carnem, & Sathanam superemus: tali rursus odio peccati, quod nos à mundo segregatos, in pura sanctitate contineat. In Spiritus enim virtute, victoria nostra consistit.*

M.

*Habentne omnes opus hoc auxilio?*

P.

*Et quis carere posset? Imminet enim perpetuò nobis diabolus, circum que instat leonis rugientis quærens quem deuoret. Nos verò, quæsumus imbecillitate, statim consideremus: imò singulis momentis ad eum de nobis foret, nisi Deus nos ad pugnam instrueret suis armis, manumque sua roboraret.*

M.

*Quid tibi significat Tentationis nomen?*

P.

*Aslus, fallaciæque Sathanæ, quibus nos continenter adoritur, & facile protinus circumueniret, nisi Dei ope adiuuaremur. Nam & mens nostræ, pro natiua sua vanitate, obnoxia eius dolis: & ut propensior est semper voluntas nostra in malum, protinus illi succumberet.*

M.

*Verum, cur deprecaris, ne te in tentationem inducat Deus, quod Sathanæ proprium, non autem Dei videtur?*

P.

*Sicut fideles protectione sua tuetur Deus, ne aut fraudibus opprimantur Sathanæ, aut à peccato superentur: ita quos vult punire, non modò destituit sua gratia, sed etiam Sathanæ tyrannidi tradit, cecitate percutit, & coniecit in reprobam mentem: ut prorsus sint peccato mancipati, & expositi ad omnes tentationum insultus.*

M.

*Quid sibi vult hæc, quæ adieciã est, clausula: Quoniam tuum est regnum, tua potentia, & gloria, in secula seculorum?*

P.

*Iterum hic admonemur, Dei magis potentia & bonitate suffultas esse preces nostras, quàm vlla nostri fiducia. Præterea Dei laudibus preces omnes nostras claudere docemur.*

M.

*Nihilne fas est à Deo petere, quàm quod est hac formula comprehensum?*

P.

*Tame si verbis alijs, alióque modo liberum est precari: sic tamen haben-*

dum est, nullam Deo placere orationem posse, quæ non huc, tanquam ad unicam ritè orandi normam, referatur.

## De sacramentis.

M.

Iam instituta à nobis ordinis ratio postulat, ut de quarta cultus Dei parte agamus.

P.

Hanc in eo sitam esse diximus, ut Deum agnoscamus bonam omnium auctorem: eiusque bonitatem, iustitiam, sapientiam, potentiam, laude & gratiarum actione prosequamur: quò in solidum bonorum omnium gloria penes ipsum resideat.

M.

Nullumne huius partis regulam præscripsit?

P.

Quicquid laudum eius extat in Scripturis, pro regula nobis esse debet.

M.

Nihilne habet oratio Dominica, quod huc pertineat?

P.

Nempe, quum optamus sanctificari eius nomen hoc optamus, ut omnibus eius operibus sua constet gloria. Ut sine peccatoribus ignoscat, misericors sine vindictam exerceat, iustus: iure præstet suis quod promisit, verax censeatur. Denique, ut quicquid operum eius cernimus, ad eum glorificandam nos excitet. Hoc verò est, bonorum illi omnium laudem tribuere.

M.

Quid tandem ex ijs, que hæcenus tractata sunt à nobis, colligimus?

P.

Quod scilicet veritas ipsa docet, & ego initio proposui: hanc esse vitam æternam, unum verum Deum nosse Patrem, & quem in se ipsum Christum. Titulum, inquam, nosse, ut debitum ei honorem cultumque exhibeamus, utque nolis non Dominus tantum sit, sed etiam Pater ac Servator, nosque illi vicissim filij, iimus & servi, & proinde vitam nostram illustrandæ eius gloriæ dedicemus.

M.

Qua via ad tantum bonum pervenitur?

P.

In hunc finem, sacrum suum verbum nobis reliquit. Est enim spiritus sanctus doctrina, quedam veluti ianua, qua ingredimur in cæleste eius regnum.

M.

Ubinam querendum nobis est hoc verbum?

P.

In Scripturis sanctis, quibus continetur.

M.

Ut fructum inde percipias, qualiter eo utendum est?

P.

Si ipsum solida cordis persuasione amplectimur, non secus ac certam veritatem è cælo profectam: si nos illi dociles præbemus: si voluntates mentisque nostras in eius obsequium subijcimus: si amamus ipsum ex animo: si cordibus nostris semel insculptam, fixas illic radices habet, ut fructum proferat in vitam: si denique  
forma-

*formam. r ad eius regulam: tum nobis in salutem, sicuti destinatum est, cedit.*

M.

*Suntne omnia hæc in facultate nostra posita?*

P.

*Nihil ipsorum prorsus, sed unius Dei est hoc totum, quod retuli, in nobis efficere Spiritus sui gratia.*

M.

*Verum, à non adhibenda est à nobis diligentia, & omni studio enitendum, legendo, audiendo, meditando, ut eo proficiamus?*

P.

*Imò verò: quum se quisque priuatim quotidiana lectione exerceat: tum verò simul omnes præcipue sedulo conciones frequentent, ubi salutis doctrina in cætu fidelium explicatur.*

M.

*Negas ergo esse satis, si domi seorsum singuli legant, nisi omnes simul in commune, ad eandem doctrinam audiendam conveniant?*

P.

*Conuenire necesse est, ubi licet, hoc est, quum facultas datur.*

M.

*Poterisne mihi hoc probare?*

P.

*Sufficere ad probationem abundè nobis debet una Domini voluntas. Hinc autem ordinem Eccl. sue commendauit, non quem duo aut tres duntaxat serua-  
rent, sed cui subessent communiter omnes. Ad hoc, illius tum ædificandæ, tum con-  
seruandæ hanc esse unicam rationem pronuntiat. Sit ergo hæc nobis sancta & in-  
uolabilis regula: nec sibi fas quisquam esse ducat, supra magistrum sapere.*

M.

*Estne igitur necesse, præesse Ecclesis pastores?*

P.

*Quinetiam necesse est audire ipsos, & quam proponunt Christi doctrinam, ex eorum ore cum timore & reuerentia excipere. Itaque qui ipsos contem-  
nit, audire ve detrectat, Christi cõtemnit, ac discessionẽ facit à societate fidelium.*

M.

*Verum, semelne à pastore suo fuisse institutum satis est homini Christiano, an cursum hunc tota vita tenere debet?*

P.

*Cõpisse parum est, nisi perseueres. Christi enim discipulos vsque in finem, vel potius sine fine esse nos oportet. Hanc vero functionem mandauit Ecclesie mi-  
nistrus, ut suo nos loco & nomine doceat.*

M.

*Non est aliud à verbo medium, ut loquuntur, quo se nobiscum Deus com-  
municet?*

P.

*Verbi prædicationi adiunxit sacramenta.*

M.

*Quid est Sacramentum?*

P.

*Externa diuinæ erga nos beneuolentiæ restificatio, quæ visibili signo spiri*

tuales gratias figurat, ad obfignandas cordibus nostris Dei promissiones, quò earum veritas melius confirmetur.

M.

Tantane vis subest visibili signo, ut cōscientias in salutis fiducia stabiliat?

P.

Id quidem à seipso non habet, sed ex Dei voluntate, propterea quòd sit in hunc finem institutum.

M.

Quum propriae sint Spiritus sancti partes, Dei promissiones in animis nostris obfignare, hoc tu sacramentis quomodo tribuis?

P.

Longum est inter illum & hæc discrimen. Mouere enim & afficere corda, illuminare mētes, conscientias reddere certas ac tranquillas, solius revera Spiritus est, ut id totum censei proprium ipsius opus debeat, illique acceptum referri, ne laus aliò transferatur. Minimè tamen hoc obstat, quominus sacramentis Deus utatur, tanquam secundis organis, eaque in usum adhibeat, pro ut visum fuerit: idque sic faciat, ne quid Spiritus virtuti derogetur.

M.

Vim ergo efficaciamque sacramenti non in externo elemento inclusam esse existimas: sed totam à Spiritu Dei manare.

P.

Sic sentio: nempe, ut virtutem suam exerere Domino placuerit per sua organa, quem in finem ea destinavit. Quod quidem ita facit, ut Spiritus sui virtuti nihil detrahat.

M.

Potésne mihi, cur ita agat, rationem reddere?

P.

Hoc scilicet modo infirmitati nostræ consulit. Nam si spirituales essemus toti, Angelorum instar spiritualiter tum eum, tum ipsius gratias possemus intueri. Verùm, ut hac terreni corporis mole circumdati sumus, figuris indigemus vel speculis, que nobis spiritualium cœlestiumque rerum aspectum terreno quodam modo exhibeant. Neque enim aliter eò perueniremus. Simul etiam nostra interest, in Dei promissionibus exerceri sensus omnes nostros, quò melius nobis confirmentur.

M.

Si verum est, ideo instituta esse à Deo sacramenta, ut sul sulia necessitatis nostræ forent, annon arrogantia damnari meritò deberet, si quis iudicaret, illis se, tanquam non necessarijs, posse carere?

P.

Omnino. Atque ad eò si quis illorum usu sponte abstineat: ac si opus non haberet, Christum contemnit, ipsius respuit gratiam, & Spiritum extinguit.

M.

Verùm, qualis ex sacramentis fiducia ad stabiliendas conscientias, & quàm certa securitas concipi potest, quibus utuntur promiscuè boni & mali?

P.

Quanquam oblata sibi in sacramentis, Dei dona, in nihilum, ut ita dicam, redigunt impij, quantum ad ipsos spectat, non tamen propterea efficiunt, quin sua vis & natura sacramentis maneat.

M.

Quo igitur modo, & quando usus Sacramentorum sequitur effectus?

P.

Quum ea fide recipimus, Christum in illis solum, eiusque gratiam quærentes!

M.

Cur illic quærendum esse Christum dicis?

P.

Intelligo non esse visibilibus signis in hærendum, ut salutem inde petamus, vel affixam illic conferendam gratiam virtutem imaginemur ac inclusam: quin potius adminiculi loco habendum esse signum, quo recta ad Christum dirigamur, salutem ab ipso & solidam felicitatem petaturi.

M.

Quum ad eorum usum requiratur fides: quæ nobis in fidei confirmationem data esse dicis, ut nos de promissionibus Dei reddant certiores?

P.

Fidem in nobis semel inchoatam esse nequaquam sufficit, nisi continenter alatur, & magis in dies magisque augeatur. Ad eam ergo tum alendam, tum roborandam, tum prouehendam Sacramenta instituit Dominus. Quod quidem significat Paulus, quum ad obsequiandas Dei promissiones valere tradit.

M.

Verum, nonne hoc infidelitatis indicium est, non habere Dei promissionibus solidam fidem, nisi aliunde nobis confirmentur?

P.

Fidei certè imbecillitatem hoc arguit, quæ filij etiam Dei laborant, qui tamen fideles propterea esse non desinant, licet fide præditi sint exigua adhuc & imperfecta. Quandiu enim versamur in hoc mundo, hærent semper in carne nostra diffidentia reliquia, quas aliter excutere non possumus, quam continuo usque ad vitæ finem profectu. Vtterius ergo semper progredi necesse est.

M.

Quot sunt Christianæ Ecclesiæ Sacramenta?

P.

Duo sunt omnino, quorum communis sit inter omnes fideles usus.

M.

Quæ sunt illa?

P.

Baptismus & sacra Cæna.

M.

Quid verò simile inter se habent vel diuersum?

P.

Baptismus veluti quidam in Ecclesiam aditus nobis est. Illic enim testimonium habemus, nos, quum alioqui extranei alienique simus, in Dei familiam recipi, ut inter eius domesticos censeamur. Cæna verò testatur, Deum se nobis, animas nostras alendo, Patrem exhibere.

M.

Quò clarius nobis innotescat utriusque veritas: de utroque seorsum tractemus. Primum, Quæ est Baptismi significatio?

P.

Ea duas partes habet. Nam ibi remissio peccatorum, deinde spiritualis re-  
generatio figuratur.

M.

Quid similitudinis inest aqua cum his rebus, ut eas representet?

P.

Peccatorum quidem remissio, species est lauacri, quo animae suis maculis absterguntur: non secus atque aqua abluuntur corporis sordes.

M.

Quid de regeneratione?

P.

Quoniam eius initium est, naturæ nostræ mortificatio: finis verò, ut nouæ creaturæ simus, in eo nobis proponitur mortis figura, quòd capiti aqua inijcitur: nouæ autem vitæ, in eo quòd non manemus sub aqua demersi, sed ad momentum duntaxat subimus tanquam in sepulchrum, ut statim emergamus.

M.

Num aquam esse animæ lauacrum censes?

P.

Nequaquam. Hunc enim honorem eripere Christi sanguini nefas est, qui ideo effusus fuit, ut abstergis omnibus nostris maculis, puros coram Deo & impollutos nos redderet. Atque huius quidem purgationis fructum percipimus, quum sacro illo sanguine conscientias nostras Spiritus sanctus aspergit. Ob signationem verò in sacramento habemus.

M.

Verum, annon aliud aqua tribuis, nisi ut ablutionis tantum sit figura?

P.

Sic figuram esse sentio, ut simul annexa sit veritas. Neque enim, sua nobis dona pollicendo, nos Deus frustratur. Proinde & peccatorum veniam, & vitæ nouitatem offerri nobis in Baptismo, & recipi à nobis certum est.

M.

An promiscuè in omnibus impletur hæc gratia?

P.

Multi dum illi sua prauitate viam præcludunt, efficiunt ut sibi sit inanis. Ita non nisi ad fideles solos peruenit fructus. Verum, inde nihil Sacramenti naturæ decedit.

M.

Regeneratio autem vnde?

P.

A morte Christi & resurrectione simul. Hæc enim vis subest eius morti, ut per eam crucifigatur vetus homo noster, & naturæ nostræ vitiositas quodammodo sepeliatur, ne amplius vigeat in nobis. Quòd autem reformamur in nouã vitam ad obediendum Dei iustitiæ, id est resurrectionis beneficium.

M.

Quomodo per Baptisimum nobis hæc bona conferuntur?

P.

Quia nisi promissiones illic nobis oblatas respiciendo infructuosas reddimus, vestimur Christo, eiusque Spiritu donamur.

M.

Nolis verò quid agendum est, ut ritè Baptismo utamur?

P.

Reclusi Baptismi vsus, in fide & pœnitentiâ situs est: hoc est, ut statua-

mus primùm certa animi fiducia, nos ab omnibus maculis, Christi sanguine purgatos, Deo placere: deinde ut Spiritum eius sentiamus ipsi in nobis habitare: atque id operibus apud alios declaremus: ut quæ assiduè nos in meditanda tum carnis mortificatione, tum iustitiæ Dei obedientia exerceamus.

M.

Si hæc requiruntur ad legitimum Baptismi usum, quæ fit ut infantes baptizemus?

P.

Non est necesse, ut Baptismum semper fides & pœnitentia præcedant: sed ab ijs tantùm exiguntur, qui per ætatem iam sunt utriusque capaces. Satis ergo fuerit, si infantes postquam adoleuerint, Baptismi sui vim exerant.

M.

Poterisne ratione demonstrare, nihil esse in ea re absurdi?

P.

Sane: si mihi concessum fuerit, nihil Dominum instituisse, quod sit à ratione dissentaneum. Nam quum Circumcisionem, pœnitentiæ signum fuisse Moyses & omnes Prophetæ doceant: fidei etiam Sacramentum teste Paulo, fuerit: videmus tamen ut infantes ab ea non exclusit.

M.

Sed eadême causa, quæ in Circumcisione valuit, nunc ad Baptismum admittendi sunt?

P.

Prorsus eadem: quum promissiones, quas olim Deus populo Israelitico dederat, nunc sint per totum orbem publicatæ.

M.

At quæ num inde colligis signum quoque usurpandum esse?

P.

Qui bene utrinque expendet omnia, hoc consequi animaduertet. Neque enim eius gratiæ, quæ Israeli antè collata fuerat, hac lege nos participes fecit Christus: ut vel obscurior erga nos esset, vel aliqua ex parte imminuta. Quin potius, & luculentius eam in nos & abundantius effudit.

M.

Putasne, si à Baptismo arceantur infantes, quicquam propterea Dei gratiæ decedere, ut dici possit Christi aduentu fuisse imminuta?

P.

Id quidem euidenter patet. Signo enim sublato, quod ad testandam Dei misericordiam & confirmandas promissiones plurimum valet, deesset nobis eximia consolatio, qua fruebantur veteres.

M.

Sic ergo sentis: quum Deus sub veteri Testamento, ut se Patrem paruulorum ostenderet, salutis promissionem in eorum corporibus insculptam esse voluerit signo visibili, indignum fore, si minus confirmationis à Christi aduentu habeant fideles: quando & eadem hodie nobis promissio destinatur, quæ olim Patribus: & clarius bonitatis suæ specimem nobis in Christo exhibuit Deus.

P.

Sic sentio. Præterea quum satis constet, vim substantiâque, ut ita loquar, Baptismi, infantibus esse communem: si illis negaretur signum, quod veritate est inferius, aperta illis iniuria fieret.

M.

*Qua ergo conditione baptizandi sunt infantes?*

P.

*Ut restatum fiat, benedictionis fidelium semini promissæ, ipsos esse hæredes: ut agnita, postquam adoleverint Baptismi sui veritate, fructum ex eo percipiant, ac proferant.*

M.

*Transcæmus ad Cænam. Ac primò quidem ex te scire velim, quæ sit eius significatio.*

P.

*Ideo à Christo instituta est, ut corporis & sanguinis sui communicatione educari in spem vitæ aternæ animas nostras nos doceret, idque nobis certum redderet.*

M.

*Cur autem pane corpus, vino sanguis Domini figuratur?*

P.

*Nempe hinc docemur, quam vim habet panis in nutriendis corporibus, ad sustinendam præsentem vitam, eandem corpori Domini inesse, ad alendas spiritaliter animas. Sicuti vino exhilarantur hominum corda, reficiuntur vires, totus homo roboratur: ita ex Domini sanguine, eosdem ab animis nostris usus percipi.*

M.

*Ergone corpore Domini & sanguine vescimur?*

P.

*Ita sentio. Nam cum in eo sita sit tota salutis nostræ fiducia, ut accepta nobis feratur obedientia ipsius, quam Patri præstitit, perinde ac si nostra foret: ipsum à nobis possideri necesse est. Neque enim bona nobis sua aliter communicat, nisi dum se nostrum f. cit.*

M.

*Atquæ, nonne tunc se dedit, cum se exposuit in mortem, ut nos à mortis iudicio redemptos, Patri reconciliaret?*

P.

*Id quidem verum est: sed non satis est nobis, nisi eum nunc recipiamus: quò mortis eius efficacia fructusque ad nos perveniat.*

M.

*Recipiendi porò modus an non fide constat?*

P.

*Fæcor. Sed hoc simul addo, fieri id, dum non solum mortuum credimus, quò nos à morte liberaret & si. sitatù, quò nobis vitã acquireret: sed in nobis quoque habitare agnoscimus, nosque illi coniunctos esse eo unitatis genere, quo membra cum capite suo cohærent: ut huius unitatis beneficio, omnium eius bonorum participes fiamus.*

M.

*Nunquid hanc communionem per solam Cænam obtinemus?*

P.

*Imò verò. Nam & per Evangelium, teste Paulo, nobis communicatur Christus: Et merito hoc Paulus docet: quum illic audiamus, nos carnem esse de carne eius, & ossa ex ossibus: ipsum esse panem vivum, qui è cælo adnutriendas animas*



*mas nostras, descendit: nos unum esse cū ipso, sicuti cum Patre unum est: & similia.*

M.

*Quid amplius ex sacramento consequimur, aut quid præterea utilitatis nobis confert?*

P.

*Hoc scilicet: quod illa, de qua dixi, communicatio nobis confirmatur & augetur. Tametsi enim tum in Baptismo, tum in Evangelio nobis exhibetur Christus: cum tamen non recipimus totum, sed ex parte tantum.*

M.

*Quid ergo in symbolo panis habemus?*

P.

*Corpus Christi, ut semel pro nobis ad nos Deo reconciliandos immolatum fuit, ita nunc quoque nobis dari: ut certò sciamus, reconciliationem ad nos pertinere.*

M.

*Quid in sanguinis symbolo?*

P.

*Christum ut suum sanguinem semel in peccatorum satisfactionem, pretiumque redemptionis nostræ ipsum effudit, ita nunc eum nobis bibendum porrigere, ut fructum, qui inde peruenire ad nos debet, sentiamus,*

M.

*Secundum has tuas responsiones, sacra Domini Cæna ad eius mortem nos amandat, ut eius virtuti communicemus.*

P.

*Omnino. Tunc enim unicum, perpetuumque sacrificium, quod in salutem nostram sufficeret, peractum est. Proinde nihil restat amplius, nisi ut ipso fruamur.*

M.

*Ergo nõ in hunc finem instituta est Cæna, ut Deo Filij sui corpus offeratur.*

P.

*Minimè. Solus enim ipse, quum æternus sit Sacerdos, hanc prerogativam habet. Atque hoc sonant eius verba, quum ait: Accipite & manducate. Neque enim ut offeramus corpus suum, sed tantum, ut eo vescamur, illic præcipit.*

M.

*Cur duobus utimur signis?*

P.

*In eo Dominus infirmitati nostræ consuluit, quò nos familiarius doceret, se non cibum modò animis nostris, sed potum quoque esse, ne alibi quàm in eo solo ullam spiritualis vitæ partem quaramus.*

M.

*An utroque uti per æquè omnes absque exceptione debent?*

P.

*Ita fert Christi mandatum: cui villo modo derogare, aliquid contrà tentando, summum est nefas.*

M.

*Solámne eorum, quæ dixisti, beneficiorum significationem habemus in Cæna, an illic re ipsa nobis exhibentur?*

P.

*Cum Dominus noster Christus ipsa sit veritas: minimè dubium est, quin promissiones, quas dat illic nobis, simul etiam impleat: & figuris suam addat veritatem.*

tem. Quamobrem non dubito, quin sicuti verbis ac signis testatur, ita etiam suos nos substantia participes faciat, quò in unam cum eo vitam coalescamus.

M.

Verùm, quò hoc fieri potest, quum in cælo sit Christi corpus: nos autem in terra adhuc peregrinemur?

P.

Hoc mirifica arcanaque Spiritus sui virtute efficit: cui difficile non est sociare, quæ locorum intervallo alioqui sunt disiuncta.

M.

Ergo nec corpus in pane inclusum esse, nec sanguinẽ in calice imaginariis.

P.

Nequaquam. Quin potius ita sentio, ut veritate potiamur signorum, erigendus esse in cælum mentes, ubi Christus est, & unde eum expectamus iudicem & redemptorem: in his verò terrenis elementis, perperam & frustra queri.

M.

Ut in summam colligamus quæ dixisti: duas in Cœna res esse asseris: nempe, panem & vinum, quæ oculis cernuntur, attrectantur manibus, percipiuntur gustu: deinde Christum, quo interius animæ nostræ, tãquam proprio suo alimento, pascuntur.

P.

Verùm: & eò quidem usque, ut corporum etiam resurrectio illic nobis, quasi dato pignore, confirmetur: quum & ipsa vitæ symbolo communicent.

M.

Quis autem rectus erit huius sacramenti ac legitimus usus?

P.

Qualem Paulus definit: Ut probeat se ipsum homo, priusquam eò accedat.

M.

Quidnam in hac probatione inquiret?

P.

Num verum sit Christi membrum.

M.

Quibus ad eius rei notitiam argumentis perueniet?

P.

Si vera sit pœnitentia fidẽque præditus: si proximos sincero amore prosequatur: si animum ab omni odio malevolentiaque purum habeat.

M.

Num perfectam in homine tum fidem, tum charitatem exigit?

P.

Utramque sanè integram & ab omni fuceo vacuum esse conuenit. Verùm, frustra exigitur: tam absoluta numeris omnibus perfectio, in qua nihil desideretur, quando tanta nunquam in homine inueniri poterit.

M.

Non ergo ab accessu nos arcet imperfectio quæ adhuc laboramus.

P.

Quin potius, si perfecti essemus, nullum amplius usum inter nos haberet Cœna: quæ iubeunda nostræ imbecillitati adminiculum esse debet ac imperfectio nis subsidium.

M.

Nullumne præterea alium finem propositum habent duo hæc Sacramenta?

P.

*Sunt etiam professionis nostræ notæ, & quasi tesserae quædam. Illorum enim vsu fidem apud homines nostram profitemur, & testamur nos vnum habere in Christo religionis consensum.*

M.

*Si quempiam contingeret eorum vsu a spernari, quo loco habendus esset?*

P.

*Hæc verò obliqua esset Christi abnegatio. Certè qui talis est, quum se Christianum confiteri non digne tur, indignus est, qui inter Christianos censeatur.*

M.

*Satisne est, in totam vitam vtrunque semel recepisse?*

P.

*Vsq; adeo sufficit vnus Babrismus, vt repetere fas non sit. Cœnæ autem diuersa est ratio.*

M.

*Quod est discrimen illud?*

P.

*Per Baptismum nos adoptat, & in Ecclesiam suam allegit Dominus, vt pro domesticis nos exinde habeat. Postquam nos adscripsit in numerum suorum, per Cœnam testatur, de nobis continenter alendis curam se habere.*

M.

*Promiscuè ne ad omnes pertinet tam Baptismi quàm Cœnæ administratio?*

P.

*Eorum, quibus mandatum est publicum docendi munus, propriæ sunt istæ partes. Sunt enim res inter se perpetuo nexu coniunctæ, pascere Ecclesiam scilicet doctrina, & sacramenta administrare.*

M.

*Possisne mihi Scripturæ testimonio id comprobare?*

P.

*Baptizandi quidem mandatum Christus peculiariter Apostolis dedit. In cœnæ celebratione exemplum suum iussit nos sequi. Referunt autem Euangelistæ, ipsam in ea distribuenda, publici ministri fecisse officium.*

M.

*Verùm debentne Pastores, quibus commissæ est dispensatio, passim omnes & absque delectu admittere?*

P.

*Quo ad Baptismum pertinet, quia non nisi infantibus hodie confertur, discretio locum non habet. In Cœnâ verò cauere debet minister, ne cui ipsam porrigat, quem indignum esse palàm constet.*

M.

*Cur id?*

P.

*Quia non sine contumelia & profanatione Sacramenti fieret.*

M.

*Atquæ, nonne Iudam, quamlibet impius esset, eius communionem dignatus est Christus?*

P.

*Fateor: quum adhuc occulta foret eius impietas. Tametsi enim Christum*

*non latebat, nondum tamen prodierat in lucem, notitiámque hominum.*

M.

*Quid ergo hypocritis fiet?*

P.

*Eos, tanquam indignos, arcere pastor non potest: sed supersedere debet, quo usque eorum nequitiam, ut hominibus innotescat, Deus reuelauerit.*

M.

*Quid si quempiam ipse indignum nouerit, aut fuerit admonitus?*

P.

*Ne id quidem ad eos communionem abdicandos foret satis: nisi legitima cognitio, Ecclesiæque iudicium accedat.*

M.

*Certum ergo gubernationis ordinem constitutum in Ecclesiis habere, operæpretium est.*

P.

*Verum est: nec enim aliter bene moratæ sunt, nec ritè composita. Hæc autem ratio est, ut deligantur seniores, qui morum censuræ præsent, cauendisque offendiculis inuigilent. & quos agnouerint recipiendæ Cœnæ nequaquam esse capaces, nec admitti quidem posse quin sacramentum polluat, eos à communicatione reijciant.*

*Catechismi Finis.*

## PRECATIONES ALIQVOT PIÆ.

### *Precatio matutina.*

*DEVS mi, Pater mi, & Seruator, qui gratia erga me tua effecisti, ut transacta nocte ad hunc diem peruenirem: fac etiam, ut ipsam totum in sanctissimi numinis tui cultu & ueneratione consumam. Nihilominus aut cogitem, aut dicam, aut faciam, quod eò non tendat, ut tibi obsequar, & uoluntati tuæ morem geram: quò scilicet actiones omnes meæ referantur ad gloriam nominis tui, atque fratrum meorum salutem: dum exemplo meo ad te colendum instruantur. Atque ut mundum hunc, ad uitæ externæ usus, Solis tui splendore illuminas: ita fulgore Spiritus tui, mentem meam illustra, qui me in uia iustitiæ tuæ dirigat. Quamcunque ad rem applicem animum meum, ut mihi semper sit propositus finis, ut tibi, honorique tuo inseruiam. Omnem felicitatem à gratia & beneficentiâ tua sola expectem. Nec quicquam omnino aggrediar, quod tibi gratum non sit. Effice præterea, ut dum huius uitæ tuendæ causa laboro, & ea curo quæ ad uictum & cultum corporis pertinent: altius tamen erigam animum, ad beatam nempe & cœlestem uitam, quam filijs tuis promisisti. Nihilominus, tam animæ quàm corporis protectiorem te mihi exhibendo, aduersus omnes Sathanæ insultus me confirmes ac munias: & ab omnibus periculis, quæ nobis assidue in hac uita impendent, liberales. Ad hæc, cum parum sit cœpisse, nisi perseuerem, ideo à te peto Domine, ne mihi in hodiernum diem tantum dux sis ac rector, sed usque ad uitæ finem me in tuam fidem suscipias, quò sub tuis auspicijs, totus uitæ meæ cursus transigatur. Et quia pro-*

proficiendum nobis est, gratiæ in me tua dona adauge indies, tantisper dum penitus adhaream Filio tuo, Iesu Christo, quem verum Solem lucentem perpetuò in animis nostris meritò appellamus. Quæ tot tantæque beneficia, vt abs te obtineam, obliuiscere delictorum meorum, cæque, infinita misericordia tua remitte: quod te facturum promisisti ijs qui te ex animo inuocauerint, Amen.

Ex Psalmo cxliij.

**FAC** vt manè audiam pietatem tuam: quoniam in te speraui. Ostende mihi viam in qua ambulem: quoniam ad te leuavi animam meam. Libera me de inimicis meis, Domine, ad te confugi. Doce me, vt faciam voluntatem tuam: quia tu es Deus meus. Spiritus tuus bonus deducat me in terra recta.

QVVM ADEVNDA EST SCHOLA.

Ex Psalmo cxix.

**IN QVO** instituet adolescens viam suam? Si prudenter se gerat iuxta sermones tuos.

**EX** animo te exquisiui, ne sinas me aberrare à præceptis tuis.

**DOMINE**, qui fons es sapientiæ omnis & doctrinæ: quando pro singulari tua bonitate, hoc mihi præstas, vt bonus artifex imbiatur hæc mea pueritia, quæ mihi ad sanctè honestèque viuendum sunt adiumento: mentem quoque meam, quæ cecitate alioqui laborat, illustrando, simul effice, vt ad percipiendam doctrinam sim idoneus memoriam meam confirma, vt quod didicero, fideliter habeat: cordemque meum gubernas, vt ad proficiendum voluntarius atque etiam audus accedam, ne mihi hæc quam tu nunc concedis, facultas, mea ignauia precreat. Proinde Spiritum in me tuum infunde: Spiritum, inquam, intelligentiæ, veritatis, iudicij, ac prudentiæ: ne successu studium meum careat, & irritus sit erga me magistri labor. Porò quodcunque studij genus suscipiam, fac vt illud in rectam finem destinare meminerò: nempe, vt te in Christo Filio tuo cognoscam. Atque ita quicquid addiscam, mihi sit ad rectam pietatis regulam adminiculo. Ad hæc quando paruulos & humiles, sapientiæ: rectos corde, notitia tui, illustraturū te promittis: superbos verò & improbos deiecturum te deuuntias, vt in sensu suo euanescant: peccato vt me ad veram humilitatem formare velis, quam me tibi primum, deinde etiam ijs qui mihi tua authoritate præsumt, docilem & obsequentem exhibeam: simul vt cordi meo, euulsis inde vitiosis cupiditatibus, seruum querendi tui desiderium insculpas. Hic denique mihi vnus sit propositus finis, me sic comparare in hac tenera ætate, vt cum adoleuero, ad quodcunque vitæ genus me vocaueris, in eo tibi seruiam.

Ex Psalmo xxvj.

Secretum Domini timentibus eum, & factus suum notum illis faciet.

BENEDICTIO MENSAE.

Omnia ad te respiciunt Domine, & tu das illis escam tempore: te illis dan-

*te, colligunt: te manum aperiente, omnia implentur abundantia.*

*Ex Psalmo ciiij.*

*DOMINE, penes quem fons est bonorum omnium, & inexhausta scaturigo, benedictionem tuam in nos effunde, nolisque cibum & potum, quæ tuæ erga nos benignitatis dona sunt, in usum nostrum sanctifica, ut sobriè, sicuti præcipis, & frugaliter ijs utentes, vescamur pura conscientia. Fac etiam, ut te Patrem semper, bonorumque omnium authorem, & agnoscamus vera animi gratitudine, & ore prædicemus: ac sic fruamur corporis alimentis, ut præcipuo tamen cordis affectu aspiremus ad spiritualem doctrinam tuam panem, quo animæ nostræ in spem æternæ vitæ pascantur. Per Iesum Christum Dominum nostrum.*

*Deuteronomij cap. viij.*

*Non in solo pane vivit homo: sed in omni sermone, qui procedit ex ore Dei.*

*POST PASTVM GRATIARVM ACTIO.*

*Ex Psalmo cxvij.*

*Omnes gentes laudent Dominum: omnes populi canant laudem Deo.*

*Quia multiplicata est super nos misericordia eius, & Veritas ipsius manet in æternum.*

*GRATIAS agimus Deus ac Pater, de tot beneficijs, quæ nobis assidue pro infinita tua benignitate largiris. Primum, quod omnia, quibus ad sustinendam præsentem vitam indigemus, adminicula suppeditando, corporis etiam nostri curam te habere demonstras: tum verò præcipue quod in spem melioris vitæ, quam nobis sacro tuo Evangelio reuelasti, nos regiguere dignatus sis. Teque oramus, ne mentes nostras in corporibus sepultas, curis & cogitationibus terrenis affigi patiaris. Quin potius effice, ut sursum erecti perstemus in expectatione Christi Filij tui, donec à cælo in redemptionem, salutemque nostram appareat, Amen.*

*SUB NOCTEM, QUVM ITVR DORMITVM.*

*DOMINE Deus, qui noctem destinasti hominis quieti, sicut diem creasti, in quo se laboribus exerceat: effice, quaeso, ut sic quiescat hac nocte corpus meum, ne animus interea vigilare tibi designat: ne fatiscat cor, aut corpore obruatur, quin semper erectum in amore tui perjet. Ita laxandi, subleuandique animi gratia, sollicitudines deponam, ne tui interea obliuiscar: aut memoria mea excidat, quæ penitus menti meæ inherere semper debet, bonitatis & gratiæ tuæ recordatio. Hoc quoque modo sicuti quiescit corpus, ita etiam sua quiete conscientia mea fruatur. Fac præterea ne in capiendo somno carnis delicijs indulgeam: sed tantum mihi concedam, quantum natura huius imbecillitas postulat: quò deinde ad te colendum sim expeditior. Denique iocastum me & impollutum, non animo minus quam corpore, & à periculis omnibus tutum servare velis, ut ipse quoque som-*

*somnus meus in nominis tui gloriam cedat. Quoniam verò dies hic elapsus mihi non est, quin pluribus te modis, qua sum in malum propensione, offenderim: sicut tenebris noctis omnia nunc obteguntur, ita quicquid est in me peccatorum, misericordia tua sepultum lateat. Exaudi me Deus, Pater & Seruator, per Iesum Christum Filium tuum, Amen.*

## F I N I S.

### FORMVLA SACRAMENTORVM

administrandorum, in vsu Ecclesiæ Geneuensis conscripta.

*Dudum à Ioanne Caluino Gallicè conscripta, nunc in Latinum conuersa ab alio quopiam.*

### FORMVLA BAPTISMI

administrandi.

*IN* primis illud scire oportet, apportandos esse infantes ad Baptismum, aut Dominicis diebus Catechismi tempore, aut alijs diebus ad concionem: vt quem admodum Baptismus solennis quedam est cooptatio in Ecclesiam, ita in conspectu & oculis rotius concionis celebretur.

*Absoluta concione, offertur infans. Tum Minister publicus ita exorditur.*

*AUXILIUM* nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram, Amen. *Huncine infantem offertis, vt baptizetur?*

*Responso: Maxime.*

*Minister.*



*OMNIVS* nobis dilucidè commonstrat, quanta in foeditate & miseria, vitiositateque nascimur ac suscipimur, quum ait nobis renascendum esse. Etenim si naturam nostram renouari oportet, vt in Dei Regnum intronittamur: satis magnum argumentum est, eam penitus corruptam Deoq̄ detestabilem esse. Itaque hac de causa monet nos, vt summisso & humili animo simus, nostraque nobis turpitudine acerbitati & odio sit. Eaque ratione nos ad gratiam ipsius expetendam præparat, qua prioris naturæ nostræ peruersitas & indignitas extinguatur, & funditus deleatur. Neque enim prius ei locus est in nobis, nisi quum totius nostræ virtutis

ius, iustitiæ, sapientiæ fiduciam usque eò abijcimus, ut quæcunque in nobis sunt dannemus ac repulsemus.

Porò autem ubi nostram nobis turpitudinem fœditatémque aperuit, ac cõmonstravit, tum consolationem nobis pro sua misericordia impertit, pollicens fore ut Spiritu suo sancto nos in vitam alteram exsuscitet, quæ nobis quasi ingressus quidam sit in ipsius Regnum. Hæc regeneratio bipartita est: nam & nobis prorsus renuntiandum est: ac neque rationi, neque voluntati, neque voluptati libidinique nostræ obtemperandū: quàm potius mentem animūque nostrum, sapientiæ, iustitiæque Dei subijci oportet, & quicquid ex nostro est & nostra carne extinguitum præterea lucem Domini sequi convenit, eiuſque sanctissimæ voluntati morem gerere: quemadmodum ipse verbo suo nos docet, Spirituque suo sancto nobis præluacet, viamque cõmonstrat. Vtrūque autem hoc in Domino nostro Iesu Christo impletum ac perfectum est: cuius mors & supplicium eam vim habet, ut eo participantibus quasi sepulti peccato sumus, ut carnis nostræ concupiscentiæ mortificentur atque extinguantur. Huc accedit, quod vi resurrectionis ipsius, in vitam novam excitamur, quæ à Deo est, quatenus Spiritus eius nos regit ac moderatur, ut in nobis ea opera perficiat, quæ illi grata & accepta sint. Hoc tamen caput est salutis nostræ, ut nobis delicta omnia nostra pro sua misericordia condonet, ea nobis non imputans, sed eorum memoriam delens atque obliterans, ne quando nobis ea in iudicio illius obijciantur. His omnibus beneficijs afficimur, quàm per Baptismum in corpus Ecclesiæ nos inserit. In hoc enim sacramento nobis peccatorum remissionem testificatur. Ob eamque causam aquæ signam notamque instituit, significans atque adeò apertè ostendens, quemadmodum eo elemento maculæ corporis eluuntur, eodem modo velle se animos nostros purgare atque expiare, ut ne vlla amplius labes aut macula appareat. Hoc amplius, renovationem nobis nostram in eo offert, quæ, quemadmodum iam diximus, versatur in carnis nostræ mortificatione, vitæque spiritali, quam in nobis effert ac procreat. Itaque duplici beneficio afficimur à Deo in Baptismo: modo ne vim huiusce Sacramenti ingrato & immemori animo extinguamus. Nam & testimoniū in eo certissimū habemus, Deum velle nobis parentis esse propitiij loco: neque eum delicta nostra nobis imputaturum: tum autem Spiritu suo sancto nobis præsto futurum, ut Diabolo, peccato & carnis nostræ concupiscentijs resistere tandiū & repugnare possimus, dum victoriam consequamur, ut in Regni sui libertate vivamus, quod iustitiæ & æquitatis Regnum est.

Quum igitur hæc duo in nobis per Iesu Christi gratiam impleantur, satis constat Baptismi veritatem & substantiam in eo comprehendi, & concludi. Non enim aliud lauacrum habemus, nisi eius sanguinem: neque aliam renovationem, nisi in eius morte & resurrectione. Sed quemadmodum nobiscum bona divitiæque suas per verbum communicat, eodem modo per Sacramenta nobis ea imperat & elargitur.

Iam verò optimus & benignissimus Deus noster non contentus nos in filios suos adoptasse, atque in Ecclesiæ suæ communionem admisisse, largius adhuc atque prolixius suam in nos benignitatem conferre voluit: nobis videlicet pollicens fore ut Deus sit & noster, & verè etiam generis posteritalisque nostræ, ad usque millesimam generationem. Quamobrem etsi fidelium liberi sint ex A-



dami corrupta stirpe ac genere, eos tamen ad se nihilominus admittit, propter fœdus videlicet cum eorum parentibus initum, eosque pro liberis suis habet ac numerat: obeamque causam iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ, voluit infantibus Circumcisionis notam imprimi atque insigniri: quæ quidem nota, iam tum eadem omnia significabat ac demonstrabat, quæ hodie in Baptismo designantur. Et quemadmodum eos circumcidi iubebat: sic in suorum liberorum loco ac numero eos habebat: seque parentem ipsorum, non minus quàm eorum à quibus geniti erant, profitebatur.

Nunc verò, quum Dominus Iesus in terras descenderit, non quò Dei Patris gratiam & beneficium imminueret, sed quò salutis fœdus per omnes terrarum fines propagaret, quæ tum temporis in populo Iudæico inclusa fuerat: minime dubium est, quin liberi nostri heredes sint eius vitæ ac salutis, quam nobis est pollicitus: quæ de causa sanctificari eos Paulus affirmat, iam inde ab utero matris, quò à barbarorum & à religione nostra abhorrentium hominum liberis discernantur. Eòque Dominus noster Iesus Christus pueros qui ei offerebantur, admisit: sicuti scriptum est Matthæi decimonono capite: Tum oblatis sunt ei paruuli, ut manus eis imponeret & oraret: discipuli autem eos increpabant. Iesus verò ait eis: Sinite paruulos, & ne prohibeatis eos ad me venire. Talium est enim regnum cælorum. Quum affirmat regnum cælorum eorum esse, ijsque manus imponit, & Deo Patri suo eos commendat, satis nos docet, minime excludendos esse illos ab ipsius Ecclesiâ. Hanc igitur ipsius regulam & præscriptionem sequentes, infantem hunc in eius Ecclesiâ admittimus: ut cum eo bona omnia, quæ suis fidelibus promisit, communicemus. Ac principio eum nos adhibita precatione illi offeremus, humili ac summissio animo suppliciter dicentes,

**DOMINE DEVS**, Pater æternæ & omnipotens, quando pro tua infinita clementia nobis pollicitus es fore te Deum & nostrum, & liberorum nostrorum: oramus te, ut beneficium illud tuum in hoc infante confirmare digneris, parentibus ijs genito, quos in Ecclesiâ tuâ cooptasti. Et quemadmodum tibi à nobis offertur ac consecratur, ita in tutelam tuam eum recipias, Deum te & seruatorem ei demonstrans, peccatum ei originis condonans ac remittens, cuius genus omne Adam culpam sustinet: eumque præterea Spiritu tuo sanctificas, ut quum ad ætatem maturam iudicio atque intelligentiæ progressus erit, te solum Deum & seruatorem agnoscat, & veneretur, per omnem vitæ cursum tibi laudem & gloriam tribuens, ut perpetuò suorum peccatorum condonationem abs te consequatur. Ut verò beneficia hæc accipere possit, eum tu in in cõmunionem Domini nostri Iesu cooptare digneris, ut omnibus eius bonis, tanquam vnum ex eius corporis membris participet. Exaudi nos Parens misericordiæ, ut Baptismus, quem ei ex lege institutòque tuo impertimus, fructum vniunque suam exerat, qualem nobis Euangeliij tui doctrina commonstrat.

Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua, ut in cœlo sic & in terris. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & remitte nobis debita nostra, ut & nos remittimus debitoribus nostris, nève nos inducas in tentationem sed nos à malo libera, Amen.

**QVONIAM** admittendus est hic infans in Christianam Eccle-

siam, spondetis, quum ad aetatem iudicij prudentiaque compotem peruenierit, eum vos doctrinae quae à populo Dei recepta & probata est, instructuros: sicuti breuiter & summatim comprehensa est in ea confessione fidei, quam omnes tenemus.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli & terrae. Et in Iesum Christum eius Filium, Dominum nostrum: conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria virgine, supplicio affectum à Pontio Pilato, cruci suffixum, mortuum & sepultum: qui descendit ad inferos: tertio post die resurrexit ex mortuis, ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus, ut iudicet viuos & mortuos.

Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam vniuersalem, communionem sanctorum, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam, Amen.

Spondes igitur daturum te operam, eum ut omni hac disciplina instruas, ac generatim omnibus ijs quae scriptis diuinis continentur, id est tum veteri, tum nouo Testamento: ut ea amplectiatur & audiat tanquam verbum sermonemque Dei certissimum, caelitus demissum. Eum praeterea cohortabere, ut ad eam normam & regulam vitam suam instituat, quam nobis Deus in Lege sua praescripsit: cuius haec summa sunt capita: primum, ut Deum toto pectore, animo & viribus, tum praeterea proximum nostrum non secus quam nosmetipsos diligamus. Item, ut sermoni & admonitionibus quas nobis per Prophetas & Apostolos suos Deus tradidit, fidem habens, ac si ipsi suisque concupiscentijs renuntians, omne suum studium in praedicando nomine Iesu Christi, & proximo edificando collocet.

Mat. 22.  
Marc. 12.

Promissione facta, nomen infanti imponitur: tum in eum aquam Baptismi minister publicus effundit, inquitens,

#### N. BAPTIZOTE IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

Horum nihil nisi clara voce pronuntiatum, linguaque patria omnia nuntiantur: quippe, quum multitudo quae ad hoc mysterium assistit, testis esse debeat eorum quae in eo fiunt: quum ad rem intelligentia necessaria est: quum etiam, ut omnes magis magisque confirmentur, reuocantes animum ad memoriam fructus & utilitatis sui Baptismi.

Neque verò ignoramus alijs in locis adhiberi alias ceremonias quamplurimas, quas vetustissimas esse minime diffuemur. Sed quoniam aut hominum arbitrio atque libidine, aut certè leui aliqua de causa excogitatae sunt: denique, quoniam sine verbo Dei factae & inductae sunt: ac tam multae praeterea superstitiones inde manarunt, nobis sanè sine vlla religione visum est eas tolli atque aboleri oportere, ut ne posthac cuiquam praeccluderetur aditus ad Iesum Christum. Primum enim satis constat, quaecunque à Deo praescripta atque instituta non sunt, ea omnia libertati arbitriique nostro relinquere: hoc amplius, quicquid ad edificationem confirmationemque pietatis non pertinet, id minime recipiendum esse in Ecclesiam: quòd si in eam inductum esset, tollendum ac remouendum esse. Quo magis id quod nihil nisi scandalum & offensionem parit, quasi que idololatriae instrumentum quoddam est, & commentitiarum opinionum, nullo modo tolerandum est.

At-

Atquæ non dubium est, quin luminaria, unguenta (quæ Chrysmata nominantur) aliæ que pompæ generis eiusdem, à Deo nunquam instituta sint, sed ab hominibus introducta: sensimque eò progressa superstitione sit, ut maiore in pretio atque honore haberentur, quam ipsum Christi institutum. Illud profectò negari nullo modo potest, quin eam ipsam baptismi formam ac rationem teneamus, quam & Christus præscripsit, & Apostoli secuti sunt, & verò etiam primaria & antiqua Ecclesia in more atque instituto habuerit: neque alio nomine culpari possumus, nisi quòd Deum ipsum sapientia superare atque antecellere nolumus.

## RATIO CELEBRANDÆ COENÆ Dominicæ.

**R**incipiò illud scire oportet, die dominico qui proximè ei diei antecedit quo cœna celebranda est, prius hoc denuntiari populo: primùm ut se quisque ad eam dignè recipiendam comparet, eaque reuerentia, qua ratio postulat: tum ne Pueri eò adducantur, nisi qui commodè instituti, fidemque suam in Ecclesia professi sint. tertio, ut si fortè aduenæ quidam & peregrini in vrbe sint, nondum religionis disciplinaeque nostræ institutis imbuti, ò si participare sacramento velint, ad ministros adeant, à quibus in priuatis ædibus erudiantur. Quo die celebranda est, Minister aut breuiter extrema concione de ea commemorat: aut si res postulare videatur, sermonem omnem in ea tractanda explicandaque consumit: ut populum doceat quid hoc mysterio Dominus designet ac significet, & qua ratione eo sit participandum.

À soluta precatione, confessioneque fidei, ut multitudinis totius nomine Concionator testetur, velle omnes in doctrina religionæque Christiana viuere ac mori, clara & magna voce hæc pronuntiat.

Audite qua ratione Iesus Christus sacrosanctam suam cœnam instituerit: sicuti Paulus memoriæ tradidit vndecimo capite Epistolæ, quæ prior ad Corinthios scripta est.

Accepi, inquit, à Domino, quod & tradidi vobis, quòd Dominus Iesus in ea nocte qua traditus est, accepit panem: & postquam gratias egisset, fregit, ac dixit: Accipite, edite: hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei commemorationem. Ad eundem modum & poculum peracta cœna, dicens: Hoc poculum nouum testamentum est in meo sanguine. hoc facite quotiescunque biberitis, in mei commemorationem. Quotiescunque enim comederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec venerit. Itaque quisquis ederit panem hunc, aut biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem homo seipse, & sic de pane illo edat, & de poculo bibat. nam qui edit aut qui bibit indignè, iudicium sibi ipsi edit & bibit, non diiudicans corpus Domini.

Audiuimus, fratres, quemadmodum Dominus Cœnam suam vnà cum discipulis suis fecerit: ex quo quidè illud intelligi voluit, extraneos eosque qui in suorum numerum recepti non sunt, minimè esse admittendos. Quamobrem hanc ego regulam & præscriptionem secutus, in nomine atque auctoritate Domini nostri

Iesu Christi, hinc ego arceo ac repello, atque hoc sacrosancto mysterio interdicto omnibus idolorum cultoribus, impiè & contumeliosè de Deo loquentibus, impijs & consecratis hominibus, numè que contemnentibus, hæreticis, ijsque omnibus qui certas sectas hæresesque sectantur, quò vinculum & communionem Ecclesiæ perfringant, periuros, contumaces in vtrunque parentem, ac superiores, seditiosos, factiosos sicarios, concitos ad rixam, adulteros, stupros, furtus, rapina, auaritia, vino, gula ventrisque vitio deditos, quicumque vita rationem sequuntur flagitiosam & offensiones ac scandala parientem, ijsque palàm denuntio, vt ab hoc sacrosancto conuiuio abstineant, ne sanctissimas epulas quas Dominus solis suis domesticis & fidelibus parauit, foedè polluant atque contaminent.

Itaque Pauli consilio atque cohortationi parens, se quisque suamque conscientiam probet atque examinet, ac videat num verè se suorum scelerum pœniteat, atque ex ijs dolorem animo maximum capiat, capiens posthac vitam honestè ac sanctè instituere: sed multò maximè, an fiduciam habeat in Dei misericordia fixam & positam, & in Christo Iesu suam salutem omni ex parte querat, omnibus inimicitijs, ac simultatibus nuntium remittens, nihilque aliud studens, nisi vt posthac fraterna beneuolentia & charitate proximos suos complectatur.

Quòd si hoc studium in nobis esse nostra conscientia coram Deo testatur, ne dubitemus, quin habeat nos in filiorum loco & numero, Dominusque noster Iesus Christus nos appellet, atque ad conuiuium suum inuitet, sanctissimumque hoc sacramentum nobis offerat, quod cum discipulis suis communicauit.

Et quanquam plurimum in nobis fragilitatis & miserie sentimus, neque fide perfecta præditi sumus, sed in diffidentiam & incredulitatem propendimus: multumque abest vt tanto studio atque ardore animi Deo seruiamus, quam ratio exigit, quin potius bellum nobis assiduè aduersus carnis nostræ concupiscentias gerendum est, quoniam tamen Dominus nobis lenigntate sua concessit, vt eius Euangelium in animis nostris impressum atque insculptum sit, quò incredulitati diffidentiaque resistamus, nobisque desiderium largitus est, cupiditatibus nostris renuntiandi, quò iustitiam illius, sanctissimásque leges & præceptiones obseruemus, certum atque exploratum habeamus, vitia omnia que in nobis sunt, minimè obfuturà, quò minus nos admittat, dignosque reddat, qui spirituali hoc conuiuio participemus. Neque enim ob eam causam huc venimus, vt profiteamur nos integros & iustos esse in nobismetipsis: sed potius vitam nostram magno studio in Christo Iesu quærentes, fatemur nos in morte atque exitio versari. Teneamus igitur atque intelligamus, sacramentum hoc morbo ac dolore affectus medicinam esse, dignitatè que omnem quam à nobis Deus requirit, in eo versari, vt nosmetipsos quemadmodum recta ratio præscribit agnoscamus, dolorè que maximum ac maxorem ex vitijs nostris capiamus, voluptatè que & latitiã omnem in eo collocemus.

Primum igitur fidem habeamus promissis, quæ Christus Iesus, veritas ipsa constans & firma, nobis ostendit: velle se videlicet verè nobiscum carnem & sanguinem suum communicare, vt eum totum atque integrum possideamus, ipseque in nobis viuat, & nos in illo. Et quauis nihil nisi panem ac vinum videamus: minimè tamen dubitemus, quin spiritualiter in animis nostris id omne impleat ac perficiat, quod extrinsecus in his aspectabilibus signis demonstrat: ipsum videlicet panem esse cœlestem, qui nos alat ac nutriat ad vitam æternam. Itaque ne in bonitatem

tem infinitam Domini ingrati sumus, qui in hac mensa diuitias opesque suas omnes exponit, vt eas nobiscum communicet. Nobis enim sese largiens, iustificatur se quidquid habet, in nos profundere. Quamobrè sacramentam hoc tanquam pignus iustitiæ ipsius recipiamus, quæ nolis vi mortis ac supplicij illius imputabitur, nihilo secius quàm si eo supplicio nosmetipsi affecti essemus. Ne igitur tam pernicaci ac perdita natura sumus, vt tum fugiamus, quum Christus nos tam humaniter ac liberaliter suo verbo inuitat. Sed muneris huius quod nobis imperti pretium ac dignitatem spectantes, ardenti studio ei nos offeramus, vt tam pretioso munere nos dignos reddat. Ob eamque causam animos ac mentes nostras suscipimus, vt ubi Christus est in gloria Patris, & vnde eum nos ad redemptionem nostram expectamus. Neque verò animos in his terrenis & caducis elementis occupemus, quæ & oculis cernimus, & manibus tractamus, quasi eum ibi quaeramus, vt in pane vinoque inclusum. Tum enim animi nostri substantia eius aliac nutriripoterunt, quum supra terrena omnia erecti, ad cælos vsque pertingent, vt in regnum Dei, vbi ipse habitat, ingrediantur. Satis ergo habeamus, si panis ac vinum nobis pro nota & signo dentur, veritatem in spiritu inuestigantes, vbi Verbum diuinum eam nos reperturos confirmat.

Vbi finem dicendi concionator fecit, tum panem verbi Ministri, calicem verò seniores Ecclesia, qui morum censura præ sunt, vnà cum prochorophycuratoribus, populo distribuunt, prout cœnæ monitione facta vt honestè & decenter cõquisque adeat. Interea canitur Psalmus aliquis, aut locus scriptura, rei quæ sacramento designatur congruens atque conueniens, clara & magna voce recitatur.

Ad extremum habentur gratiarum actiones, quas supra descripsimus.

Non ignoramus plerosque maiorem in modum offensos fuisse, quòd tam multa in hoc genere ab vsu multis iam seculis recepto aliena à nobis inducãta sint. Quòd enim Missa multos annos tanto in pretio habita est, vt omnes eam existimarent discipline religionisque Christianæ caput esse, non dubitamus permirum quam plurimis accidisse, quòd eam planè ac funditus tollendam curauimus.

Eamque ob rem quibus consilij nostri ratio minus perspecta est, ijs sublata à nobis fuisse sacramenta existimant. Verùm si quis instituti nostri rationè diligentius perpendat, is sine dubio intelliget restituta potius atque in vsu relata à nobis fuisse. Quòd vt perspicere à quo us possit, consideretur quanta inter Missam & Christi institutionem similitudo sit. Quis non videt, non minus inter vtrãque, quàm inter lucem & tenebras interesse? Tamen si non est hoc quidem loco proposui instituti que nostri, copiosius hanc disputationem persequi. Verùm vt ijs satisfacere, qui per ignorantiam eo nomine offendi possent, operæ pretium nobis visum est, nõnihil obiter de ea re cõmemorare. Quum enim sacramentum Domini tam multis corruptelac vitiiis inquinatum ac fœdaturum esse videremus: vt hysce malis remedium adhiberemus, nec esse habuimus multa immutare, quæ perperam ac vitiose introducãta fuerant, certè in peruersum ac præposterum usum detorta. Quòd quòd rectius faceremus, quæ tandem potius sequenda esse ratio videbatur, quàm si ad purum & incorruptum Christi institutum rem omnem reuocaremus? quòd sanè religiose ac bona fide (quemadmo

dum satis intelligi licet) secuti sumus. Hæc enim ipsa emendatio est, quam nobis Paulus præscripsit.

## FORMULA ET RATIO CELEBRANDI MATRIMONII.

**P R I V S Q V A M** celebretur confirmeturque publicè matrimonium, palàm in Ecclesia publicatur tribus ante diebus dominicis continuus: ut si forte quis impediendi aliquid nouerit, id in tempore denuntiet, aut si cuius eas nuptiis celebrari intersit, is possit intercedere.

**Q V A E** ut facta sunt, tum se in exorsu concionis sponsus ac sponsa sistunt in Ecclesia. Minister autem publicus sic initium dicendi facit. **A V X I L I V M N O S T R V M** in nomine domini, qui fecit cælum & terram. Amen.



**D E V S** Parens noster, posteaquam cælum & terram creauit, eaque omnia quæ amplissimo cali complexu coërcentur, hominem ad imaginem similitudinemque sui finxit, qui imperium & dominatum teneret animantium omnium quæ tum in terra, tum in aqua, tum in aère versantur, hisque verbis post creatum hominem est usus. Non expedit hominem esse solum: Fingamus ei adiumentum simile illius. Itaque immisit dominus Deus soporem in Adam, qui cum obdormiret, Deus unam ex costis eius tulit, eaque formauit Euan: significans atque adeo aperte ostendens virum & mulierem, nihil nisi corpus unum esse, unam carnem, unumque sanguinem. Quocirca deserit homo patrem & matrem, & adhæret uxori suæ: quam ita amare charamque habere debet, ut Christus charam habuit Ecclesiam: id est veros fideles & Christianos, quorum causa mortem oppetiuit. Uxor vicissim viro, intra sanctitatem & honestatem inferuire atque obsequi debet. Quamdiu enim unà cum viro ætatem agit, eius imperio subiecta est. Hoc porro sanctum matrimonium, honoratum, à Deo que institutum, vim eam habet, ut eius causa vir potestatem sui corporis non habeat, sed uxor: uxor contra sui corporis dominatu careat, qui à viro tenetur. Itaque à Deo coniuncti, separari nullo modo possunt, nisi ad tempus aliquod, utriusque consensu & voluntate, ut ieiunio se & præcationi dedant, cauentes etiam atque etiam ne tententur à Sathana, per incontinentiam. Eoque, reuertit ac referre sese alter ad alterum debebit. Etenim stupri & fornicationis vitandæ causa uxorem quisque habere debet, & unaquæque mulier, virum: ut quicumque sibi temperare non possunt continentiaque præditi non sunt, præcepto Dei iubeantur matrimonium contrahere: ne sanctum Dei templum (nimirum nostra corpora) violetur ac polluat. Quum enim corpora nostra membra sint Iesu christi, quam indignum facinus esset, si scorti membra fierent? Itaque sanctè & religiosè seruanda & custodienda sunt. Nam si quis templum Dei violet, eum Dominus malè perdet.

Vos igitur (sponsum & sponsam nomine appellat) N. N. non dubitantes, hoc à Deo institutum esse, ecquid in hoc sanctissimo matrimonio ætatem agere vultis, quod Dominus tanto honore cumulauit? hoc cunctis animis vestris statutum ac deliberatum habetis, quemadmodum hoc in loco coram Ecclesia eius sanctitate stificamini, postulantes ut hoc vestrum consilium comprobetur?

Respondent, Maximè.

Minister.

Vos ego omnes qui presentes adestis testes facio, peroque ut huius rei memoriam habeatis. Quanquam si quis est, qui impedimentum aliquod esse intelligat aut alterum ma-

trimonio

rimonio cum altero esse coniunctum, id enuntiet.

Si nemo contradicat, tum Minister,

Quoniam, inquit, nemo est qui contradicat, neque ullum est impedimentum, Dominus Deus, sanctum consilium vestrum confirmet, quod vobis elargitus est: principiumque vestrum sit in nomine Domini, qui fecit cælum & terram, Amen.

Minister sponsum appellans, his eum verbis affatur.

Tu N. profiteris hic in conspectu tum Dei, tum sanctæ ipsius Ecclesiæ, ducere te in sponsam & uxorem N. quam hic præsentem vides, eamque te habiturum spondes, amore utens, & charitate fida & constante, sicuti certus & fidelis viri munus atque officium postulat: sanctè cum ea ætatem agens, fidelitatem ei omnibus in rebus præstans: sicuti verbum diuinum atque Euangelium postulat.

Respondet, Spondeo.

Tum sponsam appellans, inquit,

Tu N. profiteris hic in conspectu tum Dei, tum sanctæ ipsius Ecclesiæ, nuptias te N. spondidisse, ei que utpote legitimo mari: nubere, cui te obsequituram spondes, ei inseruientem, imperioque eius subiectam, vitam sanctè & honestè colentem, fidelitatemque ei omnibus in rebus præstantem: sicuti fidelem sponsam suo marito præstare decet: ex regula diuini verbi, & Euangelij.

Respondet, Spondeo.

Tum Minister,

Pater, inquit, omnis misericordiæ, qui benignitate vos sua ad hoc sanctissimum matrimonium adduxit: propter Iesum Christum eius Filium, qui sanctissima sua præsentia matrimonium sanctificauit, primum ibi signum edens coram Apostolis, vobis Spiritum suum sanctum largiatur, ut ei in hoc præclaro & nobili vita genere seruire atque honorem perpetuò tribuere possitis, Amen. Ioan. 1.

Audite Euangelium & præceptum Domini, quemadmodum matrimonium sanctè habere velit, sit que firmum & indissolubile: sicuti scriptum est apud Matthæum, decimonono capite.

ET accesserunt ad eum Pharisei, tentantes eum, ac dicentes: Licetne homini diuertium facere cum uxore sua, qualibet ex causa? Qui respondens, ait illis: An non legistis quòd is qui fecit ab initio masculum & feminam, fecit eos? Et dixit: Propterea deseret homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori suæ: & erunt duo in carnem vnã. Quod ergo Deus copulauit, homo ne separet.

Credite verbis istis sanctissimus, quæ Dominus noster Iesus pronuntiauit, sicuti testatur Euangelista: & certum habete, Dominum Deum copulasse vos in hoc sanctissimo vita genere. Itaque, vitam vnã sanctè & honestè degite, charitatem, pacem & concordiam colentes, fidelitatem mutuò præstantes, ex regula & præscriptione verbi Dei.

Deum igitur vnã omnes mente & animo precemur.

DEVS omnipotens, bone, & sapiens: qui ab initio præuidisti non expedire homini esse soli: ob eamque causam adiumentum ei creasti eius simile, ac vo-

lucisti duos vnum idémque esse, suppliciter abs te petimus, quando dignatus es hofce ambos ad matrimonium contrahendum perducere, vt pro clementia & benignitate tua Spiritum tuum sanctum eis largiri atque impertire digneris: vt in vera & stabili fide voluntati tuae morem gerentes, sanctè & atate agant, omnes carnis libidines & affectiones vitiosas subigentes, purèque viuentes, atque alijs honestatis & castimonie documento sint, benedictione tua salutari eos donans, similiter atque fideles tuos seruos, Abrahamum, Isaacum & Iacobum: vt prolem habentes sanctam & incorruptam, tibi seruiant ac laudes tribuant, doctrina salutari eam instruentes, atque ad gloriam & laudem tui nominis alentes, proximi que vtilitatem, & Euangelij tui propagationem. Exaudi nos Parens misericordie, per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum charissimum, Amen.

Dominus vos beneficijs omnibus cumulet, vobisque concedat, vt virtutem & probitatem colentes, simul ad multum temporis honestè & sanctè vitam perducatis.

## DE VISITANDIS AEGROTIS.



Idclis & veri Ministri officium est, non modò populum, cui Pastor est praefectus, palàm & publicè docere: sed etiam, quoad eius fieri potest, vnumquenque seorsim admonere, cohortari, redarguere, & consolari. Quòd si vllum vnquam est tempus, quum homini Christiana doctrina necessaria est, tum certè multò maxime necessariam esse constat, quum Dominus eum inuisit, aut morbo, aut alio quopiam malo eum afficiens: praesertim verò mortis tempore. Tum enim multò quàm vnquam antea vehementius conscientia sua vrgetur: siue ob iudicium Dei, quò se sine mora vocari intelligit, siue ob impugnationes Diaboli, qui tum vehementer laborat ac studet, vt animum aegroti labefaceret. Ob eamque causam Ministri officium est, morbo affectos visitare, & verbo Domini consolari: ac docere quicquid eis accidit incommodi, à Deo immissum esse, eiusdemque prouidentia contigisse: qui suis fidelibus nihil vnquam impertit, nisi in eorum salutem & emolumentum. Cuius rei argumenta, ac testimonia ex Scriptura proferet, quae tempori conuenientia maximèque accommodata esse intelliget. Quòd si aegrotum graui & periculoso morbo afflicti videri videat, tum consolationem adhibeat magis praecipuam ac peculiarem: idque pro eo, ac sensum animi illius perspiciet: vt si eum horrore mortis perterritum videat, doceat nihil esse in morte, quod fidelibus sit pertinensendum: qui ducem habent suum Iesum Christum, à quo per mortem in eam vitam perducentur, in quam ipse ingressus est. Ac simili cohortatione adimat ei terrorem, quem concepit iudicij diuini. Sin eum haud satis peccatorum conscientia commotum intelligat, iustitiam ei diuinam explicet atque ostendat: apud quam stare nemo poterit, nisi misericordia Dei instructus, & Iesum Christum pro salute vnica ac singulari complexus. Contrà, si eum delictorum suorum cogitatione angere ac premi videat, tum quam diligentissimè poterit, Iesum Christum ei depingat atque exprimat: doceatque peccatores omnes, qui sibi ipsi diffidentes, eius bonitate confidunt, in eo solatium ac praesidium habituros.



ros. Fidei ... ratio egron

bo Dei adhibe ... afflicto

... 21813

...

...

...

...

...

...

...

DEFENSIO SANAE ET ORTHO-  
doxæ doctrinæ de seruitute & liberatione humani  
arbitrii, aduersus calumnias Alberti Pi-  
ghii Campensis.

AUTHORE IOANNE CALVINO.

IOANNES CALVINVS CLARISSIMO  
viro Philippo Melanthoni.



**E**tsi nec singulare illud iudicij tui acumen, quod iure mirantur omnes ignoro, & eius censuram, sicuti par est, reuereor: libellum tamen hunc si priuatim tibi legendum mitterem, fretus amoris erga<sup>te</sup> mei fide, non longa excusatione vterer. Nunc autem quia publicè inscribere tibi ausus sum, non de futuros scio, qui temeritatis in eo me accusent. Eorū igitur causa, quod accessse apud te non esset, vnde hanc fiduciam cœperim, breuiter exponam. Principiò, eum tibi librum offero, quem duplici nomine tibi gratum fore certò nouit: tum quòd me amas authorem, tum quòd pia sanæque doctrinæ defensionem continet: cuius tu non modò studiosissimus es cultor, sed eximius fortissimûsque vindex. Accedit & tertia commendatio, eaque non vulgaris, quòd simplex ac sincerum est, quo vtor, defensionis genus. Quantum enim à versutis obliquisque in disputando artibus, quæ claris alioqui aperis que rebus tenebras obducant, ab omni denique fuce & sophistica, abhorres: tantum tibi placet nuda ingenuaque perspicuitas, quæ rem, sine ullis inuolucris, ante oculos statuat atque exponat. Atque hæc tua virtus, sicut est rari exempli, ita magnam sæpe mihi admirationem mouit, quòd cum incredibile perspicacia excellas, simplicitate tamen nihil habeas antiquius. Valebit igitur non parum & hæc causa, scio, ad conciliandam libello gratiam. Præterea memini, has te aliquando mihi mandasse partes, vt si nos laceßere pergeret Pighius, ad reprimendam eius proteruiam aliquid conscriberem. Quod tamen vt facere nunc demum inciperem, non modò tua autoritate adductus, sed eius quoque improbitate compulsus fui. Libris enim decem de libero arbitrio & prædestinatione nuper editis, quicquid de his rebus prodideram, non iudicio aut delecta, sed mera pugnandi libidine, confutandum suscepit: vbi adeò insolenter, tamque effreni ferocia, aduersus puram, quam tuemur, pietatis doctrinam se iactat, vt occurrere aliquo modo tantæ hominis petulantia, nisi silentio proderet vellem Christi gloriam, necesse habuerim. Postulabat autem huius argumenti tractatio plus aliquanto & ocij, & temporis. Sed quia videbam id captare aduersarium, vt si diutius differrem, hac me amora, ad occupandos præiudicio quodam hominum animos abuteretur, malui aliquid citò dare, vel minus elaboratum: quàm tacendo pati, vt, cum bonæ causæ dispendio, inani eiusmodi iactantia frueretur. Quanquam sic mihi festinasse videor, vt minimè tamen præcipitauerim nimia celeritate. Quod enim præcipuum erat, consecutum magna ex parte, spero, iudicabis: vt dicerem quantum ad repellendos aduersarij calumnias, satis esset. Et tamen hanc excusati onem prætermittere non

oportuit: quam si tu pro insigni tua humanitate recipies, vitam alijs monstrabis, ne mihi se iniquiores præbeant, aut minus benignos. Mihi certe sæpius in mentem venit, de conditione nostra queri quòd tanta negotiorum, quæ subinde nobis ingeruntur, & multitudine obruti, & assiduitate oppressi, & varietate distracti, idque domi simul & foris, non possumus ad vnum aliquid agendum, animos diligentiamque intendere, sed huc inde perpetuo cursitare cogamur: sicut qui varijs & operosis ministerijs destinati, quibus simul obeundis nequaquam sint pares, dum eodem momento undique urgentur quorsum se vertere debeant, præ lassitudine nesciunt. Interea quicumque ex hostibus nos aggredi institunt, ab alijs omnibus curis soluti ac vacui in alta pace, quoad libuerit, ad instruendum belli apparatus sunt intenti, & colligendis copiis, quas deinde per suam opportunitatem in nos emittant. si quid fatigationis sentiunt ex vno congressu, quietem & inducias tunc quoque pro suo arbitrio sibi sumunt, donec refectis animis & viribus, iterum ad nos impetendis instructi sunt ac parati. Huc etiam accedit, quòd tantis locorum spatijs diuisi, illi etiam vnde non parum leuationis sperandum foret, commoditate destituntur, communicandi scilicet inter nos consiliaque pro rerum & temporum ratione, conferendi. Hæc, ut dixi, non sine gemitu fortisque nostræ deploratione reputo mecum ac perpendo. Cæterum, quominus ista cogitatione frangar, occurrit ex altera parte non minimum solatium. Primum quia statuo nos non sine certo Dei consilio, & talibus obsideri premisque angustijs, & ijs, quæ humanitas iuuare nos possent, subsidijs defici, ut melius expergefacti, respicere in ipsum solum discamus. Deinde quia vetus hoc esse exemplum, cum animo recordor. Refert enim sacra historia, *Israhelitas cum excaptiuitate restituti ciuitatem extruerent, pari difficultate laborasse.* Nam cum ipsa operis magnitudo ac moles, cum temporis angustia plus satis eosurgerent, ab hostibus aliquanto plus negotij molestiaque sustinebant. Et tamen videmus id non obstiterisse, quominus constanter infractisque animis pergerent in opere, vsque dum ad extremum constanti eorum assiduitate hostium improbitas & rabies frangeretur. Si quidè hoc nõ vulgare erat fortitudinis specimè, gladijs accinctos camentum & lateres comportare: altera manu tenere gladium, facere opus, trullamque versare altera. atque ita architecturæ dare operam, & simul ad prælium esse expeditos. Eius historia recordatione excitari nos quoque decet, ut inter tot difficultates, quæ nos ad desperationem sollicitant, animum nihilominus colligamus. Cum mirabili sua, tum potentia, tum bonitate Dominus ab horrenda illa Antichristi Ro. tyrannide nos liberauit, ciuitatis suæ sanctæ Ierusalem, id est, Ecclesiæ instaurandæ prouinciam hodie nobis mandat. Arduum sane per se opus ac laboriosum: ut nihil aliunde superueniat impedimenti. Verum Sathanæ ministri & satellites, quibus id est propositum, ne Ecclesiæ ædificationem, quoad in se erit surgere patiantur, assiduis certaminibus nos vexando, plus adhuc negotij faciunt. Itaque, cum securam ab alijs rebus vacationem requirat ordinarius reparandæ Ecclesiæ labor, cui nos, quãdo ita Domino visum est, destinati sumus, simul atque lapidem vnum cœpimus tollere, isti classico ad prælium nos citant. Cum nos exigua simus hominum manus: illi ingentem faciant exercitum: quibus possumus, & resistere simul illis, & manus habere semper in opere occupatas: nisi nobis in mentem veniat, sic nunc agere Deum, ut pridem solitum est, quò illustriorem manus suæ potentiam reddat: nobis sufficere hoc debere, quod etiam si parum proficere nunc videamur labore nostro: de successu tamen perinde ac si iam extaret, sumus certi, quando sub eius vexillo auspiciisque militamus. Quòd si hominum quorundam reprehensionem non effugiat nostras sedulitas (ut plerique hodie sunt nimis delicati

& morosi) quia festinationem alicubi respiciat, hac nos conscientia sustineat ac-  
 confirmet, quòd Deo Iudici nostro, Christo Domino ac Duci, sanctisque Ange-  
 lis eam scimus approbari. Quòd ad me priuatim attinet, cum satis, cui seruiam,  
 nouerim: in hac fiducia totus acquiesco, quòd illi placere obsequium meum  
 qualecunque, nihil dubito. Cæterum, si hominum iudicium  
 quæritur, tuum vnus mihi instar omnium futurum sem-  
 per est, sicut meritò esse debet. Mense  
 Februar. M.D.XLIII.

DEFENSIO SANAE ET ORTHO-  
doxæ doctrinæ, De seruitute & liberatione hu-  
mani arbitrii, aduersus calumnias Alber-  
ti Pighii Campensis.

In primum librum.



**C**um ante biennium in conuentu VVormaciensi effemus, au-  
diebam Albertum Pighium mihi iam minari, ac certamen denun-  
ciare, verum id procul. Librum enim nescio quem se scripsisse ia-  
ctabat inter suos, quo totus conficerer: nondum tamen proferebat.  
Cum verò postea Ratisponam ventum esset, ac dimidius ille liber,  
in Lutherum ac Philippum Melancthonem præsertim, deinde in  
nos simul omnes compositus, prodisset, qui deinde acceßione se-  
cunde partis auctus fuit, mihi iam magna ex parte videbar liberatus, ne quid saltem in me  
priuatim ederet. Sic enim cogitabam, quia me indignum iudicasset, in quem vnum vires  
suas experiretur, maluisse ad ipsius communis causæ oppugnationem eas conferre: ut si  
quam victoriám reportaret, nobilior esset triumphus: si autem vinceretur, minore id de-  
decore fieret. Nam & arg. imëtum, quod aduersum me tractare instituerat, illic prosequen-  
tibus: & stylum in me pluribus nominatim locis stringebat. Interea audio præclarum il-  
lum librum volitare: sed inter eos, quibus sine maiori inquisitione, hoc tantum nomine pla-  
ceret, quòd Christi doctrinæ aduersaretur. Mihi vt fieret inspiciendi copia, obtinere non  
potui. Neque, vt verum fatear, de ea re fui magnopere sollicitus, quia nihil fore certius pu-  
tabam, quàm vt postridiè ederetur. Annus inde vnus præterijt, antequam in lucem, vel to-  
tus, vel aliqua ex parte, prodiret. Itaque nihil ampliùs dubitabã, quin consiliu[m] mutasset.  
Et iam securus à Pighio, aliud opus in manus sumpseram, cum mihi præter spem offerretur  
magnum eius volumen, De libero arbitrio inscriptum: in quo tametsi me non statim ab ini-  
tio nominat, vbi tamen ad ipsius causæ tractationem descendit, satis demonstrat, nihil sibi  
aliud esse propositum, quã vt, quæ de hac re in mea institutione disputauit, penitus euertat.

Atque id quidem se eo consilio facere profiteretur, vt Lutherum & alios omnes nostros  
per lacus meum confodiat: me tamen vnum peculiariter vocat in certamen, ac mecum ma-  
num conferit: quòd & me diligentius executũ esse putat totam huius quæstionis summam:  
& certiore ordine, ac clariore methodo, quàm alij fecerint, omnia explicasse. Equidem non  
ausus fuissẽ communis causæ defensionem suscipere, si omnes simul fuisset aggressus, ne  
temeritate magis & stulta confidentia impulsus, quàm recto consilio inductus, alios vo-  
luisse anteuertere viderer, quos cõstat longè esse aptiores. Quòd nisi obstitisset hic ti-  
mor, aliquid fortè ad priorem illum librũ, cuius memini, respõdissem. Nunc tanen gaudeo  
qualicũque de causa, me fuisse retentum, dum video Bucerum has sibi sumpsisse partes: à  
quo meliùs & splendidiùs pro sua dignitate tractari potuit. Quòd autem iam, alijs non ex-  
pectatis, ipse respondeo, neminem mihi vitio daturum arbitror, cum ita palàm Deo insultet  
Pighius, nisi pro sanæ doctrinæ defensione me obijciam. Ergo vt cunq[ue] hodie multos  
habeat exercitus Domini & instructiores, & magis exercitatos, qui stilius superbi Go-  
liatz insolentiam reprimere possint, & parati sint, si res ita postularet: quoniam ta-  
men, illis præteritis, nomine me citat in certamen, ne vel vnum ex Christi seruis se vi-

cisse gloriatur, cœlesti Regis ac ducis mei virtute fretus, & armis illis spiritualibus, quæ subministrare suis solet, in medium prodeō.

Cur autem me ex tam multis unum delegerit Pighius, cui certamen indiceret, ipse viderit: si quid tamen, rabie excæcatus, videre potest, fallitur enim, si me illo elogio, quod mihi obiter tribuit, vel tantillum commoueri putat, fingit hoc fortè in suum commodum, cum mihi præ alijs non nihil concedit, ne videatur cum gregario quolibet manus conseruisse. Verùm quidquid sentiat, mea nihil aut minimam refert. Neque enim in eruditione aut facundia, sed in pura conscientia, fidelium gloria consistit: idque non apud homines, sed in Dei conspectu. Deinde non tanti eius facio iudicium, ut propterea mihi placeam. Lætus sum laudari me, inquit ille in veteri tragœdia, sed à laudato viro. Ergo, etiam si ambitiosus forem, non tamen causam habere expectandæ laudis ab hoc ore tam impuro ac fœtido, quod non nisi execrabiles in Christum contumelias subinde spirat. Huc accedit, quòd dum sua intemèrie abripitur, nihil iudicat nec cernit: siue quòd impietatis suæ meritò in reprobam mentem datus, manifestum est diuinæ vindictæ exemplum: siue quòd intolerabilis superbia, qua turget, pessimum est cæcitatæ genus. Proinde veluti in scenis, Eumenidum videt agmina Pentheus. Et solem geminum, & duplices se ostendere thebas: ita hic tam acutos habet oculos, ut quod nusquam est, videre se putet. Verùm hoc interea malū simul habet, quòd in clarâ luce non minùs cæcutit, quàm si extrema vertigine percussus foret.

Fateor aliàs hominem esse ingeniosum & doctum: acumen illi in disputationibus, & digerendi artem concedo: agnosco populariter disertum esse: hoc est, valere ea eloquentia, quæ mediocriter literis tinctos, cuius generis plurimi hodie sunt, capere & allicere queat. sed quorsum omnes istæ dotes, ubi tota hominis mens furore alienata est ac perditâ? Quamobrem si quem locum habere vult inter literatos (cuius gloriæ se plus satis cupidum esse prodit) ad sanam mentem antè redeat oportet. Huius autem, qua nunc laborat, curandæ amentia hæc duo sunt remedia: si aduersus clarâ certâque Dei veritatem deliberatâ malitia bellum gerere designat: si stolidam sui persuasionem, & nimis insolentem fastum, quo totus obstupescit, exuat & alijciat. Verùm ne videar contentionis ardore contra hominem præter modum incitari, malo iam in eius librum, quasi in rem præsentem, lectores adducere: ut illic quæcunque dico, aut plura etiam, recognoscant.

Verùm antequam huc venio, de ordine agendi meo, quem tenere institui, paucis præfari mihi necesse est. Principiò, non est quòd expectet lector, ut in respondendo filium orationis Pighianæ sequar. Nam si singula vellem minutatim excutere & nihil relinquere intactum, vsque ad immerisam magnitudinem excresceret liber. præterquàm enim quòd loquedi profluentiâ habet vniuersam à natura, in hoc etiâ semper multū operæponit ac studiū, ut cum sua magniloquentia causam obscurat, tum aduersarium longo ac volubili rotatu verborū obruat. fortassis etiam laudem inde capiat: quoniam hæc est optima sese iactandi ratio inter imperitos, magnus clamoribus, & longa verborum congerie exultare. Ego verò palmam hæc in parte libenter illi concesserim, vel sine certamine. siquidem non orationis minus quàm alui profluiū, pro vitio habeo. Quòd autem eiusmodi artificio ad causam obrinendam nititur, quasi verba fundendo, lectorum oculos, velut sparsis nebulis possit perstringere, id apud sanos homines nimis infirmum erit præsilium.

Rudi-

Rudibus proculdubio & nullus iudicij hominibus fucum faciet: sed qui micam rectæ intelligentiæ habebit, nihil morabitur ampullas illas, in quibus nihil solidi reperiet. Itaque contentus ero efficere, ut perspiciant omnes p̄j & vero iudicio præditi lectiores. Pighium ex fulgore fumum, me ex fumo dare lucem, hoc est, quæ à me bene scripta fuerant, suis illum calumnijs & malitiosis cauillis deprauasse: me verò nihil aliud querere, nisi ut pura & simplex Dei veritas, discussis sathanæ fumis, eluceat. Id enim satius fore puto, quàm longa & superuacua scriptione frustra me fatigare, & simul esse lectioribus molestum. Est etiam alia causa, ut nihil à ijs simulem, quæ me breuem esse cogit. Constringor enim temporis angustijs, quando mihi vix duo menses vsque ad nundinas Francfordienses restant, quibus statui, si fieri poterit, hanc responsionem edere. Atque utinam dimidium eius temporis vacuum mihi prorsus & liberum ad scribendam relinqueretur. Quamobrem veniam meæ festinationi dabunt lectiores, sicubi iuuus ea transcurram, quæ longiorem meditationem & magis exquisitam diligentiam requirebant. Quòd si mihi quispiam vetus illud ac vulgare dicitium obijciat, ineptum esse culpam deprecari, quæ potuerim carere, si voluissem, in promptu est responsio: primum me officij necessitate compelli, ut Dei veritatem sustineam ac defendam, ubi domi meæ oppugnatur: deinde me sic raptim scripturum, ut tamen utilis in publicum futurus sit labor, nec à causæ gravitate alienus: etiamsi eius dignitati minus vndeunque respondeat.

Quòd tamen, comparatis inter se meis & illius scriptis, facilius ac certius iudicium facere queant lectiores, & quasi rerum summas digito notare, ordinem ac dispositionem, quam ipse observauit in suo opere, sequar. Tantùm hoc erit discriminis: quòd cum venditare se magnifico verborum apparatu voluerit, ego compendio ac simplicitati, quoad licebit, studebo: deinde cum Trifonico suo fastu, ac virulentis in nos conuicijs multas paginas occupauerit, in hoc quoque genere libenter illi cedam. Nihil enim vel Christi gloriæ decedere, vel bonorum existimationi obesse puto, si Pighius disertus conuiciator & sit, & vocetur: modo simul omnes intelligant, eum furiosa partim maledicendi libidine, partim atrabili, vel potius mania percitum, huc illuc nullo delectu raptari.

Ac principio quæ in sua ad Sadoletum Epistola tractat, tametsi non sunt huius quæstionis propria, quia tamen ad prægrauandam nostram causam spectant, obiter expendamus. Miratur ac deplorat Pighius Germaniæ suæ stuporem, quæ potuerit ad doctrinam nostram conueneri. Nos enim negotium aggredi longè difficilius, quàm olim fecerint Apostoli: deinde absurdissima docere, & quicquid olim alienum à vera pietatis regula commenti sunt hæretici, ab inferis reuocare: imò superare omnium deliramenta: & tamen nihil, vel in speciem habere, quod falso saltem splendore homines possit fallere. Neque enim vel doctrina, vel facundia, vel sanctitate vitæ excellere: quæ hominum attentionem excitare debeat. Atque ut hoc melius amplifcet, ostendit quam inepta sit ac præpostera nostra agendi ratio. Respondeo breuiter, nimis stupidum esse Pighium, qui non agnoscat illud ire ac manifestum esse diuinae potentiae miraculum, quod, velit nolit, mirari cogitur. Nam quòd nos minus bene comparati instructique sumus ad tantum tamque arduum opus, eò magis perspicua elucet Dei virtus: quæ per nostram infirmitatem totum orbem concutit. Quod si istæ Pighij querimonie in Apostolo-

rum tempus conferantur, dicas Porphyrium, aut aliquem alium ex illa cohorte loqui. Itaque ne hic longior sim, respondebo ex ore Pauli: nos libenter fateri, tot ac tanta præsidia nobis minimè suppetere, quæ ad tantam molem sustinendam sufficiant: quòd doctrinæ nostræ veritas ac fides non eloquentia, aut eruditione propria, sed spiritali Dei virtute fundata sit. Causam certè validam ac fortem esse oportet, quæ non hominum patrocinio, non externis quibuslibet adminiculis, sed sola sua bonitate suffulta consistat.

Designat ergo stupere Pighius, vnde hæc noua & inaudita doctrinæ nostræ efficacia: quando res ipsa clamat, non Lutherum initio locutum, sed Deum per os eius fulminasse: neque nos hodie loqui, sed Deum è cælo virtutem suam exercere. Atquæ ex altera parte demonstrat, quantum ab Apostolis differamus. Equidem si de personis agitur, nullis verbis satis exprimi potest, quanto interuallo nos illi præcellant: sed in quibus nos dissimiles facit Pighius quantum ad doctrinam, dico nos esse simillimos. Illi, inquit, ea narrabant quæ viderant oculis, quæ auribus hauserant, quæ prædicta fuerant, quæ figuris adumbrata. Nos autem quid? An nouum Euangelium excudimus, cui postulemus haberi fidem, illo valere iussu quod Apostoli prodiderunt? Multas & de rebus varijs controuersias habemus cum regno Rom. Antichristi, sed omnes propemodum ex hoc fonte fluunt, quòd Christo, Prophetis & Apostolis audientiam dari volumus, aduersarij, quia silentium palàm iniungere illis non audent, suis figmentis locum iubent dare. Mirus, inquit, Apostolorum consensus erat in doctrina. Quasi verò non hunc quoque consensum dederit ijs Dominus, qui Euangelij doctrinam in pristinum suum locum restituere hodie conantur. Aderat, inquit, diuinæ operationis vis presentanea: aderat Spiritus ille igneus, qui se illorum moribus, vultu, oculisque promebat. Sed enim hæc & quæcunque alia commemorat Pighius, in Apostolica doctrina, vel commendationem, vel approbationem, arma nostra sunt. Quicquid enim docemus, in hanc sumnam redit, vt Euangelium illud, quod tot præclaris testimonijs confirmatum fuisse pronuntiat, à mundo audiatur. Sepultum enim fuisse, & quasi abolitum ex hominum memoria, conquerimur, neque immerito. Nec aliud quesitum est à nostris per hos viginti quinque annos, quàm vt tota contentio sic dirimeretur, ne hominibus cederet victoria, sed penes doctrinam illam à Christo & Apostolis proditam, vt par erat, solum maneret. Nunc quoque, si conuicti fuerimus, aliquid præter eam docere, non modò recantare parati sumus: sed omni studio impugnare. Ergo cum à nobis miracula flagitantur, & alia quibus olim Euangelij maiestas sancita fuit, non alia proferenda sunt, quàm quæ tunc per manus Apostolorum fuerant adita. Semel enim extiterunt, sed in perpetuam Euangelij confirmationem. Atque hîc mihi quàm spaciosus dicendi campus pateret, cum de ingratitude ac malitia, tum etiam de impudentia eorum, qui non modò Euangelium Christi, perinde ac si nouum foret ac nuper natum, nouis iterum signis approbari postulant, sed illa ipsa miracula, quæ eius gloriæ seruire debent, in contumeliam torquent atque ludibrium? Sed quoniam ad hanc rem alterum opus destinaui, in præsentia supersedeo. At pergit Pighius in excutienda nobis hac defensione, quando tota nostræ doctrina ad hoc vnum composita sit, vt omnem profus pietatem aboleat, vt omnem religionem eximat è mentibus hominum, quòd meris fucis, technis, ac imposturis agamus, improbo Scripturæ abusu, audacia



cia atque impudentia singulari, mendacijs, conuitijs, improborum conspiratione, seditionibus, plusquam paganica vinendi licentia. Et quid non? De priore calumnia postea suo loco videbitur. Quantum ad actionem pertinet: à mendacijs Pighij ad rem ipsam prouoco. De amarulentia tantum hoc verbum dicam, non nisi in eos esse effusam, quibus ipsum Dei verbum odor est mortis in mortem: deinde non posse nimiam iudicari, si quis rerum indignitatem reputet, quæ eam extorsit. Porro doctrinam ab eorum vita æstimari, qui ea abutuntur, nimis iniquum est. Quamquam si de nolis & aduersarijs iudicium fieri ex vita placeat, hanc legem minimè recusamus. Qualescunque enim simus, gloriari tamen nobis meliori iure licet, quàm optandum foret, aliam esse nostram vitam, quam omnium Romanensium, qui regnum Antichristi hodie sustinent. Proinde non vereor, si quis nostram & illorum vitam penitus inspiciat, & ita inter se conferat: quin nos saltem timere Deum, illos prorsus contemnere, & ipsum & eius legem, euidenter cernat.

Quod negotium nos difficilius moliri dicit quàm olim Apostoli fecerint, si in alium sensum acciperet, non prorsus à vero aberraret. Nã si quis temporis illius statum prudenter cõsideret, quo exortus est Lutherus, cum alias fere omnes difficultates habuisse cum Apostolis cùmunes videbit. vna verò in re iniquiore ac duriore fuisse eius conditionem quàm illorum, quòd nullum erat tunc in mundo regnũ, nullus principatus, cui illi bellum indicerent: hic autem emergere nullo modo poterat, nisi eius imperij ruina & interitu, quod non modò omnium potentissimum erat, sed reliqua omnia, quasi sibi obnoxia tenebat. Hanc difficultatem nunc quoque sustinemus, satis scitur, quantum valeat Pontifex tum armorum potentia, tum fœderum auxilijs, tum pecunijs, tum ipsa nominis reuerentia. Deinde, quantum præsidij & roboris habeat in hac immensa sua colluue, quæ vbique terrarum sparsa est: cardinalium dico, episcoporum, & sacerdotum. Atquè omnes vno animo, quoniam non aliter saluos se fore vident, nisi profligata nostra doctrina, ad eam opprimendam, non secus ac si pro aris & focis, imò pro suis ipsorum capitibus pugnarent, opes omnes suas viresque conferunt. Dicerem hac quoque molestia nos præ Apostolis laborare, quòd lucidandum nobis est cum fallaci ecclesiæ larua, & cum fucata impietate, quæ sub ipso Dei nomine delitescit, nisi hæc arena similiter complures ex Prophetis & Apostolis exercuisset. Verùm vt ad Pighij objectionem semel respondeam, difficile & laboriosum opus est, tot impietatis monstra, tantum impiæ doctrinæ labyrinthum, tot superstitionum species, quæ per aliquot secula occupauerint omnium animos, quæ tam altas radices egerint, quæ tam speciosos colores præferant, derepente profligare, ac tollere penitus è medio: præsertim cum tota mundi potentia contrà resistat, & ferro, ignibus omnique scuitæ genere, ad illa vindicanda insurgat. Audax conatus, inquit Pighius: non negotium merarium etiam confiterer, si hominum opus, non Dei ipsius foret. Sed cum Paulum audimus concionantem de potestate illa inuicta, quæ ministris Euangelij data est, ad diruendas omnes machinationes, ad demolienda consilia, ad omnem denique celsitudinem destruendam, quæ se extollit aduersus cognitionem Christi, animos colligimus vt intrepidi stemus contra hunc totum Satanae apparatus, quo sustinetur Papisimus.

Addelendos porro fucos illos, quibus meretricem suam ornat Pighius, spon

Lutheri iniquor  
con dicitur à Apo-  
stolis.

gia hæc nobis semper in promptu est, nos minimè totam antiquitatem cum omnibus sanctorum placitis conuellere, quemadmodum mètur: sed hoc potius vnum agere, ut quæ temporum vitio corrupta sunt ac dissipata, in antiquum statum redeant. Reclamat ille: nos sic rem habere contendimus. Ille maledictum quod in nos iacit, non probat: libri nostri firmis & claris huius rei testimonijs referti sunt. Plausibiles sunt istæ calumniæ, quibus nos onerat, dicere nos Ecclesiam à Christo sponso suo fuisse annos mille & quadringentos desertam: ita nos facere mendacem Christum, sed nebulae sunt, quæ solo flitu veræ responsionis euanescent. Dicimus enim Christum Ecclesiæ suæ fideliter adfuisse, & semper ad futurum, sicut promissit. Dicimus Ecclesiam eius fuisse virtute conseruatam, ne periret. Spiritu gubernatam, ne à veritate excideret: sed simul oportuisse accidere dicimus, quod luculento Pauli vaticinio prædictum fuerat, de horribili defectione, quam non in extremo aliquo terræ angulo, sed in vniuerso orbe fore denuntiat. De futuro certè Ecclesiæ statu loquitur, hoc est qui postea secutus est. Dicit Antichristum iam tunc moliri arcana iniquitatis: sed grauius multo est, quod continuo subiungit, fore scilicet, vt palàm grassetur ac tyrannidem exerceat in Ecclesiam: neque tanquam externus hostis, verum occupato Dei sanctuario. Dum hæc commemorat, dicit venuram defectionem. Hæc dum videmus, sicuti prædicta fuerant, accidisse, agnoscamus veracem Christi spiritum. Interea tamen sum Christi promissioni constare fidem profitemur: quoniam in tanta clade suos mirabiliter conseruarit, vt ex media morte salui euaderent: quòd Ecclesiam in tanto naufragio perire passus non sit: & cum videretur desperata, ex ipso quasi interitu liberauerit. Ex illo enim sermone excitata est hæc messus, quam hodie cernimus. Eat nunc Pighius, & Christum mendacem perfidiam sub nostra persona, ex proprio autem animi sui sensu insimulet: quòd cum Euāgelij sui contemptum vniuersali prope mundi excitatione vindicaret, Ecclesiam tamen suam luce veritatis ac vitæ nunquam interea desituerit. Sed enim ego inde illustriorem eius fidem redditam fuisse agnosco, quòd per tot offendicula, præter spem omnium hominum sibi viam fecerit, vt firma permaneret.

2. Thec. 2.

Ne tamen in retinendo suo iure, vel potius iniuria, videatur impenditò præfractior, tandem factur obrepisse abusus in Ecclesiam, quos omnes sibi correctos cupiant. Sed modum corrigendi iungè ab eo diuersum esse, quem tentauimus. Has enim pastorum esse partes, quibus facultatem nos sustulisse queritur. Deinde eiusmodi vitia esse negat, quorum causa debuerimus facere ab Ecclesia discessionem. Nos enim quòd totum orbem turbauerimus, quòd ab ecclesiæ vnitae desciuerimus hæc causam prætexere abusus, qui in ea inualuerant, & corruptos mores sacerdotum. Vt ab hoc postremo incipiam, scire velim, ex cuius ore prætextum hunc audierit. Fieri potest, vt in nostrorum libris legerit Lutherum initio abusus tantam quosdam nimis crassos reprehendisse, & flagitiosos cleri mores subinde aduersariorum improbitate vltèrius prouecium. At qui hoc cum Pighij calumnia simile habet? scribit alicubi ipse quoque Lutherus de se in hunc modum: Velim, inquit, nolim, cogunt me aduersarij mei periri in dies sapientiores. Verissimum est quod dicit. Cotis enim instar ad accuendum eius ingenium fuerunt. Demersus abhuc in profundis illis tenebris, quibus orbis ferè totus absorptus erat, cum scintillam vnā videret quæ si ex tenui rima emiquantem, ad eam accedere conatus est. Hic hostes lucis eam im-  
pedire

pedire & violenter repellere pium hominis studium vellent, tumultuãdo fenestras ampliorum, totas etiam fores demum aperuerunt. Hæc non eò à nobis dicuntur, ut prætextum capremus nostræ à Pontifice defectionis: verum ut appareat, qualis futura fuerit aduersariorum æquitas, si totam papismi corruptionem semel ad riuum reseuisset Lutherus: cum lenem ac moderatam reprehensionem, eamque in vitijs palpabilibus ferre non sustinuerint. Neque verò Lutheri consilium tunc erat, ab Antichristi tyrannide deficere, sed tantum mederi morbis illis, quorum tam facilis quàm necessaria videbatur curatio. Atquæ opinio falsus est. Tanta enim omnium abominationum sanie scatebat papismus, ut cum primum ad moueri manus cœpta est, quia remedium nullum ferebat, crepuerit medius.

Sic ergo habeat Pighius: nos non vsque adeò esse morosos, ut ob morum vitia, etiam grauissima sciendã, duxerimus fidei unitatem. Nouimus in vitijs aut corrigendis, aut improbandis, eam moderationem seruandã esse, ut vinculum pacis non dirumpatur. Scimus tamen ex aduerso sic temperandã esse patientiam, ut ne iniquitatem foueat. Ergo hanc, quæ vulgò ab omnibus cernitur papistici cleri sceleratissimam, & omni turpitudinis genere inquinatã vitã, neque approbare debuimus initio, neque silentio aut dissimulatione tegere: ac ne nunc quidem ex officio possumus: præsertim cum publicæ edificationis id interesset. Nam cum ab ipsis proueniret velut communis quædam contagio, non aliter potuimus in corpore ipso plebis vitia repurgare, quàm eos quoque arguendo. Verum illam fuisse dissidij causã, nimis improbum est mendacium: cum semper clara voce professi fuerimus, nos ad coniunctionis vinculum, puræ sanæque doctrinæ consensu fore contentos. Cùm de restituenda Ecclesiã quaeritur, doctrinæ quidem addimus disciplinã. Sed aliud est, colligendã in bonum ordinem Ecclesiã studere: aliud, ab Ecclesiã se alienare. Hoc meriò nobis exprobraret Pighius, si morum tantum corruptione offensi, renunciatã Ecclesiã se cietate, ad nouas partes transfuissemus: sed cùm palam sit, inde exortum fuisse dissidium, quòd Antichristus Romanus ferre non potuerit iustas & sanctas impiæ suæ doctrinæ reprehensiones, quid nobis adhuc discessionis crimen obijcitur? Addita etiam, si Deo placet, fœdali calumnia, solam morositatem in causã fuisse, quòd nobis cleri mores, minus bene compositi, disslicerent.

Perinde facit Pighius, ac pueri in scholis: qui sibi fingunt declamandi materiam. Duo enim hæc principia sibi sumit: nos discessionis authores extitisse: neque id aliam ob causã, nisi quòd corruptiore sacerdotum vita offenderemur. Iam negamus initium separationis à nobis factum esse, & ne tergiversari videamur, rem ipsã, ut gestã est, proferimus. Ipsa luculentum nobis testimonium reddit, hinc diuisã fuisse Ecclesiã, quòd Romanus Antichristus eos omnes, qui aut pro veritate verbum facere auderent, aut eam amplecterentur, violentis ac tyrannicis modis, nulla cognitione legitima, non modò præter morem Ecclesiasticum, sed contra omnem humanitatem expulit. Et adhuc reos defectionis nos facient Romanenses, cùm nos à sua qualicunque communione sauis & sanguinarijs edictis ipsi priores abdicauerint? Atquæ satius fuerat, tolerantia & silentio pacem redimere, ut in fidei unitate permaneremus, quàm nimium acerbis remedijs exitiale in toto corpore incendium excitare. Quam tu hîc mihi pacem, & quam fidei unitatem prædicas, ubi Dei veritas locum non habet, quæ unicuique eius vinculum esse debebat? Pronuntiat Spiritus sanctus, Ecclesiæ unitatem sanæ veræque doctrinæ consensione contineri. nec audet Pighius verbo repugnare, etiam si animo dissentiat. Videamus nunc, qualibus vinculis aut nodis colligatus sit papismus.

Primum omne genus idololatriæ illic regnat, non sine manifesta Dei abne-

gatione. *Quantulumcunque ex cultu Dei residuum superest, partim commentitijs ritibus adulteratum, partim vitiosis opinionibus corruptum, meram superstitionem redollet. Doctrinae veritas, aut eversa prorsus, aut contaminata. Christus semisepultus, ut inane modo titulum, sine virtutis gloria retineat: & spectro denique quam sibi similior.*

*Virtus enim eius altis tenebris submersa, officium obliteratum, gratia ferè in nihilum redacta. Sacramentorum administratio mutila primùm & lacera, adhuc multis extraneis figmentis deformatà, postremò multis impijs imaginationibus implicita.*

*Quid iam nobis præscribit Pighius? ne pacem turbemus. Sed qua lege aut pactione? Nempe ut adhuc omnia continuamus. Nefaria verò pax, quæ tanti constet. At dicit se & alios Antichristi canes, qui adulatione laratùque sacerdotia venantur, nihil in fide novare, abusu correctionem expetere quidem totis votis, sed gradus, & officij sui memores, non usurpare, quod ad se non pertineat. Quasi verò non sit hoc cuiusque officium, à manifestis, & doctrina, & cultuum sacrilegijs abhorreere, quæ sacrosanctum Dei Nomen gravissima contumelia afficiunt. Silentium erat, inquit Pighius. Perfidum & execrabile silentium, quo Dei gloria, Christus, atque Evangelium proderetur. Itane? Ludibrio igitur habebitur Deus ante nostros oculos, tota religio lacerabitur, peribunt miserae animæ, Christi sanguis redemptæ, & hiscere nefus erit? Latrat fides cavis ad primum latronis strepitum, & vitam suam obijcit periculo, ut domini sui caput familiamque defendat: diripietur impiorum latrocinio Ecclesia & vastabitur, pedibus calcabitur Dei maiestas, regno suo spoliabitur Christus, videntibus nobis ac tacentibus? Denique pro Antichristo Pighius tantas turbas movet, ubi periculum eius regno videt imminere: nos in medio Regni Christi excidio quiescemus? Neque tamen hoc etiam modo pacem redimere nobis licuit, quando necesse erat, communicatione etiam, quasi tacito suffragio iniquam eiuſmodi scelerum partem approbare. Et hoc impietatis iugum excutere, erit abrumpere vinculum Fidei, dissilire ab Ecclesia, turbare communem pacem ac concordiam? Sic quidem olim audiebat à Rege impio sanctus Dei Propheta. Sed qua defensione vitur? Non ego sum, inquit, qui conturbo Israel, sed tu & domus patris tui, qui dereliquisti mandata Domini, & secuti estis Baalim. Hæc eadem est nostra defensio. Quidquid hodie turbatum est ac motuum, neque nostra culpa exarsisse, neque nunc foueri: totam causam esse penes eos, qui animum potiùs obstinarunt, cælum, terras, maria, miscere, quàm Christi regno licum cedere. Sed oportet impleri quod scriptum est, sessurum iniquum illum, donec eum spiritu oris sui conficiat Dominus, & aduentus sui illustratione aboleatur.*

1.Reg.18

*Sed quæ erat unica remedijs via, illam nos præpostera actione sustulisse dicit Pighius. Pastorum enim auctoritatem per nos labefactatam, quorum erant istæ partes.*

*Quis non videat hunc Luci vii discipulum palàm in tam miserabili Ecclesie clade suaaviter ludere? Pontificem scilicet Romanum & totam eius cohortem nihil aliud moratur, in vitijs corrigendus, quàm quòd illis per nos adempta est facultas. At quid obsecro, facturi erant si tacuissimus, qui nunc, dum tantopere vrgentur, non minus securitatis ac socordie ostendunt, quàm si nulla Ecclesie curata vrgerentur?*

*Totus orbis clamitat, extremum instare Ecclesie exitium, nisi mox remedium adhibeatur: necessitas ipsa, quæ est telum acerrimum, eos felicitat, & sic premit, ut effugio nullus pateat locus. Nos in illorum torporem, vel potiùs im-*

*manem*

manem crudelitatem fortiter, sicut par est, inuehimur, quòd periclitanti Ecclesia non succurrant. Cùm tot stimulis non expergeant, spes bona est, sponse Pighio, ad corrigendos abusus primo die properaturos fuisse, si nihil à nobis motum esset. At facerent nunc, nisi à nobis impediretur. Cur non igitur toties rogati, vel tenue aliquod specimen ediderunt? At hæc turbulenta tempora minimè commoda sunt ad aliquid n. uandum. Nempe meritò timent ne, àificio, malè alioqui fundato, rursus mole sua laboranti & quasi ruenti, ad hæc, corruptæ ac putrefaciæ materiæ, postremò iam nutanti & quatefacto manus semel admeueatur, subidò ruat in præceps, suòque casu architectos ipsos opprimat. Hoc profectò est, hoc, inquam, vnum est, quod curant omnes isti lupi, qualiter suæ tyrannidi caueant in posterum, quibus eam machinis stabiliant, ne quid amplius eorum obsistat libidini. Quid porrò de Ecclesia fiat, si que deque habent: neque putant sua referre, etiam si cœnties pereat. Si me aliquid fingere dicat Pighius, non citabo paucos testes, qui mihi subscribant, sed omnes piorum conscientias iudices faciam. Hanc quoque Pighij que relam operæ preti: me est audire, nos publicam Ecclesiæ disciplinam præcipuè turbasse. Quasi verò disciplina aliqua tunc fuerit: ac non potius horribile aspectu cæhos, & deformis fœdæque rerum omnium confusio. Nam quòd vetustos canones non lisa cæctat, quibus ordinata & formata fuerat Ecclesia, quid hoc ad rem pertinet? cùm nihilo maior esset eorum usus, quàm si nunquam fuissent scripti. Perinde est igitur, ac si repræssæ tyrånide prodiret aliquis Dionysy aut Phalaridis aulicus, ac turbatam Rempub. quiriraretur, & conuulsas leges, iudicia in ordinem coacta. Quis hunc libertatis & legum patronum ferret? Quòd si hanc similitudinem non recipiat Pighius, demonstrat mihi velim, quantò melior & ordinatior sit status sub Romano Antichristo, quàm sub veteribus tyrannus fuerit.

Hæc pauca cursim respondere visum est ad Pighij præfationem, ne quid præiudicij de ipsa causa facerent lectores, eius calumniis occupati: quod me consecutum esse confido. Nam maledicta, quibus Lutheri ingenium morésque proscindit, non est præsentis instituti refellere: quando neque ad rem, de qua agitur, multum momenti habent: neque Lutherus meo patrocinio opus habet: neque postremò aliud agit Pighius, quàm vorax & famelicus canis, qui latratu se vlciscitur, dum non inuenit quod rodat. Nam quæ eius atrocissima est in Lutherum criminatio, non aliud continet quàm tartareum esse monstrum, quia grauibus conscientia certaminibus vexatus saepe fuerit vsque ad dolores & tormenta inferorum.

At verò si vel per somnium concipere posset hic nugator, quid hoc sibi velit, & quid valeat, vel obmuesceret, vel in Lutheri admirationem potius ac laudes conuerteretur. Nam cùm sit hæc piorum sors communis, vt diros subinde conscientia cruciatus sustineant, quibus eruditi, ad veram humilitatem Deique timorem melius assueant: vt singulari, præ alijs, ingenij præstantia quisque præditus est, ita miris & inusitatis modis interdum tractatur: vt dicere queat, non modò se mortis doloribus circumdatum fuisse & obsessum, sed ab inferis ipsis absorptum. Ita ex sanctis præstantissimos, quasi seletias Dei officinas esse oportet, in quibus sua iudicia præter omnem carnis sensum, mirabiliter exercent. Ne recensendis pluribus exemplis longior sim: hæc est lucta Iacob, in qua nobilis ille athleta non hominum quempiam antagonistam habuit, sed cum Deo ipso congressus est. Nunc si comprehendere animo velis, quantùm ille sudarit in ea arena, Dei fortitudinem

primum intueri: deinde, hinc quoque coniecturam sumas, quod victor nihilominus ad finem usque vitæ claudicauerit. Hæc pijs dicta sint. Nam quid Pighio & profanis istis hominibus facias? qui nec conscientiam ullam, nec pietatis sensum habent: nec aliter accipiunt si quid de iudicijs Dei narratur, quam si de conuiujs deorum Homericis audirent fabulas.

Quoniam autem Dei & hominis cognitio mutuò inter se nexu colligatæ sunt & implicatæ, meritò Pighius suam de libero arbitrio disputationem inde incipit. Dicit quispiam, me hunc ordinem laudare, quia meus sit. At ego excipiam illo me usum esse, quia optimus, & ad docendum aptissimus videretur. Placet ergo, quod aduersarius meus sequatur id, quod ego optimè iudicauim. Quamquã miror, qua fronte ausus fuerit, nulla mei mentione facta, tam familiariter sumere de meo libro, quod in suum transcriberet. Neque enim quo iure id faciat, video: nisi forte præscriptione obteudat, quia sic facere pridem solitus sit. Nam in magno illo libro, quem aduersus nostram confessionem edidit, integras saepe ex Institutione mea paginas, vbi visum est, infalcit, ac suo commodo sic adaptat, quasi aliunde non sumpsisset. Velim nunc scire quo iure aut titulo mea sic pro suis vsurpet. Si qua magna esset inter nos necessitudo, ego hanc confidentiam amicitie non difficulter concederem. Sed nunc huic veniæ non est locus. An quia hostis sum, se ius direptionis in omnia mea habere putat? At hoc prædæ genus nullo, nec iure, nec more, defendi, potest. Vnus ergo prætextus restat, homini docto potuisse non minùs venire in mentem quæ dixeram, quam mihi prius venerant. Sed lectores obsecro, si tantum habeant ocij, vt caput primum libri Pighiani cum primo Institutionis meæ capite conferant. Nihil dico: nisi quod non sine visu ac stomacho perspicient nimis perditam hominis impudentiam. Quod si ulterius pergere libeat, percurrant quæ de Iustificatione tractat in altero illo opere, & ad sextum Institutionis meæ caput exigant: mirum si bilem continere queant. Neque enim claculum furatur aut carptim: neque artificio tegere ita studet suas rapinas, vt apud se natum videatur, quod apud me legit, sed ita palam mea ad verbum recitat, vt videatur paginas ipsas totas pigritia assuisse, quò describendi laborem fugeret. Si fateretur authorem, eum dicere mutuari: nunc quid causari potest, quominus plagiarius palam vocetur? Mirabitur quicumque leget, vnde tantus homini stupor: qui nihil veritus sit, in ipso statim vestigio deprehendi. Ego verò dū omnia bene reputo, habeo quod pro hominis excusatione dicam: eum securitate magis quam socordia, id fecisse. Satis enim habuit, si modò ijs placeret, qui non minori religione à nostris abstinēt, quam facilitate omnia laudant ac mirantur, quæ nos quòuis modo impugnant. Fruatur ergo sanè sua ista in tenebris iactantia. Sed exabit, vt spero, in luce & oculis bonorum mea Institutio, tantæ eius impudentiæ testis ac vindex. Neque tamē hac de re verbum facturus eram, nisi me eius improbitas coegisset. Sed cum toties nos, tanquam indoctos, nullius ingenij, nullius iudicij, ex alto superbiæ suæ fastigio despiciat, operæ preciam fuit, palam feri, nec ingenuum hominem, nec gratū esse qui tam crudeliter eos laceraret, quorum tamen magisterio non nihil adiutus foret.

Quæ autem postea de suo admisceat, vt deformet, aut peruertat benedicta, non est huius operis excutere. Summa tamen huc redit, in illa Dei & nostri notitia, dum mutuò inter se cõparantur, nos iustū Dei iudiciū non posse intelligere, quin libero nos voluntatis arbitrio præditos sciamus, & in nobis positum, vt obediamus præceptis:

præceptis: declinare à malo, facere bonum, & contrà. Vbi hoc constituit, mox ad sententiã nostrã explicationem aggreditur. Atque id quidem primum ex Lutheri verbis, quã censebat minus accommodata esse ad popularem captum: deinde ex meis, quibus etiã per totum opus insistit: vt in meo capite totam, vt ipse vocat, sectam nostram oppugnet. Hęc est clausula primi libri.

Porrò, quoniam hac potissimum machina euertere doctrinã nostrã conatur, quòd à communi sensu maximè abhorreat, præfatur, non immeritò Lutherum hoc rudimento suos inbuere, vt carnis rationi ac sapientiã renuntiare discãt: quia tantum absurditatis habeant pleraque eius dogmata, & præ alijs hoc, quod tractamus, de seruo hominis arbitrio, vt quibus persuadere velis, erucere ijs oculos mentis, & omnem rationis sensum adimere oporteat. Illam verò sententiã, quã inter Christiani nominis homines nihilo plus controuersie habere debuerat, quã vnũ esse Deum, quibus probris lacerat: imò quã ridiculus caullus exagitat? Pugnãt, inquit, cum Apostolo, qui fidem testatur esse ex auditu prædicationis. Deinde, si vera foret, infantes & moriones ad fidem percipiendam sequetur reliquis omnibus esse magis idoneos. Quasi verò non continuò post, hunc Pighij nodum soluat Paulus, cum ex arcana Dei reuelatione pendere fidem subiungit: aut quasi hominem stipitem faciat, qui ratione carnis eum spoliat, hoc est inani sapientiã persuasionẽ. Verum, vt intelligat, non nobiscum sibi esse certamen, sed cum ipso Paulo, audiat eius verba, si aures habet. Animalis, inquit, homo non accipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia illi sunt, nec potest cognoscere quòd spiritualiter diiudicantur. Reddat ipse quoque nobis rationem, cur ita sit. Nempe, quia infatuauit Deus sapientiã huius mundi, quòd per stultitiã prædicationis saluos faceret credentes. In quem finem? Respondeat adhuc idem ipse. Vt confunderet sapientum gloriam. Quid demum inde colligit? Ne quis se ipsam fallat. Si quis videtur sapere, in seculo hoc, stultus fiat, vt reddatur sapiens: quandoquidẽ sapientiã mundi huius stultitiã est apud Deum. Ecce pronuntiat Paulus, primum spiritualis sapientiã fundamentum esse, mundi sapientiã in nihilum redigi. Euomat nunc in eum bilem suam Pighius, quòd velit hominibus mentis oculos erucere, bestijs facere similes, morionibus postponere. Quòd autem nullus id facile persuadeatur, qui sibi sapiunt, nihil mirum. Via enim illis præclusa est, quã sola poterant huc peruenire: quanti sper non damnant stultitiã totum illud quo sibi placent, sapientiã spectrum. Nullum enim est incantationis genus ad fasciandos homines periculosius, quã rationis propria fiducia. Atque, vt breuius dicam, mera stultitiã est quo ad Deum, quicquid ex se homo sapit: cum autem accedit fiducia, fit ratiõ. Eius rei si nullum aliud foret, amplum documentum est Pighius: qui nullis Apostolis, nullis Folio. 6. Pag. 1. Scripturis, nec Angelis omnibus crediturum se esse dicit, si id ipsum doceant, in quo putat Lutherum errare.

Ad ipsam Lutheri sententiã cum ventum est, ad duo capita reuocat, quicquid in ea vult damnare: nempe quòd liberũ arbitriũ docuerit, rem esse, post primi hominis lapsum, de solo titulo: nec posse nos ex nobis aliud quã peccare. Nec eo contentus, addiderit postea, figmentum esse in rebus, & titulum sine re: deinde nihil contingere fortuitò, sed absoluta necessitate nobis provenire omnia. In priorẽ, multa cum malè habent: Primum, quòd hinc sequatur, hominem naturã viribus ad recipiendam Dei gratiam se præparare non posse. Deinde naturã nostrã

vitiosam fieri, imò quasi haberi pro nihilo. Adhæc, Legis obseruationem impossibilem nobis esse, & nos peccare nihilominus, non seruando, quod facultatem nostram superat. Quare, quia huic annexum sit dogma de peccato originali nostrum, hæc est catholica Ecclesia: quod ipse prodigiosum nominat. Quinò, peccare etiam in operibus bonis iustos, & bona opera venialia quidem secundum misericordiam Dei, sed ex se mortalia esse peccata. Hic admonitos velim lectores, unam cantilenam identidem recinere Pighium. Quia igitur reliqua omnia suo loco postea recurrerent, de postremo hic tantum dicam. Quod de bonis operibus sic locutus est Lutherus eò non spectabat, ut suam illis laudem, suumque coram Deo pretium adimeret. Neque enim negauit unquam, aut Deum ea habere accepta, aut mercedem redditurum, sed ostendere modò voluit, quid valeant, si ex se, non paterna Dei benignitate, æstimentur. Certum est autem, non dignitate propria placere Deo, quicquid proferri possit bonorum operum, sed gratuito eius fauore, quia tantum habere velit, etiam si digna non sint. At hyperbolicum est, inquit, quod dicit Lutherus. Hæc ut concedam, dico habuisse iustam causam, quæ eum ad tales hyperbolas impulerit: cum scilicet mundum videret falsa & perniciose operum fiducia, quasi exitiali lethargo, sic obstupescere factum esse, ut non voce ac verbis ad eum expergefaciendum, sed clangore tubæ, tonitruo, fulminibusque opus esset. Quanquam nihil est in istis verbis, quod non simpliciter, & citra ullam figuram, verum sit. Nam cum operum dignitas non ex facto ipso, sed ex perfecta Dei charitate pendeat, non aliter iustum purumque opus erit, quam si ex perfecta Dei charitate emanet. Nunc mihi illam in homine perfectionem reperiatis, ut esse aliqua per se bona opera concedam. Atqui hoc in Spiritus sancti contumeliam redundat, per quem bona opera fiunt. Minimè verò si bene ac prudenter discernas, quid in opere bono sit hominis, & quid Spiritus. Vtunque enim sincero corde, & absque fictione, in Dei obedientiam se sancti addicant, multum tamen abest, quin adsit ea in reddendis obsequiis alacritas, quam illa legis summa flagitat: ut Deus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, atque ut secundum Deum proximus diligatur. Hanc verò qui nescit esse amissam, ad quam exigendum sit operum examen, nihil iudicare potest. Nunc audiat Pighius. Dico Sanctos perpetua carnis infirmitate detineri, quominus ea quæ faciunt, bona opera, perficiant: dico ambulare dum currendum erat, sæpe etiam claudicare. Hinc fieri dico, ut nullum extiterit unquam bonum opus, quod undique purum ac perfectum, omni prorsus nauo careret. Quod si semper aliquid sordis ex carnis vitio admixtum est Sanctorum operibus, veniant in conspectum Dei, examinentur in illa trutina, quam Angeli quoque ipsi reformidant: quocumque loco censeantur apud homines, illic vitiosa deprehendentur. At totam puritatem exigua macula inquinari, minimè rationi consentaneum est. Primum, ad obtinendum quod peto, mihi satis est, si in omni opere bono inclusum sit peccatum: deinde hoc minimè recipio, præter rationem fore, si exigua sorde tota puritas inquinetur. Nam si vini sapor, suavis aliàs & gratus, modico acore totus corrumpitur, ut gratiæ quod habuit amittat, quis Deo litem intendat, quod corruptum opus sibi displicere pronuntiet? Ita Lege Mosaica constitutum erat, ut si pollutus homo rem consecratam attigisset, immunda censeretur. Quo significatum fuit, tam efficax & contagiosum venenum esse, hominis immunditiam, ut solo eius tactu, quicquid aliàs sanctum est, profanescat. Iam qualiter liberamur omnes à communi pollutione,



nisi per fidem? Maneat ergo illud, opera bona, si per se astringuntur, omnino esse peccata: ut autem bona sint, ut Deo placeant, ut laudem habeant ac præmium, paterna Dei acceptatione fieri, non proprio ipsorum merito.

Alterum membrum, de absoluta rerum necessitate, in eum locum differemus, ubi tractari poterit suo ordine: cum scilicet de providentia Dei & hominum prædestinatione ageretur. Dicit postea, cum istius nos dogmatis puderet, dimidium recantasse: quòd homini liberum arbitrium in rebus externis & civilibus negotijs tribuamus. Sed hanc palinodiam quominus ex animo prodijisse putet, tribus argumentis moueri se dicit: quòd libris in publicum editis fas esse asseramus, fucus ac technis promouere Euangelij causam: quòd non execremur Lutherum tam horrendæ blasphemix authorem: quòd non palam, damnatis prioribus nostris libris, errasse nos profiteamur. Quòd de promouendo per fucum & dolos Euangelio scripsisse nos insinuat, mirum, nisi sibi ipse somniauit. Neque enim tale quippiam nostrorum alicui excidisse, mihi credibile est. De Luthero, non est quòd dubiam coniecturam sumat: quando nunc quoque, sicut hæcenus, non dissimulanter testamur, eum nos habere pro insigni Christi Apostolo, cuius maximè opera & ministerio restituta hoc tempore fuerit Euangelij puritas. De nobis libenter fatemur, quod Solonem de se gloriari solitum fuisse tradunt, nos quotidie discendo senes fieri, aut cerè ad senectutem properare. Quid tamen à nobis postulat Pighius, ut nos malè docuisse pronuntiemus, cum perseueremus etiànum constanter in ea doctrinæ summa, quæ semper professi sumus? Fieri quidem potest, ut loquantur alij alio modo: ut propriam ferè quisque, & ab alijs distinctam loquendi rationem habet. Cur autem quod seculus omnibus omnium hominum commune fuit, nobis non concederetur? Hoc quoque non grauatim agnosco, nos, si quando iterum reciduntur nostra opera, quæ rudiora erant expolire, mitigare quæ asperius erant dicta, addere lucem obscuris, nimis pressa fusius & copiosius explicare, munire etià nos rationibus, denique in quibus offensionis periculum veremur, moderari etiam & mitigare. Quorsum enim viueremus, si nihil ætas, nihil usus, nihil assidua exercitatio, nihil lectio, nihil meditatio conferret? Quorsum autem proficeremus, nisi ut fructus inde aliquis ad alios quoque perueniret? Imò si nescit Pighius, hoc illi testatum esse velim: nos huc dies noctesque incumbere, ut quæ fideliter à nobis tradita sunt, in modum etiam, quem putamus optimum fore, formemus. Hoc quoque verum est, nonnulla, quæ Scholastico dicendi genere, & minus populari stylo scripserat Lutherus, Philippum Melancthonem prudenter, & magna dexteritate in mitiorem formam steciendo, ad vulgarem hominum captum accommodasse, & communem vitæ usum. Ita cum edenda Augustæ esset confessionis formula, non nisi in ea doctrina immorari voluit, quæ sola Ecclesiæ propria est, & necessaria cognitio ad salutem: nihil scilicet valere per se naturæ vires ad percipiendam fidem, ad obedientiam diuinæ Legis, & totam spiritualem iustitiam. Quid in civilibus & externis valeant, quia non magnopere fidei interest, noluit curiosius disputari. Ceterum, quod summum est in hac questione, & cuius gratia reliqua omnia dicuntur, quemadmodum in initio propositum fuit à Luthero & alijs, ita hodie defendimus, ac ne in illis quidem, quæ dixi ad fidem nõ adicò necessaria esse, aliud interest, nisi quòd forma loquendi sic fuit mitigata, ne quid offensionis haberet.

Ubi hæc peregit fabula partem, ad alium actum descendit, ut dogmatis nostri

mysteria, sicut vocat, in apertam lucem eruat, ex illis tenebris quibus abditae sunt apud nos ac demersae. Atque hic cum de obscuritate nostra, tum de varietate conqueritur. Nam cum perse tenebricosum sit mendacium, nos latebras ad fallendum quarere: praeterea tam esse inter nos dissimiles, ac diuersos, ut certum aliquid ex omnibus colligere, infinitus sit labor. Aiunt unum esse lusciosorum genus, qui crepusculo melius quam meridie cernant. Et communiter videmus eos, qui tenera sunt debilique oculorum acie, ad plenam lucem si prodeant, magis perstringi & hebetari. Ex eorum numero esse Pighium quis neget? Ut eloquentiae laudem alijs concedamus, linguam tamen certe habemus non ad id impeditam nec perplexam. Atque in hoc seruo nos laborare omnes animaduertunt, ut intelligamur. Imò nulla magis de causa nobis aduersarij succensent, quam quod nimis familiarem Christi doctrinam vulgò fecerimus. Solus Pighius nimiae obscuritatis nobiscum expostulat. Sed hoc est quod alibi dixi: more puerorum, qui umbratiles in scholis declamationes habent, omnia rhetorum praecipua, sine delectu, in usum suum applicat. Legit alicubi, valere hoc ad grauadum aduersarium, si obscuritatis vitium obicere illi queas. Arripuit, quia placebat: & nunc temere in nos detorquet. Sed huic cupressus nunc non erat locus: cum libri nostri, sine alia defensione, se plus satis ab hac futili calumnia vindicent. Et ipse mox, quasi sui oblitus, methodum mihi saltem & perspicuitatem tribuit. An ita inter nos dissentiamus, sicut iacet, eius fuit probare. Nunc quid aliud dicam, nisi omnia in nos temere effutire, quibus ijs tantum exosa redderetur nostra doctrina, à quibus non legitur? Neque enim eorum ullam rationem habet, qui nostra vel minimum attigerint.

Postea incipit meis verbis explicare, quid communiter sentiamus: tametsi ne videatur nimis palam pugnare ipse secum, exceptione utitur, si qua sit inter nos una communis sententia. Vides hic lector, hominem constringi simul & distrahi. In totam Lutheranorum sectam, non in priuatum ex ea quempiam certamen instituere videri vult. Non potest autem omnes semel adoriri, nisi coniunctos. Consensionem ut nobis tribuat, grauatim adducitur. Ergo utrunq; simul dicit, & neutrum: & ita nodum insolubilem abrumpit. His subiungit eorum copendium quae secundo Institutionis meae capite de hac re disputauimus. Non sum tam malignus aut morosus, ut Pighium male fidei in meis recitatis, sine causa, accusarem. Verum ne sibi plus iusto blandiatur, sic agnosco summam meae disputationis utcumque complexum esse, ut tamen minimè velim tales in totum opus compositas esse epitomas: neque hanc quoque ipsam alia lege recipio, nisi ut ab hoste produsse meminerint lectores. Nam quod me ipso ordinatius & coherētius omnia digerere se iacet, id suo more dupliciter facit: nempe, & se inaniter efferendo, & liberaliter mentiendo. Illa etiam omitto, quibus velut amari liquoris guttis, mea verba obiter aspergit, quominus lectori sapiant: me truncare Chrysostomi sententiam, quam ad verbum refero, sicut apud eum habetur: me affingere opinionem Petro Lombardo, quam omnibus proprium est videre, bona fide à me expositam: me in citandis Prophetarum testimonijs, aut infidelem esse, aut non sequi fidos interpretes, quia alicubi à vulgari interpretatione dissentio. Sunt enim relatu indigna, nisi ad demonstrandam insignem Pighij, & insciam, & malitiam: quam tamen sani lectores, absque monitore satis animaduertent. Vnum operae pretium esset referre, nisi alio loco iterum repeteret, ubi tractabatur imaginationem scilicet ab eo censei, quod animam fidelem,

doceo, à regeneratione in duas diuisam esse partes. Nam vel in hoc solo verbo illustre specimen Pighiana theologia intueri licet. Quis enim non videat, animam eum pro sale habere, qui tam familiarem pijs animis sensum pro imaginatione ducat? Verum quia hoc in ipso argumenti cardine continetur, & illic etiam Pighius repetit, commodius eò vsque differetur.

Hac quoque ratione postremam illius obiectionem leuiter modò attingam, qua stultitiam nostrã deridet, quòd tantum laboris exhauriamus in docendis hominibus, qui fidẽ tamen interea non humanis persuasionibus parari, sed Spiritus sancti propriũ esse opus asserimus. Nam postea in ipso disputationis progressu iterum recurret. Sed quia tamen hoc ideo in primo limine positũ est à Pighio, vt scriptus nostris viam præcluderet, non possum in totum præterire. Ludere nos operam dicit, hominem ad fidem incitando & exortando, siquidem eam nõ sua ipsi facultate concipiunt, sed Deus sua gratia inspirat. Hanc enim necessariam consequentiam facit: Quicquid fit ante gratiam à seruo arbitrio, necessariò malum est, & à fide magis abducit, quàm ad eam adducat, fidẽsque ipsa tota à Deo pendet. Ergo docendo & exhortando frustra in ventum proicitur omnis labor. Respondeo, nos non magis operam ludere, quàm agricolas, dum terram arant ac seminant. Scriptum est enim, *Seminabis, & non colliges.* Quo significatur, frustra esse omnem laborem, sine benedictione Dei. Vbi autẽ labor successum habet, vt inde fructus colligatur, scriptum est, *Ego exaudiam cœlum, & cœlum exaudiet terram, & terra exaudiet frumentum.* Iam audis absque Dei benedictione nihili esse omnẽ laborem. Vbi autem fructus aliquis sequitur, inde provenire, quod Dominus cœlum exaudierit, vt terram fecundam redderet. Expressius adhuc loquitur Deus alibi, cum dicit, se populum suum exercuisse in deserto, ne cum venisset in terram sibi promissam, diceret in corde suo: *Fortitudo mea, & robor manus meæ hæc omnia mihi præstiterunt.* Vides illic Deum omnia perficere, & necessariò, hoc est, pro sua prouidentia. Quid est, quòd manũ agricolæ terra expectat, cuius tota fertilitas, non nisi ex Dei benedictione est? Nempe, quia sic Deus ordinauit. Proferam alterum quoque simile, sed adhuc clarius. Testatur Dominus, se, cum *Man* è cœlo plueret, perpetuũ documentum edidisse, quòd non in solo pane viuat homo, sed in virtute verbi sui. Si non pane, sed verbo Dei pascimur ac sustinemur, quid adhuc laboramus de cibo & potu? Excipiet Pighius, non solo quidẽ pane nos viuere, sed tamen aliquo modo. At hoc tantum obtinere volo: neque panem aliquid per se valere, & solam Dei benedictionem sufficere ad nos alendos. Vbi enim non adest interior illa Dei virtus, nihil aliud accidere potest, quàm quod scriptum est: *Comedes, & non saturaberis.* Item: *Frangã baculum panis.* Vbi autẽ adest, non minus efficaciter sine pane, quàm per panem, nos fouet ac sustentat. Vbi illa Pighiana cõsequentiã necessitas? Deus efficaciter, arcana sua virtute, hominem pascit, atque id facit pro sua prouidentia, vt inde pendeat tota eius vita, non à cibo aut potu. Ergo frustra edimus ac bibimus. Ne tamen sim prolixior: tribus verbis, qualis istæ sit consequentiã, ostendam. Deus solus hominem pascit. Ergo non agit per mediã: hoc est, nullis instramentis utitur. Quis puer si ita ra iocinetur, non à magistro vapulet? Nunc superest, vt similitudines istas applicemus ad præsentem causam. Paulus, cum de Apostolorum officio loquitur, eos hortulanis comparat, qui plantant vel rigant. Et continuo subiicit, eos nihil esse: *Denm, qui dat incrementum, vnum esse pro omnibus.*

Si quis nostrum simpliciter ita diceret, nihil esse qui docet, nihil esse qui hortatur, quibus facilis suas in nos furias Pighius armaret? Nunc in Paulum dētes suos paulisper stringat. Quærat per ludibrium, quid se ita scribendo & loquendo consiciat? cur tot subeat labores? tot se periculis obijciat? tot molestiis & curis se exerciet? nullū cursitandi finem faciat? si hæc omnia nihil sunt. His omnibus respondet Paulus, se Spiritus habere ministerium, quo Euangelij prædicationē inscribat hominum cordibus, non per suam industriã & operam, vel proprio, quod aiunt, Marte, sed Spiritu Dei viui. Iam audis, vnde sit efficacia ministerij: nempe ex arcana Spiritus sancti actione, non hominis labore, aut studio. Audis præterea, non inane esse ideo instrumentum, quo ad implendum opus suum manus Dei utitur. Hanc igitur suam defensionem sanctus Apostolus nobis quoque accommodet in communi causa. Quærit Pighius, quorsum noster in scribendo & concionando labor, si homo, ante fidem, Sathanae vinculis captiuus tenetur, vt sanam doctrinam recipere atque amplecti per se nequeat, vbi autem Dei Spiritu illuminatur, efficaciter & necessario eam recipit. Respondeat hic Paulus: quia Euangelium Deus in hunc finem destinavit, vt per ipsum Spiritus sui virtutem exereret. Quid amplius vis? Solus est Deus qui agit: sed quia Spiritus sui virtutem quodammodo in Euangelij prædicatione inclusam esse voluit, non Vananeque inutilis est nostra opera, quæ eius providentiæ seruit. Non est igitur cur festiuitatis laudem ex scurrilitate hic capret, dum nobis respōsum affingit, siue bene, siue malè, nos agere hoc necessario, non consilio, aut ratione. Nos quidem, si nescit, neque sapientia nostra, neque fortuito excitati sumus ad hoc ministerium, sed certo & stabili Dei consilio, efficaci- que Spiritus sancti motu. Neque enim separatam habemus rationem à Paulo, qui & Dei electione se fuisse ab vtero destinatum ad munus Apostoli prædicat: nec se ante cœpisse, quam dies venisset à Deo cōstituta. Sed quid hoc ad insulsum Pighij dicerium? Simul enim certi sumus, secundum hanc Dei electionem, nos ministerium exercere, & ei acceptum, & in salutem fidelium efficax, & Ecclesiæ salutare. De bono  
perfeue. Atque, vt verbis etiam Augustini loquar, exhortamur & prædicamus, vt qui aures habēt audiendi, audiāt: atque ideo facimus, quia scimus paucis esse donatum, vt sine hominis ministerio intelligant: multis vero id esse donatum, vt Deo per homines credant. Quolibet tamen modo annuntiemus hominibus Dei verbum, proculdubio qui sic audit vt obediatur, donum Dei est.

In secundum Librum.



Nitio secundi libri omnes facundiæ suæ copias explicat. Versatur enim in causa populari, in qua plausibiliter apud vulgus hominum iactare se potest. Ac primum quidem ita præ admiratione obstupescit, vt ipsum dicas Niobes agere personam in fabula. Hæc autem stuporis causa, nos tanta vertigine, cæcitate, amētia percussos esse, qui dogma hoc de quo tractat, amplexi fuermus plusquam euidenter falsum, mortalium omnium cōcordi, à mundi creatione, sensu & consensu damnatum, sic in Deum blasphemum, vt nihil supra. Deinde ne sine ratione insanire videatur, multas absurditates enumerat, quas in eo contineri putat. Equidem in genuum aduersarium mihi optarem, qui me omni ex parte aggrediretur, sed non cæco & confuso prælio obrueret: sicut hic facit, qui duas

duas diuersas quæstiones vbi seorsum discutere proposuit, nunc simul commiscet. Si vel cogitare quicquam aut boni aut mali, inquit, in nullius potestate est: sed absoluta necessitate fiunt omnia. Atqui de prouidentia Dei, vnde hæc necessitas dependet, alibi tractare instituit: nec aliud agit quatuor postremis libris. Cur hanc ergo quæstionem nunc cum altera confundit? Dicit quicquid habet, etiam si infirmum sit, etiam si friuolum, modò in vno aliquo statu maneat, patitur. Nunc autem cum duas quæstiones in medium protulerit, de vtraque separatim dicendum se receperit, cur in progressu non præstat, quam semel dedit fidem? Cum vbiq; se iactet, bonum esse digerendi artificem, nõ audeo imperitiæ eius id tribuere, sed astu ac malitia fieri agnosco. Quoniam enim illud, quod de absoluta necessitate ex Luthero adducit, videbat communi hominum apprehensioni minus esse consentaneum, hoc quoque auspiciatissimum exordium fore putauit, in quo sensum carnis sibi consentientem haberet, à Lutheri verò doctrina abhorrentem. Itaque totum locum de naturæ corruptione, velut scopulum aliquem, fugit: & cum ab orationis quoque suæ contextu illuc ducitur, aut trahitur, se pius declinat: quòd suam causam nouerit in eo minus fore vulgo fauorabilem, quàm dum alterum istud urget.

Agedum verò: quando sic aduersario placet, de vtroque simul respondeamus. Primum igitur argumentum est: Si nihil boni, aut mali cogitare, nec vias nostras aut bonas, aut malas disponere possumus, sed omnia in Dei sunt potestate, secundum quam necessariò eueniunt, cur non stertimus ac dormimus perpetuò? Quid agricola in aratione, satione, frugibus colligendis ad eò sudat? Cur mercator longis itineribus ac periculosus navigationibus se committit? Cur frugi paterfamilias liberos bene ad virtutem & honestos mores educandos curat? Quid ægri medicum accersimus? Nihil enim sollicitudine, industria, sedulitate proficitur. Si expectat Pighius, dum nouam responsonem excudam, fallitur: sed tantum ex Institutione mea mutuabor, quòd solutioni satis sit. Ea sic habet: Industriam, cogitationes, consilia, studia hominum facile cum Dei prouidentia conciliat Salomo. Sicut enim eorum stoliditatem ridet, qui sine Domino quiduis audacter suscipiunt, ac si eius manu non regerentur, ita alibi sic loquitur: Cor hominis disponere viam suam debet, & Dominus diriget gressus eius: significans æternis Dei decretis nos minime impediri, quominus sub eius voluntate & consulamus nobis, & omnia nostra dispensemus. Neque id manifesta caret ratione. Nanque is qui vitam nostram suis terminis limitauit, eius curam apud nos deposuit: eius conseruandæ rationibus subsidiisque instruxit: periculorum quoque præcios fecit, ne incautos opprimerent: cautiones denique ac remedia suggessit. Non ergo expendunt insani isti quòd est sub oculis, consultandi, cauendique artes esse inspiratas à Deo, per quas eius prouidentia subseruamus, in vita nostræ conseruatione. Quemadmodum contrà neglectu & socordia, quæ nobis iniunxit mala, accersimus. Qui sit enim, vt vir prouidus, dum sibi consulit, imminentibus etiam malis se explicet: stultus inconsulta temeritate præreat, nisi quòd & stultitia, & prudentia diuinæ sunt dispensationis instrumeta in vtranque partem. Habet Pighius quòd quærebat, vel potius quòd non quærebat. Neque enim vllò veri quærendi studio tenetur, qui tam clara, & simplici responsoni ad eò non acquiescit, vt ea audita, quicquam sibi responsum fuisse disimulet, & quasi nihil audierit, canillari pergat.

Pro. 16.

*Prudentia, Anli-  
tika p. diuin:  
dispensationis in-  
strumeta.*

Secundum argumentum: Cur maleficia legibus puniuntur, si perpetrantur necessarii? Cur iudex in eum animadvertit, per quem operatus est Deus? Neque enim, si cædes admissi fuerit, de gladio sumetur ultio. Atqui sic se habent, Luthero auctore, impij in sceleribus respectu Dei, ut gladius in manu hominis. Respondeo, in hoc consistere huius obiecti solutionem, si quis pia modestia, & non profana arrogantia, diuinae providentiæ regimen in rebus humanis consideret. Neque enim sic necessarii peccare dicimus impios, qui voluntaria deliberataque malitia peccent. Neceßitas inde est, quod opus suum per eos Deus exequitur, quod certum est ac stabile. Interea tamen quæ nullis refidet malefaciendi voluntas ac propositum, reos culpæ ipsos facit. Atqui hæc à Deo aguntur & feruntur. Nempe in eum modum, ut in eo opere alia sit Dei, alia ipsorum actio. Ipsi enim malis & improbis suis cupiditatibus obsequuntur: hæc improbitatem convertit Deus ad exequenda sua iudicia. Atque hæc leuiter attingo, & velut intranscursu: quoniam alibi suis ac diligentius tractanda erunt. Quod autem in comparatione impij cum gladio, Luthero de hac locutione inuidiam facere conantur, non est hoc fucum facere, sed ferreã frontem prodere. Sunt enim Spiritus sancti, non Lutheri verba: Assur virga furoris mei. Item: Quid gloriatur securis, quæ manus secantis regitur?

Isa. 10.

Tertium argumentum: Hoc dogma omnem politiam & ordinem, omnem bene viuendi disciplinam ex hominum vita proscribit. Frustra enim virtutibus præmia, frustra si clerici pœnæ proponerentur, si necesse est fieri quod fiet. Quasi Verò cum Deum dicimus suo arbitrio omnia constituere, & dirigere ad suum finem, non hoc quoque addamus, certis rationibus, velut medijs, aut inferioribus causis, ipsam vti. Ita mundus politia & legum disciplina continetur: sed quatenus illis vtitur Deus, ad eam, quam apud se proposuit, mundi conseruationem. Non sumus Stoici, qui fatua somniamus ex perpetua rerum connexionem: sed tantum dicimus, Deum mundo præfuisse, quem condidit: nec modò rerum euentus habere in sua potestate, sed hominum etiam corda gubernare, voluntates flectere pro suo arbitrio hæc atque illæ, actionum esse moderatorem, ut nihil tandem, nisi quod decreuit, efficiant, quicquid conentur. Proinde quæ fortuita maximè videntur, ea dicimus fieri necessarii: non supra natura, sed quoniam æternum & stabile Dei consilium in illis gubernandis regnat. Neque tamen idcirco media illa excludimus, quæ in voluntatis suæ obsequium Deus destinauit: neque aut otiosa, aut superuacua dicimus, quæ diuinæ providentiæ complemento seruiunt.

Quartum argumentum: Quod omnis tollitur religio, & homines vertuntur in pecudes, vel potius in portenta: quorum admiratione Pighius in morem lapidis obriget. Ducas hominem hic loqui, de religione vehementer anxium: ac si non pleno ore ubique spiraret Romanensem theologiam: cuius primū axioma est. Tantū de Deo credendum esse, quantum libeat, & conducatur. Sed homine præterito, videamus quàm verum sit, quod obtēdit. Dicimus hominem nō modò nihil agere posse boni, sed ne cogitare quidē, ut totus à Deo pendere discat, ac de se desperās, in illū penitus se rejicere: si quid boni egerit, illi acceptū, non sibi referat: nec dimidiã tantū illi laudē tribuat bonorum operum, sed plenam ac solidā, nihil sibi reliquum faciēs, nisi quod ab eo accepit, quicquid habet. Dicimus, homini ingenitã peruersitatē ex hereditaria corruptione: ut quicquid peccat, sibi imputet, nec alio culpam transferat, cum in seipso inueniat mali radicem. Dicimus, non cæco aut fortuito casu,

Iurissim

*sursum, deorsum, versari res humanas, sed certo Dei consilio administrari: ut nihil accidere possit, quàm quod decreuit ad initio: omnia eius potestati subiecta esse: ideo nullam esse creaturam, quæ non eius voluntati, aut sponte, aut coacta, obtemperet. Proinde quæ fiunt, omnia necessario fieri prout ordinauit. Sathanam quoque, & omnes impios, eius imperio esse obnoxios, ut se mouere nequeant, nisi quantum iusserit: manu enim eius velut freno aut capistro coerceri: ut tum omnes eos retineat, cum liberit: tum impellat & dirigat ad exequenda sua iudicia. Quæ omnia non aliò spectant, nisi ut fidelis in hac Dei omnipotètia securus acquiescat: nec metuat fortunam aut casum, nec aut à bestijs, aut hominibus, aut diabolis sibi timeat, ac si laxis aut fractis habenis ferrentur suo impetu, sine superiori regimine: sed animam corpúsque Deo resignet, atque ita in eius tutelam pacato tranquilloque animo recumbat, cuius nutu omnia constitui, cuius manu omnia fieri nouit. Porro cum hæc tota doctrina hominem non nisi ad humilitatem, timorem Dei fiduciam in Deo collocandã, gloriam Dei predicandã, instituat (quibus potissimum rebus constat vera religio) nõ est cur tam atrocẽ accusationẽ nobis intendat Pighius.*

*Quintum argumentum: Deum, sic loquendo facimus malorum omnium auctorem, ex iustissimo crudelem ac sauum, & infinitam eius sapientiam stultam facimus. Equidem tale iudicium à carne sua hominibus dictari nõ nego, ut Deum talem esse concipiant, cum ipsum audiunt de arcanis suis iudicijs loquentem. Sed qualiserit ista æquitas, si incomprehensibilia Dei iudicia, quæ Paulus cum trepidatione adoratur & miratur, quia excutere non audet, æstimentur ex stulta hominum ratione? Cum Paulus ipse impiorum blasphemias in medium profert, addit se loqui secundum hominem. Quo verbo simpliciter demonstrat, non posse hominem nisi perperam, usque ad impias & sacrilegas opiniones, de his rebus iudicare. Ergo ab ista præcipiti carnis audacia nos ad castam sobrietatem, diuinæque iustitiæ reuerentiam conuertamus. Tum intelligemus, nec Deum fieri malorum auctorem, cum dicitur impios agere quod vult, & per illos opus suum peragere & exequi: sed potius confitebimur esse eximum & mirificum artificem, qui bene etiam malis instrumentis utatur: iustitiam eius cogemur suspicere, quæ non modo in media iniquitate viam inueniat, sed ipsa quoque iniquitate utatur in bonum.*

*Sextum argumentum: Quod vniuersam naturam damnamus: quia totum quod habet homo à natura vitiosum dicimus. Nouum hoc non esse, ut lateant gratiæ inimici sub laude naturæ testis est Augustinus. Ne tamen id declinandi causa facere videar, Respondeo, & Lutherum, & nos omnes, duplicem constituere naturam: priorem, qualis à Deo condita fuerat, quam puram & integram fatemur fuisse: alteram quæ lapsu hominis vitiatã, suam integritatem perdidit. Huius vitiositatis culpam homini tribuimus, non referimus in Deum. Hanc doctrinam si improbat Pighius, cum Apostolo expostulet, qui totidem propè verbis id ipsum tradit. Aut si malit, ex Augustini ore respondebimus, quod libro ad Bonifacium primo habetur: homines esse opus Dei, in quantum homines sunt: sed sub diabolo esse, in quantum peccatores sunt, nisi inde per Christum eruantur. A Deo igitur boni, à seipsis mali sunt.*

Lib. 2. ad  
Bonifac.

*Hic rogatos iterum velim lectores, ut meminerint, me nondum ex instituto has quæstiones tractare, sed tantum breuiter occurrere a stutiæ Pighij: qui suis calumnijs exosam hominibus reddere voluit nostram doctrinam, antequam de ea*

cognoscere: & quasi præoccupato limine, ipsos impedire, ne ad eam usque cognoscendam ingrederentur. Quod ergo non omnia de illis dixi, quæ ad plenam & solidam earum explicationem dicenda forent, eo consilio factum est, ne cum proprius locus venerit, aut remittere huc lectorem cogerer, aut superuacuis repetitionibus frustra onerare. Quod autem ad extremum, totam Dei doctrinam, adductus nescio quibus similibus dissimilibus, fore ridiculam obijcit, si dogmati nostro locus datur, nihil aliud dico, nisi in tribus verbis omnium breuem & expeditam solutionem esse positam: nempe, si expendimus, hinc, quid homo Deo debeat: illinc, quid in homine faciat Deus. Neque enim, aut facultate nostra metiri officium oportet, cui adstricti sumus: aut in hac nuda cogitatione insistere, quid valeat homo. Verum sic primò habendum est, etiam si legis iustitiam, nec implere, nec inchoare possimus, eam tamen iure à nobis requiri: neque nos excusari infirmitate, aut viriù defectu, cuius ut vitium à nobis est, ita culpa nobis imputanda est: deinde usum legis alium esse, quàm communiter imaginantur homines. Non enim bonos facere potest, sed reos tantum peragere, tum ignorantie prætextum tollendo, tum falsam iustitiae opinionem & inanem virium confidentiam refutando. Ita fit, ut impijs nulla restet excusatio, quin propria cōscientia conuicti, reatum, velint, nolint, sentiant. Non semper quidem agnoscunt ac confitentur, lege tamen intus iudicante, sentiunt. Fit etiam e conuerso, ut pijs prorsus exinaniti omni peruersæ sui fiducia, quæ vera demum est humilitas, locum dent Dei gratiæ, unde fortitudinem sumant. Non igitur iubendo aut exhortando vires nostras Deus reputat, cum id ipsum det, quod postulat, atque ideo det, quia per nos destituimur.

Iam verò, ut nihil prætermittat, quod odium quolibet modo constare queat Lutheri sententiæ: nostræ, originem trahere à veteribus hæreticis cōmemorat, Prisciliano, Manichæo, Marcione, Cerdone, ipso que ad eò Simone Mago: quos tamen omnes impietate dicit fuisse à Luthero superatos. Dicerem ingeniosum esse hoc artificium, si quid coloris haberet. Sed cum in præptu sit palam facere, nimis crassum & improbum esse mendacium, quid in delucris sperauerit nescio: nisi fortè illud est quòd iam dixi, eum satis habuisse, si sua modo farina hominibus placeret, qui neque nostræ attingunt, neque inquirunt, verumne sit an falsum quod dicitur: sed Pighiana omnia, vel Ecciana eo tantum nomine exosculantur, quia in nos scripta sunt. Vetus & obsoleta est hæc criminatio, non à Pighio primum reperia. Nam Augustinum sic olim vexabāt Pelagiani, quasi cum Manichæis sentiret. Sed aduersus vanam & futilem maledicentiã semper est veritati parata defensio. Ut à Simone incipiam, quid causæ habet Pighius, cur nos eius discipulos faciat? imò cur eum prorsus nominet? Veteres ferè omnes mentionē faciunt Simonis, eius quoque errores recēsent: sed nullus, quod sciam, tale aliquid prodit, quale hinc Pighius iactat. Plurima eius deliria refert Irenæus libro primo: Tertullianus nonnulla. Augustinus verò quæcunque vel legerat, vel audierat, colligit. De libero vel seruo arbitrio, de necessitate vel fortuito euentu verū, prorsus nihil. Docebat, inquit, promiscuos concubitus: Deum non fecisse mundum: negabat carnis resurrectionem: asse rebat se esse Christum: itémque Iouem se credi volebat: Mineruam verò Selenem quandam meretricem, imagines suas & illius dabat adorandus. Dicebat se in patris persona legem dedisse Iudæis: sub Tiberio in filij persona putauisse apparuisse: postea in linguis igneis, super Apostolos venisse. Hæc sunt, quæ Augustinus

Cap. 10.  
de præ  
scri. heret  
& de he-  
reticib.  
Ad quod  
vult  
Deum.



Undique ex alijs collecta, redigere in vnum catalogum potuit. Quid hinc reperiet Pighius, cur nos faciat Simonis discipulos? At non comminiscitur. Habet enim ex clementis recognitionibus. Praclarum vero authorem, ex quo de tantis rebus iudicium fiat. Constat enim deliria esse inepti cuiuspiam monachi, quæ sub Clementis nomine multis auspicijs edita sunt. Neque vero magnis & longis rationibus opus est. Siquidem est in manibus hominum liber, qui sine indice suam insulsitatem plus satis prodit. Quæ sub Petri persona illic referuntur, Spiritum Apostolicum nihilo magis redolent, quam Aristotelis τὰ μὲν & οὐκ αὐτὰ. Quin etiam mihi videor Aristotelem facere iniuriam, dum huic Philosophastro ipsum comparo. Itaque nihil aliud dicam, nisi quod iam dixi, fuisse ineptum aliquem monachum, qui nugando fallere oculi sui tadium voluerit. Inde autem sumpsit fiduciam, ut Clementis nomine abuteretur: quia illud vulgò receptum erat, Clementem disputationis inter Petrum & Simonem habitæ commentarios scripsisse: quos etiam Rufinus citat: idque non absque sinistro elogio, quod multas falsas & impias sententias contineant: addita tamen Clementis excusatione, quòd adulterinæ esse possint, & ab hæreticis per dolium suppositæ. Quanquam ut totum librũ supposititium fuisse credam, & Clementis titulum falso prætulisse, veterum ferè omnium autoritate magis quam vnius Rufini opinione moueor. Nam si talis quispiam liber Irenæi & Tertulliani ætate extitisset, qui habitus fuisset Clementis, non neglexissent profecto tale actam commodum subsidium. De ea ipsa quæstione, quæ illic agitur, certamen habebat, ille cum Valentino, hic cum Marcione: nihil magis laborabant, quam ut probarent, non aliud se docere, nisi quod Apostoli prædicassent. Quid validius aut firmissimum erat, quam simpliciter huic citare testem, qui vnus poterat totam litem dirimere? Nullo certè, nec faciliore, nec meliore argumento conuinci vtrique poterant, tam Marcionitæ quam Valentiniani. Fuisset enim non dubiæ fidei monumentum, quod à Petri discipulo prodisset. Protulissent igitur consignatam certo testimonio Petri fidem. Nonne hoc erat omne subterfugium occludere hostibus? Atquæ longiore circuitu vtuntur. Referunt omnes Romanos Episcopos, qui Apostolis successerant, ad suum vsque tempus, quin etiã inter alios nominant Clementem: testantur se docere, quod ab illis per manus sibi traditum fuerit. Quid cõiecturis opus erat in re tam perspicua? Cur librum tacent, in quo totus quæstionis cardo vertebatur? Præterea cur suis hostibus inuidiam ex nomine non faciunt? Tunc enim Simonis nomen omnes abominabantur. Quare hoc vno verbo, citra longiorem contentionem, expedire se poterant: Quid vobis Valentinæ & Marcionis ex inferis Simonem excitatis? Non disputatione certandum est vobis: sed anathemate agendũ. Neque enim renocare in dubium fas est, de quo semel pronunciauit Apostolus. Huc accedit, quòd Eusebius, cum de Clemente loquitur, vnã Epistolam reliquisse eum narrat: de altera nihil audet asserere, quia non viderit: deinde continuè subiungit, Sed & alia eius opuscula à nonnullis haberi perhibentur, velut Petri & Appionis disputatio: quæ in vsu à veteribus habita minimè reperimus, quia nec pura in eis, nec incorrupta fidei Apostolicæ doctrinamãssisse deprehenditur. Atque, ut citra ambages dicam quod res habet, quisquis in illorũ temporum historijs bene exercita us rē propius expendet, aut Petri cum Simone Mago cõcertationem confictam fuisse & fabulosam animaduertet: aut, velut dubiam & incognitam, relinquet in medio. Nam & Augustinus Romæ quoque sua ætate vulgò fuisse de ea ru-

In apolo  
pro Ori-  
gene.

Lib. 3.  
Ecclesi.  
Hist.

Epist. 86 mores scribit, qui à Romanis ipsis pro falsis habebantur. Hac longius repetere, & fusius persequi libuit, ut statuerent lectores, quantum sit deferendum testimonijs, quæ paulò post ex commentitio illo Clementis libro, velut ignea tela, in nos Pighius vibrat. Verùm demus librum aliquem fuisse à Clemente conscriptum, qui inscriptionem hanc habuerit, quid hoc ad frigidas, vel potius fatuas istas rhapsodias? quæ nullo ingenio, nullo iudicio fuerunt ab indocto monacho consarcinata. En specimen ingenuitatis Pighiana.

Venio ad alios hæreticos: quorum nos facit discipulos. Tamen si autem non nihil inter se differunt: quoniam tamen vnus est de num omnium communis error, eos simul vno, ut aiunt, fasciculo complectar: ac breuiter referam, quid illi doceant, quid nos doceamus: ut ex comparatione iudicent lectores, quid nobiscum illis sit commune. Ac illud quid: in Valentini inextricabile cahos de <sup>2000</sup> genealogia omittam, quia parum ad institutum faciat: nisi quòd ex tricesimo aone diabolum genitum fingit, qui alios postea genuerit, à quibus creatus fuerit mundus. Atque inde est, quòd malitiam non arbitrio, sed naturæ mundi: hoc est, generi diabolico, tribuit. Cerdoniani, Marcionitæ & Manichæi simplicius insaniunt: constituunt enim duo principia inter se diuersa, quasi duos Deos: vnum bonum, alterum malum, hinc mala, inde bona, habere & originem. Plura deinde & magis adhuc ridicula comminiscuntur Manichæi, de bonorum & malorum commixtione, quibus se per sedeo. Priscillianistæ paulò aliter de humanæ prauitatis origine philosophantur. Non enim ex mala traduce gigni animas putant, sed descendere de cælo ex diuina substantia formatas: sed incidere in malignum principem, mundi fabricatorem, & ab hoc principe contrahere contagionem, & in diuersa corpora seminari. In hoc tamen conueniunt omnes vnà cum Montano, & reliquis similibus, quòd hominem malum esse, non lapsu & propria culpa, sed ipsa creatione, pronuntiant: nec vitium accidisse dicunt naturæ nostræ, sed substantiæ inlætere: adeoque substantiam ipsam malam esse ac vitiosam. Ne ergo Deum bonum cogantur facere mali auctorem, ad diabolum principem tenebrarum hominis creationem referunt.

Cap. vlti.  
lib. i.

Nostræ non aliunde referam quàm ex ore ipsius aduersa. y. Quamquam enim nihil non calumniando peruenit, continere tamen se non potuit, in tam elara luce, quin testimonium hoc nobis redderet: Nempe nos dicere hominem dupliciter considerandum: Primum in ea integritate, in qua conditus fuit, deinde in ea miseria, in quam proprio vitio delapsus est. Ad imaginem quippe Dei fuisse creatum Adam, eximijs dotibus ornatum, iustitiæ, veritatis, sapientiæ: idque hac lege, ut non ipse tantum, sed omnes eius filij sic victuri essent, si in ea integritate, quam acceperat, perstitisset: verùm non steterit diu: sua igitur ingratitude donis illis fuisse exutum: excidisse proinde ab illi Dei similitudine, & induisse nouam imaginem. ignorantia enim, & impotentia, iniustitia & vanitati fuisse subiectum: atque in has miseras demersum, suam quoque progeniem yisdem implicuisse. Iam ex Pighij confessione habeo, nos non naturæ, non primæ hominis origini tribuere, quòd malus sit, sed eius culpæ duntaxat, qua miseriam hanc sibi accersuit. Neque enim negamus, liberi arbitrij conditum fuisse hominem, qui & sana mentis intelligentia, & rectitudine voluntatis præditus fuerit. Nunc quidem capitiuum teneri sub peccati seruitute arbitrium nostrum asserimus. Sed vnde id? nisi quia libero arbitrio abusus est Adam, cum haberet? Sed quid hic verba perdo? cum plus satis ad nostram defensionem sufficiant,

sufficiant, quæ Pighius ex nobis recitat. Hæc enim illic mea sunt verba: Quare rui nam nostram naturam de prauationi imputadam, meminerimus, ne in Deum ipsum naturam authorem, stringatur accusatio. Hæc enim quidem exitiale illud vulnus in natura verum est: sed multum refert, accesserit ne aliunde, an ab origine in se derit. Constat autem, per peccatum inflatum fuisse. Non est igitur cur conqueramur, nisi de nobis ipsis &c. Et adhuc nos Cerdoni, Valentino & Manichæis similes faciet Pighius? Illi hominem substantia & creatione malum fingebant. Nos, ut de excellentissimo Dei opere loqui par est, creatum fuisse dicimus rectum, naturæ bonæ & puræ: sua autem culpa fuisse vitiatum cum sponte à Deo defecit. Quid simile, obsecro, inter substantiam & accidens? inter Dei creationem, & accersitum ab homine vitium? Augustinus, cum de Priscillianistis agit, in eo errare dicit, quod non arbitrio, sed ipsa Dei creatione hominem malum asserunt. Illos damnando, non modò nos absoluit, sed doctrinam nostram suo suffragio prorsus comprobatur. Imò cum similem huic nostram, in qua nunc versamur, causam agit aduersus Pelagianos, hoc est cum ab eadem se calumnia purgat, ita pro se loquitur, ut nos quoque suo patrocinio sufficienter defendat. Atque id quidem & pluribus facit locis, & nunc breuius, nunc fusius. Quod tamen ad nostram questionem, summa huc respicit, eos qui sanandam dicunt naturam, multum à Manichæis differre: quia sanari non possent, si æternum & incommutabile malum esset quod somniat Manichæus. Multum esse Manichæis contrarios, qui malum naturæ nostræ accidens esse dicunt, quod illi referunt ad substantiam. Eos qui arbitrium non nisi ad malum esse liberum tradunt, exortum tamen inter ea ab eo, quod non erat malum fatentur, minimè ad Manichæos accedere, sed eorum errorem fortiter redarguere. Quid autem istorum non semper docuimus? Si hodie ueretur Augustinus, causæque nostræ defensionem ex professo susciperet, non posset clariùs exprimere, quod ad refutandam huius conuicatoris calumniam sufficiat.

Sed videte hominis pudorem. Parum esse putat, si nos illorum discipulos faciat: addit enim absurdiora & magis impia docere. Manichæi, inquit, ne malitiam Deo adscriberent, duo principia finxerunt. Lutherus vni Deo optimo maximo scelera & flagitia adscribit: quia in illis veluti ferræ simus, tracti atque acli illius impetu quò voluerit. Manichæus, post superiores illos hæreticos, duas in homine naturas facit: alteram bonam, malam alteram: quarum illa peccare non possit, neque hæc bene agere. Lutherus liberum hominis arbitrium, imò vniuersam hominis naturam asserit necessariò & semper etiam in sanctis Spiritui Dei reluclari, & velut feram indomitam nunquam non repugnare Dei gratiæ. Impios veluti ferras esse in manu Dei, quæ moueat, vertat, dirigat eos, quorsum vult, non ex Luthero est, sed ex Spiritu sancto: si tamen eum per Prophetas locutum fuisse confitetur Pighius. Dicit enim Iesaias de Sennacherib: Nunquid gloriabitur ferræ aduersus eum à quo trahitur? Semper tamen expositionem hanc Lutherus addidit: sic Dei instrumenta esse omnes impios, ut malitia ab ipsis sit, in ipsis resideat, ipsis quoque sit imputanda. Rursum vniuersam hominis naturam, ut est post lapsum vitiatam, & corruptam, non ex seipso damnat Lutherus, sed acquiescit in Dei optimi & summi iudicis sententia, à qua prouocare nefus est. Quis enim hæc omnia pronunciauit? Omne figmentum cordis humani tantummodo malum est à pueritia. Perversum est cor hominis, præ omni re, & fraudulentum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, ne vnus quidem. Affectus carnis im-

micitia est aduersus Deum. Legi Dei non subiicitur, neque etiam potest. Et alia innumera. Eat nunc Pighius, & tot tamque graua Dei iudicia vno conuicio retrahat. Quantum ad sanctos pertinet, non dubium quin Spiritus sancti gratia resistat, quod in illis resistendum est propriae naturae. Neque enim humilitatis gratia mentiebatur Paulus, dum confitebatur non habitare in se, hoc est in carne sua bonum: sed cum gemitu non ficto miseriam suam deplorabat. Illic totum carnis ingenium prauitatis damnat: carnem verò definit, quicquid à seipso habet. Dum ergo carnis suae reliquias resistere Dei iustitiae conqueritur, quid differt à Luthero? nisi quod rem eandem non totidem syllabis exprimit. Exhorrere se Pighius ad hanc Lutheri vocem dicit, naturam carnis in sanctis quoque, velut feram indomitam, Spiritui sancto reluctari. Omitto nunc Paulum: quid rogo, sibi volunt haec Augustini verba? Item: Nemo se palpet: de suo Sathanas est. Tollat homo peccatum quod suum est: Deo iustitiam relinquat. Si haec à Luthero dicerentur, quos nunc tumultus Pighius misceret? De sanctis loquitur Augustinus: quicquid sunt vel habent à natura, pronuntiat esse peccatum: nec eo contentus, dicit ipsorum unumquemque de suo esse Sathanam.

Homil.  
49. in Io  
annum.

Scio quidem me cum insano hoc capite nihil proficere, qui vllis scripturis crediturum se negat, quae secus doceant, quam in se iam sibi persuasit: quin etiam elatio supercilio iactat, non dubitanter se dicturum, à diabolo omnis blasphemiae auctore prodisse, si quae tales proferantur. Quid facias cum tali furia? Sua se imaginatione sic inebriauit, vel fascinavit potius, ut neque homines, neque Angelos, neque Deum audire sibi reclamantem suffineat. Hoc enim sacrilegium discretis verbis euomit: Si quae scripturae Lutheri doctrinam adstruerent, à Lucifero omnis blasphemiae & impietatis auctore fuisse dictatas, nihil dubitarem dicere. Item alibi: Sunt eiusmodi dogmata, ut dicere non dubitem, nulli Evangelio, nullis Scripturis, nullis Apostolis, sed nec Angelis de caelo omnibus crediturum me, si ea assererent. Dicit quispiam: quid igitur cum tam deplorato homine ludis operam? Ego verò ne verbum quidem facerem eius causa. Sed operam hanc alijs impendo, qui vel ad amplectendam veritatem sponte propensi sunt: vel sic in errore detinentur, ut sint tamen sanabiles: vel saltem non ita sunt obstupefacti, quin sentiant quod dicitur. At sacris Dei oraculis nihil derogare se putat, quia possibile non sit, ea aut Luthero, aut nobis suffragari. Ego verò nullum pretextum obtendi posse contendo, quin istae voces illi: stre & consignatum ad posteros testimonium reddant, Spiritui sancto in Scripturis loquenti, & aeterna Dei placita pronuntianti, nihilo plus reuerentiae detulisse Pighium, quam Platoni ex proprio capite philosophanti. Quis enim, modo scintillam vnā, quamlibet exiguam, timoris Dei residuam in corde habeat, sic loqui a se? Angelum quidem è caelo si aliud Evangelium attulerit, pro anathemate haberi iubet Paulus. Nempe cum Angelos quoque subijci & obedire verbo Dei oporteat, meritò redigantur in hunc ordinem, ut si aliter faciant, demones censeantur. Quamquam autem accidere id non potest, tanti est rāmen Evangelij maiestatis, ut ad eam vindicandam Angelorum nomine quodammodo abuti nefas non sit. Ipsi autem Deo anathema irrogare, quale exemplum est? Deum in Scripturis sanctis loqui, nemo piorum dubitat. Quid ergo aliud sibi voluit illis verbis Pighius, quam certa Dei oracula se dicturum à diabolo edita fuisse, si liberum hominum arbitrium tollant? Haec quicumque pius audit, nonne Cerberum potius aliquem latrare dicat, quam hominem loqui?

Tam ut scripturas ipsas nobis excutiat, hoc argumento utitur: legisse eas patres omnes, orthodoxos & sanctos homines, neminem tamē eorum intellexisse, inevitabili necessitate nobis provenire omnia: neminem dixisse, impossibilia nobis à Deo præcipi, aut pro ijs damnari homines, quæ non libera voluntate, sed fatali necessitate impulsī faciunt: neminem, Deum existimasse fontem ac saturiginem scelerum & flagitiorū omnium. Primum respondeo, patres nihilo magis quàm nos vitam resque hominum Fortuna subijcere, sed providentiam Dei agnoscere & constituere summam & unicam gubernatricem, quæ præsit consilijs hominum, voluntates flectat, euentus moderetur: nec providentiam eos imaginari, quæ subitos aut cæcos habeat motus, vel ab inferioribus causis pēdeat, vel nutet varia & incerta ad fortuitos casus, sed quæ firmo, stabili, perpetuòque tenore sibi constet. De possibili aut impossibili legis observatione, non est quòd nos in certamen cum patribus committat. Nam cum observationem legis homini asserimus esse impossibilem, duo comprehendimus: Perfectionem, quæ illic à nobis exigitur, naturæ nostræ vires longo intervallo superare: deinde, neminem unquam extitisse, qui iustitiæ legis omni ex parte satisfecerit: neminem fore, ac ne existere quidem posse talem. Neque tamen interea negamus, quin homini possit Deus talem gratiæ perfectionem conferre, quæ par sit futura iustitiæ legis: sed quia se facturum hoc negavit, simpliciter impossibile dicimus fieri. Ac ne videamur loqui sine auctore, Paulum in hoc sequimur, qui non alia ratione probat omnes qui sub lege sunt, mal. dictioni esse obnoxios, nisi quia maledicantur omnes, qui non permanserint in omnibus, quæ scripta sunt. Non staret autem argumentum, nisi pro confesso assumeret, neminem implere posse. Demus enim unum aliquem posse: qualis erit ratiocinatio? Deus maledicit omnibus, qui legem suam non implent. Ergo necesse est omnes esse maledictos, qui unquam fuerunt, sunt, & erunt. Sed Paulus principium habet, scilicet incognitum Pighio: necessarium debere censei, quod scripturis prædictum est. Cum igitur sanctos omnes reos transgressionis faciat Scriptura, inde colligere non dubitat: neminem esse, qui reatu eximere se possit. Patres verò, legem observatis possibilem cum dicerent, non hoc ad liberi arbitrij facultatem, sed gratiæ potentiam referebant. Nam & Hieronymus ipse, quem citat Pighius, sic interpretatur. Augustinus etiam clarius: Non utrum præceptum sit homini, inquit, ut sine peccato sit, quæritur (est enim manifestū) sed utrum in hoc corpore possit impleri, ubi caro concupiscit adversus Spiritum. Paulò post subiungit: Non ad saturitatem iustitiæ, cū hinc exierit, quisquæ perueniet, qui non esuriendo & sitiendo cucurrerit. Hic loquitur de sanctis, qui Spiritu Dei iam in obedientiâ legis aguntur. Vbi verò tractat de natura, ne inchoare quidem posse legem concedit: sicut alibi videbimus. Neque enim iustam adhuc de ijs rebus disputationem ingredimur: quòd fit ut leuiter tantum eas transcurram, quòd citius perueniam ad proprium earum locum.

Quantquā minimè recipienda est hæc conditio, ad quam Pighius, cum ubique, tum hoc præsertim loco nos reuocat: ut fidei regulam, non ex Dei verbo, sed Ecclesiæ traditione petamus. Absit verò ut Christiana fides tam infirmo & caduco fundamentò fulciatur. Quid enim aliud relinquitur Deo viuo, quàm mortuis idolis, si decretis hominū stare vel cadere dicatur æterna eius veritas? Et quæ erit fidei stabilitas, quam adversus omnes inferorum machinas inuictam stare oportet, si ab hominum nutu arbitriòque pendeat? Sed audiamus bellas hominis rationes, quibus

In Epi. ad  
Cret. p. 60  
teme De  
perfect.  
iustitie.

urgere nos conatur. Prædictum est, inquit, fore sectas & hæreses: fore qui profiteantur ore Christum, & magistri erroris sint, lupi rapaces, obrecti velle ovis, qui incautos ab ovili Christi abducant, doceant Christum contra Christum, in deserto, in angulis, in latibulis. Subiungit, quibus armis oppugnent Ecclesiam hæretici: Nempe, quibus Sathan dux eorum & magister Christum aggressus est: hoc est, scripturis perperam in suum sensum detortis. Tertio loco ad remedium descendit: si fideles scilicet se ab Ecclesiæ unitate non patiantur abduci. Ego verò fateor, huic malo semper obnoxiam fuisse Ecclesiam, & ad finem usque mundi fore, ut ab hostibus domesticis graniter laboret. Quod & omnium temporum experimentis plus satis comprobatum antehac fuit, & nunc magno nostro malo, & non sine acerbissimo dolore experimur. Quò atrocior est pestis ac nocentior, eò magis de remedio cogitandum esse bene admonet Pighius: sed quale illud sit, quærendum. Miror autem, hominem sic præcipitem ferri suo affectu, ut se impingere primo gradu ad verum remedium non senti at. Non dubium, inquit, quin sic adoriantur nunc pios hæretici, qualiter Sathan olim Christi: nempe falsa scripturarum interpretatione. Quis non continuo nunc inferat, resistendum igitur exëplo Christi? Quid enim? An impij, Sathana magisterio ad impugnantiam fidem instruentur, Christus ad fidei defensionem suos non armabit? Iam verò quo clypeo, quo gladio, & quibus armis Sathanam tunc repulerit, notum est. Scriptum est, inquit: cum sola scriptura fretus, profligato, subactoque hoste victor euadat, nonne & ille, quasi sublato signo nos vocat, & certam victoriam pollicetur? Quid autem Pighius ex adverso? Hæretici in hoc, capitis sui Sathana imitantur astutiam, quòd sub falso scripturæ prætextu venenum suum propinant. Caueant sibi fideles ab insidijs: clypeum & arma induant. Nempe, ut simul cum Christo confugiant ad Scripturam. Minime, inquit (nulla enim illic securitas) sed ad Ecclesiæ traditionem, tanquam ad unicum asylum, se recipiant. An ad tam crassas ineptias delaberetur, si vel unciam sani cerebri haberet?

At scripturæ, inquit, pro impiorum libidine, huc, illuc, trahuntur, ut sine Ecclesiæ definitione nullus certus sensus haberi queat, in quo acquiescamus. Illud est scilicet tritum ac vulgare Lucianicorum proverbium, de sacro sancto Dei verbo, nasum esse cereum, in formas omnes flexilem, prout hominibus libuerit hunc aut illum sensum affingere. Itane verò? Ut nulla sit tam contempta aut abiecta Philosophorum secta, quæ non auctoris sui mentem ex eius scriptis certò teneat: soli Christiani, cum de magistri sui doctrina quaeritur, aliò circumspèctent? Ut in schola Pythagoræ valeat illud *ἡ ἀλήθεια ἐν ἡμῶν*, Christus inter suos discipulos tantum honoris non habeat, ut ad sacra eius oracula conicecant? Ut Epicuri breues, mutilæ, spinosæ sententiolæ ab eius secta intelligantur: tot aciam copiosis, certis, luculentis scriptis, non hoc consecutus fuerit Deus, ut sciamus, quid voluerit? Denique quorsum tantus Scripturæ acervus, si nihil inde certi percipere licet? At loquere aliud testimonium verbo suo reddit Deus ipse. Ne dicas, inquit, in corde tuo, quis ascendet in caelum? Aut, quis descendet in abyssum? aut, quis traiciet mare? Prope est verbum in ore tuo. Cur nos ad verbum reuocat, in quo nihil quàm fluctuare & vacillare possumus? At istam obiectionem præuenit, cum testatur, se in os & cor dedisse: ut & certa fide ipsum apprehendamus, & cum fiducia cõfiteamur. Et quo tempore hoc dictum est? Cum sole iustitiæ nondum cum pleno suo fulgore exoritur, lex tantum velut quædam fidei aurora prædixisset. Moyses quoque in illa solenni contestatione,

*Hæc est via, inquit, ambulate in ea: si in tam exigua portione lucis, & verborum obscuritate, & figurarum umbris involuta, clamat tamen Dominus, nullum ignorantia, aut dubitationi prætextum amplius esse, quia certam doctrinam tradiderit, quæ & certa cordis fiducia apprehendi, & libera audacique confessione prædicari debeat: si per Moysen contestatur, planam & apertam esse viam, quæ ista est improbitas, in ipsa meridie, sole iustitiæ ante oculos conspicuo, hoc probrum inurere verbo Domini, ut nihil aliud quàm piorum mentes suspensas, perplexas, & inquietas relinquat? Audiamus alteram quoque Dei contestationem: Non in abscondito, inquit, locutus sum: non in angulo terræ tenebrarum: Non dixi semini Iacobi frustra, quæretis me. An non loquitur hodie nobiscum Dominus per Scripturas? An non clariùs, quàm pridem cum Israël? Negat se frustra docere. Ergo in verbo eius reperiemus proculdubio quod quærere nos iubet. Quòd nisi ita esset, quid sibi vellet illud? Audite me: & viuet anima vestra. Hic ergo est tranquillius & salutaris portus, habere receptum ad sancti Dei oracula: à quibus, tanquam à periculoso scopulo, fugere nos docet Pighius.*

*Verùm excipiet fortassis. Deum non in nuda Scriptura, sed per Ecclesiæ traditionem audiendum esse. Nuxæ, siquidem huic cavillo ansam olim præcidit Spiritus sanctus. Nam Iesaias, ubi populum admonuit, ne quem, præter unum Deum, Iesai. S. sequatur, modum quoque simul addit: Ad legem, inquit, & ad testimonium. Quo igitur Spiritu reclamât Pighius, legem flexiloquam esse, obscurum testimonium & ambiguum? Et Malachias, dum vult populum in Christi expectatione confir- Mala. 3. mare vs. ue in eius aduentum, & aduersus offendiculi omnia armare, non aliò mitit, quam ad legem ipsam. Secundum hæc rationem, ait Petrus, habere nos firmiter sermonem propheticum, cui attendere debeamus ceu lucernæ ardenti in loco cæciginoso, donec Lucifer exoriatur in cordibus nostris. At quod sequitur continuò, nonnihil videtur Pighio suffragari. Admonet enim, non esse priuatæ interpretationis Scripturam propheticam. Ego verò non aliter accipio, quàm ipse exponit: nempe, quòd non proprio consilio impulsus, sed à Spiritu sancto excitatus, locuti sint Propheta. Quamquam ubi nomen interpretationis habetur, meliùs conueniret Motum dicere: in qua significatione interdum sumitur græca vox, qua utitur *πίλιος*. Demus tamen, ipsam de interpretatione loqui. Quem alium sensum elicias nisi minimè trahendas Scripturas ad proprium cuiusque sensum? Non enim alium esse idoneum ipsarum interpretem, nisi Spiritum Dei qui eas dictauit. Quid ad hæc Pighius? Perget ne adhuc Scripturas vocare confusum labyrinthum, quibus Petrus claritatem tribuit, quæ nos certò regere possit, ne vel in profundissimis mundi tenebris aberremus? Atque ut videas Spiritum sanctum nihil aliud de lege prædicare, quàm quòd in se ipsi experiantur ipsi fideles: audi quale illi elogium, ex ipso fidei sensu, tribuat Dauid: *Lucerna, inquit, pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Item: *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.* Nec aliud sanè dicit, quàm quòd fidei omnibus familiariter notum esse debet. Hinc colligant lectores, quàm bene in serua Scripturæ intelligentia exercitatus sit Pighius: inò quem omnino eius gustum habeat: qui dum nasum cereum esse putat, in omnes partes flexilem, tuto in ea acquiescere nos posse negat: ideòque ad Ecclesiæ authoritatem, velut ad sacram anchoram, confugere iubet.*

*Vt tamen rem totam semel expediam: Quia sibi minimè expedire videt*

Pighius, ut ex verbo Dei dirimatur hæc controuersia, *Scripturam*, quæ impijs & malitiosis hæreticorum commentis subiaceat, & in varios sensus torqueri possit, dubiam & obscuram esse contendit. Itaque ad Ecclesiæ definitionem rectè nos reuocat: quæ, ut nullus calumnijs est obnoxia, ita pro vera & certa fidei regula habenda sit. Velim nunc mihi respondeat: quã nouam formam induerit verbum Domini, ex quo, *fidem ex illius esse* auditu Paulus assererat. Sic enim loquendo, non modò veram & certam, sed vnicam facit regulam Fidei. Verùm vbi cum hæreticis est certamen non multùm, inquit, cum Scriptura proficijs: quam totam illis promptum est eludere. Iterum mihi respondeat, quid mutationis acciderit, ex quo Paulus verbum Dei *gladium spirituale* vocabat, quo totus Sathan opprimeretur. Si aduersus hæreticorum omnium caput gladius est victor ac triumphalis, quò fit, ut aduersus membra retusum sit, & quasi arundinum telum? Et vbi erit vis illa penetrandi, quæ illi alibi tribuitur, ut pertingat vsque ad *diuisionem anime & spiritus*, discernat cogitationes cordis &c? Respondeat etiãnum mihi Pighius, perpetuum ne sit elogium hoc, an vnus tantùm ætatis? Omnis Scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum, ad instituendum: ut integer sit homo Dei. Hic etiam caput mouebit: quasi non prouiderit Spiritus sanctus, qualis futura esset hæreticorum vafrities in torquendis ac deprauandis Scripturis. Verum cui persuadeat se Deo sapientiores esse? Quòd si nunc quoque negare pergat, sufficere Scripturam ad hæreticos arguendos, quid aliud superest, quàm cum anathemate illum, tanquam professum & pertinacem veritatis hostem ablegare? Nec aliud eo loco profert Paulus, quàm quod usu ipso didicerat. Nam cum aduersus Iudeos, quàmlibet duros & pernicaces, disputaret, non aliandè sumebat arma: si verum refert Lucas. Denique vbi diu multùmque fuerit disputatum, hinc est lapis lydus, ad cuius examen exigendæ sunt omnes doctrinæ. Laudat enim Spiritus sanctus Thessalonicenses, qui cum recepissent cū omni promptitudine verbum, inuestigabant ex Scripturis, an hæc a se haberent. Certè aut non est legitimum Scripturæ examen ad probandis doctrinæ: aut certa perspicuâque indè Fidei definitio haberi potest. Præclarè Augustinus: Vbi, inquit, de re obscura disputatur, nõ adiuuantibus diuinarum Scripturarũ certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens, in alteram partem declinando. Huic sententiæ quis erit locus, si non firmã ac constantem, nulli que machinis expugnabilem in Scripturis certitudinem habeat Dei veritas? Itaque postea concludit, credere se, nihil ad salutem necessarium esse cognitu, quod non habeat clarissimam in Scripturis approbationẽ. Nunc sancti viri imperitiã subsannet Pighius, quòd disputãdo non assuetus, ita rem habere falso putaret. Atquì hoc scribebat iam senex, cū, toto vitæ curriculo, cõtinuus aduersus varios hæreticos certaminibus penè detritus experientia satis teneret, quantũ & ad docendũ & ad pug. indũ valeant Scripturæ.

Atquè istud sanè perquam est ridiculum, quod dum, ob dubios & obscuros Scripturæ sensus, ad Ecclesiæ definitionem vult nos trahere, principium suam ex Scripturis sumit. Atquè principia à vtriusque esse oportet: quæ res summã claritatem requirit. Scriptum est, inquit: Surgent pseudoprophetæ, & seducunt multos in nomine meo. Quid sibi vult in nomine Christi? Falsa scripturarum interpretatione. Quid si negem? Non enim vnus est fallendi modus in Christi nomine, sed valeat hoc. Sequitur. Quid est seducere? Seorsum ducere ab vnitatem corporis. Imò quod dicit



dicit Pighius, est seorsum ire. Christus enim dicit *πρωτον οσιγ*, quod fallere & decipere significat. Hic autem in etymologia verbi quæ nunquam usus est Christus, pueriliter philosophatur. Nihil mirum si tam dubie sunt scripturæ Pighii, qui tam profua audacia in illis ludit ac lasciuat. Sed hoc extremæ improbitatis est, quod sua commenta, tam friuola & nugatoria, pro genuino scripturæ sensu tam audacter ingerere, idque loco principij, nihil eum pudet. Sed per gurginis in hac bella expositione. Desertum, angulos, penetrabilia, allegorico sensu, nouis & singulares opiniones, à communi illius corporis sensu extraneas, intelligit. Sed quid si Christus ipse aliter apud Lucam? Non veniet, inquit, Regnum Dei cum obseruatione: neque dicent: Ecce hic: aut, ecce illic. Et ecce enim Regnum Dei intra vos est. Eandem historiam licet non iisdem verbis, duo Euangelistæ referunt. Allegoricum sensum comminiscitur Pighius in verbis Matthæi: dico nullum esse magis fidum interpretem ipso Christo, qui apud Lucam, sine vllis figuris, se nihil aliud velle testatur, quàm Regnum Dei spirituale esse: ideoque commentitijs obseruationibus non alligandum. Interea, inquit, dum veniam ad iudicium, regnabit in vobis Deus spirititaliter: regnabit in conscientijs vestris, per iustitiam, veritatem, pacem, fortitudinem Spiritus, non secundum externum mundi apparatus. Ego autem cum veniam, instar fulguris subito, præter speciem omnium, emergam. Et sicut fulgur ab Oriente exit, & apparet vsque in Occidentem, ita momento vno, in ictu oculi, simul manifestabor, tribunal conscendam, totum mundum aduocabo. Non est igitur quòd in his tam clavis & simplicibus verbis penetrabilia & latebras allegoriarum quæreret Pighius. Sed audiamus acutam conclusionem. Ergo, inquit, monet Christus, ne exeamus. Vnde? Ab illo corpore. Et ne quis obtendat, se nescire vbi sit corpus illud: euidentis & infallibile signum mox proponit. Vbi erit corpus, illuc & aquilæ congregabuntur. Quæ sunt aquilæ? Nempe de quibus Propheta meminit: qui corpore onusti, pennis tamen adiutricis gratiæ in sublime feruntur. Vbi cunque congregantur illæ aquilæ, illic esse corpus, cui associari & consentire debeas, ne dubita. Sane si ita scripturæ sursum deorsum versare liceat, iam Pighio concedo quod postulat, alibi quærendam esse certam fidei regulam. Ac videtur mihi de industria specimen voluisse edere eius, quod dicebat: nihil pro modo esse in scriptura, quod non hæretici sua malitia peruertant. Sed ex aduerso efficiam, non sic patere, obnoxiumque esse eorum ludibrijs Dei veritatem, quin ab illis fortiter vindicari queat. Possint solem ad tempus obumbrare nebula: sed eius fulgorem neque extinguere, neque suffocare possunt, quin tandem exuperet. Corpus pro Ecclesia hoc loco sumit. At Euangelistæ *πρωτον*, habet, quòd græcis cadaver significat. Facilis autem & obuius est cuiuslibet parabola sensus: quòd sicut ad cadaver vnum, solent complures aquilæ conuolare, ita ad vnum Christum vndique electi, se omnes recipient. Ergo se ipsum Christus vinculum vnitatis facit, non hominum consensum, vel multitudinem. Nunc expendant lectores, quàm fidelis sit interpres Pighius. Christus de caduere loquitur: cui se idè comparat, quòd electis suis causa est, vt in vnum conueniant, & simul ad eum colligantur: Ille corpus Ecclesiæ imaginatur, Christus aquilas nominat, perinde ac sinos vulgari more nostro diceremus coruos: Ille argutiolum comminiscitur, vt ad veteres Ecclesiæ doctores referat. Applicatio parabola hæc est: Vbi erit Christus, illuc confluunt ex toto mundo electi omnes. Ille prorsus diuerso modo: Vbi erunt aquilæ, illuc nos oportere congregari. Si putat ad: ò futilibus commentis, non modò obrui, sed penitus tolli ex hominum mente & cordibus omnè scripturæ certitudinem, est cur eius stultitiam pueri quoque ipsi deuideat.

Quanta verò sit Ecclesiastica traditionis authoritas, Pauli testimonio ostendit: vbi anathema & hominibus & Angelis denunciatur, qui ausi fuerint aliquid prædicare,

præter Euangelium, quod semel Galatis tradiderat. Fuisse hanc traditionem contendit, quia non de scriptis loquatur, sed viua voce. Dicam breuiter de hac re, absque vlla contentions specie, quod satisfaciat bonis omnibus, improbis os obstruat. Legem inuicem dedit Dominus, in qua voluntatis sue testimonium populus Israëliticus haberet. Accessit deinde novæ, seu aut nouæ, sed amplior ac luculentior doctrina ex Prophetis. Præsertim ante Prophetas sola Lex auctoritatem indubium habebat, ut pro verbo Dei reciperetur. Postea usque dum mundò exhiberetur Christus, lege & prophetijs continebatur Scriptura. Sic videmus à Christo & Apostolis, Moïsem & Prophetas citari, velut classici testes, quorum scripta, non secus ac publicæ tabulæ, in populo Dei, sine controuersia, agnoscerentur. Apostoli viua voce primum testati sunt, quod sibi mandatum erat. Deinde sic visum est Domino, ut summa prædicationis eorum literis proderetur, quò integra ad posteros perueniret. Quæ enim aliæ de causa & legem & prophetias scriptis mandari voluit, nisi ut ad perpetuum memoriam extaret certa doctrina, quam sequi omnes ætates deberent? Nam quæ est hominum hinc leuitas & inconstantia, inde nouandi audacia & libido, nouam subinde religionis formam appetent, nisi certis finibus doctrinæ, quasi septis quibusdam, continerentur. Clamat Dominus. Ego idem sum semper, & non mutor. Verùm id parum prodesset, nisi eius stabilitatem cernerent homines in verbo, velut in speculo: ut dum stabiles illic perstant, Deo suo adhaereant sine vlla mutatione. Ergo de Apostolorum doctrina factum est, ut ante de prophetijs. Non omnes quidem conciones ad verbum excerptæ sunt, sed in summam tamen fideliter redactum est totum eorum Euangelium: quæ ad plenum sufficere nobis posset. Ergo multiformam multisque modis locutus est olim Deus per Prophetas: postremum in dilecto Filio suo, nouissimis diebus. Cur nouissimi dies vocantur à Christi reuelati? Nempe, quia postremum locutus est Deus. Per quem? per Filium. Quid locutus est? Id ut sciamus, ad parum traditionem nos Pighius auandat. Dico in scriptis Apostolicis contineri, quemadmodum Ioannis scribere se testatur, ut qui legunt, habeant vitam æternam. Ergo neque Pauli, neque alterius cuiuspiam priuatim Euangelium nunc habemus, sed illud vocamus catholicæ Ecclesiæ Euangelium, quod in literas redactum, Deus pro verbo suo consignauit. Quòd autem suam prædicationem, & illud quod ipse tradiderat, Euangelium nominatim Paulus aliquoties commendat, ea causa facit, ut puram & germanam Christi doctrinam à fictitiis pseudoapostolorum Euangelio discernat. Nam & illi Christum prædicare se iactabant, cum eius interea nomine abuterentur, ad veritatem adulterandam. Oportuit ergo purum & sincerum Euangelium singulari aliqua nota designari, ne pro Christi verbo fideles pseudoapostolorum figmenta susciperent.

Verùm Irenæus, Tertullianus, Origenes, cum de dogmatibus certamen haberent cum hæreticis, non ad Scripturas, sed ad Ecclesiæ traditionem prouocarunt. Perinde agit Pighius, ac si sepultos apud se haberet eorum libros, ne tam aperti mendacij eorum lectione conuinceretur. Faveor equidem & eam ab ipsis proferri in medium, ut eius auctoritate causam suam stabiliant, & de ea honorificam facere mentionem: Sed inspicienda est, tum ratio, tum circumsstantia temporum, tum etiam modus & temperamentum, quo utuntur. Negotium erat Irenæo cum improbißimis hæreticis, qui nihilo plus Scripturæ auctoritate mouerentur, quàm vniuersæ Ecclesiæ consensu. Itaque conqueritur, nihil posse proferri, quod non eludant. Neque enim lubricis tergiversationibus elabi quidquam illis curæ erat, sed impudenter respuebant, quidquid obijceretur. Si conuincerentur Scripturis, sapientiam habere se dicebant Apostolis alio rem & perfectiorem. Si ad Ecclesiæ consensum reuocarentur, dicebant non mirum esse, si Ecclesiæ puram doctrinam non seruaret

seruaret, quæ corruptam & fermento vitiatam non tantum à discipulis, sed à Domino quoque acceperat. Quid ad hæc Irenæus? Non per alios, inquit, habemus salutis nostre dispositionem, quam per Apostolos: qui, quod voce promulgauerunt, postea scripto nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostre futurum. Postea hanc quoque alteram partem urget, quod fidei unitatem, in Scripturis fundatam, colerent Ecclesie omnes, ab Apostolis edoctæ & institutæ. Sed illud semper nihilominus retinet, Scripturam perfectæ & absolutæ sapientiæ scholam esse. Tertullianus de præscriptione veritatis scribit contra hæreticos: quia & ipsorum petulantiam videbat nullo modo posse coerceri, quin centies victi, adhuc ligarent: & hoc optimum esse ad miniculum censebat confirmandæ veritati, si eam constaret ab ipsis Apostolis fluxisse: contra verò fortem & validam machinam ad diruenda hæreticorum mendacia, si ostenderentur aliquid in Apostolorum doctrina nouare. Quamquam autem in probabilialibus & iusta causa, feruore disputationis ultra iustas metas non nihil prouehitur, non tamen aliud consilium habet, nisi ut doctrinam certò Scripturis proditam, apud simplices & infirmos hæc quoque nota confirmet, quod eam viua quoque voce Apostoli per manus tradidissent. Ad Scripturas prouocandum negat, quoniam in illis, aut incerta, aut parum certa sit victoria. Sed quid ipse tot libris facit? Quibus armis utitur aduersus Marcionem, Praxeam, Hermogenem, & alios, nisi simplici verbo Dei? Quid igitur? An parum bene sibi constat? Sed iam citauerat locum Apostoli ubi vetat cum hæretico homine post vnâ aut alterâ admonitionem, amplius disceptare. Non dubium igitur, quin illuc respiciat, cum negat agendum de fide contentiones ex Scripturis. Nobis, inquit, curiositate opus non est, post Christum Iesum: nec inquisitione, post Euangelium. In summa, tantum vult concertationibus finem imponi, quæ & astutiam acuant hæreticorum, ut sint ad pugnam instructiores: & pernicaciam augeant: & infirmas conscientias exagitent, sine vlllo fructu. Vbi autem res postulat, non verbis modo, sed exemplo demonstrat, non aliter quam ex ipso Dei verbo de Fide, & disputandum, & definiendum. Neque aliam secuti sunt rationem orthodoxi omnes, cum rectam puramque Fidem aduersus hæreticos defenderent. Refert Theodoritus, cum Synodum Nicenam Constantinus coëgisset, his verbis allocutum fuisse Episcopos. Extant Apostolici libri, & Prophetarum sanctiones, quæ nos erudiunt, quid de rebus sacris sentire debeamus. Posito igitur hostili certamine, ex Scriptis diuinitus inspiratis, quæstionum quæramus solutionem. Cur non restiterunt patres, si hæc non erat legitima disputationis series? Imò cur libenter obtemperarunt, sicut acta Concilij restantur? Quin etiam sponte fuisse facturos, quod admonebantur, inde æstimare promptum est, quod Scripturis ad hoc ipsum instructi & comparati venerant. Cur non eorum stultitiam deridet Pighius, quod, relicta illa certa fidei regula, in qua figere pedem tutò poterant, in vagam illum Scripturæ labyrinthum abripse passi fuerint? Imò cur non Augustinum capitaliter accusat, cui cum ista conditio diceretur, ut eandem, quæ inter nos agitur, quæstionem superiorum Doctorum scriptis finiret, acquiescere noluit? Nam & si eorum testimonijs utitur, & sibi non esse contrarios ostendit, controuersiam tamen inde iudicari non patitur, sed ad Scripturam prouocat. Patet, inquit, libri Dei: non auertamus aspectum. Clamat scriptura: adhibeamus auditum. Item, de libro suo loquens: Vt vobis sit fructuosissimus, non vos pigeat sapius relegere, ut sciatis quibus & qualibus quæstionibus soluendis atque sanandis illic non humana, sed diuina valeat authoritas: à qua recedere non debemus, si volumus peruenire quò tendimus. Habet nunc Pighius quo cum certet: quem ubi debellauerit, ad nos veniat, licet.

Quamquam non in eam partem accipi velim quæ dico, ac si Ecclesiarum consensui nullum in definiendis fidei quæstionibus locum reliquerem. Sed hunc Scripturæ honorem tribui decet, ut ad eius examen exigantur omnia. Quicquid leius autoritate comprobatur, non vocetur amplius in dubium: rursum nihil, nisi quod cum ea convenit, recipiatur, quicquid diversum est, sit pro damnato, ut ab ea sola pendeant, & in ea consistant uniuersæ fidei definitiones. Huic dum accedit Ecclesiarum consensus, non parum momenti habet ad confirmationem. Verùm hoc diligenter obseruandum est, ne ab ea disiungatur. Ita hoc nobis singularis testimonij instar est, ad obsignandam fidei nostræ certitudinem, quòd hanc ipsam esse scimus, quam pridem omnes ex toto orbe sancti amplexi sunt, in qua unanimis perseverant usque ad mortem, pro qua etiam tot ex ipsis vincula, exilia, deportationes, lapidinas, ignominias perpeffi sunt, sanguinem denique fuderunt. Sed hæc omnia parum valerent, nisi hæc primum cordibus nostris insculpta foret notitia, eam in verbo Dei, non hominum opinione consistere. In eo proinde grauitèr peccat Pighius, quòd dum Ecclesiasticæ traditionis prætextu à Scripturanos auocat, diuortium facit perpetuæ illius coniunctionis, sine qua parum firmitatis habet Ecclesiæ magisterium. Negabit hoc se facere, quia secundum Scripturæ locū assignet. Hoc est, scilicet, suam sacrosancto Dei verbo gloriã dare, ut cum hominũ placitis inuiolabilis cõsuetudo maneat, ad eorũ consensum quoquo modo postea detorqueatur, ut illis subseruiat. An non enim hoc disertis verbis exprimit? Necessarium est, inquit, illud principium, ab Ecclesiæ traditione regulam orthodoxæ fidei sumi: quando illa demum sola est veritas credenda, quæ in nullo ab ea discordat. Ab hac igitur nos imprimis, & ante omnia, exordiemur: quando hereticorum terg. uersationibus, contradictionibus, calumnijs non perinde exposita est, ut sunt Scripturæ: secundò nihilominus loco Scripturarum quoque sententiã demonstrabimus. En præ clara hominis theologia, quidquid homines statuerint, ratum & authenticum esse oportet, de verbo Dei postea uiderimus. Quid si manifesta interdum repugantia inter hominum decreta & Dei oracula se ostendat? Nam id euidenter à nostris demonstratum est. Qualis erit disfidij compositio, authore Pighio, qui uerbum Dei inferiore loco subsidere uult, nisi ut illi silentium indicat?

Ne tamen de re non necessaria frustra digladiemur: lectores monitos uelim, non difficulter posse inter me & Pighium hoc loco conuenire, si modo Ecclesiæ traditionem ex certo & perpetuo sanctorum & orthodoxorum consensu, non ex testimonijs hinc inde malè excerptis, demonstraret: deinde si ijs simpliciter & candidè uteretur ad ueram & germanam Ecclesiæ doctrinam comprobandam, non ad pingendus horum temporum impias doctrinas abuteretur. Ecclesia columna est & firmamentum ueritatis, inquit Paulus, nempe quia uerbum suum Dominus apud eam deposuit, cuius ministerio tradetur. Illa igitur habenda est Ecclesia, quæ fida est custos uerbi Dei, quæ purum illud, & nullo fermento infectum, suo ministerio conseruat, & ad posteros propagat. Huius honoris & officij portionem aliquam sibi uendicant singulæ Ecclesiæ: sed non semper in solidum hoc sibi arrogare ausint. Nunc si ex priuato paucorum sensu communem Ecclesiæ consensum facere uelut Pighius, eumque ex Apostolorum traditione natum esse asserat, non recipiam. Dicit, Origenem, Tertullianum, & alios similes huic obiectioni occurrere, dum nihil se dicturos, præstantur, quod non communiter Ecclesiæ ab ipsis Apostolis edoctæ sentiant. Quid autem, si huic præmio res non respondeat? Imò cum in præcipuis fidei capitibus post hanc præfationem eos multum errare constet, quàm tutum est, nullo discrimine, aut delectu habito, pro Ecclesiæ traditione suscipere, quidquid ipsi tradunt?

Atque

Atque id est quod dixi, ad Dei verbum examinanda esse singula, unde palam fiet, quæ sit germana Ecclesiæ traditio: & quid rursus sit ab ea vel dissentaneum, vel extraneum. Alioquin illa, quæ omnes pariter repudiamus, Tertulliani & Origenis deliria pro oraculis recipienda erunt. Sed illud alterum multo etiamnum est iniquius, ut quæ à sanctis patribus dicta sunt non male, si sanum modò & candidum habeant interpretem, mixtura & artificio Pighij fucus fiant, ad ornandas & colorandas impias opiniones, quas ipsi patres si hodie viuerent, non minùs quàm nos, execrarentur. Irenæus Apostolorum discipulos viderat: Ipse & Tertullianus paucos Episcopos referunt, qui ad suam usque ætatem Apostolis successerant. Viuebant tum adhuc multi senes, quibus viuis ipsi Apostolorum sermones familiariter ex patrum suorum narratione noti erant. Non mirum igitur, si pro Apostolica traditione obijciunt, quòd tunc communiter in primis Ecclesijs non modò receptum erat, sed pro certo fidei dogmate, quod Paulus, Petrus, & reliqui eorum collegæ nuper prodidissent, fixum & stabile habebatur. Et tamen Origenes, qui tempore non multum ab illis differebat, inter fidei principia numerat quasdam sententias, quibus si non anathema dixerit Pighius, à suis quoque lapidabitur. Nunc post tot tantàsq; conuersiones, post talem Ecclesiarum dissipationem, imò ruinam, supercilioso fastu, pro traditione Apostolica venditare, quicquid, quacunque occasione, nullo certo, vel tempore, vel authore, obrepserit, quantum obsecro securitatis habet? At nunc Pighius non nisi primos illos Ecclesiæ proceres citat, sub quibus adhuc florebat religionis puritas. Sed in quem finem? nisi ut colorem, vel laruam qualemcunque crassis impietatibus inducat, quibus vllam occasionem dire, nunquam sanctis illis viris in mentem venit: tantum abest, & nunc velint illis sua scripta suffragari. Tantum lectores hortor, ut vetusta illa tempora cum nostris conferant: deinde iudicare per se poterunt, quæ sinceritate, aut quo pudore, illorum patrocinio causam suam fulciat.

Audiamus tamen quæ ex illis testimonia adducat. Id autem habet propositum, ut illos omnes, vno simul ore, liberum arbitrium asserere demonstrat. Unde postea duo infert: nos esse manifestos hæreticos, qui à perpetuo Ecclesiæ consensu, hoc est, traditione Apostolica dissentiamus: & me impudenter mentitum esse, qui scriptores omnes Ecclesiasticos, excepto Augustino, ita ambigè, aut variè in hac re locutos dixerim, ut certum quidpiam ex eorum scriptis haberi nequeat. Sed primò quæ vis & notio sit vocabuli definit. Arbitrium aut pro electione, aut conuenientius pro voluntate ipsa accipi vult: liberum autem vocari interpretatur, quòd sui iuris est, aut sui ipsius habet potestatem: nèpe ita faciendi quicquid facit, ut non necessario faciat, sed possit non facere. Ego verò, quantum ad vocem pertinet, adhuc profiteor, quod in mea Institutione testatus sum, non ad eò me supersticiosum esse in verbis, ut eius causa velim contentionem aliquam mouere: modò rei intelligentia sana maneat. Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium, & fateor, & constanter asseuero: ac pro hæretico habeo, quisquis secus sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror. Sed cum aliud prorsus vulgò concipiunt, dum hoc epitheton hominis voluntati attributum, vel audiunt, vel legunt, hæc causa est, cur mihi displiceat. Si quidem ad facultatem virèsq; referunt: nec impedire possis, quin simul ac libera fuerit voluntas dicta, hæc pluribus imaginatio protinus in mentem veniat, habere igitur sub potestate sua bonum & malum, ut alterutrum eligere suapte virtutis queat. Non igitur vnius voculæ causa frustrà litigo: sed causam mihi iustam habere videor, cur voculam optem sublatam è medio, ad quam maior prope mundi pars tanto periculo impingit.

Quamquam ne cum Scripturae quidem usu videtur admodum bene conuenire. Libertas enim & seruitus, inter se pugnant: ut qui alterum dixerit, alterum neget. Proinde si serua est hominis voluntas, libera simul, nisi improprie, dici non potest. Nunc audiamus, quid Spiritus sanctus pronuntiet. Contentus autem ero vno loco: qui non de re ipsa, sed de solo nomine questio est. Cum sanctorum conditionem describit Paulus, constringi captiuos sub peccati vinculis testatur, quae parte nondum per Spiritum Dei sunt liberati. Et cum de hominis natura loquitur, dicit eum venditum esse sub peccato. Si serui sunt ex ea parte Sancti, quae sibi naturaeque suae adhuc relinquuntur, quid de hominibus dicendum erit, in quibus sola viget ac regnat natura? Si post regenerationem non nisi dimidia est libertas, quid in prima carnis generatione, nisi plena seruitus? Quod etiam ipsum antea dixerat Paulus. Agit enim sexto capite gratias Deo, quod a peccato liberati fuerint Romani, cui ante seruebant. Videmus, ut ante regenerationem non carnis reliquias, sed totum hominem addicat seruituti. Qui ergo liberum asserit arbitrium, alio idiomate quam Spiritus sanctus, utitur. Et tamen inter Doctos si de significatione conueniat, patior ut eam vocem usurpent. Ac ne ad populum quidem usurpare prohibeo, si res signata bene explicetur. Verum ubi hoc impetrari nequit, lectores hic moneo, ut ad rem, magis quam ad nomen, animaduertant. Sed quoniam astute Pighius cum necessitate coactionem perpetuo confundit, quarum discrimen tenere, & diligenter meminisse, plurimum ad propositam questionem refert, haec quatuor quid inter se differant, obseruare conuenit: voluntatem, aut liberam esse, aut seruam, aut spontaneam, aut coactam. Liberam voluntatem vulgo intelligit, & sic Pighius quoque definit, quae bonum aut malum eligere, habeat in sua potestate. Coacta voluntas nulla esse potest: cum alterum alteri repugnet. Verum, docendi causa, quid significet, dicendum est, ut intelligatur, quid sit coactio. Eam ergo sic vocamus, quae non sponte sua, nec interiore electionis motu, inclinatur huc vel illuc, sed externo motu violenter feritur. Spontaneam dicimus, quae vltro se flectit, quocumque ducitur, non autem rapitur, aut trahitur inuita. Serua postremo voluntas est, quae propter corruptionem sub malorum cupiditatum imperio captiua tenetur, ut nihil quam malum eligere possit, etiam si id sponte & libenter, non externo motu impulsam, faciat. Secundum has definitiones, homini arbitrium concedimus, idque spontaneum, ut si quid mali facit, sibi ac voluntariae suae electioni imputare debeat. Coactionem & violentiam tollimus, quia pugnet cum natura voluntatis, nec simul consistat. Liberum autem negamus, quia propter ingentem homini prauitatem ad malum necessario feratur, nec nisi malum appetere queat. Atque hinc colligere licet, quantum sit necessitatis & coactionis discrimen. Neque enim hominem dicimus inuitum trahi ad peccandum, sed quoniam vitiosa sit eius voluntas, sub peccati iugo teneri captiuam, ideoque necessario male velle. Vbi enim seruitus, illic necessitas. Sed plurimum interest, voluntaria ne sit seruitus, an coacta. Nos autem non alibi statuimus peccandi necessitatem, quam in vitio voluntatis: vnde spontaneam esse ipsam sequitur. Nunc vides spontaneam & necessarium simul conuenire posse, quod astu regere conatur Pighius, dum liberum hominem in eo aestimat, si non necessario faciat, aut bene, aut male.

Quid autem Origenes? Eos pronuntiat haereticos, qui liberum homini arbitrium auferunt. Si de prima naturae conditione loquitur, nihil affert, quod non ipsi quoque profiteamur. Si inter vitiatam & integram naturam non distinguit, nemo est priorum, qui non fidei principia eum confundere pronuntiet. Negat ita nos esse necessitati subiectos, ut omni modo etiam si nolimus, vel bene, vel male agere cogamur. Nos vero nihil huic sententiae

sententiæ contrarium asserimus. Quin potius hæc Origenis conclusio indicio est, nihil eum aliud querere, nisi ut coactione exclusa, spontaneam in homine voluntatem constituat. Quod nos similiter facimus. Ceterum non nego liberalius eum alicubi liberum arbitrium predicare, sed ita, ut nusquam certò, quantum illud sit, definiat. Omnes enim, qui à Pighio citantur loci, qualis manu Dei formatus sit homo, tractant: qualis post lapsum ac defectionem esse coepit, prorsus tacent. Quid ergo inde, quod præsentem quæstionem ad plenum & liquidum definiat, colliges? Nos enim hominem non ex Dei creatione, sed ex ea, quam ipse sibi proprio vitio acquisiuit, æstimamus. Hanc ut dixi partem, cum præcipua sit, Origenes non attingit. De Clemente satis iam superius multa dixi. Quid autem facit Pighius, talem causæ suæ patronum primarium excitando, nisi quòd crepitu nos vult abstertere? Dico, & si dissimulem, liber ipse clamat, ab aliquo frigido philosophastro se fuisse confarcinatum. Inde abreptas sententias, tanquam ex ore Petri profectas, hic nobis obrudit. Ego verò coram Deo per conscientiam impeditor, quominus in responsione laborem: ne cui erroris occasionem præbeam, ut librum illum, vel in minimo pretio habeat.

\* CORR-  
PTIONE

Cum Tertullianum vult producere, præfatur, ad eò claram esse eius sententiam de libertate arbitrij, ut qui non videat, eum certum sit aures atque oculis clausisse veritati. Quid autem in summa continent quæ adducit, nisi liberum, & suæ potestatis hominem à Deo conditum fuisse? Siquidem aduersus Marcionem illic disputat, cuius opinio de natura hominis, ut in Deum contumeliosa, ita impia & profana erat. Non enim sua ipsius culpa hominem malum esse confitebatur, sed in Deum naturæ auctorem referebat malitiæ causam. Hinc sanis & integris lectoribus indicandum relinquo, an non quæcumque ex aduerso opponit Tertullianus, ad primam hominis conditionem similiter respiciant. Neque tamen fidem mihi haberi velim. Librum ipsum qui legerit, aut locum etiam quem Pighius recitat, quod dico, reperiet. Neque aliud respondeo ad omnia testimonia, quæ ex Irenæo deinde obijcit. Irenæus illic Cerdonis, Valentini, Marcionis, & similium refutandis delirijs incumbit. Illi cum plures Deos comminiscerentur, errorem ex eo suum astruebant, quòd homo malus esset. Non potuisse autem malum creari à Deo bono. Esse igitur malum quoque Deum aliquem. Vides statum quæstionis. Iam sanctus vir, sicuti res postulat, reclamatur, non natura malum hominem, hoc est Dei creatione, sed liberi arbitrij fuisse conditum, animamque accepisse boni & mali capacem. Cum de primo hominis statu eum agere constet, quo tempore integer adhuc erat, & Dei similitudinem retinebat, quid hoc aduersum nos, qui arbitrij seruitutem non nisi in naturæ corruptione ac deprauatione constituimus? Dicit quodam loco Irenæus inter alia, Frumentum quidem & palea naturaliter facta esse: hominem verò rationabilem, & secundum hoc similem Deo, cum liber in arbitrio, & suæ potestatis factus fuerit, ipsum sibi causam esse, ut aliquando frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter, inquit, iuste condemnabitur: quia rationalis factus, amisit veram rationem, & irrationabiliter viuens, aduersatus esse iustitiæ Dei, tradens se terreno spiritui, & omnibus seruiens voluptatibus: quemadmodum ait Propheta: Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis, & similis factus est illis. Hoc nos dicimus, primi parentis lapsu, omnibus nobis contigisse, & in eo consentientem habemus totam Ecclesiam. Dicit præterea, libertatem illam, de qua tractat, imaginem esse Dei, ad quam creatus fuerit Adam. Atqui hanc Paulus reparari oportere de die in diem in fidelibus docet: idque non propria eorum, sed Spiritus sancti virtute. Sequitur ergo, fuisse obliteratam ac corruptam. Eligat nunc utrum volet, Pighius: aut corruptionem illam

hereditariam, quam in totum suum genus Adam transmisit, fuisse incognitam Irenæo: aut, quia ad confutanda Cerdonis & Valentini deliramenta nihil pertinebat, fuisse omis-  
sam, & de integro duntaxat creationis statu verba fuisse facta. Alterum è duobus respon-  
deat, necesse est. Atqui utroque modo liberor. Neque enim vel authore Pighio, audiendus  
erit Irenæus, si repugnante unanimi Ecclesiæ consensu, inter vitiatam naturam, & inte-  
gram, nihil discernat: quòd si, qualis ante lapsum fuerit homo, tantum describit, nihil ad  
nos, qui arbitrij seruitutem non ad Deum, sed ad hominis vitium referimus

Cùm ad Cyprianum ventum est, occupatione vitur, quòd quæstionem hanc nus-  
quam ex professo tractet. Augustini tamen locum adducit, ubi liberum arbitrium ab eo  
non negari testatur. Verùm quid liberi arbitrij nomen Augustino valeat, cùm alibi  
clarius demonstrabimus, tum ex hoc loco patet. Dicit enim, Cyprianum non tollere libe-  
rum arbitrium, cùm Deo totum tribuit, quòd rectè viuimus. Illam autem ex Cypriano ad-  
ducit sententiam: De nullo gloriandum: quia nihil prorsus nostrum est. Quàm magnificè,  
quæso, sentit de propria nostra virtute, qui bona omnia in solidum Deo adscribit, nobis nihil  
facit prorsus reliqui? Vbi ergo liberum hominis arbitriũ, quod à Cypriano astruitur? Nem-  
pe quia sponte, & peccare, & bene facere hominem intelligebat, utcumque peccando  
Sathanz seruiret, sub cuius tyrannide captiuus teneretur, & ad bene viuendum Spiritu  
Dei regeretur, non proprio carnis motu. Non de nomine hìc quæritur, sed de facultate  
liberi arbitrij. Porò quanti eum aestimauerit Cyprianus, tum præclara illa vox, quam  
nuper retulimus, toties ab Augustino celebrata, & qua omne genus meriti prorsus ex-  
cludi pronuntiat, tum alter locus ostendit: Quando, inquit, rogamus, ne incidamus in ten-  
tationem, tñm nemur imbecillitatis & infirmitatis nostræ: dum sic rogamus, ne quis se in-  
solèter extollar, ne quis sibi superbè atque arroganter aliquid assumat: ne quis, aut confessio-  
nis, aut passionis, gloriam suã ducat: cùm Dominus dixerit: Vigilate & orate &c. ut dum  
præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Domino, quicquid suppliciter cum  
timore & honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur. Quid hìc arrogantiam vocat Cy-  
prianus? non modò totum sibi arrogare, sed aliquid penitus sumere.

Venio ad Hilarium: cuius primus locus naturam hominis, nulla corruptionis fa-  
ctam mentione, describit. Atqui hæc exceptio mihi semper est ad manum: aut noluisse  
eum negare prauitatem, quæ ex originali peccato ingenua est hominibus: aut si negare  
voluerit, ab Ecclesiæ consensu disidere. Cùm autem nihil illic propositum habeat, nisi  
ut excusationem tollat hominibus, ne malorum suorum culpam in Deum reijciant, nihil  
mirum, si ad primam suam originem eos reuocat, quòd se ipsos, suumque liberum arbitrium  
accusare discant, cui acceptum ferre debent, quòd mali sunt. Sed cur de humane na-  
ture ruina, cur de eius per Dei gratiam reparatione nullum verbum? Viderit, inquam,  
ipse Hilarius, quomodo consilij sui rationem reddat. Mihi satis est, si palàm facio, non  
ita nobis aduersari, sicut fingit Pighius. Quòd autem voluntati non coactionem, aut vim  
extrinsecam, sed necessitatem opponit, nihil difficultatis est in eare. Siquidem necessitatis  
nomine, non miseriam, cui addictus est homo per peccatum, sed externam causam, quæ co-  
gat fieri quòd fit, sine dubio significat. Secundo loco, non quid valeat hominis arbitrium,  
exclusa Dei gratia, disputat, sed homini toto vitæ presentis cursu spatium & locum dari  
commemorat confitendi Deo: quæ facultas morte finiatur. Id suis verbis aliter quidem  
exprimit, hunc tamen esse sensum verborum, iudicare cuius promptum fuerit. Loco ter-  
tio, neque tribuit gratiæ Dei quantum decebat, & ad hominem transfert, quòd Deus tan-  
quam suum vindicat: nepe cor inclinare in obedientiã legis. Quæ autè eum causa impulerit,  
ut sic,



ut sic, tum hîc, tum proximo loco, inter Deum & hominem bonorum operum laudem diui deret, ipse refert. Laborabat in refellêda eorum improbitate, qui excusationis materiam & prætextum ex carnis imbecillitate captabant. Cùm aliter expedire se non posset, ad hanc re sponsonem configit, sic operari in nobis Dei gratiam, ut aliquis nobis partes simul relin quat: quibus si quis desit non nisi socordia & negligentia sua, peccare dicit. Atque id est, quod in mea Institutione prodidi: mihi veteres eo consilio vires humanas plus iusto videri exulisse, ne si impotentiam disertè essent confessi, primùm Philosophorum ipsorum ca chimos, quibuscum certamen tunc habebant, excuterent: deinde carni, suapte sponte ni mis ad bonum torpenti, nouam desidia occasionem præberent. Tum continuò post, sub jectis. Ergo ne quid communi hominum iudicio absurdum traderent, Scripturæ doctri nam cum philosophiæ dogmatibus dimidia ex parte conciliare illis curæ fuit. Præcipue tamen illud secundum spectasse, ne desidia locum facerent, ex eorum verbis apparet. Si hoc non essem, & disertis verbis, & simplici animi candore, tunc professus, iure nunc Pi ghiius in me inueheretur. Nunc autem quid causæ habet, cur me tam atrociter singulis paginis laceret, quasi de veteribus mentitus fuerim, cùm tamen nihil ex aduerso profe rat, quòd non conueniat cum meis verbis? Proponit, Hilarium liberi arbitrii viribus tribuere suis partes cum Dei gratia. Respondeo me id fuisse iam in mea Institutione confessum. Verba quæ citat, rationem, quæ Hilarium impulerit, eandem fuisse osten dunt, quàm illic quoque exposui. Et tamen impudenter me mentiri subinde vociferatur. At dixi vel obscurius, vel magis variè loqui veteres, quàm ut certò colligi possit ipsorum sententia: hi autem loci nihil, vel obscuritatis, vel varietatis, habent. Respondeo, quòd res habet: Hilarium, cùm in diluêda obiectione impediretur, si liberum arbitrium careere pror sùs virtute confessus foret: vni illi quidem nonnullam attribuisse, sed sine certa definitio ne, qua sciretur, quantum penes hominem esset. Nunquam ego sanè, quin liberum ar bitrium passim prædicent veteres, & illi plus quàm par sit tribuant, ne gaudi. Sed admonui, quod etiamnum confirmo, sic aut variare, aut vacillare, aut perplexè loqui, ut certi ferè ni hil referre ex illis liceat.

Ex Basilio duos locos citat: quorum prior nihil aliud continet, quàm humanæ naturæ descriptionem, qualis à Deo fuit condita, ne malorum suorum culpam homines in Deum transferant. Principiò igitur, peccatum negat substantiæ hominis fuisse in natum, sed propria illi culpa accidisse, quòd nos non fatemur modò, sed diligenter tuemur. Postea virtutem dicit esse voluntariam, & non ex necessitate. Nobis autem inesse libe rum arbitrium. Hic, quasi parta victoria, exultat Pighiius. Ego autem de præsentì nostro statu intelligenda hæc verba nego: sed qualis prima sua origine factus fuerit homo tantum ostendere. Disertis verbis explicat, qualis creatus fuerit homo: corruptionem quæ lapsum consecuta est, non commemorat: sed tantum cùm malitiæ causam assignare vult, sic loqui tur: Vnde malus homo? Ex propria ipsius voluntate. Vnde malus diabolus? Ex eadem causa. Nam & ipse per se liberam habet vitam, & liberum arbitrium in se situm, aut ma nendi cum Deo, aut se ab eo alienandi. Quid nunc iudicandum est? An ipsum latebat, quale & quantum vulnus naturæ nostræ ex peccato inflictum esset? At se ipse alibi ab hac suspitione liberat, dum humani generis miseriam his paucis quidem, sed minime tamen ob scuris verbis attingit. Salutis quidem debiles, liberationis verò indigent, qui in captiuitate detinètur. Qui igitur sub morte positus est, sciens quòd vnus est qui liberat, & vnus qui ser uat, in te, inquit, speraui. Serua me à debilitate, libera à captiuitate. Qui debile & captiuũ hominẽ facit, & eo quidẽ seruitutis genere detineri pronũtiat, vnde à solo Deo: nõ à seipso

liberetur, quantum de priore illa conditione detrahi? Sed in hac quoque captiuitate libero arbitrio multum concedit. Audiamus quantum illud sit. Qui in verbo Dei eruditi non sunt, hi frustra inflati per liberum arbitrium peccati insultus abolere se posse confidunt cum per solum crucis mysterium peccatum aboleatur. Nam quod in hominis potestate situm est liberum arbitrium, in eligendo, aut non eligendo, ut diabolo resistat, situm est, non in eo, quod possit robur habere contra affectus. Et paulò post: Nisi enim per potentius auxilium ab ignitis aduersarij iaculis liberati, recepti fuerimus in adoptione, frustra omnia molimur, velut procul à potentia crucis. Si diligenter omnia expendis, non aliud homini relinquit, quam in eligendo iudicium, quod & penitus sit inefficax, & ad vincendis cupiditates nihil per se valeat. Tamen si autem non omnia, quæ dicenda fuerant, hic dicit, quantum tamen à magnifica illa libertatis prædicatione declinet, videre licet. In altero loco nihil animaduerto, quod nobis, vel minimùm, aduersetur. Partem animæ rationalem potestatis nostræ esse docet. Verùm ut ego taceam, satis perspicuum est illic animæ naturam in sua integritate considerari: sicut in definitionibus dandis fieri solet. Nos quoque, cum de anima disputatio est, primùm eius partes in medium statuemus, mentem ac voluntatem, & mentis quidem officium esse docemus, præire voluntati, eamque gubernare: unde & nomen habet, *ἡγεμονία*, voluntatem porò tunc bene habere dicimus, cum se cupiditatibus huc illuc distrahendam non exponit, sed mentis imperium auscultat: totum denique hominem vix tunc esse compositum, ubi recta in eo ratio moderatur: quæ & voluntatem dirigat quò decet, & libidines, tanquam aurigæ equos indomitos, suis frenis coercet. Verùm simul ostendimus, cecam esse nostram rationem, quia sit per peccatum, Dei lumine destituta, nec prius bene regere posse, quoad Spiritui Dei in obedientiam se tradiderit: imò profusus in eius obsequium, velut ancilla, redacta fuerit. Dicimus similiter, carnis cupiditates regnum in homine occupasse, nec vlla anima potentia impediri posse, vel reprimi, quia suam tyrannidem exercent: voluntatem enim sic malitia oppressam, sic vitio & corruptione implicatam, ut ad honestum studium emergere, aut se ad rectitudinem dare nullo modo queat.

In omnibus Hieronimi sententijs, quas adducit, liberum arbitrium prædicari non nego: Scire tamen velim, quid certi inde referre velit. Donatos, inquit, nos libero arbitrio, & vniquemque viuere, non ex Dei iure & imperio, sed proprio obsequio. Sed quid? Si ex aduerso excipiam, quod verum est, vulneratam illam fuisse libertatem, imò confectam & extinctam, ubi homo peccati nexu in seruitutem Sathanz se addixit? An, ceriò colligam, quid de tota re sentiendam sit, cum præcipuum caput nõ attingat? Nego eos omnes claram & firmam de libero arbitrio doctrinam tradere, qui non simul adijciunt, quid de hac libertate per Adæ lapsum perierit, quid per regenerationis gratiam fideles recuperent: quæ tamen denique sit vitæ naturæ peruersitas & rebellio aduersus Dei iustitiam, & quæ rursus Spiritus sancti in electis, tum ad illuminandam mentem, tum ad cor dirigendum, operatio. De his omnibus altum est in Hieronimi verbis silentium. Antibrosium verò, aut non aduocare profusus, aut aliter loquentem inducere debuerat. Quid enim affert? Voluntarium seruum sibi auctonatur diabolus; neminem iugo seruitutis astrictum possidet, nisi se prius peccatorum are ci vendiderit. Quid carnem quasi infirmam accusat? Affectus est author culpæ: caro voluntatis ministra. Non ergo vendat nos voluntas nostræ, per quam solam in seruitutem tradimur. Nempe vanam eorum tergiversationem refutat, qui in carnis infirmitatem reiiciunt, quicquid peccant. Carnis autem nomine quid significet, statim exponit, cum voluntatis ministram vocat. Inferior

ferior ergo pars hominis, & sensualis, ut vocant, cum corporis organis, per carnem destinatur. Nunc, qui malorum suorum culpam illuc derivat, merito ad voluntatem retrahitur: ut dum conuictus fuerit, illic herere mali radicem, simul discat, se unam esse, cui imputare culpam debeat. Hinc si colligat Pighius, quæ sit liberi arbitrii facultas, aut quantum per se valeat, valde argutus erit ratiocinator. Atqui voluntarium intelligunt omnes, quod in potestate nostra est, ut sit vel non sit: nec necessitati subijcitur. Verùm quod aliter Ambrosius ipse intelligat, non altius testimonium petam, quam ex eadem pagina, ex qua sumpsit Pighius quod adducit. Nam cum de usu legis tractat, his verbis inter alia vitur. Accessit vinculum, non solutio: addita est peccatorum agnitio, non remissio. Profuit tamen mihi, cæpi confiteri quod negabam &c. Item: illud quoque mihi prodest, quod non iustificamur ex operibus legis. Non enim habeo, unde gloriari in operibus meis possim: non habeo unde me iactem, & ideo gloriabor in Christo. An hæc starent, nisi peccandi necessi: aut homo sibi relictus subijceretur? Hic quoque mihi succurrit Augustinus: qui adductis tribus testimonijs nihil minus sensisse Ambrosium eum citat, quam quod illi affugit Pighius. Primum quia in libro de fuga seculi, dum ad quærendum Dei auxilium nos hortatur, non in potestate nostra esse cor nostrum & nostras cogitationes palam confirmet: deinde quia in Lucam ita scribat: Non humana tantum voluntate videtur quod bonum est, sed sicut Christus dederit, qui, ut id quod bonum est, nobis quoque videri bonum possit, operatur, quem enim misereatur, & vocat. Itaque cum quis fidem se voluisse habere dicit, non negat Deum voluisse. A Deo enim preparatur voluntas. Ut enim Deus honoretur à sanctis, eius gratia est. Item: Quem Deus dignatur, vocat: & quem vult, religiosum facit. Ex his verbis colligere non dubitat Augustinus, tam fidei, quam bonorum operum: tam cogitationum, quam bonorum affectuum & initium & perseverantiam soli Deo Ambrosium tribuere: hominibus auferre. Cuius rei si quis mihi fidem non habet, librum de bono perseverantia legat. In citando Chrysostomo ne multum sudaret, locum duntaxat à me adductum transcripsit: ubi ut omne excusationis subterfugium peccatoribus claudat, bonum & malum constituit in hominis potestate: nihil ergo illis obstare, nisi quia nolint: posse enim, si velint. Mali causam non alibi quæri, quam in propria hominis voluntate, ne aliò culpam transferendo, exonerare se velit, mihi placere non semel testatus sum. Quin etiam unum hoc est ex præcipuis capitibus, quibus in mea institutione insisto. Quod verò liberi arbitrii virtutem adeò euehit Chrysostomus, non dissimulavi illic, quid mihi videretur.

Post hæc testimoniorum congeriem, quasi re confecta, quod ab initio proposuerat demum colligit Pighius: quam de humani arbitrii seruitute profitemur sententiam, uno piorum omnium, qui seculis omnibus extiterunt, consensu damnari: & meum mendacium euidenter detectum esse, qui ita, aut obscure, aut variè locutos de hac re veteres dixerim, ut certi ferè, nihil ex eorum scriptis referre liceat. Velim autem ignoscant mihi lectores, si in respondendo cothurnos illos altiores non induam, quibus in nos insurgit aduersarius. Non enim magis eloquentia cum eo, sed veritate certare institui: quæ ut est simplex, ita placida orationis simplicitate contenta est. Principiò igitur, cum Ecclesie consensum nobis obiectat, hæc sibi responsionem uno verbo habeat: non esse Ecclesie consensum, nisi qui congruenter apteque per omnia verbo Dei est consentaneus. Non esse porò ad hominum placita torquendum, quod Spiritus sanctus, qui scilicet optimus est loquendi artifex, Prophetis & Apostolis sine dubio dictauerit: idque in eum finem, ut inde omnes, & hominum, & Angelorù doctrinæ estimaretur. Quoties ergo suã illam

cantilenam mihi occinet, de vniuersalis Ecclesie consensu, continuo excipiam, perperam separari, quæ Deus perpetuo nexu copulauit: & meliore sensu, ac commodiore loco prouerbum illud Christi in eum retorquebo: Vbi cadauer illic aquila. Nam vt fidelium sententia pro perpetuo Ecclesie consensu habeantur, eas primum, tanquam aquilas ad cadauer in Christi veritatem conuenire, & quasi coalescere necesse est. Neque præterea id quod pro confesso sumit, illi concedo, vt quod sex vel octo scriptus prodiderint pro certo & definito Ecclesie consensu protinus recipiendum sit. Neque verò vt concedam, illa me perurgent. An de re inter omnes suo tempore cognita & trita mentiri audent? Quòd si illis non habetur fides: quale amplius restabit antiquitatis testimonium? Ego verò, neque mendacij eos insimulo: neque sic in totum repudio, quòd de communi Ecclesie doctrina testantur, vt pro nihilo, quasi non diceretur habeam. Tantùm ad plenam & solidam certitudinem sufficere nego. Neque enim absurdum videri debet, si quod tunc communiter in Ecclesijs receptum erat, ita eos referre dixerò, vt aliquid ex proprio sensu assingant. Siue quòd concepta semel opinione præoccupati, non aliter poterant: siue quòd propria interdum & perspicua loquendi proprietate destituebantur. Vnde enim Ireneo, Tertuliano, Hilario spinosum illud & confragosum dicendi genus? nisi quòd linguam impeditam habebant, quominus, quod volebant, exprimerent. Plurimum verò interesse nemo nescit, quibus quidque verbis dicatur.

Ad hæc, respondeat mihi Pighius, plùsne de Ecclesie consensu priuato homini credendum sit, quàm pluribus simul in Synodum collectis, qui Ecclesie nomine, & tanquam ex ipsius ore, quod inter se contulerint, pronunciant? Nunc ad præsentem quæstionem. Hilarium sic loquentem inducit Pighius. Voluntatem nostram hoc proprium ex sese habere, vt velit: Deum verò incipienti dare incrementum, meritumque complementi ex initio esse voluntatis. Nunc ex aduerso Concilij Anrausicani profero decretum: Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus, per Spiritus sancti operationem in nobis fieri confitetur, resistit Spiritui sancto per Solomonem dicenti: Preparatur à Domino voluntas. Sic inter hominis voluntatem & Dei gratiam distribuit Hilarius, vt principium ad illam referat, adiuuari postea dicat Dei gratia: concilium eos Spiritus sancti hostes pronunciat, qui sic sentiunt, vel loquuntur. Vbi nunc illa est tam certa definitio, quàm Pighius tertio quoque verbo iactitat? In altero Hilarij loco sic habetur. Est ergo, cum oramus, à nobis exordium: vt munus à Deo sit. Huic iterum alterum eiusdem Synodi caput oppono. Si quis sine gratia Dei volentibus, laborantibus, studentibus, conantibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri, non autem diuinitus, vt credamus, velimus, petamus, & omnia hæc, sicut oportet, agere valeamus, per Spiritum in nobis fieri confitetur, resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non acceperis? De fide nominatim hoc Hilarius asserit, eius initium in nobis situm esse: Atquè longè aliud Concilij verba sonant. Si quis tam initium quàm augmentum fidei, & ipsum credendi affectum, non per gratie donum, id est, Spiritus sancti operationem, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem: sed naturaliter nobis inesse dicit, aduersatur Apostolo dicenti. Qui capit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Domini Iesu. Quicquid ex Hilario adducit Pighius, pro restata Ecclesie traditione vult haberi. Quo igitur loco habebimus illud consilium? quod tametsi ætate sit posterius, auctoritate tamen cedere non debet. Præsertim cum nihil aliud quàm superioribus Cæcilij, Carthaginensi & Mileuitano, subscribat. Augustinū adhuc taceo, qui separatim postea suo ordine dū prodibit, totā Pighij harmoniā prorsus turbabit.

Quòd

Quod si temporis & otij tantum daretur, quod huic rei satis foret: collectas hinc inde veterū sentētiās inter se conf.endo, quā infirma ex illis habeatur perpetui Ecclesię consensus probatio, palam facerem. Sed quoniam ad alia me temporis breuitas festinare cogit, hoc labore nunc supersedeo. Specimen tamen hoc in transcurso proferre libuit, unde coniecturam faciunt lectores, qualis futura esset fidei nostrę certitudo, si Pighio obsequeremur: dum nihil nobis certum in religione habere permittit, nisi quod ex Ecclesię traditione prodierit, & ab ipso Ecclesię exordio, ad nostram vsque ætatem, perpetua successione fluxerit. Quod si exceptionem ab Augustino, qua in eadem causa vititur, mutuari velim, nemo, nisi valde iniquus, opinior, cum sit æquissima, repudialit. Nam cum ex aduersa parte quidam acquiescere se paratos profiterentur, si doctrinam suam patrum autoritate probaret, respondet his verbis. *Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendam questione versari? quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogentur.* Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breuiter, quibusdā scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent: immorarentur verò in ijs, quæ aduersus alios hæreticos disputabant. His verbis si nunc Pighium conueniam, ut remittat quod tantopere urget, non aliunde petendam huius causę definitionem, quā ex veterum scriptis, quā Augustinus breuiter ac transeunter eos attigisse testis est, pleno gutture sua illa conuitia, quibus refertus est, in me ructabit. Quando igitur nihil æqui impetrari potest ab ista Furia, ad lectores me conuerto: apud quos ponderis non nihil spero habiturum, quod tam iusta ratione nititur.

Verum in hoc potissimum cardine vertitur nostra defensio, quod dico, Pighium, partim commentitijs testimonium nominibus, ad faciendum numerum, in nos abuti: partim ea quæ recitat, testimonia, perperam ac falso in nos detorquere, cum nihil nolis repugnent. Siquidem Petrum & Clementem nominando, quid aliud quā fucum facit? Toties me impudentem nominādo, cauere puto, sibi voluit, ac anteuertere, ne quod meretur, à me audiret. Sed quo nomine perditā istam ac deploratam nequitiam appellabimus, quod tam confidenter nothi & confictiij libri prætextu, Petrū & Clementē nobis obtrudit? Quod ad Irenæum & Tertullianum attinet, cum homini libertatem in prima tantum sua origine tribuant, & in illa naturę integritate, in qua conditus fuit: corruptionis autem, quā vitio suo contraxit, nullā faciant mentionem: eorum verbis minimè ledimur, qui seruitutis causam, non in natura ponimus, sed in lapsu primi hominis. Illi igitur hominem liberū fuisse creatum tradunt: nos id non negamus: sed dicimus in seruitutem incidisse, quia à primo suo statu degenerauerit. Illi peccatum non hæere in substantia contendunt: id nos quoque ipsam asserimus: sed addimus, primo homini, ex quo à sua integritate excidit: bonę naturę corruptionē accidisse, quā ad totum suum genus transmiserit. Ergo hos quoque duos ex testimonio suorum catalogo expungat Pighius, oportet. Sex adhuc restant: ex quibus duo, Ambrosius & Basilus, minimum inò proficiunt, eius causam adiuvant. Illa enim, quā ponunt, naturę humanę descriptio, quid ad hanc vitiatam & degenerem naturam, quæ ut reliquis Dei donis, ita libertate etiam spoliata, præsentem, quæ premitur, inopiam suam deplorare potius, quā perditam virtutem iactare debet. Libertas enim voluntatis, sanitas est. Nunc ergo qui liberā vult facere voluntatem, sanitatem illi reddat. Sequitur

Origenes, cuius suffragio quantum sit in Ecclesie dogmatibus tribuendum, penes Hieronymum sit iudicium. At non est credibile, de re tam familiariter suo seculo nota, hoc est, de insigni fidei nostrae axiomate, potuisse mentiri. Quid? An non hæc sunt ex præcipuis fidei nostrae capitibus? Filium à patre genitum esse: unius cum patre nature: Spiritum sanctum unius esse cū Patre & Filio diuinitatis: hanc ipsam carnem, quã nunc gestamus, resurrectionem, & similia. At Origenes factum non genitum Filium docet: bonum esse natura negat, & ex seipso: de Spiritu sancto non aliter sentit, quàm de operatione nuda: carnem putat in nihilum redigendam, vbi Christus apparuerit. Nunc suum istud acroma si occinat Pighius: non potuisse de rebus adeò notis mentiri Origenem, nonne dignus erit, cuius in os omnes conspuant? Habet tamen adhuc Hilariū: sed cuius sententiam ab orthodoxo Concilio damnatam fuisse demonstrauius. Habet Hieronymum, qui sub extremam senectutem à Pelagio expergefactus, aliquanto tandem moderatius loqui cœpit. Habet Chrysostomum, quem semper confessus sum in extollenda hominis facultate fuisse immodicum. Nec vero Bernardum proferre alibi dubitat: cuius arbitrio si definenda esset controuersia, si non prorsus totum obtinerem, longo tamen interuallo essem superior. Vbi est ille adeo contestatus temporum omnium consensus, qui pro certa & indubia Ecclesie traditione haberi, adeoque Dei verbo præferri, ob certitudinem debeat? Vbi mendacium illud tam capitale, cuius me euidenter conuictum tantopere gloriatur? Dixi, veteres plus iusto liberum arbitrium extollere: Græcos præsertim: atque in hunc nominatim Chrysostomum. Addidi tamen, sic perplexè, aut obscurè, aut variè ipsos loqui, vt certi aliquid referre ex eorum scriptis non facile sit. Variè loqui in hunc sensum accepi: quòd hic plus, ille minus libero arbitrio tribuat: hic libertatem cõstituit vna in parte, ille in altera. Sic vt collectæ inter se omnium sententiæ, nihil quàm suspensum tenere hominem queant. Ita Pighius interpretatur, quasi dixerim eorum vnumquenque secum disidere. Sed quis putidum hunc calumniatorem ferat? Obscurè vero & perplexè loqui cur non dixerò, qui de homine sic loquuntur, quasi in sua integritate adhuc staret, cùm in grauem ruinam ceciderit, vnde surgere sua virtute non potest? qui liberi arbitrii potètiæ sic in homine constituent, quasi per lapsum non amissa esset? Verum quia de hac re litigare nimis longum esset, nihil addam amplius: nisi quòd scire ex eo velim, quo sensu alibi prodat, ante exortam Pelagij hæresim, veteres omnes liberum arbitrium indistinctius extulisse. Si sublata gratiæ Dei & humanæ virtutis distinctione facilis est & expedita perspicuitas, errasse me fateor. Sin verò in illa confusione lectorem harere necesse est, dubium & anxium, quantum Deo adscribere, quantum homini relinquere debeat, cur ita, cùm nihil deliquerim, atrociter vexor?

Lib. 3. circa principium.

### In Librum tertium.

**S**equitur tertius liber: quem totum Augustino destinauit. Nam quia illum vnum ex aliorum numero exceperam, non modò eum mihi eripere, sed etiam in iuas partes pertrahere conatur. Hoc, inquam, initio proficitur: sed vbi pauullū in rem ipsam ingressus est: sepe restitat & hæret, nunc subterfugia queritat, nunc palā ipsam, quem sibi adiungere proposuerat, Augustinum repudiat. Quid autem prodest, inflatis buccis nihil non polliceri, tum vbi lectorum

lectorū desiderii simul & attentionē acueris, hiantes ipsos dimittere? Ego verò efficiam primum ut perspiciant omnes integri iudicij, & erga veritatem non malè affecti lectores. Pighium non amore sana doctrina, sed importuno & furioso nostri odio, ad hanc causam accessisse: in ea tractanda, non veri inueniendi studio, sed ambitione, ac rixandi libidine agi, atque impelli. postremò nihil sincere aut candidè agere, sed satis habere, si quouis modo legentium oculos perstringat: imò laudè ex caliditate & fallendi peritia captare. Deinde quòd unū saltem ex veteribus Augustini nobis suffragari asserui, fidem ut in eo meam, atque ingenuitatem agnoscat.

Primum, abruptas me nec intellectas ex Augustino sententias citare causatur. At quas? Quòd scribit non esse liberam sine spiritu, hominis voluntatem, cum cupiditatibus vincuntibus & vincientibus teneatur. Notavi locum: In Epistola 144. ad Anastasium id habetur: Quid hic abruptum aut obscurum? Item, quod in libro de perfectione iustitiæ scribit. Nam illic Pelagij dilemma ponit, Quæredum esse, per quid efficitur homo cum peccato? per naturæ necessitatem, an per arbitrij libertatem? Nam si per naturæ necessitatem, inquit, culpa caret: Si per arbitrij libertatem, quærendum à quo acceperit. A Deo scilicet. Bonum igitur à bono. Cur itaque ad malum propensus dicitur? Respondet deinde ipse. Per arbitrij libertatem factum est, ut esset homo cum peccato: sed iam pœnalis vitiositas subsequuta ex libertate fecit necessitatem. Unde ad Deum clamat fides: De necessitatibus meis erue me. Sub quibus positi, vel non possumus, quod volumus, intelligere: vel quod intellexerimus, volumus: nec valemus implere. Nam & ipsa libertas à liberatore promittitur. Si vos filius liberauerit &c. Victa enim vitio, in quod cecidit, voluntate, caruit libertate natura. Nam altera Scriptura dicit A quo quis deiectus est, huic & seruus adiectus est. Sicut ergo non est opus sanus medicus, sed malè habentibus: sic non est opus liberis liberator, sed seruis, ut ei dicamus: Salua sti de necessitatibus animæ meam. Ipsa enim sanitas, est vera libertas, quæ non perisset, si bona permanisset voluntas. Quia verò peccavit voluntas, secuta est peccantem dura peccatum habendi necessitas: donec tota sanetur infirmitas. Dicat nunc Pighius me sententiolas truncas & mutilas adducere. Item quod scribit ad Laurentium: Hominem libero arbitrio malè usum, & se, & illud perdidisse, & quod in eundem sensum ex tertio ad Bonifacium libro adduxi. Quòd si vel abruptum, vel obscurum Pighio videtur, audiat ex eodem libro interpretationem. Iustitia, inquit, legis non impletur, cum lex iubet, & homo quasi suis viribus facit, sed cum Spiritus adiuvat, & hominis non libera, sed Dei gratia liberata voluntas facit. Itē paulò post: Et liberum arbitrium, ut est captiuum, non nisi ad peccandum valet: ad iustitiam verò, nisi diuinitus liberatum adiutumque, non valet. Libro autem primo dixerat: Ut filius Dei quis fiat, hac potestas nulla esse potest ex libero arbitrio: quia nec liberum in bono erit, quod non liberator liberauerit. Libro quarto, sic iterum confirmat: Quid mihi obtendis liberum arbitrium? quod liberum non erit: nisi ovis sucris. Qui igitur facit homines oves, ipse ad obedientiam veritatis liberat voluntates. Nimis certè morosus homo est Pighius: si quid adhuc obstrepere hic ausit. Postremus locus ex libro de Correctione & gratia sumptus est: ubi dico, Augustinum vocis usum iocosis verbis eludere: cum sic loquitur: Liberum arbitrium, liberum iustitiæ seruum peccati. Nam libertatem hominis non aliam agnoscit, nisi à iustitia manumissionem: quæ miserrima est peccati seruitus. Quinto autē ante versu, non alia ratione libe-

rum esse arbitrium dixerat, si si dum per gratiã liberatur. Locus autem primus, ex secundo aduersus Iullianum libro, ubi seruum appellat sic habet: Hic vultis hominem perfici: atque vtiñã Deidono, & non libero, vel potius seruo voluntatis arbitrio. Et hinc adhuc oblatrabit Pighius, nõ intelligere me quod cito, vel trũcata verba decerpere, quæ Augustini sensum minimè explicent? Atque hæc quidem testimonia non eo cõsilio adduxerã, sicut hic nugator fingit, vt de tota re dijudicatio ex illis fieret, sed tantum vt obiter ostenderem lectori, quam vim habeat epitheton, liberi, cum hominis arbitrio apud Augustinum tribuitur. De nomine igitur duntaxat tracto: hinc totam rei definitionem me in pauculis verbis constituere mentitur.

Antequam verò Augustinum committere nobiscum in certamẽ incipiat: considerandum non abs re admonet, quibus quidque temporibus scripserit. Atque ita operum eius, quantum ad propositam questionem, tres classes facit. Primam ijs assignat, quæ ante exortam Pelagij hæresim scripsit: alteram his, quæ in ipso contentionis feruore edidit contra Pelagium ipsum: tertiam ijs, quæ post remissum ac sedatum calorem composuit. Hanc distributionem ego quoque libenter recipio: nisi quòd censuram illam, quam cõtino subiungit, veram esse non concedo. Nam quia Augustinũ in toto illo secundo librorum ordine sibi parum esse propitium nouit, vt illis fidem abroget, vel saltem authoritatem deroget, sapere conflictationis ardorem dicit. Nudam igitur veritatis explicationem ex alijs posterioribus melius sumi, in quibus compositio & paccato animo rem ipsam distinctius tradiderit. Ego verò, vt minimè detrecto, litem ex his posterioribus libris, si opus sit, dirimi, ita sic pugnandi cupiditate incaluisse Augustinum in alijs nego, quin liquidam & distinctam veri expositionem semper retinuerit. Non enim iuuenis erat, sicuti cum aduersus Manichæos scriberet: demde cum diligenter multis locis retrahauerit suum in prædicando libero arbitrio excessum: nusquam nimis se illud extenuasse meminit: quo satis nõ aliter se, post finem certaminis, sentire, quam tũc cum scriberet, indicauit.

Post hoc proëmium, audiamus quale primæ classis initium faciat. Libro, inquit secundo, quem de libero arbitrio inscripsit contra Manichæos, liberam homini voluntatẽ necessario datã affirmat, idque in eũ finem, vt rectè viueret. Hac negata, diuini iudicij toli equitatem. Ac ne cauilemur, de libertate hoc debere intelligi, quæ detur nobis per gratiam, occupatione vtitur. Quasi verò periculum sit ne subterfugia, velut deprehẽsi, quæritemus: cum Augustinus ipse suis verbis Pighij obiectionem non tantum soluat, sed friuolam & euanidam demonstrat, libro retrahationum primo: capite nono. De gratia Dei, inquit, qua suorum voluntates præparat Deus, nihil in his libris est disputatum. Aliud est enim quærere, vnde sit malum: & aliud quærere, vnde redeatur ad pristinũ, vel ad maius perueniatur bonum. Vides hunc fuisse eius scopum, vt originem peccati ex voluntario hominis lapsu, non Dei creatione, extitisse demonstraret. Nũc post lapsum longè alia est hominis consideratio & longè alia questio: vnde aut qua virtute recuperent filij Adæ, quod in patre suo perdidierunt. Itaque quoties occinet Pighius, liberam prædicari hominis voluntatem, illud vicissim non ex me, sed ex ore Augustini, audiat: liberam fuisse voluntatem, cum sana foret: nunc cum tam grauitè, & ad mortem vsque sauciata sit, humili confessione, non superba defensione indigere.

Alterum testimonium ex libro tertio adiungit: ubi voluntarium ac liberum esse motum cõtendit, quo homo, ab incommutabili bono ad inferiora, peccãdo con-



conuertitur: cum alioqui nec laudandus esset, nec vituperandus, nec etiam monendus: deinde, præscientiam Dei peccati causam esse negat. voluntatem enim hominis non aliter fore voluntatem, nisi in propria eius potestate sit. Ne suspensum sit, si quid de meo proferam, ipse pro se Augustinus respondeat. Hoc autem facit uno verbo, cum disputare se negat, qualis sit nunc hominis voluntas, sed qualis fuerit à Deo condita. Porro id est, quod inter nos controuertitur: quid nunc homini supersit, ex quo spiritualibus illis diuitijs spoliatus fuit, quibus naturaliter præditus erat. Voluntas est, inquit, qua peccatur, & rectè uiuitur: quod tunc agere volui. Voluntas ergo ipsa, nisi Dei gratia liberetur à seruitute, qua facta est serua peccati, & ut vitia superet, adiuuetur, rectè pièq; viui non potest. Et hoc diuinum beneficium, quo liberatur, nisi eam præueniret, iam meritis eius daretur: & non esset gratia, quæ vtrique gratis datur. Et ne videatur recantare quod dixerat, illinc locum adducit, quo constare possit, non de vitata, sed integra natura dicta esse, quæ ad eam extollunt. Quoniam, inquit, non sicut sponte homo cecidit, ita etiam sponte surgere potest, potest etiam nobis de super dexteram Dei, id est, Dominum Iesum, firma fide teneamus. Vides, ut nihil aliud quàm primum mali fontem requirat. Manichæi fingebant Deum esse, ipse ex libero hominis arbitrio fluxisse asserit. Liber ergo factus erat: quis negat? Sed cum se in seruitutem... ceciderit: cum libero arbitrio malè usus, & illud, & se perdidit: quorsum attinet commemorare, qualis tunc fuerit? Ut clarius etiãnum loquar, de prima hominis creatione satis cõuenit inter nos. Liberi enim arbitrii factum fuisse hominem, proponit Pighius. Annuiamus: neque expectauimus dum hoc postularet: sed semper professi sumus. Iam diuersas prorsus ac dissimiles naturas hominis integri adhuc, & per lapsum corrupti vbiq; clamat Augustinus. Quæstio nunc est de posteriore. Pighius autem, longo verborum circuitu, quid de prima sentiat & loquatur Augustinus, edisserit. Reclamat fortiter Augustinus. Cum de libera rectè faciendi voluntate loquimur, de illa scilicet, in qua factus est, loquimur. Hac enim sunt eius verba in eodem libro, ex quo Pighius testimonia se tanta fide ac religione adduxisse iactat. Nonne id est, quod proverbio dicitur? Falces postulat ab a, hic ligones negat. Nunc supercilium attollat Pighius: & vociferetur, sicut facit, nihil esse in his verbis ambiguum, ubi tradit Augustinus, nihil magis in hominis esse potestate, quàm voluntatè. Respondeo: Cur non vertit paginam? ubi reperiet quod stultum hunc eius clamorem cõpescat. Si non est, inquit Augustinus, ista pœna hominis, sed natura: nulla ista peccata sunt. Si enim non receditur ab eo modo, quo naturaliter factus est, ita ut melius esse non possit, ea quæ debet facit, cum hæc facit: si autem bonus homo esset, aliter esset. Nunc autem quia est, non est bonus, nec habet in potestate, ut bonus sit: pœnam esse istam quis dubitet? Deinde addit: Ex qua miseria liberat Dei gratia: quia sponte homo id est, libero arbitrio, cadere potuit, non etiam surgere. Hac sunt inuicia arma Pighij, quibus fretus, Augustini patrocinium mihi eripit. Iam, inquit, Augustino, quem suū esse mentiebatur, Calumnus destituitur. Ita ne? Mirabilis certè præstigiator eris, hoc si cuiquam persuadeas. Verum, perinde ac si Augustinum in me armasset, ad opem illi ferendam mox se accingit, si forte in me opprimendo laboret. Ridiculum verò hominem, qui ita mutiliter se fatigat superuacuo labore, quæ ipse sibi temere, ac sine causa accersit. Siquidem nec defensione aduersum me indiget Augustinus, qui omnia, quæ ex eo adducit Pighius, sine certa

mine amplector: & si indigeat, nihil ad rem totus hic apparatus ad dirimendam voluntatis & necessitatis societatem. An conuenire cum voluntate possit necessitas necne, alibi videbimus: sed huic quaestioni nunc locus non est, non magis quam compresso in naufragij tabula.

Pergit deinde ulterius: quia neget Augustinus, peccare in eo quempiam, quod caueri nullo modo possit. Inspiciat locum qui uolet, an non de peccati initio loquatur: quod scilicet conuincat, non aliunde hanc, qua hodie premimur, necessitatem, quam ex voluntario primi hominis lapsu prouenisse: quam particulam Pighius, tam fidus, suo suffragio, relator, transfiliendo occultauit. De quo ne quis pugnam moueret, omnem ipse dubitationem sustulit in retractationibus: sicut nuper dixi. Cur autem non apertius peccatum illic originale, & uitiata natura corruptione exposuerit, causam simul reddit: quod aduersus Manichaeos erat disputatio: qui Scripturas sacras, & praesertim uetus Testamentum, unde probare oportuisset, re pudibant. Adde quod ex his, quae adducit Pighius, plura per concessionem dicuntur: non quod Augustinus sic rem habere sentiret, sed quia quas ad uincendos aduersarios rationes habebat, uel accepta eorum confessione, uel eo quod postulabant concessio, negligere uolebat. Neque uolo, ut de hac re mihi, aut meis coniecturis credant lectores: nisi id ipsum oculis cernant. In fine, quo solet pudore, satis se habere iactat ad uictoriam, si modo semel mihi contrarium Augustinum ostenderit: quia dixerim, constanter consonat & que hac de re semper loqui. At quis illi demon hoc me dixisse reuelauit? Neque enim adeo sum rudis, ut non perspiciam, quam sibi dissimilis sit Augustinus, si quis prima eius scripta cum uicinis compararet. Iuuenis adhuc erat, & non ita exercitatus, cum Manichaeos refelleret. Itaque plus ingenij, acuminis, & secularis philosophiae illic reperias, quam sacrae & spirituales doctrinae. Quod ad liberum arbitrium, modo fuisse primo homini datum, & inde fluxisse uanae principium extorqueret, de altiori inquisitione non laborabat. Vbi autem prodierunt cum sua secta Pelagius & Celestius, tum quasi è summo excitatus, diligentius cogitare & inquirere coepit. Hinc illa, quam uni Augustino, praeter alijs, tribuo, uerae saneque doctrinae perspicua, certa, exactaque explicatio: hinc & ille consensus, quem illi nobiscum esse gloriatur. Quod nisi Pelagij importunitate coactus oculos magis aperuisset, gratiam Dei in obscuro delitescere, sicut alij, passus forte fuisset. Agendae igitur gratiae Deo sunt, quod impiorum hominum prauitate mirabiliter, tum ad illustrandam gratiae suae laudem, tum ad superbiam carnis humiliandam, usus fuerit.

Sequitur apud Pighium alius locus, ex libro de duabus animabus aduersus Manichaeos: ubi Augustinus definiit animi motum cogentum nullo, ad aliquid, uel non amittendum, uel adipiscendum. Hac definitione uehementer urgeri nos putat: quod ego quidem nec uideo, nec fateor. Ne tamen longius inter nos disceptandum de hac re sit, Augustinus ipse medius interueniat. Hoc, inquit, propterea dictum est, ut hac definitione uolens à nolente discerneret: & sic ad illos referretur intentio, qui primi in paradiso fuerunt humano generi origo peccati nullo cogente, peccando. Paulo post: Intantum libera est uoluntas, in quantum liberata est, & intantum appellatur uoluntas. Alioqui potius tota cupiditas. Quae non est, sicut Manichaei desipiunt, aliena natura additamentum, sed nostra uoluntas: à quo non sanamur, nisi gratia Saluatoris. Quod si quisquam dicit, etiam cupiditatem nihil esse aliud, quam

quàm voluntatem, sed vitiosam, peccatòque seruientem, non resistendum est: nec de verbis, cum res constat, controuersia facienda est. Hic audis, de qua voluntate hoc dictum velit accipi: audis quibus fulminibus corrupta voluntatis vires prosternat: adeo ut ne suo quidem nomine eam dignetur: subiungit deinde Pighius de definitionem peccati, illic positam: Quòd sit voluntas retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere: quanquam si liberum non est, neque est voluntas. Iam in his etiam verbis mentem suam nobis Augustinus edisserat: Vera, inquit, propterea est definitio, quia id definitur, quod tantummodo peccatum est, non etiam pœna peccati. Nam quando tale est, ut idem sit & pœna peccati, quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate? nisi fortè si pia est. Intantum enim libera est, in quantum est liberata. Vides ipsius authoris testimonio, qui eius certè, quod dixit, interpretandi ius habere debet, nõ nisi primo ad peccato conuenire hanc definitionem? quia per eius lapsum à primo Domino in miseram seruitutem excidimus. Hinc ergo collige, qua fronte mihi hoc loco tragicis suis acclamationibus Pighius insultet. At dicit Augustinus, rem esse omnibus tritam, neminem vituperatione aut pœna esse dignum, qui id non facit, quod facere non potest. Hoc pastores in montibus, poetas in theatris, indoctos in circulis, doctos in bibliothecis, magistros in scholis, Doctores sacros in templis clamare, & decantare. Verùm simul testatur, peruersum esse verborum suorum interpretem, qui hoc ad omnia peccata trahat. Se enim non aliud velle, quàm non potuisse meritò damnari hominem, nisi libera voluntate peccasset. Nunc verò partem dñationis esse illam seruitutem, sub qua tenemur captiui & mente, & voluntate, donec gratuito Christi beneficio liberamur. Nunc quid superest, nisi ut Augustinum bestiam appellet, quòd non sua dementia suffragetur? Hanc enim obiectionem ipse mouet. Quid si alicubi contrarium dixerit? Si fecisset, aut faceret, connumerarem eum cum Lutheranis, ac in brutum animal degenerasse dicerem. Hic non modò contrarium Pighij sensu dicit, sed in illis quoque verbis contrarium sensisse se testatur.

Locus, quem allegat ex libro de vera Religione, nobis, fateor, in speciem videtur repugnare. Sed si Augustinum recipimus sui interpretem, tota difficultas erit ad soluendum facilima. Peccatum negat fore peccatū, quia sit voluntarium. In voluntate porrò liberū esse arbitrium. Tales enim seruos meliores esse iudicauit Deus, si ei seruirent liberaliter. Quòd nullo modo fieri posset, nisi voluntate seruirent, & non necessitate. Nunc locum interpretationi demus. Peccatum, inquit, illud intelligi debet, quod tantummodo peccatū est, nõ etiam pœna peccati. Postea dū inquit, qualiter voluntaria sint ea quoque, quæ perpetrantur à nobis, ideo sic vocari posse docet, quòd mala voluntate fiant. Ut autem bona sit, à Domino sanari & preparari. Posset ne clarius ex postulare cum Pighio, quòd grauem sibi iniuriam, scripta sua in alienum sensum torquendo, faciat? At primùm, rationationem deducit à voluntario ad liberum: deinde voluntati necessitatem opponit. Neque ego rationationem hanc improbo, si integra esset, ac sui iuris, voluntas. Quem admodum si quis dixerit: Homo est animal bipes. Ambulare igitur & ingredi potest: erit quidem argumentum non malum nec ineptum. Verùm si quis ad paralyticū trahere velit: in promptu est responsio, aliundè esse vitium, quòd naturam impediatur. Sic omnino de voluntate respondendum est: liberam quidem esse naturam, sed vitio factam fuisse seruam atque hac seruitute detineri, donec Dei manu afferat

*tur. Verum, quia minus suspecta erit ex ore Augustini responsio: eum loquentem audiatur Pighius: Si volumus, inquit, liberum defendere arbitrium, non oppugnemus, unde fit liberum. Nam qui gratiam oppugnat, qua ad fugiendum malum, & bonum faciendum liberatur, vult adhuc esse captivum. Aut, si breuius malit. In hac quaestione non natura, sed natura & corruptio reputanda. Illic autem de natura sermonem haberi, certum est. Eadem est secunda partis solutio. Per arbitrij enim libertatem factum est, ut esset homo cum peccato: sed iam poenalis vitiositas subsequuta, ex libertate fecit necessitatem. Itaque cum interrogaret Pelagius, voluntatisne an necessitatis esset peccatum: respondet: ut sanemur, nos eum invocare, cui dicitur in Psalmo: De necessitatibus meis erue me. Hac, opinor, sufficere queat, si aliud non adijcerem: plenius tamen adhuc est, quod in libello de natura & gratia habetur. Obijciebant illam Hieronymi sententiam Pelagiani, quam neque Pighius in nos pretermisit: Liberi nos arbitrij conditos esse, nec ad virtutem, nec ad vitia, necessitate trahi. Quis aliter, inquit, conditam neget esse naturam? Sed in recte faciendo nullum est vinculum necessitatis: quia liber as est charitatis. Nunc ad sententiam Apostolicam redi: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. A quo autem nisi ab illo qui ascendit in alium, captivam duxi captivitatem? Quid autem ex vitijs natura, non autem ex conditione, sit peccandi necessitas, audiatur homo: atque ut in eadem non sit, discat Deo dicere: de necessitatibus meis erue me.*

*Nec aliam responsionem postulat locus de quantitate anime. Nam si Augustino creditur, ubicunque liberi arbitrij commendat facultatem, ad primam naturam conditionem, non presentem miseriam, in quam arbitrij vitio precipitata est, respicit. Si non creditur saltem retractat quod dixerat. Cum tam validis machinis in nos proruat, miraris lector, si stupore exanimetur, dum videt nos nihil commoueri? Ego vero miror, tam statuosum hominem non protinus medium crepare. Verum progredi nos oportet. Libro 22. aduersus Faustum Manichæum, sic creatum esse hominem dicit, ut ei inesset frenandi cupiditates possibilitas, aut facultas. Hoc nihil inter nos controuersum habet. De prima enim creatione agitur. At postea subiungit, quod non nisi de presenti statu possit intelligi. Per eam possibilitatem instaurari hominem, per quam si voluisset, non cecidisset. Possibilitas, inquit Pighius, liberi arbitrij facultas est. Per eam resurgere hominem testatur Augustinus. Absit vero à sancto viro impiū hoc deliramentum, quod toties abominatur, & quod omnes Africani Episcopi, eo authore, dignum anathemate consuerunt. Quid igitur his verbis significat? Nihil sane aliud, nisi nos ex peccati seruitute in eam libertatem restitui, Dei beneficio, qua mundum & carnem omnēsque concupiscentias vincamus. Hac enim nostra est possibilitas, quam ubique commendat, ut Domini virtute fordes simus. At cur id nominatim eo loco non expressit? Respondet ipse: Naturam contra Manichæos potius, quam gratiam, nomino: quia de natura cum illis quaestio erat. Et uti, ne id agit gratia, ut sanata natura possit, quod vitiosa non potest. Fatetur se naturam tribuere, quod non nisi gratia est: quia scilicet non alius sit gratia finis, nisi ut collapsam & euersam naturam restituat & erigat. Quae ex secundo contra Faelicem libro deinde recitat Pighius, longè minus habent coloris. Nihil enim quam de natura integritate illic tractatur. Et tamē quod nihil de captivae naturae liberatione & perditae reparatione illic dixerit, in retractationibus excusat Augustinus ipse*

Retract.  
Lib. 1.  
Cap. 16.

Cap. 65.  
& 107.

De perfect.  
iust.

Lib. 2. de  
Gratia  
Dei contra  
Celest.  
C. 33.

Epi. 107.  
ad Vitalē

ipse: quia hoc causa nõ requirebat. Quid hñc obsecro, difficultatis foret, nisi turbulẽtũ Pighij cerebrum, sua intemperie, & sibi, & alijs sine causa molestiã facefferet?

Ad secundam classẽ librorum Augustini dum transitum facere vult: quia verebatur ne exciperem Augustinum postea recantasse, quæ iuuenis inconsultius scripsisset, hoc, vt ipse vocat, cauillum occupat, ac refellit. Primũ eo modo se vicisse, quia impudentissimi mendaciũ conuictus tenebor, qui Augustinũ dixerim vbiq; clarè, vbiq; certò & consonanter, de hac re loqui. Hoc vbi dixerim, demonstrat, si fidẽ sibi haberi velit. Augustinũ asserui prorsus esse nostrũ: quòd autem cõgruenter in libris omnibus secum perpetuo loquatur, mihi nunquam in mentẽ venit asserere. Quin potius dicere soleo, hæreses omnes alias plurimum incommodasse Ecclesiã: Pelagij verò hæresim multo plus profuisse quàm obfuisse: quòd huius sancti viri Spiritũ excitauerit, vt à profana illa de libero arbitrio philosophia, quæ tunc vulgò inualuerat, Ecclesiã repurgaret. vt suum gratia Dei honorem, falsa humane virtutis opinione, quæ tunc multitudinis animos occupauerat, oppressum & quasi semisepultũ, restitueret. Verũ sit ita, vt fingit Pighius. Dixerim Augustinum vbiq; sibi constare. Quid adhuc protulit in medium, quod mendaciũ in conuinceret? Laetat quidem: sed Thrasonicam eius vanitatem satis traduxisse mihi videor, dum aduersus inanem verborum sonitum, rem ipsam tam clarã & firmam opposui: vt cunq; id non magno strepitu fecerim. Proinde illud alterum omitto, quod contendit nullo modo potuisse recantare, quæ antè retulerat. Hoc, inquam, nihil moror, si tamen eo sensu recipere sustineat, quo Augustinus ipse accipi præcipit: quandoquidem hoc modo nobis nihil aduersantur.

Hæc præfatus, magnificam illam pollicitationem suo more repetit: facturum se, vt certò constet, Augustinum semper & constanter nobis esse nõ modò contrarium, sed accerrimum hostem. Verũ vbi ad rem propius accedere tentat, hoc est, decimo post versu, illius suæ confidentiæ oblitus, eleuat, quantum potest, Augustini fidem in hoc secundo librorum ordine. Captare enim ipsum singula aduersariorum verba, quærere semper aliquid quod cauetur: vt in nonnullis, nisi disputandi mos excusaret, candorem eius desyderes: ita multa in conflictatione effundere, ad illaqueandum captiõibus hostem, indigna alioqui quæ seriò ab eo diceretur. Si tam constanter eius partes tuetur Augustinus, quorsum adeo eius fidem extenuare attinebat? Et quia vlcus non penitus aperire audet, duos tantum locos, quibus se minus premi putat, in specimẽ adducit. Ad illud, inquit, Pelagij obiectum, Priuari voluntatis arbitrio, quicquid naturali necessitate constringitur: respondet Augustinus, necessariò nos velle esse beatos, neque minus tamen voluntarie. Argutam esse hanc cauillationẽ iudicat. Sed quo argumento? Quia alibi multa de libero arbitrio dixerit Augustinus. Sed an inde consequitur, nihil esse voluntariũ simul, & necessarium? Sic Augustinus dixerat: Nempe cum necessitatẽ cum coactiõne confunderet. Hic autem distiguerẽ alteram ab altera patã est. Alter locus est, quòd ad hanc Pelagij obiectiõnem refellendam, Quia non peccare nostrum est, posse nos & peccare, & non peccare, consequentiam similem opponat, in qua sit manifestũ vitium. Quia nolle infelicitatẽ, nostrum est: posse nos & velle, & nolle. In hoc tamen loco demum nihil inuenit quod reprehendat, nisi quòd in Papiastas si torqueatur hoc argumentum, valere negat. De hac re postea viderimus. Sed an ideo Augustinũ, nihil tale cõmeritum, tam malè & inhumaniter tractari oportet

ruit? Concludit tandem, veram & seriam eius sententiã ex illis, quos citauit, libris, & alijs requirendam. Cur istud? Quia disputationis calore interdum ultra metus abripitur. Quid? An non libri, quos hæcienus citauit Pighius, omnes simili ratione suspecti erunt? Quid enim aliud quàm certamina continent aduersus Manichæos? En Pighianum acumen, quod pueris deridendum propino. Augustinus, iuuenis adhuc, in medio ætatis feruore, plenus eloquentiæ suæ fiducia, recens à ludo rhetorico, ad contentiones quàm ad grauitatem exercitator, profanis doctrinis penitus imbutus, Scripturæ sacræ scientia mediocriter tinctus, multis libris Manichæorum sectam impugnavit: in quibus nervos ingenij sui omnes ad certandum contendit. Quicquid illic legitur, pro oraculo haberi iubet Pighius. Scripsit idem Augustinus iam senex, iam longè & doctior, & moderatior, & ita scripsit, ut soliditati magis quàm argutiæ studeat. Non est tutum, inquit Pighius, hinc de eius sententia iudicare: quia calore incitatus, sibi non bene temperet.

Nunc audiamus, quid ex Augustino ad nos, sicut proposuit, expugnandos afferat. Libro primo contra duas Epistolas Pelagianorū, sic habet: Quis nostrū dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum: sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam. Ne quem hæc verba impediunt, obiter obseruandum est, quo sensu arbitrium vocare liberum soleat. Non dissimulaui in Institutione, recurrere identidem nomen hoc in eius scriptis: sed considerandum admonui, quam vim haberet. Id autem euidenter ex multis locis posse percipi: quorum nonnullos nuper retuli. Plurimum cum in rebus alijs, tum in loquendi ratione pollet recepta consuetudo. Hanc enim penes, ut ille ait, arbitrium est & vis, & norma loquendi. Obtrinnerat iam vulgò vocabulum illud, ut in eo tollendo plus sibi fore negotij cerneret Augustinus, quàm in tota re bene explicanda. Cedit igitur consuetudini: sed diligenter interea cauet, ne ex nomine praua intelligentia nascatur. Sicuti capite tricesimo libri de Spiritu & Litera: ubi dicit liberum arbitrium per gratiam stabiliri: quia tunc liberum esse demum incipit, dum per gratiam ex captiuitate redimitur: quamdiu verò sibi relinquatur, seruum esse. Verum ut non recedamus longius: locus hic, quo in nos abutitur Pighius, nobis sufficit. Liberū arbitriū negat periisse de genere humano. Cur istud? Cum per illud peccent, qui cum delectatione peccant. Liberi ergo à iustitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis: liberi autem à peccato non fiunt, nisi gratia Saluatoris. Liberum igitur non ideo est, quod possit in vtranque partem suapte virtute sese flectere, sed quia voluntario motu in malum feratur. Semper autem testatus sum, me de nomine pugnare nolle, si hoc semel constitueretur, libertatem: nō ad potentiam vel facultatem, boni æquè ac mali eligēdi, sed ad spontaneum motum & consensum referri debere. Et quid aliud sonant Augustini verba? Libera, inquit, est homini voluntas: sed ad malum. Cur? quia delectatione & proprio appetitu mouetur. Addit postea: Sed hæc voluntas, quæ libera est in malis, quia malo delectantur, ideo ad bonum libera non est, quia liberata non est. Hæc ad eò consentanea sunt nostræ doctrinæ, ut in eius defensionem scripta fuisse putes.

Verum Pighius, ut hos laqueos declinet, longè diuersam ponit distinctionem. Homini inesse naturaliter dicit, liberam voluntatē, qua proprios suos motus, actionesque omnes, in potestate habeat: ut ita velit vnumquodque ac faciat, ut in potestate

State simul habeat, non velle, & non facere. Atque hanc esse libertatē interpretatur, quam ubique Augustinus asserit. Quia autem voluntas non in suis tantum actionibus acquiescat, sed gubernacula habeat in totum hominem, naturaliter quoque Dominum habere in omnia membra: ita ut illi, sua potestate serio efficaciterque utenti, membra vniuersa, quæ motui voluntario deputata sunt, obtemperent. Fattetur deinde, sentire quidem vniuersos ex quadam carnis infirmitate, difficultatem: cum membra ad oblectationem & delicias mundi magis prępensata, pigra sunt ad officium iustitiæ: ipsam quoque voluntatem ad carnis sibi cognatæ desideria nimis facillè inclinari, nec facillè imperij sui efficaciam ad illa coercenda excrere. Verum ubi vult demonstrare, quantum valeat, esse necessarium, ut membra omnia illi ad iustitiæ obedientiam obsequantur, huic præterea difficultati accedere duomodo commemorat, voluntatis ignauiam, peccandi que consuetudinem: quibus sit, ut se in seruitutem mancipet, & ius suum ægre postea retineat, aut recuperet: neque id tamen fieri, quia vel tunc ingenitam sibi libertatem amisit, sed quoniam ei placet ea, cui se submisit, seruitus. Quod quamdiu est, inde eximi non potest, quia non vult. At cum sibi serio displicere incipit, seruitutem illam excutere ac vincere. Quamquam in hac victoria non negat esse difficultatem: quia contra carnem, hostem domesticum, & inueteratam consuetudinem, dimicandum sit. Itaque in hac pugna, quod tandem possit victrix euadere, opus habere concedit adiutrice Dei gratia. Concludit tandem, solam hanc esse libertatem, quæ per peccatum amissa fuerit: quod cum primi parentes non voluntatis modo, sed membrorum quoque omnium, & totius corporis motus in potestate habuerint, absque vlla difficultate aut resistantia, nobis caro nostra infesta sit, & aduersus rationis imperium contumax.

Atquæ hoc totum non modò Pelagij scholam redolet, sed mera est Pelagianæ impietatis magna ex parte professio. Nam principio, liberam in se voluntatem relinquit, ut proprios in vtraque partem motus sub potestate habeat: neque hoc inus per originale peccatum vel perditum, vel imminutum fuisse, agnoscit. Nunc quid de eo sentiat Augustinus, audiamus. Ad Vitalem Carthaginensem, cum duodecim capita posuisset, tandem concludit: *Recognoscis non omnia, quæ ad fidem pertinent, dicere me voluisse, sed tantum ea, quæ ad istam nostram de gratia Dei questionem, utrum præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem: hoc est, ut planius id eloquar, utrum de nobis detur, quia volumus, an per ipsam Deus hoc etiam efficiat, ut velimus.* Postea rursus: *Hæc & alia testimonia ostendant, Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, & præuenire in hominibus bonarum meritorum voluntatum: ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur.* Item libro de Ciuitate Dei 13. *Ad malum prior est hominis voluntas: ad bonum autem, prior creatoris: siue ut eam faceret, quæ nulli erat: siue ut reficiat, quæ lapsa erat.* Libro secundo de peccatorum meritis & remissione: *Laborant homines inuenire in nostra voluntate, quid boni sit nostrum: & quomodo inueniri possit, ignoro.* Quæritio item ad Bonifacium: *Et quomodo bonum hominis propositum, nisi miserante prius Domino? cum ipsa sit bona voluntas, quæ præparatur à Deo.* Proinde cum alicubi prodidisset, Deum non misereri, donec præcesserit voluntas, eam sententiam retractat: quia misericordia Dei ipsam præueniat voluntatem: quæ si non esset, non præpararetur voluntas à Domino. Itæ cum alibi scripisset, in potestate nostra esse, quid velimus: retractat e

Epi. 107.

Capi. 18.

tiam hoc modo. Sed hanc quoque ad bene viuendum de super accipimus potestatem, cum præparatur à Domino voluntas. Quibus funibus hæc verba trahet Pighius, ut cum impio suo commento cohereant? Voluntati nihil ablatum esse vult per originale peccatum, nisi Dominum in membra corporis: quod autem ad malum quam ad bonum sit propensior, id socordia & ignauia, prauaque consuetudine euenire, non quia resistendi facultatem non habeat. Augustinus verò reclamationem, malam esse voluntatem: ac teneri sub malo captiuam, donec liberetur. Et tamen tam deploratæ impudentiæ est hic canis, ut Augustino ignominiam hanc inurere ausit, quasi eum haberet suæ impietatis patronum. Deinde, in cupiditatibus carnis vincendis, primas voluntati partes concedit, quasi hæc pugnam incipiat: deinde gratiam Dei adiutricem, quasi in subsidium illi adiungit. Vbique autem reclamationem Augustinus, nihil præter malum concipere voluntatem, donec Spiritu præuenitur. Atque ita etiam in Concilio Arausicano decretum est: Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit: non autem ut purgari velimus, per Spiritus sancti operationem in nobis fieri confitetur, eum Spiritui sancto aduersari. Cum tantum se Ecclesiæ deferre fingat, quid nunc subterfugij inueniet, cum ab orthodoxa Synodo hostis Spiritus sancti pronuntietur? Deinde sic impediri voluntatem existimat carnis repugnantia, ut superior tamen esse queat in certamine, si vires suas experiretur: & cum etiam illecebris carnis tenetur irretita tantum, ideo requiri fingit auxilium gratiæ ad eam in recuperando suo iure adiuvandam, quia non facile alioqui possit victoriam obtinere. De necessitate nullam mentio. Quid autem de ea re censuerunt veteres? Extat decretum Milletitanæ Synodi in hæc verba: quod in Concilijs Africanis repetitur: Quicumque dixerit, ideo nobis dari iustificationis gratiam, ut quod iubemur per liberum arbitrium, facilius possimus per gratiam implere, tanquam sine gratia possimus, & si difficulter, anathema sit. Tamen si illa verborum fulmina non iaculor, quibus in nos de seuit Pighius, spero tamen ex hac oratione satis fore perspicuum, quam hoc nouum eius delirium ab Augustini sensu alienum sit ac remotum: cuius nomine illud prætexere, mira confidentia, audet.

Quantopere autem cum tota Scriptura pugnet, operæpretium ostendere foret, nisi libro quinto recurreret: ubi oportunior erit locus. Quam etiam ob causam, quod de peccato originali nugaratur, refellere in præsentia supersedeo: ne idem bis dicendum sit. Hoc verò tacere disputationis ordo non patitur, quod nihil tam absurdum dicit, cui approbando Augustini titulum non obtendat. Hoc est, inquit, quod dicit libro tertio hypognosticus Augustinus: perdidisse nos libertatem, non ad velle, sed posse, aut perficere. Primum iam ostendi, aliud toties docere Augustinum: deinde satis inter eruditos conuenit, non esse Augustini librum illum: tertio per peram interpretatur Pighius, quod allegat. Dicit quidem scriptor ille, quicumque sit, amisso possibilitatis bono, solum arbitrium ad velle nobis relictum esse, idque vulneratum. Sed quo sensu, non obscurum est: si quis coniungat, quæ postea sequuntur. Esse fatetur liberum arbitrium: habens quidem iudicium rationis: non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sine Deo, aut inchoare, aut perficere, sed tantum in operibus vitæ præsentis. Quid est obsecro incipere in libero arbitrio, nisi primus voluntatis motus? Sicut peragere, est firmum propositum cum efficaci conatu. Sed fortè non dum acquiescit Pighius. Faciam ergo, ut profusus obmutescere



cogatur. Subiungit aliquanto post: Cùm de libero arbitrio agimus, non de parte hominis agimus, sed de toto: quia cùm peccauit homo primus, non parte aliqua, sed totus, qua conditus est natura, deliquit. Audis non partem aliquam fuisse in homine vitiatam (sicut profana imaginatione philosophatur Pighius) sed totam hominis naturam subiectam fuisse prauitati. Quid postea? Vitiatò igitur, inquit, libero arbitrio, totus homo est vitiatus: quare absque adiutorio gratiæ Dei, quod Deo placeat, nec valet incipere, nec perficere sufficit. Vbi illa Pighij imaginatio, corruptionem totam in corpore velut in cloaca inclusam esse? Pergamus. Præuenitur autem medicina, vt sanetur in eo & reparetur vitiatà, atque præparetur voluntas. Audis in ipsa voluntate residere vitium: audis nihil posse eam boni concipere, donec sanata, reparata, ac etiam præparata fuerit: de qua præparatione sequitur: Non ergo homo voluntate sua adhuc in vitio liberi arbitrij claudicante præuenit Deum, vt cognoscat, & querat eam gratiam, tanquam pro meritis accepturus, sed præcedit, vt iam dixi, misericordia sua Deus hominis, nondum se querentis, voluntatem: vt eum faciat se scire, & querere. Qui omnem præparationem homini tollit, quid aliud relinquit, quàm peruersam voluntatem? Sed adhuc clarius postea explicat. De non credente, inquit, vt cognoscat & credat, in quo bona opera nulla sunt, dictum est: Nō volentis, neque currentis: quia in vanitate sensus, atque in tenebris obscuratum habens intellectum liberi arbitrij, lumen verum videre non potest: nisi Deus, qui iussit è tenebris lumen splendescere, illuxerit in corde eius. Cùm autem acceperit Spiritum Domini, erit in eo libertas ad capefenda Domini præcepta. Nunc quero, quæ sit eligendi & volendi libertas, in eo qui videre nihil per se potest. De fidelibus autem, & qui iam Deo seruiunt, sic dicit: Fieri etiam hoc in illis, cum gratiæ miseratione subito perueniunt ad ea bona opera, quæ nec voluerunt, nec cucurrerunt. Tandem concludit: Itaque quicquid vult homo, quicquid potest, à Domino est. Bene velle homini tribuit Pighius, implendi tantum facultatem à Domino, idque ex parte, accipere docet. Quo auctore? Augustinum obtendit. At audis quàm bene se ab hac calumnia vindicet, cùm non minus velle, quàm posse, Dei esse donum agnoscit: idque in solidum. At postea catholicum esse negat, qui liberum arbitrium negauerit: sanè, hac conditione addita: quòd sine Deo, nullum bonum opus vel incipere, vel perficere queat. Refert deinde Pelagij obiectionem, quia prior velit homo, Deum velle: quam sic refellit: Iam meritum facit, inquit, vt non sit iam gratia, sed merces. In fine, illud Apostoli citans & exponens: Cùm placuit Deo, qui me vocauit ab utero: non cùm voluisssem ego, inquit, sed cùm placuit ei, qui me elegit: nō per meritum meum, sed per gratiam suam: vt sit fidelis, non secundum propriæ voluntatis meritum: sed per Dei donum. Mirabor, si cristas erigere audeat Pighius, tam clara veritatis luce conuictus atque confusus.

Gal. 4.

Omitto quod pulcherrimam Pauli sententiam prorsus extranea glossa miserè lacerat, de liberis iustitiæ & seruis peccati. Liberos enim iustitiæ, elegantè allusione, emancipatos à iustitiæ imperio vocat: seruos autem peccati, quia sub iniustitiæ dominatione vsque ad illam, de qua simul meminit, liberationem, seruitutem seruiant: quod hic frigidis ineptijs eludere conatur. Locum autem Augustini, quem citaueram ex libro de Spiritu & Litera, vt mihi extorqueat, nimis violenter torquet. Nam cùm Augustinus totam bonorum operum summam, & singu-

lus partes Dei gratia assignet, quasi nihil tale in eius verbis haberetur, ad vnam possibilitatem hic restringit. Vbi Augustinus defectum ponit, hic substituit imbecillitatem. Et se elapsum esse putat, si in Pelagianos hac bene quadrare dixerit, non autem in se ac sui similes. Cum autem clamat Augustinus, non competere nomen hoc, quod libertatem sonat, nisi ijs qui Spiritu Dei reguntur: quoniam alij omnes serui sint peccati, idque non ex parte, sed in totum, hæc transfilit Pighius, quasi nihil ad se pertineant. Audiuit fortè aliquando, rhetoricum esse artificium, ea silentio transire, quæ causam nimis grauent: sed in re tam aperta, nullus fuit dissimulationi locus.

Colligit postea & alias sententias: quibus multum immorari minimè opus erit: quòd cum apertissimè nobiscum faciant, in diluendus quas Pighius assuit calumnijs, non multum erit negotij. Dum ad locum illum à Pelagio obiectum respondet: si volueritis & audieritis: se nihil contradicere scribit, si à Domino preparari fateretur illum voluntatem. Vides, inquit, non eum damnare in Pelagianis, quod arbitrij libertatem assererent, sed quod illi tribuebant, sine gratia mereri gratiam. Imò hoc damnat, quod vel guttam vnam boni homini arrogarent. Respondeant, inquit, mihi noui hæretici, quid boni sit in hominibus nomini Christiano inimicis. Non solum enim non habent meritum, sed habent pessimum meritum. Oramus pro ipsis. Quid ergo petimus, nisi vt fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo autem? nisi ab eo, de quo scriptum est, A Domino preparatur voluntas? Vides nunc, quid Augustino significet, preparari voluntatem; nempe ex mala & peruersa in bonam conuerti. Quomodo enim, inquit, hominis bonum propositum, nisi miserante prius Domino? cum ea sit bona voluntas, quæ preparatur à Domino. Melius adhuc & expressius libro eiusdem operis primo: Oramus pro impijs, vt eorum mala voluntas in bonam mutetur. Et occulta Dei gratia subito multi trahuntur ad Christum. Hoc qui improbant, non mihi, sed Christo reluctantur, qui clamat: Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Non enim, ait, duxerit, vt illic aliquo modo intelligamus, præcedere voluntatem. Quis trahitur, si iam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis vt velit, ab illo qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari: non vt homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant. Videtis fac, homines non posse velle nisi malum, donec, mirifica conuersione, eorum voluntas ex mala in bonam mutetur? Quid ergo extenuando proficit Pighius, vt partem ex toto faciat?

Atquæ accuratius in fine libri primi explicat, quid tam in Manichæo, quàm in Pelagio, damnet orthodoxi: nempe quòd ille diceret, à bono Deo, nec creatos fuisse homines, nec institutas nuptias, nec Legem à Mose datam: hic quòd aduersaretur gratiæ Dei, ac non gratis eam, sed secundum merita nostræ dari: hominem, libero arbitrio bene vtendo, mereri gratiam: paruulos sic esse saluos, vt à Christo non saluentur. Si hæc accurata est dogmatum enarratio, quo igitur colore Manichæi discipulos nos ante ea fecit Pighius? Neque enim à Deo aut hominem creatum, aut nuptias institutas, ait Legem prodidisse negamus. Verùm alia quoque addebant Manichæi. Cadit itaque tota eius ratiocinatio. Vides, inquit, capita blasphemiarum Pelagij, in quibus non est, quod liberum arbitrium asserat. Si valet hæc ratio, cur non similiter & illa valeat? Vides capita blasphemiarum

Ibidem.  
hoc est.  
libr. 4.  
contra  
duas epi.  
Pelag.

arum Manichæi, in quibus nullum est, cuius nos in simulet Pighius. Non enim potest. Sequitur ergo, improbum & futilem esse calumniatorem, qui nos eius heretici discipulos esse criminetur, cum quo nihil prorsus habemus simile. Hæc non in alium finem dicia sint, nisi ut appareat, Pighium, dum leuilus magis argutus, quam veris probationibus in sistit, suo ipsius iudicio, instar soricis, ut aiunt, perire. Nunc ad firmam responsionem venio. Ut hic breuiter comprehensa sit summa errorum Pelagij: disertis tamen verbis explicatam esse nego. Eius rei fidem nemo facere melius poterit, quam Augustinus ipse: qui alibi duodecim capita recitat, quæ ab ijs sibi concedi postulat, qui à Pelagianismo purgare se vellent: quæ plus continent, quam hic exprimat. Deinde, nihil hic de perfectione iustitiæ, ad quam hominem peruenire posse fingeant, ut esset in hac vita *ἀνταρτυτος*. Nihil de gratia subsequente: nihil de perpetua eius ad singulos actus continuatione: nihil denique de electione gratuita fidelium, & impiorum ad mortem prædestinatione: quæ fuisse inter eos maxima controuersia capita notum est. Quis ergo non videt, nimis pueriliter Pighium ineptire?

Ad vitale  
Epi. 107.

Verum magis vrget alter locus, ex primo libro de gratia Christi, & originali peccato: ubi nullam fore questionem asserit, si Pelagius, quemadmodum posse nostrum à Deo confitetur, ita velle etiam & agere simul adderet: hoc est, non solum possibilitatem in homine: etiam si nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem & actionem, id est, ut bene velimus & bene agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando vult & bene agit, diuinitus adiuuari agnosceret: ut sine illo adiutorio nihil bene velimus, nec agamus: eamque esse gratiam Christi: per quam nos sua, non nostra iustitia, iustos facit: ut ea sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est. Hæc enim sunt Augustini verba, nõ ut à Pighio referuntur. Hic mihi vehementer scilicet sudandum est, ut hunc nodum expediam. Sed iam facilimam rationem inueni. Fateor enim verum esse quod dicit Augustinus: ac si de tribus istis inter nos bona fide conueniat, non modò certamen omittere paratus sum, sed nego vllum esse. Possibilitatem adiuuari Dei gratia, fatebatur Pelagius: voluntatem verò & effectum penes hominem esse dicebat. Quamquam eum in possibilitatis voce fallendi latebram querere arguit Augustinus, non tamen etiam si fucus ille tollatur, eo contentus est: sed hoc constanter tuetur, voluntatem Dei gratia bonam fieri, & efficaciter nos dirigi, ad effectum vsque boni operis. Non solum posse nostrum, inquit, donauit atque adiuuat Deus, sed velle quoque & operari efficit in nobis. Non quia non volumus nos, aut non agimus, sed quia vtrunque fit eius auxilio. Quid autem hoc valeat, ex capite decimo quarto melius intelligetur. Si est, inquit, ut veritas docet, omnes venire, qui à Patre didicerint: quisquis non venit, profectò nec didicit. Postea: Quando igitur docet Deus, non per Legis literam, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendòque perficiat. Et isto diuino docendi modo, etiam voluntas & operatio, non sola volendi & operandi possibilitas adiuuatur. Si enim solum posse nostrum iuuaretur per gratiam, ita diceret Dominus: Omnis qui audiuit & didicit, venire potest. Non autem hoc tantum, sed venire, dicit. Venire posse, constituit in natura Pelagius: vel etiam in gratia, qua dicit adiuuari possibilitatem ipsam. Venire autem, in voluntate & opere est. Porro non est consequens, ut qui potest venire, etiam

Cap. 15.

veniat, nisi voluerit atque fecerit: sed omnis qui didicit à Patre, non solum potest venire, sed venit: ubi iam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est. Quid Pighius amplius velit, aut requirat? Dico me hanc passionem toto animo amplecti, ut nulla sit inter nos contentio, hac inter nos constituta doctrina. Quid ipse? Totum hominis defectum in possibilitate includit. Hanc quoque sic Dei gratia fingit adiuuari, ut voluntas, si velit, possit: ab efficaci gratia operatione, tanquam à periculosissimo scopulo, vel potius, presenti naufragio, abhorret. Qui autem illustre fidei & candoris eius specimen habere volet, diligentius expendat, quid in hoc loco immutauerit.

Nihilo plus difficultatis habet locus, quem ex tertio hypognosticon adiungit. Liberum arbitrium negari, prohibet ille scriptor. Neque enim Augustinum esse, eruditi omnes censent. Sed quid retinet præter nomen, cum inutile esse testetur sine Dei gratia, tam ad inchoandum, quam perficiendum bonum? cum asserat non præueniri Deum voluntate nostra, ut queramus eius gratiam, sed eum gratuita misericordia efficere in nobis bonam voluntatem? cum denique nihil homini relinquat, nisi ut in Deo fortis sit, sapiens ac iustus, in seipso nihil horum habeat? Vbi in re optimus nobis consensus est cū hoc scriptore, cur ob voculam nos in certamen committit Pighius, quasi per omnia disideremus? Semper me dixisse testis est mea Instinctio, per me non stare, quin liberum hominis arbitrium vocetur, modo sana verbi definitio nobis constet. Sic vocat Augustinus, neque in eo tam proprium sensum, quam receptam consuetudinem sequitur. An ob hanc causam nobis hunc molestum esse decet? Quod ex varijs Augustini locis colligamus, nullas eum partes, nullam arbitrio facultatem tribuere: in eo stupiditatem oscitantiamque nostram mirari satis non potest. At quò redit quicquid dicimus? nisi primum quod est, aut habet, aut potest homo, vanum per se id totum & inutile esse ad spirituales Dei iustitiam, nisi Dei gratia in bonum dirigatur: deinde, voluntatem hominis per se malam esse: conuersione ergo & reparatione opus esse, ut bona esse incipiat: ipsam verò gratiam, non instrumentum modò esse, quo adiuuetur homo, si illi manum porrigere libeat: hoc est, non tantum offerre facultatem, recipiendi vel respuendi relicta optione, sed mentem gubernare, ad eligendum quod rectum est, voluntatem quoque ad obtemperandum mouere efficaciter, conatum excitare & promouere, ad ipsum vsque operis complementum. Deinde, non sufficere, si semel in hominē collata fuerit, nisi perpetuo tenore cum prosequatur. Quid autem Augustinus? Iam quidem multa retulimus, plura quoque post hac referre operæ pretium erit: ut tamen ab illa admiratione paululum se recolligat Pighius, ex vno loco breuiter hinc audiat nihil sibi mirum videri, quod non ille suffragio suo comprobet. Sed laborant, inquit, homines, in nostra voluntate inuenire, quid boni sit nostrum, quod non sit ex Deo: & quomodo inueniri possit, ignoro. Ratio. Nam si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona, vel mala: bona autem voluntas ex nobis est: melius est id quod à nobis, quam quod ab illo habemus. At negat Augustinus, tam gratiam sine libero arbitrio, quam liberum arbitrium sine gratia sufficere. Fateor, sed non alio sensu, nisi ut Deum in homine, non sicut in lapide, operari significet: quando in eo sit voluntas, ad volendum nata & disposita, ut loquuntur: sed voluntatem, quæ naturæ vitio praua sit & contorta, in bonum flectendo, bonam reddere. Perinde ergo est, ac si diceret, bene

bene velle non posse hominem, nisi antè in eo sit voluntas, eaque spontanea. Hoc cum à natura habeat, illud à gratia, merito dicit Augustinus, sine libero arbitrio non esse locum gratiæ. Quid enim valeat apud eum liberi arbitrii nomen, iam visum est. Hoc si clarius exponi tibi velis, sic habe: instar materiæ esse in homine voluntatem, quæ gratiæ operationi subiecta sit, vt ab ea formam accipiat. Ita voluntatem, cum spontaneo motu, sequitur à natura esse: malitiam ex naturæ corruptione manasse: bonitatem à gratia Spiritus sancti proficisci: itaque proprium esse eius opus.

Quæ sequuntur apud Pighium, tumultuosæ sunt phrenetici hominis voces. Quoniam negat Augustinus, ea se damnare liberi arbitrii opera, quæ vt fiât, præparantur per gratiæ præuentum, nullo liberi arbitrii merito, eaque faciente, gubernante, perficiente, fiunt, insultat hic quasi victor, & meam, tum stultitiam, tum pernicitiam increpat, quòd nihil discernam. Egone hunc phreneticum non dicam, qui reclià iugulum suum petit, dum hostem ferire se putat? Liberi arbitrii nomen, de quo superuacua altercatio esset, omittamus. Ea demum bona opera & laude digna pronuntiat Augustinus, quæ Dei Spiritu, vt fiant, præparantur: idque fieri gratiæ præuentu, nullo voluntatis merito. Si Dei gratia præuenitur nostra voluntas, nullo suo merito, vbi bonus motus & præparatio, quam Pighius comminiscitur? Si facit, gubernat, perficit eadem gratia in nobis, quicquid est bonorum operum, quid adhuc litigamus? Intonat Pighius clamosa voce, vt hoc audiam. Ego vero libenter, & audio, & profiteor. At liberi arbitrii esse bona opera asserit Augustinus, quod negamus. Egone voluntaria esse bona opera vnquam negavi? At nullis libero arbitrio partes in bonis operibus tribuo. Nullis sanè, nisi vt agat, dum agitur, quia per se nihil potest: quod si Augustini verbis non est consentaneum, neque ouum ovo simile est. At Augustinus sanctos bonis operibus censet: Ego opera qualiacunque sint, ad eò ad consequendam iustitiam valere nego, vt impia sint, si hunc habeant respectum. Respondeo, huic discerati non esse nunc locum: vnde homines iustitiam, coram Deo, consequantur. Quod autem ad presentem questionem attinet, prorsus nobis vni illud sancti viri verbum facit. Nam quoties gratuitam esse hominis iustitiam probare vult, hanc rationem subinde in ore habet: nos Dei iustitiæ obedire, non per liberum arbitrium, quod natum est in nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Iam ad tertium ordinem operum Augustini nos vocat Pighius: quo tamen antequam veniat, pœanas sibi canit, quasi iam parto triumpho: nec alia de causa certare se adhuc fatetur, nisi vt promisso satisfaciat. Sic forte sibi persuaserat, cum solus sua, sine alterius censura & animaduersione, legeret. Nunc vbi nostris legerit, agnoscet, vt spero, se plausum nimis ineptum ac præcipientem sibi didisse. Allegat ex secundo ad Marcellinum libro, de peccatorum meritis & remissione, quid in Pelagianis reprehendat Augustinus: nempe, non quod liberum arbitrium statuunt, sed quòd nimis erigant. Verum iam sapius dictum est, quàm vt repetere opus sit, ideo liberi arbitrii nomen concedere hostibus solitum, ne ob vocem passim receptam morositas inuidiam subiret. Aliud ergo asserat oportet, si premere nos velit. Nec se, nec quenquam dubitasse orthodoxorum testatur, quin nemo peccet, nisi liberè volens. His subscribimus nos quoque, si liberè, pro sponte, positum interpreteris, vt mens scriptoris fuit accipere. Sequitur postea: & quòd Deus mi-

hil præceperit, quod non sit in potestate nostra situm. Nempe, si sana esset voluntas, ut quicquid habet virium, ad Legis obseruantiam applicaret: sicut ipse idem respondet, de perfectione iustitiæ. Nunc verò cum prorsus corruptæ sint totius animæ facultates, & ad bene agendum inutiles, non amplius in nobis querenda, sed è cælo petenda est potestas illa, quæ Legis iustitiæ sufficiat. Hæc non mea, sed ipsius Augustini verba sunt. At semper adiuvandi verbo utitur: quo videtur innuere, non ipsum agere omnia, sed nobis partes in agendo aliquas relinquere. Primum aut non animaduertit, aut animaduertere se dissimulat hic nugator, Augustinum in illis libris non ex instituto tractare, quid sit, aut quidnam valeat liberum arbitrium, sed obiter eius facere mentionem. Illic enim primum queritur, utrum ex nature necessitate sit mors, an ex peccati pœna. Deinde, an inueniri quispiam hominum possit <sup>an quæritur</sup>: id est sine peccato. Vnde & de peccato originali nascitur tertia questio. De libero igitur arbitrio, non quantum ad expediendam totam questionem satis sit, sed quantum occasio ferebat in alterius arguementi tractatione, illic dicit. Ad hoc, si clausulam inspicias, nihilominus comprehendit, quàm quod tradimus: Dei scilicet esse, implere per gratiam, quod per Legem iubeat. At postea excipit, non solis votis agendum esse. Nempe, ut deliræ & impiæ eorum imaginationi occurrat, qui Deum in homine sicut in lapide, hoc est, sine intrinseco, ut ita loquar, voluntatis eius motu, operari fingunt. Postremo, si memnerint lectores, quas ex eodem libro sententias nuper retuli, Augustinum agnoscant longè plus in progressu exprimere, quàm hic attingat. Neque enim de adiutorio Dei solum loquitur, quasi ita nos adiuet Deus, ut conuertamus nos ipsi, dum ab eo conuertimur, sicut Pighius mentitur, sed vnius Dei opus in solidum esse asserit, tam mentis, quàm voluntatis rectitudinem: seque fatetur ignorare, quid omnino possit in hominis voluntate boni inueniri.

Quæ ex libro de Spiritu & Litera adducit, non longa expositione indigêt, si candidum habeant interpretem: hoc est, dissimilem Pighio, qui nullum non mouet lapidem, ut bene dicta, pessimis calumnijs deprauet. Augustinus fidem in libera nostra potestate constituit: ut pote quæ à voluntate nostra pendeat: quia libero arbitrio, aut tendere ad fidem possumus, aut ad infidelitatem inclinare. Si tota disputatio sic clauderetur, haberet, fateor, Pighius insolescendi materiam. Sed cum potestatem hanc singulari Dei dono conferri nobis, non ex libero arbitrio surgere simul testetur: credendi quoque voluntatem, non nature bonitate concipi, sed fieri ac formari per Spiritum sanctum: nonne iam elicere promptum est, quid superioribus illis verbis sibi velit? Nempe, tunc nostram esse & potestatem, & voluntatem, cum vtraque nobis data fuerit: sicut docet, eius operis capite nono, de iustitia & fide loquens. Vtrunque, inquit, nostrum est: sed ideo Dei & Christi dicitur, quòd eius nobis largitate donatur. Quòd autem, adhibita inter posse & velle distinctione, hanc formulam negat in Scriptura inueniri, quòd non sit voluntas nisi à Deo: sicut de potestate loquitur, nobis per omnia suffragatur. Causam enim mox subiungit: ne quis scilicet malas voluntates Deo adscribat. Cæterum, bonam Deo voluntatem, sicut à Deo efficitur, ita ritè ac meritò illi tribui, concedit. At sic inter Deum & hominem partitur, ut consentire Dei vocationi, vel ab ea dissentire, in libero voluntatis motu situm esse dicat. Contexequod statim sequitur apud Augustinum, quòd malitiosè subtricit Pighius, & solu

erit nodus. Si quis me, inquit, ad profunditatem illam coarctet, cur ita suadeatur huic, ut persuadeatur: alteri autem non ita, duo habeo, quæ respondeam: O altitudo diuitiarum: & Non est iniquitas apud Deum. Cur hoc addit, nisi quia ille quoque consensus, quem in hominis potestate collocauerat, opus esse Dei agnoscit? Parum enim proficeret Deus, voluntatem nostram excitando, nisi eam ad firmum usque consensum dirigeret, ac perduceret. Quanquam nec se tandem continere potest Pighius, quin nos ipse quoque subleuet. Errasse, inquit, se fatetur Augustinus, quia nostræ esse facultatis putauerat, Euangelio consentire. Quid ergo causa est, cur negotium nobis facefferat? quasi propria hæc esset liberi arbitrii facultas. Secundum hanc igitur confessionem, inclinatur cor nostrum Deus, ut consentiamus Euangelio. Consensus ille merito noster dicitur: sed non ita, ut intelligatur esse à nobis. Sic alibi: Ista est fides, quam exigit à nobis Deus: & non inuenit quod exigit, nisi donauerit quod inueniat. Agedum, illud quod in clausula ponit Pighius, sine fuculo amplectamur: ita nos asserere arbitrii libertatem, ut tamen nihil nobis ex nobis inesse confiteamur: & pax inter nos constabit. Sed quia toto impetu ad faciendum fucum rapitur, quid hoc valeat, non animaduertit.

Sed obijcit aliam sententiam, ex homilia in Ioannem liij. tametsi locum non designat. Nemo sic audeat defendere liberum arbitrium, ut inuocandum neget gratiæ auxilium: nec quisquam sic neget voluntatis arbitrium, ut quod inde necessario consequitur, audeat excusare peccatum. Sed quo iure Pighio licuit, parenthesin hanc attexere de suo, ac sic inserere contextui, ut pars esse videretur? Qua necessitate magis se quitur, excusari peccatum, si liberum arbitrium negatur, quam tolli gratiæ auxilium, ubi statuitur? Periculum est, ne liberum arbitrium asserendo, iniuria fiat Dei gratiæ: rursum ne, id quoque negando, pretextus excusationi impiorum detur. Vtrunque cauendum admonet Augustinus, sicut nos diligenter admonemus. Si necesse est, authore Pighio, ubi liberum arbitrium negatur, excusari peccata, cur Destruui Dei gratiam minus necesse erit, si asseratur? Hoc si suo nomine dixisset, iuberem cum suis ineptijs procul faceffere. Nunc cum Augustino affinxerit, cur non falsarium nominem? Porro falsam hæc adiectionem tolle, quid illic est, quod nobis aduersetur? Caueri vult Augustinus, ne impijs detur aliquis pretextus, ad excusanda peccata. An non hoc sedulo obseruamus? Nam & sponte dicimus peccare, quicumque peccant: eoque ipso conuictos teneri, ne se à reatv eximant. Iusto Dei iudicio damnari, qui eius iustitiam violauerint, cui subiectos esse nos omnes decet: naturæ verò imbecillitatem aut impotentiam frustra pretextere, cuius sibi culpam imputare debeant. Itaque quod perperam in nos torquere Pighio libuit, nos non parum adiuuat. Nam cum hac exceptione contentus sit Augustinus: nobiscum illi bene conuenire, quis non videt? Præstamus enim fideliter, quod requirit: dum, hac moderatione adhibita, ne peccata sua excusent homines, liberum arbitrium negamus. Sed formidabilem machinam habere se Pighius putat, ex libris, quos ad Valentinum scripsit idem Augustinus. Nam cum suspicarentur tunc multi, defendi liberum arbitrium non posse, sine gratiæ iniuria: ad hunc errorem refellendum, prior, inquit, ad Valentinum liber à sancto viro scriptus est: ubi suam de gratia & libero arbitrio doctrinam sic temperat, ut simul conueniant. Nã & in ipso libri exordio sufficienter prædicari in Scripturis liberum arbitrium, quasi pro confesso sumit: & id postea, tam ex præceptis, quam alijs rationibus probat.

Faciam hinc, quod hactenus solitus sum. Nemini enim alteri aptius, quam Augustino ipsi, mandari posse has partes existimo, ut menti suam interpretetur. Quid ergo cum homini liberum arbitrium tribuit, sub hoc nomine comprehendat, postea definit his verbis: *Voluntas, inquit, in homine semper est libera: sed non semper bona. Aut enim à iustitia libera est, quando seruit peccato: & tunc est mala. Aut à peccato libera est, quando seruit iustitia, & tunc est bona. Gratia verò Dei semper est bona, quæ prius mala fuerat: per quam etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit, augeatur. Habemus, non alia causa liberã dici voluntatẽ, nisi quia spontaneo mouetur affectu. Pighius autem longè aliud requirit: ut scilicet liberam habeat vel boni, vel mali eligendi facultatẽ. Libera est, inquit Augustinus, quia sponte mala. Pighius liberam esse contendit, quia libera in vtrâq; partẽ electio nis sit capax. Vis ergo breuiter scire, quo sensu liberam arbitrium cum gratia coniungat? Tribus verbis tandem in fine libri respondet. Quia per gratiam non tollitur humana voluntas, sed ex mala mutatur in bonam: & cum bona fuerit, adiun-  
 tur. Iam audis, homini quidem natura subesse voluntatem, sed malam, & quæ bona esse per se nequeat, nec ad bonum aspirare: gratia autem Dei non tolli, ut nõ sit: sed corrigi, & ex mala conuerti, ut bona sit. Non vereor, ut qui librum totum diligenter, & adhibito iudicio, legerit, dubitet an sententiam secundum me ferre debeat. Quoniam tamen non omnibus vacat legere, pauca eius verba inde referã, ex quibus fiat perspicuum, quantum facultatis concedat humano, quod illic defendit, arbitrio. Fingimur, inquit, id est formamur in operibus bonis, quæ non præparauimus ipsi, sed præparauit Deus, ut in illis ambulemus. Quis porro sit formandi modus, sequitur. Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Ut ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illis, vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus. Sed fortè præparatur aliquo modo ad recipiendam hanc gratiam hominis voluntas. At mihi verò, inquit ille: Nunquid enim dicere possumus, bonæ voluntatis meritum in homine præcessisse, ut auelleretur ab eo cor lapideum? quod non significat nisi durissimam voluntatem, & aduersus Deum omnino inflexibile est. Vbi autem præcedit bona voluntas, iam non est utique cor lapideum. At voluntatem forte mouet eatenus Dei gratia, ut ad bonum duntaxat flexilis sit, non autem efficacem in ea affectum excuat. Inò, inquit ille, à Domino petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum quidem est, nos velle cum volumus: sed ille facit, ut velimus bonum. Certum quidem est, nos facere cum facimus: sed ut faciamus, ille facit, præbendo vires efficacissimas voluntati: sicut dicit: Faciam ut in præceptis meis ambuletis. Sed tamen, dicit quispiam nos, accepta prima gratia, Deo cooperari, inquit: Nempe quia nostra est, quæ Spiritus sancti virtute iam bona facta est, voluntas: & per eam nos agimus, acti prius à Deo: nihil mirum, si nobis pars actionis tribuitur. Proinde dum concludit, Deum fidelibus redditurum dicit, & bona pro malis, hoc est gratiam pro iniustitia: & bona pro bonis, id est, gratiam pro gratia. Hic intelligimus, quid sit, Deum sine nobis agere: nèpe cum ex lapideis Abraham filios facit, & refectos ex syluestri ac infructuosa olea surculos in pingue ac fœcundam oleam inserit. Nihil enim illic est nostrum. Quid deinde significet nobiscum agere: nempe, dum illam, quam nobis contulit,*



virtutem perpetuò auxiliū sui tenore adiuuat, promouet, confirmat tum ad cuiusque operis effectum, tum ad vltimam vitæ perseuerantiam. Vel si elegantem illam Pauli similitudinem retinere libeat, dum oleas, iam ad fecunditatem faciās, cœlesti calore suo vegetat, rore humectat, quò fructum ferant. Et certè in hac similitudine, omnium Pighij cauillationum facilis est ac expedita solutio. Oleas tri natura sumus, nihili & steriles. Hanc sterilitatem nobis auferit Deus, & idoneas ferendo fructui oleas facit, dum nos in vitæ nouitate regenerat. Siquidem & mentem nostram, cœcā & in tenebris sepultam, luce veritatis illustrat: & voluntatem ex natua prauitate in obedientiam Legis suæ reformat. In eo quid est, quod arrogare nobis possumus? Postquam autem Spiritu sanctitatis gubernari cœpimus: iam olea sumus, & virides, & viuæ, & pinguedinem ex bona radice trahentes. Sponte ergo iam ad ferendum fructum propensi sumus. Verùm, an id ex nobis est, vt vel minimum gloriari liceat? Totum ex radice est. Radix purò ipsa, non natura, sed gratiæ. Et tamen ne id quidem sufficit, nisi continuum è cœlo vigorem Deus subministrat.

Cùm tam euidenter pro nobis loquatur Augustinus toto opere, quid aliud sunt magni illi & sonori Pighij clamores, quibus victoriam suam celebrat, quàm ridicula puerorum crepitacula? Sic gratiam Augustinus prædicat, vt libero tamen arbitrio suas relinquat partes. Atqui de nomine certamen illi remisit. Nunc igitur quantum libero arbitrio largiatur facultatis Augustinus querendum erat, non in nomine insistendū. Nullum, inquit, peccatum est, nisi voluntarium. Quorsum hoc? nisi vt suspicionem indoctis faciat, qui nostra non legunt, aliter nos docere, cùm hoc ips. m verbum in lucubrationibus nostris identidem occurrat. Imputare, inquit, sibi quisque debet quod peccat. Et quid sibi ea volunt, quæ antè ex mea Institutione retulit? Merita, inquit, nostra coronantur: si quidem intelligas esse Dei dona. Mirum, nisi saniores ex Romanensibus hinc eum præuicari suspicentur: quando causam nostram non aliter quàm si nobis conductus foret, agit. Verùm quia in locum nimis sibi lubricum & periculosum se venisse sentit: retrahit mox pedem, & aliam viam ingreditur. Transit enim ad alium librum, qui sub Augustini nomine extat inter eius opera, habetque inscriptionem, De dogmatibus Ecclesiasticis. Facit autem id pro solito suo candore, quò sancti viri titulo abutitur, in citando opere, quod supposititium esse non minus ipse nouit, quàm qui nunc à me admoniti agnoscent. Primum, cùm omnium operum suorum se catalogum in Retractionibus texuisse proficetur Augustinus, de hoc opere nulla mentio. Ad hoc cùm sit vbiq; in suis scrip̃is methodi studiosissimus, opusculum illud mixtam & confusam variarum rerum farraginem, sine ordine coacervatam, continet. In hac præsentī quæstione dum versatur, nihil aliud quàm diuersa hinc inde testimonia colligit. Innocentium Papam Romanum magistrum vocat: qui longo post Augustinum temporis spacio Episcopus creatus fuerat. De Aphricanis Synodis Mileuitana & Carthaginensi, sic loquitur, quasi nunquam illis interfuisset: cùm certum sit, Augustinum consilio & authoritate illis præfuisse. Imò quas ex Augustino & eius æqualibus sententias sumit, antiquorum Patrum definitiones nominat. Quanquam ineptus sum, qui in re nequaquam obscura tantum verborum consumam: nisi quòd id saltem proficio, vt Pighij impudentiam nemo non videat.

Nunc audiamus, quid cum larvato illo Augustino obtinere velit: Vt sci-  
ant, inquit, heretici, non ex priuato eum sensu liberum arbitrium asserere, sed ex  
definitione Ecclesiastica: cui contradicere nemo piorum ausit. Itane verò, vt tan-  
tùm ponderis habeant incogniti hominis, nihil dico nuuc grauius, vndeunque te-  
merè congestæ rhapsodiæ? Sed quatenus libertas illic prædicatur? Vt nobis post la-  
psum maneat in vtranque partem electio: hac tamen exceptione addita, vt non va-  
leat, nisi admonente Deo, & ad salutem inuitante: secundò, vt acquiescere Dei  
in inspirationi, nostræ sit potestatis: tertio, vt non labamur in adepto salutis mune-  
re, sollicitudinis nostræ, & cœlestis pariter sit auxiliij. Quid si ipse sibi scriptor  
paulò post non constet? Nam quod ex Mileuitana Synodo recitat: si quis Deum,  
vt à peccato purgemur, expectare nostram voluntatem sentiat, & non potius, vt  
purgari velimus, in nobis efficere, eum resistere Spiritui sancto: minimè cum illa  
electionis libertate conuenit. Item quod dicit, agere Deum in nobis, vt quod vult,  
velimus & agamus, prorsus ab eo dissentaneum est, quod dixerat, acquiescere, no-  
stræ esse potestatis. Nam altero loco, efficacis Spiritus sancti operatio prædicatur:  
altero, boni aut mali eligendi duntaxat facultatem offerri per gratiam, dicitur.  
Illa autem tria quantum absint à mente Augustini, iam partim visum est, & co-  
piosius adhuc videbitur. Conclusionem demum ponit ex quadam ad populum conci-  
one, quæ Augustino adscribitur: an autem eius sit, relinquo alijs iudicandum, & si  
minimè Augustini ingenium sapere mihi videtur. Sanè, aut quòd eius non sit, aut  
quòd ab eo adhuc iuvene habita fuerit, etiam ex his quæ Pighius adducit, verbis  
coniecturam non penitus leuem capere licet, quòd cum duas contrarias sectas pone-  
ret, quæ nimum huc aut illuc declinando errent: & in vna parte Manichæos lo-  
casset: in altera non Cœlestinos aut Pelagianos, sed Iouinianum statuit. An, quæ-  
so, Pelagianos omisisset, quibus tam acriter semper est infestus, & quos magis  
neccesse erat apud populum referre, si tunc extitissent? Non enim Africani Ec-  
clesiæ eo tempore molestus erat Iouinianus: sed Pelagianorum fama simul & impi-  
etas totum ferè orbem peruagata erat. Quamquam sine hac quoque coniectura ser-  
mo ipse prodit, se Augustini nomen mentiri. Verùm vtcunque sit: audiamus id  
quod habet. Vt liberum, inquit, hominis arbitrium confiteamur: dicimus, nos &  
non peccare, & peccare posse. Respondeo, hunc, quicumque sit, si arbitrij viribus  
intelligat, hominem posse non peccare, non mihi, sed Augustino ipsi pro heretico  
haberi. Sin verò per Dei gratiam, sciunt eruditi & in Augustini lectione exer-  
citati, qualiter vir ille de possibilitate disputare soleat. Quoniam enim Dei po-  
tentia eum derogare calumniabantur Pelagiani, Deum qui dem posse confitetur,  
si velit, sed nullum exemplum tale vel extitisse, vel debere expectari: quoniam a-  
liter Scriptura pronuntiet.

Postquam tam certis demonstrationibus me conuicit Pighius, triūphale ite-  
rum tripudium agit. Nec mirum sibi enim intus ac suis musis canit: vel saltem con-  
tētus est, si plausum habeat à paucis sui similibus, qui cum Dei veritatem subuerti  
iam posse desperant, qualescunque ad impediendum eius cursum remoras vndique  
querunt, & inuentas cæco furore exosculantur. Sed rem totā clarius à me pate-  
factam confido, quàm vt apud eos, qui sanum ad hanc disputationem legendam iu-  
diciū afferent, & mentem quietam ac compositam, flatuosus illis suis iactantijs,  
vel minimum proficiat. Satis enim superque eius fucos diluisse mihi videor: qui-  
bus

bus Augustinum pinxerat, ut nobis contrarius videretur. Nunc verò hoc quoque à me quasi auctarium fortassis requirent aliqui, ut quod gloriatus sum de Augustino, illum prorsus nostrum esse, nunc plenius & pluribus testimonijs confirmem. Qua in re præstanda non tam difficultate quam prolixitate impediatur. Nam si omnia colligere instituam, que factura sint ad sententiæ nostræ confirmationem, si adducerentur: longum ex his volumen mihi texendum foret: & toti etiam ferè libri interdum inferendi. Quid enim aliud quatuor ad Bonifacium libri, duo ad Prosperum & Hilarium, duo item ad Valentinum continent? quid liber de natura & gratia, alter item de perfectione iustitiæ? quid libri tres ad Marcellinum? quid totidem circiter Epistolæ quot nominavi libros? nisi genuinam, eamque perpetuam doctrinam nostram explicationem? Verum, ne videar, more aduersarij, sola iactantia causam obtinere velle simul ut eorum desiderio ex parte satisfaciam, qui cum nostram cum Augustino consensionem videre cupiant, otium vel facultatem non habent omnia perlegendi, compendium ex paucis locis confectum subiiciam, quod omnem de ea re dubitationem tollat. Eligam autem eos libros potissimum, quibus plurimum authoritatis concedit Pighius: ne ubi conuictus fuerit, ad cauillum illud, sicut solitus est, confugiat, Augustino multa inter disputandum calore excidisse, quibus ne ipse quidem author fidem haberi velit. Eos ergo libros, qui se dato iam disputationis feruore scripti fuerunt, fidelissimos esse testes fateatur, quid senserit Augustinus, & certò recipi voluerit. Quare si in his demonstrauero, nobiscum illi conuenire, sine controuersia, etiam aduersarij confessione, vicero. Primum dicimus, hominis mentem cacitate percussam, ut ad veritatis notitiam peruenire ex se nullo modo queat: dicimus voluntatem prauitate corruptam, ut nec Deum diligere, nec eius obedire iustitiæ possit. Vtrunque Pighius improbat. Prodeat nunc in medium Augustinus, velut arbiter. Libro de Sanctorum prædestinatione, se aliquando fuisse in eo errore confitetur, ut nostrum esse putaret, audito Evangelio consentire: sed postea illis Pauli verbis conuictum, ut opinionem mutaret: Quid habes quod non acceperis? Proinde fidem, & inchoatam, & perfectam, concludit donum esse Dei: cum ne cogitare quidem aliquid boni in nostra sit potestate: quod tamen multo minus est, quam credere. Ne verò huic tergiversationi relinquatur locum, ideo donum esse gratiæ fidem, quia generali inspiratione omnes ad credendum inuitet Deus & excitet, occurrit ipse, dum addit, dari quibusdam hoc donum, & alijs non dari. Quòd si discutiat, & queratur, unde quisque sit dignus, non desunt, inquit, qui dicunt voluntate humana: nos autem dicimus, gratia & prædestinatione diuina. Sed Deus fidem ab hominibus exigit. Fateor, inquit, nihilo tamen minus est Dei donum. Nam promittit simul illis facturum se, ut faciant, quod fieri iubet. Quoniam autem proprio motu, ad recipiendam Dei gratiam preparari hominem vulgò imaginantur: quod etiam Pighius fortiter defendit, ad hoc respondet. Hanc cogitationem refellit Apostolus dicens: Quid habes, quod non acceperis? A quo, nisi ab illo, qui te discernit ab alio, cui non donauit quod tibi? Atque huius rei in Paulo ipso documentum profert. Auerfus, inquit, à fide, quam vastabat, citique vehementer aduersus, repente ad illam, gratia potiore, conuersus est: ut non solum ex nolente fieret volens credere, verum etiam ex persecutore paratus ad persecutiones ferendas. Item. Cum Deus se facturum promittit, ut faciant homines quod præcipit, non tacet etiam merita eorum, sed mala: quibus ostendit

dit, reddere se bona pro malis, hoc ipso, quod eos deinceps facit habere bona opera. Postea: Est etiam clarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Mediator Dei & hominum, qui ut hoc esset, quibus tandem suis, vel fidei, vel operum meritis, natura humana, qua in illo est, comparauit? Quod eius bonum, qualecunque, præcessit? Cum sim homo, quod & ille est, cur non sum, quod ille, Filius Dei? At ille gratia talis ac tantus est. Cur diuersa est gratia, ubi natura communis? Appareat nobis in capite ipse fons gratiæ. Ille quippe nos credere fecit in Christum, qui nobis fecit in quem credimus Christum: ille facit in hominibus principium & perfectionem fidei in Iesu, qui fecit hominem, principem fidei & perfectiorem, Iesum. Item: Ergo sicut elegit nos, ita vocat: secundum placitum voluntatis suæ: ne in tanto beneficio, placito gloriemur voluntatis nostræ. Item: Attendant quo modo falluntur, qui putant esse à nobis, non dari nobis, ut petamus, queramus, pulsemus, & hoc esse dicunt, quo gratia præceditur merito nostro, ut sequatur illa, cum accipimus petentes, inuenimus quærentes: nec volunt intelligere, hoc diuini esse muneris, ut petamus, queramus, atque pulsemus. Sed quæritur, an non homini naturaliter inhæreat boni aut mali eligendi libertas? Respondet: Liberum arbitrium, & ad malum, & ad bonum faciendum, confitendum est nos habere: sed in malo faciendo liber est quisque iustitiæ, seruusque peccati: in bono autem, liber esse nullus potest, nisi fuerit antè à Filio Dei liberatus. Ita sola Dei gratia liberantur homines à malo: siue hac nullum prorsus, siue cogitando, siue volendo & amando, siue agendo, faciunt bonum: non solum ut monstrante ipsa, quid faciendum sit, sciât, sed ut ea præstante, faciant cum dilectione, quod sciunt. Atque hoc deinde breuius explicat. Voluntas, inquit, humana, non libertate cõsequitur gratiam, sed gratia potius libertatem. Et priore ad Valentinum libro dixerat: Semper in nobis voluntas est libera: sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera est, quando seruit peccato, & tunc est mala. aut à peccato libera est, quando seruit iustitiæ, & tunc est bona. Gratia verò Dei semper est bona: & per hæc fit, ut sit homo bonæ voluntatis. Sed fortè lucẽ offert hominum mentibus, quã recipere, aut respuere, in earum sit optio: & ita mouet voluntates, ut earum sit, motum sequi ipsius, aut non sequi. Ad hoc respõdet: Si operatur Deus fidem nostrã, miro modo agens in cordibus nostris, ut credamus, nunquid metuendum est, ne totum facere non possit? & ideo homo primas eius sibi vendicat partes, ut secundas à Deo accipiat. Item: Nolenstam claris testimonijs, quibus fides Dei esse donum asseritur, & tamen volens à seipso sibi esse quod credit, quasi cõponat cum Deo, ut partem fidei sibi vendicet, atq; illi partem relinquat: & quod est superbius, primam tollit ipse, sequentem dat illi. Vides ut nullo modo inter Deum & hominem dimidiet vel partiatur, sed solidum Deo concedat. Verum postea exponit longè clarius: Quid est ad Christum venire, nisi in Christum credere? Hoc ut fiat, Pater dat. Quid est enim, Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me? nisi, nullus est, qui audiatur & discatur à Patre, & non veniat ad me. Si enim omnis qui didicit à Patre, venit, profecio is qui non venit, non didicit. Paulo post: Hæc gratia, quæ oculis humanis cordibus tribuitur, à nullo duro corde recipitur. Ideo quippe datur, ut cordis duritia primitus auferatur. Item: Absit ergo, ut non veniat, qui à Patre didicit. Sed quare, inquit, non omnes docet? Si dixerimus, quia nolunt discere, respõdebitur: & ubi est illud? Domine tu conuertens viuificabis nos. Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, quid

De cor-  
rept. &  
gratia ad  
valen.

quid orat Ecclesia pro persecutoribus suis? Cum ergo prædicatur Euangelium, quidam credunt, quidam non credunt. Sed qui credunt, prædicatore forinsecus sonante, intus à patre audiunt, atque discunt. Qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt: hoc est illis datur ut credant, his non datur. Quod apertius etiam postea declarat: Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Item: Nisi cui datum fuerit à patre meo. Ergo trahi ad Christum, & audivere ac discere à Patre: nihil aliud est, quàm donum accipere credendi. Neque enim audientes à non audientibus, sed credentes à non credentibus discernit, qui dicit: Nemo venit ad me, nisi datum ei fuerit. Fides igitur, & inchoata, & perfecta, est donum Dei. Item: Promisit Deus, quod faciurus erat ipse, non quod homines. Quia & si faciunt homines bona, quæ pertinent ad Dei cultum, ipse facit, ut illi faciant quæ præcepit: non illi faciunt, ut ipse faciat quod promisit. Alioqui, ut Dei promissa compleantur non in Dei, sed hominum est potestate. Item: Cum sic loquitur Deus: Timorem meum dabo in cor eorum, quid aliud est, quàm talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhæreant? Item: Certum est, nos mandata servare si volumus: sed quia præparatur à Domino voluntas, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut faciamus. Certum est nos velle, cum volumus: sed ille facit, ut velimus bonum. Certum est, nos facere cum facimus: sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. Item: An audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecuram fuisse, si Petrus eam deficere vellet? Quasi aliud vellet Petrus illo modo, quàm pro illo Christus rogasset, ut vellet. Quando igitur rogavit, ne fides eius deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fideliberrimam, fortissimam, in vicissimam, perseverantissimam voluntatem? Verùm, ubi ad primi hominis & posteriorum comparationem descendit, sic concludit totam hanc partem, ut si ieremiam debeat Pighius: aut si porro oblatrare pergat, nihil tamen habiturus sit, quod mordeat. Postquam enim primum integritatis statum, deinde lapsum, & simul poenam lapsus exposuit, hoc est, miseram hanc nostri generis, quæ ex eo consecuta est, damnationem, transitum inde ad reparationem faciens, sic scribit: Quem admodum humanam in Christo naturam, nullis eius proprijs meritis, gratuita sua benevolentia hoc honore dignatus est Deus pater, ut homo in utero virginis conceptus, filius Dei vocaretur. idque hac lege, ut sic à Deo suscepta hominis natura nullum in se motum admitteret malæ voluntatis: ita per hunc Mediatorem Deus ostendit, eos quos sanguine eius redemit, facere se ex malis in æternum bonos. Istam gratiam non habuit homo primus, quia nunquam vellet esse malus, sed habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset: & sine qua, etiam cum libero arbitrio, bonus esse non posset: sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Deinceps: Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret, si vellet: nõ quo fieret, ut vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est Primo Adæ: sed hæc potètiore est in Secundo Adam. Prima est enim, qua fit, ut homo habeat iustitiam, si velit: secunda plus potest, qua etiã fit, ut velit, & statum velit, tantòque ardore diligat, ut carnis voluntatem, contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parva erat: sed hæc tanto maior, ut parum sit homini, per illam reparare perditam libertatem: parum sit denique, non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam fiat, ut velit. Item: Ac

per hoc, ne de ipsa quidem perseverantia boni voluit Deus sanctos de viribus proprijs, sed in ipso gloriari: qui eis non solum dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare, si velint, sed in eis etiam operatur & velle: ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint, & velint, perseverandi eis, & possibilitas, & voluntas, divina largitate donetur. Tantum quippe accenditur Spiritu sancto eorum voluntas, ut ideo possint, quia sic volunt: ideo sic velint, quia Deus operatur, ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ huius ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio gratiæ, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in illis operaretur ut vellent: inter tot ac tantas tentationes, infirmitate voluntas ipsa succumberet: & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent: aut non ita vellent, infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur: & ideo, quamvis infirma, non deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Hicne adhuc obstrepet Pighius, & suum in nos venenum profunderet, quòd Deum asseramus efficaciter hominum agere voluntates? At nos nihil quàm Augustinum sequimur. De perseverantia quoque plus facere verborum superuacuum foret, cum utrunque simul ubique coniuxerit, & efficacem affectum, & perseverandi constantiam. Et prius dixerat, quòd nondum retuli, post primi hominis lapsum, non nisi ad suam gratiã Deum voluisse pertinere, ut homo ad eum accedat: nec nisi ad suam gratiam voluisse pertinere, ut homo nõ recedat ab eo. Utrunque nominat, principium & finem. In utroque ne minimam quidem portiunculam homini relinquit: cum præcipuas illi partes Pighius largiatur. Vnum superest, quicquid vsque ad vitæ finem, nobis gratiæ confertur, gratuito nobis conferri, non retribui gratitudini nostræ, quasi superioribus gratijs bene utendo, hoc ex nobis meruerimus. Hoc sic Augustinus confirmat: Satis dilucidè ostenditur & inchoandi, & in finem perseverandi gratiam, non secundum merita nostra dari, sed donari secundum ipsius secretissimam, eandemque iustissimã, beneficentissimã sapientissimã voluntatem: quoniam quos prædestinavit, eos & vocavit. Quid nunc ad tergiversandum (effugere enim nullo modo potest) obtenderet Pighius? An inutilis ac mancas sententias me decerpere causabitur, quæ Augustini mentem minime demonstrant? At nemo erit, qui non eius improbitati reclamet, si fecerit. An me non fideliter citare? Atqui ad verbum defruxisti. An de industria præterire, quæ mihi aduersentur? Atqui ex quatuor tantum libris, neque his adeo prolixis, hæc omnia excepi: quos perlegere, non magnus erit labor. Poteram undecunque longè plura coacervare: verum, partim compendij studio, partim ut lectoribus sine molestia, aut labore promptum esset recognoscere, quanta fide ac sinceritate veram ac genuinam Augustini mentem explicarim, cedo. Si cui hoc minus satisficiat, in medium prodeant illi quatuor libri: duò ad Valentinum: quorum alter de gratiæ & libero arbitrio, alter de correptione & gratiæ inscriptus est: duo item ad Prosperum & Hilarium: quorum vnus est de prædestinatione sanctorum, secundus de bono perseverantiæ: tum ex illis inter nos iudicium fiat: facile enim patiar, ut tota inde controuersia dirimatur: nec vereor ne id vel minimo causæ nostræ incommodo fiat. An Augustinum dicet hic præteruehi contentionis calore, ut eius fidem, sic extenuet? At hi libri sunt, quibus auctoritatem sine exceptione deferendam agnoscit: & ex quibus solis cerio statui posse, quæ fuerit Augustini sententia, pro-

nuntiat. Quid autem hinc docet Augustinus?

Voluntatem hominis esse quidem liberam, sed non nisi ad malum. Atque hoc illi epitheton non propriè tribui, cum serua sit iniquitatis. Malam enim esse naturaliter: & ideo sub peccati iugo teneri vinciam ac captiuam, donec per Christum liberetur. Hanc prauitatem eò usquè patere, vt non modò nihil boni velle, aut deliberare possimus, sed ne concipere quidem. Deum igitur non nostra preparatione adduci, vt gratiam nobis suam conferat, sed modis omnibus nos præuenire, vt initium sit ex mera eius misericordia. Omnes enim hominis facultates corruptas esse, vt nihil quàm malos fructus parere ex se queant. Hanc præterea gratiam non omnibus indifferenter aut promiscuè dari, sed ijs duntaxat, quibus Deus vult, alios, quibus non datur, malos permanere, ad bonum prorsus nihil valere: quia sint ex perdita & damnata massa, suæque damnationi relinquuntur. Præterea, non esse eiusmodi gratiam hanc, quæ illis bene agendi potestatem conferat, si velint: vt in eorum postea optione sit, velle, aut non velle: sed efficaciter ipsos permouere vt velint: imo voluntatem ex mala bonam facere, vt necessariò bene velint. Ad hæc, non id semel fieri, vt homines deinde sibi relinquuntur, sed continuo tenore eos gubernari: vt non minus in bono perseverare, quàm bonum incipere, Dei donum sit. Deum porò non alia induci ratione, vt homines tum regendos spiritu suo suscipiat, tum susceptos ad extremum usque vitæ regat, atque in perseverantia confirmet, nisi gratuita sua bonitate, nullo vllius meriti respectu: sicut reuera nullum habere possunt nec in opere, nec in voluntate, nec etiam in cogitatione. In hoc compendio si quid deprehendatur, quod non sit ex quatuor illis libris sumptum, causam non dico, quin me nullius fidei hominem totus mundus iudicet. Quid autem in tota nostra doctrina aliud continetur? Ergo etiam si crepet Pighius, nobis hoc extorquere non potest, quin Augustinus sit noster. Quid ergo superest, quominus eum in beluinam naturam degenerasse clamet? Sicuti se facturum denuntiavit, si ostenderetur causa nostra suffragari.

In Librum quartum.

**N**E cui dubium sit, quid hæcenus sua garrulitate consecutus fuerit Pighius, magnificum ex integro, sed umbratilem ac imaginarium, sibi triumphum canit. Prostrati, inquit, sunt primo ariete aduersarij. Ego autem valde durus sum, qui stragem hanc non sentio. Mihi enim reclus adhuc firmusque stare videor. Et quò plus profecisse se ostendat, si veterum opinionem nobis opposuerit, sacrilegam illam suam vocem iterum ruciat: nullius Scripturæ auctoritate, quamlibet clara, nostro quidem iudicio, & euidentis, aduersus claram consonantemque orthodoxorum patrum sententiam, aduersus communem Ecclesiæ definitionem, aliquid credere cuiquam licere. Fieri enim posse, vt in Scripturæ intelligentia erret vnusquisque nostrum, vt erret Ecclesia fieri in his, quæ ad fidei veritatem pertinent, non posse: quia sit columna & firmamentum veritatis. Sed cum nouum non sit, quod vsu venisse seculis omnibus constat, vt Ecclesiæ umbra se falso regant, eiusque titulum arripiant, qui sunt infestissimi aliàs eius hostes, veram Ecclesiam à falsi quomodo discernere conueniet? Ad multitudinem, inquit Pighius. At qui patrabam ex verbo Dei iudicandum: vt, quæ Scripturæ adhereret,

Ecclesia censeretur: quæ ab ea defleſceret, repudiaretur, utcumque nomine ſe venditaret. Verbum, inquit, obſcurum eſt: itaque ex Eccleſiæ ſenſu tota eius pendet certitudo. Atqui putabam, & ſic didiceram, prius ſuo adificio eſſe fundamentum. Teſtatur autem Paulus, fundatam eſſe Eccleſiam in doctrina, non quam ſibi ipſa compoſuerit, ſed Apoſtolorum & Prophetarum. Excipiet forſan, hæc quidem doctrinam priorem eſſe Eccleſiæ: ſed eius ſenſum in Eccleſia eſſe fundatum. Quod reſpoſum ſua abſurditate ſatis per ſe refellitur. Ergo cum ſtatueret, quanta ſit vera Eccleſia, certo volumus, valeat illa Chriſti regula: oues eius eſſe, quæ vocem eius audiant. Proinde ſicut columna & firmamentum veritatis ideo eſt Eccleſiæ, quod doctrinam illam, in qua fundata eſt, fideliter cuſtodit, ita nos aliam debemus pro Eccleſia agnoſcere, niſi in qua doctrinam illam reperimus. Hoc vinculum eſt, hic nexus ſacri coniugij, quo ſibi Eccleſiam Chriſtus conpulauit: quem nexum impio ac profano diuortio abrumperet Pighius conatur, dum Eccleſiam priore loco conſtituit, Dei autem doctrinam ad inferius ſubſellium abiegit: & eam quidem, non ſicut à Deo tradita eſt, cuius clara & perſpicua nobis extet veritas, ſed qualiter hominibus eam exponere libuerit.

Verum attendant lectores ad alterum hominis acumen mirabile. Nam cum ſe initio Scripturæ testimonijs contra nos acturum propoſuiſſet, cum ad eum locum ventum eſt, ingenioſam excuſationem inuenit, quod declinet. Quoniam ſcilicet vniuerſa Scripturæ, quanta quanta eſt, arbitrij libertatem demonſtrat. Nam cum vniuerſa teſtetur, Deum unicuique pro ſuis meritis redditurum, vniuerſa bene viuendi leges & præcepta contineat, vniuerſa nos horietur ad virtutem, peccata prohibeat, penas minetur, certum eſt vniuerſam demonſtrare liberi arbitrij poteſtatem. Si vniuerſam ita Pighius intelligit, quaſi in hoc tota incumbat, & hoc agat vnum, nondum prima fidei rudimenta didicit. Omittit enim præcipuam, & magis neceſſariam doctrine partem, quæ gratiæ promiſſionibus continetur: qua cognita, nihil ſuis obiectionibus efficit. Poſtquam enim nos in mandatis ſuis ambulare iuſſit Deus facturum ſe promittit, ut ambulemus, hoc eſt, animum & pedes nobis daturum. Cum ergo tota lex, præcepta omnia, omnes tum exhortationes, tum caſtigatio nes, tum minæ, ad promiſſiones nos dirigat, & quaſi manuducat, ubi totam noſtram virutem in nihilum Deus redigit, ſibi gratiæque ſuæ omnes bonorum operum partes adſcribendo, qui lege ac præceptis meretur hominis facultates, prima fidei elementa nondum ſe tenere prodit. Quanquam in ſoluendo hoc nodo nondum immoror: quia paulo poſt locum proprium habebit. Facit enim pro more ſuo Pighius, decies rem vnam iterando. Quod Dei iudicium non fore iuſtum commemorat, niſi cuique reddat pro meritis: reſpondeo, quod Auguſtinus: Vt vniuerſo hominum generi ſi merita noſtra in iudicando Deus expendat. Quod ad mercedem aſtrinet, quam Deus ſeruis ſuis pollicetur, reddet quidem illis coronam iuſtitie iuſtus iudex. Sed hoc quoque querendum erat, vnde ſanctus proueniat iuſtitia, quæ tunc coronabitur. Certum autem eſt, nihil eſſe quam merum Dei donum. Quid ergo inde hominem potenſiam colligit?

Et quoniam de ſuſſirino Scripturæ præſidio ſibi malè conſcius eſt, ad ſolenne illud ſuum ſuffugium protinus dilabitur: ſic Origenem, ſic Terullianum, ſic Hilarium, & reliquos ſenſiſſe. Verum, etiam ſi aſtringi me eorum auctoritate ligari que ſic patiar, ut derelicta Scripturæ certa veritate, in eo acquieſcã, quod illis viſum fuerit



fuerit: (quod nec facturus sum, & facere nefas est) iam tamen ostēdi, quàm calūnio-  
 sa interpretatio eorum sententias in nos detorqueat. Nam quòd dicunt, frustra  
 esse legem, nisi sit obsequendi facultas, & similis, hæc meritò dicerentur, si serui-  
 tus hæc, quæ nos impeditos tenet, ac virtutem aufert, natura foret, non proprij vi-  
 rij. Nunc verò cum istud semper in promptu sit, quicquid impotentia aut defectus  
 in nobis est, culpæ nostræ esse imputandum, hoc responso, diluuntur omnes illæ ob-  
 iectiones ac solvuntur. Atque ita soluit Augustinus, tum in illis, quos nuper recen-  
 sui, libris: tum in libello de perfectione iustitiæ. Itaque hoc nimis prostrata fron-  
 tis est, ipsius quoque Augustini testimonio hic abuti. At claris verbis negat, in eo  
 peccari, quod vitari nō potest: Et ubi natura dominatur aut necessitas, illic tradit  
 inueniri nō posse culpæ rationem. Ex aduerso reclamant, frustra sibi præscribi de ta-  
 lii librorum, quos inuenis scripserit, vetustate. Nam & ideo, inquit, retractanda  
 suscepi mea opera, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrē, sed pro-  
 ficienter me scripsisse existimo, non à perfectione cœpisse. Huic verò Pighij cal-  
 luminiæ in Retractionibus sic occurrit: Aliud est, quærere, unde sit malum: a-  
 liud, unde redeatur ad pristinum, vel ad maius perueniatur bonum. Paulò post ci-  
 tat hoc pridem à se dictum: Quoniam non sicut sponte homo cecidit, ita surgere  
 potest, porreclam nobis dexteram Dei firma fide teneamus. Et similia. Et tamen  
 excusat, quòd ne sic quidem totum, quod dictu necessarium fuerat, comprehēderit.  
 Item de perfectione iustitiæ: Per arbitrij libertatem factum est, ut homo cum pec-  
 cato esset: sed iam poenalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem. Sed  
 in postremis etiam scriptis conueniri docet liberum arbitrium, quoties præcipit,  
 vel hortatur Deus. Fateor sanè in hoc quæstionis statu diu eum versari, ut libe-  
 rum arbitrium cum gratia coniungat, ne liberum arbitriū tollere videatur gratiæ  
 prædicatio. Sed quid hoc nomine sibi velit, non debemus negligere: si verum eius  
 sensum cōsequi cupimus, non verborū decipulas & aucupia struere. Ipse autem sa-  
 tis demonstrat toto libro, non aliud sentire se, quàm spontanea voluntate, & bene  
 & malè agere homines: sed natura nihil posse quàm peccare, gratia autē bonum  
 incipere, & in eo perseuerare. Itaque præfatus, se eorū causa scribere opus illud,  
 qui liberū arbitriū aut negarent, aut negare viderentur, gratiā asserēdo, complu-  
 res locos cōgerit, qui liberū arbitriū subesse homini significant: hoc est, voluntatem,  
 qua sponte faciat quod facit. Atque hoc vnum capite secūdo, quod allegat Pighius,  
 exequitur. Verūm continuò post, metuendum esse admonet, ne hæc testimonia sic  
 in defensione liberi arbitrij intelligantur, ut gratiæ Dei locus non relinquatur.  
 Totum igitur nunc in eo situm est, ut sciamus, qualiter deinceps inter liberum ar-  
 bitrium & gratiam partiatur. Nā & inde, quid liberum arbitriū significet, cōsta-  
 bit. Testatur autem, & sæpe, & claris verbis, Dei esse donum, quicquid boni agi-  
 mus, quia illud in nobis efficit. Gratiā verò Dei non retribui meritis nostris: sed  
 tunc dari, cum nulla sint nobis nisi mala merita. Inde incipere bona merita, sed quæ  
 mera sint Dei dona, nullo modo à nobis. Hac occasione in illam disputationem in-  
 greditur, qualiter vita æterna merces simul sit & gratia: quam sic absoluit, quòd  
 Deus bona quidem opera remuneretur in sanctis. sed hoc agendo, nihil quàm gra-  
 tuitam suam misericordiam in illis prosequatur: quoniam ipsis quicquid est bono-  
 rum operum gratuitò contulerit. Atque illic tractat, qualiter nos fingat ac formet  
 Deus, cum suo Spiritu regenerat: qualiter præparet bona opera in nobis, non ipsi

De bono  
 perseue.  
 ad prosp.  
 Cap. 12.  
 & 21.

præparemus. Simul eorum errorem refellit, qui hominem bono aliquo motu præparari fingunt, ad recipiendam Dei gratiam: cum initium gratiæ sit, auellere à nobis cor lapideum, quod nihil quàm durissimam voluntatem significat, & aduersus Deum inflexibilem. Postea definire incipit, quid libertatis nomen valeat. Sæper, inquit, libera est voluntas in homine, sed non semper bona. Malâ verò esse testatur naturâ vitio, gratia bonam fieri. Vides eum iam liberam facere voluntatem, quæ nihilominus nihil quàm mala per se esse possit. Respondet postea argumentis illis, quæ ex lege & præceptis obijci solent: Magnum aliquid, ait, Pelagiani se habere putant, quando dicunt: Non iuberet Deus, quod sciret, nõ posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo iuberet aliqua quæ non possumus, vt nouerimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa enim est fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat. Deinde: Certum est, mandata nos seruare, si volumus. Sed quia præparatur à Domino voluntas, ab illo petendum est, vt tantum velimus, quantum sufficit, vt volendo faciamus. Certum est, nos velle cum volumus: sed ille facit, vt velimus bonum. Certum est, nos facere cum facimus: sed ille facit, vt faciamus, dando vires efficacissimas voluntati. Pergit tum postea, compluribus Scripturæ testimonijs monstrare, ea ipsa Deum facere in nobis, quæ facere nos iubet. Tandem vbi ad conclusionem venit, sic loquitur: Satis me disputaſse arbitror aduersus eos, qui Dei gratiam vehementer oppugnant: quæ voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, & cum bona fuerit, adiuuatur: & sic disputaſse, vt non magis ego, quàm diuina Scriptura locuta sit, euidentissima veritate. Quæ Scriptura si diligenter inspicitur, ostendit, non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas in actus bonos, & vitam dirigit æternam, verum etiã illas, quæ conseruant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate, vt eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari. Quòd si potes est siue per Angelos vel bonos vel malos, siue quocumque alio modo, operari in cordibus malorum, pro meritis eorum, quorum malitiã ipse non fecit, sed vel originaliter tracta est ab ipso Adam, vel creuit per propriam voluntatem, quid mirum, si per Spiritum sanctum operatur in cordibus electorum bona, qui operatus est, vt corda ipsa essent ex malis bona? En quibus liberum arbitrium encomijs illic extollat. Et tamen, quæ solet verecundia, Pighius nos studio claudere oculos criminatur, ne clarissimam lucem cernamus. Et ad eò sibi placet, vt vel solo hiatu oris se lectiores incantare posse speret.

Quoniam autem in mea Institutione, post doctrinam nostræ explicationem, argumenta refutaueram, quibus sese armare solent, qui eam oppugnare volunt: has sibi nunc partes suscipit, vt solutiones meas aut frigidas, aut minus plenas, aut ineptas, aut inanes esse omnes conuincat. Hoc vt faciat, dialogum cõponit: in quo me inducit loquentem, sed pro suo commodo. Nam quoties libet, verba abrumpit. Dixeram autem in mea Institutione, qui doctrinam nostræ resistunt, eos absurda quædam congerere, quibus eam odiosam reddant, tanquam à communi sensu abhorrentem: deinde Scripturæ testimonijs cum ea congregari. Quia vtrasque machinas ordine me repulsurum profiteor, superbiam meam tragicis acclamationibus exagitat: quòd ego, misellus culex, tot simul, tantòsque elephantos, & nobilem illam aquilarum congregationem, hoc est, veteres omnes sanctos adorari. Ac rursus suum illum catalogum, meo stylo iam superius confossum & erasum recitat. Ego verò non cum antiquis patribus mihi bellum esse profiteor, sed cum Pighio duntaxat

Et similibus, vel canibus, vel porcis: qui sacrosanctā & salutarem Dei veritatem, partim impuro & olfœno rostro contaminant, partim conculcant pedibus, partim venenato morsu lacerant, partim latratu persequuntur. Verùm si in refutanda eius garrulitate insistere velle, nullus esset finis. Itaq; à lectoribus peto, ne à re ipsa dimoueri se patientur. Quod si mihi de derint, efficiam, ne quid in meis responsionibus desiderent.

Nunc, primum quod recito absurdum, est. Si peccatum necessitatus est, iam definit esse peccatū: si voluntarium est: ergo vitari potest. Addo autem, Hoc dilemmate vexatum olim fuisse Augustinum à Pelagio. Clamat hic phreneticus, me mentiri. Atquē nihil dixi, quod non Augustinus ipse prodiderit. Hanc enim Pelagij ratiocinationem nonam ponit, libro de perfectione instititæ. Quæ ergo ista est rabies, negare vsipiam esse, quod ante oculos exhibetur? At similiter vsus est contra Manichæos Augustinus. Rite quidem, & optima ratione, cū illi peccatum hominibus à Deo ingentum esse, tanquā substantiale malum, fingerent: nō concederent vitio propriæ voluntatis accidisse. Nostra autem causa dissimilis. Ergo sicuti huius absurdi obiectione hodie nos oppugnant Romanenses theologi, ita olim eadem Augustinum Pelagius impetebat. Extat enim liber, qui hoc testatur. Negando, quid proficiet Pighius? Et tamen illud, quod à me additū Pighius pratermissit, quantæ est ingenuitatis? Nolle me hostes nostros prægrauari Pelagij nomine, donec de re ipsa satisfactū à nobis fuerit. Porro satisfaciendi ratio hæc est: Nihilominus iure nobis imputari peccatum, etiam si necessarium sit. Ratio est: quia si quis cum Deo disceptare velit, & hoc prætextu iudicium subterfugere, quia aliter non poterit, habet paratam responsionem: Perditio tua Israel: in me tantummodo auxilium tuum. Vnde enim ista impotentia, nisi ex naturæ vitiositate? Vnde porro vitiositas, nisi quod homo defecit à suo opifice? Huius defectionis cū rei finis omnes, in hac necessitate, qua constringimur, dico extare luculentam damnationis nostræ causam. Plurimum igitur abesse, ut ad excusationem valeat. Hic in cachinnos totus Pighius soluitur: quod tam nihili ratione me elapsum esse cōfidam. Sed quid habet ipse quod opponat? Suum illud toties repetitum carmen occinit: Ex patribus se monstrasse, frustra datam esse legem, si impleri nequeat: locum nec merito nec demerito fore, nisi tam ad bonum, quam ad malum libera sit voluntas. At que ut multitudinem testium nos obruat, totam illam, quam ante recensuimus, cateruam profert. Quod ad laruatum illum Petrū, & fictitium Clementem spectat, facessant è medio. Nam illas ineptias verbo vno non dignabor. De alijs iam dixi, quantum sufficiat. Quanquam nullus est ipsorum omnium certior interpret, quam Augustinus, dum suam in communi causam mentem exponit. Quod enim dixerat, non posse inueniri culpæ rationē, ubi natura dominatur aut necessitas, non nisi in sanæ & integræ naturæ consideratione valere admonet. Necessitati enim nunc subiacere homines, sed quam sibi voluntaria culpa primus homo contraxerit. Natura, inquit, nobis facta est, pœna. Et vindicta primi hominis quod erat pœna nobis natura est. Cum ergo necessitas peccati sit pœna, quæ inde oriuntur peccata, meritò culpari, & eorum culpam meritò imputari hominibus: quando voluntariæ si principium. Nunc ergo quid causæ est, cur solutionem à me positam tanto fastu contemnat ac derideat Pighius? Augustinum omitto, non minus argutum, opinor, dialecticū, quā sit Pighius: qui hac aut tali responsione data, se defunctum

putat. Sed pietatis sensum consulamus, an non satis hoc sit ad hominis reatum, ubi sua culpa perijisse conuincitur. Neque enim alia populum suum accusatione premit Deus, cum dicit: Perditio tua Israel: in me tantummodo auxilium tuum. At populum illic arguit, qui verbo suo obtemperare noluerat. Fateor, sed cum vniuersalis sit sententia, videndum, quid contineat. Hoc autem proculdubio significat, destitui omni excusatione hominem si sibi causa exitij fuisse deprehendatur. At hoc non esse causatur Pighius, nisi tam effugere perditionem, quam perdere se possit. Quis sic balbutit, vel grunnit potius, se primū illud fidei nostrae axioma non tenere prodit, nos, ac totam nostram ad bene agendum virtutem, in Adam perijisse. Nec verò ab eo se abhorreere hic dissimulat: qui toties corruptionem ex primo parente contractam non alibi, quam in membris corporis, locat.

Quòd in altero membro dico subesse vitium, ubi peccatum colligunt vitari posse, si voluntarium est: & ideo argumentum valere nego, quia deductionem habeat à voluntario ad liberū: hoc vt refellat, Augustinum mihi regevit: quem vbi que sic ratiocinari dicit. Atquē iam toties Augustinum produxi suae sententiae interpretem, vt amplius repetere, mihi ipsi fastidio sit. Nam quae pro sua garrulitate subinde recinit Pighius, de sana & integra natura scribit. Vbi autē de vitiosa natura: sermo est, peccatū esse palam pronuntiat, siue vitari possit, siue non possit. Nam si potest, praesens voluntas hoc facit. Si non potest, praeterita voluntas hoc fecit. Subijcit autē vitari posse: sed non ipsius hominis virtute: non quando superba, inquit, laudatur voluntas, sed quando humilis adiuuatur. Porro horū verborū sensum ab initio posuerat: vitari quidem posse peccatum, sed si vitiosa natura prius sanetur. Nunc verò sanā non esse, aut quia quod faciendum est, cecitate non videt, aut infirmitate nō implet. Quid his clarius desideres? Verum abunde sibi ad victoriam esse putat Pighius, si Augustini titulum quoquo modo nobis opposuerit.

Quoniam autem eius distinctionis sapius iam meminimus, quam nos inter conditionem & necessitatem statuimus, vnde pendet maiori ex parte haec quaestio, eamque non nisi obiter attigimus, paulò diligentius nunc excutiēda nobis est. Nam & cum eā Pighius superiore libro improbaret, defensionē in hunc locum distulimus. Negant ergo qui liberū arbitrium contra Dei gratiā tuentur, peccatum aut virtutem esse, ubi est necessitas. Respondemus, Deum necessariò bonū esse, nihilo tamen minorem ex bonitate laudem consequi, quia non nisi bonus esse possit. Rursus, diabolum necessariò malū esse: nihilo tamen minus vitiosam esse eius malitiā. Neque id est nostrum commentum. Sic ante nos Augustinus, sic Bernardus, locuti sunt. Quid Pighius? Deum habere separatam à creaturis rationem. Nam quod his inest ex conditionis necessitate, non ad earū, sed Dei laudem pertinere, eam tantum mereri in illis laudem, quae sibi, talentum à Deo creditum excolendo, acquisierunt. Huius vero aliam esse rationem: vt cuius infinita bonitas referri aliò non potest. Hoc cene est subuertere quod dicimus? Voluntarium cum necessariò minime conuenire, extorquere volunt aduersarij. Nos autem vtrunque simul cōgruere in Dei bonitate ostendimus. Absurdū esse dicunt, vt vitio, aut culpa dentur hominibus, quae sic faciunt, vt aliter nequeant. Nos, adducta similitudine, absurditatē hanc diluimus. Non ratiocinamur, bonos ideo aut malos necessariò esse homines, quia necessariò bonus sit Deus, sed tantum exemplo indicamus, non adeo à ratione dissentaneum esse, vt laude aut vituperio dignum censeatur, quod tamen necessarium est.

Ceterum quod de conditionis necessitate philosophatur Pighius, id verò prorsus ab instituto est extraneum. Natura, quæ vocant, aut bona, aut mala, merè nec in vitio, nec in virtute ponuntur: quando eiusmodi sunt, ut illis tam malè quàm bene uti possint homines: Voluntas autem bona, & quæ inde oriuntur actiones, in diverso sunt ordine. Hoc itaque nihil ad rem. Addit præterea, Deum, nihil aliorum omnium à se, necessariò agere, aut velle. Quæ philosophia, non modò propter levem & frivolum curiositatem, sed etiam quia profanam iustitiæ Dei ab eius operibus divisionem inducit, repudianda est. Quòd autem iterùm subijcit, nescire se, quid sibi velit illud, Deum velle necessariò iustum esse: in eo parum abest, quin Deum instar trunci aut stipitis, habere se prodit. Voluntas, inquit, natura posterior est: Deus autem natura est bonus. Ergo ineptum est, Deum dicere velle iustum esse, qui talis est natura. Atquè aptius fecisset ac congruentius, si illud, quod nuper inter Deum & creaturas posuit, discrimen, in hunc usque locum servasset. Habent siquidem multa creatura à natura, quæ in voluntate sita non sunt: nec sub voluntatis arbitrium cadunt. At tale quidpiam in Deo imaginari, sacrilegum est commentum: qui sic est natura, id quod est, ut talis velit esse: sic etiã vult quicquid vult, ut illud habeat à natura. Nam cum circulari, ut sic dicam quodam nexu inter se cohereant Dei bonitas, sapientia, virtus, iustitia, voluntas, hoc vinculum disrumpe re, impia & diabolica est imaginationis. Cum ergo velit esse Deus, quicquid est, idque necessariò, non dubium, quin sicut necessariò bonus est, ita & talis velit esse: quod tam procul à coactione abest, ut maxime sit in eo voluntarius: liberum dicere, si pro spontaneo accipi inter nos conveniret.

Quod de diabolo adducimus, sic solvit hoc ipsum, quod necessariò malus sit, pœnam esse peccati, quod nulla necessitatis vi coactus admisit. Quasi non hæc similiter ratio in homines conveniat. Neque enim, sicut toties dictum est, in natura, sed in vitio necessitatem constituimus, cui dicimus subiacere hominum genus. Hoc modò interesse docemus, quòd in æternam servitutem addictus fuit diabolus, in qua nulla sit spes manus missionis: nobis relictum est hoc remedium, ut Spiritus sancti gratia inde exeamus. Fatetur tandem, non pugnare simpliciter cum voluntate necessitatem, sed cum voluntate hominum, qui adhuc in mundo peregrinantur. Hoc figmento eleganter quidem eludere sibi videtur nostram solutionem: sed quàm illi facile est dicere, tam nobis negare promptum est. At de viatoribus loquitur Augustinus, cum perpetuam necessitatis cum voluntate repugnantiam statuit. Imò de statu primi hominis loqui se testatur, antequam in miseriam hanc, sub qua nos omnes eius posteri laboramus, incidisset. Nunc verò post eius lapsus, necessitatis iugum à quo aliàs soluti essemus atque immunes, nobis impositum, ipse, & Prosper, & Bernardus, uno ore tradunt. Quanquam ut liberalis videatur, hæc se mihi ultro largiri iactat, cum argumenta mea tale nihil evincant. Patior ut sibi domi suæ hanc placitum det, modo eius vanitas omnibus palam appareat. Quod ut fiat, necessitatem de finiamus. An autem mihi non concedet Pighius, statam esse ac firmam stabilitatem, ubi res aliter esse nõ potest, quàm sit? Apud Aristotelè certè id idem τὴν ἀνάγκην necessitati semper opponitur. Atque id dicitur sensus communis, ut necessarium censeatur, quicquid sic esse oportet, nec aliter esse potest. Hoc modo immutabilitas sub necessitate continebitur: unde & continuò sequetur, Deum necessariò bonum esse. Quòd si necessaria est eius bonitas, cur non inde mihi colligere liceat,

necessariò tam bene velle, quàm bene facere? Cùm verò ita stabilis perseverat, ipse sibi quodammodo necessitas est, non aliunde cogitur: nec tamen seipsum etiam cogit, sed sponte ac voluntarius ad id, quod necessitate agit, inclinatur. Diabolus contra necessariò, & malus est, & malè agit: nihilo tamen minus voluntate. Hinc liquidò confici mihi videtur, quod volui: non adeo disjungere à necessario voluntariū, quin societatem aliquando admittant. Iam ad hominem, ne perperam hæc ad eum exempla trahi quis putet, venio. Malum esse dicimus, quia sit ex mala propagine, tanquam mala radice ac vitiose malus ramus. itaque quantisper in natura sua manet, nihil quàm malè, & velle, & agere. Ut verò, prauitate deposita, ad bonum se conuertat, id esse in eius potestate negamus. Cùm ergo nihil ex se possit quàm malus esse, in eo necessitatem constituimus. Ac ne id simpliciter quidem: sed quatenus, & ex mala radice ortus est, & originis suæ ingenium retinet: hoc est, quandiu Spiritus Dei non agitur. Aristoteles cùm voluntarium distinguit à suo contrario: hoc esse definit, τὸ ἐκ τῆς ἀναγκῆς ἢ ἀπὸ τῆς ἀναγκῆς, hoc est, quod vi fit, aut per ignorantiam. Violentum porrò definit, cuius aliunde est principium, ad quod nihil confert is, qui vel agit, vel patitur. Quid autem principij nomine significet, ostendit deinde capite quinto, cùm iniustos ac intemperantes ideo tales esse sponte docet, quia initio licuerit non esse: tamen si nunc alij esse nequeant. Atque ad eam rem explicandam similibus utitur. Neque enim, qui agrotat sanus erit, cùm libuerit: & tamen sua forsitan sponte agrotat, si intemperanter viuendo, morbum sibi contraxerit. Tunc ergo licebat illi non agrotare: vbi autem huc progressus est, non ita. Sicut vbi quis lapidem proiecit, non amplius potest resumere: sed penes ipsum erat, aut retinere, aut iacere. Videmus hic profanū philosophum fateri, non in potestate hominis semper esse, ut bonus sit: imò non nisi malum esse posse: & tamē voluntate esse id quod est, & non violentia: quia principio libera penes ipsum electio fuerit: per quam se tradiderit in libidinum obsequium ac seruitutē. At vero hæc propria est Christianorum philosophia, primum parentem nostrum, non modò seipsum, sed omnes suos posteros simul corrupisse: atque inde nos habitum trahere, naturam nostram insidentem. Nunc agendum, hanc de vitiosa nostra origine doctrinam cum Aristotelis philosophia coniungas: & nullo negotio, intelliges, qualiter peccatum, quod non est in potestate nostra fugere, sit nihilominus voluntarium.

Secundum quod ex aduersarijs recito absurdum, est. Nisi ex libera arbitrij electione, tum virtutes, tum vitia procedant, non esse cōsentaneum, ut homini, vel infligatur pœna, vel præmium rependatur. Cui antequam respondeo, hæc verba interfero. Hoc & si Aristotelicum est, fateor tamen à Chrysostomo & Hieronymo usurpatum. Pelagianus tamen, vel Hieronymo teste, familiare fuit. Hoc postremum ut euertat Pighius, quantum inter suam & Pelagij causam interfit, ostendere molitur, quasi verò ideo minus hoc argumento vsi fuerint Pelagiani, quia paulò aliter, quàm Pighius vel senserint, vel saltè locuti sint. In altero malignitatis me grauius accusat, quòd ex pluribus duos tantum citauerim. Quasi verò aliquo iure fuerim obstrictus, ad eos omnes ordine recensendos, apud quos ea sententia extaret. Cur ergo mihi libros non subministrabat Pighius? qui tunc nulli ad manum erant: excepto vno Augustini volumine, quod mihi cōmodato datum erat. Ego autem me venia dignum esse puto, quòd ita libris destitutus, duos vnus sententiæ aucthores nominauerim, quos memoria tenebam: reliquos, qui in mentem tunc non

Vene-

Ethi. ad  
 Nicomachum lib.  
 3. cap. 1.

venerunt omiserim. De pœnis cum respondeo, iure nobis irrogari, à quibus culpa emanet, neque referre, liberone iudicio, an seruili, modò voluntaria cupiditate peccemus, id nõ improbat: modò cum Augustino, aliisque omnibus, concedam, voluntarium id esse demum, quòd in potestate nostra sit. At ego cum Augustino excipio, hanc quam requirit, facultatem in sanitate suam esse: quam sicut acceperat, primus homo, ita malè utendo perdidit. De premijs quòd respondeo, nihil absurdum esse, si ex Dei benignitate potius, quàm proprijs hominum meritis, dependeant, non nugatorium tantum, sed blasphemum esse pronuntiat. Sed cum hoc alterius sit argumenti, obiter tantum refellit. Apostolus, inquit, Deum testatur remunerari eos, à quibus inquiritur. Quid tum? Vbi remuneratio, illic & obsequij, & meriti respectus est. De obsequio fateor: de merito, si operis dignitatem intelligat, ego. si obedientiam simpliciter Deo acceptam, non reclamo. Postquam autem aliquot testimonia collegit, in quibus mercedis fit mentio, clausula loco illud Pauli adducit, de corona iustitiæ, quam redditurus est iustus iudex seruis suis. Sed quid, si Augustini verbis excipiam? Cui debitam coronam reddere posset iustus iudex, nisi indebitam antè gratiam donaret misericors Pater? Fatemur utrinque laborandum ac certandum. Neque nos inficiamur, eiusmodi esse certamen, quod & summam habeat difficultatem, & maximos conatus, totumque hominis studium requirat. Tantum queritur, propriam virtute, militemus Deo, an ille ingenium, animum, manus, vires, arma è cælo subministret. Pighius Dei gratiæ particulam erogat, nobis arrogat maiorem partem. Dico in nobis impleri, quòd Deus olim Israelitico populo pollicebatur: nobis scilicet quiescentibus, eum pro nobis pugnare: non quia nihil agamus ipsi, aut quia ipsius impetu, nullo voluntatis nostræ motu, ad opus feramur, sed quia agimus acti ab ipso: volumus, eo cor nostrum dirigente: conamur ipso excitante: conando efficimus, ipso vires dante, ut nos animata simus & viua instrumenta, ipse autem dux ac perfectior operis. Illam Augustini sententiam, Deum coronare in nobis sua dona, truncam & mutilam à me citari, contra ipsissimum scriptoris sensum, causatur: sed in probatione friget. Primum, cum illic meminim; subinde apud Augustinum recurrere (sicuti verum est) quasi semel dictum tractat. Quoties hoc, cum in Psalmos, tum in Ioannis Euangeliu, ut omittam contentiosa opera: inculcat? Quo sensu, si cui dubium est, ipse omnem scrupulum in Epistola ad Sixtum eximit. Sicut ab initio fidei inquit, misericordiam consecuti sumus, non quia eramus fideles, sed ut effecimus: sic in fine coronabit nos, sicut scriptum est, in misericordia & miserationibus. Vnde & ipsa vita æterna, quæ in fine habebitur, & utique præcedentibus meritis reddetur: tamen quia eadem merita, quibus reddetur, non à nobis parata sunt, per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur: non aliam ob causam nisi quia gratis datur: nec ideo tamen nõ datur meritis, sed ideo quia data sunt ipsa merita, quibus datur. Hac si sacrum habeant interpretem: quid dubij relinquunt? Est tamen: valcat vnus ille locus. Quid illic habetur? Pelagiani, eam solam gratiam sine ullis meritis dari interpretabantur, quæ Deus remittit peccata, illam verò, quæ in fine dabitur, meritis præcedentibus reddi. Hoc illis concedere paratus est Augustinus, si Dei dona esse agnoscant: non autem hominum propria, quæ enim talia sunt, id est ab hominibus, mala esse. Bona autem, esse Dei dona. Iam plenum locum habet Pighius. Quid proinde? Vides, inquit, non tolli, sed statui sanctorum merita. Nempe, sicut alibi

Augustinus ipse liberum arbitrium docet per gratiam stabiliri: quia per eam liberetur, cum natura sit captiuum: ideoque ad omne bonum inutile. Verum nihil doloris ex hoc vulnere sentio. Subijcio postea, timendum minimè esse, ut veniamus, quò clara voce Spiritus sanctus nos vocat. Hanc enim feriem, & hos gradus misericordiæ Dei nobis describi, ut glorificet, quos iustificauit: iustificet, quos vocauit. Vocet, quos elegit. Hinc nos doceri, non alia de causa coronari fideles, nisi quia Dei misericordia, nõ sua industria, & electi sunt, & vocati, & iustificati. Ab hac sententia eò usque abhorret Pighius, ut Deũ fore iustum neget: si vera sit. Verum cum ista infectatio mera sit & aperta Spiritus sancti criminatio, quid in ea re fellenda multum ponerem operæ? Præterea hoc ad electionis quæstionem spectat, quæ suum proprium locum habebit. Quanquam ne prætermittam, quod obseruatum dignum est, duo aduersariorum obiecta, quæ seorsum ac separatim posueram, commiscet Pighius. Nam illo demum soluto, quod de operum meritis ac remuneratione afferunt, hoc tertio loco recensueram. Si non subiaceant electioni nostræ bona similiter ut mala, vnde fit, ut alij à fide deficiant & bonis operibus, alij perseuerent? Huic quæstioni ut satisficerem, causam diuersitatis ad gratuitã Dei electionem delegaueram: sicut reuera vocationis nostræ fundamentũ est, non modo ut eam incipiat, sed etiam ut stabiliat usque in finem, ac compleat. Illic nihil meum est. Nam id Augustinus vbique inculcat: qui tamen simul euincit, non se cõmisci ex proprio sensu, sed ex Dei ipsius ore sumere. Pighius autem reum extremæ sæuitiæ & crudelitatis Deum facit, si ita res habeat. Sequitur in mea Institutione: Cum Paulus quemlibet nostrum interrogat, quis eum discernat: & gloriari vetat, quòd omnia acceperimus, nõnne ob id ipsum libero arbitrio adimit omnia, ne quem meritis locum relinquat? Hic Pighius cauillatur, nihil illum libero arbitrio derogare, dum admonet, totum, & quod sumus, & quod habemus, & quod pressimus, referri Deo acceptum debere: etiam liberum arbitriũ. Tũ, quasi victoria potitus, insultat. Quid hæc doctrina, inquit, aut meritis, aut libero aduersatur arbitrio? Me enim vehementer errare, si eos ad id delirare existimem, ut liberum arbitrium homini credant à seipso inesse, & nõ à Deo datum. Meritò ita in suis viciorijs exultat Pighius, quas adeò de facili comparat, sine sanguine & sudore. Vbi latebram inuenire aliquã potest, in eam mox se abdit: & cum hostem amplius non videt, fugatum ac profligatum putat. Sed paululum iam caput exerat: & me, vel Apostolũ potius, sibi propius imminere & instare sentiet. Hoc bello colore suam olim impietatem operiebat Pelagius: sicuti plus quindecim locis testatur Augustinus. Nam cum in Concilio Palestino anathemate damnasset eos, qui gratiam Dei superioribus meritis rependi docerent, & postea mala fidei argueretur, ita se purgabat, quòd nihil mereri homines potuerint, cum nondum essent. Liberum ergo arbitrium & partem gratiæ esse, & nullis meritis redditũ, sed gratis datum: Sed illam fallaciam excutit Augustinus. Nam omnino, inquit, non istam gratiam commendat Apostolus, quæ creati sumus, ut essemus homines, sed quæ iustificati sumus, ut homines iusti essemus. Et quid hinc longiore demonstratione vteremur? Naturam enim conferimus cum gratia, cum hanc curandæ ac tollendæ illius corruptioni vnicum remedium esse dicimus. Ergo discerni in tota hac tractatione tanquam res inter se oppositas, oportuit. Si malè nos separare res cõiunctas dixerit Pighius, tuemur nos Apostoli auctoritate. Quid ergo nunc, ut totum causæ statum turbet, profecturum se sperat

Epi. 106.  
ad Sixtũ.



sperat, cum à regenerationis beneficio, quòd singulare est, ad communem creationis gratiam nos auocat? Sed hoc est scilicet, quòd alicubi scribit Augustinus semper artificium hoc quaerere gratia inimicos, ut lateant sub laude natura.

Quartum obiectum, quòd in mea Institutione ex aduersariorum persona moueo, est: Frustrà exhortationes suscipi, superuacuum esse admonitionum usum, ridiculas esse obiurgationes, nisi penes nos sit, parère. Huic argumento ut nervos addat Pighius eo communiter multos veterum fuisse usos commemorat: ex quibus pseudopetrum, cum laruato Clemente, in prima acie locat. De Tertulliano & Irenæo iam dictum est, nihil egs aliud ratiocinari, nisi frustrà daturum homini legem fuisse Deum, cui non liberam boni & mali electionem contulisset. Sed aliud est quaerere, quas initio facultates homo acceperit: aliud, quid nunc suis facultatibus destituito, & ad extremam inopiam redacto supersit. Hæc tam diuersa, in qua nunc est, conditio, cum priore illa confundi minime debet. Eadem responsio Origenis quoque verbis satisfacere fortè possit. Sed non adeò moror: cum eum non nihil à nobis dissentire iam ante confessus fuerim. Quòd Ciceronem etiam aduocatum accersit, causam inde suam non multum adiuuat. Nos enim, sicut verum est, totam hanc, de hereditaria nature prauitate & gratuita reparatione, doctrinam à ratione carnis penitus reconditam esse concedimus. Itaque nihil mirum, si totam rethorum & philosophorum nationem latuerit. Quia autem hanc quaestionem Augustini potius verbis, quàm meis soluere in animo erat, càmque solutionem ex libro de correptione & gratia mutuari, obiter, qua occasione scriptus fuerit ille liber refero: nempe quòd similia ipsi Augustino obijcerentur. Hic solita truculentia in me inuehitur Pighius: meque, & mendacij, & impudentiæ accusat, quòd Augustinum adiungere nobis audeam. Cedo tamen, qualiter conuincit? Principio, quòd nihil ad rem præsentem facit, quo consilio librum alterum scripsit, refert. Ita enim demum triumphat, quoties lectorum oculos iniecto *cap. 1. 1. 1.* velut nubecula aliqua interposita, potest aliquantulum à re præsentis subducere. In eo libro, inquit, Augustinus liberum arbitrium cum gratia bene conuenire docet. Quibus hoc verbis & quo sensu doceat, superius fideliter exposui. Sed nunc aliud agitur, quid Augustinum impulerit, ut de correptione & gratia scriberet. Cur ergo hic ab equo, quòd aiunt, ad asinum transilit? Hoc tamen utcumque patior: modò aliquid intereà auditu dignum obiter afferat. Sed nihil tale ab eo fit. Ex duabus ad Valentinum Epistolis multa congerit, unde probat, tam eos reprehendi ab Augustino, qui liberum arbitrium prorsus negant, quàm alios, qui illud astruunt sine gratia: constitui autem inter hæc duo extrema mediocritatem, liberum quidem esse arbitrium, si ad adiuuari per Dei gratiam, ut recta homines, & sapiant, & faciant: ut cum venerit Dominus, reperiat opera nostra bona, quæ preparauit, ut in illis ambulemus. Fateor sanè, in hoc laborare illic sanctum virum, ut neque liberum negetur arbitrium, neque sic prædicetur, ut à Dei gratia separetur: tanquam sine illa, vel cogitare aliquid, vel agere, secundum Deum, vlla ratione possimus: quòd omnino non possumus: Hæc enim sunt eius verba. Item, credite inquit, diuini eloquijs, & quòd liberum sit arbitrium, & gratia Dei, sine cuius adiutorio, nec conuerti possit ad Deum, nec proficere in Deo. Item secundæ Epistola: Fides catholica, neque liberum neget arbitrium, siue in bonam vitam, siue in malam: neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid: siue ut ex malo conuertatur in bonum, siue ut in bono perseveranter proficiat, siue ut ad bonum sempiternum perueniat: ubi iam non timeat, ne deficiat. His scilicet verbis elatus Pighius, furioso impetu in me insurgit: me inique, tum sycophantiam, tum malignitatem detectam, plenus buccis detonat. Nempe quia, sicut alibi, sub liberi arbitrij nomine voluntatem in homine statuit: quæ

tam boni quàm mali capax, bonorum simul ac malorum operum fons sit ac radix: malam porro esse naturæ corruptione, bonam fieri gratiæ correctione. Quòd si quid de eius sententia adhuc dubitas, fac quòd ipse illic iubet: hoc est, ex alia eius ad SIXTUM Epistola clariorem interpretationem sume: & minimè tibi obscurum erit, quid, aut quantum libero concedat arbitrio.

Postquam autem diu extra oleas vagatus est, ad rem demum reuertitur. Iubet me proferre, si possim, ubi, quando, aut à quibus, Augustino fuerit aliquando obiectum, frustra tradita præcepta, frustra exhortationes suscipi, si nihil ad bene agendum valeat hominis facultas. Quasi verò non hoc clamitet totus liber. Sed ne longiorem probationem texere mihi necesse sit, testes sint illæ ipsæ obiectiones, quas refert: quarum prima est: *Vt quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc non agimus, sed id velle & agere Deus operatur in nobis?* Altera: *Age tamen, præcipiant qui nobis præsumunt, quid facere debeamus: & ut faciamus, orent pro nobis, non autem corripiant & arguant, si non fecerimus. Nam si præparatur voluntas à Domino, cur me corripis, cum rides me eius præcepta facere nolle? & non potius Deum rogas, ut in me operetur & velle?* Tertia: *cum non omnibus detur, quid corripimur, arguimur, reprehendimur, accusamur? Quid facimus, qui non accepimus?* Hæc, inquam, & similes calumniæ, quas illic tractat, quid aliud sunt, quàm ad ridendum ac traducendum gratiæ predicationem, profana impiorum ludibria? Sed hæc, auctore Pighio, ut in Augustinum perperam dicta sunt, ita in nos rectè dicerentur. Fac ita esse. An idèò mentitus sum cum dicerem, illum fuisse talibus calumnijs vexatum? Fuerit immeritò. Quid hoc ad me? De facto tantum loquor. Pighius de iure mihi facit molestiam: & postea alios clamores mouet, quasi me in mendatio deprehenderit. Sic sunt omnes meritoric lingue: modò meritoria improbitate ac proteruita exultent victoriam tribus triumphis digne comparasse se putant. Neque vnquam pudoris aut ingenuitatis micam in eo reperias, qui ex loquacitate quæstum facit. Sed videamus iam, quo discrimine nos ab Augustino separet. In vos, inquit, qui vnius diuini beneplaciti esse asseritis, ut pari morbo laborantibus nobis omnibus, ijs quidem medicam manum adnoueat, alios prætermittat, sinatque in sua putredine contabescere, hoc rectè diceretur: stultum esse docere, hortari, reprehendere. In Augustinum non item, qui prorsus diuersum sentit. Quid autem Augustinus contra? Postquam prauitatem omnibus ingentiam esse à natura docuit, corripitur, inquit, origo dominabilis: ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur: si tamen qui corripitur, filius est promissionis: ut strepitu correptionis forinsecus insonante, atque flagellante. Deus in illo intrinsecus, occulta inspiratione, operetur & velle. Audis, hominem nihil verbis aut monitionibus posse moueri, nisi intus per Spiritum voluntatè formet Deus. Audis non à indifferentem omnibus, sed tantum filijs promissionis hoc dari. Rursum: *A massa perditionis, quæ facta est per primū Adā, debemus intelligere, neminè posse discerni, nisi quòd hoc donū habet quisquis habet, quòd Dei gratia accepit. Quos elegit porro, eos & vocauit: Existis nullus perit: quia omnes electi sunt. Electi autem sunt, quia secundum propositum vocati: propositum autem, non suum, sed Dei. Item paulò post. Sciuit Deus, qui sui sunt. Horum fides per charitatem efficax, aut nunquam deficit: aut si qui sunt, quorum deficit, reparatur, antequam vita ista finiatur: & deleta, quæ intercurrerat, iniquitate, usquè ad finem perseuerantia deputatur. Qui verò perseueraturi non sunt, ac sic à fide lapsuri, non sunt à massa illa perditionis, præscientia Dei & prædestinatione, discreti: & idèò nec secundum propositum vocati: ac per hoc, nec electi. Quantum verò ad nos pertinet, inquit, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob*

Caput. 6.  
eiusdem  
lib.

Caput 7.

Cap. 16.

hoc

hoc, omnes saluos fieri velle debemus, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter seuera correptio: Dei autem est, illis eam facere vtilem, quos ipse præsciuit & prædestinauit. Nónne iam in Pighio cernunt omnes, quòd nuper dixi? Prostituta lingue homines susque deque habere, quale illud sit quod dicunt: modò non profusus taceant. Illæ, inquit, obiectiones meritò in eos conferuntur: qui dicunt solo Dei beneplacito discerni homines, & alios quidem donari gratia: alios præteriri ac desitui, prout Deo visum fuerit: ad Augustinum verò nihil pertinent. Atquì nihil agere aliud toto libro Augustinum palàm est. Meritò, inquit, sic loquitur Augustinus: O homo, in præceptione cognosce, quid agere d. beas: in correptione cognosce, tuo te vitio non habere: in oratione cognosce, vnde accipias. Sed quo pacto hoc dicat Caluinus, qui negat in hominis esse potestate, ante perceptam gratiam, eam quærere aut appetere? Imò cur plus Augustino quàm mihi concedit, qui nihilominus quàm ego, illud ipsum subinde in ore habet? Quid enim vox illa significat? Conuertine posses, nisi voceris? Nónne ille qui te vocauit aduersum, ipse præstitit vt conuertereris? Noli ergo tibi arrogare conuersionem tuam: quia nisi ille te vocaret fugientem, non posses conuerti. Quid item altera? Vocat nos sine nobis? Quid tertia? Non tantùm vt ex nolentibus faciat volentes, sed ex repugnantibus etiam obsequentes: Et aliæ similes innumeræ? Sed hoc Pighio licet, qui in prostibulo Romani Antichristi operam suam locauit.

In psal.  
84. De.  
Grat. & li.  
arbitrio.

Cæterum, dum huic obiectioni respondendum est, nego nos esse solos in ista causa, sed Christum & omnes Apostolos esse nobis coniunctos. Atque id confirmo: quòd cum vbique doceant, nullus esse ad bonum hominis facultates, nil, ilque penitus valere, non ideo tamen & præcipere, & hortari, & reprehendere desinant. Hic me conuictus lacerat Pighius, quòd Christum in causa societatem accersam, qui se pulsare testatur, vt sibi cordis ostium aperianus: qui vrbis Ierusalem, in sua peruicacia obstinata exprobrat, incluisse eam congregari filios suos, cum facere id ipse vellet. Hæc nugatus, quasi Christum nobis valde aduersarium fecerit, insultat. Atquì hoc est quod tant opere contendimus, minimè præcludi exhortationibus & correptionibus viam, utcumque non possit parère homo, nisi Dei spiritu eius voluntas in obedientiam formetur. Simile in Paulo specimen edit: cum gratiam sic ab eo commendari cõmemorat, vt neque libero arbitrio admat locum. Vnde probat? Neque enim velle aut currere nos negat: si de bona voluntate intelligit, vbinam erit illud? Deum, & velle, & perficere, in nobis operari. Si vtrunque proprii gratia eius opus est, continuò non esse ex natura virtute sequitur. Sed videt quid sit. Vulgari illa hallucinatione captus est Pighius: nõ est volentis, neque currentis: velle igitur accurrere nostrum est. Cum ex aduerso ideo ratiocinetur Paulus, volendo aut currendo non consequi nos Dei gratiam: quia nulla sit in nobis bona voluntas, nullus bonus cursus: quæ possint id promereri. Atque id est, quod ait Augustinus: Quomodo nõ volētis neque currētis, nisi quia ipsa voluntas à Domino præparatur. Alioquì si propterea dictum est, accipiamus nõ volētis neque currētis, si d. miserentis est Dei, quia ex utroque fit: id est, ex voluntate hominis, & misericordia Dei: vt sic dictum accipiamus, non volentis neque currētis, sed miserentis est Dei, tanquã diceretur non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei: Non ergo sufficit & sola misericordia Dei, si non sit & hominis voluntas. Ac per hoc, si rectè dictum est, non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet, cur non & à contrario rectè dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porro si nullus dicere Christianus audebit, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat restat, vt propterea

rectè dictum intelligatur: non volentis neque currentis, sed miserationis Dei, ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam, & preparat adiuuandam, & adiuuat preparatam. Præcedit enim bona voluntas multa Dei bona: sed non omnia. Quæ autem non præcedit, in ijs est & ipsa. Sed negat Pighius, constare nobis doctrinæ nostræ rationem, dum sic prædicamus gratiam, ut nullas ad bene viuendum partes libero arbitrio relinquamus. Siquidem impotentes ad obsequium hortari, perinde est, ac si quis seruum suum, quem clausum carcere maniciisque constrictum teneret, huc illuc iuberet cursitare. Conueniret fortè nonnihil hæc similitudo, nisi altera parte claudicaret: altera concideret. Nam si Dei tyrannide, non autem propria cordis prauitate, captiuos nos teneri confiteremur, tum aliquid coloris haberet. Nunc autem cum & causa mali & culpa in nobis hæreat: cum non alijs, quam propria peruersitatis, vinculis induti ac constricti ad currendum simus inuitiles, multum est in comparatione discriminis. Ad hoc, cum præcipuus admonitionum & reprehensionum usus electos respiciat, non reputare, in hunc finem illis à Domino præcipi quid agendum sit, & dum non obsequuntur, suam illis, tum miseriam, tum prauitatem indicari, & quòd tam modo exprobari, ut ad eos liberandos Spiritui sancto via sternatur, nimis est cæcitas: aut certè, si reputes, ac dissimules, nimis perditæ impietatis.

Quamquam locum hunc sic tractatum à me fuisse confido, ut parum apud eos, qui mentis aliquid habent, allatrando proficiat Pighius. Quòd si quis amplius satisfieri sibi desideret, in promptu est liber ille Augustini: qui in hæc rem totus est compositus. Neque tam est inuoluta quæstio, quin paucis verbis absolui queat. Si non est, inquit, obediendi in homine facultas: dicendo & monendo Deus ludit operam. Luderet, fateor, si sola externa doctrina vteretur: quantum ad verum profectum dico. Nunc verò, cum Spiritu suo reddat efficacem doctrinam, plurimum abest, ut sine fructu loquatur. Nihil esse pronuntiat Paulus omnes eos, qui plantant vel rigant. Quis sic? nisi quia nihilo plus consequuntur Christi ministri, docendo & concionando, quam si aërem flatu ferirent? Vnde autem fit ut adeo sit inutilis eorum labor? nisi quòd lapidibus loquuntur, donec, mirifica & arcana, sua operatione, instilat Deus in hominum mentes, & cordibus inspirat, quod eorum opera non nisi ad aures peruenire poterat? Ita concludit Deum, qui dat incrementum, solum esse omnia: non quòd, omnia Spiritus sui virtute agendo, seruorum suorum ministerium excludat, sed ut solidam sibi actionis laudem vendicet: sicut tota ab eo vno efficacia emergit, & vanum est ac sterile, quicquid sine ipso laborant homines. In hac doctrina tantam absurditatem congeriem Pighius contineri dicit, ut omnia excutere immensi sui operis. Itaque ingeniosam occupationem habere se putat, ut transilire ulterius liceat inoffenso pede, dum infinitos locos esse dicit, in quibus ipse pugno mecum. Quamquam ne absque argumento videatur hæc dicere, vnum mox profert: Bifariam in electis suis Deum operari dico, extrà per verbum, intus per spiritum. Spiritu mentes illuminando, corda in iustitiæ amorem cultumque formando, nouam eos creaturam facere, verbo, ad eandem renouationem expetendam, quærendam, assequendam excitare. Hic me euidenter mihi contradicere, isto modo ostendit. Aut enim Spiritus actione, inquit, prior est verbi prædicatio: aut posterior. At: qui secundum hoc à ratione dissentaneum est: quia frustra quærerent & appeterent regenerationem fideles, quam iam consecuti essent. Priorem verò esse, cum doctrina mea non conuenit: quæ hominem sub naturæ vetustate, ne appetere quidem posse bonum tradit. Subtilem certè artificem, qui tam bene nouit telus aranearum texere. Ego verò respondeo, fidelibus iam regeneratis prædicari verbum, idque efficaciter, & cum fructu: non ut nascantur nouæ creaturæ, sed ut augeantur & adolescant, sicut crescere & proficere

proficere tota vita nos oportet. Si ad summam perfectionem primò gradu perueniretur, frustra quidem docerentur, qui semel audierunt. Sed nos aliud experimur. Iam ergo abrupta est pars vna texture. At, nisi memimur, ante regenerationem verbo excitari nemo poterit ad expetendum Dei Spiritum. Meritò alicubi Augustinus, scholam hanc procul à sensu carnis remotam esse admonet. Quamquam vnicuique persuaderi nequeant homines, stultis suis cogitationibus inebriati, conuinci tamen possunt, ut ne amplius Deo obloquantur. Principiò, Paulum meo loco, substituam, qui ad repellendos Pighij insultus fortior erit, & instructior. Is enim fidem docet esse ex auditu: & cōtinuò tamen subiicit, non nisi ex arcana brachij Dei reuelatione haberi. Audis, hominem ex incredulo, verbi prædicatione, fidelem fieri? audis rursus, incredulum manere, donec Dei Spiritu fuerit illuminatus. Hæc duo si quid videntur habere repugantiæ, vno verbo inter se conciliat Paulus: dicit sibi commissum esse Spiritus ministeriū gloriatur: & quid sibi hoc velit, declarat: Nempe quòd efficaciter insculpat Deus hominum cordibus per Spiritum, quod per os eius, non antè, nec post, sed simul auribus loquitur. Prædicatione ergo iacitur semen: ut autem radices agat, ut germinet, ut fructificet, Dei Spiritus intus facit. Nunc, ut ad mea verba etiam veniam: verbo excitantur homines ad expetendam regenerationem, quando? dum Spiritus Dei scilicet organon illud suum reddit efficax, ut tale desiderium accendat. Quamquam momenta aut articulos agendi Deo præscribere, nostrum non est. Tantum retineamus, illam, quam describit Paulus, arcana Spiritus operationis cum externa hominis prædicatione calligationem, & erimus omni difficultate expediti.

Quoniam autem nonnulla Scripturæ testimonia, quæ parum in speciem videntur cum doctrina nostra congruere, in nos torquent aduersarij, in mea Institutione ostendo, qualiter fallò & perperam in alienum sensum sic torqueantur: atque ut in compendium redigam, in certos ordines distribuo: quorum primus est de præceptis. Aut illud it, inquit, nobis Deus præcipiendo, aut non, nisi quæ sunt in potestate nostra, à nobis requirit. Hic respondéo, nihil intelligere eos, qui hominis vires præceptis metiuntur. Pighius ad illud ritum suum axioma redit, non esse impossibilem legis obseruationem: quòd eo maiore animo pronuntiat, quia nunquam de legis obseruatione serió cogitauit. Tales enim hodie ferè sunt magnanimi isti gigantes, qui de legis facilitate, de operum meritis, de perfectione philosophantur: alto enim Spiritu desumpunt, legem obseruatu possibilem esse, cuius nullam omnino partem, vel minimo digito, vnquam attigerunt. At si semel vel leui apprehensione conciperent, quid sit illud: Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus tuis, agnoscerent profecto, quàm procul ab eius complemento distare hominem necesse sit, quandiu corpore hoc mortali circumdatur. Sed nos in alia etiamnum questione versamur. Non enim implenda modò, sed etiam inchoanda legi imparem dicimus esse hominem: nec perfectam modò & exactam iustitiæ plenitudinem, sed infimam quoque & facillimam partem illius facultatibus superiorem esse dicimus, quas adeò in sublime Pighius euehit. An autem verum illud sit necne, nolo ut quispiam ex me discat: sed consulat vnusquisque fidelium viam fidei experientiam, tum certius rei, quàm verbis assentietur. Iam quæ, ad huius sententiæ confirmationem, clarissima Pauli testimonia allego, ritè se diluisse putat: cum huc non pertinere pronuntiauit. An quia per legem, inquit, cognitio peccati, ideò impossibile est legis obseruatio? Ego verò non id modò, sed seruum quoque obseruandi studium impossibile esse, inde colligo: sicut loci contextus necessariò postulat. Nam, illa questione in medium posita, possunt obtineri iustitia per legem, ut hoc impossibile esse conuincat, hac tantum ratione vititur: per legem cognitio peccati.

Est autem argumentum à contrarijs: quòd nullo modo stare, si alius omnino esset legis effectus. Perinde igitur est ac si diceret, legem aliud nihil ex se afferre hominibus, nisi ut summ illis peccatum patefaciat. Finge nunc hominem aliquid valere proprijs viribus nonne protinus totum illud corruet? Apertius etiànum alitero loco: ubi legem docet superuenisse, ut abundaret peccatum. quòd verum non esset, si vllx ad obediendum vires in homine subessent. Proinde qui legis usum nouerit, minimè ex illius præceptis hominũ virtutem æstimãdam cognoscet. Bene itaque alicubi Augustinus: Dicimus lege fieri, ut Deus quid fieri velit, audiat: gratia verò fieri, ut legi obediatur. Lex ergo auditores iustitiæ facit: gratia factores. Alibi etiã expressius: Iustitiã Dei, non in præcepto legis, quo timor incutitur: sed in adiutorio gratiæ Christi, ad quam solam vtiliter legis timor, velut pædagogus, ducit, constitutum esse qui intelligit, ipse intelligit, quare sit Christianus.

Lib. ad  
Bonifa. 3.

De natu.  
& gratia  
Cap. 1.

Cum dico, legem, quid agendum sit, præscribere, ut obediendi virtutem à Domino flagitemus, rectè, inquit, quandoquidem, & quod sumus, & quod viuimus, à Domino esse fatemur. Atqui alio modo sumus & mouemur, ut homines: alio, ut filij Dei. Communis omnium est illa gratia: hæc electis peculiariter confertur: illa naturæ quodammodo insita est: hæc præter naturam homini datur, ut quod erat, esse desinat: & esse incipiat quod nondum erat. Deinde in meis verbis repugantiæ speciem querit. Quis gratiam, inquit, præcabitur sibi, quam nemo desiderat, antequam habeat? Equidem Spiritum precationis à Deo fateor dari: & si taceam, Paulus satis demonstrat, cum fidem orationis matrem esse testatur. Verùm hoc minimè interea obstat, quominus externum quoque doctrinæ organum instar stimuli adhibeat Deus, ut, quo solet modo, in homine opus suũ peragat. Hoc si caperet Pighius, litigandi aliquando finem faceret. Ad hæc, collectionem hanc meam reprehendit: frustra implendæ legi facultatem queri in hominis natura, cum peculiare sit Dei donum. Non enim, inquit, idè videre non est nostræ facultatis, quia solus claritate ad videndum indigemus. Solenne illud suum obseruat Pighius: decipitur ineptis similitudinibus, quæ tantum habent diuersitatis à re præsentis: quantum cælum à terra distat. Non enim solis vice nobis est gratia, in quam oculos dirigamus, si libeat, sed oculos etiã mentis nobis dat & aperit, ut lucem veritatis in verbo suo refulgentem intueamur. Vnde illa est Pauli præcatio, ut Deus illuminatus mentis oculos Ephesus dare velit, quibus percipiunt, quæ sit spes vocationis suæ: & cum omnibus sanctis comprehendant, quæ sit longitudo, latitudo, & profunditas. Nec mirum, cum alibi spiritualis sapientiæ altitudinem in cor hominis ascendere neget.

1. Cap.

1. Cor. 2.

In secunda classe promissiones constituo, quæ conditionem habent annexam, si fecerimus, quod postulat Deus à nobis. Nam illis sic aduersum nos pugnant: Quorsum pendere à nobis eorum complementũ dicitur, quæ Deus promittit, si penes nos non sit, facere ut impleantur? Sic autem illic respondeo: cum fidelibus iuxta ac impijs offerantur promissiones, suum apud utrosque usum habere. Impios enim ita conuincit, ut sua indignitate priuari se Dei beneficijs agnoscant, quæ suis cultoribus præstare solet: ut pij rursum ad timorem & obedientiam Dei, ad veram cordis puritatem & innocentiam, proposita illic benedictione, reddantur alacriores: sed Spiritu rectitudinis freti, non viribus suis. Proinde talibus promissis ablegari doceo ad quærendam Dei gratiam, qua sola peruenire illuc possunt, quò vocantur: Pighius in libero arbitrio retineri putat. Quam opinionem ut confirmet diuersum finem à Moise fuisse designatum, obtendit. Sic enim, promulgata lege, loquitur: Considera, quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & mortem &c. Quasi non clamet ex opposito Apostolus, legem, quæ in vitam per se cedere debuerat, naturæ nostræ

Rom. 7.

nostræ vitio fuisse nobis in exitium conuersam. Lex quidem iusti officij exactrix est: sed nos soluendo minimè sumus. Lex inestimabile illud vitæ æternæ præmium suis cultoribus repositum esse ostendit: Sed nemo est, qui vel serio saltem conatu adspirare illuc, propria virtute, queat. Roma. 10.  
Galat. 3. Quare Paulus, dum illud adducit, qui fecerit hæc, uiuet in illis, conuinuò, quasi re desperata, confugere ad alterum asylum nos docet: ut gratuidò & sine operibus consequamur, quod Deus loco mercedis, illic operibus promittit. Sed in stat Pighius, quia mox subiiciat Moyses: ut facias, & opere compleas. Nempe ut hoc audio officij nostri necessitatem sciamus: & factò virium nostrarum periculo, infirmitatis, vel impotentia potius nostræ conuicti: dicere Deo cogamur: Da quod iubes: & iube quod uelis.

Tertia classis ijs sententijs constat, ubi Dominus populo Israëlítico exprobrat, per eum tantum steriisse, quominus omni bonorum genere fruereetur. Tales enim exprobrationes in eos congruere non videntur: quibus admanum sit hæc responsio: Nobis prosperitas cordi erat, aduersa timebamus. Quod autem illius adipiscende, horum fugiendorum causa, Domino non paruimus, eò fictum est, quia peccati dominationi obnoxij liberum non fuit. Frustrà igitur mala nobis exprobrantur, quæ effugere, non fuit nostræ potestatis. Respondeo, quòd verum est ac simplex: inuestigandum esse mali fontem, ut inde iudicetur, ubinam resideat culpa, aut in quem conferri debeat. Iam nemo aliud causari potest cur peccet, nisi malam voluntatem. Voluntatis porò malitia non aliunde est, quàm ex hereditaria corruptione. Quid igitur prodest, eius inuidiam aliò deriuare, quod iure nobis imputatur? Culpe radicem in nobis inuenimus. Quid ergo, ad captandam excusationem conamur aliò transferre? Hanc responsionem satis valida confutatione repellere se putat Pighius, dum suo fastidio respuit: nisi quod in Moysi testimonio, illic etiam excusso, aliquanto diligentius insistit. Moyses enim, promulgata lege, populum in hunc modum contestatur. Mandatum hoc, quod ego hodie tibi præcipio, non est occultum, neque procul positum, sed iuxta te est, in ore tuo, & in corde tuo. Hæc contestatio cum videatur in homine multum collocare, videri etiam posset superiori solutioni esse contraria. Eam igitur adduco, & explico: neque tamen interim dissimulo, eludere promptum mihi fore, si cauillari haberem in animo: utique si de notitia tantum, non autem obseruandi facilitate, agidixero. Sed ostendo ex Paulo, quis sine dubio genuinus sit ac purus sensus: Nempe si ad Euangelium, non ad legem referas. In refellenda priori solutione, quam ipse cauillatoriam esse fateor, multum laborat Pighius: ad hanc alteram cum ventum est, nihil posse absurdius fingi existimat, aut magis à Moysi verbis dissentaneum, quàm si verum sit, de Euangelio oportere hoc intelligi. Iam nihil miror, quòd tam sæuum ac truculentum aduersum nos se præbeat, cum in Spiritum sanctum nihilo sit clementior. Certè Spiritus Christi, qui per Moysen locutus fuerat, per os Pauli, quid voluerit, enarrat. Neque verò perplexa est aut obscura interpretatio. Fit enim Euangelij & legis comparatio: quòd lex vitam non promittat, nisi ijs, qui mandata impleuerint: Euangelium autem gratuitam iustitiam offerat, qua homines Deo reconcilientur, ac æternæ salutis hæredes fiant. In hanc rem citatur locus ille: Non procul est verbum, neque supra te situm: & additur: Hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Si perspicuitas quaeritur, quid desideres magis ad intelligendum facile? Si auctoritas: cælestis est oraculum. Audiendæ igitur non sunt contrà Pighij blasphemia? Sed quoniam bellum cælo denuntiare non horret hic gigas, spectemus paulisper, qualem impressionem faciat. Totus, inquit, contextus necessariò postulat, de lege intelligi. Fateor certè de lege primum, quatenus ad Euangelium transitus est, idque officij habet, ut ad Christum manu ducat. Verum quoniam de solis præceptis

dd

frustrè hæc dicerentur: vel saltem parum homini conducere, non nisi in exitium scilicet illi, propter naturæ vitium, cessura: idè non per *κατὰ χριστιανισμόν*, sed secundum proprium, & literalem, ut sic loquar, sensum, ad Euāgelium traducit Paulus. At quæ hæc illustria sunt: Præcipio ut facias: Propono in conspectu tuo hodie vitam & mortem: si contemptoribus dicantur, quos necesse sit in sua duritie ac contumacia persistere, donec cor ipsorum lapideum reformet

Cor. 3. Deus. Non sic Paulus, qui legem idè ministerium mortis, & damnationis vocat, quòd nihil quàm occidere & exitio dare suos discipulos potuerit, nisi per nouum fœdus cordibus insculpta esset. His dictis, quasi me constrictum ad suum tribunal reum iudex teneat, sufficienter demonstratum pronuntiat, quàm contraria sententiæ nostræ, sit tota Scriptura. Ego verò consulo, si quid iudicare posthac velit, ut se prius ad Anticyram conferat: unde sanioris & purgationis cerebri redeat.

In Librum quintum.



In libro quinto, in hoc elaborabat, ut recitatis iterum hæreticis veteribus, qui in præsentis questione aberrarunt, inter diuersas & pugnantes sectarum opiniones sic temperatam ostendat suam, suique similitudinem doctrinam, ut ab extremis hinc inde retractata, mediocritatem retineat: nos verò contrà, ex singulis eorum, qui libertati arbitrij derogarunt, aliquid hausisse: atque ita permixtam partim ex multis variisque erroribus doctrinam habere conuincat: partim noua etiam commenta addidisse, quæ omnem priorum hæreticorum impietatem superent. Nos enim cum Marcione, Valentino, Manichæo, & similibus, naturam hominis malam fingere: cum VViclefuo & Laurentio Valla, hominem diuinae tantum voluntatis instrumentum ficere, ut agatur potius, quàm agat. Omnia suspendere ex Dei voluntate, ut nihil nobis contingenter accidat, sed mera necessitate omnia. Hoc verò alijs omnibus habere peius, quòd tantæ peruersitatis naturam totam, quanta quæ vitia est, damnumus, ut nihil possit quàm malè agere, etiam in sanctis: cum illi, Valentinus scilicet, Marcion, ac Manichæi, partim bonam, partim malam docuerint. Dixi etiam antè, & quasi digito indicaui, quàm putida sit calumnia, quòd nos ita Marcioni & Manichæis subinde aduiguit: à quibus non minus dissidemus, quàm Pighius ipse à nobis. Quòd naturam tradimus malam esse, videri fortè cum illis habere id cõmune in speciem possemus. Verùm, secundo deinde verbo, tantum inter nos esse discriminis palam facimus, ut ne minus quidem suspicio hæreat. Nam cum illi essentialem in natura malitiam constituent, eamque ab ipso creationis initio talem extitisse imaginentur, nostri ex naturæ corruptione vitium esse definiunt: naturam verò non cœlesti aliquo influxu, sed voluntario hominis lapsu corruptam fuisse, constantè profitentur: ut cum queritur mali causa, non extra nos exire, sed nobis totam culpam imputare debeamus. Hic noster est cum Valentino, Marcione, & Manichæis consensus: quantum scilicet inter ignem & aquam conuenit. Si fidem sibi quis fieri petat, primum extant libri nostri, optimi & locupletissimi testes: deinde nihil hic leges, quòd non ipse Pighius ex mea Institutione recitet. Neque tamen contentus pares nos tam absurdus hominibus fecisse, maiori execratione dignos esse clamat: quia totam naturam damnemus. Nempe, cum non aliqua sui parte homo peccauerit, sed totus, quid mirum, si se totum dicitur perdidisse? Sed permultum interest, accersitione sua culpa vitio, sicut tradimus, an aliunde sibi indivo, sicut delirant illi, dicatur laborare. Quòd si hominum patrocinio opus est, Augustinum habemus horum omnium authorem. De necessario aut fortuito

rerum



verum euentu, nihil in presentia attingere placet: ne res diuersas implicando, orationis feriem conturbem. *Hominem sic quidem docemus agi Dei gratia ut tamen simul agat: sic tamen ipsum agere, ut penes Dei Spiritum tota sit ac maneat actionis efficacia.*

Atque ut appareat, quantam ex mentendi consuetudine licentiam audaciamque sibi acquisierit, non modo sua mendacia aliquo saltem colore obducere nihil curat, sed ne cui ignota sunt, ex mea Institutione refert, quæ ea in promptu arguant. Neque enim in creatione vel opere Dei constituimus prauitatis nostræ originem, sed in primi parentis nostri culpa, quod voluntaria defectione miseram seruiendi conditionem sibi contraxerit, cum liber creatus esset. *Hoc autem unum est, quo à Manichæis & similibus orthodoxos discedere contentus est Augustinus. Vides ergo, ut hic furiosus, postquam verbo nos damnauit, re ipsa protinus absoluat. Quod autem totum hominem sic vitiatum: esse dicimus, ut nulla sui parte adspirare per se ad Deum possit, nõ aliud asserimus, quàm quod testatur Deus: quo nemo melior de homine iudex inueniri queat, cum nullus melius, quid sit in homine, nouerit. Siquidem totum hominem carnis nomine designari, non est difficile probare, quantumlibet repugnent contentiosi. Nam quoties, contraria oppositione, cum Spiritu comparatur, Spiritus nomen proculdubio pro re generationis gratia capitur. Restat, igitur, ut caro sit, quod, nondum re generati, habemus à natura. Nec alio argumento probat Christus, oportere nos renasci, nisi quia quod natum est ex carne, caro est. Si pars tantum hominis foret caro, nõne ratio hæc per se frangeretur? In promptu enim esset responsio: partem hominis excellentiorem procul distare à carne. Quo autem elogio carnem hanc commendat Paulus? Scio, inquit, quod non habitat in me, id est, in carne mea, bonum. Item: Sensus, aut cogitatio carnis, inimicitia est aduersus Deum. Qui carnem omni bono vacuam esse testatur, & causam simul indicat, quod tota rebellis sit Dei iustitiæ, & nihil cogitare aut meditari queat, nisi Deo contrarium: nihilo plus, aut minus, quàm nos dicit. Et ne quis in ipso adhuc carnis nomine ambiguitatem capiet, prius nullam prorsus in homine partem, reliquerat, quam non damnationi subiicisset. Legatur humanæ naturæ descriptio, quæ capite ad Romanos tertio habetur: quid homini, à damnatione immune, illic relinquit? Quod ergo de naturæ nostræ vitiositate pronuntiaui, non meum est, sed Spiritus sancti iudicium.*

Hinc verò, quod deinde subijcio, consequi, quis non videat? Non esse in hominis potestate, ut se prepararet ad recipiendam Dei gratiam: sed totam conuersionem esse donum Dei? Quamquam hoc quoque caput habet sua certa & clara testimonia. Nam cum Dominus pro corde lapideo, daturum se nobis cor carneum promittit, quis præparationi locus relinquitur? Qui ex nolente fit voluntarius: ex rebelli & contumaci, paratus ad obsequium, quam sibi præparationis laudem arrogabit? Nec minus verbis illis exprimitur: Inuentus sum à non querentibus me. Tametsi enim de Gentium vocatione loquitur Propheta, in eam tamen vniuersalem nostræ omnium vocationis typum representat. Deici-  
tur est, nos præuenire, ut nos ad se conuertat. Nec mirum. Siquidem cum cogitare multominus sit, quàm velle: ne hoc quidem nobis reliquum Paulus facit, ut idonei simus ad aliquid boni cogitandum. Proinde, cum Propheta confiteamur, omnes nos, sicut oves, aberrasse: unumquemque declinasse in viam suam: cum Dominus in viam suam nos reduxit. Nec Dominus etiam vllam gloriæ huius particulam aliò traduci patitur. Suum enim opus esse clamat, quod ex cecitate illuminamur: quod ex tenebris transferimur in lucem suam: quod mente renouamur: quod denique à morte excitamur in vitam. Quo præparationis genere, Dei gratiam, mortuus prouocabit?

Sequitur tertium membrum, de efficaci gratiæ operatione. Nego igitur, gratiam sic nobis offerri, ut nostræ postea sit optionis, vel obtemperare, vel refragari: nego tantum in hoc dari, ut imbecillitatem nostram, subsidio suo, adiuet: quasi in nobis aliàs quicquam sit situm: sed hoc in solidum illius operis ac beneficium esse confirmo, ut cor nostrum, ex latido in carneum, vertatur: ut voluntas fiat noua: ut nos demique, corde & animo reformati, velimus, quod velle oportet. Neque enim efficere Deum in nobis testatur Paulus, ut possimus bene velle: sed hoc quoque ipsum, ut velimus, ad complementum usque operis. Quantum interest inter effectum & voluntatem? Proinde efficaciter formari voluntatem nostram constituo, ut Spiritus sancti ductum sequatur necessarîo, non autem incitari dumtaxat, ut valeat, si velit. Quod porro de vno opere dicimus, id ad totam vitam extendi debet. Neque enim fuerit satis, si cor hominis semel direxerit Deus: nisi perpetuò similiter retineat, & in perseverantia confirmet. Iam in perseverantia, duo hæc obseruanda esse admonéo, ne hominem imaginemur Deo cooperari, propria aliqua virtute, dum Spiritus gubernationi obsequitur: ne posteriorem gratiam loco mercedis, illi retribui putemus, quasi, priore bene utendo, hoc promeritus fuerit. Neque enim aliud posse homines concedo, quàm quòd illis datum fuerit, & Deum perpetuò tenore sic persequi in illis opus suum, ut gratuitum sit, quicquid illis ad finem usque confert: nisi fortè cum Augustino mercedem vocare libeat, quia sit gratia pro gratia: quia suam in electos beneficentiam noui subinde donis cumulet Deus. Hoc totum si quid intelligo, vno verbo cõplectitur Paulus, cum Deum, vnum esse docet, qui & velle operetur in nobis, & perficere, pro suo beneplacito. Non de vno die loquitur: sed de continuo actionis cursu, cuius vnicam causam ponit, Dei beneplacitum: hoc est, gratuitam, sine vllius meriti respectu benignitatem.

His omnibus quòd dicam Augustinum subscribere, suauiter me subsannat Pighius. Verum nihil dico, quod non prius ante lectorum oculos posuerim: & nullum est caput, quòd non præpò ad verbum sæpius apud Augustinum occurrat: certè nullum est, quòd non liculento eius testimonio confirmare liceat. Totam hominis naturam vitiosam esse doceo. Quid Augustinus? Noli, inquit, putare, te aliquid operari, nisi in quantum males. Item: Spiritus vitæ in Christo regenerat fideles, ita corpus mortis in Adam genuerat peccatores. Hæc carnalis est generatio: illa spiritualis. Hæc filios carnis facit: illa filios Spiritus. Hæc filios mortis: illa filios resurrectionis. Hæc filios seculi: illa filios Dei. Illa filios misericordiæ: hæc filios iræ. Hæc peccato originali obligatos: illa omni vinculo liberatos. Item: Dicimus opus Dei esse homines, in quantum homines sunt: sed esse sub diabolo: quantum sicut peccatores. Ad eò autem totum hominẽ peruersum esse testatur, ut quicquid habet bonorum videtur à seipso, cedit illi in peccatum. Gratuita Dei gratia dico hominẽ præueniri: nullo suo merito ad eam peruenire: imò ne appetere quidẽ eam posse, donec extrinsecum in corde eius hoc desiderium fuerit. Dicat Augustinus: Ostendit ergo, Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, & præuenire in hominibus bonarum merita voluntatum, ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur: non ut gratia merito voluntatis antecedente doneatur. Item: Hic est præcipuus quæstionis cardo, vtrum præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem: vel ut plinius eloquar, vtrum id eò nobis detur, quia volumus: an per ipsam Deus hoc quoque efficiat, ut velimus. Item: Quia liberum arbitrium ad Deum diligendum primi peccati magnitudine perdidimus, ut in Deum credamus, & piè viuamus, non est volentis neque currentis: non quia non velle debeamus & currere: sed quia in nobis vtrunque efficit. Item: ut quid Do-

minus

Lib. 1. de  
peccat.  
meriti &  
remiss.  
Cap. 2.  
In Plat.  
143. Lib.  
ad Boni. 1.  
cap. 18.  
Lib. ad  
Boni. 3.  
cap. 5.  
Lib. 4.  
aduer.  
Iullia.  
Ad Vitale  
Epi. 107.

minus iussit nos pro infidelibus orare? An ut eis pro bona eorum voluntate gratia retribuat? ac non potius ut ex mala in bonam mutetur eorum voluntas? Dicit enim: Nemo potest ad me venire, nisi Pater meus traxerit eum. Non ait illic, duxerit: ut aliquo modo intelligamus precedere illic voluntatem. Quis trahitur, si iam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari: non ut nolentes credant, sed ex nolentibus volentes fiant. Item: Liberum arbitrium non nisi ad peccandum valet, quandiu est captiuum. Item: Quomodo hominis bonum propositum, nisi miserante prius Domino, cum ipsa sit bona voluntas, que preparatur à Domino? Item Ostendit Deus, nullis hominum bonis meritis prouocari, ut eos bonos faciat: sed potius eis retribuere bona pro malis propter seipsum hoc faciendo, non propter illos. Item: Secundum placitum voluntatis suæ, ne placito gloriemur voluntatis nostræ. Non optionem tantum homini deferre Deum sentio, ut bene & volendi & agendi facultatem habeat, si libuerit: sed cor eius efficaciter moueri ut velit: & ipsum totum sic dirigi, ut faciat, & opere compleat, quod velle illi datum fuerit. Loquatur nunc Augustinus. Corrigenens quandam sententiam, quæ minus consideratè dicta fuerat: Congruentiùs, inquit, hoc modo: definita Dei voluntate, ut ex infidelitate ueneritis ad fidem: accepta voluntate obediendi, & accepta perseverantia maneat in fide. Item: Istam gratiam non habuit primus homo, quæ nunquam uellet esse malus, sed habuit, in qua si permanere uellet, nunquam malus esset: & sine qua, etiam cum libero arbitrio, bonus esse non posset: sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Hæc est prima gratia, quæ primò Adam data est: sed hæc potentior in secundo Adam: quæ etiam fit, ut uelit: tantumque uelit, tantòque ardore diligat, ut carnis voluntatem, contraria concupiscentem, voluntate Spiritus vincat. Nec illa quidem parua erat, qua demonstrata est potentia liberi arbitrii: quoniam sic adiuuabatur, ut sine hoc adiutorio in bono non maneret: sed hoc adiutorium si uellet, desereret. Hæc autem tanto maior est, ut parum sit homini, per illam reparare perditam libertatem: parum sit denique, non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si uelit: nisi etiam efficiatur ut uelit. Nunc autem quibus non datur tale adiutorium, pœna est: quibus autem datur: secundum gratiam datur, non secundum debitum: & tantò amplius datur, quibus dare Deo placuit, ut non solum a sit, sine quo permanere non possumus, etiam si uelimus, sed tantum ac tale sit, ut uelimus. Est quippe in nobis per hanc gratiam in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, sed etiam, uelle quod possumus. Et plurima in eundem sensum. Item: Si nobis libera quedam ex Deo sit voluntas, quæ uel bona possit esse, uel mala: bona autem voluntas ex nobis est, melius est quod habemus à nobis, quàm quod habemus ex Deo. Id ipsum ad perseverantiam extendo: ut sicut initium, ita & bonorum operum complementum ab uno Deo pender. Sic autem confirmari uirtute Dei hominem, ne deficiat ut continuus usque ad uitæ finem sit meræ & indebite gratis tenor. Neque cooperari ex se hominem Deo, ut aliquid de suo admisceat, sed pro mensura solum quam accipit: ut non aliter agat: nisi quoad agitur. De hoc etiam respondeat Augustinus. Quomodo non est gratiæ Dei, non solum credendi voluntas ab initio, sed usque in finem perseverantia? cum finis ipse uite non in hominis, sed Dei sit potestate, & possit utique Deus non perseveraturo hoc etiam conferre, ne malitia mutet cor eius? Item: Donum Dei asserimus, esse perseverantiam usque ad finem. Nam cum dicit: Timorem meum dabo in corda eorum quid aliud est, quàm tantus ac talis erit timor, quem dabo, ut mihi perseveranter adherant? Adhæc, cum ubique doceat, liberum in primo homine arbitrium, cum saluum adhuc

Lib. ad  
Bonifa. 1.  
Cap. 19.

Lib. ad  
Bonif. 3.  
cap. 8.  
Lib. 4.  
cap. 6.  
Ibidem.

De pred  
sancto.  
cap. 19.

De bono  
perseue.  
ad Hila.  
& prospere  
cap. 22.  
De corr.  
& grut.  
cap. 11.

Lib. de  
pecca. me  
& remis.  
2. cap. 18.

Epist. 107  
ad vitalè.

De bono  
perse. ad  
Prof. &  
Hila in  
princi.

Cap. 7. & incolume staret, nihil tamē valuisse sine gratia: post casum, inquit, non nisi ad suam gratiam voluit Deus pertinere, ut homo accedat ad eū, nec nisi ad suā gratiā pertinere voluit ut homo non recedat ab eo. Item: Vnde ostenditur, & inchoandi, & vsque in finem perseverandi gratiam non secundam merita nostra dari, sed dari secundum ipsius secretissimam, eandēque iustissimam, beneficentissimam, sapientissimam voluntatem. Item: Hæc sunt dona Dei, quæ dantur electis, secundum Dei propositum vocatis: in quibus donis est & incipere credere, & vsque ad finē perseverare. Ita cōcludit, gratiā sanctus esse omne meritum. Cur ergo mihi nascitur Pighius, si Augustini patrociniō, quod mihi tam liberaliter offert, vior?

De cor.  
& grat.  
cap. 7.

Hoc postremū illum malè habet, quod à regeneratione fidelem animam in duas diuisam esse partes affirmo: ac quoties huius facit mentionem, me imaginari aut somnare dicit. Hæc enim hodie Romaniensium est theologia, fabulosum ducere, quo nihil familiarius homini Christiano cognitum esse debet. Sed quoniam nihilo plus spiritualis experientie habent huiusmodi homines, quàm bruta animalia, saltem ad os Pighio obstruendum valeat Pauli auctoritas. Cum dubium esse non debeat, quin septimo ad Romanos capite, imaginem depiaxerit hominis regenerati, videamus an non illud ipsum quod dico, eo loco, ad vivum representet. Communem ergo fidelium captiuitatem in sua persona deplorat, quod velit quidem bonum & appetat, sed perficere non inueniat: quod mente consentiat legi Dei, carne autem legi peccati ita non faciat bonum, quod diligit, sed potius malum, quod odit. Vides consentientem iustitiæ voluntatem. Vnde igitur impedimentum, quominus sequatur effectus? Non aliud certe, quàm ex contrario desiderio. Vnde porro desiderium illud? nisi quod veteris hominis reliquie in eo habitant, quæ luctantur aduersus Spiritum? Dixerat enim capite sexto, veterem hominem per crucem Christi mortuum esse: postea autem subijcit, non ita esse mortuum, quia certamen adhuc & molestiam faciat. Nunc per veterem hominem quid intelligat, ex alijs locis colligitur, ubi mente & corde renouatinos ad Dei imaginem iubet. Proinde, veteris hominis pars est, & sub hoc nomine continetur, quicquid extra hanc renouationem est. Et ne longius pugnandum sit contrarijs votis, huc illuc distracti se conqueritur Paulus: ac se repugnantiam sentire, dum ad iustitiam Dei adspirat: hinc sibi remoram injici, ne tam celeriter currat, ut deceret. Huius repugnantie causam peccatum in se habitans facit: simul partem assignat, in qua habitat, nempe carnem. Sed Pighius de corpore illum loqui interpretatur, cum carnem nominat. At neque corpus motionem propriam ex se habet: & Paulus non quolibet motionem, sed affectum voluntarium significat, qui spiritui aduersetur. Nunc queritur, unde repugnantia nisi ex ea imperfectione, quod nondum Spiritu Dei in totum reformata est hominis, & mens, & voluntas, in vitæ nouitate: sed carnem adhuc & terram aliqua sui parte respicit. Vbi tale desiderium apparet, ut voluntas resistat voluntati, desiderium cum desiderio confligat, votum sit voto contrarium, quis mihi non concedat dicere, animam in duas diuisam esse partes? Imo quis non ita, & sentit, & loquitur?

Postquam verò doctrinæ nostræ summam protulit, ex aduerso nobiscum Pelagianos confert, quos ad alterum extremum, gratiam Dei prorsus abnegando, delapsos esse dicit: ut ita ad suam mediocritatem veniat, quæ in liberi arbitrii gratiæque coniugatione consistit. Ac primò quidem, ut probabile fiat quod diciturus est, gratiam illi ex definitionis Ecclesiasticæ titulo conciliat. Sed quo tandem argumento definitionem Ecclesiasticæ esse probat? Augustino teste. Quid eiusne contra nos testimonio amplius abuti audeat, quem ad eò

evidenter

evidenter nobis vindicauimus? Sed colore non caret. Corradit enim ex suppositi-  
 tijs libris sententias, quæ dimidiare inter liberum arbitrium & Dei gratiam vi-  
 dentur. Sed bene habet, quòd nihil nunc profert in medium, quod non ante refu-  
 tauerim. Quanquam sua improbitate me cogit, non nihil iterum de eadem re dice-  
 re. Libro, inquit, secundo, de peccatorum meritis & remissione, non in eo reprehendit  
 Pelagianos, quòd liberum statuunt arbitrium, sed quòd in eo euehendo mo-  
 dum excedant. Hic velim obseruent lectores, cum esse primum librum, quo dispu-  
 tare cum Pelagianis cœperit: illic itaque vclitari eum potius, quàm in iusto certami-  
 ne conflagrare. Deinde non esse ex proprio eius instituto, de libero arbitrio qua-  
 sitionem illic tractare: quod & contextus indicat, & ipse quoque author libro Re-  
 tractationum secundo testatur. Non ergo mirum, si non interius excutiat, quod per  
 occasionem tantum leuiter attingere in animo habebat. Verùm, vt hoc nihili æsti-  
 metur, quid nos, obsecro, grauatur illud? non damnari ab eo Pelagianos, quòd libe-  
 rum arbitrium statuerent, sed quòd sine modo extollerent. Nam cum receptæ iam  
 consuetudini nomen concederet, de re tantum disceptationem habebat. Videndum  
 ergo nunc, quantum tribui libero arbitrio patiatur: ac inde iudicandum, quid à no-  
 bis dissentiat. Peccare, inquit Pighius, neminem fatetur, nisi volentem. Quid nos?  
 An extra voluntatem peccatum constituimus? Fatetur quoque, Deum nihil præ-  
 cepisse, quod non potestati nostræ subiaceat: Nempe si potestatem intelligas, non  
 quæ naturæ nostræ sit insita, sed quam è cœlo Deus peculiariter suis largiatur: si-  
 cut ipse toties exponit. Quanquam simul addit, quod verum est: neque exemplum  
 tale extitisse vnuquam, neque posthac sperandum. Gratiam, inquit, solis splendori  
 comparat. Quo subindicat, vim aliquam animæ misse, sicut in oculi acie subest vir-  
 tus visoria. Sed cur mox additam illic correctionem subtrahat? Hoc enim hætenus si-  
 mile est, quòd sicut oculus dum aciem suam intendit, solis splendore illuminatur,  
 ita hominis voluntas, quæ ad Deum se conuertit, eius gratia adiuuatur. Sed cum  
 animaduerteret Augustinus, in eo claudicare similitudinem, quòd non sit in ani-  
 mæ potestate conuersio, etiam, inquit, vt conuertamur, Deus adiuuat: quod oculis  
 corporis externa lux non præstat. Sicut & alibi: Quod est oculis sanitas ad viden-  
 dum Solem: hoc est gratia mentibus, ad implendam legem. At neminem à diuina  
 agnoscit, nisi qui sponte conatur: Nempe, quia non externo tantum impulsu, sed  
 voluntaria motione operatur in hominibus. Nam actionis speciem modò designat,  
 ne brutis aut lapidibus similes facere homines videatur. Vnde porro spontanea,  
 illa incitatio, vnde voluntarius conatus, non dissimulat postea. Nam vbi gratiæ  
 opus esse testatus est, tã vt innotescat quod latebat, quàm vt suaue fiat quod non de-  
 lectabat: postquam non humana facultatis, sed diuini esse muneris tradidit, vel  
 quod scimus boni, vel quod eo delectamur: laborant, inquit, homines inuenire, quid  
 in nostra voluntate boni sit nostrum: & quid inueniri possit, ignoro. Augustinus,  
 si Pighio creditur, ab homine requirit, vt sponte à seipso conetur. Quid Augusti-  
 nus ipse? Præterea alios libros: sed in eo quem citat Pighius, fortiter ab hac calum-  
 nia se defendit. Poterat, inquit, homo, si non ex prima conditione in hanc misere-  
 riam decidisset, sine difficultate iustitiam appetere & sequi: nunc autem ex defe-  
 ctionis pœna iacentum est vitium: vt iam molestum su, obedire iustitiæ. Vigilanter  
 quidem conari nos iubet, & deprecari ardentem: simul tamen vt intelligamus, quòd  
 & sic conamur, & sic deprecamur, dono illius nos habere.

Aduer.  
Fauft.  
Manic.  
Lb. 15.

Eiusdem  
Lb. cap.  
17. 18.

Cap. 19.

Verum, ad hanc suam liberi arbitrii & gratia copulam astruendam, ex prioribus ad Valentinum libro optimum testimonium habere se putat, ubi citatus Scripturae sententijs, quae liberum arbitrium, dum compellant, homini illud subesse significant, cum illis altera ex parte alia conferuntur, quae dona Dei esse ostendunt, quaecumque à nobis exiguntur. Iam qua potui optima fide exposui, quid tota illa comparatio sibi velit: hoc est, & quorsum spectet, & quid contineat. Duobus autem membris constat: sponte peccare homines, cum peccant, & proprio voluntatis motu: inde quoque frustra alio deriuare culpam. Cum autem Dei Spiritu ad bonum diriguntur: non sic excludi eorum voluntatem: cum haec ipsa sit gratia, eorum voluntatem ad amandum & appetendum bonum inclinare. Porro ubi hominem, tum in bonis, tum in malis operibus, voluntarium esse monstrauit: postea de voluntate ipsa, qualis sit, & quid per se valeat, simul de efficacia gratiae, disputare incipit, & voluntatem quidem natura semper malam esse, ut nihil quam Dei iustitiae pertinaciter resistere queat: sola gratia bonam fieri: & ita fieri, ut tunc iustitiam, à qua prius abhorrebat, necessario diligat & sequatur. Quid nos? An voluntatem excludimus, gratiae praedicatione? Alio igitur colore se vestiatur Pighius oportet, si vel mediocribus ingenijs imponere velit. Neminem enim fugere potest, quam congruenter Augustinus sic scribendo, nobiscum, & sentiat, & loquatur.

Cap. 15.

Sed iam tempus est, ut sacrosanctae Pighij definitioni detur locus: ut inde melius appareat, quo iure vniuersam Ecclesiam nobiscum in certamen committat, ut eius deinde patrocinium sibi usurpet. Antequam verò de re ipsa sensum suum proferat, quia in hac quaestione de gratia Dei potissimum agitur, diuersas huius vocis significationes enumerat: neque tamen aliud affert, nisi quod à nostris diligenter obseruatum & traditum pridem fuit: tamen si pessimam gratiam mox referat. Et tamen ut videas, quam peritus sit theologus, si quid de suo vult ingerere, quae alia bene dicta fuerant, suis facturus corrumpit atque contaminat. Inde ad declarandam, quae ex primi hominis lapsu fluxit, naturae corruptionem, transit: ut proculdubio in eius cognitione totius disputationis cardo vertitur. Quanquam miror, quid nunc ei in mentem venerit, ut hoc exordio uteretur, cum alibi scripserit, nihil esse magis à ratione dissentaneum: Clara, inquit, est, & nemini incognita de libero arbitrio Ecclesiae definitio. De originali peccato, difficilis, obscura, & perplexa semper fuit quaestio. Quam ergo absurdum est, rem per se expeditam superuacua difficultate inuoluere? Hoc quidem dicebat, ut à loco sibi parum commode deflecteret: nunc autem rationis potentia victus, facit quod improbauerat. Et sanè nimis id socordiae & stupiditatis fuerat, velle à praesenti quaestione expungere originale peccatum: ex quo principua pars dependet: Longo scilicet volumine contendet Pighius, Deum homini liberum arbitrium contulisse. Quid inepto labore se macerat? Neque enim aliud tandem consequetur, ubi diu multumque sudauerit, nisi ut annuamus verum esse, quod semper professi sumus: & quod fortè non ita disertè eloqui posset, nisi in schola nostra profecisset. Nunc asserimus, humanum genus perditam illam, quam in creatione acceperat, libertate, in miseram seruitutem decidisse. Hoc Pighius concedit. In hoc seruitutis statu, hominem negamus libera eligendi tam boni, quam mali facultate esse praeditum, ut ad utrumlibet accommodare se queat. Sub peccati siquidem iugo teneri vincimur, ut ad Dei gratiam aspirare nullo modo possit, donec Christi gratia liberetur. Hic nodus est, in quo Pighius resistit:

Et tamen in excutienda controuersia vllam eius mentionem fieri vetat, sed nunc, vt dixi, veritatis vi impulsus, in eū locum ingressus est, quē tan opere refugiebat.

Porro ne in reuoluendis eius somnijs prolixior sim, capita tantum ipsa rerum breuiter notabo. Impium esse atq; insanum commentum censeat Pighius quod naturam tradimus sic vitiatam esse peccato originis, vt nihil amplius possit homo, quam peccare. Neq; enim ablatam nobis fuisse naturam, sed donū tantum supernaturale; quod meliorem perfectiorēque reddebat naturam, quam in se fuisset. Hęc eī est causa, cur Augustinam toties nobis eripuerit, vt suę opinionis testem patronūque faceret? Clamat Augustinus, in hoc argumento non naturam, qualis à Deo creata fuit, sed naturę corruptę peruersitatem inspiciendam esse: neque id vno loco, sed totus in hoc vbique est. Contra existimat Pighius, nihil fuisse de natura diminutum: & tamen Augustini interea testimonio se tuetur. At non dissimulat alibi, hac in parte se ab eo dissentire. Sed cum sit hoc summum, & maximi momenti in tota controuersia caput, in quo ex diametro dissident, quid tanquā plena consensione postea gloriatur? Adde, quod nullus error est, quē magis aut acrius in Pelagianis Augustinus impugnet, quam quod natura integritatem iactarent: cum ipse vulneratam, corruptam, perditam esse, contenderet. Quorsum ergo Pelagianos ad eō execrari pertinet, cum primo eorum axiomati nomen suum palam inscribat? Mortalitas, inquit, & corruptio, ex conditione est, non vitio naturę. Vnde probat? Quoniam corpus ex suis, quibus compositum est, principijs, & compositionis ratione ita habeat. At eodem argumento euinceretur, post resurrectionem quoque morti fore obnoxium: & nunc animam esse mortalem. Ex quo enim principio orta est, nisi ex nihilo? Equidē si illam, quā homini ab initio Deus contulerat, perfectionem, non ita extitisse in natura diceret, vt per se, & ex se illam haberet, libenter in eius sententiam descenderem. Nam & eo modo neque animam per se immortalem esse concedimus. Quinetiam sic docet Paulus, cum soli Deo tribuit immortalitatem. Neque tamen propterea mortalem naturam esse animam fatemur: quando non ex prima essentia virtute estimamus naturam? sed ex perpetuo statu, quem suis creaturis Deus indiderit. Cum ergo hac lege conditus foret homo, ne mortē aut corruptionem vnquam sentiret, suo sibi vitio mortis damnationem contraxit. Ita cum de mortis origine disputat Apostolus, non eam ad naturam refert, sed ad peccatum. Proinde à moriendi necessitate immunem fuisse naturam sanitas erat: nunc autē mortis iudicio subiacere, morbus est. Hęc sana est ac simplex philosophia, quę vāgis illis & volaticis Pighij speculationibus importunē eueritur. Vt caro, inquit, cū ratione pugnet, eamque in iustitię obedientia impediatur ac turbetur, natura est, non vitij. Hic verò an non plenus buccis Manichæum se esse profiteatur? Nota est omnibus Eccij temulentia, Cochlei fatuitas: sed tam flagitiosę impudentię, quod sciam, non extat par exemplum. Plus centies nobis iam Manichæi nomen exprobrauit, quod naturam damnemus, cum naturę corruptioni dicamus imputandum, quicquid est in homine vitij. Nunc autem quid? Illa, inquit, quę rationi facit negotium, carnis rebellio, & quę iustitię reluclatur, non alia est, quam quę fuerat ante peccatum in prima origine. Vides vt in Creatoris contumeliam, essentiale esse in homine malum, impurum os pronuntiet? Ni si fortē contumaciam, quam iustitię obsequio rupugnare ipse tradit, à vitio velit excusare. Verum citius se ex labyrintho expediat, quā vt tam manifestum sacrilegiū vllō colore excuset.

Cum autè mentiebatur, Deum nos facere mali authorem, illud erat extremum probrum, quo nos grauari posse existimabat. Quid nunc ex suo sensu eloquitur? Quòd rebellio, quæ ex carne sentitur, aduersus rationis & iustitiæ obsequium, ex natura & Deo sit, non defectionis vitio. Legat nunc, qui volet deliria Manichæi, vt à veteribus referuntur: & non alia fuisse reperiet.

Concludit ergo, in naturalibus nihil homini deperisse: sed tantum fuisse supernaturalibus donis ornatum, quæ in eum Deus cõtulerat. Sed in eo hallucinatur, quòd sanitatem, quæ vera est ac genuina naturæ cõstitutio, non potest ab accidente vitio discernere. Hoc discrimine non adhibito, nihil mirum, si omnia confundat. Hoc quale sit, paucis expediam. Affectus omnes, qui in hominem naturaliter cadunt, nos quoque ex prima naturæ creatione esse agnoscimus. Vt sunt, exempli gratia, amor coniugalis, parentum item erga liberos, amicitia, gaudium ex fœlici successu, ex orbitate, viduitate, rebûsque omnibus aduersis tristitia: Famem, frigus, mopiam, pericula, ignominiam & dedecus reformidare: appetere rursum & quærere necessaria vitæ subsidia. Hos affectus non docemus per peccatum inoleuisse, sed ab ipsa creatione fuisse naturæ inditos. Istam, verò, quã nos minimum experimur, & traxerit, hoc est, inordinatum in affectibus excessum, quo fit, vt male cõcupiscamus, concupiscendoque rebelles simus Deo, ex corruptione tradimus natum esse, non naturæ ab initio fuisse ingenitum. Qua ratione Augustinus, sicut antè citauimus, voluntatis nomine non dignatur appetendi facultatē, qualiter nunc corrupta est: sed cupiditatē potius vocandam putat, quòd modum in suis desiderijs nunquam teneat. Diligit pater filium, coniux cõingem: castus amor, & qui laudem etiam, meretur. Verum, vt nunc vitiosa est natura: amor hic in homine non reperietur, quin aliquid inquinamenti respiciat. Itaque ab illa corruptionis radice fit, vt nihil purum aut sincerum concipiat voluntas: sed quemadmodum ipsa est contaminata, sic fructus etiam pollutos & immundos pariat. Atque hoc est quod dicimus: cum iste, de quo loquimur, morbus hominum voluntati semper insideat, ideò non nisi malum concipere ipsam posse. Nam si rei, honestæ aliàs in suo genere ac laudabilis, nunquam vitio caret appetitus, propter eiusmodi excessum, quid cum mala concupiscuntur? Talem naturæ vitiositatē, & Scripture vbique demonstrant. En tibi tribus verbis, quid inter puram & adulteratam naturam sit discriminis: quod dum Pighius non obseruat, omnia peruertit. sed his fieri Deo iniuriam opinatur: quia minimè eius bonitati consentaneum sit, animam creare sic destitutã omni rectitudine, vt nihil quàm peccare queat. Qualis, inquit, gratiæ eius commendatio, cum dicitur talem naturam condidisse? Nos verò non conditori acceptum ferimus, quicquid in nobis mali est, sed primo parenti nostro, qui miseriam hanc hereditatem ad nos transmisit. Quòd si timet Pighius, ne meritò scæuitiæ accusetur Deus, si ob vnus hominis culpam in vniuersum genus tam seucro pœnæ genere animaduertent, ne litiget nobiscum: sed totam Scripturam aboleat, vbi hoc iudicium passim publicatur.

Sequitur apud eum alter de naturæ reparatione locus: in quo satis demonstrat, non nisi maledicendo incallescere se posse. Nam quia hic benedicere oportuit, aut silere, qualibet glacie est frigidior. Hoc tamen est, quod tandem in primis significat se habere à nobis diuersum: quòd Deum manum porrigere hominibus prostratis opinatur, ad eos subleuandos, sed eos modò qui subleuari desiderent, nec desint obuiæ sibi adiutricique gratiæ, quin potius illam apprehendant, eius adiutorio re-



uerti conentur ad Dominum, ab eo saluari optent, ac sperent, illi se curandos, illuminandos, saluandos tradant. Quibus verbis partes istas in renouatione assignat libero arbitrio, ut velit, ut apprehendat, ut conetur, ut obsequatur. His quod necesse est, subiungit: omnes peraeque gratiae capaces esse, quod omnibus indifferenter offeratur. Postea multò adhuc longius procedit: nullam fieri gratiae iniuriam, si natura sua dicantur homines, & liberi potestate arbitrij odisse peccatum, malitiae renuntiare, ad Deum conuertere se posse, corde contrito & humiliato poscere veniam, quarere misericordiam, sperare gratiam. Imò has esse preparationes, quae nisi praecedant, nunquam nos dignetur Deus benigno suo aspectu. Ac eiusmodi quiddam doctrina totam Pelagij impietatem satis confutari existimat: nostramque stultitiam deridet, qui dum metumus, ne quid inde gratiae commendationi decedat frustra de nihilo tanta contentione digladiamur.

Hæc deliramenta quominus Scripturis nunc refellam, duabus impediior causis: quia & immensa sylua mihi hæc pullularet: & erit proprium ac perpetuum libri proximi argumentum. Adde quod Scripturas, quoties eius animo non adlutescunt, susque deque habet Pighius. Verùm ubi est illa reuerentia, quam veterum patrum definitionibus se de ferre simulat? Si quis, tam augmentum, quam initium fidei, & ipsum credenti affectum, non per gratiae donum, id est, per Spiritus sancti operationem corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis in. sse doceat, is Ecclesiastici Concilij decreto hæreticus est pronuntiatus. Si quis item, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus per Spiritus sancti operationem fieri in nobis confitetur, pro Spiritus sancti aduersario damnatus est. Si quis item, sine Dei gratia, volentibus, laborantibus, pulsantibus, petentibus, desiderantibus, Dei misericordiam conferri tradit, non autem diuinitus, ut credamus, velimus, & hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per Spiritum in nobis fieri confitetur, is anathemate dignus est indicatus. Hæc præterea Concilij decreta sunt. Si quis per Adæ præuaricationem non totum, id est, secundum animam & corpus in deterius dicit hominem mutatum: sed illa sa anima libertate corpus tantummodo corruptioni subiectum fuisse credit, Pelagij errore deceptus est. Itè: Si quis humanæ inuocationi cõferri dicit gratiã: non autè ipsam gratiam facere ut inuocetur à nolus, cõtradicit Iesaiæ Propheta. Item: Si quis per naturam uigorem bonum aliquod, quod ad vitam æternam pertineat, cogitare aut eligere, id est, prædicationi consentire posse, confirmat, absque illuminatione Spiritus sancti, qui dat omnibus in consentiendo & credendo suauitatem, hæretico fallitur Spiritu. Item: Tales nos diligit Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito. Item: Nemo de suo habet, nisi mendacium aut peccatum. Nunc mihi unum in tota sua doctrina apiculum Pighius ostendat, qui non istis decretis confossus sit atque damnatus. Quòd si Concilij auctoritatem contemnit, hoc saltem eum moueat, quòd qui interfuerunt ac subscripserunt Episcopi, non se auctores istorum capitum, sed approbatores tantum esse profitentur: quoniam sibi à sede Apostolica missa fuerint. Hæc est illa sedes, unde quic quid profectum fuerit, non aliter accipiendum esse contendit Pighius, quã ex tripode oraculum: imò quàm diuinã è caelo reuelationem, cui & Angeli, & Prophetæ, cedere debeãt. Quid ergo nunc diciturus est, hoc sacræ illius sedis anathemate in caput suum promulgato?

Concilij  
Aranfica.  
Cap. 5.

Cap. 4.

Cap. 6.

Cap. 1.

Cap. 3.

Cap. 7.

13

12

Lib. 1. de  
prædesti.  
sancto.  
Cap. 1.

Quòd autem toties cum Pelagianis nihil se habere commune iactat, nescio quos hic Pelagianos cõminiscatur. Neque enim tantum cum ijs, quos describit Augustinus, multa habet similia, sed eorum quibusdam multò est deterior. Admonitus fuerat à Prospero Augustinus, esse nonnullos in Gallia, qui ab eo dissentiebãt: qui tamẽ cõ vsque peruenerant, vel ipso teste, vt primi hominis peccato obnoxium nasci humanum genus crederent, nec inde quenquam, nisi Christi iustitia, liberari: confiterentur etiam Dei gratia præueniri hominum voluntates, nec ad vllum opus bonum vel inchoandum vel perficiendum sibi quenquam sufficere. Dum aduersus eos disputare instituit: discernit quidẽ à Pelagio, sed illa tamen confessione minimẽ contentus est: à qua, agnoscere promptum est, quàm procul adhuc absit Pighius. Fatebantur illi, præueniri à Deo hominum voluntates, nõ naturæ dono (fuisse enim id ridiculum) sed singulari Spiritus sancti gratia. Hic autem, neminem Dei misericordia adiuari clamat, qui non, & volendo, & sperando, & petendo ante se præparauerit. Vbi nunc tantum illud inter eum & Pelagianos dissidium, quo gloriatur? Sed in eo resistit Pelagio, quod Deũ faciat homini debitore. Sed quo argumento? Etiam si nullius, inquit, culpæ reus homo foret, quid tamen conferre aut exhibere Deo potest, seruus Domino, creatura Creatori, quo illum sibi adstringat, vt in vitæ æternæ hæreditatem adoptetur? Nunc verò in reatum mortis æternæ prolapsus, nunquid habet, quo se damnationi eximat? quo satisfaciatur pro offensa? insuper & hæres, & filius scribi debeat? Quid viribus suis præstare Deo potest, cui debet quicquid est, & quicquid potest? Tã valida impressione adeo non dubitat profligatũ esse Pelagiũ, vt nostræ, pro tuenda Dei gratia, sollicitudini, tanquam ridiculæ, ferociter insultet. At sublato vno verbulo, ubi hominẽ sub reatu mortis ob culpam constituit, nego Pelagium vlllo modo attingi. Beneficia, quæ in hominum naturam contulit Deus, Pighius splendidis elogijs commendat. Multo id & luculentius, & splendidius factum à Pelagio. Augustinus testatur. Quin etiã de gratia quid sentiret cùm in Palestino Cõcilio, tum alibi sæpe interrogatus, non absimili genere orationis suam impietate pingebat. Quid est homo aut quid habet, quod nõ à Deo acceperit? Quanta igitur, & superbiæ, & insanix foret, si quid sibi proprium arrogaret, quasi non sibi gratia collatum? En quibus Pelagium machinis diruat atque euertat Pighius: Nempe dum eius confessioni simpliciter subscribit. Sed homini adimit, ne sibi Deum obligare possit: quod Pelagius assererat. Iterum hoc sibi spectrum sub Pelagij nomine confingit. Siquidem cùm ille non nisi à promissionibus æstimaret hominum merita, satis eo innuebat, non aliter sentire se, adstringi, Deum ad reddendam hominum operibus mercedem: nisi quia voluntaria sponsonne se fecisset vltro debitorem. Denique nihil in hominibus collocabat, aut virtutis, aut iustitiæ, quod non Dei gratia nominatim disertisque verbis adscribe-ret. Nec aliter mereri docebat homines, nisi quia Deus illorum opera non necessitate aliqua, nec vlllo obligationis iure, sed pro immensa sua benignitate, eo precio dignatus esset. Hoc cùm rotidem prope verbis succinit Pighius, totam Pelagij hæresim à se euersam sibi gratulatur.

Sed ratione inuicta suffultus est, cur non credat, paratam esse Dei gratiam, nisi ijs, qui ad eam recipiendam se præparauerint: quoniam debeat certa Deo constare ratio, cur vni potius, quã alteri eam impertiatur. Hoc enim sapientem decet. Ego autem cum Augustino respondeo, absit vt iudicium hoc penes lutum sit, & non figulum

figulū. Constat quidem Deo certa solidaque operum suorum ratio: sed magis arcana, sublimis, recondita, quam ut eam capiat tam angustus tenuisque mentis nostra modulus. Hoc nunc solum controuertitur, quod nos sapientiam Dei, quam in hoc delectu incomprehensibilem captui nostro Paulus esse docet, adoramus cum timore & tremore: Pighius non plus sapere Deo permittit, quam ipse stulto suo cerebro apprehēdat. Hinc illa execrabilis blasphemia: si Deus ex duobus malis & pari damnationi obnoxius, & adhuc in malo contumaciter perstātibus, in alterum animaduertat, alterum non modo venia, sed suo quoque amore dignetur, non misericordiam fore laude dignam, sed stultam, irrationabilem, & insani Domini indulgētiam, dignique profusus, qui seruos vniuersos malos ac cōtumaces habeat. Ego Deo suae tū iustitiae, tum sapientiae defensionem relinquam: tantum efficiam, v. causam ipse suscipiat, suoque ore reum hūc fieri se profiteatur. Pollice:ur per Iesaiam, fore ut ab ijs, qui eum non quaesierint, reperiat: ut appareat ac se manifestet ijs, quibus eum cognoscere, nihil curae erat. An omnibus praestitit hoc beneficium? Constat aliquibus duntaxat. Quod si melius adhuc scire cupias, quam non expectet dū sibi homines accedant, sed auersos & alienatos ad se trahat, eos intueri, in quibus completa fuit haec propheta, & diligēter expende, quales, antequam cōuerterentur, fuerint: ita nihil de hac re amplius hēsitabis. Sumamus ergo, quod de Ephesiis tradit Paulus, suam erga eos misericordiam Deum explicasse, non cum ad eam recipiendam sinum protenderent, sed cum mortui peccatis ac delictis, Sathanae militarent, cum demersi in prauis concupiscentijs, caeni tantum & mundo obsequerentur, cum natura essent filij irae, sicut & ceteri, cum sine Christo & sine Deo viuerent. Nondum Urgeo, quod tamen iure meo liceret, quantum à preparatione absit talis status. Solum ex Pighio velim discere, cur Ephesios potius, quam alios quoslibet, amplexus fuerit. Si mihi dolorem, bonas cogitationes, pia desideria obijciat, nihil tale admittunt Pauli verba. Quin etiā ne cui in mentem venirent eiusmodi nugae, nominatim alijs fuisse penitus similes exprimit, à quibus tamen gratuito Dei favore discreti ac separati fuerint. Natura eratis filij irae, inquit, & reliqui. Quasi diceret: cum esset omnium communis causa & par conditio, non in vobis inuenit causam Deus, cur vos ab alijs discerneret, sed ex misericordia sua sumpsit. Nunc, cur ita faciat si rogetur, iam pridem illo nobili responso hanc questionem praecoccupauit. Miserebor cuius miserebor. Quo scilicet, hanc, de qua loquimur, in eligendis hominibus misericordiae suae discretionem, ut est sensu nostro longē altior, ita superiore loco statuit.

Adducat tamen testimonia, quibus innuere videtur Dominus, non alijs paratam fore suam gratiam, nisi qui se antè preparauerint. Ad quē, inquit, respiciam, nisi ad pauperculum & contritum Spiritu, tremētēque ad sermones meos? Sanè humiles Deus respicit: sicut illi acceptum cordis contriti & afflictu sacrificiū Dauid canit. Verūm illud quoque scire operae pretium est, in de illa quā Propheeta sic cōmendat, humilitas, ac sermonum Dei reuerentia. Certum autem est, superbia & caca confidentia semper turgere cor hominis, donec Spiritu Dei domitum subactumque, ad modestiam & submissionem se componit. Neque verò hoc modo preparari hominem ad recipiendum iustitiae donum negamus: sed Spiritu sancti directione, non suo ingenio. Non nisi laborantes ad se & oneratos Christus vocat: verūm, ut onus nostram sentiamus, ac sub eo gemamus, ipse etiam facit. Fa-

temur verissimum esse vulgare proverbum: vnicum esse curationis principium, ubi morbus agnoscitur. Ergo ut se tibi medicum exhibeat. Christus, morbum tuum agnoscas oportet. Morbi porò agnitio ad humilitatem timorèque Dei, ad iudicij metum atque horrorem, ad tui displicentiam, te rediget. Nunc an eiusmodi affectum concipere naturaliter possint homines, consideremus. Verùm & ipsa experientia clamat non huc antè adduci, quàm totum nature sensum deposuerint: & Scriptura idem ubique testatur. Castiget ergo nos Dominus necesse est, ut eruditi reddamur: cum ex nobis simus tanquam indomiti vituli: sicut dicit Ieremias. Ac ne quis de externa virga loqui excipiat, secus ipse mox interpretatur: Còuerte me Domine, inquit, & conuertar. Postquam me conuertisti, egi pœnitentiam: postquam ostendisti mihi, percussis femur meum, confusus sum, & erubui. Hæc omnia peccati odium, mortis horrorem, dolorem ex offensa, gratiæ desiderium, quæ ad humani arbitrij potentiam refert Pighius, vides ut Deo accepta Prophetæ referat.

Iere. 31.

Quamquam hanc obiectionem subtiliter sibi videtur occupare, cum subinde nos provocari ac sollicitari à Deo fatetur, sed si modò conemur ipsi, laboremus, neque desimus obuia & adiutrici eius gratiæ. Verùm cum eo modo, inter Deum & hominem dimid. et. imò cum penes hominem ea relinquat, quibus tota pœnitentiæ vis continetur, qualiter hoc cum Prophetæ verbis convenire poterit, quæ totam pœnitentiam, adeòque primum eius exordium, à solo Deo proficisci ostendunt? Nulli, inquit, deest gratia, nisi qui deest ipse sibi. Fateor sanè: modò mihi vicissim concedat, & bona voluntate defici, & virtute destitui omnis, nisi quibus utrunque Deus subministrat: eum porò, qui & bene vult, & efficaciter conatur, sibi non deesse. Neminem, inquit, violenter cogit. Sanè: sed ut voluntarios habeat servos, qui sponte sequantur ad olsequium, cor novum in illis creat, & Spiritum rectum innovat in visceribus eorum.

Postea tamen aliquatenus vela colligit. Nam triplicem gratiæ effectum, quo Dominus propriè ac specialiter suos electos præter naturam communique liberi arbitrij donam adiuvat ac promovet, inuenire se tradit. Primus est, quo iustificatio nem præuenit, & eandem ut desideremus, nos provocat, conantibus ad eandem manum adiutricem porrigit, laborantibus succurrit. Quid audiò? Si ad desiderandam gratiam provocamur, ubi illud, quod vicesimo antè versa posuerat? Deum benigno suo aspectu dignari neminem, nisi qui aversus ab iniquitate, corde contrito & humiliato ad ipsum conuersus, eius misericordiam imploret, petat veniam, speret misericordiam? Quis non dicat nimis obliuiosum esse, cui tam aduersa inter se & pugnantia vno ferè momento excidant? Cer. è benigno aspectu eum iam dignatus est Deus, quem ad pia sanctaque desideria excitat. Hoc autem ipsum quid aliud est, quàm omnes bonos cordis motus præueniri? Pergamus tamen. Hanc, inquit, præuenientem gratiam sacri Doctores appellant. Loquuntur illi quidem sæpe de præueniente gratia, sed longè aliq. modo. Neque enim hac inchoari ita fingunt in nobis voluntatem bonam, ut nos iam cooperemur (sicut persuadere vult Pighius) sed illum in solidum hoc opus esse prædicant. Nihil sine nobis, inquit Pighius. Augustinus autem, prorsus sine nobis. Hæc enim sunt utriusque verba: Non tantùm ex nolentibus fieri volentes, sed ex repugnantibus olsequentes, docet Augustinus. Hic ut assentiamur, in nobis situm esse contendit. Hanc gratiam negat Augustinus inuenire bonas hominum voluntates, sed facere. Item alibi: Quis autem con-

De grat. &amp; lib. arbi. cap. 17. cap. 11.

fugi.

fugit ad gratiam, nisi cum à Domino gressus hominis diriguntur? Ac per hoc, etiam desiderare auxiliū gratiæ, iam initium gratiæ est. Pighius nullum gratiæ effectum agnoscit, nisi à seipso bene velit homo. Quid ergo ob solam nudamque verbi similitudinem, impio suo commento veterum nomen prætexit, à quibus in rei definitione ex diametro disidet? Perinde enim est, ac si quis Deum esse definiat corporeum ac mortale animal: postea adijciat id esse, quod sacri Doctores Deum appellant. Sequitur alter effectus iustificantis, & tertius coronantis gratiæ: in quibus explicandis ne quid sibi simile accidat, vix tria verba balbutire audet. Hòccine est definire? ac non potius conturbare ac confundere omnia quæ per se aliàs satis bene distincta erant?

De corp  
& gratia.

Nihil tamen aliud sentire se allegat, quàm quod istis Ezechielis verbis continetur: Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum in vobis ponam, & auferā cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, faciāmque vt in præceptis meis ambuletis. Hanc enim præuenientem gratiam interpretatur, vt in peccatore colliqueſcat, cordis durities molléque ac sensibile illi cor fiat, & aptum diuinis impressionibus. Alteram partem accipit pro iustificante gratia, vt in Dei præceptis ambulare incipiat. Hoc quidem solenne est eius artificium, in tractanda Scriptura quodlibet ex quolibet facere. Propheta metaphoricam, quæ vsus fuerat, locutionem simplici oratione exponit. Siquidē ex lapideo cor facere carneum, metaphora est. Facere vt legi obediant homines, simplex, & sine figura, oratio. Hic ingeniosus interpres ex re vna duas facit. Iā verba Prophetæ leuibus argutijs trahere ad suum propositum studet. Cum se facturum promittit Deus, vt in iustitijs suis ambulemus, non nisi cooperantibus gratiam hanc se daturum significat. Hoc quoque sensu Dauid canit, faciuros nos in Deo virtutem. Huc tandem redeunt omnia, sic Deum bona opera facere in hominibus, vt simul ea faciant homines: nec aliter efficacem esse gratiam, quàm dum oblato nobis eius auxilio non desumus. Interea non animaduertit, hanc quoque partem secundum ea, quæ citat, Pauli verba, sub gratia contineri, ne frustra offeratur, sed ad fructum, id est, ad effectū vsque perueniat. Nam cum diuini beneplaciti opus esse dicatur, & bona in homine voluntas, & qui inde nascitur conatus, vsque ad operis complementum, offerri tantum gratiam, quæ utilis demum futura sit, si eam recipere homini libeat, minus certè dimidio illius est. Atqui damnationi esse gratiam, si respiciatur, alibi idem Paulus docet his verbis: An ignoras, quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiem cordis tui thesaurizas tibi iram. Hypocritas alloquitur Paulus, qui prospero rerum successu inflati, quia Deum sibi propitium esse imaginantur, nec de resipiscencia sunt solliciti, & iudicium Dei contemunt. Cum ergo Dei benignitate sic abutantur, eò grauiorem fore Dei vindictam minatur, quò diutius eam distulerit. Debit ergo Pighius, tam peritus, suo iudicio, diuidendi magister & artifex, non prætermittere, de quo bonitatis genere Paulus illic disputet. Nam externam Dei benedictionem, qua indifferentè bonos iuxta ac malos prosequitur, cum spiritali regenerationis gratia, qua electos suos peculiariter dignatur, confundere, hominis est parum considerati. Neque verò tam ignorantia peccat, quàm malitia. Quis enim puer huius argumenti vitium non animaduertat ac rideat? Inuehitur in eos Paulus, quos Dei beneficia, quibus inuitari ad pœnitentiam debuerant, magis ad securitatem confidentiamque carnis obstina-

tant. Ergo, Spiritus sanctificationis cum offertur, respui potest.

Sequitur alterum argumentum. Pulsare se ad ostium nostrum dicit Christus, ut aperiamus. Cum ergo clausum sit illi cordis nostri ostium per peccata, ipse pulsat, sollicitat, & varijs modis ac medijs, quo sibi aperiamus corda nostra, nos prouocat. Nulli ergo deest praeueniens gratia, qui modo cor suum ad pulsantis vocem, sollicitationem, prouocationem non indurat. Ipse pulsat: sed nos ei aperire debemus, priusquam introire ad nos velit. Quasi vero non illic expressus esset pulsandi modus, nempe, quod voce & exhortatione nos sollicitet: Sed qui mentis aperit oculos ut intelligatur, ipse etiam corda aperit, ut exaudiatur. Vtrunque vero Christi officium est. Quid igitur proficit Pighius, tam pueriliter ineptiendo? Clamat Christus, se pulsare. Fateor: nempe sicut exponit, monendo & hortando. Quid nunc est aperire? Monitionem corde recipere, & obedire exhortationi. Hoc in nobis situm fingit Pighius: Deus autem sibi vendicat. Circumcidam, inquit, cor tuum, ut audias vocem meam. Contra vero hanc in populo Israelitico, caecitatis, stuporis, contumaciae causam assignat Moyses, quod Dominus, neque oculos ad videndum dedisset, neque aures ad audiendum, neque cor ad intelligendum. At reclamat Pighius, tamen si à Deo adiuuemur, non tamen obstare id, quominus partim etiam nostrum sit, & videre, & audire, & intelligere. Verum ego probationem requiro, pro qua extraneas prorsus ambages affert. Simile est quod addit ex Propheta: Derelinquat impius viam suam: & Dominus miserebitur eius. Hoc, inquit, est Deo aperire ostium, iniquitati renuntiare: quod in te positum esse vides. Itane? ut conuersio ad Deum, quae vera est animae resurrectio, in hominis potestate reponatur, quod se à morte in vitam excitare possit? At facere id nos oportet, ut misereatur nostri Deus: quo intelligit Pighius iustificationis gratiam designari. Si omnia illi ultro concedam, statim vicerit. Verum sic sunt firma eius omnia, ut vnus verbuli ictu protinus concidant. Poenitentiam flagitat Deus, cum ad peccatorum remissionem populum vocat: quibus etiam duobus membris tota Euangelij sui praedicationem includit Christus. Hic nouam argutiam fabricatur Pighius, ab iniquitate recedere, praeparationem esse hominis, qua Deo obuiam procedat: misericordiam autem Dei, esse regenerationis gratiam, qua hominem adiuuet. Quatum vero ad perseuerantiam, quotidianumque vsque ad finem profectum attinet, ut hominem ostendat cooperari Deo, illo Apostoli testimonio utitur, gratia Dei in me vacua non fuit. Sed qua hoc ratione dicat, obseruandum fuit. Ratio autem est, quod plus reliquis omnibus laborauerit. Sed ne, labores suos iactando, quicquam sibi arrogare videretur, mox correptionem adhibuit. Non ego, sed gratia Dei, quae mecum erat, aut quae aderat mihi. Gratiae Dei iam praecipuas dederat partes, totamque ferè laudem adscripserat. Sed quia periculum erat, ne facta laborum suorum mentione, vno illo duntaxat verbo praesertim in speciem videretur, aliquam saltem portionem sibi deberi, addita correptione suspicionem tollit, dum se fuisse negat, qui laborauerit, sed hoc totum ex Dei gratia potius extitisse.

Nulla neque veritati magis aduersa, neque ad excacandum hominem capitalior est pestis, quam presumpta falsa opinio: praesertim vbi animo pertinaciter insidet. Duo haec vult inter se coniungere Pighius: Hominem naturaliter esse hac facultate praeditum, ut tam praeuenire bono motu Dei gratiam, quam subsequi, possit: nec aliter, aut offerri nobis Dei gratiam, nisi ante manum porrigamus, aut effica-

tem esse in nobis, nisi propria virtute eam adiuenimus: & tamen merum esse & gratuitum Dei donum, quicquid gratia nobis cōfert: eum esse solum qui in nobis bona opera & incipit, & perficit: ab eo nos praeueniri, ab eo cōfirmari vsque in finē. Hac, inquam, perinde ac si rite cōgruerent, sub vno iugo coniungit Pighius. At facilius cælum terræ misceas. Quid ergo causæ est, cur in tantam absurditatem, veluti clausis oculis, præceps ruat? Hac vna scilicet, quod vbi semel animo concepit, equaliter omnibus offerri Dei gratiam, qui se modo dignos exhibeant, hac cōceptione impeditus tenetur, ne quid amplius cernat aut iudicet. Itaque postquam suis encomijs orando hominis naturam, Dei gratiam, quantum poterat, ex enuauit: mixto pudore tactus, eam in cælum vsque euehit, sed manifesta repugnantia: neque aliter Augustinum hic amulatur, quam simia hominem. Verum qua necessitate constringitur, vt aequalē gratiæ dispensationem faciat? Quia pronuntiet Deus, nollet se mortem morientis, vt reuertatur & viuat. At si ex eius sensu hoc interpretamur, cur ergo moritur, quem Deus mori non vult? cum scriptum sit: Deus autem noster in cælo: omnia quæcumque voluit fecit. Hic certè nodus erit Gordianus, si illud Exchielis, Deum nolle mortem morientis, de arcano eius consilio accipias. Quamobrem sic intelligi necesse est, sicut & Augustinus multis locis disseruit, nihil Deum omittere, quod ad reducendos in salutis viam homines pertineat, si modò sani forent: quod autem non redeant vocati, ipsis non aliud quam prauitatis propriæ morbum obstare. Vult ergo Deus morientē viuere, sicuti eius voluntatem nobis æstimare fas est, omnibus scilicet adminiculis hominē ipsam adiuantē donec quid sibi obstitisse, quàm propriam culpam, causari queat. Aianet tamen interea Deo arcanum suum cōsiliū, quo hunc præterit, illum eligit: de quo ne curiosus vestiget, qui non vult opprimi à gloria. Hoc si caperet Pighius, falsum illud de equali gratiæ dispensatione principium non ita mordicus teneret. Cum enim dixit Omnia, in hanc tandem clausulam descendit, vt cum Pelagianis asserat, Dei gratiam secundum meritum nostrum dari, vt sit ipse nobiscum: meritum vero nostrum in eo esse, quod cum Deo simus. Nostra rursum omnia in hanc Augustini sententiam redeunt, quibus non est datum, aut nolle, aut non implere quod volunt: quibus autem datum est, sic velle, vt impleant.

Ergo, vt aliquando claudatur hic liber, frustra, aut se à Pelagio disungere conatur Pighius, cuius societate cum teneri implicitum tam aperte demonstramus: aut nos Manichæo, aliisque hæreticis adiungere, à quibus non minus disidemus, quàm ipse ab orthodoxo Ecclesiæ sensu, cuius inanem umbram tamen si suæ impietati subinde prætexit, nihilo tamen inde pius apud pios & prudentes leuiores proficiet, quàm si simpliciter nihil sibi nec cum Christo, nec cum eius mēbris esse confiteretur: frustra & in eo mediocritatē querit, vt res igne & aqua magis contrarias simul conciliat: nempe, quicquid est in homine bonorum, merum esse purumque Dei opus: & tamen hac facultate pollere homines, vt ex seipsis Deum prouocent ad conferendam sibi gratiā: & vbi cōtulerit, eam propria separatāque virtute efficacem, si libeat, reddant. Hoc, inquam, medium tenere viam non est, sed in latyrinthum potius se & alios conijcere, vnde nullus postea exitus pateat. Frustra corradere hinc inde studet testimonia Scripturæ, quæ fidem, & quæ ab ea gignuntur bona opera, inter Deū & hominem partiantur, cū tota Scripturæ, & radice & fructuum bonitatem vni Deo in solidum transcribat. Nā vt pios tam à fide

quam à bonis operibus, commendat, tanquam laude propterea dignos: ita quoies à Deo discernit hominem, in illum quidem, tãquam omnis iustitiæ, sapientiæ, recli-  
tudinis fontem, principium, perfectionẽ bonorum omnium gloriam confert: neque  
id ex parte, sed vt totam solus possideat: hunc autẽ sic omni gloria spoliat, tanquã  
omni iustitiã & recli- tudine destitutum, omnis sapientiæ inopem, omni virtute  
nudum ac indigentem: vt nihil illi reliquum faciat, præter extremam miseriam.  
Vt nos ad pietatem, timorem Dei, vitæque sanctitatem hortatur, ita nos ad ista  
omnia peruenire posse docet, si datum nobis à Deo fuerit. Frustra rursus Pighius  
hinc nobis constare inuidiam molitur, quòd homines lapidum similes fiant, si nul-  
læ illis in bene agendo partes relinquuntur. Id enim ex doctrina nostra perperam  
infert, qui mentem hominis fatemur videre, sed illuminatam: iudicium discernere  
& eligere, sed Spiritus directione gubernatum: cor esse voluntarium, sed reforma-  
tum manu Dei: hominem ipsum, & conari & agere, & ad Dei obsequium appli-  
care suas facultates, sed pro gratiæ mensura, quam accepit. Frustra denique Dei  
bonitatem predicando, eam huic necessitati alligere nititur, vt omnibus pariter  
expositã esse oporteat. Aliter enim Deus ipse, qui bonitatis misericordiæque suæ  
laudem ex eo melius elucere indicat, si eius specimen non nisi in aliquibus: in alijs  
verò iræ iudiciique exemplum edat. Nihilo plus rationis habet, quòd malignitatis  
inuidiam constare nobis nititur, quia saluificam Dei gratiam non nisi electis dici-  
mus exhiberi. Hoc, inquit, est eam restringere. At Deus non ita largã vult prædi-  
cari, vt libera esse desinat. Libertas porrò in eo est, vt eã, quibus vult, impartiat.  
Quamquam si excutere libeat, quanta vel inscitia, vel improbitate peractat, quæ  
cũque hoc loco citat Scripturæ testimonia, immensum erit mare. Scriptum est, in-  
quit, vnum nos omnes habere Patrẽ Deum. Non ergo his Pater est: illis vitricus.  
Verũ apud quos habentur hæc verba? Apud fideles, opinor. Quid ergo hoc ad ho-  
minum vniuersitatem? apud Malachiam habetur: Nunquid non vnus Pater est  
omnium nostrum? Vt demus hinc non Abraham, sed Deum intelligẽdum esse, nun-  
quid non de Israele, hoc est, de peculiari & electo Dei grege Prophetæ loquitur?  
Suauis vniuersis cantatur à Dauide: Certè: & miserationes eius super omnia opera  
eius. Ergo ne Spiritu regenerationis & agrorum pecora, & pisces maris, & aues  
cœli donabit? At suauitatẽ hanc experiuntur omnes, qui eam amaritudine sua nõ  
repellunt. Fateor. Sed radicem amaritudinis solus ille Spiritus ex cordibus nostris  
reuellit, per quem consecrantur electi, vt pura sint ac sancta Dei templa.

In Librum sextum.

**N**am cum parum egisse se hæcenus, in damnãda nostra doctrina, cerne-  
ret, si rationes ex aduerso intactas relinqueret, quibus & multis, &  
tam firmis munita est, eas recensere & confutare sexto libro instituit.  
Saltẽ hoc sibi propositũ esse denuntiat. Verũ quia sibi in hac operis parte suæ im-  
becillitatis cõsciũ est præcipuum mox robur in eo locat, vt lectores penitus à ratio-  
num nostrarũ, non examine modo, sed etiam intuitu auertat. Quæcunque, inquit,  
Scripturæ proferantur, in illis septis, quæ tibi circumdedi, inclusum te contineas.  
Est enim catholice Ecclesiæ consensus, à quo, vel minimum recedere, exitiale est.  
Quid autẽ, si aliud certò ex Scriptura euincitur? Nihil te, inquit, totũ id moueat.

Quin



Quin etiam si videas, cacutire te puta. Postea tamen ex integro solitam confidentiam resumit: facturumque se recipit, ut omnes videant, nihil in meis rationibus firmitatis esse. Cæ erum, quoniam multis retro seculis opinionem hanc receptam vulgò fuisse dixeram, hominem libera & bonorum, & malorum omnium potestate sic esse praditum, ut nemo peccandi necessitati subiaceat, nemo Spiritu Dei necessario ad bonum dirigatur, illam iterum veterum scriptorum cateruam in aciem educit: quo hunc, quem repudio, communem fuisse Ecclesiæ consensum demonstrat. Verum frustra laborat, eos citando, cum quibus libro secundo iam trāsegi ac composui. Quanquam locum hunc meum sic conuertit Pighius, ut eos omnes improbare videar, qui hominem violenter cogi non fatentur, cum voluntarium oportere esse opus, antequam bonum aut malum sit, toties doceam: & in excluenda coactione ac violentia tam diligenter versatus sim. Nunc ut intelligant lectores, qua de re mecum certet: Quòd Deo acceptum referri debere tradimus, quicquid in nobis est boni, libenter recipere se testatur: sed cum modum exprimere incipimus, quo bonorum omnium author in nobis sit Deus, hic statim resistit: quia totum non aliter tribui Deo sustinet, nisi ut pars homini relinquatur. Primò igitur, cum locum hunc Apostoli protulisset, Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet, addideram, Bonum opus inchoari à Deo in nobis, iustitiæ & amorem, & desiderium, & studium in nobis excitando: vel magis propriè, corda nostra formando, flectendo, dirigendo in iustitiam. Priorem expositionis partem sine controversia amplectitur Pighius: in altera suspectu n me habet, quòd à communi piorum usu recedam, cum hominum corda dico formari, flecti ac dirigi. Itane, ut nouæ, & à communi fidelium sensu alienæ censentur locutiones, quæ & passim occurrunt in Scripturis & Ecclesiasticis scriptoribus subinde in ore sunt? Supra ducentos locos ex Augustino adducere mihi facile sit, ubi istis verbis utitur: Sed quid Spiritus sanctus in Scripturis: unde petenda est bene loquendi regula? Hanc orandi formulam nonne dicat fidelibus? Inclina cor meum in testimonia tua, Domine. Item: Inclinet Dominus cor nostrum ad se, ut ambulemus in omnibus præceptis suis. Item: Dominus autem dirigat corda vestra in charitatem Dei, & exaltationem Christi. Quid plura? Nulla est frequentior Sanctis oratio, quàm ut Dei Spiritu, in viam rectam dirigantur. Imò cum & corda impiorum, quos Spiritu suo specialiter non gubernat, huc illuc, prout visum fuerit, flectere se dicat, quid de fidelibus dicendum est, qui non amplius sibi viuunt, sed in quibus viuit Christus? Sicut fluxus aquarum, inquit Solomon, ita cor Regis in manu Dei: quocunque voluerit, inclinabit illud. Quid ergo, cum doceo cor fidelis, quod Dominus singulari modo suscepit regendum, flecti ac formari eius Spiritu, verbi acuitate ac insolentia offenditur Pighius? Queritur enim, me nouam loquendi formam introducere, cui non assueti sint fideles. Verissimum est quod vulgò iactatur, de nullo dubitare stultos: quod ex veteri & elegantiori proverbio natum est. Ecce enim ut sola sua inscitia armatus Pighius, bellum Deo & hominibus indicere simul audeat. Profertur locutio, quam Spiritus sanctus primum, deinde & sacri Doctores, eius magisterium secuti, familiariter usurpant. Audacter excipit, ab Ecclesiæ catholice usu adhorrere. Adducitur Paulus testis. An: equam illi respondeat, anathema, si aliud quid dixerit, quàm quod sibi persuasit Ecclesiam sentire, non dubitanter minatur. Sed qua fiducia? Notum est illud: Ignorantia confidentiam pa-

Psal. 119.  
3. Rc. 8.  
1. Theff. 3

rit. Paulò post tamen, moderatior iam factus, hæc non mea, sed Spiritus sancti verba, utcumque impropria sint, non multum habere incommodi concedit, nisi me animaduerneret impietatis meæ venenum illis insinuare velle: Deum scilicet uti corde nostro, aut voluntate, in bonis operibus, sicut arreptiorum membris maligni spiritus virtus utatur, dum per eos responsa dant & loquuntur, quæ ipsi non intelligunt. Verum cum omnem illi occasionem antè abstulerim, ne quid de me tale suspicari posset, cur diuinat, quod timeri nullo modo debuit? Exposueram, velle inesse hominibus ex natura: ex natura verò corruptione fieri, ut non nisi malè possumus velle esse igitur proprium Dei donum, ut bene velimus. Quam hinc syllabam inueniet, quæ materiam præbeat tali calumniæ?

Eze. 34. At non dissimulanter postea id me sensisse aperio: quia contentus non sum, si quis dicat voluntatem, aliàs non prorsus malam, sed infirmam ac debilem, subsidio gratiæ adiuarit: atque ad eam rem Propheta testimonio utor: Dabo vobis cor nouum, & Spiritum nouum ponam in medio vestri: auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Deinde subiicit: Hac similitudine non ostendere vult Deus, mollitiem cordibus nostris inesse, si exitem aliàs in recti obedientiam, sed quæ per se infirma, gratiæ suæ adminiculo indigeat, sed nihil penitus boni expressum in à corde nostro, nisi aliud fiat. Nam si lapis in carnem transformatur, quando nos ad recti studium Dominus conuertit: aboletur, quicquid est voluntatis nostræ proprium: & quod succedit, totum à Deo est. Hic, quæ plurimum valet conuertiendi proteritia, in me debacchatur: clamat pseudopropheta in veste ouis deprehendi seducentem, hoc est, seorsum ducentem ab omnium caulibus simplices animas. Sic enim in illa sua crassa hallucinatione sibi placet, ut non satis habeat suam insulsiatatem semel prodidisse. Huc autem spectat, ne eum sine ratione maledicere putes, quæquid sonent verba Prophætæ, ut tamen opinio sua valeat: quoniam Ecclesiæ auctoritate nitatur. Aliquando tamen ad rem accedit. Sicut antè, inquit, nulla auctilitati sua facta mentione, totam perfectionis summam potestatis nostræ fecerat, cum diceret: Projicite à vobis iniquitates vestras: conuertimini ad me: facite vobis cornu & spiritum nonnum: ita hinc eandem vni Deo tribuit, præterita nostra facultate. Ergo utranque locum iubet coniungi, ut habeatur illa, de qua differunt, liberi arbitrii & gratiæ coniugatio. Quæsi vero illi permittam, ex præceptis colligere, quantum aut qualis, et hominum ad obediendum, facultas. Hunc iubendo Legis effectum esse ex Paulo scimus, ut occidat. Cur? nisi quia non aliud potest, quam hominem transgressionis subiicere? Scimus & hoc esse eius officium, ut hominem, miseriæ suæ agnitione percussam, onifugere ad gratiam doceat. Ergo ab externa Legis prædicatione recedendum est, ut ad spirituales eius inscripti onem, de qua loquitur Ieremias, veniamus. Illic enim Dominus fœdus se facturam promittit, non quale antè pepigerat, quia irritam factum fuerat defectione populi, sed fœdus nouum, quo Legem inscribat populi sui cordibus & visceribus insculpat. Vides causam, cur fœdus illud quod externa prædicatione constabat, a brogetur: quia scilicet violatum fuerit ab hominibus. Vides & noui paciscendi necessitatem: quia scilicet non aliter ratum sit futurum, donec Spiritus Dei inscriptum cordibus fuerit. Huius efficaciam si vel minimum gustum haberet Pighius: aut si impotentiam saltem suæ conscientiam tangeretur, non amplius obloqueretur, in hominum statui potestate quod illis præcipitur.

Atque

Atque hinc etiam patet, quàm friuola sit & negatoria eius ratiocinatio. Si ex promissionibus inferamus, solius Dei opus esse conuersionem, quia se solum eius authorem illic commemorat, pari ratione euicturum ex præceptis Pelagium, posse nos omnia, Dei gratia nihil adiutos: quoniam illic à nobis, sine mentione gratiæ, perfecta iustitia exigatur. Quasi verò ideo dentur præcepta, ut quod deest gratiæ, virium nostrarum subsidio expleatur: & non potius, ut propriæ impotentia conuictos, ad gratiam manuducant. Alia est promissionum ratio: Dabo, inquit Dominus, mentem, ut quod rectum est videatis & eligatis: Dabo cor carneum, ut obediatis: Faciam ut ambuletis in Lege mea. Non suspendit à nobis eorum complementum, quæ pollicetur, sed simpliciter in se vno locat. Iubendo autem, non facultatem, aut nouam nobis confert, aut quam habemus, prædicat, sed nihil omnino nos posse nobis ostendit, ut quo penes nos deficiamus, aliunde querere discamus. Valeat ergo fictitium illud Piglij temperamentum, donec nobis probauerit, à promissionibus remitti nos ad Legem, ut ibi iustitiam reperiamus, sicut Lex ad promissiones nos manuducit. Quòd conuertimur ab iniquitate ad iustitiam, non ex naturæ nostræ potentia, sed gratis suæ dono, palàm Deus testatur. Nunc illud conuertat Pighius, si potest, ac reciprocum faciat: non ex puro esse gratiæ dono, sed naturæ virtute. Imò cum de nobis loquitur Dominus, ne guttam quidem boni nobis relinquit: neque nos infirmitatis tantum damnat, sed totam virtutis nostræ opinionem in nihilum redigit. Designat ergo Pighius, noxiam hanc & venenatam suam mixturam nobis temperare: quæ non aliò speciat, nisi ut hominem in Dei societatem erigendo, ex altiore loco eum grauius præcipitet. Quid enim sibi aliud volunt eius verba, nisi ut in opere omnium excellentissimo, hoc est, in animæ resurrectione, æquales habeat partes homo cum Deo? Conuertitur, inquit, homo à Deo: sed ipse nihilominus se conuertit: crucifigit veterem hominem, carnem suam mortificat, renouat se, & induit nouum hominem, ut cunque à Deo simul renouetur. Circumciditur à Deo, nihilo tamen minus circumcidit se ipsum. Et quo fundamento hanc æqualitatem fulcit? Quòd sicut hæc omnia se facturum in homine promittit Deus, ita ab homine requirit, ut faciat. At promissiones non modò quid possit, sed quid faciat Deus, cerò pronuntiant ac definiunt. Lex autem non ad testificandam hominis virtutem, sed ad infirmitatem potius arguendam, data est, ut præceptis admonitus se nihil posse, in Dei fortitudine, non sua recumbat.

Porò quòd lapidei cordis appellatione ostendi existimo, nihil vnquam boni expressum iri à corde nostro, nisi penitus aliud fiat, exclamat similis attonito, se non capere qualia sint hæc portenta. Ego verò, nisi scirem hominem, rabie excecatum nihil cernere, ideòque arbores, pecora, terram, aerem ipsum, aut quicquid obuium fuerit, pro hoste temere ferire, mirarer, vnde: antus illi stupor, ut tam prodigiosam facili simpliciisque sententiæ interpretationem confingeret. Longam enim disputationem orditur, ut cordis substantiam non tolli, sed qualitatem mutari, ac vitium corrigi probet. Quòd si rationes non sufficiant, Ambrosii testimonio confirmat, non fieri nouum figmentum, aut nouam creaturam, sed vitium tantum sufferri quod à natura non erat. Quo præmio dignum esse ducas, qui tam abstrusam quæstionem sic enucleauit? At ego dico, fieri nouum cor: Ambrosius quicquam in substantia mutari negat. Quasi verò credibile sit, me substantiam cordis lapideam imaginari in homine nondum renato. Cor, ex lapideo, cum dicit Prophe-

ta carneum fieri, extra dubium est Pighio, de qualitate id esse intelligendum. Cum dico mutari aut fieri aliud, de substantia me loqui interpretatur. Ergo cum petit David, cor mundum creari in se, & Spiritum rectum innouari in visceribus suis, quis horum verborum erit sensus? Cor nouum creari, an non valet, quantum aliud fieri? O ieiunum calumniatorem, qui tam leues ac nihili ineptias ad maledicendum captat! sed ingeniosam muscipulam excogitat, quam effugere me nullo modo posse, sibi persuadet. Nam cum, me quoque teste, cor voluntatem significet, de actu voluntatis accipi non potest quod dico. Siquidem in vanum verba profunderem, si tantum maladesideria oportere aboleri dicerem. Restat igitur, ut de potentia illa, qua volumus, nolumus, odimus, amamus, sentiam. Nuper de substantia sermonem habebat: nunc transfilit ad potentiam. Quod si rem vnam se designare his duobus verbis causetur, perperam ergo Ambrosium adducit, qui sub figmenti & creaturæ verbis plus aliquid, quam potentiam, comprehendebat. Sed valeat illud: consequentiam autem, qua me absque vilo effugio teneri iactat, valere nego. An tam rudis adhuc est Pighius, ut inter voluntatis substantiam, aut volendi facultatem, & actus, vel effectus ipsos, nihil medium agnoscat? Certè vehementer me decepit. Putabam enim, primus saltem dialecticæ rudimentis instructum. Nunc video, & bonarum artium, & communis sensus prorsus expertem. Siquidem nemo tam est indoctus, qui non habitum medio loco constituat. Quorsum enim istæ loquendi formula, vir boni aut mali animi, nisi ad qualitatem indicandam? Neque verò id tacueram. Nam quantum ad præsentem quæstionem, Bernardum secutus, tria consideranda proposueram: velle per se, aut simpliciter: deinde malè, & bene velle. Primum illud est volendi facultas, aut si ita placet, substantia. Bene & malè velle, sunt qualitates, vel habitus contrarij, qui in potentiam ipsam cadunt. Actus prætermiseram, quòd nihil ad rem facerent. His tribus positus, voluntatem docueram perpetuò insidere in natura, malitiam voluntatis esse ex natura corruptione: Spiritus autem regeneratione malitiam corrigi, & voluntatem comodo ex mala fieri bonam. Iactauit Pighius, si hunc nodum possem expedire, quiduis se à me passurum. Quid si nunc sponsonem hanc reciperem? Sed ideo abstineo, quia nodum me nullum soluisse fateor, cum nullus foret. Quis enim puer hîc hæsitaret? Imò cum qualitatem sæpius nominasset Pighius ac distinxisset à substantia voluntatis, qui fit, ut cum ad diuisionem hanc ventum est, membrum illud silentio transmittat? An ergo compos mentis credendus est, qui vbi totas fores mihi ad exitum aperuit, nullum effugium patere existimat?

Ne longior sim: dico voluntatem, non natura, hoc est Dei creatione, sed naturæ deprauatione esse malam: nec aliter habere posse, donec Spiritus sancti gratia in bonam mutetur. Neque sic imaginor, fieri nouum figmentum, aut nouam creaturam, ut abolita substantia priore, noua succedat. Voluntatem enim nominatim commemoro, sicut homini est ab initio ingenita, semper manere: in habitu igitur, non in substantia, esse mutationem. Per eiusmodi renouationem cor dico aliud fieri: David autem cor nouum creari. Pighius autem, præfatus se ad tam dira portentia obstupescere, multis conuitijs me persequitur, quòd dicam mutari substantiam. Videre nunc est quid cerebri habeat. Ipse autem qualiter interpretatur? longa peccandi consuetudine inueteratum cor, relinquere lapideam suam duritiam, molliri que oportere, ut sensibile, diuinis que impressionibus aptum, sequax, ac

ductile fiat. Merito certè hoc contempta Scriptura primum refert, ut tam frigidus profanisque interpretationibus sacram eius maiestatem corrumpat. Verum meminerimus, quas porci calcant margaritas, nobis & singulari veneratione exoscandas, & summa religione custodiendas esse. Postquam Dominus, expositis suis in populum collatis beneficijs, quam pro illis ingratitude reddiderat, exprobrauit: deinde ad penitentiam hortatus est, quæ est legitima ad Evangelij gratiam præparatio, liberationem demum ex captiuitate Babylonica promittit: simul ab externo typo transit ad veritatem. Nam quòd populus à Babylonica tyrannide solutus, in terram promissam reduciur, illud tenue beneficium est, præut est illa inestimabilis gratia, quàm à peccati Satanae, & mortis seruitute, & spiritu Dei, in liberum iustitiæ statum asseritur. Hanc gratiam exhibere cœpit populo Israelitico, cum ab exilio Babylonico manu sua emissus, ad urbem & Templum rediisset: plenius verò & locupletius sub Regno Christi in vniuersas gentes effudit. Ostendit autem illic, nihilo magis exhortationibus ac doctrina profici apud homines, quàm si lapidibus loqueretur, donec duritiem cordis eorum, hoc est, contumaciam emolliat. Quod enim facturum se promittit, ad suam vnius potestatem transfert. Alioqui ut eius promissa compleantur, non in ipsius, sed hominum erit potestate, inquit Augustinus. Prorsus ergo hæc gratiæ & naturæ sit comparatio. Cordis enim lapideæ durities, non aliud quàm inimicitiam carnis aduersus Deum significat: qua non exiguus hominum numerus, sed totum genus laborare dicitur. Hanc non nisi à seipso subigi testatur Deus: & in quem finem? Non ut possint ambulare in recta via, sicut Pighius, ad extenuandam gratiæ laudem, comminiscitur, sed prorsus ut ambulent. Cum facturum se dicit Dominus, ut in præceptis suis ambulemus, non cor tantum flexile in vtranque partem, redditurum se promittit, ut tam resistendo, quàm obediendo paratum, aptumque sit, sed quod omnino ad obedientiam formatum & compositum, iustitiam Dei iam in se impressam insculptamque habeat. Nemo tam obuius est, quin hic in suppressenda Dei gratia tum insignem Pighij malignitatem, tum impudentem & propè desperatam audaciam cernat. Dicit Dominus, facturum se, ut sibi seruiamus. Reddit ille, facturum, ut possimus vel ambulare, vel non ambulare. Dicit similiter Dominus altero loco, inscripturum se cordibus Leges suas: Reddit Pighius, facturum, ut corda impressionem hanc recipere valcant: non autem ut habeant. Hæc generalis est sententia: Pighius ad homines, praua consuetudine corruptos, restringit. Lapidem cor vocat Deus contumaciam & rebellionem, ex naturæ vitiositate insitam hominibus. Pighius Duritiem exponit ex mala consuetudine contractam. Quemadmodum si quis ex Philosophorum grege diceret, hominem male viuendo, obduruisse, vel occaluisse ad malum. Clarum igitur omnibus nunc quod dixi esse confido: Prophetam hoc loco satis exprimere, non roborari tantum humanæ voluntatis infirmitatem gratiæ subsidio, quò ad boni studium efficaciter adspiret. Pighius autem quidquid à me conuicti perpeti paratus est, si vnum ex orthodoxis producere potuero, qui non ita senserit. Ego autem, ut compendio studeam, Augustinum produco: qui & initio libri de Gratia & libero arbitrio ad Valentinum, & Epistolæ centesima septima ad Vitalem, idem tradit. Vtroque enim loco dum hoc Prophetæ testimonium interpretatur, fortiter contendit, non præcedere in voluntate bonum aliquem motum, nec Deus adiuet subsequendo, sed voluntatem peruersam Deo-

que rebellem penitus esse, donec corrigatur. Tametsi conuictijs abstineo, satis insignes impudentiæ suæ maculas ipse sibi Pighius inuasisit.

Quoniam autem subijcio, aboleri oportere, quicquid ex nobis est, cum à Domino regeneramur, primum interrogat, quid istis verbis mihi uelim: & mox respondendo arteuertit, non aliter quam de vniuersis naturæ partibus posse intelligi: in ijs autem esse & animam & corpus: conuenire ergo secundum hæc mea uerba, ut corpore resurgant homines, simul atque ad Deum conuertuntur. Non confidentius aduersarium insequeretur Chrysippus disputando, si uiueret, sed melius aliquanto, & magis uiuis rationibus premeret. Ego, ut latratum huius canis breuiter compefcam, primum, loquendi formam, neque nouam esse, neque à me inuentam, respondeo. Sic enim ante me Augustinus: Nemo se palpet. De suo enim non nisi Sathan est. Quid enim de tuo habes, nisi peccatum? Tolle peccatum, quod tuum est. Iustitiam enim non habes, nisi ex Dei dono. Neque difficilis est de re ipsa respoñsio. Quicquid nostrum est, pro eo accipio, quod est nobis proprium. Hoc porro esse definitio, quod habemus in nobis, à Dei creatione separatum. Est autem uitiositas, quæ non in aliqua nostri parte, sed in tota natura heret. Eam enim totam in seipso primus homo perdidit, sicut & Augustinus scribit ad Vitalem. Nunc qui inter primam naturæ creationem, & quæ postea superuenit, ex peccato corruptionem, distinguere poterit, ab omni difficultate, non magno se negotio, expulset. Sed Pighius disputationem altam ingreditur: quæ me pressius teneri putat, quam ut possim unquam elabi. Nam per rationem, & voluntatem, quas in totum renouari oportere contendo, necessariò aut rationalis animæ essentiam, aut certè energias & virtutes inde scaturientes intelligi. His autem esse mutuum inter se connexionem, ut separari nihilo magis possint, quam ab igne vis calorifica, aut illustratoria à sole. Fieri ergo non posse concludit, ut nobis auferantur uoluntas & ratio, nisi auferatur & ipsa rationalis animæ substantia: atque in eius locum noua aliæque anima succedat. At scire ex eo uelim, an non illis animæ potentijs qualitates accidere posse concedat. Hoc enim concessò, soluta sunt illa uincula, quibus me constringi gloriabatur. Quid respondeat, nihil moror. Dico, sicut res ipsa loquitur, ratiocinandi potentiam, quæ in mente sedem habet, d:co uolendi facultatem, quæ in corde residet, uitiatas esse, corruptasque peccato. Ista uitiositate, quæ totam hominis animam in suis potentijs occupauit, fieri dico, ut nihil cogitet, eligat, uelit, conetur, faciat homo, nisi malum. Atque hoc sensu dico, & aboleri, & renouari oportere, quicquid ex nobis est.

Subijcio deinde, uoluntatem suo pte ingenio, in eum modum, à Deo auersam, sola Dei uirtute conuerti, sic ut nullus in agendo partes habeat, nisi quatenus à Domino præuenitur: atque ita quod alicubi tradit Augustinus, interpretor: non præuiam esse, sed pedissequam in bono opere. Quibus uerbis nullum me in ea bonum motum agnoscere significo, qui non ex Spiritus renouatione fluat. In primo membro non ferendam in Deum blasphemiam contineri existimat Pighius, quia subindicere uelim, necessario auersam à Deo esse uoluntatem, naturæ uitio. Sed cum satis antè demonstrauerim, non esse Deo imputandum, quod sibi mali homo sua culpa contraxit, frustra in Dei contumeliam recidere causatur, quod de cordis humini prauitate ubique uel me tacente, clamat ueritas. Alterum tamen membrum, ubi uillas ad conuersionem esse uoluntatis partes nego, nisi quoad

Omil in  
Ioan. 49.

Epi. 107.

quoad reformatam fuerit, acrius exagitandum sibi sumit. Nam si ad cōuersionem, inquit, nihil potestatis reliquum nobis est, sed id penes unum est Dei beneplacitum, ubi, quando, & quomodo velit, quid ludit operam, imo quid ridiculum se facit, toties, ut conuertamur, à nobis flagitando? Magnum verò & absurdum, si à paupere debitore iustum aliàs ac legitimum nomen exigatur. Quanquam alio etiam sine Dominum ad conuersionem hortari suos, superius dictum est. Requirit enim ab illis, quod simul promittit se daturum. Ita præcepto illos ad recipiendam promissionem præparat. Sed cur nos frustra verbis inuitat? Cur non potius loquitur ipse secum, ut conuertat, quos conuersos velit? At cum eadem verba, quæ auribus loquitur, simul digito suo, hoc est, per Spiritum sanctum cordibus inscribat, ut ita spirituale sit ministerium hominis, quo utitur, an nostrum est, illi legem dicere, ne sic faciat? At quid de reprobris, quibus nihil exhibetur, præter nudam & mortuam literam? Respondeo: proprium quidem doctrinæ Dei esse, ut salutaris sit audientibus: ubi autem officium hoc in fidelibus expleuerit, aduersus rebellis & obstinatos paratam esse vindictam. At Deum velle omnes conuerti existimat Pighius: ideòque pariter omnibus suum auxilium offerre: itaque nostræ esse potestatis, velle aut nolle. Quòd nisi voluerimus priores, ipsum ad nos non conuerti. Hoc enim clarissimis verbis exprimere Prophetas, cum in Dei persona dicunt: Reuertimini, & sanabo vos. Item: Reuertimini, & non auertam faciem meam à vobis. Ego autem nihil in istis verbis contineri animaduerto, nisi quod Deus se illis, & peccata, & pœnas, quibus propter peccata plecterentur, remissurum pollicetur, si modò resipuerint. Tam cum pœnitentia sit spiritualis à morte resurrectio, nego eam magis in hominis esse potestate, quàm fuerit se creare: imo minus: quanto scilicet præstantius est, iustum se facere, quàm hominem. Cur ergo de illa concionantur Prophetæ? Quia hic est regenerationis ordo, ut homines vera sui displicentia, vero tum peccati odio, tum iustitiæ desiderio amoréque tacti, ad Dei misericordiam confugiant. Sed cur Dominus ab illis flagitat, quod merum esse Spiritus sui opus ac donum nouit? Quia utcumque arcanum Spiritus sui sancti opus, sine ullo vel instrumento, vel adminiculo, peragere possit, externam tamen prædicationem ordinauit, quæ tanquam instrumento uteretur. Caterùm, ut efficax ac fructuosum sit eiusmodi instrumentum, ea ipsa verba, quæ auribus per os hominis loquitur, digito suo in corda insculpit. Ita ministerium reddit spirituale & viuum, quod aliàs literale & mortuum foret.

At ubique hac duo antè requirit à nobis Deus, pœnitentiam & humilitatem, quàm se nobis propitium fore promittat: sicut per Iesaiam dicit Ad quem respiciam, nisi ad humilem, & contritum spiritum? Neminem istud impedit qui memoria tenebit, quod obseruandum, quodam Institutionis meæ loco, doctui: dupliciter Deum ad homines respicere, ut eos misericordia sua dignetur. Dicit Petrus se in Cornelij exemplo cernere, non esse acceptionem personarum apud Deum: quia illi acceptus sit ex qualibet gente, qui faciat bonum. At Paulus dicit, tunc fuisse reconciliatos Deo Romanos, cum essent eius inimici, & alieni ab eius iustitia: iustificatos fuisse Corinthios, cum scortatores essent, & ebriosi, & adulteri, aut alijs flagitijs inquinati: receptos in gratiam fuisse Ephesios, cum essent peccatis mortui, sine Deo, sine spe, cum carnis concupiscentijs addicti, Sathanæ seruent: Colossenses etiam, quo tempore ab alienati erant, & inimici mente in operibus malis, fuisse

reconciliatos: quo tempore mortui erant per peccata, fuisse in iustitiam ac vitam excitatos. Sed quid plura commemorem? Cùm passim eiusmodi sententijs scateant eius Epistola? Quòd si taceret, eius tamen conuersio, sine ullis verbis, illustre est eius rei documentum. Qua enim aut humilitate, aut sui displicentia preparatus, benignum illum Dei aspectum promeruit, ut vas electionis vocaretur? Excipiet Pighius, in ipso fuisse, ut Dei vocationi obtemperaret. Sed hìc tantùm disputatur, an Dei gratiam prauenerit. Quànquam fallitur, qui putat, tantùm eius auribus insonuisse vocem illam: Saule, saule, quid me persequeris? non autem Spiritus sancti magisterio insculptam fuisse eius cordi obedientiam Legem, ut protinus faceret, quod iubebatur. Illa, inquam, inscriptione, non modò ex nolente factus est volens, sed etiam ex persecutore seclator. Iam quid sibi prophetica illa & celeberrima sententia vult? Inuentus sum à non querentibus me. Sic exponit Apostolus: quòd Gentes, quæ iustitiam non querebant, iustitiam apprehenderunt. Nec alio præparationis genere, aut Abraham, aut eius posteritas, initio ad Deum appropinquauerat: sicut Moyses & Iosue cõmemorant. His ac similibus testimonijs qui non conuincitur, ut duplicem hominum coram Deo acceptionem agnoscat, nimis præfractus est. Respicit ergo Deus electos suos, amplectitur, amat, acceptosque habet, etiam ante vocationem, sed in Christo: eos autem vocandò se propitium ipsis ostendit ac beneuolum: hoc est, amorem ipsis, quem antè deferebat, testatur, ut eum in animis suis sentiant, eòque fruantur. Iam vocatio, pœnitentia & fide constat. Prima autem pœnitentiæ pars, vel potius initium est, humili submissòque animo sibi displicere. Post hanc demum humilitatem dicitur Deus ad homines respicere, relatione ad eorum noticiam sensumque habita: quoniam tunc se illis Patrem declaret, suæque bonitatis testimonium reddat.

Porò cùm hæcenus sine fine & modo, extulerit hominis vires: nunc cùm demonstrare vult, ut se ipsum ad Deum proprio motu conuertat, liberius adhuc multo, quàm antè, apertiusque impietatem suam prodit. Vult Deus impium conuerti, inquit, non tamen sua omnipotentì illius voluntate conuertit, sed ut se conuertat, inuitat & adhortatur. Nostrum proinde est, reuerti & conuerti, ipsius autem, reuertentes suscipere & viuificare. Quid, obsecro, relinquere hic Deo videtur, præter exhortationem? Et quid aliud in Pelagio damnatum est? Sed aliquo statim colore hanc blasphemiam tegit: dum nec Deum nobis in conuersione fatetur deesse, modo tamen priores ipsi ad eandem conemur. Est hoc quidem aliquid, quòd cùm priores homini partes dederit, posteriores tandem in Deo concedat. Fuit hoc secundum Pelagij commentum, postquam illud retractare coactus fuerat, hominem suis viribus peruenire ad vitam æternam posse. Quànquam pauò post ne dimidio quidem Pelagianismo contentum se esse exprimit. Nam cùm vult definire, qualiter nos conuertat Deus, sua, inquit, bonitate & patientia, non statim nos puriens, sed dans tempus & locum pœnitentiæ: adhuc, multis medijs & occasionibus, exhortationibus, beneficijs, & flagellis, ad eandem nos prouocans, sollicitans, stimulans. Hic verò totus & integer Pelagius sua in cælum sacrilegia euomit. Externa enim tantùm media ponit, quibus inuitat Deus homines, atque his includit totam conuersionis gratiam: de interiore cordis motu, de renouatione Spiritus, altum silentium. Neque verò causa est, cur minimè negare se tergiversetur, utique si leat. Modum enim, quo nos conuertit Deus, definiendum suscipit. Proinde, tali



definitione posita, totam cordis innouationem, quæ fit arcana Spiritus sancti virtute excludit. Et tamen, si Deo placet, ad tam clara crasseque impietatis confirmationem, ex Scripturis suffragationem aliquam corrogat. Quod se incipiat homo conuertere, inquit, habetur apud Ieremiam: Si conuerteris, conuertam te. Illic Prophetam alloquitur Deus, qui vltima prope desperatione tentatus, secum multis querelis expostulauerat. Cap. 15. Nouus ergo eum promissionibus ad colligendum animum, incitat. Sic autem habent verba, si ritè quis interpretetur: Si reuersus fueris, & reuerti te fecero, ante faciè meam stabis. Si pretiosum à vili discreueris, eris quasi os meum. Quia successu destitui se videns, animum desponderat, ac perinde vacillare cœperat, quasi Dei promissis sua non constaret fides, hanc hasitationem & diffidentiam reprehendit Dominus: postea tum ad fidei fortitudinem & constantiam, tum ad obsequium, hoc est, vocationis suæ cursum redire iubet, meliore spe proposita, boni & felicitis exitus. Dicit ergo: Si redieris, subsistes coram facie mea: vtcunque te deiciat mundus. Si steteris in recto iudicio, neque ab officio defeceris, vtcunque doctrinam tuam mundus infamet, ego tamen eam, tanquam ex ore meo profectam, approbabo. Quod ergo additur, Et conuertam te, vides interpositam esse parenthesis, vice correctionis: qua Dominus suum fore beneficium declarat si Propheta in viam redierit. En Pighiana in citandis Scripturis dexteritas. At postea longum testimoniorum acervum colligit. Nempe quoniam obstinatos Deus obiurgat, quod sua bonitate abutantur, nec cœuerti velint, inde colligit, nostræ virtutis esse, si conuertimur. At Scriptura, sicut hominem propria cordis prauitate impediri testatur, quominus se ad Deum conuertat, ita conuersionis suæ gloriam sibi arrogare vetat, dum Spiritus sancti opus esse docet.

Quæ tamen, vt illustriora, distincta serie postea recenset, ac seorsum explicat, breuiter percurram. Adigi doctrina nostra miseros homines calumniatur, vt plenam illam desperationis vocem ob quam apud Ezechielem tam grauiter Israeli succenset Deus, concipiant, atque emittant: Iniquitates nostræ super nos sunt, & in ipsis tabescimus. Si hæc similia sunt, hominem Spiritus sancti directione, non virtute propria, à peccato conuerti ad iustitiam: & hominem sine spe veniæ à Deo esse derelictum, & iam exitio destinatum: desperationis materiam gigni ex doctrina nostra, fateor: sin videre omnibus promptum est, quantum sit discriminis: quam indigna sit hæc Pighij calumnia, neminem latet. At si in solo, inquit, Dei beneplacito iacet conuersio hominis, quid aliud concipiet peccator, quam sibi putrescendum esse, donec Dei manu erigatur? Quasi verò, cum de sua impotentia docentur homines, non eo modo ad spem auxiliij erigantur, siquidem electi Dei sunt: si verò reprobi, non simul Dei iudicio constringantur, vt sua se culpa perire agnoscant. Atque vt clarus pateat, quam concinna sit propheticæ huius sententiæ aduersum nos applicatio, obseruandum est, populum tunc, non tam desperatione, quam peruicacia, non sine Dei inuidia, quod inexorabili seueritate esset, de suis miserijs conquestum fuisse. Iam ergo passim audiebatur vox illa: Quid faceremus? Deus nos perdere, ac funditus exanguere, semel decreuit. Proinde, quando frustra de eo placando cogitaremus: veniat, quando volet, eius iudicium. Hac contumacia se ad stuporem comparabant, vt aduersus calcem obstinatis animis calcitrarent. Excipit Dominus, nolle se mori em impij: doctrinam enim, quam per suos Prophetas dispensaret, ministerium esse reconciliatio-

nis. Nunc sine mora concludit Pighius, nostræ esse potestatis, eiusmodi reconciliationem ratam facere: ego autem querendum dico, qualiter ministerium illud efficax nobis fiat. Respondent Propheta, & post eos Paulus, id fieri, cum Spiritu Dei inscribitur cordibus nostris doctrina, quam frustra alioqui, & sine profectu aures exciperent.

Secundum locum adducit ex Iona: Quid Rex Niuius ad Ionæ denuntiationem edicto promulgauit, ut conuerteretur quisque a via sua mala, nisi sensus communis hoc dictaret, homini in manu esse suam conuersionem? Respondeo, fuisse istud officium regis iam conuersi, ut alios ad exemplum suum incitaret. Certè ciuile Regis edictum non plus habebit ponderis ad probandum quod intendit Pighius, quam propheticæ multæ conciones, quas sensu & verbis conuenire cum illo, prælium est. Sicut enim Propheta officium est, dum homines ad Dei cultum ac timorem instituire vult, plantare & rigare: ita & Regis. Hanc autem prærogatiuam sibi vindicat Deus, ut solus det incrementum: idque libera potestate, ubi, & quoad sibi placuerit. At subiicitur, misertum fuisse Deum, quoniam eorum opera videris: quatenus scilicet à libero eorum arbitrio proficiscebantur. Sic quidem interpretatur Pighius, qui hominem imaginatur à seipso, & natura habere, quicquid boni habet. Nos autem, qui respicere & conuerti, singulare esse Dei donum, tot Scripturæ testimonijs didicimus, aliter: Deum, sicut illis dederat, ut conuerterentur, ita conuersos amplexum esse, & manum suam retraxisse, ne secundum priorem denuntiationem in eos animaduerteret. Miseretur enim primum hominis nudi, in opus, omnique bono destituti, sola miseria præditi: postea suis donis vestitum & ornatum misericordia persequitur. At conuersio, inquit iterum Pighius, si sis imputari non poterat, ad promerendam aut obtinendam gratiam, si illos Deus, ut conuerterentur, præuenerat. Vide quantum inter hunc, & Augustinum interfit. Sic enim Augustinus loquitur: A teipso si tibi merita tua sunt, mala sunt: ideoque non coronantur. Ut ergo bona sint, Dei dona esse oportet. Item: Opera mea si videris, damnas: tua si videris, coronas. Nam & quæcunque bona opera habeo, abs te mihi sunt, ideoque tua potius, quam mea. Ergo opera manuum tuarum non despereris. Pighius autem absurdum esse putat, si opera manuum suarum respiciat Deus, ut priora sua dona alijs cumulet.

Ratiotinetur & ex hac Christi sententia: Væ tibi Capernaû. Nam si in Tyro aut Sidone aut Sodoma factæ fuisset istæ virtutes, quas vidisti in cilio & cinere pœnitentiam egissent. Nam si absoluta, inquit, efficaci que voluntate noluit dare Deus pœnitentiam Sodome, Tyro, & Sidoni, an daturus erat, si illic edidisset sua miracula? Et cur potius ob miracula illis gratiam respiciendi dedisset, quam ciuitati suæ, ubi eadem miracula designabat? Respondeo, minime in his verbis Christum respicere, vel vnde emanet pœnitentia, vel cur his potius, quam illis, arcano Dei consilio detur: sed simpliciter ab effectu sumere hanc comparationem, quod reliquæ illæ quas nominabat, vrbes, quibus doctrina & miracula defuissent, plus habituræ essent excusationis coram Deo, quam Capernaum, quod deliberata nequitia, & impii sceleratæque rebellionis obduratum, tot ac tam præclaris, & doctrinæ, & signorum monitionibus nihil flecteretur. Quasi diceret: nullam hactenus fuisse gentem tam duræ aut indomitæ ceruicis, tam ferrei cordis aut obstinati, quæ non commoueretur signis illis, quæ apud Capernaum contempni ludibriique habebant.

De grat.  
& libero  
arbitrio  
cap. 6.  
In Pl. 137.

habebantur. Quòd si affirmationem illam pertinacius urgeat Pighius, iam pridem egissent pœnitentiam, respondeat iam mihi, cur nam vrbes illas non dignatus fuerit idoneus modis hortari ad pœnitentiam, quæ sciebat suæ exhortationi non defuturas? Si quid sentit, sentire, opinor, debet, suis ipsius tricis teneri se nunc implicitum. Sed valeant ineptæ illæ cauillationes: cum euidenter constet, non aliud voluisse Christum tali loquendi genere, quàm si quis hodie sic loquatur: neminem esse Turcam tam durum rebellémque Deo, aut tam à pietate auersum, qui non iam olim fraçius fuisse, si ea legisset, audisset, vidisset, quibus tamen non potuit corrigi Pighius

Post hæc, vt nostræ facultatis esse probet, tam preparare corda nostra Deo, quàm ei, ad bonum nos prouocanti, acquiescere, longum ex integro præceptorũ catalogũ retexit. Nihil certe dubium est, centies nos victos esse, si Dei præceptis vires hominum metiri libeat. At istud, inquit, delirare est, ad ea hortari homines, quibus præstandis pares non sint. Verùm ab hac cõtumelia se tuetur Deus: qui optimam sibi esse iubendi causam declarat, etiam si penes hominẽ non sit implendi facultas. Quamquam operæpretium est, ex ijs, quæ adducit, quadã nominatum referre & expendere. Apud Ieremiam, inquit, docemur, qualiter se efficaciter preparare ad Dei gratiam homines possint, dum sic dicit: Scrutemur vias nostras, & reuertamur ad Dominũ: leuemus corda nostra cum manibus in cœlum, dicentes: Nos impiè egimus, &c. Odisse, inquit Pighius, ac detestari veterem vitam, contritòq; corde ad Dominum confugere, pœnitere ex corde, & vera fide petere misericordiam, hæc est preparatio. Eleuatio autem cordium, est conuersio. Agnoscunt híc vel mediocris iudicij lectores solitam Pighij Dialecticam: cuius prima regula est, vniũ semper in plura discernere: quæ autem diuersa sunt, in vnum confundere. Leuare in cœlum corda & manus quid significet, plus satis notum est: nempe, expansis in cœlum manibus, serio cordis affectu, inuocare Deum. Pighius autem puerile commentum fabricatur, quòd leuare corda, sit affectus nostros à terrenis & caducis rebus liberare: cum manibus, id est operibus nostris. Atque istæ sunt interpretationes, scilicet, quibus non secus ac Delphicis responsis fidem haberi vult: cum nihil magis aut frivolum, aut nugatorium fingi queat. Continuo post, culpæ agnitionem veniæque deprecationem, quæ duo sub preparatione antè posuerat, ad conuersionem, hoc est, secundum pœnitentiæ membrum refert. Vt tamen illi tam crassos errores ignoscam, rogo quidnam se confecisse putet. Totan, inquit, pœnitentiã esse in hominis potestate. Atqui illud, quod ipse quoque Pighius in titulum, & quasi primum ingressum facit, vt peccator, iniquitatis suæ agnitione confusus, sibi displiceat, inter alia Dei beneficia ponit Ezechiel: apud quem sic Deus populum suum Eze. 16. alloquitur: Cum tu iuramentum contempseris, et dissolueres pactum, ego tamen recordabor fœderis mei quod pepigi tecum: suscitaboque fœdus æternum. Et tunc viarum tuarum recordaberis, vt confundaris. Suscitabo, inquam, tecum pactum meum, vt recorderis, & confundaris. Pighius hanc esse preparationem fingit, qua homines Deum anteuertant, ac priores occurrant eius gratiæ. Dominus autem, homines præuenire se testatur, vt peccata sua agnoscant. De altera parte iam alibi dictum est: non magis penes hominem esse, inuolare suam vitam, quàm propria potentia à mortuis resurgere. De oratione, quæ iam promptum est, eius insaniam conuincere? Inuocando, inquit, præueniunt homines Dei gratiam.

Lib. de  
perfect.  
Iulii.

Quòd enim eam precibus flagitant, ex seipsis faciunt. At Paulus contrà: quomodo inuocabunt, in quem non crederunt? Quibus certè verbis Dei inuocationem ex fide, tanquam filiam ex matre, procedere nascique demonstrat. Vnde autem fides? An hanc quoque præparationis esse partem nugabitur? Et cur non faceret, cum de spe sic ausus fuerit loqui? quæ tamen & fide posterior est, & ex ea quoque sicut Dei inuocatio producitur. Habent, inquit, à seipsis homines vt pulsent: Dei autem est aperire. Augustinus autem: Hæc est fidei sanitas, quæ nos orare facit, vt exaudiamur: quære, vt inueniamus: pulsare, vt aperiatur nobis. Contra istam qui disputat, contra se ostium claudit misericordie Dei.

At Solomon non præcipit, sed affirmat hominis esse facultatem præparandi cordis. Et hîc habes expositionem Pighio dignam. Temerariam hominum cõfidentiam Solomon illic deridet, qui nihil non agitant consilij, nihil non moliri audent sine Deo: cum tamen ne verbum quidem emittere quod multo minus est: nisi per ipsum queant. Hominis, inquit, est cor præparare: & Domini est gubernare linguam. Quis non videat, ironicam esse humana arrogantiæ descriptionem? quæ summa omnia sibi usurpat, cum ne minimum quidem in potestate habeat? Pighius autem ex eo, præueniri ab homine Dei gratiam colligit. Iam quis fingit præparationes, Deo gratus esse, ex Dauide probat. Desyderium enim pauperum audiuit Deus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Vtinam verò, quando ad vertendum non est idoneus, bonum interpretem sequi maluisset, quàm ad inscitiam hoc quoque mali addere, vt errori pertinaciter adhereret. Ad verbum sic habet Dauid: Desyderium pauperum audiuit Deus: præparabis cor eorum: audiet auris tua. Pighius, vestigijs interpretis non boni nec fidei insistentis, ad præparationem torquet, qua homines certent cum Dei gratia. Vides quàm apposita sit ad rem probatio. Et tamen non minore truculentia stuppas istas proijcit, quàm si fulmina de cœlo vibraret. Subijcit, causam hanc adduci, cur spoliatus regno fuerit Roboam, quòd non direxerit cor suum, vt obediret Domino. Si præparare, inquit, cor, ad quærendum Deum, nihilo magis potest homo, quàm digito cælum tãgere, quid hoc specialiter de Roboam Scriptura commemorat, velut causam reprobi sensus, quod æque & piorum & impiorum est omnium? Atque hunc nodum, quicquid comminiscar, insolubilem esse nihil dubitat. Respondeo, non dici causam reiectionis, quòd per se non habuerit flexibile cor, quod sine Spiritus directione, ad seruiendum Deo, proprio nature motu inclinaret, quod nos, omnium pariter hominum commune esse tradimus, sed quod re ipsa non direxerit ad Deum cor: quod impijs proprium est, ac peculiare. Hoc vitium vsitatum est Pighio, dum res diuersissimas non distinguit, nihil non postea miscere & confundere. Cordis duritia & prauitas, qua fit, vt ad malum propendamus, ad bonum simus impotentes, vniuersalis est generis humani morbus, donec Spiritu suo remediũ adhibuerit Dominus. Vbi autem cor in vno carneum formauit: in altero lapideum, sicut à natura erat, reliquit: iam multum inter eos est discriminis. Ille cor flexibile habet, ad Dei obedientiam, imo Dei Legem habet inscriptam in corde, vt eius iustitiæ, toto voluntatis affectu, obtemperet: hic corde indomito, obstinato, ac rebeli, & Deũ & eius iugum aspernatur. Illius obedientia opus Dei est: hic non alium habet, cui peruicaciam suã imputet, nisi seipsum. Ergo, qui nihil prima conditione differebant, Dei gratia & iudicio, nunc sunt discreti. Videt lectores, me nihil cõminisci, & tamen nullum

nullum amplius restare scrupulum. Póst, vt identidem solet, ad præcepta relabitur. Verùm quia prouidebat, nos respõsione nõ destitui, subiungit, quæ illic Deus præcipit, fideles semper fecisse. Nam sicut populum admonerat Dauid, vt præberet corda sua Domino, EZ: chias item, ne ceruicem suam obduraret, patrum suorum more, sed manus porrigeret: ita refert sacra historia, venisse ex toto Israele quosdam, & cor suum tradidisse, vt seruirent Domino. Quis negat? Modò iam en subintelligi debere non detrectet, quod alibi exprimitur: quorum tetigerat Deus corda. Ne que enim fieri negamus ab hominibus hæc & similia. Id autem solum est, quod inter nos controuertitur, propriõne motu naturæ, an Spiritus sancti ductu & gubernatione, ea faciant.

Tandem, vt aliquo inuolucro operiat, quam nimis detexerat impietatem, ad liberi arbitrij gratiaque coniugationem reuertitur: cuius speciem vnã in re exhibere studet, vt de reliquis tale etiam iudicium fiat. Sapiẽtiam enim vnus quidem esse Dei donum: sed dari cum delectu, non obrudi. Dari porrò non nisi ijs, qui eam inuocant, qui cor illi suum inclinant. Humilium enim esse, nõ superborum. Quid? An non humilitas quoque Dei donum est? Quòd sineget Pighius, quibus tamen hanc persuasionem machinis ex piorũ mētibus, quibus penitus infixæ est, reuellet? Ergõne, quia gradatim confert Deus suas gratias, vt vnã sit ad alteram præparatio, ideo laudis suæ parte priuabitur? quasi hominem tantum suis beneficijs subsequatur, non autem etiam præueniat. At si quem Deus suis gratijs dignetur, nullo præparationis respectu, in reliquos iniurius erit & crudelis, quos interea præteribit. Certè si Pighij tribunali subijceretur Deus, sub iudice tam malè propitio, facile causa caderet. Testatur enim, se solum esse, à quo discernimur: cum alioqui simus per omnia similes. Quid igitur, sic obloquendo, Pighius agit aliud, nisi quòd lapides sursum in cælum projicit, qui mox in caput eius recidant? Vt ergo millies clamet, Spiritui sancto, & vniuersæ Scripturæ resistere, qui nihil ad promerendam Dei gratiam facultatis homini concedunt: eiusque voluntatem sic à iustitia auersam esse docent, vt nihil quàm malum cõcipere ex se queat: vt anathema omnibus qui sic sentiunt centies minetur, nihilo plus tali clamore, quàm latratu, proficiet, donec alia Scripturæ testimonia proferat. Dei enim veritas, quam docemus, maiori stabilitate subnixæ est, quàm vt ventosis eius argumentationibus tam leuiter diruatur.

Hoc controuersia capite tam bene transactio & absoluto, ad alterum transit. Nam quòd scripsi, ne pedisequam quidem gratia ideo debere existimari hominis voluntatem, quia per se, proprio separatõque motu, cooperetur: quin potius hoc quoque voluntatis obsequium, siue ad recipiendum, siue ad retinendum Spiritus sancti motum, quam cooperationem appellant, inde manare, quòd voluntas, iam reformatã, Spiritui promptam obsequentemque se præbeat: primum id tam obscuro esse pronuntiat, vt nec ego intelligam quid mihi velim: deinde hunc esse impietatis cumulum, cui nihil adijci amplius queat: frustra que me obtendere Augustini patrociniũ, quem mihi prorsus aduersari demonstrauerit. Quòd autem in eius verbis fuerim hallucinatus, causam hanc esse, quia obiter tantum cursumque inspectus, nunquam attento studio lectus mihi fuerit. Vtinam verò tanta, & attentione, & diligẽtia, versatus foret in Scripturis, tãque familiariter notũ haberet earũ sensum, quàm & diligenter legisse me Augustinum, & familiariter cogni-

tā habere eius mentē, iactare mihi liceat. Verūm id ex re ipsa aſtimari malo. Quod ad præſentem quæſtionem ſpectat, quia illud Chryſoſtomi improbaueram, neque voluntatem ſine gratia, neque gratiam ſine voluntate quicquam poſſe boni, malignitatis me accuſat, quia vni Chryſoſtomo imputem, quod & ex communi Eccleſiæ definitione ſumptum ſit, & totidem propè verbis ab Auguſtino aſſeratur. Locum autem recitat ex tercio hypognoſti<sup>ca</sup> libro: cuius clauſulam, verbis quidem non multum ab ſimilem eſſe fateor ab eo, quod dicit Chryſoſtomus: ſed ſenſum diuerſiſſimum eſſe contendo. Bona opera per gratiam & liberum arbitrium fieri tradit, quicumque ſit illius libri author: ſicut via ab equo ſimul, & ſeſſore, cōſicitur: dum equus quidem currit, ſed directus ſeſſoris manu, vt rectam iter teneat. Porro viam facit Chriſtum. Liberum arbitrium inſtar vagi & deuū iumentum in mundi Vanitate errare docet, uſque dum illi Spiritus Dei infideat, quod à concupiſcentiarum errore ad viam iuſtitie reducat: reducum perpetuo regimine gubernet, donec ad deſtinatam metam perueniat. Currere ergo liberum arbitrium concludit: ſed Deum facere, vt rectè currat. Et quid hoc aliud eſt, niſi quod ſemper docui? habere ſcilicet à natura voluntatem, vt velit: vt autem bene velit, beneficium eſſe gratiæ nō facultatem nature. Hoc ſenſu minimè repugno, quin gratiam comitetur voluntas: ſicut neceſſariò materia formæ ſubeſt. Nam cum volūtas velut materia ſit, ad recipiendam formam apta & habilis, ante renouationem malè formata eſt, nature & prauitate. Vbi autem Spiritu Dei ad bonitatem renouatur, quaſi alteram formam induit. Velle igitur habet homo: vt autem bonum velit, à Deo præuenitur. Hæc enim poſteriora verba illic habentur. Non dicit, vt velle poſſit: ſed præſentem effectum aſſignat gratiæ: quemadmodum & aliquāto antè, cum diceret, tam reparari, quam præparari voluntatem, vt bona ſit, quæ mala erat. Quid autē Chryſoſtomus? Sic comitem gratiæ voluntatē cōſtituit, vt ab hac pendeat illius efficacia. Neque aliter Pighius accipit. Quid ergo ex verborum ſimilitudine facum facit, in tanta ſententiæ diuerſitate? Quod ſi nōdum acquieſcit, meminerint lectores eius, quod alibi retulimus, pro magno abſurdo Auguſtinū ducere, ſi quis dicat, non ſufficere Dei miſericordiam, niſi adſit hominis voluntas. Non igitur volentis, neque currentis, vt totum detur Deo: qui voluntatem hominis, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam: qui nolentem præuenit, vt velit: volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit. At illo ſuperiore loco inuauitur, non tolli, ſicut aſſero, liberum arbitrium per gratiam: ſed vulneratum, apprehendi, vt dometur, corrigaturque ad obediendum Deo. Quæſti ego ſubſtantiam voluntatis redigi in nihilum oportere, vel docuerim vnquam, vel etiam ſomnauerim. De qualitate enim ſemper locutus ſum, in qua hic ſcriptor correptionem dum requirit, quid omnino à me diſſentaneum habet? Sed hæc ſunt ſtratagemata faciūtij noſtri Hercules, qui mōſtra ſubinde ſibi fabricatur, quibus deuictis, in ſinu ſuo triumphat. Atque vt omnia inter ſe reſpōdeant, triumphale hoc ſibi carmen occidit: his verbis nos compelliari ab Auguſtino: Audi hæretice, ſtulte & inimice fidei: Opera liberi arbitrij bona, quæ vt ſiant præparantur per gratiæ præuenitum, nullo liberi arbitrij merito, ipſa faciente, gubernante, perſiciente vt in libero arbitrio abundant, non damnamus. Ad eò, & cæcus eſt, & improbus, vt nō cernat, hæc omnia perinde ſcripta eſſe, ac ſi quis ex nobis dictaſ ſer: & alijs mentē iudiciūque, ne cernant, ſua proterua tollere ſe poſſe confidat.

Ad reliqua deinde mea argumētā, ſed pari, qua hætenus ſællicitate, reſellēda  
per-

pergit. Ceterum ad ea, quæ ex Ieremia cito: *Timorem nominis mei dabo in corda eorum ut non recedat à me.* Item: *Dabo eis cor nouum, ut timeant me cunctis diebus, abunde responsum esse præfatur, ne operam in re superuacua consumat.* Ego autem non alteram responsum audiui, nisi quod fortiter his verbis refragatus est. Ut enim à Domino non recedamus, se efficere in nobis ipse testatur. Si modus queritur, respondet iterum, cor nouum dando. Si id adhuc nimis obscurum est, addit explicationem: quod nominis sui timorem inserat in corda nostra. Quid adhuc Pighius? Nobis id conferri Dei gratia, ut possimus non recedere, si libeat: nihil præterea aliud. Quanquam neque id sine exceptione concedit. Deum enim à nobis præueniri: neque dari eius gratiam, nisi petentibus. Hæc sunt Pythagoræ responsa, quibus, sine controuersia, fidem vult haberi. Cum sanctorum orationes adduco, quibus à Domino petunt, ut cor suum inclinet, ut cor nouum, & Spiritum rectum sibi ipsis innouet, excipit, mueniri ex aduerso multa præcepta, in quibus à nobis similia requirit Deus. Atqui tritum illud esse debet, precibus suis restari sanctos, quid Dei sit: Deum autem præcipiendo minimè ostendere, quid sancti ad implendum virium, aut facultatis habeant. Addit, inueniri etiã inclinasse sanctos cor suum Deo, dum gratiam affecti sunt. Quasi hoc soluere sit obiectionem, alijs verbis, in eundem tamen sensum succinere. Postremò addit, preces eiusmodi, p̄ desiderij esse signa, quo ad gratiam adspirent. Id autem ex diametro nobis esse contrarium, qui hominem negamus à seipso præparari. Quasi verò minus ad Deum pertineat, cōtinuare, quàm incipere. Clamant David & Solomon, *inclina cor nostrum Deus.* Iam hoc quidem votum inclinationis indicium est. Quid ergo sibi volunt? Perinde ac si dicerent: *Perfice Domine, quod cœpisti, & confirma, quod ex parte operatus es in nobis.* Nondum ergo hoc mihi Pighius excusit, inclinare ad rectitudinem hominum corda, vnius esse Dei opus. Dixerã, nihil Deũ seuerius exigere, quàm ut Sabbathum suum colamus. Hanc porrò spirituales esse eius obseruationem, dum ab operibus nostris quiescimus. Respõdet Pighius, quietem mādari nobis ab omni opere feruili, nõ autem à Dei timore, & legis ipsius obedientia. Bælla solutio. At quorsum hoc adduxi, nisi ut timorem Dei ostenderem non esse proprium nostrum opus? Nam cum Dominus, qui nos bene agendo non vult defatigari, quiescere nos ab operibus nostris iubeat, nõ omne, eo ipso, pronuntiat, omnia nostra opera mala esse? Itaque Iesaias violari Sabbathũ testatur, quãdo inuenitur in eo voluntas nostra. Hanc ergo Sabbathi veritatem esse non dubium est, de qua Paulus sexto ad Romanos capite concionatur, ut crucifigatur vetus homo noster: cuius nulla in ratione habet Pighius.

Sequi ut illa similitudo, in qua dixeram, satis luculentum gratiæ Dei testimonium extare, nisi nos supra modum maligni essemus: Ego sum vitis vera: vos palmites. Sicut palmes non potest ferre à seipso fructum, nisi in vite manserit, ita neque vos, nisi in me manseritis: quia sine me nihil potestis facere. In his verbis reperit Pighius clarissimam sententiæ suæ approbationem. Nã cum agricolæ officium sit, excolere: vitis natura, humorem succumque administrare: palmis autem, fructum proferre: in hac distinctione pulcherrimã liberi arbitrij gratiæque colligationem extare censet. Atqui simile hoc, quo vititur Christus, ex eius ore, non autem Pighij ingenio accommodari ad veritatẽ suam oportuit. Applicatio ex Christi mēte simplex est & expedita. Quemadmodum palmes extra vitem nec vivere, nec florere,

nec fructū e dere potest, sed mox exarescit: invite etiam assidua cultura purgationē que habet opus: sic nos extra ipsum nihil habere profus, ad veram, hoc est, spiritua- lem vitam, eiusque actiones aut vigoris, aut potentia, sed esse omnino inutiles: in ipsa vero cū insiti plantati que sumus, perpetua Dei operatione excoli, ut in fecunditate permancamus. Hac, inquam, inter res hīc inter se comparatas congruentia qui contentus erit, minimè periculum est, ne decipiatur à Christo: quo terricula mento imperitos percellere conatur Pighius. Quid autem ipse contrā? Palmitis naturam cum nostra conferendo, bonorum operum fructus propriè à nobis produci colligit, & vi germinaria, que in nobis est: ametsi ex vite eam & cœlesti agricola acceperimus. Si voluntatem intelligit nobis à natura indi. am, qua velimus: iudicium quo eligamus: conandi potētiam, qua conemur, nihil repugno: modò & voluntatis, & iudicij, & conatus rectitudinem sola gratia nos obtinere (quoniā hæc tria naturaliter pravit. ate corrupta sūt in nobis) simul cōcedat. Si quā verò laudis partem in bonis operibus nobis transcribere intendit, ne totum Dei sit, aliunde, quā ex Christi verbis, erroris sui patrociniū quarat. Cū enim fructus vocētur utriusque generis opera: hoc est, tam bona quā mala, nos quidem ad ferendū fructum natura facti sumus, sed ex nobis fructificamus peccato in mortem: ut autem ad proferendos bonos vite fructus simus idonei, gratia nos fieri oportet. Ergo natura ad ferendos bonos fructus otiosi sumus ac steriles: ad malos verò, plus nimio fecundi. Ac scire etiā nū ex Pighio velim, omnēsne naturaliter insitos esse Christo putet: an hoc esse singulare donum fateatur, natura cōditiōne excellentius. Nā si hoc secundam extorqueo, quod necesse est, ubi erunt illæ preparatiōnes, in quibus præcipuam vin liberi arbitrij locare solet? Et totam huius rei controuersiam dirimit Paulus, cū homines, antequam in Christum inferātur, oleastris similes facit. Verum quod ad cooperatiōnem, qua Dei gratiam subsequitur voluntas nostra, vicisse sibi videtur. Nam si palmes fructum non potest ferre, nisi in vite manserit: ergo ex seipso feret, si manserit. Proinde qui in Christo manet, ille, instar palmitis, ex seipso, id est, propria sua natura fructum feret. Huius argui & fiducia mirum quantum exultet. Atqui nemo non intelligit, quā pueriliter ineptiat, eiusmodi syl. labarum aucupia tendendo. Nam cū intelligere Christū satis constet, non ex seipso feracem esse palmitem: sed ita demum, si in vite manet, hic nugator nodum in scirpo querit. Quod si adhuc rixetur, respondeat mihi, quid per hanc particulam intelliga, à seipso. An hæc, quæ so, inter se opponi negabit, à seipso, & in vite? Sed eum nihil in ror. Res plusquam clara est: opponi duas istas particulas, à seipso, & in vite: unde intelligere promptum est, à seipso, tantundem valere, ac si dixisset, à vite extractum aut separatum.

Ad illud Pauli, Deum esse, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro suo beneplacito, se quoque idē confiteri: sed ita, ut simul agat voluntas. Hoc flexu elapsum se putat, cū medio adhuc corpore ipsum teneam. Non enim hoc queritur, agātne voluntas, quod extra dubium est, sed agātne à seipsa, an pro modo diuinae actionis: aut crassiore, si placet, loquendi modo, distinctiōne ac separata sit actio voluntatis ab operatione Dei: an illi, quod aiunt, subordinetur. Quis enim nescit, per voluntatem fieri, ut velit homo? Sed Paulus illic voluntatem asserit Dei Spiritu gubernari, ut ad bonum inclinet & adspiret: idcōque propriam esse eius actionem, si quid boni animo concipimus. Ergo solutio Pighij, sumus est. At illud alter.,



alterum, Deum agere omnia in omnibus, s. c. eludir. Quia scilicet præter eum non sit, qui faciat omnia in omnibus: creaturas tamē suo quāque ordine, perficere actiones, quas illis destinavit. Secundū hoc cōmentum, si quis creaturæ propriam seorsum à Deo actionem assignet, nihil alienum dicit à sensu Pauli. At certò certius est, Paulum ideo retulisse ad Deum omnia, v. disceremus, nisi per ipsum, nihil fieri: vt inferre inde liceat, quicquam neminem ex se agere, quando solus Dominus in omnibus impleat omnia. Loquitur autem Apostolus non de vniuersali diuinæ providentiæ operatione, qua totus mundus regitur, sed de singulari gubernatione, qua per Spiritum sanctificationis ad iustitiæ suæ obedientiam fideles dirigit. Hoc dum Pighius ignorat, de generali naturæ ordine, extra rem philosophatur.

Cū autem approbare illam Chrysostomi sententiam vult, quem trahit, volentem trahit, primum falsò nobis obtendit seculorum omnium consensum: deinde rationes illas iam toties à me confutatas, repetit: stare ad ostium cordis nostri Deum, vt ipsi aperiatur, & similis. Verùm suo more impugnat, quod non assequitur: aut certè armis parum congruis vtitur. Et Christum, & Sathanam, voluntarios sibi milites eligere, atque auctionari cum Ambrosio sentimus: sed oportere ad bonum fieri voluntarios, Christi Spiritu, dicimus, quoscunque vult habere tales. Trahit nos, inquit Augustinus, non violenter neque inuitos: sponte igitur sequentes: sed voluntate, quam fecerit. Porro non hoc mihi in Chrysostomo displicet: quòd spontaneos ad sequendum esse dicat, qui trahuntur: sed quia proprio motu sequi debere, intelligat. Quicquid ergo molietur Pighius, hoc excutere nobis non poterit, efficaciter à Deo affici nostram voluntatem, non leuiter tantum moueri: vt nostra postea optionis sit, refragari vel perire. Nec frigidis suis caullis efficiet, quin ad eius confirmationem valeat, quod citavi, Christi testimonium: Omnis qui audiuit, & didicit à Patre meo, venit ad me. Discere, inquit, pro Acquiescere capitur hoc loco. Ergo non omnis, quem Pater docet, venit ad Christum: sed ille demum, qui persuaderi se sinit. Hæc expositio quantum ponderis habere debeat, relinquam æstimandum lectoribus: vbi tilius verbis admonuero, quid illic agat Christus: Non aliud scilicet, nisi vt demonstrat, quantum inter externam hominis prædicationem, quæ aures solum ferit, & interius arcumque illud, quo mens illuminatur, & cor tangitur, Spiritus sancti magistrum interfit. Nec verò prætereundam est, qua occasione adductus ad discrimen illud tractandum fuerit. Videbat, se nihil docendo proficere, apud cæcos, surdos, & rebelles. Ostendit igitur, non aliter fructuosam esse doctrinam, nisi cū & lumen intelligentiæ, & obedientiæ affectus à Deo datur. Atque huc pertinet, quod ex Iesaja adducit testimonium: Omnes fore à Deo doctos. Significat enim eo loco Propheta, peculiare esse doctrinæ genus, quo Dominus electos suos dignetur. Docentur enim & impij: sed alio modo: nempe, tantum, vt ab homine audiant, non autem vt à Deo discant. Verùm, vt aliter, quàm sentiam, posse intelligi Christi verba euincat, Cyrilli expositionem profert à mea diuersam. Quasi verò protinus consequatur, aliter posse intelligi, quia Cyrillus aliter intelligat. Quòd si istud recipitur, habeo Augustinum, sicut tempore, ita & reliquis omnibus rebus superiorem Cyrillo: qui omnino negat aliter posse accipi. Sed res ipsa & veritas nobis, ad faciendam fidem, sufficiat. Sine exceptione omnes, qui audierint ac didicerint à Patre, Christus ad se venire testatur. Inde efficacem esse

doctrinam colligo, qua Dominus<sup>us</sup> per Spiritum suum intus nos erudit. Tergiversatur Pighius, illud discere, in electione nostra esse situm. Dico id omnino cum Christi mente pugnare: nec aliud dico, quam quod euidenter perspicere omnibus licet. Suam enim doctrinam ab ijs demum recipi clamat, quibus datum fuerit. Et quid tamen Cyrillus? Non vi cogi, qui trahitur. Quis reclamar? Adiungit postea de libero arbitrio alterum membrum, quod ex commento carnis assuit. His tam bene confectis, dictum illud vulgare Guillelmi Ockam, quod omni ex parte Pelagianismum respicit, facienti quod in se est Deum non denegare gratiam, verissimum esse concludit. Nam quod neminem Dei gratiam querere posse tradidi, nisi qui a Dei Spiritu agatur, eo modo homines prorsus stipes fieri. Quis sic? Quoniam hinc sequatur, nemini expositam esse, nemini quarendam: ut pote qua quari, antequam habeatur, non possit. Frustra autem queri, quod iam possidetur. At perinde ratiocinatur, ac si concessum iam illi à me foret, non esse diuersas gratias, pium desiderium, eiusque consecutionem: cum iam alibi ex Augustino demonstraui, hanc fidei sanitatem esse, petere ut accipias: querere ut inuenias: pulsare, ut aperiatur tibi. Porro huius sanitatis author, non aeger, opinor, sed medicus existimandus erit.

Quantum ad perseverantiae donum, hac est Pighij philosophia, conferri illud quidem nobis gratuito, & tamen meritis rependi. Qui factum est, ut hac tam subtilis cogitatio Spiritui sancto non occurreret, cum penitus contraria argumenta Paulo dicitaret: Siquidem cum illi familiaris sit collectio, si ex gratia, ergo non ex operibus, rationem alicubi reddit: quia quod operibus rependitur, debitum sit. Operanti, inquit, non secundum gratiam, sed secundum debitum merces redditur. Hoc Rom. 4. quali. er cum Pighij axiomate conueniet, qui vult nos propria virtute promereri Dei gratiam, & tamen gratuito eam consequi? Caterum remunerari Deum posterioribus gratijs legitimum priorum usum, ex vulgata illa Christi parabola, de iacentis cum faenore redditis confirmat. Ego verò nunquam hoc simpliciter negaui: sed tantum hanc exceptionem posui, ut duplex periculum caueretur. Ne aut sic remunerari credatur Deus legitimum gratiae suae usum, ac si homo sua ipsius industria oblatam sibi gratiam redderet efficacem: aut sic remuneratio censeatur, ne sit amplius gratuita gratia. Imo sic parabolam illam exponi debere monueram, quod Deus sua in nobis priora dona nouis & maioribus subinde prosequitur. Quare nullum opere praetium facit Pighius, dum tantum verborum fundit, quod mihi extorqueat, quod sponte iam professus sum: talentorum nomine illic Dei gratias, nos sub seruatorum persona, Deum autem per patrem familias designari. Cum hoc inter nos citra dubium constet, eliciat inde si quid potest, quod mihi aduersetur. Laudat, inquit, Deus fidelitatem nostram, eiusque mercedem testatur esse, quod amplioribus nos donis cumulat: Nempe sicut sua dona in nobis coronat, quoties aliquid retribuit. Sic etiam habet Institutio mea: Fidelibus expectandam esse hanc benedictionem, ut quò melius vsi fuerint superioribus Dei gratijs, cò maioribus posthac augeantur. Sed id quoque esse gratiae donum, quod bene utantur. Ne quis verò id à me confictum putaret, testimonium Pauli adhibui: qui vtrumque ad merum Dei beneplacitum refert, quod & velle operetur in nobis, & perficere. His quidnam sit in parabola contrarium, non video.

Quòd autem Dei gratiae cooperetur voluntas nostra, Paulum testem adducit, qui testatur copiosius se alijs omnibus laborasse. At mox, correptione adiecta, id

retrahat: transfertque ad Dei gratiam, quod sibi sumere visus erat. Non ego, inquit, sed gratia Dei, quæ mihi aderat. Hæc correctione non aliud significari opinatur Pighius, nisi quod adiutrice & cooperatrice Dei gratia laborauerit. At si id vellet Paulus, vteretur tantum hæc moderatione: non se laborasse solum, sed gratiã Dei simul adfuisse. Nunc autem non dimidia exceptione, sed plena correctione vtitur. Verum cursus, & certamen, & castigatio corporis, labore cõstant: quibus de funciũ se alibi meminit. Sic est: neque nos abhorremus ab vsitato loquendi more, quo & currere, & certare, & laborare homines dicuntur, modò ne id quoque nobis negetur, tam ad certamẽ, quàm ad cursum aut laborẽ, & animũ, & vires, Dei gratia, illi cõferri. Aut, si Propheta verbis sensum nostrũ exprimi magis placeat: facere homines libenter cõcedimus: sed Deo faciẽ, e, vt faciant. Aut igitur Pauli verba mutet Pighius: aut cũ sua interpretatione faceffat. At sermonis proprietate se tuetur: quia laborare nequaquã Deo conueniat. Laborẽ igitur totum esse nostrum: sed laborãdi virtutẽ à gratia subministrari. Ac me eo errore deceptum fuisse dicit, quia hoc nõ animaduertim. Ego verò hanc reprehensionem, quòd fidelis magis quàm faciũs interpres fuerim, libenter sustineo. Quamquã ista quidem reprehensione Apostolũ potius, quàm me, impetat. Hæc enim sunt Pauli verba: Non ego sum, qui laboraui, sed gratia, quæ mecũ erat: in quibus si nihil mutare ausus sum, quid est quòd mihi Pighius propterea litem intẽdat? Verum Augustini autoritate me urget, qui Pauli verba sic accepit: quasi laborasse se dicat, sed adiutrice gratia. Quasi verò non factis cõstet, hinc hallucinari Augustinũ, quia latina interpretatione, quæ ambigua, & minus plena erat, contentus, quid haberent Pauli verba, non inspexerit. Sed hæc est Pighij sedulitas, ex auro scoriã duntaxat legere. Postremò, adducta in medium parabola, de operarijs in vineam conductis, rogat; quisnam sit operarius ille, quem mercede dignum Christus pronuntiat. Nihil enim habere nos aliud putat, quod respondeamus, nisi Dei gratiam: quod perquam est ridiculum. At cur sic vaticinatur? Nos enim fideles operarios esse, minime negamus: sed cor quo velint, robur quo sufficiant, manus quibus laborent, à gratia Dei habere dicimus: in qua doctrina nihil esse absurdi, perspicuum est.

Supereff Augustinus: quem vt ne cui dubiũ foret, sententiã nostrã per omnia patrocinarie: eius testimonia, cum ex alijs locis, tum præsertim ex secundo ad Valentinum libro citaueram. Ad hæc antequam respondeat Pighius, per longos & deuios verborum circuitus vagatur ipse, & circumducit lectorem, vt cernere omnibus promptũ sit, hominem cause suæ malè cõsciũ, ideòque diffidentia perplexum, hoc artificio velle à re presenti abducere lectores: vt dum per ambages circumferuntur, veritas, obuia illis aliàs & exposita, ex eorum oculis euanescat. Commemorati igitur longo sermone, quid altero ad Valentinum libro tractet Augustinus: & quia cum gratia liberum illic arbitrium coniungit, satis hoc ad victoriam sibi esse confidit. At nos alibi demonstrauimus, quid hæc coniunctio valeat, & quo sensu debeat à nobis accipi. Nam cum liberi arbitrij nomine voluntatem simpliciter designet, quam interea seruam esse peccati fatetur, quid aliud sibi vult, quàm quod nos predicamus? Quemetiã, si ipsum recipimus verborũ suorum interpretem, alibi, quàm nihil sentiat à nobis diuersum, exponit: cum scribit, nõ tolli gratiã voluntatẽ, sed ex mala in bonã mutari, & cũ bona fuerit, adiuuari. Venit postea Pighius Epi. 105. ad librũ, ex quo testimonia citauerã: & in liberi arbitrij vocabulo rixãdi ansam

iterū prehensat. Quasi non ab initio semper fuerim testatus, nihil nos morari nomen, si de re modò conueniat. Quid Augustinus? Prophetica & Apostolica fides asserit, liberum in homine arbitrium, tam ad bona quàm mala agnoscere: sed ad bona inutile esse prorsus, sine gratia auxilio: imò liberū esse iustitiæ seruum peccati: in bono autem nunquam liberum, donec Christi gratia liberetur: usque ad eò ut nullo modo aspirare ad bonum queat, nisi Dei spiritu dirigatur. Vnde concludit, initium gratiæ iam esse, desiderare gratiam. Hinc colligit Pighius, doctrinam nostram impietatis ac perfidiæ plenam esse, ut pote quæ ex diametro cum hac fide pugnet. At huius, quam somniat, repugnantia, ne umbram quidem apparere sanæ mentis hominibus dico. Verum ipse nimis obliuiosus est, qui inter orthodoxa fidei capita nunc amplectitur, quod nuper pro execrabili dogmate tragicis clamoribus vexauerat: Nempe, gratiam desiderare, esse gratiæ initium. Viderit quid faciat. Nam unico hoc verbo, totum philosophiæ eius fundamentum euertitur. Verum quid dicat, nihil pensi habet, qui pugnandi fiduciam semel in garrulitate posuit. Præterea hoc s. militer contra nos torquet, quòd eos reprehendat Augustinus, qui sic imaginabantur asseri gratiam, ne superuacua essent correptiones. Quid? An ista vnquam imaginatio nobis, vel per somniū, obrepserit? At ex doctrina nostra sequitur. Cur ex nostra magis, quàm Augustini? Quia, inquit si malum cauere, & bonum facere nemo possit absque gratiæ auxilio: si in super ea sola, sine nobis, hoc in nobis operetur & præstet: nec in nostra sit potestate, non solum facere ut adsit, sed nec optare quidem, priusquam adsit magis ridiculum foret hortari quenquam ad bonum, quam cæcū hortari ut videat. Et quid non istorū omnium prope ad verbum Augustinus pronuntiat? Sola inquit, Christi gratia liberantur homines à malo: sine qua nullū prorsus, siue cogitando, siue volendo & amando, siue agendo, faciunt bonam. Item, Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia consequitur libertatē: & ut perseueret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. Item: Intus est Deus, qui corda tenet, qui corda mouet, hominēsq. voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, trahit. At ostendere Augustinum iaculat, in audientis potestate esse, recipere ad monitionē. Itane verò, ut ad effrenatā usque licentiam, tanquam ex professo, mentiatur: & tamen verum se dicere persuadeat? Plus decies illic negat Augustinus, quod eum asserere hic nugator fingit. Tunc, inquit, correptione proficit homo, cum miseretur atque adiuuat, qui facit, quos voluerit, etiam sine correptione proficere. Item: Corripiatur ergo massa damnabilis: ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur: si tamen is, qui corripitur, filius est promissionis: ut strepitu forinsecus insonante atque flagellante, Deus in eo intus operetur & velle. Item: Qualitercūque fiat per hominem correptio: ut tamen proficit, non nisi per Deum fit. Item: Cum homines per correptionem in viam iustitiæ, seu veniunt, seu reuertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui quolibet plantante atque rigante, dat incrementum Deus? cui volenti saluum facere nullum humanum resistit arbitrium. Item: Proinde: quantum ad nos attinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valeamus, omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, adhibere debemus correptionis medicinam: Dei autē est, illis eā facere vtilem, quos prædestinauit, cōformes fieri imaginis filij sui. Quid autē quòd Pighius ipse, vertigine sua aliò raptatus, mox fatetur, ab Augustino tradi, nō modò

Cap. 2.  
eius lib.

Cap. 8.

Cap. 14.

Cap. 5.

Cap. 6.

Cap. 14.

Cap. 16.

impj conuersionē, profectum in bono, & vsque ad finem perseuerantiā ex Dei dono & gratia pendere, sed hanc gratiam non esse omnibus expositam: nec nostro, aut studio, aut conatu posse nos eam consequi, sed vnius Dei beneplacito, conferri quibus ipse velit? Hæc postquam illi exciderunt, palam discessionem ab Augustino facere primum cogitur: deinde ostendit, qualiter, Dei gratiam non abnegando, soluenda sint illa argumēta, quæ perplexum Augustinum tenebant: Nempe, si conuersionem dixerimus esse Dei donum, sed non conuerti, nisi qui libero arbitrio id promerentur. Perseuerantiam similiter Dei esse donum: sed pendere non minus ex homine. Vtrunque demum superioribus meritis rependi. Ita tribus verbis omni se difficultate liberat. Sed si tam apertis crassisque deliriis lectorum oculos perstringi posse sperat, nimis se decipit. Ego cerè non alio modo confutare statui, quam in medium proferendo. Quando nemo tam hebes stupidusque erit, qui non primo statim aspectu à tanta absurditate abhorreat.

Tandem ex locis à me citatis vnum aggreditur in quo speciosam maledicēdi causam, & spaciosam exultando campum habere sibi videbatur. Retuleram hæc Augustini verba quæ nunc subijciam: testatus tamen, me carptim excepiisse compendij studio, quæ rei summam comprehenderent: Gratiam persistendi in bono, Ad hæc fuisse datam, si vellet: nobis dari, vt velimus, ac voluntate concupiscentiam superemus. Habuisse ergo illum posse, si vellet: sed non velle, vt posset: nobis & velle dari, & posse. Hæc enim fideliter me retulisse agnoscit Pighius: vt cunque tergiverfando inuolucere adhuc conetur tam claram veritatem. Verum quia addo continud post alteram membram, primam fuisse libertatem, posse non peccare: nostram verò nul: d maiorem, non posse peccare: hic si rennuè me flagellat, tanquam in filiolum atque falsarium: vt qui ad presentem sanctorum statum, quod de futura post resurrectionem conditione dictum erat, transferam. Equidem non inficior, eius, quam illic describit, perfectionis complementum nondum extare: neque ante resurrectionem sperandum esse: Verum hanc non conficitur, ad presentem statum nihil pertinere. Nunc enim inchoatur in sanctis, quod tunc adimplebitur. Hanc porro fuisse Augustini mentem, contextus satis demonstrat. Postquam enim exposuit, firmitudinem standi, quæ nunc est in sanctis Angelis, premium perseuerantis fuisse, quomancum malis lapsi non fuerint: eiusdem quoque præmij participem futuram hominem fuisse subiungit, si eorum exemplo inobedientia perstitisset. Nunc transgressione sua profusus excidisse: & tamen in ijs, qui liberantur, factum esse donū gratiæ, quæ merces meriti futura erat. An hic de immortalitatis gloria, ac nō potius de presenti regenerationis beneficio disputat? Rursum: Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solum posse, quod volumus: verum etiam velle, quod possamus. Continud post, oportere diligenter bina ista distingui, & quid differant, vigilanter expendi, inferret: posse non peccare, & non posse peccare, posse non mori, & non posse mori. Quæ sunt ista bina, nisi quorum iam meminerat? cum primi hominis conditionem à nostra discernere? Dixerat autem, tanto maiorem esse gratiam nobis datam, quia parum sit nobis, perditam libertatem recuperare, parum sit denique, non posse sine illa, vel apprehendere bonam, vel permancere in bono, si velimus, nisi etiā fiat, vt velimus. Cur ergo postea, cum discrimin illud prosequitur, futurum tēpus vsurpat? Cur nouissimam libertatem fore dicit, non potius esse? Facilis responsio est: li-

Cap. 12.

bertatis eius partem duntaxat, pro regenerationis modo conspici in hac vita: solidam verò plenitudinem vsque ad diem resurrectionis differri: quem admodum & postea significat. Primo inquit, homini sine peccato villo data est, cum qua conditus est, voluntas libera: & eam fecit seruire peccato: nostra verò cum esset serua peccati, liberata est per eum qui dixit: Si vos Filius liberauerit, vere liberi eritis. Et accipimus tantã hac gratia libertatem, vt quamuis pugnemus, dum hic viuimus, contra concupiscentias peccati, non tamen vltra seruiamus peccato, quod est ad mortem. Ergo cum nouissimam libertatem fore testatur, non posse peccare, nihil aliud, quam perpetuam regni Christi gratiam commendat: quæ tamen non nisi ex parte nunc manifestatur: ideo tota denum & integra post resurrectionem constabit. At simul non patior, vt de futura, quæ immortalitatem sequetur, perfectione quis accipiat: Nempe, si quis eò trahere sic velit, quasi ad hanc vitam referri nõ debeat. Porro hoc nihil aliud est, quam totam regenerationis gratiã hinc comprehendere. Qua de re omnem nobis scrupulum ipsius Augustini verbis eximi dixerã: cum aliquanto post addat: ita Spiritu sancto accendi voluntatem sanctorum, vt ideo possint, quia sic volunt: & ideo velint, quia operatur in ipsis Deus, vt velint. Subuentumque esse voluntatis humanæ in firmitati, vt gratia diuina indeclinabiliter & inseparabiliter agatur: vt quantumuis infirma, non deficeret. Hac sententia nihil me adiuuari excipit Pighius: quia cū illa superiori nullo modo cohereat. Et ne facta careat reprehensio, macellario prouerbio in me ludit. Hæc, inquit, cauda ad aliud vitulum pertinet. Mirus verò carnifex: qui ita ex vno vitulo duos nouit facere. Sequitur enim vno contextu apud Augustinum altera distinctio, quæ profus ad eandem rem explicandam facit: Aliud inquit, est adiutorium, sine quo aliquid non fit: & aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Primo itaque homini, qui in bono, quo factus fuerat reclusus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse bonum non deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ: non quo fieret, vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò sanctus in regnum Dei per gratiam prædestinatus non tantum tale adiutorium perseuerantiæ datur, sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solum, vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verum etiam, vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Non enim solum dixit: Sine me nihil potestis facere: sed etiam dixit: Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus verbis non solum eis iustitiam, verum & in illa perseuerantiam se dedisse monstrauit. Quis nunc, obsecro, mihi non concedat, Augustinum rem eandem, alijs verbis, continenter exponere? Quid ergo, tam bene contextas partes discernendo, proficiet Pighius? Verum tam est desperata impudentia, vt vel confuso oris strepitu increpuisse, semper pro victoris parte habeat. Nam cum Augustinus non tantum posse nobis dari, sed etiam velle, testatur: Deique gratiam non in hoc tantum esse efficacem in nobis, vt ipsa adiuti, fidem possimus consequi, si libeat: & consecuti, in ea stare, sed omnino, vt fideles simus, & in fide perseueremus: vt inuictissima voluntate appetamus quod bonum est: & inuictissima constantia ipsum deserere nolimus: hæc omnia, & similia, quæ iam audisti, non aliud Pighio valent, nisi ita nos adiuuari, vt de victoria certi simus, si nõ defuerimus ipsi nobis: Inferorū portas nõ fore nobis superiores, nisi illis cedamus: nullã fore Sathanæ virtutem aduersum nos & gratiam nobis datam, si non illi dederimus lo-

cum

cum, vitio nostro & negligentia. Verùm si quis ex electis, aut ignavia sua excludit re spuitque oblatam Dei gratiam: aut receptam inconstantia abijcit: aut infirmitatis vitio eripi sibi patitur, ubi illa, sicuti vocat Augustinus, indeclinabilis & inseparabilis gratia actio, quæ non hominibus relinquit suam voluntatem ut maneât in gratia si velint, sed etiam operatur ut velint? quæ non tantùm fidei consequendæ facultatem confert, sed fideles etiam facit? quæ non modò perseuerandi facit copiam, sed antea illos firmitate instruit, ut non nisi perseuerantes sint? Imo ubi illa, & ad bonum appetendum inuictissima voluntas, & ad retinendum inuictissima constantia? Et tamen canino isto suo litratu euasisse cõtentus non est, nisi, plusquam Thraſonica stoliditate, satis superque manifestum esse iactat, quàm mihi omni ex parte Augustinus repugnet.

Decem libris constat opus Pighij: quorum sex primis de libero arbitrio disputat: reliquis quatuor prædeterminationem ac prouidentiam Dei tractat. Cùm igitur distinctæ sint quæstiones: priorem illam hæctenus, ut potui, atque ut temporis breuitas sinebat, si. m. executus: alterius verò tractationem ad proximas vsque nundinas differendam censui: quia & nihil est in mora periculi: & tunc utilior, volente Domino, prodibit. Quoniam tamen verebar, ne si diutius tacerem, quorundam oculos Pighius sua illa ostentatione perstringeret, hoc intere à cedito specimine, & illius insolentiam paululū reprimere, & bonorū ac piorum attentionem excitare visum est: ut dum aduersus huius Cyclopi impetum stare inuictam Dei veritatem cernunt, magis ac magis in ea confirmentur.

F I N I S.

ADMONITIO PATERNA PAULI  
TERTII ROMANI PONTIFICIS

ad inuictissimum Cæsarem Carolum

Quintum.

QVA EVM CASTIGAT, QVOD SE LVTHE-  
ranis præbuerit nimis facilem: deinde quòd tum in cogenda synodo, tum in de-  
finiendis fidei controuersis aliquid potestatis sibi sumpserit.

Cum Scholijs.

LECTORI.

**H**AEC admonitio cum alias ob causas, tum quia illustre pontificij zeli speci-  
men continet, digna est omnino, quæ legatur ab omnibus. Atque id quidem  
citius fieri oportuit, sed quia non statim peruenire solent eiusmodi mysteria in eo-  
rum manus, quibus uel expediat, uel cordi sit ipsa euulgari: dabunt ueniam lecto-  
res, si serius publicetur hic thesaurus, quam fuerit optandum.

STATVS CAUSAE, SIVE ARGUMENTVM.

**Q**VVM Cæsar superiore anno, parata iam in Galliam expeditione, non  
aliter posse diu Germaniã in peccato statu contineri intelligeret, quam  
si præscripta ante suum discessum foret ratio, qua imperij ordines inter  
religionis dissidia, pacem tamen colerent: decretum interposuit, ut do-  
nec cognita esset causa, æqualis utrisque conditio esset, tum sibi cu-  
ra fore promisit, ut prima quaque occasione concilium vniuersale vel saltem na-  
tionale cogeretur: aut si id non succederet, se daturũ operam, ut proximo Imperia-  
li conuentu, post legitimam disceptationem aliquid tandem statueretur. Digna  
quidem erat pietatis causa, quã alijs omnibus posthabitis, tractandã Imperator susci-  
peret, sed quia difficili & periculoso bello implicitus, neque huc animum applica-  
re ex tempore poterat: & ne quid interea barbarum se absente oriretur, non temerè  
metuebat prudens ac cordatus princeps, nihil omnino nec communi ecclesiæ Chri-  
stianæ saluti aptius, nec publicæ Germaniæ tranquillitati magis appositum, nec  
priuatis etiam suis rationibus cõmodius facere potuit, quam ut iustam causæ actio-  
nem in aliud tempus differendo, ius æquum inter partes, & æquabilem viuendi le-  
gem statueret. Hoc tamen audito decreto, Romanus Pontifex se duas ob causas nõ  
leuiter fuisse commotum hinc ostendit. Nam & hoc quantumcunque, quod conces-  
sum hoc modo protestantibus erat, ut paulisper iniquis præiudicijs subleuarentur,  
nimia indulgentiæ corruptelam esse clamat: & Cæsarem sibi ius aliquod sumere  
in religionis causa, hoc verò indignum illi facinus esse videtur. Bis autem peccasse  
Cæsarem, illicitum sibi ius arrogando, conqueritur. Primum, quia concilium ausus  
fuerit, eo inconsulto, polliceri, deinde, quòd cognitionem à sua persona alienam ac-  
cipere non dubitauerit. Grauius igitur cum eo expostulat sanctissimus pater cum  
de immodica erga Lutheranos facilitate, tum de autoritate Romanæ sedis lesa &  
inimuta.

P AV-



PAVLVS III. PONT. MAX. CA-  
ROLO V. IMPERATORI.



**C**HARRISIME fili, salutem & apostolicam benedictionem. Ex edicto Maiestatis tuæ acta conuentus tui Spirensis cognouimus, de quibus cum nostram sententiam dissimulare paternus noster erga te amor non patitur, tum verò officii & muneris à Deo nobis per Christum commendati ratio in cura vniuersalis Ecclesiæ, vt apertis verbis te ad-moneamus, cōpellit. \* Nec verò parū nos ad hoc mouet graue se-<sup>1</sup>ueritatis diuinæ, in Heli sacerdotē exēplū, in quē liberos indulgētius tractatē, & ad eorū errata cōnuētē extat seuera illa Dei in hæc verba sentētia. Quia indigna nouerat agere filios suos, nec corripuit eos, idcirco, inquit Deus, nō expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum. Hæc quidem Dei sententia fuit, quam statim liberorum primū, deinde ipsius Heli repentina & violenta mors consecuta, hincque posteritatis à sacerdotio repulsa, verbum Domini verum & ratum fecerunt.

\* Nos verò fili cum te indigna quædam decreta in conuentu Spi-<sup>2</sup>rensi ex ipsis actis animaduertimus, indigniora verò designata esse, & talia, quod si propositum exitum, quod Deus auertat, consequantur, non solum te in certissimum animæ salutis periculum adductura, sed Ecclesiæ paci atque vnitati, cui super omnia studere debemus, maiorem, quàm qua hætenus laborarint perturbationem sint allatura. \* Noluimus sanè prætermittere, quin te à Deo nobis honore & amore primogeniti commendatum, his<sup>3</sup> nostris literis de tanto tuo & Ecclesiæ periculo admoneremus.

Quanquam quidem te, non vt Heli liberos, admonendum duximus, quos deprauata voluntas, & consuetudo peccandi indociles propè ad rectam disciplinam reddiderant, sed vt eum potius, qui multorum annorum cursu non abiit in consiliū impiorum, quo maiorem in spem venimus, non frustra nos admonitione paterna esse apud te vsuros. \* Omnia verò fili, in eo sunt, si ab vnitae<sup>4</sup> Ecclesiæ te abduci non finas, à consuetudine maiorum tuorum religiosissimorum principum non recedas, sed eundem, vt debes, morem in omnibus, quæ ad Ecclesiæ disciplinam, ordinem, & instituta

5 stituta pertinent, obserues, quem multos annos summa cum pie-  
 ratis animi tui significatione edidisti. \* Is verò est eiusmodi, vt quo-  
 ries de his, quæ ad religionem pertinent, disceptatur, ad sedè apo-  
 stolicam omne iudicium semper referatur, nihil illa inconsulta  
 statuatur. Tu verò nunc fili, cum vel de concilio generali, tanquã  
 de remedio omnium opportunissimo afflictis ecclesiæ rebus, &  
 ipfius imprimis Germaniæ mentionem facis, vel de nationali, cu-  
 ius etiam meministi, vel de futuro ad proximum Autumnum  
 Imperiali conuentu, in quo de religione, cæterisque rebus,  
 quæ ad illam pertinent, tractare promittis, ita agis, ita statu-  
 is, vt supprimas eius nomen vbique, cui diuina & humana  
 6 iura approbante tot seculorum consensu, \* supremam cum co-  
 7 gendi concilia, tum statuendi de his, \* & ordinandi quæ ad Eccle-  
 siæ vnitatem vtilitatè que spectant, auctoritatem dederunt. At  
 verò neque hæc sola sunt, in quibus conquerimur Ecclesiæ & Ma-  
 iorum abs te morem atque institutiones diuinas minimè serua-  
 tas fuisse: sed alia præterea, & ea quidem nõ pauca, peracti iam con-  
 uentus decreta legatur, quæ maximè & pietatè lædunt, & omnem  
 8 legum ordinem confundunt. \* Nam quòd laicos de rebus spiri-  
 tualibus iudicare vis posse: neque laicos modò, sed nullo discrimi-  
 9 ne laicos, \* & damnatarum hæresium assertores: \* quòd de bonis  
 10 ecclesiasticis, & de eorum futuris controuersis statuis, quòd eos \*  
 11 qui extrà Ecclesiam sunt, & per edictum tuum pridem damnati,  
 honorib. pristinis in iudiciis ac tribunalibus restituis, atque hoc  
 pro tua & imperatoria potestate facis, \* minimè approbantibus  
 12 cæteris, qui antiqua & sancta obedientia perseuerant. \* Quid tan-  
 13 dem horum cum diuinis institutionibus ac legibus, quibus perpe-  
 ruò Ecclesia est gubernata, conuenit: Quæ omnem potius discipli-  
 nam, omnem ordinem, sine quo nullus hominum cõtus regi po-  
 test, ab Ecclesia prorsus tollunt. Hoc verò quo magis ab omni re-  
 cta disciplina, & consuetudine maiorum sunt aliena, eò minus no-  
 bis persuadere possumus, è tuo ipsius sensu illa vnquam emanare  
 potuisse, sed eandem pietatem animo tuo, suppressam quidem ad  
 tẽpus malorũ cõsiliis, qui huic sanctæ sedi sunt rebelles, puramus,  
 qui si à te impetrare non potuerunt, vt quæ contra eam volebant  
 facere, probares, saltem vt eiusmodi edictis aliquam ab alienati ani-  
 mi tui significationem dares, abs te contendisse facilè possumus  
 existimare, impetrare verò tanto magis debemus, quanto id tibi

& Ecclesiæ, nisi citò ad teipsum redeas, maiori damno & detrimento fore, nobis maximè est persuasum: quod non possumus non indies magis magis que timere, quo attentius consideramus, quibus cum amicitiam inieris. Si enim, vt inquit Apostolus, Corruptunt bonos mores colloquia mala, quanto grauius, \* si quis cum malis coniuncta consilia & fœdera habeat, hoc de eo timendum erit. Quamquam quidè non dubitamus, sub spe pietatis, utilitatis, honoris ad hæc eos te sollicitasse, sed nullum prorsus est tam malum consilium, quod non specioso aliquo eiusmodi nomine quasi veste preciosa se ornet. Tu verò fili interroga potius patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos & dicent tibi. Si enim omnes vna voce te ad vnitatem Ecclesiæ atque honorem & obedientiam huius Sanctæ sedis hortantur, atque iam pridem factis ipsis sunt hortati, si verò sanctissimum quèque & in diuinis legibus peritissimum consules, grauiissimas in eos diuinæ iræ vindictas proferent, qui quacunque de causa, quacunque pietatis specie adducti, \* summi sacerdotis munera sibi sumere voluerunt: est verò ea maxima, quam rebelles adducere solent, cùm principes, vt eius cadram ascendant, atque vt ius & authoritatem cognoscendi causas religionis & iudicandi sibi assumant, hortantur. \* Sacerdotum enim negligentia pro stimulo ad impellendum eos vtuntur, vt Ecclesiæ curam in componendis religionis controuersis, & in ordinandis Ecclesiæ rebus, in se suscipiāt. Quis enim hoc factum non dignum summa laude iudicet? Nemo quidè, si factum tantum respiciatur. Sed vt in domo bene instituta, in qua diuisa officia & munera non licet vnicuique pro suo arbitrato omnia exercere, etiam si singula in suo genere sint præclara, quæd qui tentant, quãuis bono id animo faciant, à patre tamen familias meritò reprehendendum, quippe qui suo intempestiuo zelo, quod pulcherrimum est in domo, \* nempe ipsum ordinè, sine quo nulla domus diutius stare potest, quantũ quidè in ipsis est, tollunt: & prudentiæ eius qui illum instituit, summã iniuriam faciunt: \* sic prorsus in Ecclesia Christi, quæ est domus Dei, in qua omnia munera sunt dispertita, & singula singulis ita distributa, vt inferiores superiorum officiis non fungantur, eò minus licet ordinem perturbare, quo maiore prudentia est ordinata Ecclesia, quàm de vlla domo cogitari possit. Estque ea semper grauiissima in Dei prudentiam ac sapientiam iniuria. At non omnes hoc vident, sed nec te etiam

fatis adhuc videre arbitramur Cæsar, quantum iniuriæ inferas diuinae prouidentia, in hac domo Dei, in qua supremum munus sacerdotibus est cõmendatum, cum horu tibi partes & honorem sumis. \* Nec verò vidit Ozas, cum honoris causa arcam Dei curru beum vectam prosequens, illis calcitrantibus, manu adnota, dum ruinam timet, sustentare voluit. Quis verò hominum hoc factum improbare ausus esset? Vel quis non potius illud summo-pere laudaret, sacerdotibus absentibus in præsentì periculo ruinae ipsius arcæ, quàm bos lasciuiens ( vt inquit Scriptura ) iam inclinauerat, manum vt eam sustineret, admouerit. Nemo quidè hoc non vt piè factum laudasset, nisi securitate vindictæ minimè id sibi gratum fuisse Deus ostendisset, cuius quidè ultio Ozam statim è vita sustulit, nullam aliam ob causam ( Scriptura restante ) nisi quia temere quod ad Sacerdotum & Leuitarum officium pertinebat supplere ipse ausus esset. Tantum verò peccatum in hoc facto fuisse, quis vnquam cogitasset? Sed ex hoc exemplo Deus nos admonere voluit, ne in eundem diuinæ iræ laqueum incidamus. De quo nunc fili, te admonere voluimus, ne fallacibus illorum persuasionibus adductus, qui in ore semper habent reformationem Ecclesiæ, in tanto non beum, sed sacerdotum quasi lasciuientium cœtu, quorum illa humeris sustentatur, tu manus temere admoueas. est enim hoc sacerdotum Dei munus atque officium. In eundem verò laqueum inciderunt Dathan & Abyron atque Core, qui ægreferentes in sancto populo, vnum pro cæteris dignitate summi sacerdotii fulgere, setam Moyfi quàm Aaroni opposuere, quum dicerent. Sufficit vobis quod omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus, quid eleuamini super populum? Licet verò hæc verba contra ambos dicta videantur, tamen Moyse interprete didicimus, omnis eorum indignationis causam, summum sacerdotium Aaronis fuisse. Non enim vbi omnis multitudo est sancta, virum aliquem eminere dignitate æquum esse censebant.

Quàm verò grauitè hæc res displicuerit Deo, infigne in eos diuini iudicii & seueritatis exemplum ostendit, quos terra dehiscens vnà cum vniuersa supellectili & omnibus bonis viuos absorpsit. Hæc verò vetera nunc recito, quia ( vt inquit Apostolus ) in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt, vt discant omnes, \* si in sacerdotio quod deseruiebat tabernaculo & vmbra,

quo

quòdque vnà cum tabernaculo abolendum diuina prouidentia statuerat, tantam curam Deus ostenderit, vt ne minimam quidem in ea mutationem ab humano ingenio inultam permiserit: quanto maior reuerentia tribuenda sit illis sacerdotibus, qui non amplius seruiunt typo & vmbrae abolendis, sed ipsi vero tabernaculo quod nunquam transferetur? quanto ve minus de mutatione vel minimae ordinationis, quae ad eos pertinet, cogitare debeant? Quanto denique grauius, & magis intolerabili superbia putabimus eos in diuinam prouidentiam peccare, qui vel hanc confundere vel ad se transferre postulant, vel alio modo de illa statuere volunt, \* quam longa Ecclesiae consuetudo fundata in testimoniis Scripturarum promittit, & declarat? Quocunque vero modo, quacunque specie pietatis proposita haec tententur, radicem quidem mali superbiam, Deo semper odiosam esse non est dubium. \* Id quod maxime declarat Oziæ regis exemplum, in quo simul & radicem huius mali, & grauem illius vindictam Scriptura nobis exprimit. Hic autem Rex aliàs laudatissimus, idque testimonio Scripturae, in hoc tantum superbiae arguitur, quod incensum ad altare thymiamatis adolere voluerit. Quis vero hanc voluntatem non piam potius, quam superbam iudicasset? Sed spiritus Dei in Scriptura, cum ad huius facti narrationem peruenit, eleuatum (inquit) est cor Oziæ. In quo verò eleuatum, nempe quòd alieno ministerio fungi voluit, de quo postquam à sacerdotibus admonitus, nec illis paruisset, statim à Deo lepra est percussus. Hæc verò nunc charissime filii recensemus, vt intelligas, si superbum fuit Oziæ factum, in adolendo incenso, super altare thymiamatis, quanto superbius esse hoc tantum adolere incensum super altare corporis Christi, cæteraque quae religionem ipsam comitantur, persequi? Quid autem, an non putas hoc incensum esse coram Deo, leges de religione sancire? Est quidem incensum, idque omnium Deo gratissimum ( Nullum enim odorem tibi persuade Deum gratius suscipere) sed non est tuum munus illud, Imperator, est sacerdotum Domini \* est nostrum in primis, quibus Deus potestatem ligandi & soluendi dedit. Vide verò, in qua tum parte templi intras, cum hodie tibi ministerium sumis, non quidem in atrium aut in sancta, vt Oziæ, non enim tantum sanctum est hoc factum, sed sanctissimum. Cum ergo prudentia tua huc tu penetras, in domum Domini tu penetras, & in sancta sanctorum, atque ipsum corpus Christi penetras, eius officium tibi arrogas: nec te excusat quòd sanctum sit factum, vel

quòd non perpetuas, sed ad tēpus, hoc est, vsque ad futurū conciliū duraturas leges laturū te esse dicas, vt enim id per se piū sit, tamen  
 25 in eo, cui Deus hoc ministeriū non dedit, maximè est impiū. \* Summis enim tibi iam personā, quæ propria est Dei, cui solū de sacerdotibus iudicium relinquitur, quā ne ad tēpus quidē cuiquā sumere licet. Dei enim vox est ad malos sacerdotes: Ego ipse ( inquit super pastores) requirā gregē meū de manu illorū: quod vt suo tēpo-  
 26 re penitus facturus est Deus, ita si quis interim \* quasi de manu eius præripere hoc tētauerit, is semper pro tali ausu grauis. pœnas dedit. veluti cōtrā nullo vnquā seculo intermisit certis quibusdā signis testari, illos maioribus gratiis tum interius, tum exterius, & omni genere bonorū dignos esse, qui augendo & ornādo Sacerdotū genus, Ecclesiæ suæ vnitatē ac principem sedem auxilio & gratia fo-  
 27 uerūt \* vt in Constātino Magno, in Theodosiis, in Carolo Magno accidisse videmus. quibus nulli nunquam Christiani Imperatores vel diuinis gratiis, vel victoriis illustriores fuere. Cōtrā verò Deus, eos qui Sacerdotibus resistere, nō solū passus est in omne genus turpitudinis labi: sed sæpe & insignibus quibusdam pœnis in testimonium diuinæ iræ suæ castigauit. Nec verò nunc de illis loquimur, qui ecclesiā nascentē adhuc extinguere sunt conati, Neronibus, Domitianis, & eiusdē generis reliquis: sed de iis qui illam persecuti sunt, iam adulta ætate, incipiētem in principes authoritatē sui muneris exercere, postquā constituta iam & confirmata est Petri sedes in oculis omnium principū. Qui verò huius authoritati resistere, à Deo sic castigatos constat, vt manifestè appareat, quàm grata sit, ac semper fuerit Deo huius sedis obedientia: contra autē  
 28 quàm ingrata & odiosa in eandem inobedientia. \* In primis eum ex Imperatoribus, qui in apertā defectionem & contēptum huius sanctæ sedis erumpit, legimus fuisse Anastasiū primum, quem, à Gelasio Pontifice Rom. admonitum, ne Acatii Episcopi Constatinopolitani à Sede apostolica damnati partes foueret, cum nec monitis eius paruisset, & Hermasdæ eiusdem successoris legatos, ad eum ea de causa missos, vt à communione cum hæreticis desisteret, cōtemptim primū auditos contumeliosius dimisisset, diuina tandem ira fulmine è vita sustulit. Sequuntur huius impietatis succes-  
 29 sores, sed per interualla, multi alii Imperatores, \* quales fuere Mau-  
 30 ritius, \* Constans secūdus Iustiniani Constantini Pogonati filius, Philippus, Leo. Sed hos numerare longum esset, quidiuerso quidē genere

genere mortis, sed omnes aut violento, aut ignominioso spoliati  
 antea imperio & omni dignitate perierunt, vt manifestè appareat  
 in eis vltrix inobedienciæ, vindicta Diuina. Quæ series vsque ad  
 Henricum illū perducī posset, qui cū grauissimè sedem aposto- 31  
 licā vexasset, tandē eum à suo filio captum Leodii, vltio diuina in  
 carcere mori fecit: iustissimam quidē inobedienciæ pœnā ab ipso  
 repetens, vt à filio castigaretur, qui eum, quē patris loco diuina ei  
 prouidentia in Ecclesia constituerat, tot modis vexauerat, eiusque  
 32  
 authoritatē neglexerat. Id quod & de Friderico Secūdo dici potest  
 nisi quod infeliciori mortis genere est sublatus, qui filio suo ipso  
 carnificis munere fungente, strangulatus interiit. Tametsi Deus  
 nō semper hoc modo rebelles castigare soleat, quando quidē non  
 nullos si desiderijs suis frui permittat, vt quod ad externā castiga-  
 tionem attinet, impune peccare, & in magna rerū omniū affluen-  
 tia quasi felices viuere videantur. Id ea ratione factū à diuina pro-  
 uidentia sancti patres piè existimarunt, ne si omnes hi impii casti-  
 garentur, nullū aliud tribunal diuinæ iustitiæ reliquū esse homi-  
 nes iudicarent. Quosdam ergo hīc in aliorū exēplum Deus, vt ius-  
 tus agnoscat, apertè castigat, quosdā verò dum hīc castigare dis-  
 simulat ad tribunal suū futurū seuerius iudicandos reseruat. Nul-  
 lum verò peccatum impunitū dimittit diuina iustitia. Ea autem  
 omniū est grauissima castigatio, cū ii qui Deum grauissimè of-  
 fendunt, impunè id se facere existimant. Omnes enim tales cæcita-  
 te mētis sunt percussi, & in passiones, ignominias ac in reprobum  
 sensum traditi, quæ ceu propria impiorum flagella Apostolus nu-  
 merat. Cū autē hæc omnibus impijs sint cōmunia, tum verò ma-  
 ximè illorum propria, qui suā impietate in oppugnāda principe 33  
 sede, & in Ecclesiæ vnitāte scindenda exercuere. Hoc quidē in qui-  
 busdā animaduertimus, qui quod pluribus (dum sanctā erga illam  
 obedientiā seruarunt) virtutibus splēdere sunt visi, eò magis post  
 impiā ab eo defectiōne in prodigiosas animi passiones auaritiæ, li-  
 bidinis, & crudelitatis fuerunt traditi: id quod Anastasio x. de quo  
 suprā mentionē fecimus, euenisse historiæ narrāt. Similibus verò  
 exemplis in hac nostra ætate vtinam quidem careremus. Nec verò  
 in singulos tantum homines hæc vltio diuina, castigans eorū ino-  
 bedientiā erga hanc principem sedē, est peruagata, sed in nationes  
 etiā & prouincias, in quibus videmus, cū grauissimè omnium  
 ii sunt castigati, qui Christū Dominū habere recusarēt, proximū  
 miseræ locum eos sortitos esse, qui Vicarii Christi authoritati re-

stiterere. Duas verò nationes à Deo in primis castigatas, atque affli-  
 ctas videmus, quæ olim florèntissimæ fuere. Quarum vna pertinax in  
 negàdo Christo permansit, altera aliquãdiu cù Vicario eius præ cæ-  
 teris omnibus cõrendit. Illa est Iudæorum, qua nulla maiori mise-  
 24 ria est oppressa: hæc vero græcorum, quæ proxime ad miseriam  
 Iudæorum accessit, quia proximè ad impietatem accesserat. Quare  
 si Christus ipse in cæteris imperatoribus, Regibus, populis & natio-  
 nibus nunquã inultã tulit Vicarii sui spectatã authoritatẽ, ea interim  
 perpetua successione conseruata: si tũ seueris iudiciis eorũ inobe-  
 dientiam castigando odiosos sibi semper fuisse huiusmodi conatus  
 ostendit, quanto in te, Cæsar, si (quod Deus auertat) hanc oppugna-  
 res cum apud, Deũ, tum apud homines hoc odiosius iudicaretur  
 qui ex illis imperatoribus originem ducis, qui non plus honoris se-  
 di apostolicæ detulerunt, quàm ipsi ab ea receperint. At neque hæc,  
 charissime fili scribimus, quasi vllò modo nobis persuadere possi-  
 mus, huiusmodi te consilia in animo rata & confirmata habere:  
 sed vt amas pater, salutis filii & honoris, ac de vtroque sollicitus, si-  
 mulatque edictum ipsius Spiritalis cõuentus vidimus, te admonen-  
 dum duximus, eo quidem grauius, quò magis exploratum pericu-  
 lum, in quo versaris, habemus. Denique si pluribus dissuasimus, ne  
 in disceptationes super his, quæ ad religionem pertinent, cõponen-  
 das, ius tibi vel authoritatem sumeres: non ob id scripsimus, quòd  
 25 disceptationes cõponi non maximè optaremus \* qui (teste nostra  
 conscientia) vt hoc ritè fieret, vitam & sanguinem libenter effun-  
 deremus: sed vt exemplis cum ex diuina Scriptura, tum ex ecclesia-  
 sticis historiis citatis te admoneremus, ne, quod ad tuum ministe-  
 rium non pertinet, ipse tibi arrogares, & pro tua & imperatoria di-  
 gnitate iuberet: sed potius Constantini Magni serui Dei maximi  
 ac foelicissimi Imperatoris exèplo te hortamur, quod tantum fa-  
 26 cimus, vt eos primùm \* suo Iudici & suis iudicibus iudicandos &  
 corrigendos relinquant. Ille verò, quum rogatus esset ab ipsis sacerdo-  
 tibus, vt in eorum disceptationibus se Iudicẽ præberet, prorsus re-  
 27 cufauit. \* Cuius verba in hanc sententiam ab historiarum scripto-  
 ribus, qui affuerunt, citantur: Deus vos constituit Sacerdotes, &  
 potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi: & ideonos à vo-  
 bis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudica-  
 ri: propter quòd Dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra  
 iurgia, quæcunque sint, ad illud diuinum reseruètur examen. Hæc il-  
 le Magnus



le Magnus non tã imperio, quod erat maximũ, quàm pietate & cæ-  
 teris virtutibus, dixit: cui te Cæsar, in omnibus perfimilẽ esse cupi-  
 mus & optamus. Quòd verò præ te fers studiũ & desideriũ, vt cõpo-  
 nantur controuersia in religione, & vt aliqua disciplina morũ in  
 vniuersa Ecclesia renouetur, te in hoc quidem magnopere lauda-  
 mus, & abs te petimus, vt in hoc operã tuã præbeas, & cui Deus cu-  
 ram huius ministerii cõmisit. Vt enim te, tãquã caput in rebus hu-  
 iusmodi tractandis minimè ferendũ censemus, ita tanquã brachii  
 accomodatissimam tuam in primis opem desideramus. Hoc verò  
 nostrũ desideriũ fecit, vt ad minimã quanque spẽ cogẽdi concilii  
 œconomici non solũ nos semper promptos præbuerimus, ad il-  
 lud indicendũ, sed vbi vel minima spei scintilla eluxerit, cogi pos-  
 se, eò statim legatos miserimus: quemadmodum vltimo loco etiã  
 fecimus, quanquã non cum eo fructu, quem assidue optamus: sed  
 maluimus sanè omnia tẽtare, quàm vel minimã occasione de-  
 esse, quam à diuina bonitate semper expectamus. Cũ autem  
 vniuersalis Ecclesiæ vtilitatis causa concilium fieri summopere  
 cupimus, tum verò præcipuè illius inclytæ nationis Germani-  
 cæ, quæ iam pridem discordiis, in his quæ ad religionem perti-  
 nent, plurimum vexata dissidet, cuius salutem (vt tua etiam Maie-  
 stas fatetur) commodissimè per generale concilium opitulari nos  
 posse, semper sperauimus. Horum autem conciliis, qui iam ab hac  
 sede sunt damnati, te vsum esse (quod nunc conquerimur) non ob-  
 id quidem conquerimur, quòd semper hos remotos à tua amici-  
 tia esse cupiamus, aut id quæramus, quia semel damnati sint, vt sem-  
 per damnati maneat. Testis enim nobis est Deus, quàm nihil magis  
 in votis habeamus, quàm vt oues perditas ad dominicũ ouile  
 reducamus, & vt illam nobilem prouinciã vniuersam in fide & re-  
 ligione cũ capite & reliquo corpore in omni amore atque ami-  
 citia cõiunctam videamus, idque ob eas quas diximus, causas. Sed  
 tu nunc (dum ii in discordiis cum capite & reliquo corpore ma-  
 nent (de iis qui tales sunt loquimur) dum extra ecclesiam sunt, per  
 edictum etiam tuum damnati) eorum amicitiam pluris quàm par-  
 est facis, dum indulgentius eos tractas: cùm hæc tua indulgentia  
 & præteritorum edictorum declarationes separatim à te factæ, nõ  
 solũ hactenus illis non profuerint, vt ad sanio rem mentem redi-  
 rent, sed potius, quod re ipsa compertum est, occasionem dederint  
 vt insolentiores sint facti, & ad occupanda vicinorum bona ani-  
 mosiores, dissidium certè ipsum magis hoc modo fouere, quàm

38

39

40

tollere videris. Sed hæc quia ad meliorem formam, nõ iis quidem  
 viis alienis ab omni more & consuetudine maiorũ, atque ab ipso  
 iure diuino, sed per generale concilium optimè perducì potuisse,  
 semper in Domino sperauimus, & nunc etiam speramus: ideo nos  
 41 plus illius prouinciæ cõmodis, quàm vilius alterius consulentes,\*  
 ad Germaniæ fores, Tridentum vsque, legatos nostros miserimus.  
 sed vocauimus, & non erat qui audiret, venimus & non erat vir, ve  
 rum nec propterea desistimus, sed adhuc vocamus & clamamus  
 ad te & ad cæteros principes, clamamus verò cum propheta Dau  
 42 de: \* Venite ploremus coram Deo, nec enim aptius principiũ con  
 ciliũ esse poterit. & cum Daniele: Oro pro peccatis meis & populi,  
 accuso, confiteor, obsecro, Domine peccauimus, iniquitatem feci  
 mus, & impiè egimus & recessimus, nobis confusio faciei, Regibus  
 nostris, principibus & patribus nostris, quia peccauimus: tibi autè  
 Domine misericordia est & propiciatio. Ad tale ergo concilium  
 43 te vocamus,\* in quo Angelos ipsos assessores habere speramus, qui  
 si super vno peccatore pœnitentiã agente gaudent, quantò magis  
 super vniuersa Ecclesia, cuius ipsi pars sunt, ad pœnitentiã congre  
 gata, gaudebunt? Huc accedit, quòd saluti Christiani populi ab im  
 minente potentissimo, & perpetuo nominis Christiani hoste, Tur  
 carum tyranno, quo pacto nisi per Christianorũ coniuncta in fide  
 & charitate auxilia consuli possit, non videmus Quare sterne vi  
 am, dilecte fili, ad tale cõcilium. Hoc enim tui muneris proprium  
 erit. sternes autem si vel pacem reddas, quantum in te est Christia  
 no populo, tantopere ab omnibus expetitam: vel saltem arma co  
 hibeas, dum Ecclesia in concilio congregari possit, vbi æquius est  
 quàm per vim vestras discepciones decidi. Hoc verò tu & cæteri  
 Christiani principes, quos etiam atque etiam de eadem hac re ad  
 monebimus, præfertim verò eum, quo cum bellum geris, faciat.  
 iam concilium adest: iam pridem enim indictum est. neque verò  
 abruptum est, & si bellorum causa in commodius tẽpus dilatatum.  
 Itaque huc, charissime fili, incumbe, & hanc lætitiã primùm po  
 pulo Christiano, qui iam pridem intestinis bellis est attritus, redde.  
 Deinde verò nobis, qui te nihil charius in terris nos habere iudica  
 mus, qui primogeniti apud nos locum in amore tenes, idque spe  
 cimen diuinæ in te virtutis præbe, vt non modò patrem, te piè  
 monentem, non auerferis: quod faciunt ii, quos Deus in signum  
 44 abdicationis, suis desiderijs tradit: \* sed vt eundem ad te tanquam  
 Deo

Deo iubente, tali tempore missum, qui labantem sustineat, & magno animæ salutis periculo liberet, omni pietate amplexeris, eius vocem libenter audias, monitis obtemperes, satis verò obtemperabis, si cum te à semita sancta, vt appellat Propheta, quæ eadem est regia via, maiorum tuorum, religiosissimorum principum, humana consilia vt hominem deflectere potuere: huc statim de ea qualis sit, admonitus, diuinam indolem proferens videas, atque ita in animum inducas, nullum vt in iis quæ ad religionem pertinent, tibi ius & auctoritatem vindices\* si diuinam institutionem & Ecclesiæ consuetudinem sequens, ab ipsis conuentibus imperialibus à quibus absunt, qui auctoritatem de eiusmodi rebus cognoscendi habent, omnes de Sacerdotibus atque de religione disceptationes prorsus excludas, & ad eorum proprium tribunal reicias: \* si de bonis Ecclesiasticis, quorū iudiciū ab ipso Domino, cui sunt cōseruata, sacerdotibus relinquatur, & cōmēdatur, & ipse nihil statuas & sepositis armis aut studeas paci, aut si aliter pax cōciliari nō potest, cōcilio generali iudicādi de iis, quæ tam perniciofa bella in populo Christiano tandiu alunt, potestatem facias: \* Si denique ea quæ per nimiam indulgentiam rebellibus huic sanctæ fedi, & contumacibus cōcessisti, ipse rescindas ac tollas. Hæc enim, charissime fili, cū ita sint, quæ tuam ipsius animam in magnum salutis periculum adducant, & Ecclesiæ pacem magis magisque perturbent, facile videre potes, nisi per te quamprimū his malis remedium adhibeatur (quod te facturum speramus) in quas angustias sis nos compulsurus: vt aut officio aut muneri nobis à Deo per eius filium dato deesse cogamur, cum maximo Ecclesiæ detrimento: aut iterum seuerius agere, quàm vel consuetudo nostra, vel natura, vel voluntas ferant. Quanquam in officio quidem deesse, in tanto discrimine, nec debemus prorsus, nec volumus, quantum per eius gratiam, cuius vices, licet indigni, in terris gerimus, de nobis polliceri possumus. Infidet enim in animo, & ob oculos nobis obuersatur illud idem, de quo principio diximus, diuinæ seueritatis in Heli sacerdotem exemplum: quem non ob id quidem damnatum legimus, quòd in filiis corripiendis prorsus abstinerit. Corripuisse enim eos satis constat ex scriptura, sed quòd in corripiendo, vt inquit diuus Hieronymus, lenitate patris, non auctoritate pontificis agebat. Nos lenitate patris integris prope adhuc rebus vsi sumus, quibus ex edicti forma

tráfactis, quod Deus auertat, in Heli exemplo satis video, in quam nos necessitatem sis adducturus. Quare tecum confidera, Cæsar, quid te magis deceat, quid ad tuum in primis officium erga Deum & Ecclesiam magis pertineat, quid honori & rebus tuis magis expediat. An vt brachium nostræ feueritati, in iis quæ ad vnitatem Ecclesiæ pertinent præbeas, an potius illis faueas, qui hanc semel ruptam in plures adhuc partes scindere miserabiliter laborant & optant. Deus pacis pro immensa misericordia sua, tuam Maiestatem ab iniquorum cõsiliis liberet, ac pacis cõsilia in tuo corde cõfirmet, vt vnanimis vno ore honorificemus Deum patrem per Iesum Christum, cui cõ Sancto Spiritu sit honor per æterna secula, Amen.

Datum Romæ apud S. Marcum  
XXIII Augusti, M. D.  
XLIIII.

SCHOLIA IN EPISTOLAM PAULI III. PONT. MAX.



*I illud vindictæ Dei exemplum horret sanctissimus pater, mirum cur tantopere de hoc vno Cæsaris delicto sollicitus, (si delictum nominari debet) tam securus in alijs filiorum suorum infinitis nequitijs torpeat. Vltus est Deus segnitiam Heli sacerdotis, quod filios non castigauerat. Filios Christiani pastoris iubet apostolus Paulus esse bene moratos, bene educatos in timore Domini. Filium habet Paulus noster Erensius, & ex eo nepotes, præter spurios, qui adhuc siliernio huic & semiputrido caduero nascuntur.*

*Qualis est Petrus Loysius? dicam, quo nihil potest dici atrocius, & tamen est verissimum. Nunquam tale monstrum hæcenus peperit Italia. Paule quid cessas? cum execranda filij tui libidines in cælum ascenderint, cum factore simul ac fœditate ipsarum polluta sit terra, cum totus mundus vociferetur: nondum exereudæ seueritatis tempus esse putas? Quid de eius auaritia? quid de rapacitate? quid de seuitia dicam? Tametsi in his omnibus ita reliquos superauerit, vt te vno semper sit inferior. quid de nepotibus tuis, quid de tota familia orbis cum multa indignatione dudum loquitur? Si ob indulgentiam correctus fuit Heli, tunc impune feres, quod ad tam horrenda filiorum tuorum flagitia non solum conniueas tacitus, sed manum illis auxiliarem præbeas?*

appro-

approbes certè palam, & magna ex parte nō dissimules, te authore perpetrari? Non te hīc Dei iudicium sollicitat? nullus metus animum tuum percellit? Sed de naturalibus filijs iam plus satis. Iactas te Christianorum omnium esse patrem. In tam deplorata mundi corruptione, quis amplius taciturnitati est locus? Siles tamen, & mundum sciens ac videns in exitium ruere cum silentio pateris. Si Heli non pepercit Deus, quale tibi supplicium imminere cogitas? Propius etiamnum te urgeo. Qualis est sedis tuæ status, quæ tibi instar familiæ esse debet? Quid agunt tui vicarij? Qualis in curia tua negotiatio exercetur? Qualiter se clerus tuus gerit? Quæ mihi Sodomam reperies, ubi maior unquam fuerit malorum omnium impunitas? magis perditia impudentia? licentiam agis effraus? Et nunc, perinde ac si nihil esset domi quod ageres, times, ne ob vnam hanc culpam immineat ira Dei tuo capiti, si concedi Protestantibus pacem & iuris æquitatem tacitus sinas, quoad de religione fuerit cognitum: si Casarem, iniussu tuo, tam concilium, quàm legitimam causæ definitionem polliceri sustineas.

Hic mihi Athalia venit in mentem. Nam sicut impudica illa canis, cū regem Ios cermeret in folio collocatum, quia tyrannidem suam videbat concidisse, clamabat, seditionem esse factam: ita putidum hoc scortum, cū tyrannidi suæ, quam Deo & hominibus inuitis, sibi per summum nefas arrogat, vel minimum derogari videt, cælum terræ miscet, quasi nihil amplius sit in mundo saluum.

O quàm multus, & quàm insignibus documentis compertum habet Casar paternum hunc amorem. Quod nisi sibi ab hoc idolo, tanquam à Deo sinistro metuerent Christiani principes: possent mira paternæ charitatis officia, quæ pro se quisque experti sunt, recensere. Sed quid principum arcana excutere opus est? quasi verò non omnibus etiam infimis palam sit, qualem se hætenus patrem illis exhibuerit.

Hic quidem olim speciosus erat fucus Romanæ meretricis, iactare Ecclesiæ veritatem: sed iam cū longo quasi atritu obsoleuit, tum flatu oris Domini toties discussus & claris scripturæ testimonijs abstersus ita fuit, vt ad colorandam eius deformitatem apud oculos parum valeat. Christus enim vnicum sanctæ vnitatis vinculum est: ab eo qui discedit, violat turbatque vnitatem: extra eum verò, non nisi sacrilega conspiratio est. Vocat nos ad se Romanus Antichristus, prætextu vnitatis: & quicumque tyrannidis suæ iugo non sponte alligari se sustinent, eos schismaticos iudicat. Nos autem ex aduerso audimus Christi vocem: Vbi erit corpus, illuc conuolabunt & aquila. Audimus Apostolum hortantem, vt consentiamus, & simus concordēs: sed in Christo. Audimus piam Hilarij admonitionem. Speciosum quidem nomen est pacis, & pulchra opinio vnitatis: sed quis ambigat eam solam Ecclesiæ & Euāgeliorum vnitatem esse pacem, quæ Christi est? Ostendat ergo à parte sua Christum Frenesius, & vnitatem Ecclesiæ penes se esse probabit: sed cū adherere illi non possimus, nisi Christum abnegando, qui ab eo discessit, non facit ab Ecclesia discessionem, sed veram Ecclesiam ab adulterina & fictitia discernit.

En ordo, en disciplina, en Christianismi perfectio ex Frenesij definitione, si illibata sedis suæ tyrannus maneat. Valeant alia: nam præ hac vna nihili omnia reputat. Iam ergo Helenam agnoscimus, pro qua depugnat, simul causam timoris illius agnoscimus, de quo initio locutus est. Nō enim rumam folio suo tantū impen-

dere præuidet, sed sedem illam abominationis iam collabi cernit, si pigrescat. Hoc si illi detur, ut securus pro suo more in tranquilla possessione suæ tyrannidis lasciuat, hoc vno contentus erit, & tanquam rite cõposito Ecclesiæ statu, sibi & alijs benedicet. Ergo vtcunque Romæ nihilo minor sit scelerum omnium colluuius, quàm in ipsis inferis, vtcunque passim sanctus ille Papalis clerus, laxis habenis, perruptis legibus omnibus, abiecta omni honestatis cura, ad quamlibet impietatem se prostituat, vtcunque totus orbis horrendum in modum sit corruptus, bene ordinata erit disciplina, si modò nihil contra sedis Romanæ maiestatem quis audeat.

6 Grande scilicet piaculũ, quòd de congregãdo concilio cùm ageretur, suppressum est Papæ nomen. Quasi verò Syluestro auctoritatẽ conuocandæ Nicenæ synodi detulerit Constantinus, ac non eam iure suo, pro Imperatoria potestate coegerit. Quasi non etiam ipsi Syluestro edixerit, ut veniret. Quasi vel arbitrium vel nutum Romani episcopi expectauerit olim Theodosius, in synodo Aquileiensi cogẽda, cui præfuit Ambrosius. Ecce habetur in Italia conciliũ vniuersale, cui non adest Rom. episcopus, nec quisquã eius nomine, imò nulla eius in actis cõcilij fit mentio. Sed condonãdum est Frenesio, si personã agit impurã illius Iesabel, cùm similitẽ habeat causam. Quẽ admodũ enim fremebat illa, quòd Achab pro regia potestate populũ conuocasset, ut statueretur semel, Deusne an Baal inuocãdus foret, ita hæc bestia, quasi rebus omnibus perditus, grande nefas admissum esse conclamat, quia Cæsar sibi curã fore receperit, ut cõciliũ cogereetur. Atquẽ hanc sibi soli potestatem iure diuino & humano cõpetere allegat. Facile quidẽ iactare est, sed probatio queritur. Quid enim hoc mendacio impudentius? Diuini iuris quam omnino syllabam proferet, nisi fortẽ se faciat Deũ. Sed humanũ fortẽ illi suffragatur? Nihilomagis. Quis enim primam synodũ Nicenam, quis Ephesinã, quis Constantinopolitanã, quis Chalcedouensem coegit? Et ne in colligendo numero sim lögior, quis totis quingentis annis synodos vniuersales, quæ multæ habitæ fuerũt inter id tẽpus, congregauit, præter vnũ Cæsare? At fortẽ id fiebat, interposita põtificis auctoritate, imò nec cõsensu quidẽ. Vbi enim ostendet Frenesius, expectatũ aliquando fuisse Papæ nutum in hac re, aut petitũ ab eo cõsilium? Atquẽ non tantũ nunc sibi arrogat hoc priuilegiũ, ne quid se incõsulto tentet Imperator, sed vult omnia simul posse & agere. Id si vult impetrare, omnia conciliorũ acta, omnes veteres historias aboleat, necesse est. Neq; enim illic Papa Imperatori edicit, sed Imperator episcopus omnibus. Et cùm episcopi loquuntur, nõ Romani episcopi mandato aut nutu se vocatos, sed Imperiali edicto testantur. Olim quidem in procurãda synodo Chalcedonen. si partes suas interposuit Leo. Sed qualiter? iubendõne vel decernẽdo? Nihil tale in eius epistolis habetur, quæ in prõptu extant, sed Cæsarem suppliciter rogãdo, ut pro more episcopos omnes aduocaret. Ergo quod tunc precibus fieri orabat Leo, Frenesius hodie factũ esse tam grauiter accusat, ut speciẽ propemodum faciat apostasiæ. Patrocinium ergo fictitiæ suæ potestatis aliunde quærat, quàm à Deo & hominibus.

7 Cùm tale quiddam aliquando captaret in cõcilio Chartaginensi, fortiter, ut parerat, Africani episcopi tam improbæ ambitioni restiterũt. Cùm obtenderet prærogatiuã in alias Ecclesias, Nicenæ synodi decreto, sibi permissam esse, nõ habuerunt fidem, sed Constantinopolim, & in alias urbes Græcas miserunt, ut veritatem inuestigarent. Compertum tandem fuit, acta Concilij à sanctissimo patre corrupta fuisse, ut illis ad erigendam suam tyrannidem abuteretur. Saltem quæ proferebantur

Impetratis  
ist, cogere  
concilia.

Rom. Epi  
nulla præ  
rogatiua  
in aliis actus.

ur ex eius archiuis exemplaria, cū veris & certis non congruebant. Ita repudiatiū fuit eius postulatū, non absque manifesto falsitatis probro. Atquē iura diuina & humana hic quoq; sibi suffragari clamat. Quis vnquam Deus, obsecro, Papā constituit causarū omnium ad Ecclesiam vel fidē pertinentiū cognitorē, arbitrum & iudicem? Quas etiam hominū leges, aut quæ placita de hac re ostendet? Dicit, quidem Ambrosius, fidei causas debere in templo coram plebe tractari: & tunc de summo fidei nostræ capite agebatur. Non dicit, coram Papæ tribunali. Dicit fateor, iudicandas esse à sacerdotibus: sed nequaquam vni Papæ defert iudicium. Alioquin grauius peccasset, cū ad cognoscendam maximam causam, Aquileiensi concilio non interfuit modò, sed etiam præsedit. Inuehatur Frenesius in Ambrosium, quòd concilium cū vocandum ab Imperatore procurasset, habere ausus est, & quidem absente Rom. Episcopo, illicque de Christi diuinitate, quid sentiendum foret, statuere. Vbi tunc erant humana iura, quibus gloriatur Frenesius, cū in Italia synodus vniuersalis de summa religionis tractaret, vocato quidē Rom. episcopo, sed nemine eius loco comparenti? Quid cū à Melchiade Rom. etiam episcopo deuoluta est causa maximi momenti ad episcopum Arelatensem? Litigabat Donatus A casis nigris cum Cæciliano. Non erat ciuile negotium, sed causa ecclesiastica, & quæ non leue caput Christianæ doctrinæ continebat, nempe de Ecclesiæ vnitae, & communionē sanctorum. Constantinus Magnus Melchiam primo iudicem tulerat, cum ille pronuntiasset, prouocante Donato, cognitio ad Arelatensem episcopum delata fuit, vt testis est Augustinus. Cur non clamitabat Melchiam, omnia perperam confundi, quòd sibi eriperetur summa iudicandi potestas? Restat ergo vt hoc persuadeat Frenesius ijs, qui sine difficultate pro oraculo recipiunt, Cephā esse caput.

Quasi verò pro libidine cuiusque statui voluerit Imperator, ac nō potius legitima vtro citroque habita disceptatione, ex sacrosancto Dei verbo summi definitionē. Quasi etiā laicis mādauit istas partes, vt definiāt ipsi, ac non potius vt sciscāt, quod ex Dei verbo constituerit. Hoc si nouum est Frenesio, valde est omnis antiquitatis imperitum.

Nempe si huic Frenesij iudicio stetur, ne concilio quidē opus fuerit. Res enim iam expedita hoc modo erit, si indicta causa iam censeantur dānatarum hæresum assertores, qui se ad reddendā doctrinæ suæ rationem offerunt. Neq; verò imprudenter agit sanctissimus pater. Quid enim optabilius, quàm hostes suos voce vna iugulare? Sed hoc est incōmodi, quòd qui tam atrociter hic dānantur, præclare & strenuè ab hac calūnia se purgant, Papā verò ipsum interim non modò impietatis ac seclerū omnium reū peragūt, sed antichristū esse cōuincūt, impiorū omnium caput.

Quid, an non Spiritus sancti elogio prædicatur sanctus Rex Iosias, quòd cū oblationes ingurgitari videret à sacerdotibus, scribā suū exigendis rationibus præfecerit? Quid ergo piaculi erit, si hodie eius exēplo Christiani principes, dū à Papæ gurgitibus Ecclesiæ opes vorari, & per summā nequitia turpiter dissipari vident, ad vindicandū hoc sacrilegiū manus admovent? Hoc primum queritur, in quē vsum destinata sint Ecclesiæ bona: deinde, quorū sit dispensatio: tertio, si vitium sit in ordinaria dispensatione, quod seuera correctione opus habeat, à quibus adhibendum sit remediū. De hoc postremo cogniturum se Imperator de ordinū sententia promissit. Nunc iudicare promptum est, quam tumultuandi causam habeat Frenesius.

De bonis ecclesiasticis

11 Subaudiendū est epitheton, sunt enim Protestantes extra Ecclesiam, sed Papalē. Dammati, sed causa incognita. Si autē verū est esse verā Ecclesiā vnitatē, vbi est sincera Christi Veritas, vbi integer & doctrina & animorum in Christo consensus cum omnibus p̄ys: ab Ecclesia certē alieni non sunt Protestantes.

12 Imò quis vel princeps, vel priuatus, si modò scintillā Christiani zeli habeat, non cupiat quā primū rebus ita miserē collapsis succurri? Quis autem non intelligat, frustra à Papa expectari quicquam opis? Suam ergo impietatē prodat, oportet, qui tam necessarium remedium à Cæsare quāsītū esse ægrè ferat. Sed bene habet, quòd se de conductis quibusdam mancipijs loqui continuò post declarat.

13 Ego verò scire velim, quid tandem istorum pugnet cum Christi institutis, & recto Ecclesiæ ordine. Audio quidem hoc dici, sed à quo? Si diabolus pater est mendacij, quis eius vicario fidem habebit?

14 Mirā verò metamorphosim. Tam enim religiosus cœpit esse Papa, vt datam Protestantibus pacem esse cum audit, totus horreat. Sed mirum est ex aduerso, eum securē pacisci cū meretricibus, nec contaminationē ex lenocinij precio horrere, annua pensione decidere cū Iudæis, vt impune non modo Christianam religionem despiciant, sed foenerando palam latrocinentur, deniq; nec Turcas auersari. Sed in eo potissimū elucet eius sanctimonia, quòd cū Apostolo Paulo timet, ne bonos mores colloquia praua corrūpant. Quid tibi cum hac sancti Apostoli voce, scelestē apostata, imò omnis apostasie princeps? qui cū dies in machinandis proditionibus, in fraudibus excudendis, in bellis conflandis, in excogitandis nouis rapinarum generibus, in moliendo innocentij exitio, in destruenda Ecclesia, in dissipanda religione cum nequissimis consultoribus tuis consumas, reliquum tēpus vel cū Epicureis suauiter te oblectas, vel in medio scortorū grege te volutas instar porci, nec aliud audis, vel loqueris, quā quòd vel execrandam impietatē spiret, vel sui obscœnitate incitet istam tuam effœtam libidinem, quæ tamen nondum prurire desinit.

15 Arrigamus aures, neque enim videtur iam de nihilo conqueri. Fateor sanè, tanti esse Ecclesiæ ordinem coram Deo, vt qui inuolat in alienum munus, non euadat suæ temeritatis pœnam.

16 Si qua ratio foret conseruandæ eius tyrannidis, pro qua nunc decertat Frenesius, hæc in primis firma est præ alijs, & valida, ne quis corrigendus sacerdotum vitijs se interponere audeat. Ergo si Frenesio concedimus, esse hanc illi citam vsurpationem, esse grande sacrilegium, cū principes, torpente Papa, toto clero oscitante, pereunti Ecclesiæ subuenire conātur, actum est. Quid ergo habet Cæsar, quo tantum crimen diluat? Primum, tametsi non est cuiuslibet, se ad repurganda Ecclesiæ mala ingerere, & restituendum eius statum, quo tamen iure Christianis principibus hoc negabitur? Excipit Frenesius, quia sic agendo cathedram sacerdotalem inuadunt. At sanctis patribus semper aliter visum est, quibus nihil fuit antiquius, quā vt principum autoritate in ordinem redigerentur mali, & improbi sacerdotes, indigni autem honoris gradu abdicarentur. In hoc itaque hallucinatur Frenesius, quia inter ista duo quantum intersit, non videt, cathedram occupare, & rite collocare iustos sēsores, qui sedem ratione iurēque gubernent.

17 Hoc concedunt omnes, non perturbandum esse in Ecclesia ordinem. Tota igitur quæstio in ordinis definitione posita est. Requirit ordo, vt sint distinctæ functiones, & hoc concedimus, verum conjunctioni distinctio non repugnat. Nec quic-

Papa vbi;  
gō & facti  
mores.

via apum  
st, consti  
der ec  
tas & k  
mura te  
leshica

on inna est  
iam, sine di  
sharta.



quicquam obstat, quo minus qui diuersis officijs presunt, communibus tamen studijs multa simul procurent, quominus voluant coniunctim vnum lapidem, denique quo minus alter pro necessitate presenti, in alterius vicem quandoque subeat. 18

Det ergo nobis Frenesius ordinatum ex Christi voluntate Ecclesiae statum: & libenter dabimus, qui minimo digito attingere eum ausit, vt conucllat, impia audacia id tentare. Sed cum procul absit barbara ista, vel potius heluina Papatus confusio à sancta Christi regula, facessat hinc providentia diuina titulus, cui grauis irrogatur iniuria, cum ad fucandam à Christi regno profusus tam alienam tyrannidem perperam & impudenter obtrenditur.

Punitus est Osas, quòd manum arcæ Dei ad mouere ausus fuerit, bono quidem, sed inconsiderato zelo, nempe cum partes sacerdotum arriperet, presbitero illis astantibus, & ad officium paratis. Vbi nunc ex toto Papali clero sacerdos vnus est, qui arcæ Domini sustinenda sit intentus? Punitus est Osas, quòd & prater suam vocationem & aduersus claram Dei prohibitionem ad tactum arcæ perreperit. Vbi Dei interdictum? Vbi finita vocationis ratio, quæ Imperatorem ab omni Ecclesiae cura arceat? Atqui Reges omnes vocat Iesaias ad eam suscipiendam. 19

Punitus est Osas, quòd ante tempus, importuno feruore se ad sustinendam arcam ingesserit. At quàm dissimilis erit causa, si arcam Domini humi proiectam, demersam in luto, in piorum probris expositam erigere conetur Dauid, & sacerdotes ad eam in sua sede collocandam edicito suo vocet? Tu verò monstrum qualiter denunciare alijs audes, vt manus removeant ab arcæ, qui eam impuro tuo rostro prostratam pedibus ignominiosè conuclcas? Licebit ne tibi arcam Domini sordibus implere, profectare cum summa contumelia, prostituerere ad quoduis Sathana ludibriū, lacerare in frustra, eius sanctitati insultare: & principibus simul ac vniuerso Christiano populo ad eam repurgandā, coaptandā, reparandā accedere nefus erit?

Quid non audeat hic phreneticus, quæ Moyse & Aroni se conferre nihil pudet? Dathan, inquit, & Chore & Abiron, quòd aduersus Domini sacerdotes murmurassent, horrendo exemplo perierunt. Sed quid tu simile cum Moyse habes? Tu ne Domini sacerdos, ò sacrorum omnium profligator? Non modò tumultuatus est Iehu in sacerdotes Baal, sed armata manu eos persecutus, omnes in templo idoli sui occidit. Praclarum facinus, & quod Dei testimonio cõmendatur. Vocet autem Moysen vulnerat Dathan, Chore & Abiron, & eos terra viuos absorbet. Tu igitur alius sis, vt sacerdotij iure & honore, à te violando principes de terreas. 20

Vmbra seruebat Aaronis sacerdotium, sed continebat non inanē veritatis figuram, & sacrosancta erat Dei autoritate fundatū. Quid autē prater larvā nobis ostentat Papa? Quo fundamento suffulta est eius tyrannis? Quo deniq; authore à summo vsq; ad minimū ad sacrilegā suam functionē, magico potius quàm Christiano ritu, inicianitur? Etiam si crepare debeant, nulla scripturæ syllaba vnquam hoc, quo superbunt, sacerdotij genus approbabunt.

Peruersa quidē consuetudo nihil aliud est, quàm erroris vetustas. Sed quis pro Ecclesiae consuetudine hoc recipiat, vt qui presulum nomē habet, qualiscumq; sint, quicquid agāt, etiā si nihil minus sint, quàm quod vocatur, pro libidine grassentur addeuorandū Christi gregē? & se nemo eorū latrocinio opponere audeat? In qua, obsecro, Barbaria valeret hac cõsuetudo, vt solo titulo proteclli latrones, impune perderēt, mactarēt, vastarēt, dissiparēt omnia: quòd si quis mustaret de cohiben-

dz ipsorum truculentia: sacra profanus misceri clamitarent?

23 Vbi liquidò constiterint hæc tria: non necessitate, sed superbia Casarem reformationem Ecclesie suscepisse: deinde hanc ita commēdatam esse sacerdotibus, ut ab ea prohibeantur, quicunque vnctas manus non habēt, sicut ab adolendo thymiamate: postremò sacerdotium Papale instar Leuitici à Deo habere originem, præsentis causæ forsitan conueniet vsq̃ exemplum. Rursus si nihil istorum constat, quin potius si euincere promptum est, necessariò ad id cogi Casarem, nisi ad Ecclesie exitium sciens ac videns conuiuere velit: nec quicquam magis esse propriū eius personæ, & sacerdotium Papale nõ nisi sacrilegio & anathemate dedicatum esse, quid vsq̃ exemplum Frenesio suffragatur? Ostendat, inquam, conuocandi concilij, & restituendæ in verum statum Ecclesie solis sacerdotibus, sicut adolendi thymiamatis attributam esse potestatem, Regibus autem vetitam. Atquē veritas palam reclamat. Ostēdat Casarem frustra inolescere, & rebus bene compositis, ambitione tantū, & prauo nouitatis studio lasciuire. Ostendat ipsum deiecto legitimo sacerdote, altare sibi interdictum per vim occupare. Sed vbi sacerdos qui ad officium peragendum sit accinctus? Quibus cancellis circumscripta est pia hæc sollicitudo, quam in se recipit Casar, ut perumpere non liceat? Quæ temeritas aut libido in aggrediēdo opere, à quo cessare, summa esset non tantū socordia sed etiā perfidia? Quamquam operæ precii est expendere, quam argutus sit ratiocinator Frenesij scriba. Sacrificium est, inquit, leges de religione sancire, & quidē Deo gratissimū. Ergo à Casaris persona hoc abhorret. Hoc verò est non argumentari, sed porcorum more omnia turbare. Quid enim erogare elemosinas? Quid impendere se publicis cōmodis? Quid populos in puro Dei cultu continere? Quid denique se ipsum dedicare Deo? Non sunt hæc etiā sacrificia, non suavis gratique odoris? Et tamē piorū omnium cōmunia sunt. Quid præterea blateras, placere Deo, ut leges de religione sanciantur, quod à diabolica audacia proficisci Scriptura clamat? Nā & Casaris & omnium mortalium est, vnū audire Legislatore, quod ad spirituale animæ regimē spectat, & quascunq; ille sciuerit leges, ratas sine exceptione habere.

24 Non contentus communi sacerdotum prærogatiua, singulare fastigium conscendit. Nostrum, inquit, imprimis. Quo autem iure? Quia data nobis est ligandi & soluendi potestas. Quid alijs? Omnibus enim simul Apostolis dictum est, quodcumque ligaueritis. Quod omnibus Christus communicat, tu prædatoria violentia tibi rapies? Tu Ecclesiam nudabis, ut eius te spolijs vestias?

25 Eximium sanè priuilegium, ut impune ruant in omne scelerum genus sacerdotes, & soli Deo iudicium relinquatur. Quod si ita est, quorsum illa vetus disciplina cleri, quæ in chartis nunc extat, olim in Ecclesia locum habuit? Nam si iudicium sibi in sacerdotes sumunt episcopi, gigantum more Deum è sede sua disturbare moliuntur. At episcopus est permissum. Quid, si Deus sibi hoc asseruit soli, tu ad Sacerdotes transferendo, nõnne illos facis deos? Hic quoque acumen est mirabile, Requira super pastores ego ipse, inquit Dominus. Ergo propria est Dei hæc cognitio, quam ne ad tempus quidem sumere cuiquā licet. Quid? non requireret etiā ipse Dominus sanguinē innoxium de manu homicidarū? Nõ furta, non rapinas, non iniurias quaslibet requireret? Non requireret ab impijs, quicquid malorum perpetraverint? Ergo secundū cubicularē hæc Frenesij dialecticā tollantur è medio iudicia, fa cessant scelerum pœnæ. Solum enim Deo relinquendum est iudicium. Solus certe

Dei

Dei iudicium est, non in sacerdotes modò, sed etiam infimos quosque. Sed cur Dñ vo cantur principes, nisi quia mandatum est illis iudicium?

Quis Frenesio hoc Angelus vel potius demon reuelauit? Varijs enim ex causis cum proueniant Dei iudicia, quis certam causam ex proprio capite definiet? Solomon certè negat, humano sensu discerni posse, quem amore vel odio prosequatur Deus, quia eadem accidant bonis & malis. Ex Dei verbo igitur definiendum erat, sed probè meminit Frenesius, cuius personam sustineat. Sic enim antiè cum Christo egit Dominus, cui seruit: Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me. Sic etiam antecessores eius, cum seruebantur Reginz celi, affluebantur bonis omnibus. Sed iam audiamus, quæ ob sedis suæ cultum repensa præmia, & quas ob contemptum pœnas irrogatas referat.

Constantinum Magnum adducit, ut ficticia, quam iactat, donationis fidem nobis faciat. Ad id nihileum pudet, ut negas quæ iam pueris sunt ludibrio, Imperatori pro certis oraculis obtrudere non dubitet. Olim quidem magno supercilio de hoc figmento garriebant stulti canonistæ, sed iam talibus inepijs desit esse locus. Quæ porò causa tam fidelem sedis suæ cultorem facit Theodosium? qui cum Ambrosio singularem reuerentiam detulerit, quèd vnquam in precio habuerit sedem Romanam aut eius seffores, nusquam legitur. Miram certè, quòd non & Traianum addiderit. Caroli Magai victorias huic vni vel superstitioni, vel astuto consilio acceptas referre, quòd sedem illam abominationis extulerit, quem omnino colorem habet? Perinde facit, dum ex tot heroicis & memorandis Caroli virtutibus vitium hoc decerpit, quòd laudet, atque ij qui in auro non nisi sco. iam legunt.

Quis non fustibus magis & lapidibus, quàm verbis compefcendum hunc impuri canis latratum dicat? quòd Dei vindictam Iustiniano influctam non manifesta eius impietati, quam in sustinenda Eutychniana hæresi prodidit, sed ad vnã contumaciam transferat, quæ sedem Romanam maiestatem imminuerit? En palàm Anastasius fidem orthodoxam impugnat. Execrabilis in Christum blasphemiz fauorem se & vindicem profiteur. Piam & salutarem de incarnationis mysterio doctrinam labe faciat, quantum potest. Ecclesiam vniuersam turbat, ac dissipat perniciosis disidijs, fulmine tandem icus miserè perit. Nullam eiusmodi in certis aliam causam fuisse pronuntiat Frenesius, quàm quòd Hormisdæ & Gelasio rebelis fuit. Quis autem crederet?

Mauricius iam senex, cum annis vigin. i imperium administraffet, à Phoca milite suo per insidias, & summam perfidiam sublatus fuit. Hanc fuisse contemptæ sedis Romanæ pœnam interpretatur Frenesius, quasi Dei consilio tunc interfuerit. Vt nam quidem se non immiscuisset placidus alioqui & quietus princeps prauis episcoporum factionibus, aut reprimere Ioannis ambitionem quàm fouere maluisset. Verùm quid tunc petebat Gregorius, quàm ne permitteret Mauricius, vnum aliquem censeri vniuersalem Episcopum, quia esset hic titulus, ut loquitur, nefarius, scelestus, profanus, abominabilis, & Antichristi prænuntius? Sed ut hoc quoque omittam, quænam ista est Frenesii æquitas principem sceleratè occisum dammare, quia sedi Romanæ se obsequentem nõ præbuerit, & laudibus vehere parricidæ, qui in Dominum optimè de se meritum gladium strinxerit, qui ad Imperium per talè perfidiam, ac tantum nefus peruenerit, quia ad ornandum Romanum idolum, & euehendæ eius potètiæ fuerit propensior? Quamquæ quid a. iud. spectabat

Phocas omnia Romanæ sedis largiendo, nisi ut hac quasi nefaria pactione Romanæ urbis fauorem emeret, quòd se Græcis sciebat esse suo merito infestum?

30 Mirum est, in tam pingui mercede non esse Frenesio doctiores scribas. Quanta enim historiarum inscitia est, primùm in nominibus turpiter labi, & ex Iustitia no facere Constantem: deinde cum omnes fere Græci imperatores in eadem fuerint causa, pauculos hîc nominare? Nisi hoc forsân arte faciat, quia pœnam, quæ pro terriculamento esset, inuenire in alijs non poterat.

31 Henrichi vitia, quibus laborauit, hic excusare nihil attinet. Quæ autem fuerint contentionum inter ipsum & Hildebrandum semina si quis querat, & qualiter depugnata fuerint, reperiet profectò, Hildebrandum hominem uasri & malitiosi ingenij, adhæc inexplebili ambitione ardentem, instructum verò & gladiatoria confidentia, & extrema crudelitate, cum Henrichum videret luxuria diffuere, libidinibus deditum, præterea insolenter ferocire, statim quasi oblata occasione, addissipandum Imperium animum applicuisse. Quibus porò machinis Henrichum aggressus est, quibus deinde armis vsque ad finem vsus est ad ipsum opprimendum? Cum sacramêto soluisset principes Germanos, hoc est, peierandi licentiã illis dedisset, alios adegisset falsis terroribus, alios minis perpulisset, alios corruptisset blanditijs, Bavarum traxisset ad spem Imperij, obtinuit ut subitò tota Germania bello intestino, tâquam vno incendio, cõflagraret. Cum suppliciter ad eum venisset Henrichus, ac prostratus ad eius pedes iaceret, superbissimè eum contempsit. Nec antè statuit suæ tam impotenti & intolerandæ superbiæ modum, quàm sibi Imperatorem subiugauit vnà cum Imperio. Nam parum videbatur, si Casarem tanquam dediticium haberet, nisi diruto Imperio solus dominaretur. Et audet hic Frenesius eius historiæ facere mentionem, quæ luculentum testimonium reddit, vel potius illustre documentum est, nulla vnquam vel ex ipsis inferis tam tetra monstra extitisse, quorum fœditas Romanæ sedis flagitijs non obruatur.

32 Cur non & Fridericum Primum recensuit in hoc numero? Imò, cur non longum catalogum Imperatorum contexit? Nam quò quisque Casarum placidius se gessit, ita eò petulãtius eius mãsuetudine abusi sunt Romani antichristi, pudèdus ad uersus eos ludibrijs non abstinentes. Si qui autem paulò animosiores eorum ferocia resistunt, senserunt, quid esset furiosas beluas prouocasse. Cum plusquam effreni libidine, cum plusquam tyrannica sæuitia, cum importuno furore vltro, nõ prouocatos insultasse ut plurimùm Casaribus constet tuos antecessores, phreneticæ: si quid illorum cuiquam acciderit calamitatis, statim ne reum coram Deo perages, quòd se tam immanibus bestijs conculcandum non prostituerit? Itâne furcifer, Deum nequitia vestra ministrum simul & assertorem facies?

33 Fateor sanè, diram inminere Dei vltionem omnibus, qui ad scindendam Ecclesiæ vnitatem animum applicuerint. Quæ autem maior vnitatis dissipatio, quàm dum adulterata doctrinæ puritate, & euerso in eam consensu Christus quasi in partes discerpitur? Quis autem præter vnum te, ô carnifex, huius dissipationis author est atque antistes? Scio per te non stare, quominus prædicemus omnes vnum in terris caput, vnã Romanam sedem matrem ac Reginam, sed quis præter te obstat, quo minus omnes ex animo confiteamur Deum vnum, & fidem vnã, sicut vnum est inter omnes baptisma? Principem verò sedem quid nominas, que iam per annos plusquã octingetos vero episcopo vacua, morius primùm simulachris locum præbuit,

præbuit, nunc ab impietatis principe, & crudelissimo animarum tyranno, à capituli Christi hoste, à præcipuo Ecclesiæ vastatore occupatur?

Quin Iulsi meritas contempti & oppugnati Christi pœnas luant, minime dubium. Græcos videmus misera & acerba seruitute premi, causa obscura est, nisi ex verbo Dei petatur. Hoc inde accidisse diuinat Phrenesius, quod rebelles fuerint sanctæ sedi. Ego, si conijcere licet, potius id factum interpretor, quia eò vsque superbierunt, ut vniuersæ Ecclesiæ dominatum priores appetere, quem nunc sibi vsurpat Papa, quod nouitatis cupidores, in varias sectas fuerunt distracti, quod praua ambitione, dum melius aliquid excudere volunt sacris Christi institutis, degenerarunt à sincera Euangelij regula. Vtra ex his duabus vere similior coniectura est? Illa certe vitia, quibus ego causam impuro, Dei iudicio damnata esse constat. Quod si audiendi sint homines, dum causas ex cerebro proprio quaslibet comminiscuntur, non minus specioso colore Græcia, stante adhuc illic salua Imperij maiestate & potentia, Romanis exprobrare poterat, pœnam eos pendere suæ rebellionis, quod sedi Constantinopolitanæ in primatus controuersia restitissent. Et si, quemadmodum superius retuli, non tunc ambiebat primatum Romanus Episcopus, quum agitari cœpit contentio, sed ne inferior Constantinopolitano foret, locum suum tuebatur. In summa, vnum esse peccatum in mundo dignum ira Dei, dignum omnibus pœnis, malorum denique omnium fontem, persuadere vult Frenesius, quod sibi non obsequantur omnes, quod non à suo natu pendean, quod non suum adorent numen loco Dei. Quis, nisi mente abalienatus, persuaderi sibi sinat? Quod si ad fidem habendam paratos habeat omnes, primum ostendat, oportet, quid commeriti fuerint Hungari, quorum nihilo melior est, quàm Græcorum conditio. Expone, inquam, nobis phrenetice quo suo delicto in eandem cum Græcis seruitutem coniecti fuerint Hungari, quibus non aliter semper abusus es, atque vilissimis mancipijs, & qui perinde ac serui erga stulis inclusi, vincii compedibus, nullum tuum imperiũ recusarunt. Quàm ergo pueriliter ineptis, dum quasi re confecta, superciliosè pronuntias, nunquam sedis tuæ impune spretam fuisse tyrannidem? At certum est, non leuiter moueri Christum Vicarij sui contemptu. Pergésne igitur, os putidum, ita Christo illudere? Primum quis te ad hunc honorem euexit? Nemo enim, teste Apostolo, sumere sibi honorem debet, nisi vocatus. Dicitur est Petro, Pasce oues meas. Excipio, omnibus idem esse dictum. Veteres illi fumi, quibus antehac perstringere solebas hominum oculos, pridè euauerunt. Qua fronte tam superbum titulum arrogare tibi audes, quem si quis Angelorum sibi assereret, anathemate esse ferendus? Gregorio tuo, sicuti iactas, antefefori, scelestus, impius, sacrilegus, sathanæ Vicarius, præcurzor antichristi fuit, qui se episcopum vniuersalem faceret, siue Romanus siue alius quispiam. Elige nunc, vtrũ voles. Aut enim Gregorium dannes, oportet, tanquam sedi tuæ blasphemum, aut tam grauem sententiam sustineas. Iam verò ut parcamus huic tam execranda blasphemia, ut, inquam, fingamus vanum esse, quod post Apostolos & Prophetas docet Cyprianus, vnum esse in Ecclesia Christi episcopatum, cuius partes in solidum singuli teneant, & hanc dignitatem ad vnum quempiam hominum transferri sinamus, quo tamen iure, aut qua specie tibi, perditæ & deploratæ latro, conueniet? Tunc Petri successor, qui nihilo plus similitudinis cum eo habes, quàm Nero quisquã, aut Domitianus, aut Caligula. Nisi forte Helioabalũ maus, qui sacerdotiũ

nouum Imperio adiunxit. Omnes cerè illi summi pontifices nomine erant, quod in superstitione eius temporis licebat, tu id nomē hodie vsurpas in populo Christiano contra ius & fas, contra inuiolabile Christi placitum, contra omnia sanctorum patrū instituta. Tu Christi Vicarius, cuius omnes cogitationes, studia omnia & facta huc spectant, v: aboleatur Christus, modò nomen inane maneat, quo tanquam meretricio fuce abuteris? Tu Christi Vicarius, quem iam pueri omnes nouerunt certum esse antichristum? Qualem nobis Christum fabricabis, si velis eius imaginem in tyrannide tua agnosci? Videmus omnis impietatis antistitem, sathane antesignanum, ferocem animarum tyrannum, saeuum carnificem, quod ad vitam spectat, monstrum ex omnibus flagitijs conflatum: illum denique perditionis filium, quem nobis depingit Apostolus, & Christi vicarium iudicabimus? Videmus, inquam, lupum, à quo deuorantur Christi oues, videmus furem, à quo abiguntur, videmus pradonem, à quo maciuntur, & hic nobis Christi Vicarius erit?

35 Themistocles olim Iustitia sacrum facturum exclamasse fertur, O dea, si qua vsquam es, nos de conscientia Papa non rogamus, vbinam sit, dum eam testem citat? Excitare interdum ab inferis solent rhetores, quorum personam cause suae aptam iudicant, sed neque hoc in p.p. locum habet, cui neque caeli sunt neque inferi. Qui ergo hanc Chimeram manibus tenebit, ille Frenesium pro Ecclesiae pace libenter sanguinem profusurū credat. At rem ipsam intuemur, quid sit alienum sanguinem fundere, nouit Paulus, suo parcere didicit. Certè etiam si haec nunc creditum fuisset, aliquam conscientiae particulam in Papa adhuc manere, hoc tamen tam manifesto perituro apparet, quam omnem Dei timorem, & hominum reuerentiam abiicerit.

36 Aequa sane conditio, vt Papae tradantur iudicandi Protestantes. Quid nisi? Ego enim, inquit, sum eorum iudex. Solus ne? Adiutores sibi in consilium assumit venerandos fratres suos, quos etiam honoris parte aspergit. Tot lupis vt tradatur grex ouium? At qualescūque sint, ipsorum tamen est cognitio. Si olim Paulo dicere licuit de pariete dealbato, Nesciebam fratres quòd pontifex esset, quid nobis de atris istis vulturibus hodie dicendum erit? Sed ne longior sum, tantum hoc dico, sacerdotes Domini se esse ostendant, & iudicandi potestatem mox illis sine difficultate vlla concedam. Quales autem video, merito sciscitari possum, què nam eos constituerit arbitros aut iudices.

37 Quo elogio principes & magistratus ciuiles ornat Spiritus sanctus, sicuti cum ex loco ipso constat, tum etiam ex Christi interpretatione, illud Cōstantinus, homo non valde exercitatus in Scripturis, & si verum narrant historiae, tunc adhuc catechumenus, errore ad sacerdotes trāstulit. Frenesius Achillis clypeum se inuenisse putat, dum inde patrociniū mutuatur. Nunc statuendum est, vtrius plus fidei sit habendum, Deone, an Constantino. De sensu illius sententiae loquor, Ego dixi dii estis. Alioqui prudenter egisse Constantinum fateor, qui cum episcopos cerneret, fatali quadam rabie in mutuam lacerationem inflammatos Ario parcere, & deserere Christi causam, vt suae cupiditati morem gererent, probrosos eorum libellos consciderit. Ceterum quam procul à mente Frenesii abfuerit Constantinus, ne falso amplius eius nomen obtendat, ex illius ad Nicomed. nes epistola, quam Theodoritus libro primo refert, iudicium facere promptum est, si castos, inquit, habemus, & orthodoxos & modestos episcopos,

*gaudemus. Quòd si quis audaciter ac inconsultè ad fouendas pestes exarserit, illius audacia ministri Dei, hoc est, mea executione coercetur. Quando in omnibus Constantino persimilem esse Carolum Casarem optat Frenesius, manu eius non suam audaciam, sed efferat. iracundiam coerceri patiatur.*

*Speciem quidem cogendi concilij iam aliquoties præbuit Frenesius, sed qui serio eum cogitasse unquam de habendo concilio putat, micam sani cerebri non habet. Mundum quasi famelicum ingenti concilij desiderio hiare iam dudum nouit. Extremæ se crudelitatis damnari ab omnibus intelligit, quòd tandiu varijs ludificationibus tempus extrahat. Cur non igitur, quoad citra suum dispendium potest, satisfaciat imperitis, concilium subinde indicendo, quod nunquam habeat? Si quis autem miretur, cur tanto pere concilium reformidet Papa, in quo nulli bono patebit locus, inde reputet, quàm sit prodigiosa tyrannidis species, quæ non nisi per terrorem & metum retineri potest.*

*En quid premat sanctissimum patrem. Non audiendo aut disceptando tractari vult causam Protestantium, sed hoc commodissimum fore putat, si ab illis damnandis exordiatur. Quanquam vix isto honore etiamnum eos dignabitur, ne rem actam agere iterum incipiat, sed exequendam in eos sententiam mandabit. Et certè non malè consulit suis rationibus, dum ne causa tam dubia & sibi periculosa retractetur, sollicitè cauet. Quid ergo, si audiatur, Protestantibus reliquam est, nisi vt causa sua defensione omissa, se illi suaque omnia dedant?*

*Vtinam quidem verè coalescant Germani omnes in verum fidei consensum. sibi que mutuo sub vno capite adhæreant, nempe, Christo. Imò totus in hanc vitam reducatur orbis, quò impleatur illud, quo certum est solidam Ecclesie perfectionem contineri, hoc est, vt fiat vnum ouile, & vnus pastor: sed reclamat Papa, qui pro nihilo ducit, Deum agnosci vnum ab omnibus, pura Christi doctrina, & auspicijs gubernari totum mundum, nisi ipse pro capite adoretur. Ergo vnicuique Deum, nisi falso, inuocare testem nequeat, qui Deum nullum habet, ne tamen semper mentiri eum putes, vnum hoc verè affirmat, sibi nihil esse magis in votis, quàm sub iugum suum omnes redigere qui auolarunt, & quos pro indomitis habet.*

*Quasi verò vocauerit spe colligendi, ac nò potius de industria tempus elegerit, quòd esset ab omni pacata consuitatione alienissimum. Cùm satis compertum haberet, bello distineri duos præcipuos Christiani orbis monarchas, & tam pluribus locis classicum propemodum canere, concilium habere se velle simulauit. Quis tam stultum fuisse credat, vt sperauerit? Vnde etiam coniecituram facere licet, nihil eum nisi per simulationem gerere. Nam quò factum est, vt tranquillus rebus cessauerit, & cùm aliquandiu volitasset consilij Mantuani indictio, & postea Veronensis, vtrunque in bullam euanuerit, nunc autem in medio armorum strepitu, & tempore turbulento, se tanquam in optima opportunitate commoueat?*

*O prostitutam impudentiam! Mirum, nisi scriba suo mandauerit, vt interscribendum ingemisceret, ac lachrymulam vnã extorqueret ab oculo sinistra. Sed non minus stultus est quàm improbus, qui coram Casare hanc fabulam agit, quasi sit illi incognitus. Querat ergo peregrinum. Tamen quis reperietur ab Oriente in Occidentem vsque, qui eum Deo hic & hominibus illudere nesciat. Sed pergamus. Locum quem indicit concilio? Tridentum. Valde est idoneus, siquidem tam fatui erunt Germani, vt in medias lupi fauces vltro se ingerant. Qualis erit cõfessus? Malesiorum*

scilicet, qui ne imaginem quidem boni viri inter se ferre possint. Qualis in cognoscendo equitas aut moderatio? Fortè ad placidam piàmque deliberationem integri, nec ullis præiudicijs occupati accedent. Imò iam dicit causam Freneſius, quæ in disputationem vocatur, iam damnatam esse. Superuacuum ergo foret, in ea discutienda vel horulam consumere. Ne tamen vel morosi nimium vel crudeles appareant, ad audiendum se componēt. I apparitor, proestātes accerse, si quid cupiunt concilio propositum, supplici libello perstringant, ne delicatis sanctorum patrum auribus sint molesti. Auditis supplicum postulatis, ante omnia tentare cōueniet, num summam absque prouocatione potestatem de se suaque doctrina iudicandi sanctis patribus concedant: deinde num omiſſa, quam apud se iam constitutam habent, reformatione, abnegat. ique, quam amplexi sunt, doctrina, fidem ritusque omnes sanctæ Romanæ sedis quasi postliminio suscipere sint parati. In priore si hæsitauerint, schismatici extemplo pronuntiabuntur: secundum si facere recusauerint, iam hæretici erūt. De illorū ergo cōtumacia vindicāda statuandū cōtinuò erit. Quicquā enim attingere nefas erit, nisi Ecclesia in integrū restituta. Interim ergo dū in æstimo bello distinebitur Christianus orbis, ad persequēdos opprimendosque Protestantes, Ecclesiæ reformatio differetur. Neque tamē interea cessabit venerabilis clerus. Flabellis enim multis ad ignem inflammandum passim opus erit. Quòd si in tranquillam possessionem semel redierint, si quis vllam amplius conuocandi concilij mentionem facere audebit: turbator & seditiosus, & vnitatis inimicus vno omnium ore proclamabitur. Certè, auctore Freneſio, ne Imperator quidem ipse impune id tentauerit. Tamen vt Imperatori concilium petenti detur venia, liberum tamen erit Papæ recusare. Repulsam autem passus, vltterius progredi caueat, nisi velit, Vſæ exemplo, arrogantia suæ pœnam luere, aut alio quouis horribili exitio perire. Sed de ordine concilij aliàs si tempus dabitur.

43.

Quis iam miretur, Papam sibi in vniuersum mortalium genus primatum vindicare, cum se Angelorum quoque præsidem hic faciat? Sed reor, ne ambiguitate nominis falsus errauerim, & certe erravi. Quos enim angelos intelligeret, nisi quibus vti consularijs semper assuevit? Ex quibus vnus est ille, qui olim ad perdendum Achab spiritus mendax in ore omnium prophetarum fuit. Si tantum illic potuit vnus, quid hic facient aliquot milia? In hoc tamē iure reprehendi Freneſius potest, qui ad subsellia relegat eos, qui cōsilio supra ipsius tribunal præsidebūt. Neque enim ipse tam magnus est Deus, quin patri mendacijs seruiat. Certè qui magicis diuinationibus se vitamque suam subijcit, diabolo, quem inuocat, minore. n se esse proficitur. Etsi quid profiteatur, non moror, dum quid faciat, video.

44.

Pater est, qualem fuisse Saturnum tradunt Poeta, qui filios scilicet deuoret. Quicumque tamen dicitio non fuerint audientes, eos è numero filiorum Dei abdicat. Sed bene habet, quòd Salmonei sunt, non Dei fulmina.

45.

Hoc primum est, ne qua doctrina, nisi ex tripode Romanæ sedis profecta, recipiatur, quo impetrato, quæ amplius ambigendi causa erit? Proinde quin de examinanda doctrina, de repurgando corrigendoque Ecclesiæ statu agatur, non abnuat, modò id fiat se iudice, & tota controuersia solo suo nutu transigatur. Nec eo contentus, sibi catenus cauet, vt quæ volet ipse cum angelorum suorum cohorte, ea duntaxat in questionem veniant, vt modum actionis præscribat, vt silentium iniungat, quoties libuerit, vt simul atque con-

cre-



crepuerit, omnes contremiscant. Itane? Corruptum Dei cultum, extinctam eius gloriam, vel saltem valde obscuratam, euersum Christi Regnum, pessandam religionem, doctrinam veritatis partim vitiatam, partim sepultam, vastatam miserè ac laceratam Ecclesiam, Sacramenta ad turpem fœdumque quæstum prostituta, animas Christi sanguine redemptas sacrilege nundinationi expostas esse, ministerium vel pastorale munus, quo nihil mundo magis salutare esse debuerat, in exitialem tyrannidem conuersum conqueruntur Protestantes? Horum omnium malorum Papam cum suis ream faciunt, parati sunt digito monstrare, ipsum esse Antichristum. Quod si non probauerint, non calumniæ modo pœnam, sed atrocissima quæque supplicia sustinere non recusant. Tantum audientiam sibi dari coram æquo tribunali postulant, & quidem hac lege, vt causa ex sacro Dei verbo definiatur, neque tamen negligantur vetusta patrum instituta. Quid ad hæc sanctissimus pater? Cognitionem quidem recipit, sed his, quas retuli, legibus. Hoc verò perinde est agere, ac si quis latro de cadibus ac furtis à se perpetratis accusatus, iudiciũ se non recusare dicat, sed hac lege, vt sibi tribunal erigatur, ex quo de sua causa pronuntiet, ne quid se inuito proferatur, ne qua contumelia ledatur, ne quibus vrgeatur testimonijs, sed totam causæ actionem sic temperet, vt scelerum impunitatem citra vllam molestiam sibi confirmet. En cur imperiales conuentus audiendæ huius causæ non sint capaces.

46.

Secundum est de bonis Ecclesiasticis, vt si quid hætenus fuerit in eorum administratione vi ij, si qua illicita vsurpatio, non nisi Papæ iudicio corrigatur. Quis frustra Papam in eo insistere neget? Qualis enim aditus patefieret principibus ad res nouandas, si huc admitterentur? Palàm est, quàm effrenata luxuria diffluent hodie Episcopi, Abbates, & qui ordine sequuntur. Audirent principes opulentiam istam, quæ hodie tam perditè dilapidatur, pauperum esse patrimonium. Quis non insurgeret aduersus eos, si non ipsi priores occuparent, in ordinem se cogendo? Audirent ex antiquis Canonibus, qualis sit & ad quos pertineat dispensatio. Diaconiam illam veterem omnes requirerent. Audirent, neminem esse ex Ecclesia prouentu alendum, nisi qui functioni suæ satisfacit. Clamarent abigendos igitur esse omnes otiosos ventres. Et quotusquisque ex tot legionibus maneret? Quis hodie Episcopus officio fungitur, imò fungi se simulat? Quis parochus? Nam Canonici & alij ad veterem Presbyterij formam reuocarentur. Neque alias tantum Ecclesias peruagaretur profana ista, hoc est, laica, vt loquuntur, correctio, sed ad ipsam Romanam sedem hætenus inaccessam pertingerent. Porrò quid aliud hoc esset, quàm cælum terræ miscere? Indignum verò facinus, vt Deo terreno dicantur viuendi leges, vt eius mensæ sumptus præscribantur, exigatur annuatim ab eo ratio. Neque id modò, sed quæ alijs vel per vim iniustam rapuit, vel fraude furatus est, ab eo extorqueantur. Quin etiam, & quæ imperio pridem ablata quasi iure possidet, restituere: denique rapinas omnes, quas ingurgitauit iam tot annis, euomere cogatur. Quòd si quæ maior vrgeret necessitas, concedi id fortè posset. At nunc cur inuaderent principes alienum munus, cum tam æquæ alioqui ratio hinc à Frenesio præscribatur? Quis enim ad remedium afferendum aptior, quàm cui bene perspectus est morbus? Tollendæ sunt ac repurgandæ corruptelæ, quæ veterem diaconiam prorsus sustulerunt. Quibus potius iniungi hoc onus conuenit, quàm qui malorum omnium non modò penitus sumi conscij, sed etiam

authores? Expeſtemus qualis futura ſit emendatio, ſi ſacerdotibus libera vel agendi, vel ceſſandi poteſtas relinquatur. Non ſic pius Rex Iofias, qui non proventui tantum ad vicium deſtinato, ſed etiam ſacris oblationibus ſcribam ſuum præfecit. Et tamen Freneſium nihil pudet ſacrilegij accuſare imperij ordines, ſi cohibendis ſacrilegijſ ſe interpoſuerint.

47

Quid ſit conceſſum Proteſtantibus, dicere ſuperſedeo: quanquam huc ſumma redit, ne quibus iniuſtis præiudicijs: niſi cauſa ritè cognita & iudicata, ante tempus grauentur. Hoc totum reſcindi iubet ſanctus pater. Durum id quidem, prima ſpecie, ſet ratio ſubèſt. Quid enim ſi ad conſilium integri veniant Proteſtantes, quantum ſanctæ ſedi deceſſerit, vt quaſi de re dubia ineatur diſceptatio? Non abs re ergo èſt, quòd tam ſtrenuè contendit Papa, ne quo priuilegio ſubleuentur. Quid enim aut commodius illi, aut magis expeditum, quam vt damnati illuc pertrahantur, vel poenas luant ſuæ abſentia? Quin ergo illi expediat, non dubium, ſed num etiam æquum ac reſtum ſit, quaritur. Valeat honeſtas, inquit Freneſius, utilitas præualeat. Hoc quidem iure Romano èſt uſitatum, ſed non meminit ſe in Germania loqui, ubi & fidei data religio colitur, & pudoris habetur ratio. Germania, inquam, hoc nouum èſt ac inſolens, reſcindere promiſſa, à fide ſemel data reſilire, nihil habere firmi nec rati, niſi quantum ſit tibi utile. Quòd ſi à communi Germaniæ uſu abhorret, quòd promiſeris, pro nihilo ducere, vt retractes, cum libeat, à Cæſaris perſona quid alienius?

## CONCLUSIO.

**I**nis èſt, vt quicquid cum Proteſtantibus pactus fuerit Imperator, tranſigerit, conſtituerit, irritum ſit ac inane. At fide inter homines nihil ſanctius. Pridè decretum èſt, non eſſe hæreticis ſeruandam fidè, quid ſi interpoſitum ſit inſurandum? Quaſi uerò non ſit pontificium, ſacramento ſoluere, quoties uſum èſt. Ius èſt Imperij perpetuum ac inuolabile, vt promiſſis ſtetur. Quid tum, annon legibus ſuperior èſt Papa? Imò quid illi cum legibus? At maieſtate Cæſaris indignum à decreto diſcedere. Satis èſt, quòd omniſturpitudine Papæ ſanctitate abſtergi ur. At cõfeſſum èſt diploma. Quaſi uerò non omnibus diplomatis abolendis vna Papæ abſolutio ſufficiat. Sic quidem antehac agere ſolebat. Cuius rei in ſigne documentum èſt Ioannes Huſſius, quem Romanenſes fide publica Conſtantiam illectum crudeliter necarunt. Aderat Imperator Sigifmundus, maſueti ingenij princeps, ac minimè ſanguinarius. Cum ſibi ac toti Imperio turpiſſimum duceret, quem in fidem tutelamque ſuam receperat, in conſpectu ſuo, adeoque ex protectionis ſuæ præſidio, à carnifice ad mortem rapi, ac tam barbaræ immanitati pro virili intercederet. compoſitum à ſanctis patribus fuit decretum, non eſſe hæreticis ſeruandam fidem. Quo liberata omni religione fuit Cæſaris conſcientia, eius autem uerecundia & ingenuitas deriſa èſt, quòd ſibi à uiolata aut ſaltem neglectæ fidei probro adhuc metuere: ſed alianunc èſt ætas. Mundus qui tunc cæcus erat, oculos aperuit. Reſidet etiãnum in animis Germanorum tanta fœditatis recordatio, quæ eos ſatis admonet, ne ſe amplius Romanenſium perfidiæ comites adiuuant. Proſertim uerò is èſt Cæſar, qui famam dignitatẽque ſuam, vt Freneſio mancipet, adduci nunquam poterit. Scitur, quoties ad ſeuitiam inſtigatus fuerit

ab

*ab isto Sathana, quibus flabellis fuerit incitatus. Constanter tamen stetit in proposito, ut hæc una sit ex multis eius præclaris & heroicis virtutibus maxime admiratione digna, quòd inter istos Imperij motus, nunquam se aut à moderatione & clementia, aut à fidei suæ religione dimoueri passus fuerit.*

F I N I S.

ARTICVLI A FACVLTATE SACRAE

Theologiæ Parisiensi, determinati super materiis fidei nostræ, hodiè controuersis.

*Cum antidoto.*

H E B R. X I I I.

*Iesus Christus heri & hodie, ipse in secula. Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci.*

*Parisiensium, omnibus in Christo fidelibus, Salutem.*



VM hodie per concionatorum in asserendis dogmatibus altercationem videamus plerosque fidelium, iuxta id quod Ephesiis scribit Paulus, tanquam paruulos fluctuantes ad omnem ventum cuiusuis doctrinae circumferri & agitari: nostra autem interfit, quod in nobis erit, dissidentes opinionum fluctus componere: de sanctissimo Christianissimi Regis proposito abundè persuasi, quidnam circa articulos hodie à plerisque controuersos, & Christianis Doctoribus & concionatoribus prædicandum, & cæteris Christi fidelibus cum vniuersa sit Ecclesia credendum, paucis hoc ordine visum est annotare.

*Quia hæc est magistralis definitio, notandum est quòd probationes non sunt additæ: quia hoc derogaret antiquis scholæ Parisiensis priuilegijs. Sed propter quosdam nimis curiosos, qui nihil hodiè credere volunt, nisi bene probatum: ego de superabundanti aliquid hîc transiuntem dicam pro confirmatione, siue, pro supplemento determinationis superscriptæ & infrascriptæ. Principio locus ab autoritate plurimum valere debet in Ecclesia. Quamquam autem magistri nostri deficiunt in Scripturæ testimonijs: compensant tamen hunc defectum in alia autoritate quam habent: Ecclesiæ scilicet quæ æquipollet Scripturis: vel etiam secundum Doctores præualet in certitudine. Quòd autem magistri nostri in vnum congregati sint Ecclesiæ: probatur sic, quia sunt sicut arca Noe. Est enim ibi multitudo ex omni genere animalium. Deinde cum in schola Pythagoræ tantum vnius hominis valuerit autoritas, vt ad probationem sufficeret illud, ipse dixit, quanto magis sufficere debet, quod tot magistri nostri simul vna voce dixerunt: Præsertim cum antè resolutionem factam cantata sit illis bassa Missa de Spiritu sancto. Et cum ex parte fuerint illuminati post ientaculum, ex parte verò ælofi propter choleram in ieiunio stomacho dominantem.*

#### ARTICVLVS I.

*De Baptismo.*

Certa & firma fide credendum est Baptisma omnibus etiam paruulis ad salutem necessarium esse: ac per ipsum dari gratiam Spiritus sancti.

*Probatum sic: Quia aliàs Baptisma per mulieres datum, nihil valeret, quod est expressè fundatum in hac fide, quia Baptismus sit de necessitate salutis: Vt cumque sit prohibitum in Concilio Carthaginensi, quòd mulieres baptizare*



Vm vetat Apostolus nos similes esse pueris, qui fluctuamus, & circumferamur quouis vento doctrinæ: rationem simul, quæ  
 Eph. 4.  
 possit hoc cauere, præscribit: vt coalescamus omnes in vnitatem fidei: quam agnitionem Filij Dei esse definit. Porro fidem alibi idem testatur concipi ex verbo Dei. Quæ ratione, alio quoque loco, fideles superstrui debere docet, super  
 Rom. 10.  
 fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Et Colossenses hortatur, vt permaneant in fide fundati ac stabiles: neque dimoueri se patiantur à spe Euangelij, quod audierant. Vnde & à Luca meritò laudantur Thessalonicenses, qui cum amplexi essent magna promptitudine Pauli doctrinam, eam tam  
 Acto. 17.  
 men ad Scripturæ examen exigebant. Neque verò aliter stare potest, quod idem Paulus atibi tradit, fidem nostram non in sapientia hominum consistere, sed in potentia Dei, nisi à solo Deo pendeamus. Sicut scriptum est: Audite me: & viuet  
 1. Cor. 3.  
 anima vestra. Atque hoc est quod præcipit Dominus per Ieremiam: Propheta, Ier. 1. 3.  
 cui reuelauit sermonem, annuntiet sermonem meum bona fide. Item per Petrum: 1. Pet. 4.  
 Si quis loquitur, loquatur vt eloquia Dei. Proinde si quid controuersiarum incidit, non hominum arbitrio transigi aut decidi, sed vna Dei authoritate componi, æquum est. Atque hoc significat Paulus, cum aduersus Sathanam non alio nos  
 Eph. 6.  
 gladio armat, quàm verbo Domini. Hoc quoque ipsum suo exemplo nobis ostendit Christus: cum à Sathana impetatus, non aliud ad resistendum opposuit, quàm  
 Mar. 4.  
 Scripturæ testimonia. Alioqui non verum esset elogium, quo eam Paulus commendat, cum vtilem esse testatur, non addocendum modò, & ad monendum, sed  
 2. Tim. 3.  
 etiam ad redarguendum. Ergo cum nunc opinionum varietate tumultuetur mundus, hoc vnicò remedio nobis vtendum est. Ad Scripturam dico, vel, vt ait Iesaias, ad Legem & testimonium, tanquam ad sacram ancoram, confugiendum, vt secundum  
 Ies. 8.  
 Apostoli præceptum, vnum sentiamus omnes, sed in Christo. Præclare enim Augustinus, vbi de re obscura disputatur, non adiuantibus Scripturæ diuinae certis clarisque testimonijs, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens alteram in partem declinando. Itaque in quæstionibus hodiè controuersis sequamur regulam, quam teste Theodorico Constantinus in Synodo Nicena Episcopus dedit, vt ex puris Dei oraculis earum petamus definitionem.

## AD I.

Offerri nobis in Baptismo, ac exhiberi tum remissionem peccatorum, tum Spiritus sancti gratiam, p̄ omnes confitentur. Eo quoque agnoscunt opus habere infantes: non tanquam adiumento ad salutem necessario, sed tanquam sigillo, ad obsignandam in illis adoptionis gratiam, diuinitus ordinato. Sanctos enim fidelium liberos nasci tradit Paulus. Et sanè nequaquam illis conueniret Baptismus, nisi iam in hac promissione salus eorum inclusa esset: Ero Deus tuus, & Deus seminis tui. Non enim filij Dei per Baptismum fiunt. Sed quia promissionis beneficio hæredes sunt adoptionis, ideo ad Baptismum eos admittit Ecclesia. Et sicut olim Israelitarum liberis, si ante diem octauum mortui essent, nihil nocebat, quòd Circumcisionis Sacramento carerent, ita hodie, modo nullæ, aut contumacia parentum, aut negligentia intercedat, sufficit infantibus fidelium ad salutem sola promissio.

1. Cor. 7.  
Gen. 17.

non præsumant, sine aliqua exceptione. Imò quod est fortius, ventilatur ardua quæstio inter Doctores, vtrum infans in periculo mortis, si non adsit aqua, debeat potius proijci in puteum, quàm commendari Deo cum expectatione euentus. Hoc autem esset homicidium dignum morte, nisi diceretur quòd Baptisma sit de necessitate salutis. Sunt etiam aliæ quæstiones, vtrum infans, in defectu aquæ naturalis, debeat potius baptizari cum lotio, vel cum aquis artificialibus, aliàs stulticijs, quàm relinqui sic, donec habeatur aqua. Item, vtrum non sit verus Baptismus, conspuere super faciem, in casu necessitatis. Quæ omnes quæstiones non tantum esset superuacua, sed etiam stulta, nisi teneremus hoc principium.

## ARTICVLVS II.

## De libero Arbitrio.

Eadem fidei constantia est tenendum, homini inesse liberum arbitrium, quo potest bene vel male agere, & per quod, si etiam in peccato mortali fuerit, Deo adiuuante, ad gratiam resurgere valet.

Probatur sic. Quia magistri nostri sic determinarunt post Aristotelem & omnes Philosophos, qui rationem in homine dominam constituunt loco Spiritus sancti. Et hoc etiam est fundatum in ratione inuincibili: quia aliàs non esset meritum, quod est opus elicitum ex potentia liberi arbitrij, concurrente Dei gratia. Et nisi voluntas esset effectiua voluntionis, non bene staret ordo mouentium & motorum. Præterea non essemus cooperatores Dei in facienda salute nostra, nisi concurreyent motus & actio voluntatis, cum auxilio gratiæ. Nam quòd Lutherani dicunt, ipsam cooperationem esse ex dono Dei, quia voluntas sit reformata vt consentiat Deo, & adducunt pro se Scripturam, & formalia verba Augustini, qui dicit in principio libri De bono perseuerantia, quòd Deus dat talem gratiam suam, vt sibi perseueranter adherant. Item in libro De correptione & gratia, vbi dicit, dari nobis gratiam, qua non tantum possumus, sed etiam velimus, idque efficaciter. Item, gratia Dei indeclinabiliter & inseparabiliter agi fideles. Responso est facilis, quòd determinatio facultatis, est supra opinionem vnius Doctoris, iuxta illud: Plus vident oculi, quàm oculus. Similiter quòd aduersus fundamentale principium, quod posui, scilicet meritum esse effectum potentiæ liberi arbitrij, adducunt aliud dictum Augustini: quòd gratia sanctis est omne meritum. Solutio est, Augustinum nesciuisse quid magistri nostri super hoc resolutiue dicturi essent.

## ARTICVLVS III.

## De Pœnitentia.

Nec minus certum est adultis, & ratione vtentibus, post peccatum mortale admissum necessariam esse pœnitentiam: quæ

missio, qua in societatem Ecclesie ab utero adoptantur. Fit enim Christo iniuria, si imminutam Dei gratiam eius aduentu putemus. Atqui filios suos vocabat Deus olim, quicumque ex Israele nascerentur. Nec legimus baptizatum fuisse Ioannem, qui tamen alius Baptismi minister erat. Sic ergo habendum est quemadmodum in patre fidelium Abraham precessit iustitia fidei Circumcisionem, ita in fidelium liberis hodie Baptismo priorem esse adoptionis gratiam, sicut promissionis verba sonant: Ero Deus seminis tui. Huius autem gratiæ Baptismum esse confirmationem, ut fidei nostræ adiumentum.

Eze. 17.

AD II.

Cum omne fragmentum humani cordis ab infantia malum esse pronuntiet Dei Spiritus: cum nullum esse iustum, nullum intelligentem, nullum qui Deum exquirat, omnes verò esse inutiles, corruptos, vacuos timore Dei, plenos fraude, amarulentia, & omni nequitia genere, destitutos gloria Dei tradat: cum omnem sensum carnis inimicitiam esse aduersus Deum clamet: nec quicquam nobis faciat reliquum, ne ad bene cogitandum quidem: nos cum Augustino pronuntiamus, hominem libero arbitrio male usum & se, & illud perdidisse. Item, victa vitio in quod cecidit voluntate, carere libertate naturam. Item, non esse liberam voluntatem, quæ cupiditatibus vincitibus ac vincientibus subdita sit. Item cum Ambrosio, non esse in potestate nostra cor nostrum, nec cogitationes nostras. Similiter cum opus suum esse testetur Deus, innouare cor, ex lapideo facere carneum, inscribere Legem suam cordibus, & visceribus nostris eam insculpere, facere ut in præceptis suis ambulemus, dare & bonam voluntatem & operis effectum, ponere in cordibus nostris timorem nominis sui, ne vnquam à se recedamus, perficere denique opus bonum quod incepit in nobis, usque in diem Christi: Constituumus iterum cum Augustino agi filios Dei eius Spiritu, ut quod agendum est agant. Item trahi ab eo, ut volentes ex nolentibus fiant: item, post casum hominis non nisi ad Dei gratiam pertinere, ut homo ad eum accedat, nec pertinere nisi ad eandem gratiam, ut ab eo non recedat. Item, nos nescire quid in voluntate nostra boni inueniri possit quod sit nostrum. Item, quia liberum arbitrium primi peccati magnitudine perdidimus, ut in Deum credamus & pie viuamus: non esse volentis, neque currentis, non quia non velle debeamus & currere, sed quia Deus vtrunque efficit. Item cum Cipriano in nullo esse gloriandum, quando nihil nostrum sit.

Gen. 6.3.  
Psal. 13.  
Rom. 3.  
Rom. 8.  
2. Cor. 3.  
Lib. 3. ad Bonif.  
Homil. in Ioan. 53.  
De fuga seculi.  
Psal. 51.  
Eze. 36.  
Iere. 13.  
Philip. 2. Iere. 32.  
Eze. 11.  
Philip. 1.  
De corr. & gratia C. 2.  
Lib. 1. ad Bon. c. 19  
De bono per. c. 7.  
Lib. de pe mer. & remiss. 2. cap. 18.  
Epist. 107 ad vita.  
Sepe cita. ab Augu.

AD III.

Pœnitentiam ubique requirit à nobis Dei Spiritus: in Lege, in Prophetis, in Evangelio: simul etiam definit, quid hoc nomine intelligat: dicit in iubet innouari corda, circumcidi Domino, auferri præputium, lauare, & cessare à malis studijs, soluere fasciculum iniquitatis intus ligatum, scindere corda & non vestimenta, exuere veterem hominem, renuntiare proprijs desyderijs & renouari in imaginem Dei. Præterea, fructus etiam pœnitentiæ commemorat, charitatis officia, & exercitia pia ac sanctæ vitæ. De confessione ad aurem Sacerdotis faciendâ, nullamquam mentio. De satisfactione multo minus. Quinctiâ constat ante Innocentium

Eze. 18.  
Iere. 4.  
Iesai. 58.  
Ioel. 2.  
Rom. 6.  
Coloss. 3.  
Eph. 4.  
Iesai. 58.  
Eph. 4.  
Colo. 3.

in contritione & confessione sacramentali vocaliter Sacerdoti facienda, similiter & satisfactione consistit.

Notandum est quod Lutherani non loquuntur doctrinaliter de pœnitentia, quando dicunt quod sit conuersio ad Deum, quæ nascatur ex odio & displicentia peccati, & amore iustitiæ. Item, quod homo debet abnegare propriam voluntatem, vt à Deo gubernetur. Item, quod habet humiliari sentiendo iram Dei & horrores mortis. Nam sufficit contritio pro peccatis mortalibus: ita, vt sint pro singulis peccatis singulæ contritiones ad mensuram. Quantum verò pertinet ad confessionem, notandum est, quod materia sit de iure diuino: forma autem de iure positiuo: in quo non tantùm Lutherani errant, sed etiam Canonistæ, qui tenent legem de confessione esse merè positiuam. Probatum autem sic, quod materia sit de iure diuino: quia dicit Iacobus, Cōfitemini alterutrum. Hæc est rudis materia: quia nisi ab extra formaretur, sequeretur quod Sacerdotes deberent confiteri laicis: quoniam alterutrum significat reciprocè: vel quod laici non essent capaces ad confitendum: quia non possent audire aliorum confessiones: sed forma superaddita fuit per Innocentium Papam, quod hoc deberet fieri proprio Sacerdoti. Hæc est magistralis distinctio totius scholæ. Quod autem oporteat satisfacere Deo: probatur sic: Quia aliàs nihil esset, quod dicitur de operibus supererogationis. Deinde falsum esset quod tenet schola, de remissione culpæ & retentione pœnæ. Et ita haberent Lutherani quod volunt, nos nihil posse facere quod non debeamus Deo. Item, Deo nos reconciliari gratis, per satisfactionem Christi. Nunquam autem debeamus hoc illis concedere, quia trahit nimis longam caudam, sicut infra videbitur, in tantum quod non esset amplius Purgatorium.

## ARTICVLVS IIII.

## De iustitia operum.

Ad hæc peccatorem non sola fide, sed & bonis operibus iustificari: quæ adeò necessaria sunt, vt sine illis nemo adultus vitam consequatur æternam.

Probatum sic. Primū ratione philosophica, quia iustitia est qualitas, ideo nullus est iustus extra se, sed propter quantitatem operum. Item, eadem ratio partis quoad partē, qua totius quoad totum. Sed perfectia obedientia Legis est iustitia. Ergo partialis obedientia est portio iustitiæ. Quod autem Lutherani ponunt iustificationem fidei in prædicamento relationis, dicentes quod idcō iusti sumus, quia Deus habeat nos gratos in Christo, secundum quod Paulus docet ad Eph. Illud est contra omnem rationem philosophiæ. Item, quod negant illud principium de proportionem totius & partis in hac materia valere: quia Deus non promittat mercedem, nisi implentibus Legem suam: & maledictos pronuntiet, qui transgrediuntur in aliquo. Dico, quod contra negantem principia, non est arguendū. Item, nos habemus pro nobis vnā aliam demonstrationem. Contrariorum eadem est disciplina: sed nos damnatur propter mala opera: ergo iustificamur propter bona. Quod autem Lutherani replicant, vnum solum malum opus sufficere ad damnationem,



tertium, nullam confitendi necessitatem impositam fuisse Christiano populo. Ex-  
 rat enim decretum eius, factum in Concilio Lateranensi. Ergo per annos mille cir-  
 citer & ducentos incognita fuit Christianæ Ecclesie hæc theologia, quòd ad pœni-  
 tentiam necessariò requiratur vocalis confessio. Et clara sunt verba Chrysoſtomi:  
 Non dico, vt conseruo tuo confitearis: dicito Domino. Item: Non est necesse co-  
 ram testibus confiteri. Cogitatione fiat delictorum exquisitio: sine teste sit hoc iudi-  
 cium: solus Deus te confitentem videat. Item: Non te voco in hominum theatru.  
 Ostende Deo optimo medico tua vulnera, qui ea curet. Confitendi quidem mo-  
 rem non nego verustissimum esse. Sed dico fuisse liberum, sicut Sozomenus re-  
 fert in historia Ecclesiastica, qui etiam abolitum fuisse Constantinopoli testis  
 est, quòd sub hoc prætextu matrona quadam depræhensa fuisset cum Diacono rem  
 habere. Quòd autem pauci tantum confiterentur, ex eo apparet, quòd vnum tan-  
 tum Presbyterum, in vnoquoque Episcopatu, ad eam rem destinatum fuisse narrat.  
 Vnde etiam colligere promptum est, hunc morem ex solenni publicæ pœnitentiæ  
 ritu fuisse natum. Pœnitentiæ verò publica, non Deum in foro conscientia respicit,  
 sed ad Ecclesie iudicium spectat. Vt peccator coram hominibus profiteatur a-  
 liquo signo, quid animi, coram Deo, habeat. Quòd ad satisfactiones pertinet, Scri-  
 ptura hanc laudem Christo in solidum vindicat, quòd sit expiatio pro peccatis,  
 quòd correctio pacis nostræ sit super eum, quòd per solum eius nomen, obtinenda  
 sit peccatorum remissio. Quantum ad nos gratuitè, & sine operibus impleri, testa-  
 tur Paulus, in nobis hanc beatitudinem, quòd nobis non imputentur peccata. Satis-  
 factiones autem quas in pœnitentiæ testimonium Ecclesia à peccatoribus exigit,  
 non improbamus.

Decr.  
 Omnis.  
 vtriusque  
 sexus.  
 Homil. 2.  
 in ipal. 50.  
 sermo de  
 peni. & cõ  
 fe Homil  
 5. cont.  
 Anomæ.  
 Nomil. 4  
 de Lazaro

Trip. hist.  
 Libr. 9.

1. Ioan. 3.  
 Ictã. 33.  
 Acto. 10.  
 Rom. 4.

## AD IIII.

Hæc sunt Pauli verba: Si ex Lege hereditas, exinanita est fides, & abo-  
 lita promissio. Ideo ex fide datur, vt secundum gratiam firma sit promissio. Dixe-  
 rat autem prius, absque Lege manifestatam esse iustitiam Dei per fidem Christi  
 in omnes & super omnes qui credunt. Item, destitui omnes gloria Dei, iustifica-  
 ri autem gratis per illius gratiam. Nunc coniunge quod postea ipse scribit: Si per  
 gratiam, iam non ex operibus. Si ex operibus: ergo non per gratiam. Ratio est, si-  
 cut alio loco docet: Quia merces operanti non imputetur secundum gratiam, sed se-  
 cundum debitum. Eandem sententiam repetit ad Ephesios: Gratia estis saluati,  
 non ex operibus, ne quis glorietur. Quid aut his verbis significet, exponit ad Rom.  
 inquit: Quemadmodum & Dauid beatitudinem definit hominis, cui Deus im-  
 putat iustitiam, absque operibus Legis, Beati quorum remissæ sunt iniquitates. I-  
 tem ad Cor. Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans homi-  
 nibus peccata. Eum enim qui peccatum nõ nouerat, pro nobis peccatum fecit, vt ef-  
 ficeremur iustitia Dei in illo. Videmus, vt doceat Deum iustificare homines, re-  
 mittendo illis peccata. Vnde & Zacharias hanc salutis scientiam nominat. Quod  
 autem de Lege ceremoniali vulgò has omnes sententias intelligunt, friuolum  
 est, quia vbiq; propriam hominis iustitiam fidei iustitiæ opponit: sicut ad Roma-  
 nos: Volentes propriam iustitiam statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Et ra-  
 tionè subneclit, quia Lex dicat: Qui fecerit hæc, viuet in ipsis. Sicut etiã ad Gal.

Rom. 4.  
 Rom. 1.

Rom. 3.  
 Rom. 11.  
 Rom. 4.

Ephe 2.

Rom. 3.  
 2. Cor. 5.

Luc. 1.

Rom. 10

Galat. 3.

nem, sed ad salutem requiri perfectionem iustitiæ. Respondeo, quòd sufficit nos pro parte iustificari operibus, vt supra. Nam quòd Paulus dicit, Stipendium peccati, mors: gratia autem Domini, vita æterna: supplendum est in secundo membro, Cum meritis operum. Sequitur etiam alia demonstratio, quia merces & meritum sunt correlatiua. Sed Deus promittit nobis mercedem pro bonis operibus. Ergo opera merentur vitam æternam. Et per consequens iustificant hominem. Quòd autem Lutherani derident hoc argumentum, quia dicunt opera ideo remunerari à Deo, quia accepta sint illi postquam gratis iustificauit hominẽ: & ideo dicunt hoc præmium pendere à gratuita acceptatione, & propterea debere subordinari iustitiæ fidei, tanquam effectum causæ suæ. Respondeo, quòd hic modus argumentandi semper fuit prædicatus. Et ideo est authenticus per lōgam consuetudinem: quòd si Deus remuneratur opera, ergo iustificant.

## ARTICVLVS V.

De transubstantiatione panis in corpus.

Quilibet Christianus tenetur credere, in consecratione Eucharistiæ panem & vinum conuerti in verum Christi corpus & sanguinem, remanētibus tantum panis & vini speciebus, sub quibus realiter verum Christi corpus continetur, quòd ex virgine natum est & in cruce passum.

Probat. sic. Quia est resolutiua conclusio generalis Concilij, quòd habitũ est ab Hildebrando, aliàs Gregorio septimo. Quòd autẽ Lutherani deridẽt factum Gregorij, allegantes quendam Brenonem Cardinalem, qui fuit eius contemporaneus, dicentem quòd ipse indixerit triduanum ieiunium, & iusserit fieri processionem solennem, vt haberet signum è cælo pro certitudine eius rei: & tamen sine aliqua reuelatione concluderit, tenendum pro articulo fidei, de quo erat incertus. Respondeo, illum Cardinalem fuisse Papæ inuidum: & ideo ex malo animo scripsisse. Præterea Ambrosius hoc dicit in libro De Sacramentis. Nam quòd Lutherani librum illum ineptum vocant, & indignum Ambrosio, & Erasmus etiam id demonstrat multis rationibus. Respondeo, satis esse, quòd nomen Ambrosii fuerit ibi diu immatriculatum: & quòd magister Sententiarum sic allegat pro certo: cuius citationes debent haberi authenticæ. Quòd autem Lutherani Scripturam pro se adducunt, facilis est solutio, de virga Moysi. Difficilius est solvere loca quæ allegant ex Patribus: nisi quòd Patres loquuti sunt ante determinationem Concilij. Nunc autem sic non licet. Intelligas tamen, quòd si contingeret Sacramentum rodi à vermibus aut tineis, aut alio modo corrumpi, tunc esset substantia panis, quæ miraculose rediret.

## ARTICVLVS VI.

De sacrificio Missæ.

Sacrificium Missæ est ex Christi institutione valens pro viuis & mortuis.

utitur hoc argumento: Iustus ex fide uiuet. Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit hæc, uiuet in ipsis. Christus autem redemit nos à maledictione Legis, ut promissio Abraham facta impleretur in nobis per fidem. Item ad Philip. Non habens meam iustitiam ex Lege, sed eam quæ ex Deo est per fidem Christi. Constituimus ergo cum Augustino, non secundum merita nostra, sed secundum Dei misericordiam firmam esse promissionem salutis. Item cum Bernardo, meritum omne nostrum esse miserationes Domini: vel, ut clarius loquamur, concludimus, post Basilium Magnum, hanc esse perfectam & integram gloriationem in Deo, quædo propriæ iustitiæ inopes nos agnoscimus: sola autem fide in Christum iustificari: sicut Paulus gloriatur, ob iustitiæ propriæ contemptum, ut ita cadat omnis superbia & altitudo, dum nihil homini reliquum fit ad iactantiam.

Philip. 3.

Aug. in pf. 88, tract. 1.  
Bern. ser. 6. super. cant.  
Basil. Ser. de humil.

AD V.

Natura Sacramenti est, ut sub visibili signo exhibeatur nobis inuisibilis veritas. Iam verò si fallax fuerit signum, quid de re figurata sentiendum nobis erit? Hanc proportionem rei cum signo indicauit Paulus his verbis: Vnus panis, & numerum corpus sumus omnes qui de pane vno participamus. Ergo ut ex Cæna discamus carnem Christi esse animæ nostræ cibum, necesse est panem illic proponi, qui eius rei imaginem demonstrat, sicut idem Paulus loquitur: Panis quem frangimus, communicatio est corporis Christi. Quòd si tantum inanis species panis illic appareat, & non substantia, perit vis & efficacia Sacramenti. In hunc quoque modum loquuntur omnes sancti Patres. Irenæus: Quemadmodum qui est à terra panis, percipiens vocationem Domini, non iam communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cælesti. Et Canon Nicenæ Synodi sic habet: Ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum: sed eleuata mente fide consideremus in sancta illa mensa Agnum Dei. Cyprianus: Quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portat, indicat adunatum. Et quando sanguinem suum vinum appellat, de botris atque acinis expressum, gregem item nostrum significat commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Sic etiam Fulgentius Sacramentum panis & calicis nuncupat. Denique, sicut ait Augustinus, Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quas figurant, non haberent, utique Sacramenta non essent. Vnde & panem in Christi corpore sanctificatum vocarunt aliqui ex Patribus. Ipsa autem corporis Domini exhibitio qualis sit, ex Augustino discere licet, cuius verba sunt: Noli dubitare ibi nunc esse hominem Christum, vnde venturus est eadem visibili forma atque substantia, qua visus est ascendere: cui profectio immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Cauendum est enim, ne sic diuinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Hæc cò spectant, non ut putemus inane symbolum nobis offerri, sed ut dum volumus Christum recipere, sicut re ipsa nobis datur, sursum corda erigamus.

1. Cor. 10.

Ibidem.

Lib. 4. ad uer. valen.

In Epi ad magnum.

Fulg. ad mony. Epist. 23. ad Boni.

In epi. ad dard. 57.

AD VI.

Institutio Christi sic habet: Accipite & manducate, non autem offerite. Ergo sacrificium non ex instituto Christi est, sed palàm cum eo pugnat. Præterea

Mat. 26.  
Marc. 14.  
Luc. 22.  
1. Cor. 11.

℞ 3. con-

Probatur sic. Quia Christus dicit: Hoc facite. Facere autem est sacrificare, iuxta illud Verg. Cum faciam vitula pro frugibus ipse venito. De qua significatione vide Macrobius. Quod autem Lutherani derident istam subtilitatem: quia Christus loquebatur cum Apostolis lingua Syriaca vel Hebraica vulgari, & Euangelista Græcè scripserunt. Ad hoc responde, quod communis translatio Latina præpoderat. Et notum est quod sensus Scripturæ peti debet ex Ecclesiæ determinatione. De valore autem sacrificij pro viuis & mortuis, habemus approbationem ab experientia. Nam multæ visiones factæ sunt quibusdam sanctis Monachis dormientibus: quod animæ per Missas liberatæ fuerant de Purgatorio. Imò sanctus Gregorius animam Traiani redemit ex inferno.

## ARTICVLVS VII.

De communione sub vna specie.

Non est laicis ad salutem necessaria communio sub vtraque specie: rectèque certis ac iustis de causis olim ab Ecclesia sancitum est, vt illis sub vna tantum panis specie communicetur.

Probatur sic. Quia periculum esset, ne sanguis effunderetur. Quod autem interrogant Lutherani, vtrum sapientior fuerit Ecclesia Christo ad præuidendum hoc inconueniens quod Christus non bene cauerat: Respondeo, quod Christus bene præuidit, sed tacuit: quia volebat experiri sapientiam Ecclesiæ suæ in hac parte. Est etiam alterum inconueniens. Quia debet asseruari in ciborio corpus Domini ad dandum egrotis. Si autem sanguis seruetur, fieret acetum: & ita propter corruptionem non esset amplius sanguis. Imò Lutherani nos deriderent, dicentes: Nonne bene videtur quod est ibi vinum. Et i a hoc esset contra opinionem transubstantiationis. Tertio, hoc est rationale, quod Sacerdotes habeant aliquod priuilegium ad deprimendam laicorum superbiam. Quarto, hoc etiam valet ad probandam opinionem de concomitantia: quicquid garriant Lutherani, quod debemus sequi & seruare Christi dispensationem, quam ipse pro nostra infirmitate instituit. Item, esset aliud periculum si sanguis ad bibendum daretur: quia sapor posset generare suspitionem laicis, quod esset ibi vinum. Et inde multa scandala orirentur. Quod si arguatur, Ecclesiam non habere potestatem dispensandi super Christi præcepta: Respondeo, quod verbum Bibite, debet accipi in modo hortandi: ita erit consilium, & non præceptum. Vix audeo allegare vnum, quod tamen est valde pöderandum. Nam sunt aliqui abstemij qui vinum non bibunt, qui tamen non essent priuandi altera specie. Ego autem differebam hoc adducere, quia Lutherani subsannant, dicentes, quod si opinio nostra est vera, non est amplius vinum, sed sanguis.

## ARTICVLVS VIII.

De intentione consecrandi.

Porro, solis sacerdotibus, secundum Ecclesiæ ritum ordinatis,

constat ex scripturis, hoc peculiare, ac proprium fuisse Christi officium, seipsum offerre, sicut dicit Apostolus, ipsum vna oblatione in perpetuum sanctificasse. Hebr. 9. & 10. Item semel apparuisse per oblationem sui. Item hac sanctificatione perfectam nullam amplius restare oblationem. Nam & in hunc finem consecratus fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sine successore, vel socio. Sacerdotij itaque honore spoliatur Christus, cum ius ipsum offerendi transfertur ad alios. Hebr. 5. & 7. Postremo nemo usurpare debet hunc honorem, nisi à Deo vocatus, teste Apostolo. Nemo autem præter Christum vocatus legitur. Rursum cum promissio ad eos solos destinetur, qui sacramento communicant: quo iure ad mortuos pertinebit?

## A D. VII.

Mandatum est Christi: Bibite omnes. Quinetiam cum de pane simpliciter dixisset, Accipite, manducate, cum ad calicem ventum est, iubet nominatim vt omnes bibant. Hoc se Paulus tradidisse Corinthijs, sicut acceperat à Domino, testatur. 1. Cor. 11. Ratio quæ adduci solet de cõcomitantia, locum hic nõ habet. Neque enim quid nobis det Christus intueri solum conuenit, sed etiam qualiter: aut, si manus, modus iusticiendus est, quo Dominus seipsum nobis vult communicare. Quemadmodum ergo sub pane dat nobis corpus, ita etiam sub calice sanguinem. Proinde nihil nobis aliud restat, nisi vt obediamus eius mandato, ex eius manu sumendo signa qua porrigit nobis, vt rerum veritate fruamur. Nam quia corporei sumus, quæ à modo Chrysostomus admonet, sub visibilibus, pro capto moduli nostri, spirituaui nobis dispensat. Hic ritus obseruatus fuit in Ecclesia ultra annos mille, sicut testatur omnium patrum scripta. Caro, inquit Tertullianus, corpore & sanguine Christi pascitur, vt anima de Deo saginetur. Et Theodoritus verba Ambrosii refert ad Theodosium Imperatorem. Quomodo huiusmodi manibus sacrum Domini corpus suscipies? qua audacia poculum preciosi sanguinis ori tuo admouebis? Hieronymus: Sacerdotes qui Eucharistiam faciunt, & sanguinem Domini populo distribuunt. Item Chrysostomus: Non sicut in veteri lege partem comedebat sacerdos, partem verò populus: sed ea quæ sunt Eucharistiæ communia sunt omnia inter sacerdotem & populum. Omnibus vnum corpus proponitur & calix vnus. Sed de obseruatione non est controuersia: quam omnes talem fuisse fatentur. Quod autem sic fieri omnino oportere censuerint constat ex decreto Gelasu, qui arceri iubet à toto sacramento, qui à calice abstinēt. quoniam diuisio huius mysterij, inquit, grandi sacrilegio non careat. Cyprianus verò fortiter contendit, nullo modo admittendum esse hoc sacrilegium. Homi. 60 ad popul. De Reur carnis. L. 3. eccl. hist. c. 8. In sopho. In 2. ad Cor. c. 9. Refert tu ena. Com perimus. de confec. dilt. 2. Epist. de lapsis.

## A D VIII.

Sacerdotes fatemur dispensatores esse mysteriorum Dei: id è que legitimos, 1. ad Co. 4. Censæ ministros: sed ordinatos Christi & Apostolorum ritu, atque etiam veteris Ecclesiæ: in qua sola impositio manuum vsitata erat, sine vnctione, & alijs nugis. Quamquam in ordinatione finis potissimum spectandus est, atque officium cui destinantur sacerdotes. Constitui porrò, ex Dei mandato & regula Scripturæ debent, non ad immolandum: sed ad regendam Ecclesiam, pascendumque gregem Acto. 13. 1. Tim. 4. 2. Tim. 1.

ris, data est à Christo potestas consecrandi verum Christi corpus, & in foro pœnitentiæ à peccatis absoluendi.

*Probatur sic.* Quia hæc verba per episcopum in ordine dando proferuntur. *Damus tibi potestatem consecrandi, & offerendi Deo placabiles hostias. Sed queritur de quò Ecclesiæ ritu, magistri nostri intelligant: cum ceremonia quibus vti mur, non fuerint factæ in Apostolis, nec in eorum coequalibus. Ad hoc Respondeo, quòd priuilegium fuit illis datum per specialem dispensationem. Si quis autem replicet de successoribus, qui etiam per multos annos non fuerunt vncti, nec ordinati nostro more aut forma, dico quòd illud totum tempus debet relinqui in dubio, & bene meretur, quia non erat adhuc conclusum de transubstantiatione.*

#### ARTICVLVS. IX.

*De intentione consecrandi.*

Quos certum est, etiam si mali fuerint, & in peccato mortali, consecrare verum Christi corpus, siquidem illud consecrare intendant.

*Probatur sic.* Quoniam aliàs superuacua, imò irrationabilis esset cautio, quòd sacramentum adorari à laicis fide implicita debet, hoc est sub ista conditione: si sacerdos celebrans missam habuerit intentionem consecrandi, non tantum habitualement, sed etiam actualiter, & in ipso actu. Sed opponitur contra, quòd ita sacerdos posset annihilare sacramentum. Ad hoc respondeo, quòd non est sacramentum, vbi non est intentio. *Probatur secundò.* Quia superuacua, imò etiam stultæ essent quæstiones doctorum: si sint centum hostiæ, cum vna: & sacerdos non intendat consecrare nisi centum, quid iuris tunc esset? & vtrum vna non remaneat panis. Item, quæ ex omnibus debeat illo casu separari pro pane, vel potius, vtrum: quia fuit abusiuâ intentio, fuerit inefficax similiter in omnibus: & oporteat iterum incipere. Quòd autem Lutherani dicunt debere clare & alta voce pronuntiarî verba, hoc nihil est, quia magis conuenit dignitati mysterij bassa voce recitare.

#### ARTICVLVS. X.

*De confirmatione & vnctione.*

Cæterum confirmatio & vnctio extrema duo sunt sacramenta à Christo instituta: per quæ datur gratia spiritus sancti.

Refert. de  
consecra.  
dist. 5. Ca  
vt ieiunii.

*Probatur sic.* Quoniam aliter blasphemaret concilium Aurelianense, quando dicit, quòd nunquam erit Christianus plenus, qui consecratione episcopali non fuerit chrismatus. Item blasphemaret Melchiades Papa, cum dicit, quòd baptismo regeneramur ad vitam, in confirmatione armamur ad pugnam. Multo etiã magis cum dicit, maiore veneratione venerandum, & tenendum hoc sacramentum, quàm baptismi. Sed est vna alia probatio peremptoria, quòd nihil fit in Ecclesia maiori pompa nec sollemnitate, quàm sancti chrismatis consecratio. Vnde apparet, quòd tam extrema vnctio, quàm confirmatio, in maximo honore haberi debent: nec reuocari in dubium, quasi sint ex hominum inuentione.

Ar-

verbo Domini, & sacramenta administranda. De absoluendi potestate sic habendum est, datum quidem ministerium reconciliationis veris pastoribus, ut sua doctrina, hoc est Evangelij prædicatione, homines reducendo cum Deo in gratiam, à peccatis absoluant. Hoc tamen non alligatum esse personis, sed verbo: adeoque verbo potius quam hominibus esse datum, ut à quocunque proferatur gratia remissio, certam absolutionem in foro conscientie adferat. Tametsi enim peculiariter Apostolis dicitur: Quorum remisistis peccata, remittentur, tamen claves uniuersæ Ecclesiæ datas esse agnoscunt sancti patres, nominatim Cyprianus & Augustinus, quibus alij assentiuntur. Nam remissio peccatorum in Christo, per quemcunque annuntietur, vera est absolutio.

1. Cor. 4.

Ioan. 21.  
De simpl  
praelato.  
Hom. 50  
& 124. in  
Ioan. item  
de dectr.  
Christ. Li  
1. Cap. 18.

AD IX.

Christus non vni dicit: Si volueris, habebis corpus meum & alijs dabis: sed suos simul omnes alloquitur, cum promittit se daturum suum corpus. Si quidem ad eos destinatur promissio, quibus dictum erat: Accipite, manducate. Ergo neque in hominis, quantumvis impij, neque in Diaboli etiam potestate est, hanc promissionem facere irritam. Atque huc pertinent patrum sententia, cum dicunt, sacramento nihil detrahi, neque perire quicquam de eius virtute, qualiscunque sit minister. Constituimus ergo nihil esse absurdius, quam relinquere hoc in arbitrio, vel potius libidine impij ministri, ut Ecclesiam priuet Christi beneficio, quoties visum fuerit. Neque verò minus absurdum est, hac potestate præditos fingere sacerdotes, ut quoties placuerit consecrare, illis liceat, etiam præter Christi institutum. Sub est enim promissio mandato, cui annexa est. Ideo Christi corpus non habent, nisi qui secundum regulam ab ipso positam, Cœnam celebrant. Constituimus ergo, friuolam, & nihili esse consecrationem, vbi sacerdos sibi soli, seorsum ab alijs, consecrare audeat. Neque enim magicæ incantationis verba sunt: Hoc est corpus meum sed promissionem continent, & tioni à Christo instituta seruientem. Vnde & illud perperam fieri constat, quod leui susirro demurmuratur, cum palàm clara voce pronuntiarì debeant: sicut etiam ex contextu patet: Accipite, manducate, hoc est corpus meum. Qua ratione Augustinus consecrationis verbum appellat, verbum fidei quod prædicatur.

Mat. 26.  
& alibi.

Aug in  
omni. lib.  
contra  
Donatistæ  
& alii.

Homil in  
Ioan. 80.

AD X.

Legimus Apostolos, impositione manuum, visibiles Spiritus gratias contulisse: sed hoc fuisse temporale donum, experientia demonstrat. Imò statim post mortem Apostolorum defuisse, vetustissimi scriptores testantur. Ceremoniã imponendi manus retentam à successoribus fuisse fatemur, cum fidei suæ confessionem ederent adulescentes: sed non hoc fine, ut sacramentum haberetur à Christo institutum. Nam Augustinus nihil aliud esse affirmat, quam orationem. Eadem ratio est extremæ vniõnis. Fuit enim symbolum temporalis doni: quod scimus non diu post Apostolos durasse. Apostoli vngunt, in nomine Domini, eos, quibus vim spiritus sancti presentẽ, in dono sanationis exhibebat. Hoc fieri iubet Iacobus. Sed nunc vbi sanatio? Vbi vnguntur semimortui homines, dum animam exhalant. Ergo, qui nunc symbola sine re usurpant, non imitatores, sed simia sunt Apostolorum.

Acto. 19.

Lib. 3. de  
Bab. con.  
Don. c. 15

Mar. 6.  
Iac. 5.

Ad

ARTICVLI  
ARTICVLVS. XI.

*De miraculis sanctorum.*

Nec dubitandum, sanctos, & in hac mortali vita, & in paradiso agentes, miracula operari.

*Probatursic. Nam apparet quomodo beatissima virgo resuscitet infantes: vt sepeliantur in loco sacro: qui aliàs haberent sepulchrum cum canibus. Quòd autẽ Lutherani dicunt, Deum hoc modo punire idololatriam mundi, quando diabolus, sub nomine sanctorum, facit miracula: & pro hoc adducunt Hieronymum, qui refert, AEGYPTIOS sanatos fuisse à morsu serpentum, ad sepulchrum Ieremiæ, quem tamen pro Deo colebant. Respondeo, quòd non colimus sanctos pro dijs, quia non adoramus eos, nisi adoratione dulciæ. Est etiam alia probatio validior ab antiquitate: Quia semper hoc fuit factum, sicut Ambrosii tempore, ad sepulchrum Geruasii & Protasii cæcus fuit illuminatus. Quòd autẽ Lutherani ex Augustino replicant, hoc fuisse ad confirmandam rectam fidem, & non ad superstitionem: Respondeo, quòd recta fides est colere sanctos, & eorum basilicas visitare, sicut ex subsequentibus patebit.*

ARTICVLVS. XII.

*De orandis sanctis.*

Sanctum est, & Deo maximè gratum, orare beatam Dei genitricem, & sanctos qui in cælo sunt, vt sint pro nobis aduocati, & intercessores apud Deum.

*Probatursic. Quid enim sancti facerent in cælo, si non orarent pro nobis? Quòd si orant, ergo orandi sunt. Negant hanc cõsequentiam Lutherani. Sed probatur ex eo, quòd sancti, Deo sunt similes. Deus autẽ vult coli à nobis, igitur & sancti. Quòd autem dicunt Lutherani per derisionem, nos facere sanctos valde auritos: Solutio est facilis. Quia vident quæ aguntur in mundo, per lumen reflexum, quod habet ex irradiatione Dei. Secunda probatio: quòd omnes pagani semper habuerunt minores Deos pro suis intercessoribus. Non est autem rationabile, quòd Christiani habeant minus priuilegij quàm gentiles. Vnde & hoc modo correctus fuit error illorum, cum ad sanctos translatus fuit honor, quem idolis suis faciebant: sicut quando Papa mutauit nomen templi, quod vocabatur Pantheon & vocauit Pantagium. Et ex multis festis similiter factum fuit, vt in despectu gentiliū, Christiani in honorem sanctorum inebrientur.*

ARTICVLVS XIII.

*De veneratione sanctorum.*

Itaque sancti, beatam cum Christo vitam degentes, non solum sunt imitandi: sed & venerandi & orandi.



AD XI.

Scimus ex Scripturis, ad quid valeant & in quem finem conferenda sint miracula. Nempe ad confirmandam Euangelij doctrinam, sicut habetur apud Marcum, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Item apud Lucam in Actis, quod Dominus reddebat testimonium sermoni gratiæ suæ, cum ederentur signa per manus Apostolorum. Proinde hic legitimus est miraculorum usus: ut recipiantur tãquam doctrinæ Euangelij sigilla, eoque non hominum vel Angelorum, sed vnius Dei gloriæ seruiant: quemadmodum dicebat Petrus: Viri Israelitæ, quid nos intuemini? quasi nostra virtute, aut pietate, hoc fecerimus. Nomen Christi, & fides, quæ per eum est, contulit huic sanitatem. Cum autem prædixerit Christus, regnum Antichristi miraculis stabilitum iri, & hoc Christi vaticinium confirmarit Paulus: constituimus cum Augustino, Dominum, cautos nos reddidisse aduersus mirabiliarios (sic enim loquitur) qui signorum prætextu, orbem abducunt ab vnit.ate fidei. Duplex verò hic tenenda est cautio. Nam & multis præstigijs illudit Sa:han hominibus: & multa etiam designari patitur Deus, ad vindicandam hominum ingratitude, sicut Paulus testatur, & post Paulum Augustinus.

Mar. 16.  
Act. 14.  
Rom. 15.  
Act. 4.  
Mat. 24.  
2. The. 2.  
Homi in  
Ioan. 13.  
2. The. 2.  
De vnita.  
ecc. c. 116.

AD XII.

Scriptura, fidẽ in oratione requirit. Et Paulus nominatim addit, hanc fidem esse ex verbo Dei. Et Iacobus hæsitare nos prohibet in precibus. Iam verò, si verbo Dei obedire volumus, solum Deum inuocare conuenit in Christi nomine. Nam & Deus hunc spiritualem esse cultum nominis sui perhibet, & mediatorẽ vnum nobis proponit, filium suum: quo intercessore docet Paulus patere nobis facilem accessum ad Deum cum fiducia. Et alter Apostolus nos hortatur, vt freti tali aduocato, adeamus ad thronum gratiæ. Mandatum igitur nullam cum extet de quærenda sanctorum mortuorum intercessione, cum nulla promissio vsquam reperiatur, constituimus pugnare hoc orationis genus cum Scripturæ regula. Adhac, nullum eius rei exemplum prodiderunt vel Prophetæ, vel Apostoli. Nunc apud se quisque pius expendat, quàm sit periculosum, non tantum absque verbo Dei, sed etiam præter exemplum, tentare nouum orationis genus. Quod autem iubet Spiritus nos mutuo alios, pro alijs intercedere, hoc mutua charitatis est exercitium in hac vita, sicut ex omnibus locis constat. Videmus autem quanto pere abominetur vbique Deus Baalim, quo nomine intelligebant patronos, quorum præstidio adiuuarentur. Huc postremo accedit, quod asserere nemo potest, an tam longæ sint sanctis aures, vt ad eas vsque, pertingant orationes nostræ. Quinetiam parum consentaneum cum ratione id videtur.

Mar. 11.  
Rom. 10.  
Iaco. 1.  
Psa. 50. 91  
Ioel 2.  
Iere. 29.  
1. Tim. 2.  
1. Ioan. 2.  
Ephe. 3.  
Hebr. 4.  
Ier. 6. 9.  
11. & c.  
Item.  
Oie. 2.

AD XIII.

De oratione iam dictum est. Eorum autem veneratio nõ alia nobis cõmendatur in Scripturis, quàm quæ in vniuersum debetur fidelibus, iuxta Psalmum 15. & 139. Sic tamen vt vnicuique habeatur honor pro mensura gratiæ. Ergo de sanctis, prout quisque eorum excellit Dei donis, aut in altiore gradu collocatus est à Domi

*Si verum est brocardicum illud, quod communis error facit ius, sufficienter iam probata est veneratio sanctorum, tamen quia Lutherani replicant, transferri hoc modo ad sanctos Dei gloriam: teneas semper in memoria distinctionem schola: quod non colimus eos nisi oratione dulci.*

## ARTICVLVS. XIII.

*De Peregrinationibus.*

Obidque religiose faciunt, qui loca eis dicata, ex deuotione visitant.

*Probatur sic. Quia esset magna ingratitude, si minus honoris fieret sanctis quam idolis gentilium: Quorum tamen quadam templa habebant singularem deuotionem præ alijs, sicut Delphis Apollo, & proserpina Enneæ in Sicilia. Deinde argui etiam potest à probabili, quòd sancti magis frequentant loca, vbi sunt eorum sepulchra & reliquia, vel vbi magis honorantur, quam alia.*

## ARTICVLVS. XV.

*Quòd sancti ritè, priusquam Deus, inuocari possint.*

Si quis in templo, aut extra templum, prius sua oratione ad beatam virginem, aut sanctorum aliquem recurat, non peccat.

*Probatur ex prouerbio vulgari, quòd non cognoscitur Deus in'er sanctos. Deinde impetuosa deuotio, etiam si sit inordinata, potest bene excusari per ecstasim.*

## ARTICVLVS. XVI.

*De adoratione crucis & imaginum.*

Nec vllò modo addubitandum est, quin, genu flectere coram imagine crucifixi, & beatæ Mariæ, & sanctorum, ad rogandum Christum, & sanctos, opus sit pium ac bonum.

*Quòd crucifixi & sanctorum imagines, genu flexione coli debeant, probatur auctoritate concilij Niceni vltimi. Nam vtrumque Gregorius concedat, Serenum Massylia episcopum bene fecisse, quòd illas adorari prohibuerat: tamen concilium quod postea subsequutū est, potuit hoc infringere: sicut decreta posteriora derogant prioribus. Probatur secundò, ratione. Quia si reliquia, & vestes coluntur in eorum memoriam, non est minor ratio de imaginibus. Antecedens patet ex communi vsu. Tertio probatur à simili. Quia statuas principum, etiam ethnicorum, veneratur populus. Quarto, probatur ex miraculis. Quia multa sanctorum imagines riserunt, vel fleuerunt ad deuotionem precantium. Aliquæ etiam loquuntur sunt. Quin, to, probatur ab experientia sensus nostri. Quia orantes ante imaginem magis ad*  
deuo-

no, honorificè sentiendum est, ac loquendum. Cultum verò illis exhibere, sicut solet mundus, prophana est superstitio, & quæ Gentium potius insaniam redolet, quàm Ecclesiæ Dei conueniat. Quinetiam palam repugnat præcepto: Dominum adorabis, & illum solum coles. Deut. 6. Matt. 4.

AD XIII.

Christus discrimen omne locorum sustulit, cum diceret: Venit hora, quando veri cultores, non in monte hoc, neque Ierosolymis, sed ubique adorabunt Deum in spiritu & veritate. Neque enim illic de præpostero studio paucorum loquitur, sed quid differamus à patribus veteris Testamenti, ostendit. Cum hac sententia conuenit ista Pauli. Viros iubeo, in omni loco tollere puras manus. Iudaismum ergo reuocant, qui locis affingunt nouam sanctitatem: ut pietatis officium censeatur, hunc aut illum locum inuisere: quanquam superstitio hæc Iudaismo deterior, quòd locus adorandi Ierosolymis designatus aliquando fuit. Isti autem idololatrarum exemplo lucos, & fana sibi pro libidine erigunt. Deinde Ierosolymis adorabatur solus Deus. Hi autem hominibus templa consecrant. Ioan. 4. 1. Tim. 3.

AD XV.

Si omnino ad sanctos in precibus configurare fas non est: frustra disputatur ante, et post. Cum autem Christus nobis sit propositus mediator unus, per quem ad Deum debeamus accedere: qui illo præterito, vel posthabito, ad sanctos se conferunt, nihil habent, quo suam prauitatem excusent. Salomon in solenni templi dedicatione, hunc usum exprimebat. Hic inuocabitur nomen tuum Domine. Extra templum, dicunt omnes fideles: Hic in curribus, alij in equis: nos autem in nomine Domini inuocabimus. 1. Reg. 8. Psal. 17.

AD XVI.

De imaginibus ac simulachris præceptum Dei est: Non adorabis, neque coles. Porro genua flectere: hoc ipsum est, quod adorandi verbo indicatur. Atque hanc fuisse Gentilium opinionem, ut deos cœlestes precarentur, cum se ad imagines conuerterent, ex libris eorum palam est. Refert etiam Augustinus, quas excusationes prætexere solebant sui temporis idololatræ. Dicebant enim vulgares, se non visibile illud colere, sed numen quod illic inuisibiliter habitabat. Qui verò purgatoris, ut ipse loquitur, religionis erant: nec simulachrum, nec Dæmonium se colere aiebant, sed per effigiem corpoream, intueri eius rei signum, quam colere deberent. Idem ex Eusebio & Lactantio licet intelligere. Cum ergo nihil à veteribus idololatris differant, qui hodie se prosternunt coram statu, constituimus ex verbo Dei, & veterum patrum sententia, morem hunc aperte damnari. Et certè verum est quod ait Augustinus, neminem orare, vel adorare intuentem simulachrum, quin ab eo exaudiri se putet. Hoc enim facit & quodammodo extorquet illa membrorum figura, inquit, uti animus in corpore viuens, arbitretur sentire corpus, quod suo similitimum videt. Proinde cum in loco eminenti locatur, ut à precantibus videatur, ipsa similitudine animatorum & sensuum, quàm sensu & anima careat, afficiunt infirmos animos, ut viuere ac spirare videatur. Hac ratione decretum fuit olim, ne qua pictura in templis esset, ne quod colitur, vel adoratur, in par- Exo. 20. Deut. 5. & simili. In Psal. 113. In Psal. 113. In Psal. 113.

deuotionem accendimur, & zelus noster excitatur ipso aspectu. Sextò probatur, quia sic oportuit corrigi errorem Gentilium, qui ante sua idola genu flectebant, sicut nunc facimus ante sanctorum imagines.

## ARTICVLVS XVII.

De purgatorio.

Ad hæc firmiter credendum est, & nullatenus dubitandum purgatorium esse: in quo animæ detētæ, oratione, ieiunio, eleemosyna aliisque bonis operibus iuuātur, vt citius liberentur à pœnis.

Probatur sic. Quia multis sanctis monachis, & deuotis matronis factæ sunt variæ apparitiones, vbi animæ hoc dixerunt: sicut habetur in dialogis Gregorij ad longum, imò per totum. Quòd si Lutherani pro nihilo reputent tales reuelationes, sicut ipsi dicunt, vel esse phantasias cerebri malè dispositi, vel spectra & præstigias, quibus Sathan illudit hominibus: Respondeo, authenticas fuisse factas per authoritatem Gregorij, qui fuit Papa. Probatur deinde, per longi temporis præscriptionem. Quia omnes Ecclesiæ sunt fundatæ super opinionem purgatorij: vel saltem locupletatæ, quoad anniuersaria. Imo etiam Paganiam habebant istam notitiam, sicut apparet tum ex historicis, tum ex Pœotis, & præsertim ex Ouidio. Probatur similiter ratione. Quia si satisfaciendum est pro peccatis in hac vita mortali, sequitur quòd qui præuentus est morte, debet satisfacere in alio mundo, & per consequens est locus destinatus ad soluenda debita quæ restant. Probatur etiam ex philosophia naturali. quia animæ, quæ ex crassa corporis natura traxerunt humorem ponderosum, nõ possent statim in cælum euolare, nisi prius desiccaretur per ignem. Quòd autem magistri nostri asserunt firmiter credendū, & nullatenus dubitandum, quòd habet tantum apparentiam probabilitatis, in eo sequuti sunt regulam iuris. Dubius in fide, infidelis est. Satius est tamen dicere, quòd sit res indubitabilis. Nam dato, quòd rationes quæ adducuntur sint dubiæ, authoritas tamen Ecclesiæ superueniens eas certificat. Hoc autem posito quòd sit purgatorium, sequitur infallibiliter alterum: quòd miseræ animæ, quæ ibi torquentur, adiuuandæ sint viuorum suffragijs: & tenendum est, quòd non sine causa missa pro defunctis instituta fuit, quæ præsupponit animas sacrificio illo iuuari posse. Ideo pia mater Ecclesiæ, cum nihil haberet in scripturis, maluit abuti Psalmis, & lectionibus ex libro Iob, & multis locis prophetarum, quàm relinquere miseris animas sine subleuatione.

## ARTICVLVS XVIII.

De Ecclesia & eius authoritate.

Tenetur & quilibet Christianus firmiter credere, vnam esse in terris vniuersalem Ecclesiam visibilem, in fide & moribus errare non valentem: cui omnes fideles, in iis quæ sunt fidei, & morum, obedire astringuntur.

Probatur sic, quòd Ecclesia possit videri. Quia Hierarchia, est signū infallibile ipsius. Et est

vietibus sit depictum. Ideo Ambrosius de Helena loquens, Inuenit titulum, inquit, Regem adorauit, non lignum vti que, quia hic Gentilis est error, & vanitas impiorum.

Ora. hab.  
in funer.  
Theodo.

## AD XVII.

De purgatorio in scripturis perpetuum silentium: & Augustinus, qui in eare consuetudini cedit: agnoscit tamen nullo scripturæ testimonio hanc opinionem adiuari: nisi historia illa de oblatione Iudæ Machabæi: quam tamen non esse canonicam, nec certæ auctoritatis, & ipse fatetur, & Hieronymus admonet, & omnium consensu prodium est. Nam locum qui citari sclet ex priore ad Corinthios, ipse aliter exponit: quem admodum fani omnes aliter exponendum vident. Sicut enim metaphora est in nominibus stipulæ, fœni, & ligni: ita proculdubio nomen ignis metaphoricè capitur pro examine Spiritus, quo humane doctrinæ pereunt: Dei autem veritas instar auri probatur. Tametsi autem Augustinus, ut dixi, vinci se à consuetudine passus est, ut purgatorium non negaret: nihil tamen audent asserere. Quinetiam dubitanter loquitur, dicens incredibile non esse, & vtrum ita sit, queri posse. Adhæc nequaquam sibi constat. Si quidem alio loco animas, cum de seculo exierint, diuersas receptiones habere tradit, vbi boni gaudio fruuntur: torqueantur mali. Requiem porrò, quæ continuo post mortem datur, tunc quemque accipere, cum moritur, si ea dignus est. Verum, cum in nullius hominis arbitrio sit, statuere de animis mortuorum: nihil tutius est, quam vnum Deum de ipsarum statu audire loquentem, cuius ipse potestatem habet. Quando autem scriptura beatos esse mortuos testatur, qui in Domino moriuntur: quia requiem exinde à laboribus suis habeant: quando consolationem eas recipere docet: viuere cum Christo, & frui Dei presentia: in hac doctrina, quæ nihil habet controuersie pedem figamus. Architectura verò purgatorij tantum habeat firmitudinis, quantum habere potest, quod de rebus incognitis fabrefactum est in hominis cerebro, extra verbum Dei. Orationes certè, quibus iuuare eas vulgò student: cum nullo præcepto Dei, nulla etiam promissione fulciantur, fundamentum illud fidei, quod requirit Paulus in precibus fidelium, non habent. Nihil nobis diligentius præcipitur in scripturis, quam ut omnia charitatis officia erga viuos exerceamus. De iuuandis mortuis, nulla mentio. Huc accedit, quòd ne vnum quidem exemplum extat: cum tamen multorum sepulturas scriptura commemoret: quorundam etiam exequias referat, longo sermone. Porrò non est credibile quod fuisset præcipui momèti, Spiritum Dei omisisse, cum leuiuscula illa recenseret.

De cura  
pro mor.  
ag. cap. 1.

Cap. 3.  
Aug. in  
Ench. ad  
Lauren.  
cap. 68.  
Idem in  
cod. lib.  
cap. seq.  
Herm. in.  
Ioan. 49.

Apo. 14.

Luc. 16.  
Phil. 1.  
1. Cor. 5.

Rom. 10.

In. hist.  
vete testa  
prefer. in  
lib. Moyf.  
& lib. Reg  
Gen. 50.

## AD XVIII.

Ecclesiam vniuersalem esse & fuisse ab initio mundi, & fore vsque in finem, confitemur omnes. De aspectu, vnde agnosci queat, questio est. Eum constituimus in verbo Dei. Vel, si quis malit, cum Christus eius sit caput: quem admodum agnoscitur homo ex facie, ita illam in Christo intuendam esse dicimus. Sicut scriptum est. vbi erit corpus, illuc congregabuntur aquilæ. Itæ erit vniuersale, & vnus Pastor. Cui ergo non semper emineat pura verbi prædicatione: nec semper conspicua sit Christi facies: inde colligimus, non semper Ecclesiam oculis hominum subiectam esse: quem admodum multorum seculorum exempla testantur. Nam prophetarum tempore, sic præualebat multitudo impiorum, ut oppressa esset vera Ecclesia. Sic etiam Christi tem-

Matt. 24.  
Ioan. 10.

Ephe. 1.  
1. Cor. 11.

est autem omni tempore visibilis. Ergo Ecclesia etiam videtur. Quod autem non possit separari Ecclesia à hierarchia: ego sumo tanquam vnum ex principijs fidei. Probatum secundò, ex perpetua successione. Perpetua autem successio à tempore Apostolorum nota est, ex catalogo Paparum, quem refert Platina. Quod autem variant doctores, in secundo successore Petri: quoniam alij Clementem, alij Linum ponunt: cum hic error sit in indiuiduo, non impedit certitudinem generalitatis. Illud est magis difficile: quod Ioanna creata fuit in Papam. Nam tunc videtur fuisse facta aliqua interruptio. Sed dicas, quod tunc sedes supponebat in defectum hominis. Ita etiam dicendum est, de tempore schismatis: cum Gregorius, & Ioannes, & Petrus, erant antipapæ. Item, cum electus fuit Amedeus, deposito Eugenio, in concilio generali, & postea abdicatus, quia Eugenius fuit potentior. Hoc modo, remanebit perpetuus ordo successionis. Secundum membrum, quod Ecclesia errare in fide & moribus non valeat, difficulter probatur in Ecclesia visibili, tamen hoc satis esse debet ad probationem, quod ratum est quicquid determinauit Ecclesia Romana. Sed ratione adhuc melius probatur, quia immediatè regitur à Spiritu sancto. sed Spiritus sanctus non potest errare. Ergo per consequens neque ipsa. Tertiò, probatur ex articulo sequenti. Quia cum ad ipsam spectet determinare in omnibus: nihil esset certum in fide, nisi essemus resoluti de ipsius infallibilitate. Sicuti nunc, si non esset hic inuincibilis clypeus pro nobis, essemus iam centies victi à Lutheranis: cum habeant pro se apparentiam veritatis, & fortibus argumentis nos premant.

## ARTICVLVS XIX.

Quòd ad Ecclesiam visibilem pertineant  
definitiones in doctrina.

Quòd si quid in scripturis sacris controuersia aut dubii oriatur, ad præfatam Ecclesiam definire spectat & determinare.

Probatum sic: Quia aliàs nasceretur horribilis confusio, nisi Ecclesia haberet ius pronuntiandi definitiuam sententiam in dogmatibus litigiosis. Sicut hodie Lutherani vellent habere vocem in capitulo, & iactarent verbum Domini: nisi opponeretur illis hæc replica sine exceptione, quòd ad Ecclesiam spectat determinare vltimatè, sine contradictione. Aliter non possemus illis claudere os. Deinde sciendum est quòd scriptura est, tanquam nasus careus: quia flecti potest hic inde. Sed Ecclesie determinatio est fixa, & stabilis. Nam si hæretici cauillari velint vn. am, potest altero die fieri alia, quæ eos magis constringat.

## ARTICVLVS XX.

De articulis fidei per Ecclesiam traditis.

Est & certum, multa esse credenda, quæ non sunt expressè ac speciatim tradita in scripturis sacris: quæ tamen per traditionem Ecclesie sunt necessariò recipienda.

Probatum ab inconuenienti, vel absurdo. Quia aliàs oporteret ferre facere nouum mundum

pore, videmus absconditum fuisse ab hominibus exiguum Dei gre gem: cum impij nomen Ecclesie sibi usurparent. Qui autem tam perspicaces habent oculos, ut Ecclesiam sibi visibilem semper esse iactent, quid facient Helix, qui se solum restare ex Ecclesia putabat? Falso id quidem. sed is argumento est, Ecclesiam Dei posse nos non minus latere: presertim cum sciamus ex raticinio Pauli predictam fuisse defectionem. Statuamus ergo, videri Ecclesiam ubi apparet Christus: ubi verbum eius auditur, sicut scriptum est: Oves mea vocem meam audiunt. Sepulta autem doctrina veritatis, Ecclesiam si mul evanescere ex oculis hominum. Hanc Ecclesiam, fatemur cum Paulo, columnam & firmamentum esse veritatis: quia custos est sanæ doctrinæ: eamque propagat suo ministerio ad posteros, ne intercitat in mundo. Nam cum sponsa sit Christi, sub tectam illi esse par est. Et hæc est eius castitas: non abduci à Christi simplicitate: sicut testatur Paulus. Non errat ergo, quia Dei veritatem pro regula sequitur. Ab ea si recedit, si on- sa esse desinit, & fit adultera. Qui verò ordinariæ potestati & alijs externis pompis Ecclesiam affigunt: audiant, quid de eo pronuntiet Hilarius. Malè, inquit, nos parietum amor cœpit. Malè Ecclesiam Dei in tectis ædificijsque veneramur. Anne ambiguum est, in his Antichristum esse sessurum? Montes mihi, & sylva, & lacus, & carceres, & vo ragines sunt tutiores. In his enim Prophetæ, aut latentes, aut demersi, prophetabant.

1. Reg. 18.

2. The. 2.

Io. 10.

Ioan. 3.

Eph. 5.

2. Cor. 12.

Contra Auxenti.

## AD XIX.

Definitionum regula præscribitur nobis à Paulo, quantum ad particulares Ecclesias, cum dicit: Prophetæ duo aut tres loquantur: alij diiudicent. Si, loquente uno, fuerit quid melius alteri releuatum, surgat. Si quod inter Ecclesias dissidium exortum sit, fatemur hanc constituendæ concordie legitimam esse rationem, quæ semper observata fuit, ut cocant pastores, atque ex verbo Dei definiant, quid sequendum sit. Cæterum, si visibilis Ecclesie definitiones pro oraculis habere libet: visibilis erat Ecclesia cui solus Michas resistebat. Visibilis etiam erat Ecclesia, quæ dicebat: Venite, cogitemus aduersus Hieremiam cogitationes. Non enim peribit sapientia à sapientibus, nec à senibus consilium, nec lex à sacerdotibus. Denique visibilis Ecclesia erat, Christi tempore, penes summum pontificem & collegium sacerdotale. Erat enim Hierarchia multò melius fundata, & certiore testimonio confirmata, quàm hæc sit, cuius prætextu superbiunt, qui Ecclesie titulum hodie usurpant. Qui ergo audiendas visibilis Ecclesie definitiones sine delectu & exceptione volunt, simul hanc necessitatem imponunt fidelibus, ut abnegato Christo, & relicta Dei veritate, impietati sæpe adhæreant.

1. Cor. 14.

Io. 10.

## AD XX.

Multifariam, inquit Apostolus, multisque modis, loquutus est olim Deus per Prophetas: nouissimè loquutus est, per filium suum dilectum. Doctrinæ verò Christi qualis fuerit expectatio in populo Israëlítico, ostendit vox mulieris Samaritanæ. Messias, cum venerit, amunciabit nobis omnia. In hac ergo doctrina standum est, in qua scimus perfectum cœlestis sapientiæ cõplementum inclusum esse. Bene ergo Augustinus, qui in dicat, non esse necessariū ad salutem, quicquid proditū scripturis non est. Quia si cognitu fuisset necessariū, Deus non omisisset. Insignis etiam est sententia Chrysostomi, ubi dicit: sicut Christus non à seipso loqui se testatus est: quia ex lege loquebatur & Prophetis, ita si quid

Ebr. 1.

Io. 4.

Lib. de pe-

mer &amp; re-

2. cap. ult.

De sanct.

&amp; adorē.

Spiritu.

mundum: cum vix centesima pars eorum, quæ firmiter tenemus, & nihil dubitationis apud nos habent, expressè probari queat ex scripturis. Sed quia est elicium à longe per subtilis deductiones doctorum, ideo manent in sua certitudine. Probatum etiam à verisimili. Quia credibile est quod Apostoli, quamvis essent pleni Spiritu sancto, & haberent mandatum perfectè instruendi Ecclesiam, tamen voluerint aliquid relinquere suis successoribus: ne, in omnibus eos præoccupando, alas illis nimium decurrerent. Probatum item à simili: quia, sicut apud legistas est ius scriptum & non scriptum, ita debet esse in theologia.

## ARTICVLVS XXI.

De iure excommunicationis.

Eodem veritatis firmamento recipiendum, potestatem excommunicandi esse de iure diuino immediatè à Christo Ecclesiæ cõcessam: & ob id magnopere timendas esse censuras Ecclesiasticas.

Multæ sunt scrupulosæ quæstiones inter doctores. Vtrum ad exercendam excommunicandi potestatem requiratur clavis scientiæ, & discretionis. Sed tu dicas expressè: posito quod Ecclesia non potest errare, hanc potestatem esse plenariam. Sicut etiam videtur fuisse intentio magistrorum nostrorum, qui loquuntur absque distinctione. Si autem queratur vtrum is qui excommunicatus est per iniuriam, sit excommunicatus potestate Christi, dicas quod satis est eius nomine.

## ARTICVLVS XXII.

De auctoritate conciliorum.

Certum est concilium generale legitimè congregatum, vniuersalem representans Ecclesiam, in fidei & morum determinationibus errare non posse.

Probatum sic. Quia concilium vniuersale semper & sine exceptione representet Ecclesiam: aliàs non esset visibilis. Sed intellige in quo præsideat Papa. Nam quod in concilio Niceno legati beati Syluestri non habuerunt primum locum, sed quartum, hoc fuit ex ruditate temporum, cum non bene formata esset Ecclesia. Quòd si quis opponat concilium Basiliensè, dicas quòd nec renère nec valere debuit: cum Eugenius mandatum suum renocasset, & ius præsentis absulisset Cardinali Sanctæ crucis. Quòd autem magistri nostri dicunt de legitima congregatione notandum est, ad hoc vt concilium legitimè congregetur, sufficere quod solennitas & forma iuris de center sit seruata. Quia si quis vellet trahere hoc in disputationem: vtrum prælati, qui ibi sedent, habeant rectam intentionem, & vtrum sint docti, & vtrum habeant scientiam sacrarum literarum, & animum obediendi sanæ doctrinæ, esset processus in infinitum.

## ARTICVLVS XXIII.

De primatu sedis Romanæ.

Nec minus certum, vnum esse iure diuino summum in Eccle  
sia



præter Euangelium, sub titulo Spiritus obrudatur, ne credamus. Quia ut Christus legis & Prophetarum impletio est: ita Spiritus Euangelij. In summa, cum certa fidei veritas, non nisi ab vno Deo peti debeat: constituimus, rectam fidem in solis scripturis fundatam esse, quæ ab ipso prodierunt: cum illic non dimidia ex parte, sed ad plenum docere nos voluerit, quicquid scire nos volebat, & utile esse noverat.

## AD XXI.

Quemadmodum Ecclesiæ commissæ est excommunicandi potestas, ita etiam vite vtendi præfixa est ratio. Primum, ne iudicet, nisi ex ore Domini: deinde, vt adificationi studeat, non destructioni. Si secus faciat, nota est sententia Gregorij: Priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Loquimur autem de externa Ecclesiæ facie. Nam vera Ecclesiæ, sicut Christi Spiritu gubernatur, ita nunquam à regula verbi ipsius in iudicando recedet. Sed quia sæpe contingit, vt qui ordinaria potestate funguntur in Ecclesiæ, tyrannidem pro legitimo iudicio exerceant: tenenda est diligenter illa distinctio. Aliàs frustra diceret Christus Apostolis. Ex Synagogis suis vos eijcient. Non est igitur timendum, ne ab eo cætu excommunicemur, à quo & Deus, & ipsius veritas exulat. Ab ea Ecclesiæ ne excommunicemur, quæ vnitatis suæ vinculum habet, puram Dei doctrinam, non tantum magnopere timendum, sed præcipuo etiam studio cauendum est. Non enim est salus extra eius communionem.

Malac. 2.  
2. Cor. 10.

Iesa. 2.  
Ioel 2.  
Eze. 13.

## AD XXII.

Promittit Christus, se fore in medio eorum qui fuerint congregati, sed in nomine suo. Ergo non quibuslibet concilijs indifferenter habenda est fides: sed illis demum, quæ congregata fuisse in nomine Christi constabit. Clamant Propheta: A Propheta vsque ad Sacerdotem quisque sequitur mendacium. Item, speculatores eius cæci omnes: Pastores nihil intelligunt. Item, coniuratio Prophetarum in medio eius, sicut leonum rapientium prædam. Sacerdotes eius violauerunt legem, profanauerunt sancta. Cum huic malo obnoxia fuerit Ecclesiæ Israelitica, quæ vera erat Ecclesiæ Dei: cur non idem nobis contingeret? Quin etiam hoc futurum denuntiarunt Apostoli. Quemadmodum fuerunt in veteri populo Pseudopropheta: ita in vobis erunt falsi doctores. Sic ergo cõstituimus: concilium, quod in Christi nomine congregatũ est guberari à Spiritu sancto: & eius directione duci in veritatem. Quibus autẽ non præsidet Christus, ea regi proprio sensu: & ita nihil posse quàm er rare, & in errorem ducere. Constituimus præterea, quosdam sic regi Dei Spiritu initio, vt postea obrepat carnis studium, quo à veritate deflectant. Solus enim Christus est, in quo residet plenitudo Spiritus: vnicuique hominum datur gratia ad mensuram.

Matt. 18.

Iere. 6.  
Iesa. 50.  
Eze. 12.

2. Pet. 2.

Ioa. 3.  
1. Cor. 12.  
Eph. 4.

## AD XXIII.

Sæpe de Christo vniuersali capite meminit scriptura: de Papa nusquam. Et

Eph. 1.4  
5.

Col. 1.2.

ij 4 cum

fia Christi militante pontificem, cui omnes Christiani parèrentur: Qui quidem potestatem habet & indulgentias conferendi.

*Probatur sic. Quia dictum est Petro: Tu es Petrus, & super hanc Petram. Quod autem Lutherani dicunt, Petrum illic laudari tanquam vnum ex numero fidelium: & Petram, quæ debet esse fundamentum Ecclesiæ, dicunt esse Christum: quia Petrus non fuisset bonum fundamentum, quando Christum abnegauit: Et quia secundum Paulum, Nemo potest aliud fundamentum ponere à Christo: nunquam illis concedas. Quia cum diuersa interpretatio sit in fauorem Romanæ sedis: nota est regula iuris, quòd fauores debent ampliari. Habent quoque aliam replicam. Scilicet quòd posito casu, quòd dedisset Christus primatum Petro, non sequitur tamen, quòd dederit successoribus: nisi velint etiam omnes vocari sathanæ. Quia dictum est Petro, Tu es sathan. Dicunt enim, quòd si succedunt in vno titulo, et alio pariter. Sed responde ad hoc, per regulam iuris: quòd odia sunt restringendi. Vel da aliam solutionem: quòd primo loco Christus Petro locutus est, tanquam futuro vel fiendo Papæ: in secundo tanquam priuatae personæ. Argumentantur præterea hoc modo. Cur Petrus contulerit hæreditatem primatus Romanæ sedi, potius quàm Antiochenæ: cum in vtraque fuerit episcopus. Responde ad hoc: quòd locus acquirit dignitatem ex morte hominis: præsertim cum sanguis martyris, qui preciosus est in conspectu Domini, ibi funditur: secundum Antiphonam quæ canitur in eius festo. Opponunt etiam aliud. Cur non simili ratione Iacobus & Ioannes acquisierant suis Ecclesiis, in quibus præsidebant, secundum & tertium gradum primatus, vel dignitatis, quem admodum Petrus acquisiuit primum Romæ: cum Paulus dicat illos tres fuisse habitos tanquam columnas. Ad hoc responde: quòd si alij non fuerunt satis zelosi, vel magnanimi in manutenendo suo iure, non sequitur tamen quòd hoc Romæ preiudicare debuerit. Ergo Hierosolyma & Ephesus merito propter negligentiam, vel stultum pudorem, retro fuerunt pulsæ. Roma autem, quæ firmiter zelauit pro honore suo, debuit manere prima. Habent etiam derisiones: quòd si Roma debet esse prima sedes, quia ibi præfuit & mortuus est Petrus, pari colore desertum debuisset esse prima sedes in populo veteri. Quia ibi Moyses princeps prophetarum prædicauerat, & erat mortuus. Item: quòd etiam Aaron primus summus sacerdos, ibi exercuerat suum officium vsque ad mortem. Imo dicit, quòd potius Hierosolyma deberet præcedere Romam & omnes alias. Quia Dominus non ster ibi functus est episcopatu suo, & ibi est mortuus. Sed responde: quòd ad vetus testamentum successionem sacerdotij fuisse personalem, nunc verò esse realem: & ita deberi loco. De Christo ita solue. Quòd ipse noluit fundare primatum in sua persona, sicut ipse dicit: Non veni ministrari, sed ministrare. Sed post omnia etiam obijciunt: quòd etiam si fuisset primatus Romæ, hoc non debuit durare, nisi quandiu ibi maneret Ecclesiæ: & quandiu Papa esset Episcopus. Nunc autem negant ibi esse Ecclesiæ: propterea quòd sit confessio maxima: & negant Papam esse episcopum: quia nihil faciat episcopale. Sed dic hanc obiectionem non esse admitendam: quia sit impossibilis: propterea quòd scriptum est. Oraui pro te, Petre, ne deficeret fides tua.*

cum nobis pingit Paulus Ecclesie imaginem, non facit vniuersalem vnius Episcopatū: sed Christū dicit gubernare Ecclesiam per suos ministros. Et tamen locus maxime requirebat, vnum præ alijs nominari, si res ita haberet. Modum vnitatis, quo fideles cum capite suo Christo coherent, illic exprimit. Ad commedationem vnitatis nominat vnum Deum, vnā fidem, vnum Baptisma. cur non addit vnū Papam caput ministeriale? Ad hoc Hierarchiam, quam Papæ adultores cōflare potissimum fingūt Romanæ sedis primatu, illic ex professo describit. Cur ergo prætermittit quod ad rem maxime facturū erat? Alibi dicit, se gratiā Apostolatus parē habere erga Gentes, cum ea quæ Petro data erat erga Iudæos. Vnde duo colligimus: nō fuisse Petrum ipsius caput: & Petri Apostolatū propriē ad nos non pertinere. Illic quoque refert, societatem se pactum fuisse cum Petro: non autem vt illum agnosceret superiorem. Et Petrus ipse, cum ad Pastores scribit, non mandat ex imperio: sed collegas suos facit, & comiter hortatur, vt inter æquales fieri solet. Cū accusatur, quod ad Gentes ingressus fuerit, etiam si id sit immeritō, tamen coram Ecclesia se purgādo, subiectionem profitetur. Iure autem à Paulo reprehensus, non exemptionē causatur, sed obediēter se patitur corrigi. Iussus à collegis ire in Samariā cum Ioanne, illorum decreto paret. Teneamus ergo quod ait Paulus, Christū esse caput, ex quo totum corpus compactū & cōnexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationē in mensura cuiusque membri, augmentū corporis facit in Domino. Nam illic vniuersos mortales, vsque ad vnum, in corpore collocat: honorem & nomen capitis soli relinquit Christo. Preterea singulis membris certam mensuram tribuit, & finitam limitatāmq; functionē: quō summa gubernandi potestas penes Christum vnū resideat. Cyprianus quoq; cum vnitatem Ecclesie describit. Vnus, inquit, Episcopatus, cuius à singulis in solidum pars tenetur: quomodo multi radij sunt, & lumen vnum, & rami arboris multi, robur autem vnum radice sua fundatum: & quomodo de fonte vno riui plures fluunt, & licet numerositas diffusa videatur, exundātis copie largitate, vnitatis tamen seruetur integra in origine: sic & Ecclesia Domini luce perfusa, per totum orbem radios suos porrigit: vnum tamen est lumen quod vbiq; diffunditur. Ramos suos per vniuersum orbem extendit, perfluētes largitur riuos. Vnum tamen caput est & origo vna. Videmus vt Christi vnius Episcopatum faciat vniuersalem, cuius partes à ministris eius teneri docet. Hæc ob causam vetitum fuit in Carthaginensi concilio, ne quis princeps sacerdotū vocaretur, aut primus Episcopus, sed tantū primæ sedis Episcopus. Et Gregorius, nomen vniuersalis Episcopi tanquam prophanum: imō sacrilegum, & prænuntiū Antichristi, execratur: dicitq; à Diabolo inuentum. Romanū verò Episcopum non alia appellatione ornat Cyprianus, quā fratris, & cōepiscopi, & collegæ. Ad Stephanum Romanum Episcopum, dum scribit, non modò eum sibi & reliquis facit æqualē, sed durius quoq; eum compellat: arrogantiæ & inscitie illum accusans. Quinetiam Hieronymus presbyter Romanus, sedem illā in ordinem redigere non dubitat. Si auctoritas queritur, inquit, orbis maior est vrbe. Quid mihi profers vnius vrbis consuetudinē? Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesie vindicas? Vbiq; fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegi: eiusdē meriti est, & eiusdē sacerdotij. Potētia diuitiarū & paupertatis humilitas superiorem, vel inferiorē Episcopum non facit. Postremò, etiam si dentur omnia Romanensibus, non tamen summus Episcoporum esse potest, qui non sit Episcopus.

A D

Epist. 4.

Gala. 1. 2.

1. Pet. 5.  
Acto. 11.

Col. 2.

De simp.  
prelato.

Cap. 47.

Epist. 76.

ad Maur.

August.

Epist. 78.

ad Const.

August. se

quenti ad

Euloliū

Epist. 83.

ad Anian.

## De constitutionibus humanis.

Constitutiones Ecclesiasticæ, vt de ieiunio, de delectu ciborum, de abstinentia à carnibus, aliisque multis, verè obligat in foro conscientiæ, etiam omni secluso scandalo.

Probatur, primum à simili vel ab exemplo. Quia hoc etiam dicunt Rabini Iudaorum, quòd præcepta sapientum debeant seruari sicut leges Dei, & hoc sine dubio. Probatur secundo, ratione. Quia Ecclesia est vicaria Christi, & representat eius personam. Ideo debet tantum posse quantum Christus. Probatur tertio, ab auctoritate. quia dictum est. In cathedra Moysi sederunt scribæ & Pharisei. Quæcumque dixerint vobis, facite. Quod autem replicant Lutherani, hoc dici de lege, quam Pharisei docebant, cum essent in illa cathedra: & pro confirmatione adducunt, quòd alibi Dominus iubet cauere ab illorum fermento, id est doctrina, & expositionem Augustini, vbi dicit. Quid aliud significat Dominus, nisi per mercenarios vocem pastoris audire? Sedendo enim in cathedra, legem Dei docent. Ergo per illos Deus docet. Sua verò si illi docere velint, nolite audire, nolite facere. Responde quòd est impossibile, Ecclesiam aliud docere quàm voluntatem Dei: quia regitur à Spiritu sancto. Probatur & alia auctoritate. Quia dictū sit, obedite prepositis vestris. Quòd autē dicunt Lutherani, limitari hoc debere ad regulā quæ tradita est prepositis per Petrum, vt non exerceant dominium in clericos, & quam Paulus seruasse dicit ad Corinthios, quòd non dominatus sit fidei ipsorum, hoc nihil est. Quia etiam si malè faciant prepositi iubendo, tamen subditos manet obsequendi necessitas. Deinde semper oportet redire ad principii illud. Quia sunt Ecclesia, non possunt errare in determinationibus morum. Finaliter probatur ab vtilitate. Quia scandalosum est facere magnas mutationes. Et Solomon vetat transferri antiquos terminos, quos posuerunt patres nostri. Maior autem pars obseruationum, quibus hodie gubernatur mundus, sunt ex traditionibus Ecclesiæ. Ergo non esset conueniens neque vtile, facere tantam confusionem, omnia mutando. Adde quòd faciunt ad decentiam & honestatem morum. Si dicat aliquis, quòd per hoc non ligant conscientias. Respondeo, hoc fieri per accidens, propter ratificationem. Quia Ecclesia hoc intendit, & populus consensit.

## ARTICVLVS. XXV.

## De votis &amp; eorum valore.

In eodem conscientiæ foro vota obligant, etiam si monastica sint: perpetuæ scilicet continentiæ, paupertatis, & obedientiæ.

Probatur primum, per illum versiculum authenticum. Verba ligant homines, & aurorum cornua funes. Nam arguendo à minori ad maius: Si debemus seruare promissa hominibus, quæ tunc magis Deo? Quòd autem Lutherani obijciunt, contractum non esse ratum, nisi ex vtriusque partis consensu. Item, pacta contra leges non valere, responde, quòd quicquid fit bona intentione, placet Deo. Et si quis mala intentione voueat, tamen propter honorem votorum, perinde est, ac si bona intentione

## AD XXIII.

*Vnus est Legislator, inquit Iacobus, qui potest saluare & perdere. Ratio autem duplex est: quod & Dei voluntas nobis perfecta est omnis iustitia & sanctitatis regula: & ipse vnus imperium habet in animas, quod nemini resignat. Itaque Dominus vbiq; obedientiam vrget, vtque sibi soli pareamus. Vnde sunt illæ voces: Obedientia melior, quàm victima: Item quod præcipio tibi, hoc obseruabis, vt facias. Non addes quicquam, nec minues. Item, non faciat quisque quod sibi bonum videbitur, sed quod præcipio tibi, hoc tantum facito. Item nunquid præcepi patribus vestris, vt mihi offerrent sacrificia? & non hoc potius, audiendo audite vocem meam. Conscientias autem vllis hominum legibus obstringi, nephas esse pronunciat Paulus. In libertate, inquit, qua Christus vocauit vos, stete, & ne rursus in go seruitutis implicemini. Rationem reddit alibi. Quia etiam quæ speciem habent sapientiæ, friuola sunt & inania: si sunt secundum præcepta & traditiones hominum. Proinde testatur, se nolle inycere laqueum fidelibus, cum tractat de coniugio. Violatur ergo spirituale Christi regnum, & suum illi ius in animas eripitur, cum hoc vsurpant homines, vt sibi liceat cõscientias suis ipsorum legibus obstringere. Præterea abominatio est coram Deo, cultum illi fingere, quem non requirat: vel ab hominibus absque eius verbo confictum amplecti, sicut testatur Iesaias: qui hac de causa, horribilem Dei vindictam denuntiat populo Israëlitico, quia Deum colebat mandatis hominum. Et nota est Christi sententia. Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. De ciborum delectu, habemus Pauli doctrinam: Nemo vos iudicet in cibo aut potu. Item. Regnum Dei non est esca & potus. Et Christi vocem. Quod ingreditur in os, non coinquinat hominem. Et Paulus alibi ex Spiritu sancto prædicat, venturos impostores, qui Diaboli instinctu prohibeant vsum ciborum, quos Deus creauit, & vsum sancti coniugij. Neque verò audiendum est canillum illud: Paulum cum Iudeis disputare in prioribus locis. Hoc autem variacionum spectare ad Tatianos & similes. Nam si Deus ciborum discrimen sustulit, quod lege sua posuerat, hominumque potestati indifferenter subiecit omnes cibos, quis nunc tantum sibi sumat, vt leges ipse nouas figat, quibus libertas à Deo permissa aboleatur? Quòd si iure conquerebatur sua iam etate Augustinus, Ecclesiam, quam Dei misericordia liberam esse voluit, sic premi, vt tolerabilior fuisset Iudeorum conditio: quibus querelis deplorabimus eam, quæ nunc est, seruitutem;*

## AD XXV.

*In votis tria hæc sunt spectanda. An in potestate nostra sit, quod vouemus: deinde, an finis vouendi reclus sit: tertio, an quod vouemus, deo placeat. Vbi hæc de sunt, vel vnum ipsorum, vota esse irrita nulli usque momenti, constituimus. Porro non esse in cuiusuis manu perpetuam continentiam, docet scriptura. Christus enim testatur, non omnes capere hoc verbum. Et Paulus admonet, distributa esse dona Dei, loquens de hoc ipso dono, vt singulare esse intelligamus, quod non omnibus sit concessum. Ideo que ad coniugij remedium confugere iubet omnes, qui vruntur. Qui nõ potest continere, inquit, uxorem ducat. Item, propter scortationem vitandam, quisque uxorem suam habeat. In vouenda autem obedientia monachali, vitiosum esse finem, hoc vno verbo Pauli palam est: quod omnes et helothriscias, id est, cultus*

volun-

Iac. 4.

1. Sam. 15.  
Deute. 12.Deute. 4.  
Iere. 7.  
Gailat. 5.  
Celo. 2.

1. Cor. 7.

et. 2

Mat. 15.  
Celo. 2.  
Rom. 14.  
Mat. 15.  
1. Tim. 4.Matt. 19.  
1. Cor. 7.

ne vouisset, quantum ad ligamen. præsertim hoc valet in votis monachatus, propter dignitatem professionis, quia est instar secūdi baptismi, sicut dicit beatus Thomas. Quod etiam afferunt Lutherani aliam replicam de perpetua continentia, quòd nemo tenetur ad eam seruandam, nisi cui daum est de super: responde, quòd votum non propterea desinit esse obligatorium, quia deficiat facultas, secundum Doctores. Sed quaritur, Vtrum sit melius monacho vel sacerdoti fornicari, vel uxorem ducere? Ad hoc profertur autoritas Cypriani, qui dicit de sacris virginibus vel monialibus, epistola undecima: quòd si per seuerare nolunt, vel non possunt, melius est vt nubant, quàm vt in igne delictis cadant. Sed ratio est in contrarium, quæ admodum etiam determinat canonista, propter cõrumaciam, & magis directam voti infractionem. Probatur etiam præterea, vota obligatoria esse, ex dispensatione & solutione illorum. Quia Papa non dispensat de votis, nisi beneficio clauium. Vnde sequitur, quòd ligent conscientiam. Restat vnum dubium super eo, quod magistri nostri dicunt, etiam si sint monastica, quia videntur innuere, quòd minus habeant firmitatis quàm alia. Sed nota, hoc fuisse positum propter difficultatem, quæ posset tentare monachos ad resiliendum, sine hoc freno.

### Noua statuta facultatis.

Inhibet autem theologorum facultas, iis qui de grege suo sunt magistris, bacchalaureis, ac cæteris gradum theologicum nunc & in posterum profiteri volentibus: ne quoquo pacto supra dictis propositionibus contraria, aut inconcionibus prædicent, aut in lectionibus, vel alibi doceant. Quin potius, quando se materia & occasio offeret, eas populo sincere annuntient, & apertè declarent. Porro etiam decreuit, vt præfatas propositiones singuli magistri & bacchalaurei, chirographi sui approbatione cõfirmet. Et, cum in suo grege lupos, & immorigeros, cõtentionosque alere tutum non sit: qui huic decreto parere noluerint, & contrarias præfatis propositiones docuerint, aut in posterum prædicauerint, è suo consortio eximendos in perpetuum priuare decreuit. Cæterum quia contradicendi studio, & à maiorum institutis discedendi, plerique nouarum rerum & doctrinarum studiosi, laudabilem illam consuetudinem, qua per intercessionem, beatiss. virginis Spiritus sancti gratia imploratur, negligunt: monemus, ne tantopere à salutatione illa angelica, quam nobis Euangelium præscripsit, ab horreant: neue, vt plerique solent, quoties Domini saluatoris nostri mentio occurrit, salutiferum illud Iesu nomen præponere dedignentur, contenti dicere, le Christ, præsertim cū, teste Petro, non sit aliud nomen datum hominibus, in quo nos saluari oporteat. Si militer cum diuorum Apostolorum, Euangelistarum, aut sanctorum doctorum mentio inciderit, ne, vti conueuerunt, sine vlla honoris

Voluntarios, quos homines suo arbitrio instituant, damnat. Hoc enim verbo vti-  
tur ad Colossenses, vbi interpret reddidit superstitionē. Sic autem vouent monachi  
obedientiam suis patribus, vt hominum figmentis Deum colant. Paupertatem hęc,  
quam vouent, Deo nequaquam esse acceptam, imò prorsus displicere, dicimus. Iu-  
bet enim Deus suo quemque labore viuere. Et Paulus dicit: Qui non laborat, non  
manducet: vitāque inordinatam vocat, cū quis ex alieno sudore ociosus viuit, ac  
tales excommunicari præcipit. Deinde voluntaria paupertas, quam nobis commen-  
dat Deus, hęc est, vt qui diues est, elargiendo sua ad subleuandam fratrum ino-  
piam, exemplo Christi, sicut dicit Paulus, pauperem se faciat. Sic autem paupertatem  
monachi profitentur, vt in ocio nunquam esuriant, deuorent bona pauperum, be-  
ne faciendi facultate se priuent. In summa, constituimus, vota, quę ex superstitione  
concepta fuerint, nihili esse: nec quicquā valere ad ligandas conscientias. Dein  
de votis temere, ex stulta carnis confidentia, conceptis maturè esse renuntiandum,  
antequam Deus obstinatam arrogantiam puniat.

1. The. 5.  
2. Cor. 8.

## AD NOVA STATUTA.

Prohibet Iesaias omnibus Dei discipulis, ne dicant: Conspiratio, quoties mul-  
tudo conspirauerit. Quo verbo significat, nullis impiorum consilijs, aut parendum  
aut assentiendum esse. Sequamur ergo quod deinde præcipit. hoc est sanctificemus  
Dominum exercituum, cū timore illi adhaerendo, vt nobis sit sanctificatio. Quicun-  
que ab hoc timore abducere nos tentauerit, sit nobis anathema. Neque horreamus  
cum cæco illuminato, exterminari è Synagoga impiorum, quò Christus obuiam no-  
bis occurrat, nõsque recipiat in corporis sui communionem. Centies moriendum po-  
tius, quàm vt manus polluamus nefaria subscriptione, qua Dei veritas à nobis ab-  
negetur. Nam quòd toties gregis sui faciunt mentionem Sorbonistę, se certè gre-  
gem porcorum esse hęc prodiderunt. Inuocationem virginis, qua vsi sunt antehac,  
ad petendam Spiritus gratiam, quis non videt execrabilem blasphemiam esse? vt  
elogia illa anathematis plena omittamus, quibus dā virginem volunt honorare,  
grauissimo probro afficiunt, cū reginam cœli & thesaurariam gratiæ appellant.  
Audimus quid doceat Christus: missurum se à Patre Spiritum veritatis: illum vt  
petamus in suo nomine, iubet. Hęc igitur iusta petendi regula, & certa obtinen-  
di ratio est. Ad virginem autem confugere, Christo præterito, eamque in precatione  
compellare, non Deum, quis non profanum esse morem videt? A verbo sanè  
Dei prorsus est alienus. Quinetiam extat decretum concilij Carthaginensis quarti:  
quod vetat sanctos ad altare inuocare. In eo quoque suam insultatē apertius  
etiamnum produnt, cum dicunt salutationem hanc nobis ab Evangelio præscribi.  
Missus est quidem Gabriel, vt Lucas narrat, qui hoc modo virginem saluaret:  
sed an sumus Gabriel? Vbi hoc nobis vnquam mandatum est? Quis ad virginem  
nobis accessus patet, vt cū ea colloquamur? Ad hęc, Quorsum tunc saluatio cū Spi-  
ritus gratiā implorant, nisi ea precationis vice abutantur? Quantum ad Christi no-  
men, vnde tã delicatę sunt a sinis aures, vt mos loquendi Spiritu sancto vsitatus eas  
offendat? Christi nomen vbique occurrit in scripturis. Sic omnes Ecclesię scriptores  
loquuti sunt, magister nostris non sapit. Et ne careant prætextu, magicum illud Iu-  
deorum commentum obtēdunt, quasi salus hominum in duabus syllabis sit inclusa.

Ioan. 14.  
15. & 16.

mm

Nihil

noris, præfatione nominent, Paul, Jaques, Matthieu, Pierre, Hierof-  
me, Auguftin, neque fit eis graue addere vocabulum fancti, & no-  
minare, faint Pierre, faint Paul, &c. Et postremò ne defunctorum  
animas populi precibus commendare negligant. Anno Domini.  
1542. die. 10. mensis Martii. Facultas theologiæ congregata per  
iuramentú in collegio Sorbonæ, super articulis præcedentibus,  
probauit hos articulos, sub forma qua scripti sunt.

Sic signatum, De mandato Domini deca-  
ni & facultatis. Forunier cum  
parapho.

FINIS.



*Nihil ergo mirum est, si in sanctorum nominibus adeo sint morosi: cum in Iesu nomine adeo turpiter delirent. Hanc verò legem concionatoribus, ut mortuorum animas commendent populo, qua ratione, aut quo exemplo imponunt? Extant multa veterum homilia: nihil tale fuisse vnquam factum in veteri Ecclesia, illic reperietur. Videmus ergo eos facere, quod tyranni solent: ut cum dominationem amplius tenere, moderatè imperando nequeunt, ad barbaram ferocitatem & truculentiam decurrant. Verum, quid Dominus ex aduerso? Inite concilium, & dissipabitur. Constituite decretum, & non fiet. Munite vos, & vincemini. Non enim est sapientia, non est prudentia, non est consilium aduersus Dominum.*

Ier. 3.  
Pro. 21.

FINIS.


ll 2

## SVPPLEX EXHORTATIO, AD INVICTIS:

*Cæsarem Carolum Quintum: & Illustriss. Principes, aliósq; ordines, Spiræ nunc imperij conuentū agentes: vt restituendæ Ecclesiæ curam seriò velint suscipere.*

*Eorum omnium nomine edita, qui Christum regnare cupiunt.*

*Per D. Ioan. Caluinum.*



**I**ndictus est abs te conuentus hic, Cæsar Auguste, in quo de presenti Ecclesiæ statu, quem miserrimū & prope deploratum omnes cernimus, in melius corrigendo, rationē cum Illustriss. imperij Principibus, ordinib;que alijs in eas tandem atque constituas. Ad hanc itaque consultationē quando nunc confidētis, primū abs te Cæsar, simul etiam à vobis Illustriss. Principes, & ornatiss. viri, supplex peto atque flagito, quæ in mediū proferam, legere & diligenter expendere ne grauemini. Ea est magnitudo causæ & grauitas, quæ vos ad audiendū studiū incitare debeat. Ego verò rem ante oculos ita vobis proponā, vt statuere non difficulter possitis, quænam sint vestræ partes. Quisquis sim, & piæ doctrinæ, & Ecclesiæ patrociniū me hîc suscipere profiteor. Hoc nomine vnū saltem istud mereri videor, ne mihi audientiam eousq; negetis, dum appareat, falsōne eiusmodi titulum vsurpē: an fideliter præstē, rēque ipsa exhibeam, quod præ me fero. Etsi autē tanto oneri nequaquā parem esse me scio, vbitamē à vobis officij mei ratio audita fuerit, minimē vereor, ne vel socordiæ, vel temeritatis accuser, quòd hanc prouinciam subire ausus sum. Duæ res sunt, quibus cōmendare quicquid agunt, vel certè defendere, homines ferè solent. Nam & quod honestè pióque studio factū est, laude dignum, & quod publica necessitate expressum, excusatione saltē non indignum arbitramur. Earum cum vtraque mihi constet, non dubito, quæ vestræ est equitas, quin meum hoc consiliū approbare facillè vobis possim. Nam vbi melius aut honestius, vbi etiā, hoc quidem tempore, in re magis necessaria, operā mihi collocare liceat, quàm si Christi Ecclesiæ, cui nihil omnino denegare fas est, laboranti nunc grauitè, & extremo in discrimine agenti, pro mea virili adesse coner? Quanquā de me ipso multū præfari nihil attinet. Perinde accipite quòd dicam, ac si eorum omnium, qui Ecclesiam, vel restitutam iam curarūt, vel cupiunt restitui in verū ordinē, vna vox personaret. Sūt aliquot non infimæ dignitatis Principes, sunt insignes resp. non paucæ in hac causa. Pro his omnibus ita vnus loquor, vt verius per me vno ore simul loquantur omnes. His addite infinitam priorū hominum multitudinē, qui per varias Christiani orbis partes dissipati, vno tamē consensu mihi in hac actione subscribunt. Denique putate hanc cōmunem esse orationem omnium, qui præsentem Ecclesiæ corruptionem ita seriò deplorant, vt nequeant diutius ferre: nullum finem facturi, donec aliquam emendationem viderint. Scio quàm odiosis nominibus ad infamiā notemur. Verū quocunq; tandem nomine appellare nos libeat: interea causam audite: & inde postea æstimate, quò loco haberi debeamus.

Principiò, non queritur: an morbis laboret Ecclesia, & multis, & pessimis (constat enim inter omnes, qui vel mediocriter iudicant) sed an eius generis sint morbi, quorum longiorem moram non ferat curatio: vt nimis lenta remedia expectare, nec vtile sit, nec deceat. Accusamur temerariæ & impiæ nouationis, quòd omnino quicquam ausi fuerimus, ex antiquo statu, in Ecclesia mouere. Quid? Etiamne, si nec absque ratione, nec perperam factum sit? Sunt, vt audio, qui ne in hoc quidem

quidem damnare nos dubitent: quia expetendam quidem à nobis fuisse correctionem, tentari verò non oportuisse, censeant. A quibus nihil impetrare aliud in præsentia velim, nisi ut paulisper iudicium sustineant, donec ex re ipsa ostendero, neque nos ante tempus festinasse, & nihil temere, nihil officio nostro alienum fuisse aggressos, denique nihil fecisse, nisi summa necessitate coactos. Hoc ut efficiam, videndum quibus finem de rebus nobis sit certamen.

Cum Deus initio Lutherum & alios excitauit, qui nobis facere ad reperiendam salutis viam præculerunt: & quorum ministerio fundata sunt, & instituta nostra Ecclesiæ, dicimus ea doctrinæ capita, quibus religionis nostræ veritas, quibus purus & legitimus Dei cultus, quibus salus hominum continetur, fuisse propemodum abolita: dicimus sacramentorum usum multis modis fuisse vitiatum & pollutum: dicimus Ecclesiæ gubernationem in speciem fœdæ & non ferendæ tyrannidis fuisse conuersam. Hæc fortè nondum ad quosdam permouendos satis valeant, donec melius exprimantur. Faciam igitur, non quantum res postulat, sed quantum facultas mea feret. Neque tamen hic omnes cõtrouersias recensere, & excutere propositum est: Longam enim disputationem id requireret: cui nunc non est locus. Tantum proferre in mediũ volo, quàm iustæ & necessariæ causæ nos ad hanc mutationem, quæ nobis vitio vertitur, coegerint. Quanquam expediri hoc non potest, quin tria simul complectar. Næpe ut vitia breuiter commemorem, quæ nos ad querenda remedia impulerunt. Deinde, ut de remedijs ipsis, quæ à nostris hominibus sunt adhibita, quàm apta fuerint & salutaria, differam. Postremò ut planum faciam, quàm non licuerit, suspensa manu vltèrius differre: cum res præsentem emendationem flagitaret. Primum, illud quia tantum ideo attingam, ut mihi viam ad reliqua patefaciat, conabor paucis perstringere. In diluendo sacrilegæ audaciæ & seditionis crimine, quo grauamur, quasi importuna festinatione, quod nostrarũ partium non erat, perperam vsurpauerimus, longius immorabor.

Si queritur, quibus potissimum rebus stet Christiana religio inter nos, suamque veritatem retineat, has duas non modò summum locum occupare certum est, sed reliquas etiam omnes partes, adeoque totam vim Christianismi sub se comprehendere: ut rite colatur Deus: ut vnde salus sibi petenda sit, nouerint homines. Idem sublatis, Christi nomine gloriemur licet, vana est ac inanis nostra professio. Sequuntur deinde sacramenta, & Ecclesiæ gubernatio, quæ sicut ad huius doctrinæ conseruationem sunt instituta, sic non aliò referri debent: nec aliunde æstimari potest, sanctè & ordine, an secus administrantur, nisi cum ad hunc finem exiguntur. Hoc si clarius & familiarius habere quis velit: regimen in Ecclesia, munus pastorale, & reliquus ordo, vnà cum sacramētis, instar corporis sunt: doctrina autem illa, quæ & rite colendi Dei regulam præscribit, & vbi salutis fiduciam reponere debeant hominum conscientia, ostendit, anima est, quæ corpus ipsum inspirat, viuendum & actiuosum reddit: facit denique, ne sit mortuũ & inutile cadauer. Quæ hæctenus dixi cõtrouersiam inter pios, & recti sanique animi homines, nullam habent.

Nunc cultũ Dei legitimum definiamus. Huius vero præcipuũ est fundamentũ, eũ, sicuti est, omnis virtutis, iustitiæ, sanctitatis, sapientiæ, veritatis, potentia, bonitatis, clementiæ, vitæ & salutis fontẽ vniciũ agnoscere, ideoque bonorum omnium gloriam illi adscribere in solidũ, & tribuere, querere in ipso solo omnia: ideoque si quid nobis opus est, in ipsum solum suspicere. Inde nascitur inuocatio, inde laudes

& gratiarum actiones: quæ testimonia sunt eius, quam illi tribuimus, gloria. Hæc est vera nominis eius sanctificatio: quæ in primis à nobis requirit. Huic annexa est adoratio, qua reuerentiâ illi, magnitudine excellentiâque sua dignâ exhibemus: cui seruiunt ceremoniæ, tanquã vel adminicula, vel instrumenta: vt corpus vnâ cum animo in cultus Diuini professione exerceatur. Sequitur postea nostri abnegatio: vt renuntiantes carni & mundo, transformemur in nouitatem mētis: quò iam non viuamus amplius nobis, sed nos illi regendos & agendos resignemus. Hac verò abnegatione ad obedientiã obsequiũque voluntatis eius cõparamur: ita vt timor eius in cordibus nostris regnet, omnesque vitæ nostræ actiones moderetur. His partibus contineri verum sincerũque Dei cultum, quem solum probat, & quo delectatur, tum spiritus sanctus vbique in scripturis docet, tũ ipse quoq; pietatis sensus, absq; longa disputatione, id ipsum dicit. Neque alia fuit ab initio colendi Dei ratio, nisi quod hæc spiritualis veritas, quæ nuda & simplex apud nos est, figuris inuoluta fuit sub veteri testamento. Atque id est, quod volunt Christi verba, Ioannis quarto. Venit tempus, cum veri cultores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Non enim negare his verbis voluit, quin à patribus spirituali isto modo cultus fuerit, sed discrimen in externa tantũ forma indicare: quòd cum illi adumbratum habuerint spiritum multis figuris: apud nos simplex sit. Ceterũ, semper valuit illud: Deum, qui spiritus est, spiritu & veritate oportere adorari.

Porro, vniuersalis est regula, quæ purũ Dei cultum à vitioso discernit: ne commiscamur ipsi quod nobis visum fuerit, sed quid præscribat is, qui solus iubedi potest statẽ habet, spectemus. Ergo si cultum nostrum approbare illi volumus, tenenda est diligenter hæc lex, quã summa sæueritate vbique vrget. Duplex autẽ est ratio, cur Dominus, scilicet omnes cultus prohibendo ac dãnando, nos ad solũ vocis suæ obsequiũ reuocet. Quia & hoc ad eius authoritatẽ stabilitã magnopere pertinet, ne seruiamus illi nostro arbitrio, sed toti ab eius nutu pendeamus: & nos, qua sumus vanitate, si libertas nobis relinquatur, nihil possumus quàm aberrare. Vbi autẽ semel desleximus à via, nullus postea finis: donec superstitionum multitudine obruamur. Merito itaq; Dominus, vt plenũ dominij ius sibi vindicet, quid facere nos velit, ita mandat vt quidquid præter suum mandatũ cõfixerint homines, simul reiiciat. Merito & hoc quoque facit, quòd ore suo limites nobis præfigit, ne peruersos cultus fabricando, irã eius in nos prouocemus. Scio quàm difficulter hoc persuadeatur mundo, improbari Deo cultus omnes præter verbũ suum institutos. Quin potius hæret hæc persuasio, & quasi in ossibus omnium defixa est ac medullis, quicquid agant, in eo se satis iustã approbationẽ habere, si modò qualẽcunque honoris Dei zelum obtendãt. Verũ cum Deus non modò irritũ habeat, quicquid colendi sui studio, præter mandatũ suum, suscipimus, sed palam quoq; abominetur: quid proficimus contra tendendo? Hæc sunt claræ & disertæ Dei voces: Obedientiã meliorem esse victimis: frustra se coli mandatis hominum: mendacium esse, quicquid verbo suo additur: præsertim in hac parte: *id est pronũ* meram esse vanitatem. Vbi semel pronunciauit iudex, iam amplius litigandi non est tempus.

Nũc mecũ tua maiestas, Casar, recognoscat, vòsq; illustrissimi principes, huc mihi vestrã attentionem præbete, quàm profusus ab hac ratione desideant omnia, in quibus hodie passim Dei cultũ orbis Christianus reponit. Verbo quidẽ, bonorũ omnium gloria concedũt Deo, sed resp̃sa eũ, vel dimidia, vel maiori ex parte spo. i. it: cum eius

virtutes inter sanctos partiuntur. Eludant, ut volent, aduersarij: & leuiculos, sicuti ipsi fingunt, errores nimium nos exaggerare calumnientur. rem ipsam, sicuti est perspicua vnicuique, simpliciter proponam. Sic inter sanctos distributa sunt Dei officia, ut summo Deo tanquam collegæ sint additi, in sustinendis eius partibus, in quorum multitudine delitescat. Neque aliud conqueror, nisi quod totus mundus vulgari prouerbio confitetur. Quid enim sibi vult quod dicunt, Dominum præ Apostolis non cognosci? nisi quod in eam altitudinem euehantur Apostoli, qua Christi dignitas vel obruatur, vel saltem obscura fiat. Secundum hanc prauitatem, mundus, derelicto viuo fonte, puteos, ut dicit Ieremias, dissipatos & hiulcos fodere edocebatur. Vbi enim salutem & quicquid bonorum est querunt? an in solo Deo? Atquæ palam reclamationem tota communis vita. Aiunt quidem, salutem se & bona omnia in Deo querere: sed cum alibi querant, quàm in eo solo, falsus est prætextus.

Huius rei manifestam fidem facient vitia, quibus inuocatio Dei corrupta primum, deinde propemodum subuersa extinctaque fuit. Diximus inuocatione testari homines, an debitam Deo gloriam tribuant. Ergo hinc etiam licebit deprehendere, an Dei gloriam, illi ereptam transferant ad creaturas. Porro in vera Dei inuocatione plus requiritur, quàm precatio qualibet. Nempe ut certò statuatur hominis animus, Deum esse solum, ad quem confugere debeat: quia & solus in necessitate iuuare possit, & se id facturum receperit. Eo autem sensu præditus esse nemo potest, nisi qui & mandatum, quo Deus nos ad se vocat, & promissionem quam mandato adiungit, de exaudiendis nostris precibus, intuetur. Atquæ mandati adeo non est habita ratio, ut angelos & homines mortuos promiscuè vulgus hominum inuocauerit simul cum Deo. Sapientiores verò, si non inuocabant eos loco Dei, saltem pro mediatoribus habebant, quorum intercessionem à Deo obtinerent quod petebant. Vbi igitur tunc erat promissio, quæ sola Christi intercessionem suffulta est? Itaque Christo vnico mediatore præterito, singuli se ad suos patronos, quos sibi finxerant, contulerunt: aut si quando dabatur Christo locus, latebat tamen, quasi gregarius aliquis, in turba. Iam cum veræ Dei inuocationi nihil magis repugnet, quàm hæsitatio & diffidentia, adeo inualuit, ut pro lege rite orandi ferè recepta fuerit. Vnde autem id? nisi quia mundus quid ista omnia valeant, non intellexit, & quod Deus à nobis vult inuocari, & se facturum promittit quicquid petierimus mandato promissionemque sua freti, & Christum nobis aduocatum proponit, cuius nomine exaudiantur preces nostræ. Ad hæc, excutiantur solennes preces, quæ passim habentur in ecclesijs. Reperientur innumeris sordibus inquinatæ. Ab illis igitur fuit iudicium, quantum vitiatum in hac parte cultus Dei fuerit. Nec minus in gratiarum actionibus corruptionis fuit: cuius testes sunt etiam hymni publici: vbi bonorum omnium laus ad sanctos, tanquam Dei collegas, transcribitur.

Iam de adoratione quid dicam? Quicquid reuerentiæ exhibere volunt homines Deo, an non id illi in statuibus & imaginibus exhibent? Errat autem, qui putat quicquam inuereffe inter hanc, & Ethnicorum insaniam. Neque enim Deus lapides tantum adorare vetat, sed illis numen suum affigere, ut in illis adoretur. Quoscumque prætextus hodie afferunt, qui hanc abominationem tueri student, ijs etiam olim vsi sunt ethnici, ut suam impietatem obtegerent. Prætereà constat, sanctos quoque Dei loco adorari. inò id ferunt ossa, vestes, calceos, & simulachra. Hic mihi obijciat astutus quispiam, diuersas esse adorandi species: dulix, ut loquuntur, honorem sanctis eorumque simulachris & ossibus, datri: latriam seruari Deo, sicut in ipsum solum competat: nisi quod crescente insaniam, excogitatus est hyperdulix gradus, in quæ supra alios beata Virgo extolleretur. Quasi verò subtiles

istæ distinctiones, aut notæ sint, aut in mentem veniant ijs qui coram statuis se prosternunt: Interim idololatria plenus est mundus: non minus crassa, nec mirus, ut ita dicam, palpabili, quàm illa vetus Aegyptium fuerit. quam tunc opere Propheta: omnes passim execrantur.

Singula breuiter perstringo: quia paulò post acrius exaggeranda erunt. Venio ad ceremonias: quæ cum esse debeant graues cultus Dei testificationes, mera sunt potius Dei ludibria. Præterquam enim quòd nouus Iudaismus, eius loco, quem Deus clara voce abrogauerat, iterum excitatus est, per multas etiã pueriles ineptias hinc inde collectas, admiscuerunt quosdam etiam impios ritus, alios verò profanos, & qui magis ad theatrale aliquod ludicrum, quàm ad religionis nostræ dignitatem sunt compositi. In eo quidem primum peccatum est, quòd hæc tanta ceremoniarum multitudo, quam Deus sua auctoritate semel sustulerat, rursus expetita fuit. Deinde, quòd cum viuæ pietatis exercitia esse debeant ceremoniæ, multas friuolas & inutiles habet mundus, in quibus frustra occupatur. Verùm hæc multò est capitalior pestis, quòd ubi suis istis qualibuscunque ceremonijs cum Deo lusserunt, putant se bellè defunctos esse: perinde ac si tota vis pietatis & cultus Dei in illis inclusa foret.

Quòd ad nostri abnegationem pertinet, ex qua pendet regeneratio in vitæ nouitate, tota hæc doctrina, aut prorsus oblitterata fuit ex animis hominũ: aut certè semisepulta: ut à paucis & quidem tenuiter, cognoscere tur. Atquæ hoc est si irrituale sacrificium, quod Dominus in primis commendat, ut mortificato veteri homine, transformemur in nouum hominem. Fieri forsàn potest, ut de istis vocibus non nihil balbutiant concionatores. Sed vim rerum ab ipsis non teneri vel inde constat, quòd nobis fortiter reclamant, cum hanc cultus Dei partem conamur restituere. Si quandò de pœnitentia disputant, quæ præcipua sunt, contemptim attingunt tantum, in externis modò corporis exercitijs immorantur: quæ, teste Paulo, non maximam utilitatem habent. Quæ peruersitas eò minus ferenda est, quòd mundus pernicioso errore umbram pro re ipsa sectatur, dum omissa vera pœnitentia, in abstinentiis, vigiliis, & cætera, ut Paulus appellat, e gena mundi elementa toto studio incumbit.

Cum autem verbum Dei notam esse dixerimus, quæ verum eius cultum à vitioso præuòque discernat, inde colligere promptum est, totam colendi Dei formam, quæ hodie mundo est vsitata, nihil quàm meram esse corruptionem. Neque enim quid Deus mandauerit, aut quid approbet, respiciunt, ut illi, quem admodum decebat, obsequantur: sed licentiam excogitandorum cultuum sibi permittunt, quos postea illi obrudunt obsequij loco. Si videor modum in dicendo excedere, age dum excutiantur omnia opera, quibus mundus Deum se colere arbitratur. vix decimam partem excipere audeo, quin omnia temere in hominum cerebris nata fuerint. Quid amplius volumus? Commentitios omnes cultus Deus respuit, damnat, execrat. Frænum verbi sui nobis iniicit, ut in simplici obedientia nos contineat. Vbi, excusso iugo, euagamur ad nostra fragmenta: & cultus humana temeritate fabrefactos illi offerimus, vnicunque nobis arrideant, coram eo manes sunt nugæ: imò sordes & inquinamenta. Habent humanarum traditionum patroni pulchros & varios colores, quibus eas pingant: & Paulus certè fatetur eminere in illis speciem sapientiæ: sed quia plura obedientiam facit Deus quàm omnes victimas, satis hoc valere debet ad repudiandum quemcunque cultum, si nullo Dei mandato approbetur.

Alterum Christianæ doctrinæ præcipuum membrum in eo posuimus, dum agnoscunt homines, vbi nam salutem querere debeant. Porro salutis nostræ cognitio tres habet gradus. Nam à propriæ miseræ sensu incipiendum est, qui adducere nos eoque debet,

bet, ut animos despondeamus tanquam mortui. Id autem fit, dum nobis originalis & hereditaria natura nostra vitiositas ostenditur, fons malorum omnium: quæ diffidentiam, rebellionem aduersus Deum, superbiam, auaritiam, libidines, & prauas omne genus cupiditates in nobis gignit: quæ nos ab omni rectitudine & iustitia auersos, sub peccati verò iugo captiuos tenet: dum sua singulis peccata deteguntur, ut sua turpitudine confusi, cogimur sibi met displicere, seque & sua omnia pro nihilo ducere. Deinde etiam, ex aduerso citantur conscientia ad Dei tribunal, ut agnita maledictione sua, & quasi accepto æternæ mortis nuntio, iram Dei horrere discant. Hic, inquam, primus est gradus, quo ad salutem peruenitur, ut homo in seipso prostratus & attonitus, de omnibus carnis præsidij desperet: neque tamen obduret seipsum aduersus iudicium Dei, aut quasi obducto callo obstupescat: sed trepidus & anxius dolore ingemiscat, suspirétque ad remedium. Hinc ad alterum gradum debet surgere. Id fit, dum agnitione Christi erectus respirat. Homini, enim in hunc, quem diximus, modum humiliato, non aliud restat, nisi ut ad Christum se conuertat, ut eius beneficio à miseria liberetur. Verùm salutem in Christo is demum querit, qui eius virtutem tenet: hoc est, qui illum agnoscit unicum sacerdotem, per quem patri reconciliemur: qui mortem eius unicum sacrificium esse agnoscit, quo expiata sint peccata, satisfactum iudicio Dei, vera & perfecta iustitia acquisita: qui denique inter se & illum non dimidiat, sed merum & gratuitum eius beneficium esse agnoscit, quòd iustus coram Deo est. Ab hoc quoque gradu conscendere ad tertium necesse est: ut qui de Christi gratia, de mortis & resurrectionis eius fructu edoctus est, in eo solida firmaque fiducia acquiescat: ac secum statuatur, ita suum esse Christum, ut iustitiam in ipso vitamque possideat.

Nunc videte, quàm miserè euersa hæc doctrina fuerit. De peccato originali, spinose quæstiones agitatae sunt in scholis, quibus hunc tam exitialem, hominis morbum, quantum fieri potuit, eleuarunt. Nam cum de illo disputant, redigunt ferè ad gulae & libidinis intempericm. De cecitate & vanitate mentis, ex qua prodeunt incredulitas & superstitio, de interiore animi nequitia, de superbia, de ambitione & contumacia, de alijs arcanis malis, nullus sermo. Conciones nihilo saniores. Iam liberi arbitrij prædicatio, qualis audiebatur, antequàm prodirent Lutherus & alij, quid aliud poterat quàm mani proprie virtutis opinione inflare homines, ut solo vento turgidi, spiritus sancti gratia & auxilio locum non darent? Quid multa? Nulla est maior internos concertatio, & in qua nobis pertinacius reclamant aduersarij nostri, quàm de iustificatione: fidene an operibus eam consequamur. Nullo modo patiuntur hunc Christo honorem tribui, ut iustitia nostra vocetur, nisi in partem simul veniant operum merita. Non disceptamus hinc de bonis operibus, an præstari à pijs debeant, an accepta sint Deo, an mercedem apud eum habeant: sed an concilient nos Deo sua dignitate, an acquiramus eorum pretio vitam æternam, an compensationes sint, quæ, ad tollendum reatum, Dei iudicio soluantur, an collocanda sit in ipsis salutis fiducia. Hos ergo errores reprehendimus, quòd homines ad opera sua magis quàm ad Christum respicere iubentur, ut Deum sibi propitium faciant, ut eius gratiam promereantur, ut hereditatem acquirant vitæ æternæ: denique ut iusti sint coram Deo. Primum, operum meritis superbiunt, quasi Deum sibi obstrictum habeant. Hæc verò superbia quid aliud est, quàm exitialis mentis ebrietas? Nam seipfos adorant loco Christi, & cum in profundo mortis gurgite sint demersi, vitam se habere somniant: Quòd si cui amplificare nimis hunc locum videar, hæc cerè est trita in scholis & templis omnibus doctrina: quòd operibus Dei gratiam mereri oporteat: quòd operibus acquirenda sit vita æterna: quòd te-

Sauictus uan  
Hic 1.

Peccat-  
nab

Lib. ar

Alcr

meritaria & presumptuosa sit fiducia salutis, nisi bonorum operum adminiculo suffulta: quòd per bonorum operum satisfactionem reconciliemur Deo, non autem gratuita peccatorum remissione: quòd bona opera salutis aeternae meritoria sint, non quia gratis imputantur in iustitiam Christi merito, sed ex pacto legis: non gratuita peccatorum venia, sed satisfactorijs, ut vocant, operibus reconciliari homines Deo, quoties ab eius gratia sunt alienati: ad satisfactiones accedere ex Christi & martyrum meritis subsidium, modò tamen eo adiuari mereatur peccator. His impijs opinionibus totum mundum fascinatum fuisse constat, antequam Lutherus mundo innoresceret. Neque alia est, hodie quoque, pars doctrinae nostrae, quam maiore contentione & pertinacia impugnent nostri adversarij.

Hic postremò pestilentissimus error non modò passim occupavit hominum mentes, sed tanquam unum ex principibus fidei capitibus, de quo fas non esset dubitare, fuit habitus: fideles oportere de gratia Dei erga se perpetuò dubitare, suspensaque habere conscientias. Hac verò diabolica imaginatione penitus extincta fuit fidei vis: deletum Christi beneficium: eversa hominum salus. Illa enim demum, teste Paulo, est Christiana fides, qua excitatur in cordibus nostris fiducia, qua audeamus sistere nos in conspectum Dei. Nec aliter constaret quòd alibi tradit, habere nos testimonium adoptionis nostrae intus à Spiritu sancto obsignatum, quo freti Deum Patrem vocamus.

Quorsum autem illa hesitatio, quam hostes nostri à suis discipulis requirunt, nisi ut tota promissionum Dei fides evanescat? Ratiocinatur Paulus, evanuisse fidem, abolitas esse promissiones, si ex lege sit hereditas. Cur istud? Nempe quia lex dubium hominem tenet, ne acquiescere in certa firmaque fiducia possit. Isti autem ex adverso eiusmodi fidem somniant, quae hominem ab illa, quam Paulus exigit, certitudine exclusum ac repulsum, ad coniecturam rejiciat, ut instar arundinis fluctuetur. Neque tamen eos in tantam hanc absurditatem prolapsos esse mirum est: postquam salutis fiduciam semel fundauerant in operum meritis. Fieri enim aliter non poterat, quin ex illo praecipitio in hanc ruinam caderent. Quid enim in operibus suis reperiet homo, nisi dubitandi, & tandem desperandi materiam? Videmus ergo, ut error errorem traxerit.

Hic vobis, inuictiss. Caesar & Illustriss. Principes, quòd ante dixi memoria repetendum est: Ecclesiae salutem ex hac doctrina, non secus atque hominis vitam ex anima, pendere. Si tantum corrupta eius doctrinae puritas fuisset, iam letali vulnere sauciata fuisset Ecclesia. Ergo si maiori ex parte extinctam fuisse ostendero, perinde erit, ac si Ecclesia ferè usque ad ultimum interitum vulnerata esse diceretur. Ego autem id hactenus obiter indicavi: paulò autem post clarius patefaciam. Venio nunc ad ea, quae dixi instar corporis habere: gubernationem, & sacramentorum administrationem: quorum etiam si externa facies nihil haberet vitij, post illam tamen doctrinae subversionem vis & utilitas emortua esset. Quid si intus & extra nihil fuerit sani? Neque verò difficultis est eius rei demonstratio. Quantum ad sacramenta pertinet, primum eodem loco habitata sunt mysteria à Christo instituta, & excogitatae humanitus ceremoniae. Septem enim sacramenta, sine alio discrimine, recepta fuerunt: quorum duo tantum mandauerat Christus: alia non nisi hominum auctoritate fundata erant. His non minus alligatae fuerunt Dei gratiae, quam si inclusum in se Christum habuissent. Porro duo illa, quae Christus instituit, horrendum in modum fuerunt polluta. Baptismus tot superfluis additamentis est obvolutus, ut veri & puri Baptismi vix tenue vestigiù agnoscas. Sacra verò Coena non extraneis modò accessionibus corrupta, sed ipsa in formam prorsus diversam conuersa fuit. Manifestum est, quid Christus fieri iusserit, & quo ordine. Atqui, spreto eius mandato, actio histrio-



nica composita fuit, quæ in cœnæ vicem succederet. Quid enim simile Missis cum vera Domini Cœna? Cùm secundum Christi præceptum debeant inter se fideles communicare sacra corporis & sanguinis Domini symbola: excommunicatio potius quædam in Missis visitur. Separat enim se à reliquo cœtu Sacerdos, ut seorsum deuoret, quod proponi distribuique in medium debuerat. Deinde tanquam successor qui si iam Aaronis foret, sacrificium se offerre, ad expianda populi peccata, simulat. Vbi unquam sacrificij meminit Christus? Accipere, comedere ac bibere nos iubet. Quis hominibus permittat, receptionem in oblationem conuertere? Quorsum ista mutatio, nisi ut temerarijs hominum placitis cedat perpetuum & inuiolabile Christi edictum? Hoc quidem graue malum. Sed longè adhuc deterior superstitio, quòd opus hoc, tanquam obtinendæ gratiæ meritorium, viuis & mortuis applicarunt. Atque ita mortis Christi efficacia ad inanem & theatricam actionem translata est: & simul æterni Sacerdotij dignitas Christo crepta, ut hominibus daretur. Si quando autem ad communionem vocatur populus, ad dimidiam tantum partem admittitur. Quid hoc est? Christus calicem omnibus propinat, & omnes iubet ex eo bibere: ex aduerso interdiciunt homines fidelium cœtui, ne calicem attingant. Ita signa, quæ indiuiduo nexu Christi auctoritate coniuncta fuerant, hominum libidine separantur. Ad hæc consecrationum Baptismi, tum Missæ, à magicis incantationibus nihil omnino differt. Flatu enim & susurris, vel non intellectis vocibus, conficere se putant mysteria. Quasi demurmurari verbum suum voluerit Christus ad mysteriorum peractionem: ac non potius clara voce pronuntiare. Non obscuris verbis exprimitur virtus, natura, vsus Baptismi in Euangelio. Christus in Cœna non iussit super panem, sed disertis verbis Apostolos alloquitur, dum promissionem recitat: & mandatum adiungit, ut communis inter fideles confessio edatur. Nunc loco prædicationis susflantur arcani exorcismi, magicis artibus, sicut dixi, quàm sacramentis aptiores. Iam hoc primum perperam, quòd populo exhibentur ceremoniarum spectacula, quarum significatio & veritas taceatur. Neque enim aliud est sacramentorum vsus, quàm cum ex verbo Dei explicatur id ipsum, quod signum oculis representat. Itaque cum nihil illic habeat populus, nisi inanes figuras, quibus oculos pascat: nullam verò doctrinam audiat, qua dirigatur ad verum scopum, in ipso externo opere defixus hæret. Hinc pestilentissima illa superstitio, quòd perinde ac si sacramenta sola ad salutem sufficerent, neque de poenitentia, neque de fide, neque etiam de Christo ipso solliciti, signa pro veritate arripiunt. Et sæpe, impium illud dogma passim non modò inter rudes & plebeios, sed in scholis quoque obtinuit: valere per se sacramenta, modò ne quis obicem ponat peccati mortalis. Quasi in alium finem, aut usum data sint sacramenta, nisi ut nos ad Christum manuducant. Huc etiam accessit, quòd panem, peruerso illo incantamento magis quàm pio ritu consecratum, custodiunt in arcula, interdum in pompa circumferunt, ut pro Christo adoretur & inuocetur. Itaque: si quod periculum urget, ad panem illum, tanquàm ad vnicum præsidium, confugiunt: aduersus noxas omnes illo, tanquam amuleto, vtuntur: ad petendam à Deo veniam, tanquam optimum piaculum, adhibent. Quasi verò ad ineptias quaslibet prostituere corpus suum voluerit Christus, cum illud nobis in sacramento dedit. Quid enim continet promissio? non aliud scilicet, nisi nos, quoties sacram eius Cœnam peragimus, corporis & sanguinis ipsius participes fore. Accipite, inquit, edite, & bibite: hoc est corpus meum: hic est sanguis meus. Facite hoc in memoriam mei. Nòne videmus, promissionem vtrinque inclusam esse suis finibus, intra quos se contineant oportet, qui volunt quod illic offertur, percipere? Falluntur ergo, qui aliud quàm communem panem & profanum habere se extra legitimum Cœnæ usum, putant. Hæc verò communis omnium profanatio, quòd ad fœdam num-

ditionem perinde sunt exposita, ac si non alio fine instituta forent, quam ut quæstui seruiant. Neque verò eiusmodi est nundinatio, quæ clam aut verecundè tractetur: sed palam exercetur, non secus atque in foro mercatorio. Scitur, quantum singulæ Missæ in quaque regione vaneant. Alijs etiam constitutum est suum pretium. Denique templi, si quis bene expendat, nihil à meritorijs tabernis differunt: & nullum est sacrorum genus, quod non illic prosteret venale.

Gubernationis ecclesiasticæ vitia si recensere velim, nullum dicendi finem inueniam. Tantùm igitur crassiora quædam, & quæ dissimulari nequeunt breuiter notabo. Principiò, ipsum pastorale munus, qualiter à Christo institutum fuerat, iam pridem obsoleuit. Episcopos certè & Pastores, siue quocumque alio nomine vocentur, ideo præfecit Ecclesiæ Christus, teste Paulo, ut eam sana doctrina adificent. Secundùm hanc regulam, nullus est verus Ecclesiæ Pastor, nisi qui docendi munere fungitur. At hodie quicunque ferè titulum habent Pastorum, idoneis ad alios ablegarunt. Ex Episcopis vix centesimus quisque reperietur, qui suggestum vnquam docendi gratia conscendat. Nec mirum. Episcopatus enim in satrapias degenerarunt. Minoris autem ordinis pastores, vel nugis à Christi mandato in totum alienis munus suum implere se putant, vel episcoporum exemplo, hanc ipsam curam reijciunt in aliorum humeros. Inde sacerdotiorum locationes non minus vsitata, quam prædiorum. Quid volumus amplius? Spirituale regimen quod à Christo commendatum nobis fuerat, totum è medio sublatum est: noua & confictitia gubernandi species introducitur, quæ ut cunque illius nomine venditur, nihilo tamen plus similitudinis cum eo habet, quam mundus cum regno Christi. Quod si mihi obijciat quispiam, non deberi ordini culpam imputari, si qui officium non faciunt: primum respondeo, malum passim grassari, ut in publican consuetudinem iam transierit. Deinde ut fingamus episcopos omnes, & alios inferioris gradus presbyteros residere in sua quæque statione: facerèque quod suæ professionis esse hodie opinantur, quid hoc tamen ad verum Christi institutum? Canerent aut murmurarent in templo, histrionico vestitu se ostentarent, exercebant multas ceremonias. Docendi, aut rara, aut nulla cura. Nemo autem, ex Christi præscripto, episcopi aut pastoris nomen vendicare sibi potest, qui grege suum non pascat verbo Domini.

Iam cum sanctioris vitæ exemplo excellere alijs & præluce debcant qui Ecclesiæ præsumunt, quàm bene vocationi suæ respondent in hac parte, qui hunc gradum hodie occupant? Cum ad summum corruptionis mundus venerit, nullus tamen est ordo, omni flagitiorum genere magis refertus. Vtinam sua innocentia refellerent quod dico. Quàm libenter extemplo retractarem. Sed ante oculos omnium exposita est eorum turpido, patet inexplebilis eorum auaritia & rapacitas, patet intolerabilis superbia & crudelitas. Impudicis saltationibus perstreperere eorum domos, aleæ studium illic feruere, comeffationes intemperantiæ plenas illic agitari, more & vsu receptum est. Delitijs, & quouis luxu, tanquàm præclaris virtutibus, gloriantur. Ut alia taceam: cælibatus, quo vno haberi eximij volunt, quantum habet spurcitiæ? Pudet me rete gere, quæ suppressa mallet, modo silentio possent corrigi. Neque tamen occulta in medium proferam: quando plus satis fœditatis & probrorum alioqui iam apparet. Quotiusquisque, obsecro, sacerdos est, à scortatione purus? Imò quàm multorum domus quotidianis stupris sunt infames? Quàm multas honestas familias vagis suis libidinibus inquinant? Equidem nec traducendus eorum vitijs delector: neque id est mei propositi. Operæpretium tamen est expendere, quantum ea vita, quæ passim hodie in ordine sacerdotali conspicitur, ab ea distideat, quæ veros Christi & Ecclesiæ ministros deceret.

Hæc

Hæc quoque pars est Ecclesiastici regiminis non postrema, ut ritè ac ordine eligantur & designentur ad officium, qui præfaturi sunt. Habemus regulam ex verbo Dei, ad quam electiones omnes exigi oportebat. Extant multa veterum Synodorum decreta: quibus prudenter & diligenter præscribuntur, quæcunque ad rectam eligendi formam pertinent. Proferant aduersarij nostri, vel vnicum exemplum canonica electionis, & eos vicisse concedam. Scimus quale Pastoris examen requirat per os Pauli Spiritus sanctus: quale etiam veteres Patrum sanctiones. Hodie in creandis Episcopis, an tale aliquid respicitur? Imo quotusquisque eorum, qui ad hunc gradum euehuntur, saltem mediocriter ijs dotibus præditus est, sine quibus idonei esse Ecclesiæ ministri non possunt? Quem ordinem in præficiendis ministris Apostoli tenuerint, videmus: quem secuta deinde sit vetus Ecclesiæ: quæ denique antiqui Canones obseruari præcipiant. Hunc si hodie sperni & reijci conquerar, nonne iusta erit querela? Quid si, omni calcata honestate, promoueri per summum dedecus & flagitium, dicam? Atqui hoc nemini est ignotum. Aut enim condicito pretio emuntur honores Ecclesiastici, aut vi manûque occupantur, aut conciliantur nefarijs passionibus, aut sordidis obsequijs comparantur. Interdum etiam lenociniorû & eiusmodi artium sunt mercedes. Denique impudentius multò hîc luditur, quàm in vllis vnquam profanis possessionibus.

Atque utinam sic vitiosa esset Ecclesiæ gubernatio, ut qui præsent, sibi tantum peccarent: aut saltem alijs non nocerent, nisi malis exemplis. Verùm hoc malum reliqua omnia superat, quod sæuisimam tyrannidem exercent: & quidem in animas. Imo quid aliud est Ecclesiæ potestas, quæ hodie iactatur, quàm licentiosum, & sine lege modoque in animas imperium, quod eas miserrima seruitute opprimat? Potestatem Christus Apostolis permisit, qualem antè Prophetis Deus contulerat, certis finibus inclusam scilicet: ut legatione pro se apud homines, fungerentur. Hæc porro legationis perpetua lex est, ut qui mittitur, quæ accepit mandata, fideliter & summa religione perferat. Quod etiam nominatim exprimitur in Apostolis: *Ite, docete omnes gentes, quæ tradidi vobis.* Item, *Prædicate, non quidlibet, sed Euangelium.* De successoribus si quaeritur, quæ sint præditi potestate, Petrus eam definit, cum omnes qui in Ecclesiâ loquuntur, iubet eloquia Dei proferre. At nunc qui Ecclesiæ rectores haberi volunt, sibi vsurpant hanc licentiam, ut loquantur quicquid libuerit: simulatque loquuti fuerint, sine vllò examine audiantur. Excipient, hanc esse calumniam. Non enim aliud sibi iuris sumunt, quàm ut authoritate sua sanciant, quæ Spiritus sanctus reuelauerit. Negabunt ergo, se suis commentis aut suæ libidini subijcere fidelium conscientias, sed solis Spiritus oraculis, quæ sibi reuelata, alijs, addita confirmatione, promulgant. Ingeniosus prætextus scilicet. Quæ à Spiritu sancto accepta per manus tradunt, ijs, quin sine mora parendum sit, nemo dubitat. At cum se non alia posse tradere sulciunt, quàm mera Spiritus sancti oracula, quoniam ab ipso regantur, nec posse fieri, quin verû sit, quicquid statuerint, quia in cathedris veritatis sedeant, à non eo modo potestatem suam libidine metuntur? Nam si pro oraculis habenda sunt quælibet eorum placita, ubi nulla exceptio, illic infinitum imperium. Quis vnquam tyrannus ita intemperanter abusus est subditorum patientia, ut tanquam è cælo proditum recipi iuberet, quicquid ediceret? Tyranni quidem edictis suis, quælibet sint, parere volunt. Isti autem multo plus postulant, ut Spiritum sanctum

credamus loqui, dum nobis obruunt, quod somniauerint.

Itaque hac potestate armati, videmus quàm dura & iniqua seruitute fidelium animas constrictas tenuerint. Leges alia super alias condita sunt, quæ totidem essent conscientiarum laquei. Non enim ad ordinem externum, sed ad spirituale & interius animæ regimem eas retulerunt. Nec finis ullus fuit, donec ad istam immensam multitudinem ventum est, quæ non absimilis est labyrintho. Et quædam ad torquendas excruciantisque conscientias videntur profusus faciæ. Porro earum obseruatio nihilominus seuerè vindicatur, quàm si tota vis pietatis in illis consisteret. Quinetiam cum de violatis Dei mandatis, aut nulla fiat quæstio, aut sumatur non ita graues poenæ, aduersus hominum decreta aliquid admisisse, summum piaculum habetur. Cum hoc tyrannico iugo prematur Ecclesia, si quis verbum contra facere audeat, statim pro heretico damnatur. Denique, liberum gemitum emittere, capitale est. Atque vt hanc non ferendæ dominationis possessionem retineant, populum à sacrorum lectione & intelligentia sanguinarijs editis arcet: fulminant aduersus eos, qui de sua potestate controuersiam mouerint: & indies crescit immodicus ille rigor: vt iam propemodum nihil de religione inquirere permittant.

His tot ac tam densis tenebris cum suffocata esset Dei veritas: cum tot impijs superstitionibus polluta esset religio: cum horrendis sacrilegijs corruptus Dei cultus foret, prostrata eius gloria iaceret: cum multis peruersis opinionibus obrutum esset redemptionis beneficium: homines exitiali operum fiducia inebriati salutem alibi, quàm in Christo, quærent: Sacramentorum administratio partim lacera ac dissipata, partim admixtis multis figmentis corrupta, partim quæstuosis nundinationibus profanata esset. cum Ecclesiæ gubernatio in vastitatem profusus confusam degenerasset: cum ij, qui Pastorum loco sedebant, primum dissoluto viuendi more Ecclesiam plurimum læderent. deinde se uam & maxime noxiam tyrannidem in animas exercerent: pecudum more homines per omne errorum genus in exitum ducerentur, emerfit Lutherus, extiterunt deinde alij, qui conuictis studijs, rationes viasque quæsierunt, quibus repurgari à tot inquinamentis religio: pietatis doctrina restitui in suam puritatem: Ecclesia ex tanta calamitate intolerabilem aliquem statum colligi posset. In hoc cursu adhuc hodie pergamus.

Et quoniam de remedijs, quæ ad istorum malorum correctionem adhibuimus dicturum me præfatus sum, de eare nunc tractandi locus est: non vi modum, quo progressi sumus, describam (de hoc enim postea videbitur) sed vt appareat, non aliò spectasse nostra studia, nisi vt status Ecclesiæ, ex pessimo, saltem aliquãto melior fieret. Multis & atrocibus multorum calumnijs impetita est nostra doctrina, & quotidie impetitur. Alij fortiter aduersus eam declamitant in cõcionibus. Alij libris editis eam vexant, ac traducunt. Ab vtrisque plurima congeruntur: quibus eam infamari posse credunt apud imperitos. Sed extat in hominum manibus fidei nostræ confessio, quam maiestati tuæ obtulimus, inuictiss. Casar: quæ luculentum nobis testimonium reddit, quàm immeritò tot odiosis criminationibus vexemur. Et hæcenus semper ad reddendã doctrinæ nostræ rationem fuimus parati. Vt hodie quoque sumus. Ne multis: nihil auditur in Ecclesijs nostris doctrinæ, quæ non palam profiteamur. Quæ aliquid habent controuersie, ea perspicuè, & bona fide in confessione explicantur: & nihil est eorum, quod non sit à nostris hominibus

Reform  
nra.

copiosè tractatum, & expositum diligenter. Inde constare iudicibus non iniquis potest, quàm procul ab omni impietate absumus. Hoc certè aquis iuxta ac iniquis constat, in eorù parum Ecclesiæ profuisse nostros homines, quod & mandum quasi ex profundis ignorantie tenebris excitarunt ad Scripturæ lectionem: & ad sinceriorum eius intelligentiam multum contulerunt operæ. & locos doctrinæ Christianæ quosdam vtilis cognitu imprimis fœliciter illustrarunt. In concionibus nihil ferè, præter aniles fabulas, aut commenta non minus inepta, audiebatur. Scholæ quæstionum rixis perstrepebant. Scripturæ illic rara mentio. Qui Ecclesiæ gubernacula tenebant, hoc vnum habebant curæ, ne quid quæstui dcederet. Itaque quicquid erat ad farinas, non difficulter patiebantur. His quidem malis non nihilemendationis attulisse nostros homines, etiam iniquissimi concedunt: vtcunque nostram doctrinam multis postea criminationibus infament.

Verùm nihil hoc valere ad culpam subleuandam velim, quòd multum utilitatis ex nostris laboribus perceperit Ecclesia, si quid alia ex parte nocuerimus. Excutiatur ergo tota nostra doctrina, nos in administrandis Sacramentis noster, Ecclesiæ gubernandæ ratio. Nihil in his tribus deprehendimur nouasse ex veteri formæ, quod non ad rectam verbi Dei normam restituere conati sumus. Atque vt redeamus ad illam ante à nobis positam diuisionem. omnes, quæ inter nos sunt de doctrina controuersia, vel ad legitimum Dei cultum, vel ad certam salutis nostræ fiduciam pertinent. Certè ad colendum Deum, neque frigidè, neque negligenter hortamur homines: & in definiendo modo, neque à scopo aberramus, nec quicquam omitimus, quod ad rem faciat. Prædicamus Dei gloriam multo magnificentius, quàm solita fuerit ante nos prædicari. Virtutes, in quibus ea relucet, vt magis ac magis innorescant, seriò laboramus. Ipsius erga nos beneficia, quibus possumus elogijs, extollimus. Inde excitantur homines tum ad suscipiendam eius maiestatem, tum ad exhibendam illi sua magnitudine dignam reuerentiam, tum ad veram animi gratitudinem, tum ad confitendas eius laudes. Inde in ipsorum cordibus gignitur solida in ipso fiducia, quæ postea inuocationem parit. Inde etiam eruditur vnusquisque ad veram sui abnegationem: vt, composita in obsequium Dei voluntate, proprijs desyderijs vale dicat. Denique, sicut spirituali modo à nobis coli vult Deus, ita in vrgendis omnibus sacrificijs spiritus, quæ nobis commendat, toto studio insistimus.

In his enim exhortationibus nos esse assiduos, ne aduersarij quidem nostri negare possunt: ne aliunde quicquid bonorum desyderant homines, quàm à Deo, expectent: ipsius potentia confidant: in ipsius acquiescant bonitate: ab ipsius veritate pendeant: toto cordis affectu in eum ferantur: plena spe in eum recumbant: requirant ipsum in necessitate, hoc est, omnibus momentis: bona omnia accepta illi ferant: idque laudis confessione restentur. Et ne difficili accessu terreantur, ostendimus bonorum omnium fontem in Christo nobis esse propositum, ex quo hauriamus quicquid nobis opus est. Testes etiam sunt libri nostri, testes conciones, nos & frequenter, & sedulò, incumbere in veræ pœnitentiæ commendationem: vt homines rationi, ac desyderijs carnis suæ, silique in totum renuntient, quò ad vnus Dei obsequium compositi, non sibi amplius, sed illi viuant. Nec verò externa officia charitatisque opera prætermittimus, quæ eiusmodi renouationem sequuntur. Hac, inquam, certa est & minimè fallax colendi Dei ratio: quam

Doctrin  
nra.

illi approbati scimus: utpote, quam verbo suo præscripserit. Hæc sola sunt Christianæ Ecclesiæ sacrificia, quæ testimonium ab eo habeant.

Cum ergo adoretur in Ecclesiis nostris vnus Deus puro ritu, & absque vlla superstitione: cum eius bonitas, sapientia, potentia, veritas & reliquæ virtutes vberius, quàm alibi vsquam, prædicentur: cum vera fide inuocetur in Christi nomine: cum celebrentur eius beneficia & animis, & linguis: cum ad simplicem syncerâque eius obedientiam perpetuo reuocentur homines: cum denique nihil illi audiat, quod non ad promouendam nominis illius sanctificationem spectet, quid causæ est, cur nos tam malè excipiant, qui se Christianos profitentur? Primum; quod tam crassus idololatrias, quæ passim in mundo visuntur, acriter, sicut necesse est, reprehendimus, hoc ferre nequeunt, qui tenebras malunt, quàm lucem. Deum in simulacris adorari, fictitios institui cultus eius nomine, ad Sanctorum imagines supplicari, mortuorum ossibus diuinos exhiberi honores, & eius generis alia, abominationes, sicut sunt, ita esse clamamus. Ob hanc causam in nos inuehuntur, qui doctrinam nostram exosam habent: hæreticos nos faciunt, qui cultum Dei ab Ecclesia iam pridem approbatum conuellere audeamus. Quod Ecclesiæ nomen, clypei loco, subinde obiectant, de eo paulò post videbimus. Interea, quæ ista est peruersitas, ubi tam flagitiose apparent cultus Dei corruptela, non modo eas tueri, sed ad eas quoque operiendas, ipsum Dei cultum impudenter obtendere?

Idololatriam vtrinque fatemur execrabile coram Deo scelus esse. Cum imaginum cultum attingimus, hic protinus se opponunt aduersarij, ut patrocinium suum accommodent sceleri, quod nobiscum verbo damnauerant. Imo, quod magis ridiculum est, cum nobis assentiantur de Græco vocabulo, ubi id Latine vertitur, refragari tunc primum incipiunt. Imaginum enim venerationem fortiter defendunt: cum idololatriam damnent. Sed homines ingeniosi negant esse latriæ honorem, quem exhibent suis simulacris. Quasi verò si conferantur cum veteribus idololatriis, quicquam inter eos intersit. Prætexuerunt illi, cælestes se deos colere: sed sub figuris corporeis, quæ ipsos representarent. Quid aliud isti prætexunt? Verum, an Deus eiusmodi excusationibus satisfieri sibi patitur? An propterea deserunt Prophetæ, Aegyptiorum increpare dementiam, quod ex arcanis theologiæ suæ mysterijs proferrent argutias, quibus elaberentur? Serpentem quoque æneum qualiter existimamus adoratum fuisse à Iudæis, nisi quod tanquam Dei simulacro honor est habitus? Gentiles, inquit Ambrosius, lignum adorant, quia Dei putant esse imaginem. Sed inuisibilis Dei imago, non in eo est quod videtur, sed in eo vti que quod non videtur. Quid autem hoc sit? An non coram imaginibus, tanquam presentem illic haberent Deum, se prosternunt? Dei porro virtutem & gratiam nisi statuis & picturis alligarent, an ad eas confugerent, cum orare volunt?

Ambr. in  
Psalm. 8.

Et nondum crassiores superstitiones attingi: quæ tamen rudibus imputari nequeant, cum publico consensu approbantur. Ornant sua idola, nunc floribus & coronis, nunc peplis, vestibus, zonis, crumenis, & ineptijs omne genus. Coram illis cereos accendunt, thus adolent: gestant ea humeris in pompa. Confluunt ex longinquis regionibus ad statuam vnâ: cum domi similes habeant. Similiter cum in vno templo plures sint imagines, aut virginis Mariæ, aut alterius, alijs præteritis, vna, quasi diuinior, frequentatur. Cum ad Christophori precantur imaginem aut Barbaræ, precationem Dominicam, cum salutatione Angelica, illis

occi-

occidunt. Prout vel formosæ, vel fumosæ sunt imagines, maiorem illis præstantiam affingunt. Accedit & ex fabulosis miraculis noua commendatio. Alias locutas esse fingunt: alias templi incendiū pede restinxisse, alias demigrasse sua sponte in nouum domicilium: alias è cælo delapsas. His & similibus deliramentis cum totus mundus sca:cat, idque sit omnibus in propatulo, nos tamen, qui vnius Dei cultum ad verbi sui normam restituiimus, & restitutum seruamus diligenter, qui puri sumus, Ecclesiâsque nostras purgauiimus ab omni, non modò idololatria, sed etiam superstitione, accusamur de violato Dei cultu, quòd imaginum ueneratione, hoc est idololatriam, vt nos quidem interpretamur, vt autem mallunt hostes nostri, idoloduliam sustulerimus.

Atqui præter tam clara Scripturæ testimonia, quæ subinde occurrunt, etiam veteris Ecclesiæ autoritas nobis suffragatur. Quorquot enim extant purioris seculi scriptores, non alium imaginum abusum inter Gentes describunt, quàm qui in mundo hodiè uisitur: nec minus propriè in ætatem nostram comperunt, quæcunque ab illis dicuntur, quàm in eos ipsos, quos tunc reprehendebant. Quòd autem de sublatis, tam imaginibus, quàm ossibus & reliquijs Sanctorum, nobis crimen intendunt, facilis est responsio. Neque enim pluris æstimari oportuit hæc omnia, quàm serpentem æneum: neque uerò minor fuit causa, cur hæc remouerentur, quàm cur confringeretur ab Ezechia serpens æneus. Certum est, idolomania, qualiter nunc illa fascinata sunt hominum mentes, non aliter quàm, subducta insaniendi materia, curari posse. Et nos plus satis experimur, uerissimum esse illud Augustini neminem orare vel adorare, simulacrum intuentem, qui non sic afficitur, ut ab eo exaudiri se putet. Item, plus ualere simulacra ad curuandam infelicem animam, quòd os, oculos, aures, pedes, habent: quàm ad corrigendam, quòd non loquuntur, neque uident, neque audiunt, neque ambulant. Item, hoc fieri, & quòdammòdo extorqueri figura illa membrorum, ut animus in corpore uiuens arbitretur sentire corpus, quòd suo similitimum uidet. In reliquis uerò incredibile dictum est, quàm impudenter illam mundo fuerit. Possum tria Christi præputia nominare: similiter clauos quatuordecim, qui pro illis tribus ostentantur, quibus affixus cruci fuit: tres tunicas, pro illa inconsutili, super quam milites iecerunt forte: duos titulos cruci impositos: tres mucrones lanceæ, qua pectus Christi sauciatum fuit: linthea circiter quinque, quibus corpus eius in sepulchro fuit obuolutum. Monstratur præterea tota sacræ Cœnæ supellex: & infinita eius generis ineptiæ. Nullus est Sanctius aliquantum celebris, cui non affinxerint duo aut tria corpora. Possum locum nominare, ubi pumex pro cerebro Petri magno in honore fuit habitus. Et pudore impediatur, quominus alia fœdiora referã. Quamobrem immeritò accusamur, quòd talibus inquinamentis purgare studuerimus Dei Ecclesiam.

Hoc deinde nomine circa Dei cultum aduersarij nos accusant, quòd ommissis inanibus, nec minus ineptis pompis, & tantum ad hypocrisim compositis, simplici Deum colimus. Nam in spiritali Dei cultu nihil fuisse à nobis diminutum, res ipsa testis est. Quin potius, cum magna ex parte obsoleuisset, quasi postliminio eum restituiimus. Nunc uideamus, an iure nobis succenseant. Quòd ad doctrinam spectat, dico hic nos communem habere causam cum Prophetis. Nam secundum idololatriam, nihil est quòd acerbius in populo suo exagitent, quàm quòd Dei cultum in externo apparatu, falsa opinione, collocabat. Quid autem

in summa pronuntiant? Deum non morari, nec pensi habere ceremonias, si in se tantum astimentur: fidem & veritatem cordis respicere: ceremonias neque mandasse alio fine, neque approbare, nisi ut fidei sint, ac inuocationis pure, laudumque exercitia. Plena sunt his contestationibus Prophetarum omnium scripta. Nec vlla res alia fuit, sicuti dixi, in qua magis laborauerint. Hac porro cecitate magis, qui in vnquam captam fuisse mundum, cum nostri homines pro lierunt, negari, nisi impudenter, non potest. Erant igitur necessario prophetis illis obiurgationibus urgendis homines, & ab illa insania quasi violenter abstrahendi, ne amplius nudis ceremonijs, tanquam ludicris puerilibus, Deo satisfieri crederent. Urgenda similiter erat illa de spirituali Dei cultu doctrina: quæ ex hominum memoria euanuerat. Quorum vtrunque fideliter à nobis factum esse hæcenus, & adhuc fieri tum libri nostri, tum conciones luculentum testimonium reddunt.

Quòd autem inuecti sumus in ipsis ceremonijs, & alicubi quoque magnam earum partem abrogauimus, in hac re fatemur quidem, inter nos & Prophetas non nihil interesse. Nam illi quidem in suum popul. inuehebantur, quòd Dei cultum in externis ceremonijs includeret, si ab ipso Deo instituit. nos humanitus confictis ineptijs eundem haberi honorem, conquerimur. Illi, damnatis superstitionibus, ceremoniarum multitudinem, quam Deus iniunxerat, & quæ utilis aptaque erat pro ætate pedagogia, intactam relinquebant: nos multos ritus corrigendos curauimus, quòd vel temerè obrepfissent, vel in abusum conuersi fuissent: deinde quod tempori minimè conuenirent. Nisi enim omnia velimus confundere, tenendum est semper discrimen illud veteris & noui Testamenti: quòd ceremoniæ, quarum utilis sub Lege erat obseruatio, non superflue modò nunc sint, sed absurde quoque & vitiose. Nam cum absentem tunc Christum, & nondum exhibitum adumbrando, spem aduentus eius in animis fidelium alerent, nunc nihil quàm presentem & conspicuam eius gloriam obscurant. Videmus quid Deus fecerit. Nam quas ipse ceremonias præceperat ad tempus, eas in perpetuum abrogauit. Rationem audimus ex ore Pauli: primum quòd postquam exhibitum in Christo corpus est, faceffere vmbra debuerint: deinde, quòd alio modo nunc Ecclesiam docere velit Deus. Cum Ecclesiam suam Deus ea, quam ipse imposuerat, seruitute liberauerit, quæ, obsecro, isthæc est prauitas, nouam ab hominibus excitari, veteris illius loco? Cum cer. æconomiam Deus præscripserit: quæ superbia est, contrariam, & palàm ab ipso repudiatam erigere? Sed illud pessimum, quòd cum tam seueris interdictis omnes cõmentitios hominum cultus Deus roties prohibuerit, non nisi humanis figmentis colebatur. Quid est igitur, quòd religionem à nobis in hac parte dissipatam vociferantur hostes nostri? Primum, nihil, vel minimo digito, attingimus, nisi quòd pro nihilo Christus ducit, cum frustra coli Deum humanis traditionibus pronuntiat. Verùm illud forsàn vt cunquẽ fuisset tolerabile: homines, inutiliter Deum colendo, perdere operam: sed cum alibi multis locis, sicuti dixi, nos sibi cultus præter verbum suum, institui vetet, seque hac audacia grauiter offendi affirmet, & pœnam non leuem minetur, correctionem, quam adhibuimus, magna necessitate fuisse expressam, constat.

Neque verò me fugit, quàm difficulter hoc mundo persuadeatur: reijcere Deum, atque etiam abominari, quicquid ad eius cultum humana ratione exco-  
gitatur. Cuius erroris complures sunt cause. Suum enim cuique pulchrum, vt



Veteri prouerbio fertur: quo fit, ut quæ ex capite nostro nata sunt, magis nos delectent: & felicitij isti cultus sæpe ad aliquam sapientiæ speciem sunt compositi: sicut etiam Paulus fatetur. Præterea quoniam externum splendorem ut plurimum habent, qui in oculos incurrit, magis, pro natura nostra carnali, nobis arident, quam illa, quæ Deus sola & requirit & probat: cum minus habeant ostentationis. Nihil tamen magis obtenebrat hominum mentes, ut ita perperam de hac re iudicent, quam hypocrisis. Nam cum veros Dei cultores cor & animum oporteat, afferre, cupiunt semper homines modum seruiendi Deo ab eo profusus diuersum inuenire: ut scilicet, corporis obsequijs erga illum defuncti, animum sibi retineant. Porro dum externas pompas illi obrudunt, hoc se artificio euisisse putant, ne offerre seipfos cogantur. Atque hæc causa est, cur innumeros cultus libentius suscipiant homines, quibus sine fine & modo misere fatigentur, & cur in labyrintho errare perpetuò malint, quam simpliciter Deum colere in spiritu & veritate.

Improbæ igitur calumnia est, quòd hostes nostri facilitate & indulgentia nos allicere homines, criminantur. Nam si detur optio: quiduis potius semper eligeret homo carnalis, quam ut Deum colere, ad doctrinæ nostræ præscriptum, consentiret. fidem & pœnitentiam facile est nominare: sed res sunt ad præstandum difficilima. Quicumque igitur in his constituit Dei cultum, is minimè laxat habenas hominibus: sed cogit in eum ordinem, quòd venire maximè reformidant. Cuius rei locupletissimum testimonium in re ipsa habemus. Plurimis & duris legibus adstringi se, ad plurimas & laboriosas obseruatunculas se cogi, rigidum & graue iugum sibi imponi, denique nihil non molestiæ sibi exhiberi patientur homines: modò ne cordis fiat mētio. Hinc apparet, nihil magis refugere hominis ingenium, quam spirituale illam veritatem, de qua nos assiduè cōcionamur: cum splendido illo apparatu, in quo tantopere insistant nostri aduersarij, obruatur. Hoc extorquet ipsa Dei maiestas, ne eximere nos ab eius cultu possimus. Necessitatem ergo Dei coleudi dum effugere non possumus, quod reliquum est, obliqua diuenticula quærimus, ne rectà in eius conspectum venire necesse sit: vel potius externis ceremonijs, tanquam speciosis laruis, abscondimus interiorem cordis malitiam: & corporis obsequia opponimus tanquam parietem intermedium, ne corde ad eum accedere cogamur. Eiusmodi subterfugia sibi excari ægerrimè patitur mundus, atque hinc illæ lacrymæ, quòd ex illis latebris, in quibus securè cum Deo ludebant, in apertam lucem per nos extracti sunt.

In oratione tria correximus. Nam & sanctorum intercessione valere iussa, homines ad Christum reuocauimus: ut tum in illius nomine Patrem inuocare, tum eo Mediatore niti discerent: & ipsos docuimus, primùm cum solida firmâque fiducia, deinde etiam cum intelligentia orare: cum autè confusas preces, lingua incognita, demurmurent. Hic profcindimur atrocibus conuijs, primùm quòd in sanctos sumus contumeliosi: deinde quòd fideles ingenti beneficio priuemus. Nos verò vtrunque negamus. Nam quòd illis Christi officium non patimur assignari, hoc fit sine vlla eorum iniuria. Nullum ergo illis suum honorem præripimus, sed qui temerè ac perperam, hominum errore, illis attributus erat. Nihil dicam, quod non possit digito monstrari. Principiò homines precaturi, Deum imaginantur procul abesse: nec ad eum, nisi patroni cuiuspiam ductu, patère accessum. Neque inter rudes ac indoctos tantùm vagatur falsa hæc opinio: sed qui duces exorum ha-

beri volunt, ita quoque sunt persuasi. Porro in quaerendis patronis, suum quisque sensum sequitur. Alius Mariam, alius Michaelem, alius Petrum eligit. Christum, ut plurimum, nullo loco, nec numero dignantur. Imo vix centesimus quisque reperitur, qui non stupeat, tanquam ad nouum portentum, si Christum audiat aduocatum nominari. Christo igitur praterito, in sanctorum patrocinis omnes acquiescunt. Gliscit deinde magis ac magis superstitio, ut promiscue sanctos, non aliter quam Deum, inuocent. Fatcor equidem, cum distinctius loqui volunt, non aliud petere eos à sanctis quam ut eorum precibus iuuentur apud Deum. Sed saepius, confuso hoc di scrimine, nunc Deum nunc illos, prout tulerit mentis impetus, requirunt & implorant. Quinetiam propria cuique prouincia est assignata: ut alius pluuiam, serenitatem alius conferat: alius liberet à febre, alius à naufragio. Verum ut profana ista ethnicorum deliria, quae passim tamen grassantur in Ecclesiis, dissimulem, vna haec impietas pro omnibus sufficiat, quod totus mundus hinc inde aduocatos sibi accersendo, Christum, qui vnus à Deo propositus erat, negligit: & sanctorum magis tutela, quam Dei protectione confidit.

At nostri reprehenses, etiam qui inter alios aliquanto plus habent equitatis, modum in nobis desilerant, quod sanctorum mortuorum mentionem in totum ex precibus sustulerimus. Sed ex ipsis scire velim, quid eos peccare existiment, qui regulam à Christo optimo magistro, à Prophetis & Apostolis omnibus positam, fideliter obseruent: nec quicquam praetermittunt, quod vel Spiritus sanctus in Scripturis docuerit, vel serui Dei, à primi mundi origine vsque ad aetatem Apostolorum, in vsu habuerint. Nihil est ferè, de quo diligentius praecipiat Spiritus sanctus, quam de vera orandi ratione. Nulla est syllaba, quae ad sanctorum mortuorum subsidium confugere nos doceat. Multae complurium fidelium orationes extant. In illis ne vnum quidem eius rei exemplum est. Petebant quidem interdum à Deo Israelitae, ut Abraham, Isaac, & Iacob, item, Davidis, recordaretur. Sed nihil aliud sibi volebant his verbis, nisi ut foederis sui, quod cum illis pepigerat, memor, secundum promissionem suam posteris eorum beneficeret. Foedus enim gratiae, quod in Christo tandem sancendum erat, receperant sancti illi patres, suo & posterorum nomine. Quamobrem fideles Israeliticae Ecclesiae, tali patrum mentione non suffragationem petunt à mortuis, sed promissionem simpliciter allegant, quae apud illos deposita fuerat, donec in Christi manu rata ad plenum fieret. Quam igitur insana est curiositas, derelicta orandi forma, quam Dominus nobis commendauit, sine vlla doctrina, nullo exemplo, sanctorum intercessionem precibus nostris inserere? Sed ut locum hunc breuiter concludam, in illa Pauli sententia pedem figo, non esse veram Dei inuocationem, nisi quae ex fide nascitur: fidem autem esse ex verbo Dei. Satis, nisi fallor, istis verbis expressit, non alibi firmum orationis fundamentum esse, quam in Dei verbo. Et cum alibi in singulis vitae actionibus fidem, hoc est, conscientiae certitudinem necessario praere iubeat, specialiter in hac, & magis quam in alijs omnibus, requiri ostendit. Hoc tamen adhuc aptius ad praesentem causam, cum ex Dei verbo pendere orationem testatur. Perinde enim est, ac si vniuersos homines hincere prohiberet, nisi Deo quasi verba praecunte. Hic est nobis mirus aheneus, quem frustra omnes portae inferarum diruerent abunt. Cum igitur de vno Deo inuocando clarum extet mandatum: cum deinde propositus sit mediator vnus, cuius intercessione suffulta esse debeant nostrae preces: cum addita

quoque sit promissio, quicquid in nomine Christi petierimus, nos impetraturos: dabitur veniam homines, si certam potius Dei veritatem, quam friuola ipsorum commenta, sequamur. Certè, qui mortuorum intercessionem Deo in precibus obijciunt, ut facilius, illa adiuti, quod petunt obtineant, alterutrum ex duobus probent, necesse est: aut se ita edoctos esse Dei verbo: aut licere hominibus orare, ut libere. Atqui destitui eos omni tam Scripturæ testimonio, quam probato sanctorum exemplo, palam est: in secundo autem reclamatur Paulus, qui invocari Deum posse negat, nisi ab ijs, qui sint eius verbo instituti ad orandum. Hinc illa pendet fiducia, qua piæ mentes, cum ad orandum accedunt, præditas instructasque esse convenit. Mundus Deo supplicat, de successu interea dubius. Nam neque in promissionem recumbit: nec percipit quid istud valeat, habere mediatorem, per quem certo sit impetraturus quod petit. Porro Deus venire nos iubet, minimè hæsitantes. Ita oratio, quæ ex vera fide profecta, Dei gratiam conciliat: eadem cum eiusmodi trepidatione coniuncta, potius eum à nobis alienat. Hæc enim est propria nota, quæ puram unius Dei invocationem à profanis & vagis ethnicorum precationibus discernit. Proinde, hæc sublata, oratio Dei cultus esse desinit. Atque id est, quod vult Iacobus. Qui indiget sapientia, inquit, postulet à Deo. Sed postulet in fide, nihil hæsitans. Nam qui hæsitat, is similis est fluctui maris, qui ventis agitur, & impetu rapitur. Verùm nihil mirum, si Christo vero mediatore destitutus, ita incertitudine diffidentiæque fluctuat. Ille enim unus est, ut inquit Paulus, per quem habemus audaciam, & aditum cum fiducia, ad Patrem. Nos igitur, homines ad Christum adductos non amplius alternare orando, aut vacillare, ut solebant, docuimus. sed tunc acquiescere verbo Domini iussimus: quod ubi semel in animum penetrat, omnem inde, quæ fidei repugnat, dubitationem procul excutit.

Restat tertium vitium, quod in oratione correxisse nos dixi. Nam cum lingua incognita vulgò precarentur homines, precandum cum sensu esse docuimus. Itaque, secundum nostram doctrinam, sic quisque orare priuatim instituitur, ut intelligat quæ à Deo petit. Sic etiam compositæ sunt publicæ preces in Ecclesiis nostris, ut à singulis possint intelligi. Atque ita dicat naturæ ratio: etiam si nihil Deus hac de re preciperet. Hic enim est orationis finis, ut suarum necessitatum testem, & conscium Deum faciant homines, & quasi corda sua coram eo effundant. Nihil ergo ab ea magis alienum, quam sine mente & intelligentia, linguam mouere. Atqui eo stupiditatis ventum erat, ut vulgari lingua orare, propè in religionem verteretur. Possum Archiepiscopum nominare, qui carcerem & atrociores poenas minatus est si quis orationem dominicam, aliter quam latinè, pronuntiaret. Caterùm illa ferè communis omnium fuit persuasio: qua quisque lingua domi oraret, nihil interesse, modò finalis, ut aiebant, mentis intentio ad orandum destinaretur. In templis autem hoc visum est plurimum ad dignitatem pertinere, ne aliæ, quam latina lingua, preces solennes conciperentur.

Hoc quidem iam portenti simile, ut nuper dixi, colloquium cum Deo habere velle inani linguae sonitu. Hoc etiam si sibi displicere Deus ipse non restetur, natura, sine alio monitore, respuit. Præterea ex tota Scripturæ doctrina iudicare promptum est, quantopere talem fictionem abominetur Deus. De publicis autem Ecclesiæ precibus, clara sunt Pauli verba: non posse idiotas respondere amen, si benedictio linguae aliena fiat. Quò magis mirum est, eò impudentiæ progressos esse,

qui hunc tam peruersum morem introduxerunt primi, ut hoc ipsum, tanquam orationis maiestati congruum, appetere, quod Paulus pro summo absurdo dicit. Rideant ergo nostram rationem, ut volent, aduersarij, quod populari lingua Deum communiter omnes in Ecclesijs nostris precantur, quod psalmos viri & mulieres indifferenter canunt, modò è cælo spiritus sanctus testimonium nobis reddat: confusas verò sine mente voces, quæ alibi eduntur, repudiet.

In altera præcipua doctrinæ parte, qua tractatur, ubi sita sit hominum salus, & qua via ad eam peruenire possint, multæ quæstiones continentur. Nam cum hominem iubeamus, extra seipsum, hoc est, in solo Christo, iustitiam & vitam querere: quia penes se nihil, nisi peccatum & mortem, habeat: primum nobis de libero arbitrio, eiusque facultatibus, exoritur certamè. Etenim si quid per se valeat homo ad promerendum Deum, iam non in solidum salutem, Christi gratia, consequetur, sed partem ipse sibi conferet. Rursum si tota salus Christi gratiæ refertur accepta, nihil homini fit reliquum, quo sibi ipse, sua sponte scilicet virtute, ad comparandam salutem opituletur. Nostri autem aduersarij sic hominem à spiritu sancto adiuari ad bene agendum concedunt, ut partem illi nihilominus vindicent. Hoc ideo fit, quia, quantum ex primi parè: is lapsu iustitiam sit naturæ nostræ vulnus, non percipiunt. Fatentur quidem nobiscum peccatum originale: sed vim eius postea extenuant, cum debilitatas modò fuisse hominis vires arbitrantur, nõ autem prorsus deprauatas. Itaque definiunt, hominem originali corruptione infectum, non sufficere quidem ad bene agendum, propter virium infirmitatem: adiutum autem Dei gratia, habere aliquid proprium & à seipso, quod conferat. Nos verò tametsi hominem sponte & libera voluntate agere, non diffitemur, cum à spiritu sancto regitur, ea tamen prauitate imbutam esse asserimus totam eius naturam, ut ad bene agendum prorsus sit à seipso inuitilis. De eo ergo tantum dissidemus ab ijs, qui se doctrinæ nostræ opponunt: quòd cum illi, neque hominem satis humiliant, nec regenerationis beneficium pro dignitate extollant, hominem ita prosternimus, ut in nihilum redactus, quòd ad spiritualem iustitiam attinet, non partem sed plenitudinem iustitiæ petere à Deo discat. Videmur forte quibusdam, parum æquis iudicibus, modum excedere. Sed nihil in doctrina nostra aut absurdum, aut dissentaneum, nec à sacris scripturis, nec à communi veteris Ecclesiæ sensu. Quinetiam ad verbum ex ore Augustini confirmare nullo negotio liceat, quicquid tradimus. Itaque complures ex ijs, qui erga causam nostram aliàs malè affecti sunt, quòd paulò saniores sunt iudicio, contradicere in hac parte nobis non audent. Certè nihil ab alijs differimus, sicuti dixi, nisi quòd nos hominem, moriæ impotentiaque suæ conuictum, melius ad veram humilitatem eradimus, ut abdicata in totum sui fiducia, in Deum totus recumbat: item ad gratitudinem, ut Dei beneficentiæ, quicquid habet boni, transcribat: sicut reuera ab ipso est: illi verò peruersa propriæ virtutis opinione inebriatum præcipitant ad ruinam: & impia aduersus Deum arrogantia inflant, ne sibi minus, quàm Deo, iustitiæ gloriam assignet. Accedit & tertium malum, quòd totæ eorum de naturæ corruptione disputationes in crassioribus carnis concupiscentijs ferè subsidunt: interiores verò morbos, qui longè sunt capitaliores, non attingunt. Ita fit, ut qui in eorum schola sunt instituti, in teterrimis peccatis, modò sunt occulta, sibi securè ignoscant, quasi nihil peccet.

Sequitur postea quæstio de operum merito ac dignitate. Nos verò & bo-

na opera ornamus veris laudibus: neque negamus mercedem illis repositam esse apud Deum. Sed tribus exceptionibus utimur: in quibus totus disputationis, quæ adhuc de hominũ salute reliqua est, cardo vertitur. Primum dicimus, qualiacũque sint ullius hominis opera, non aliunde tamen iustum coram Deo censei, quàm ex gratuita misericordia, quod Deus, citra aliquem operum respectum, gratis eum in CHRISTO amplectitur: CHRISTI iustitiam illi, tanquam propriam, imputando. Hanc nos fidei iustitiam vocamus: cum homo scilicet, vacuus & exinanitus omni operum fiducia, hanc sibi unicam rationem esse statuit, qua Deo sit acceptus, cum iustitiã, quæ sibi deest, à Christo mutuatur. In eo mundus semper hallucinatur (nam hic omnibus ferè seculis grassatus est error) quòd hominem, utcumque ex parte deficiat, mereri tamen aliquousque operibus gratiam apud Deum imaginatur. At Scriptura omnes maledictos esse pronuntiat, qui non ad plenum obseruauerint, quæcunque scripta sunt in libro legis. Huic maledictioni subiacerè necesse est, quotquot ab operibus æstimantur: eximitur autem nemo, nisi qui operum fiducia in totum valere iussa, Christum induit, ut in illo iustus, gratuita Dei acceptione, censeatur. Inde ergo iusti sumus, quòd nos Deus, nullo opere nostrorum, sed solo Christi intuitu, sibi reconciliat: & ex filijs iræ, gratuita adoptione, filios suos facit. Quandiu enim opera nostra respicit, causam non inuenit, cur nos amare debeat. Quamobrem necesse est, ut, sepultis peccatis nostris, Christi obedientiam, quæ sola eius conspectum sustinere potest, acceptam nobis ferat, eiusque merito nos amplectetur pro iustis. Hæc est clara & perpetua Scripturæ doctrina, quæ testimonium quidem, ut ait Paulus, habet à Lege & Prophetis: sed per Euangelium sic explicata est, ut nulla clarior lux desiderari debeat. Legis iustitiam cum Euangelij iustitia confert Paulus: nullam in operibus locat: hanc in Christi gratia. Neque inter opera & Christum dimidiat, sed in solidum Christo adscribit, quòd coram Deo iusti censemur. Duo hic in quæstionem veniunt: utrum inter nos & Deum diuidenda sit salutis nostræ gloria: utrum in operum fiducia tuto acquiescere coram Deo conscientia nostræ possint. De priore ita definit Paulus: ut omne os obstruatur, & obnoxius reddatur totus mundus Deo, omnes ad vnum reos esse iniustitiæ, & gloria destitutos: gratis autem iustificari illius gratia, per redemptionem quæ est in Christo Iesu: idque ad ostensionem illius iustitiæ, ut sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Christi. Vnde colligit, exclusam omnem carnus gloriationem esse. Hanc nos definitionem simpliciter sequimur: reclamant aduersarij, non aliter iustificari hominem Dei gratia, nisi ut pars laudis in eius operibus resideat. De altero ita ratiocinatur idem Paulus: si ex lege esset vita hereditas, irritam fidem fore, & promissionem nullam. Vnde concludit, fide nos hereditatem consequi, ut firma sit promissio. Item, iustificatos in Christo, pacem habere, neque amplius formidare Dei conspectum. Intelligit autem, quòd pro se quisque nostrum experitur, fieri aliter non posse, quin perpetua inquietudine vexentur, ac æstuent conscientia, quamdiu ad operum præsidium circumspectiunt: ac tunc demum serena placidæque tranquillitate frui, cum ad Christum se contulerunt, tanquam ad unicum veræ fidei portum. Ad hanc doctrinam nos nihil addimus. Sed quòd Paulus pro ingenti absurdoducit, conscientias dubitatione inquietari, aduersarij inter prima fidei suæ axiomata numerant.

Secunda exceptio, qua utimur, ad peccatorum remissionem pertinet. Nam

aduersarij quidem, cum negare nequeant, homines tota vita claudicare, saepe etiam labi: fateri, velint nolint, etiam coguntur, venia omnes indigere, per quam iustitia defectus suppleatur. Sed satisfactiones postea fingunt, quibus Dei gratiam redimant, qui peccarunt. In hoc gradu constituunt primum contritionem, deinde opera, quae vocant supererogationis, & quae peccatoribus irrogantur à Deo poena. Porro quoniam compensationes istas à iusta mensura longè adhuc abesse sentiunt, aliunde accersunt nouum satisfactionis genus: ex beneficio clauium scilicet. Clauibus autem referari dicunt thesaurum Ecclesiae: vt quod nobis deest, ex Christi & sanctorum meritis suppleatur. Nos verò, gratuitò remitti hominibus peccata asserimus, nec vllam agnoscimus aliam satisfactionem, nisi qua defunctus est Christus, cum sacrificio mortis suae, peccata nostra expiauit. Solius ergo Christi beneficio fieri praedicamus, vt reconciliemur Deo: nec vllas hic compensationes venire in rationem: cum sola Christi expiatione contentus caelestis Pater, nullà à nobis requirat. Huius nostrae doctrinae luculentà habemus approbationem ex Scripturis: tamen si non nostra, sed catholica potius Ecclesia dicèda est. Hunc enim modum redeundi cum Deo in gratiam solum proponit Apostolus: quòd is qui peccatum non nouerat, pro nobis factus sit peccatum, vt efficeremur iustitia Dei in illo. Et alibi, cum de remissione peccatorum loquitur, per eam nobis imputari absque operibus iustitiam, testatur. Quòd ergo suis satisfactionibus promereri se imaginantur aduersarij reconciliationem cum Deo poenasque redimere ipsius iudicio debitas, execrabilem esse blasphemiam, fortiter, sicuti est, asseueramus: cum ita destruatur quod Iesaias de Christo tradit, disciplina, aut correptione patris nostrae eum esse perfunctum. Ineptum quoque illud de operibus supererogationis commentum cur repudiemus, multa sunt causae: scilicet dux plus satis graues: quòd nec vllò modo tolerabile est, plus posse Deo prestare hominem, quam debeat: & eo nomine, vt plurimum, cultus voluntarios intelligunt, quos dum homines ex suo cerebro fictos Deo obrudunt, oleum perdunt & operam: tantum abest, vt irae Dei placandae piacula censeri debeant. Porro Christi sanguinem cum Martyrum sanguine sic misceri, vt ad redimendas, quae peccatus debentur, poenas, confusus, meritorum, aut satisfactionum aceruus fiat, nec debemus ferre, nec talimus. Nullius enim Martyris sanguis, vt ait Augustinus, in remissionem peccatorum fusus est. Hoc solius Christi fuit opus, in quo non quòd imitaremur, sed quòd gratularemur, conuulit nobis. Cui praclarè succinit Leo, cum ita scribit: *Quauis in Dei conspectu multorum Sanctorum preciosa mors fuerit, nullius tamen insonis occisio propitiatio fuit mundi, accepere iusti, non dederunt coronas: & de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiae, non dona iustitiae.*

Tract. in  
Ioan. 34.

Epist. 81.  
Item 97.

Postrema nostra exceptio est de remuneratione operum: ne pendere ex eorum merito, vel precio existimetur, sed ex mera potius Dei benignitate. Fatentur quidem etiam aduersarij, inter meritum operis, & praemium, non esse aequalitatem. Verum, quòd praecipuum est in hac re, non considerant: bona fidelium opera nunquam tam pura esse, vt placere, sine venia, queant. Non considerant, inquam, aliquibus semper nauis, aut maculis aspersa esse: eò quòd nunquam ex pleno perfectioque illo Dei amore, qui in Lege exigitur, stuant. Nos ergo sic docemus: semper deesse bonis fidelium operibus summam puritatem, quae Dei conspectum ferre possit: imò etiam quodammodo inquinata esse, si summo iure examinentur. Verum ubi se-

mel

mel fideles in gratiam adoptionis recepit Deus, non eorum modò personas ample-  
 li & amare, sed opera etiam, ut ea mercede dignetur. In summa, sicut de homine  
 dictum est, ita de operibus censemus: iustificari scilicet ea, non propria dignitate,  
 sed merito vnius Christi: dum vitia, quibus aliqui displicerent, Christi sacrificio  
 sepeliuntur. Hæc admonitio perquam utilis est cognitu, tum ad homines in Dei  
 timore retinendos, ne operibus suis arrogant, quod ex paterna Dei benevolentia  
 provenit: tum ad eos optima consolatione erigendos, ne animos despondeant, dum  
 operum suorum vel immunditiam, vel imperfectionem reputant: cum audiant pa-  
 terna Dei indulgentia eam sibi ignosci.

Doctrinam sequuntur sacramenta, in quibus nihil est à nobis correctum, quod  
 nõ firma testatæque authoritate defendere liceat. Cum septem esse crederentur à  
 Deo instituta, quinque ex eo numero sustulimus: ac demonstravimus, ceremonias  
 esse humanitus introductas, excepto coniugio: quod à Deo quidem mandatum, sed  
 minimè ut sacramentum foret, agnoscimus. Neque verò de nihilo litigamus, cum  
 ritus, hominum cõsilio superadditos, etiam si aliàs non mali essent nec inutiles, se-  
 paramus à sacrosanctis illis symbolis, quæ & ore suo nobis commendavit Christus,  
 & testimonia esse voluit spiritualium donorum: quæ ut non sunt in hominum  
 potestate, ita, de ijs testari minimè possunt. Nõ est profectò res vulgaris, obsignare  
 cordibus nostris arcanã Dei benevolentia, Christum offerre, & representare, quæ  
 in ipso percipimus bona. Hoc officij cum habeant Christi sacramenta, non discer-  
 nere ab illis ritus ab hominibus profectos, cælum terrã miscere est. Quanquam hæc  
 duplex error inualuerat, quòd sub iato inter diuina & humana discrimine, nimi-  
 um derogabant sacro Dei verbo, quo tota vis Sacramentorum constat: & quòd  
 Christum falso eorum esse authorem putabant, quæ non nisi ab hominibus habe-  
 bant originem.

Ex baptismo similiter multa additamenta, quæ partim inutilia, partim ob  
 superstitionem noxia erant, rescidimus. Scitur quæ in baptisandi formam accepe-  
 rint à Christo Apostoli, quam obserauerint sua ætate, quam denique posteris reli-  
 querint. Hæc simplicitas, quæ Christi authoritate, & Apostolorum usu comproba-  
 ta erat, posterioribus seculis non satisfecit. Non disputo in presentia, quàm iustis  
 rationibus fuerint adducti, qui chrysmã, sal, spiritum, cereos postea addiderunt.  
 Tantum dico, quod neminem lateat, eò ventum fuisse aut superstitionis, aut stulti-  
 tia, ut multò purius fierent eiusmodi accessiones, quam ipsa baptismi veritas. Prepo-  
 steram quoque fiduciam tollere studuimus, quæ in externa actione defixa, in Chri-  
 stum minimè respiciebat. Ita enim, tam in scholis quàm in concionibus, signorum  
 efficaciam extulerunt, ut homines ad Christum non dirigendo, visibilibus elemen-  
 tis confidere docerent. Postremò reuocauimus antiquum morem, ut cum doctrina,  
 in Ecclesijs nostris administraretur. Porò diligenter & optima fide tum utilita-  
 tem, quam nobis offert, tum legitimum ipsius usum exponimus, ut ne aduersarij  
 quidem habeant in hac parte, quod reprehendant. Nihil autem magis alienum  
 à Sacramentorum natura, quàm inane spectaculum populo, alsque mysterij enarra-  
 tione, exhiberi. Notum est illud, quod ex Augustino sumpsum refert Gratianus,  
 Nihil aquam esse, nisi elementum, fidesit verbum. De quo autè verbo sentiat, con-  
 tinuò interpretat. & cum inquit: Hoc est verbum fidei, quod predicamus. Nouum  
 ergo aduersarijs nostris videri non debet, si nos signi exhibitionem, à mysterij in-

telligentia separatam, improbamus. Est enim sacrilegum diuortium, quod ordinem à Christo positū euertit. Tametsi aliud præterea vitium in vulgari & alibi usitata administratione accedit, quod pro religione habent, non intelligi: qualiter in magicis incantamentis fieri solet.

Iam verò sacrosanctam Domini Cœnam, alterum Christianæ Ecclesiæ Sacramentū, nō pollutam modò, sed propè abolitam fuisse, antè dixi. Quo magis in ea repurganda laborandum nobis fuit. Primò impium illud de sacrificio cōmentum, quod multas absurditates continebat, reuellere ex hominū animis, necesse fuit. Præterquā enim quòd contra disertam Christi institutionem, erectus fuerat oblationis ritus, addita fuerat pestilē. is. ma opinio: actionē illā expiationē esse pro peccatis.

Ita sacerdotij dignitas, quæ in solum Christum competebat ad homines mortales, & virtus mortis ipsius, ad horum opus translata fuerat. Inde quoque fluxerat applicatio pro viuis & mortuis. Abrogata igitur commentitia illa immolatione, cōmunionē restitui mus: quæ maxima in parte obsoleuerat. Modò enim semel quotannis accederent homines ad mēsam Domini, toto anni cursu satis putabant esse, si spectarent quòd à sacerdote agebatur: cœnæ quidem Dominicæ prætextu: sed ita ut nullum illic cœnæ vestigiū extaret. Quæ enim sunt Domini verba? Accipite, inquit, & distribuite inter vos. In missa verò, pro receptione, oblationis simulatio: distributio nulla, ac ne imitatio quidem, sacerdos enim, quasi refectum à reliquo corpore membrum, soli sibi parat, & solus sumit. Immane quantum hæc inter se differunt! Præterea calicis usum reddidimus populo, qui cum illi à Domino non modò permissus, sed commēdatus foret, non alio sanè authore, quàm Sathana, ablatu fuit. Ex ceremonijs multas abdicauimus: partim quia multitudo præter modum excreuerat: partim quia aliæ iudaismum nimis redolebant: aliæ ab imperitis hominibus inuentæ tanti mysterij grauitati parum congruebant. Verùm demus nihil aliud fuisse mali, nisi quòd temerè obreuerant: an non fuit satis idonea causa cur tollerentur, cum vulgus hominum in illis obstupescere cerneremus?

Ad transubstantiationis commentum, ad morem item custodiendi & gestandi panis damnādum, maior nos impulit necessitas. Primùm repugnat apertis Christi verbis: deinde à perpetua sacramentorum abhorret ratione. Neque enim Sacramentum est, ubi non conspicitur visibile symbolum, quod similitudinem habeat cum spiritali, quam figurat, veritate. Et de cœna clarum est, quòd dicit Paulus: Nos vnum esse panem & vnum corpus omnes, qui vnus panis participes sumus. Vbi analogia aut similitudo signi visibilis in Cœna, quæ corpori & sanguini Domini respondeat, si panis non est, quo vescimur, neque vinum, quòd illic bibitur, sed inane modo spectrum, quòd oculos ludat? Adde, quòd huic commento simul continuo adhæret detrior superstitio, ut in pane, tanquam in Deo, hæreant homines, illumque pro Deo adorent: qualiter videmus fuisse factum. Nam cum adminiculo deberet esse sacramentum, ad erigendas in cœlum pius mentes, profus in contrarium finem sacris cœnæ symbolis abusus est mundus, ut scilicet illorum aspectu cultūque contentus, mentem ad Christum vsque non attolleret. Gestari verò panē in pōpa, aut editiore loco reponi, ut adoretur, nimis aliena est ab institutione Christi corruptela. Porrigit enim nobis in cœna Dominus corpus & sanguinē suum: sed ut edamus & bibamus. Itaque mandatū priore loco ponit: quò iubet accipere māducare, bibere: huic deinde subiungit & annectit promissionē: qua testatur, id quòd edi-



*mus, esse corpus suum: quod bibimus, esse suum sanguinē. Qui igitur panē ad cultū vel repositum habent, vel circumferunt, cum promissionē separent à mandato, hoc est, iugum insolubile abrumpant, Christi quidem corpus imaginantur se habere: sed non, nisi idolum habent, quod sibi ipsi somniarunt. Si quidem non ad alios pertinet hac Christi promissio, qua nobis sub symbolis panis & vini, corpus & sanguinem suum offert, quàm ad eos, qui sumunt ex eius manu, vt mysterium celebrent, quod ipse præcipit. Qui verò suo arbitrio panem ad aliam actionem conuertunt, illis, cum promissione careant, nihil nisi suum somnium superest. Postremò doctrinam, mysterijque enarrationem, quæ à populo exaudiretur, reuocauimus: cum antè sacerdos non modò lingua exiranea vteretur, sed verba, quibus panem & calicem putabat consecrari, submissa voce demurmuraret. Hic nihil habent reprehenses nostri in quo nos carpant, nisi quòd Christi mandatum simpliciter sequuti sumus. Non enim tacito exorcismo panem præcepit, vt corpus suum fieret: sed Apostolis clara voce pronuntiavit, suum illis corpus se dare.*

*Interea sicut Baptismi, ita & sacra Cœna finem, efficaciam, vtilitatem, vsum fideliter, & qua possumus optima diligentia, populo tradimus. Exhortamur primum omnes, vt fidem afferant, qua intus percipiant, quod illic representatur oculis: hoc est, spirituale alimentum, quo solo animæ in vitam æternam pascuntur. Testamur Dominum nihil hîc signis polliceri aut figurare, quod non re ipsa exhibeat. Corpus ergo & sanguinem Christi, & offerri in Cœna nobis à Domino, & à nobis recipi prædicamus. Nec ita panem & vinum symbola esse docemus, quin continuò addamus, coniunctam simul esse veritatem, quam significant. Quis, & quàm insignis inde fructus ad nos redeat, & quàm hîc præclarum salutis & vitæ pignus habeant conscientia nostra, non tacemus. Neque verò hoc mihi negabunt, quicunque aliquid habent ingenuitatis, multò illustriorem apud nos audiri explicationem mysterij huius, ac plenioribus elogijs eius commendari dignitatem, quàm alibi vsquam fieri soleat.*

*In Ecclesiæ regimine nihil habemus ab alijs diuersum, cuius non constet nobis optima ratio. Pastorale munus restituimus tum ad regulam Apostolicam, tum ad veteris Ecclesiæ consuetudinem: vt quicumque Ecclesiæ præsumunt, doceant. Eisdem retineri dos in gradu non esse contendimus, nisi officium facere pergant. In ijsdem eligendis plus religionis & curæ adhibendum esse admonuimus, & ipsi studiuimus adhibere. Satis constat, quale examinis genus per suos suffraganeos, aut vicarios exerceat Episcopi. Et ex ipso fructu, qui inde manat, licet coniecturam capere. Nam quàm inertes nihilque homines passim ad sacerdotij honore promoueat, nihil attinet commemorare. Apud nos, etiam si qui ministri reperiuntur non magnæ doctrinæ, nullus tamen admittitur, qui non mediocriter saltem aptus sit ad docendum. Quòd non omnes sunt magis absoluti, id temporum potius calamitati, quàm nobis, imputandum. Hoc tamen nobis iure gloriari licet, licetque semper, non negligenter delectos videri posse Ecclesiarum nostrarum ministros, si cum alijs comparentur. Cum autem in examine & electione aliquanto sumus superiores, in eo longe præcellimus, quòd nemo apud nos pastoris locum occupat, qui munus non exequatur. Nulla itaque apud nos Ecclesia sine ordinaria verbi Dei prædicatione visitur.*

*Hac cum aduersarios pudeat negare (quid enim in tanta luce negando proficeret?)*

de iure primùm & potestate, postea de ordinandi forma, litigant nobiscum. Citant vetustos canones, qui Episcopos & clerum huic rei præficiunt. Allegant continuam successionem, qua sibi hæc potestas, ab ipsis usque Apostolis, per manus fuerit tradita. Aliò igitur transferri, fas fuisse negant. Utinam verò, quam iactant possessionem, suo merito retinuissent. Sed si expendimus, primùm quo ordine iam per aliquot secula prouehantur Episcopi ad hanc dignitatem, tum qualiter in ea se gerant, tum etiam quales creare soleant, quibus committant Ecclesiarum gubernacula, videbimus illam, qua superbiunt, successionem iam pridem intercidisse. Eius, qui ad episcopatum, vel presbyterium recipiendus est tum doctrinam, tum vitam prius iusto examine probari volunt antiqui canones. Extat inter acta concilij Africani quarti de hac re luculentum documentum. Porro eius, qui à clero nominatus esset vel recusandi, vel approbandi arbitrium penes populum & magistratum erat: ne quis inuitis, aut non consentientibus obruderetur. Qui præfaturus est omnibus, inquit Leo epistola. 90. ab omnibus eligatur. Qui enim ignotus & non examinatus præficatur, necesse est, ut per vim intrudatur. Item, epistola 37, Teneatur honoratorum testimonium, subscriptio clericorum, ordinis consensus atque plebis. Aliter fieri nulla ratio sinit. Hoc ipsum Cyprianus quoque, & quidem vehementius, contendit: diuina autoritate sancitum esse affirmans, ut sacerdos, plebe præsentem, sub omnium oculo deligatur: ut dignus & idoneus omnium testimonio comprobetur. Tantisper stetit hæc disciplina, dum tolerabilis fuit Ecclesie status. Siquidem plenæ sunt Gregorij epistolæ testimonijs, quæ illa ætate diligenter fuisse obseruatam ostendunt.

Quemadmodum docendi necessitatem Episcopis omnibus iniungit Spiritus sanctus in Scripturis, ita simile portenti habitum fuisse in veteri Ecclesia, Episcopum nominari, qui non simul pastorem se, doctrinam, exhiberet. Neque alia cõditione in illam gradum recipiebantur. Eadem in presbyteris, prout certæ quisque parochiæ destinabatur, ratio valebat. Hinc illa decreta: Ne secularibus negotijs implicentur: ne longius à sua Ecclesia excurrant: ne diu absint. Iam ad ordinandum Episcopum, ut conuenirent ex tota prouincia alij Episcopi, sancitum erat decretis synodalibus. Quòd si commodè id fieri non posset, ne saltem minus quàm tres adessent. Idque in eum finem, ne quis, aut per tumultum se ingereret, aut furtim obreperet, aut obliquis artibus se insinuaret. In presbyteri ordinatione Episcopus suorum quisque presbyterorum concilium adhibebat. Hæc, quæ in disputatione longius narrari, & accuratius confirmari possent, obiter tantùm hic commemoro: quia inde iudicare promptum erit, quantum habere debeat momenti hic, quem Episcopi nostri ad perstringendos oculos obieciunt, successionis fumus.

Hanc sibi hæreditatam relictam à Christi Apostolis fuisse asserunt, ut Ecclesijs soli præficiant quos velint: & nos, quia præter eorum autoritatem fungamur ministerio, in suam possessionem, sacrilega temeritate, inuasisse conqueruntur. Unde probant? Quia continuo tenore Apostolis successerint. Verùm an id satis est, ubi reliqua omnia sunt dissimilia? Ridiculum id quidem dictu foret. Dicunt tamen. In ipsis eligendus nulla neque vita, neque doctrinæ habetur ratio. Populo erepta suffragiorum libertas. Quinetiam, excluso reliquo clero, ad se canonici totam potestatem traxerunt. Ordinationem quoque Romanus pontifex, prouincialibus Episcopis ereptam, soli sibi arrogat. Iam quasi ad profanam dominationem creati fo-

rent,

vent, nihil minus, quàm de gerendo episcopatu cogitant. Denique cum videatur facta inter eos conspiratio, ne quid vel cum Apostolis, vel cum sanctis Ecclesie patribus habeant simile, hunc solum colorem obtendunt, quod perpetua serie, ab illis descenderint. Quasi verò hanc legem aliquando tulerit Christus, ut qualescunque futuri essent, qui præessent suæ Ecclesie, pro Apostolis agnoscerentur: aut quasi hæreditaria aliqua sit possessio, quæ ad indignos, non minus quàm ad dignos, transeat. Adde quòd, sicut de Milesis dicitur, inter eos cautum est, ne quem omnino bonum in coetum suum admittant: aut si fortè per errorem admisserint, ferant. De multitudine loquor. Nam paucos non nego inter eos, bonos esse. At, vel metu silent, vel non audiuntur. Qui ergo Christi doctrinam persequuntur ferro & igni: qui neminem impune, sincere loqui de Christo sinunt: qui veritatis cursum impediunt, quibus possunt modis: qui fortiter resistunt, ne Ecclesia, quam affluerunt, se iterum erigat: qui quoscunque bene & piè sentire de Ecclesia salure suspicantur, arcent à ministerio: vel si iam recepti sint, extrudunt: ab illis scilicet expectandum erat, dum fideles ministros, qui populum in religione purè instituerent, ipsi in officio collocarent suis manibus.

At cum vice proverbijs usitata sit inter eos Gregorij sententia, privilegiū me veri amittere, qui privilegio abutuntur, aut profus alij sint, & alios eligant ad Ecclesiam gubernandam, aliamque rationem teneant, necesse est: aut conqueri desinant, iure, quod sibi cõpetebat, se fuisse perperam & iniuria spoliatos. Aut si maluit aperitius: alia ratione perueniant ad episcopatum, quàm peruenierint: alio more & ritu ordinentur: munus suū, plebè pascendo, impleant, si pro Episcopis agnosci volunt. Vt potestatem nominandi & ordinandi retineant, iustum illud & serium doctrinæ vitæque examen restituant: quod iam multis seculis inter eos obsoleuit. Quinquam hæc una ratio instar mille habèda: quod omnem in Ecclesia auctoritatem perdidit, quicumque se sanæ doctrinæ hostem esse re ipsi ostendit: qualicumque interea titulo se venditet. Scitur, quid de hæreticis præcipiant veteres synodi: quam illis potestatem relinquunt. Nominatim certè vetant, ne quisquam ab illis ordinationem petat. Hoc ergo ius tueri nemo potest, nisi qui doctrinæ puritate Ecclesie unitatem conseruat. Dicimus eos, qui Episcoporum nomine hodie præsident Ecclesis, ad eò non esse fidos piæ doctrinæ custodes ac ministros, ut acerrimi sint potius illius hostes. Dicimus hoc unum eos moliri, ut Christo, cum Euangelij sui veritate, extincto, idololatricam, impietatem, pessimos & exitiales errores confirment. Dicimus eos non verbis modò pertinaciter veram pietatis doctrinam impugnare, sed furiosè scuire in eos omnes, qui eam ex tenebris eruere cupiunt. Aduersus tot, quibus renitentur, impedimenta studemus operam nostram Ecclesie impendere. Ob hanc causam nobiscum expostulant, quòd illicitis modis in eorum possessionem irruimus.

Quòd ad formam aut ceremoniam attinet: digna res scilicet, de qua nobis sine molestia. Qui a sacerdotum apud nos manus non vnguntur: quia non flamus in eorum faciem: quia alba eos & reliquo eius generis ornatu non induimus: ordinationem rite à nobis fieri non credunt. Atqui nullam olim ceremoniam, præter manuum impositionem, in usu fuisse, legimus. Recentia sunt ista, nec aliunde quicquid habent commendationis, nisi quod nunc vulgò tanta religione obseruatur. Sed quid hoc ad rem? Nã in rebus tantis maior, quàm hominum auctoritas quaeritur. Proinde

quæ ab hominibus inuenta sunt, absque religione, quoties ita postulat temporum conditio, mutare licet: quæ verò non ita pridem extiterunt, multominus habent momenti. Calicem præterea & patenam in manum porrigunt suis, quos creant, sacerdotibus. Quorsum? Ut eos ad sacrificandum inaugurent. Sed quo mandato? Neque enim aut Apostolis vnquam hanc functionem Christus iniunxit, aut ab eorum successoribus suscipi voluit. Inepti ergo sunt, cum de ordinandi forma nobis facessunt negotium: in qua nihil à Christi regula, & Apostolorum vsu: à veteris Ecclesiæ consuetudine minimùm differimus: cum suam illam, de cuius neglectu nos accusant, neque Dei verbo, neque firma ratione, neque antiquitatis obtentu, possint defendere.

Epist. 2.  
ad Ianuarium.

In parte regiminis Ecclesiastici sunt leges: ex quibus eas libenter recipimus, quæ nec conscientiarum sunt laquei, & ad ordinis publici conseruationem faciunt: quæ autem vel per tyrannidẽ, ad opprimẽdas seruitute cõscientias impositæ fuerat: vel superstitioni seruebãt magis, quàm edificationi, eas abrogare coacti fuimus. Hoc loco, fastidij primũ & importunitatis nos insulant hostes nostri: deinde carnis licentiam quærere nos criminantur: vt excusso disciplinæ iugo, lasciuimus probe liberit. Verùm, sicut dixi, quin reuerẽter custodiantur quæcunque in hunc tantùm finem respiciunt leges, vt decenter & ordine gerantur inter fideles omnia, minimè repugnamus. Neque verò de singulis, quas abrogauimus, recusamus causam dicere, cur ita fieri oportuerit. Certè laborasse prætermodum Ecclesiam sub traditionum humanarum onere, & subleuãdam necessariò fuisse, si consultum illi vellemus, probatu difficile non est. Nota est Augustini querimonia, qua suæ ætatis calamitatem grauiter deplorat, quòd Ecclesia, quam Dei misericordia liberam esse voluit, sic iam tum premebatur, vt tolerabilior fuisset Iudæorum conditio. Ex eo tẽpore numerum ferè in decuplum creuisse, verisimile est. Multo verò plus creuit exigendi rigor. Quid si igitur nunc resurgeret sanctus ille vir, ac infinitam istam legum multitudinem inspiceret, sub qua demersæ gemunt miseræ conscientiæ? Quid si resumcereret, qua seueritate exigatur earum obseruatio? Excipient forsam reprehensores nostri, nos cum Augustino deslere potuisse, si quid dissliceret: correctioni verò manum non fuisse adhibendam. Cuius obiectionis facilis est solutio. Nã cum putarentur obseruatu necessariæ esse hominum leges, corrigi debuit permissiosus hic error. Quæ externæ politix causa feruntur leges, obedienter seruandas esse, sicut dixi, non negamus. Ad regendas conscientias non nisi vnus Deus est legislator. Maneat ergo penes ipsum solum hæc, quam sibi multis Scripturæ locis vindicat auctoritas. In ea re primùm Dei honor, quem nullo modo imminui fas est: deinde spirituales conscientiarum libertas vertitur, quam Paulus hominum arbitrio subijci summo opere vetat. Quòd itaque officij nostri erat, vt fidelium conscientias indigna seruitute, qua constructæ tenebantur, eximeremus, eas ab hominũ legibus liberæ & solutas esse docuimus. Hanc libertatem, quæ acquisita esset Christi sanguine, non esse prostituendã. In hac causa si quis nos reos faciat, trahat in eundem simul reatum & Christum, & Apostolos, necesse est. Necdũ alia mala, quæ nos in humanas traditiones inuehi coegerũt, enumerò. Duo tãtùm ponã: quibus auditis, æquos omnes lectores contentos fore confido. Nempe quòd earum nonnullæ, cum præstãdi, quòd exigebãt, facultatem excederent, nihil quàm ad hypocrisim inducere, vel in desperationem conijcere homines possent. In omnibus autem vsu venerat, quòd exprobra-

probrabat Christus Pharisæis: ut propter eas irrita fierent mandata Dei.

Exempla huc adducam, quibus id magis perspicuum fiet. Tria sunt, de quibus maximè nobis succensent: quòd liberum fecerimus quouis die esum carnum: quòd sacerdotibus coniugium permiserimus: quòd secretam confessionem, qua ad Sacerdotis aurem fiebat, repudiauerimus. Respondeant mihi bona fide aduersarij, an non asperius puniatur apud eos, qui carnem die Veneris gustauerit, quàm qui toto anni cursu assidue scortatus sit? An non capitalius censetur crimen, si uxorem duxerit Sacerdos, quàm si centies in adulterio fuerit deprehensus? An non facilius ignoscunt, si quis multa Dei præcepta contempserit, quàm si peccata sua neglexerit, semel quotannis, in aurem Sacerdotis confiteri? Quale, obsecro, portentum, delictum videri leue & venia dignum, si quis sacrosanctiam Dei Legem violauerit: si quis autem hominum placita transgressus fuerit, scelus inexpiabile haberi? Non est quidem nouum exemplum, fateor. Nam & huius prauitatis, quemadmodum dixi, insimulat Christus Pharisæos, quòd propter suas traditiones, irrita faciant mandata Dei. Hæc verò illa est Antichristi arrogantia, de qua loquitur Paulus, quòd sedeat in Templo Dei, ostentans se pro Deo. Vbi enim incomparabilis Dei maiestas, postquam huc mortalis homo prouectus est, ut eius leges æternis Dei decretis præferantur? Omitto quòd ciborum & coniugij prohibitionem, doctrinam demoniorum appellat Apostolus. In eo quidem iam plus satis mali. Sed hic supremus est impietatis cumulus, altiore gradu hominem collocare, quàm Deum: si negant me verum dicere, ego ad rem prouoco.

Iam dux illæ, de cœlibatu & auriculari confessione, leges quid aliud sunt, quàm diræ animarum carnificinæ? Ut omnes Ecclesiarum ministri perpetuam castitatem voueant. Voto concepto, ne illis vnquam uxores ducere fas sit. Quid si continentia dono priuatus vratur? Nulla, inquiunt, exceptio hîc locum habeat. At experientia ostendit, quanto præstitisset, nunquam Sacerdotibus impositum esse hoc iugum, quàm in fornace libidinum inclusos, perpetuo incendio æstare. Recitant aduersarij virginitatis laudes: recitant & commoda cœlibatus, quò non temerè interdictum Sacerdotibus fuisse coniugium euincant. Decorum quoque & honestatem obtendunt. Sed an his omnibus efficient, ut laqueos iniicere liceat conscientijs, quas non modò solutas & liberas reliquerat Christus: sed in libertatem etiam sua auctoritate, sui que sanguinis pretio asseruerat? Hoc facere non audeat Paulus. Vnde igitur hæc noua licentia? Deinde, ut in cælum laudibus feratur virginitas, quid hoc ad Sacerdotum cœlibatum, cuius obscœnitate fœtet totus mundus? Si castitatem, quam verbo profitentur, re ipsa ostenderent: tum illis fortè permitterem, ut decere ita fieri, dicerent. Nunc autem cum nemo non nouerit, cœiugij prohibitionem esse Sacerdotibus scortandi licentiam: qua fronte, obsecro, vllam decori mentionem facere audent? Quorum verò non est peruulgata infamia, cum illis ne mihi diu disputare necesse sit eos ad Dei tribunal reuoco, ut illic de sua pudicitia differant. Excipiet aliquis, nemini imponi legem, nisi qui sponte vouerit. At quæ maior necessitas fingi potest, quàm dum ad vouendum cogunt? Omnibus denuntiatur hæc conditio, ne quis ad sacerdotij ordinem admittatur, qui non se prius voto ad perpetuum cœlibatum obstrinxerit. Qui vouerit, etiam inuitus cogatur ad præstandum, quod semel recepit: nec vlla excusatio in contrariam partem audiatur. Postea voluntarium esse dicunt, qui sic exigitur cœlibatum. Quòd autem

coniugij incommoda, & commoda calibatus recensent, rhetoribus concedendum est, ut de ijs rebus declamitando, stylum in scholis exercent. Verum quicquid dictum fuerit, tanti esse non debet, ut propterea exitiali laqueo induatur misera anima, quo cum luctari perpetuo, donec strangulata fuerint, oporteat. Et tamen in tam flagitiosa turpitudine, quod ridiculum est, locum etiamnum habet hypocrisis. Nam qualescunque sint, meliores tamen se hoc nomine reputant, quod carent vxoribus. Confessionis eadem est causa. Vtilitates enim colligunt, quæ inde consequuntur. Nobis ex aduerso non minus promptum est, pericula non pauca indicare, quæ merito timenda sunt: plurimas etiam & grauissimas noxas referre, quæ inde manarunt. Hæc, inquam, sunt argumenta, de quibus in vtranque partem disputare liceat. At perpetua est Christi regula, quæ nec mutari, nec flecti huc vel illuc potest: imo de qua nefus est mouere controuersiam: ne seruitute urgeantur conscientia. Præterea eiusmodi lex est, quam urgent, ut non nisi excruciare animas, & tandem iugulare possit. Iubet enim vnumquæque sua peccata omnia, quotannis, proprio Sacerdoti confiteri: nisi id fiat, nullam obtinenda veniæ spem relinquit. Id ne ex centesima quidem parte possibile esse, experti sunt, quicumque seriò, hoc est, cum vero Dei timore, fecerunt periculum. Neque enim explicare se villo remedio poterant, quin ad desperationem adigerentur. Qui verò leuiter aliam satisfacere Deo cupiebant, ijs aptissimum erat ad hypocrisim velamentum. Nam quia defunctos se apud Dei tribunal credebant, simulatque in aurem Sacerdotis enouerant sua peccata, liberius peccare audebant, cum tam expedita esset se exonerandi ratio. Deinde, cum insideret eorum animis hæc persuasio, se facere, quod Lex iubebat, comprehendere se, quælibetque sua enumeratione, omnia sua peccata existimabant, quorum ne mille simam quidem partem assequerentur. Encur dissipatam à nobis fuisse Ecclesie disciplinam vociferantur aduersarij nostri: quia subuenire miseris conscientijs studuerimus, ne sub crudelissima tyrannide oppressi perirent: & hypocritas ex suis latibulis in apertam lucem extraximus: ut & seipfos propius excuterent, & Dei iudicium, quod antea subterfugiebant, melius sentire inciperent.

Verum, vtrumque multi essent, & correctione digni abusus, dicit quispiam, leges tamen sanctæ a. ioqui, & vtilis, & longa vetustate quodammodo iam consecratas, ita protinus in totum aboleri non oportuit. De carnum esu, nihil aliud respondeo, nisi quod doctrinam habemus cum veteri Ecclesia consuetudinem: in qua liberum fuisse scitur, carnis semper vesci, aut abstinere. Coniugij prohibitio antiqua est, fateor, in Sacerdotibus: similiter in Anachis & Montalibus perpetua continentia votum. Sed si hominum consuetudini præponderare concedunt certam Dei voluntatem, postquam hanc à nobis stare, nobisque aperte suffragari, illos minime latet, quid de antiquitate lites nobis faciunt? Clara est sententia: honorabile esse in omnibus coniugium. Et Episcopis nominatim vxores attribuit Paulus. In vniuersam autem, ad coniugium vocat, quicumque vrantur: & doctrinam demoniorum esse pronuntiat, si coniugium interdicitur. Quorsum aduersus tam claras Spiritus sancti voces hominum consuetudinem opponere iuuat: nisi ut homines Deo præferantur? Deinde operæ pretiū est animaduertere, quam iniqui sint estimatores, qui nobis vsus veteris Ecclesie in hac re obyciunt. Quæ enim vel prior, vel authoritate dignior Ecclesie antiquitas, quam sub Apostolo?

At-

At qui non negabunt aduersarij, permiffum tunc ac vfitatum omnibus Ecclefia miniftris coniugium fuffe. Si expedire cenfebant Apoftoli, vt à coniugio arcerentur Sacerdotes, cur tanto bono fraudabant Ecclefiam? Fluxerunt exinde anni ducenti circiter & quinquaginta, vſque ad Concilium Nicenum: in quo de indicendo miniftris cœlibatu agitatum quidem fuffe refert Sozomenus, fed intercedente Paphnutio, totum illud negotium fuffe diſſolutum. Nam cum cœlibſ ipſe legem de cœlibatu negaſſet ferendam eſſe, totam Synodum libenter illi aſſenſam eſſe tradit. Creſcente verò paulatim ſuperſtitione, lex, quæ repudiata tunc fuerat, demum recepta fuit. Extat Canon vnus inter eos, qui non tam propter vetuſtatem, quàm propter authorum incertitudinem, Apoftolis inſcribuntur: qui clericis, poſtquam in ordinem cooptati fuerint, vxores ducere non permittit, niſi ſolis canonicis & lectoribus. Sed altero Canone ſuperiore prohibentur Sacerdotes ac Diaconi vxores, religionis prætextu abijcere. Et Gangrenſis Concilij capite quarto, anathema pronuntiat aduerſus eos, qui Presbyterum coniugatum diſcreuerint ab alijs: vt hac occaſione ſe ab eius oblatione abſtineant. Vnde apparet, illis temporibus aliquanto plus adhuc fuiſſe æquitatis, quàm ætas poſterior habuerit. Neque tamen mihi hîc propoſitum eſt, totam hanc rem diſputatione completi. Tantum obiter indicare libuit, primam & puriorem Ecclefiam non ad id nobis aduerſam hîc eſſe, vt hoſtes noſtri fingunt. Sed vt illis id quoque demus, cur tamen tam atrociter nos accuſant: quaſi ſacra profanus miſcuerimus? Quaſi verò retorquere aduerſus eos promptum non ſit, nobis cum veteri Eccleſia logè melius, quàm iſtis conuenire. Sacerdotibus coniugium, quod illis negarunt veteres, liberum facimus. Quid de ſcortatione mihi reſpondebunt, quæ inter eos paſſim obtinuit? Negabunt ſe approbare. At caſtigari aſperius decuerat, ſi vetuſtis Canonibus obtemperare vellent. Si Presbyter vxorem duxerit, Neocaſarienſis Synodus pœnam ſtatuit, vt ab ordine abdicetur. Si verò adulterium aut ſcortationem perpetraverit, multo ſeuerius vindicat: vt ſcilicet ab ordine depositus, etiam excõmunicetur. Nunc ſi quis vxorem duxerit, habetur crimen capitale: ſi centies ſcortatus ſit, exigua pœcunia ſumma mulctatur. Adde, quòd ſi hodie viueret, qui illam de cœlibatu legem tulerunt primi, præſentibus experimenſis cdocti, eam proculdubio primi abrogarent. Quanquam nimis, vt dixi, iniquum foret, nos hominum authoritate damnari, vbi palam Dei voce abſoluimur.

De confeſſione, breuior & magis expedita eſt deſenſio. Neque enim oſtendunt aduerſarij, vllam fidelibus neceſſitatem confeſſendi, ante Innocentium tertium, fuiſſe impoſitam. Per annos ergo mille & ducentos ignota fuit orbi Chriſtiano hæc tyrannis, pro qua tam acriter nobiſcum decertant. At eſt Lateranenſis Concilij decretum. Tale nempe qualia permulta. Norunt hiftoriarum mediocriter periti, temporum illorum tum inſcitiam, tum ferocitatem. Et illud vſu venire ſolet: vt quò indoctiores ſunt, qui præſunt, eò magis ſint imperioſi. Cæterum teſtes mihi erunt omnes piæ animæ, quali implicari labyrintho eos oporteat, quicumque illa lege obſtringi ſe putant. Acceſſerat ad tam crudele conſcientiarum tormentum blaſphemia ſuperbia, quòd peccatorum remiſſionem illic incluſerant. Neminem enim veniam à Deo obtinere fingebant, niſi qui votum haberet confeſſendi. Quidnam hoc quaſo eſt, vt modum ex ſuo capite præſcribant homines, quo reconcilietur Deo peccator? vt, Deo veniam ſimpliciter offerente, iſi negent, donec

conditio, quam addiderunt, impleta fuerit? Ex altera parte hæc pessima superstitio populum tenebat: simul ac in aurem Sacerdotis exonerassent sua peccata, omni se reatu esse liberatos. Hac opinione multi ad solutiorem peccandi licentiam abutebantur: qui autem maiori Dei timore præditi erant, ad Sacerdotem tamen magis, quàm ad Christum, respectabant. Caterùm, publicam ac solennem exomologesin, sicuti vocat Cyprianus, quæ olim iniungi solebat poenitentibus, cum Ecclesiæ reconciliandi forent, nemo sanus est, qui non laudet, ac libenter amplectatur: modò non in alium trahatur finem, quàm quo instituta fuit. Denique, nihil nobis in hac re est controuersie cum veteri Ecclesia: sed recentem modò tyrannidem, nec ita pridem exortam, à fidelium cervicibus prosligatam, sicuti par est, volumus. Præterea, si quis, ut consolatione & consilio iuuetur, priuatim ministrum suum adeat, & familiariter in eius sinum deponat anxietatis suæ causas, quin id piè & vtiliter fiat, nequaquam refragamur: modò ne ex libertate fiat necessitas. Relinquatur, inquam, hæc cuique libertas, ut faciat, quod sibi expedire nouerit: nullius conscientia certis legibus obligetur. Hæc excusatio tum maiestati tuæ, ut spero, Casar, tum vobis Illustrissimi Principes, sicut plena est æquitatis, satisfaciet.

Verùm, ut cunque meritiò, & corruptam veritatis doctrinam, & Christianismum totum multis vitijs profanatum fuisse conqueramur, negant tamen reprehenses nostri, propterea fuisse causam, cur Ecclesiam adeò turbari, & quodammodo concuti terrarum orbem oportuerit. Equidem, nec ita sumus stupidi, quin sentiamus, quanto opere cauendi sint publici tumultus: nec ita ferrei, quin tægamur, atque etiam horreamus toto pectore, cum turbulenti hunc cernimus Ecclesiæ statum. Verùm qua æquitate nobis imputatur presentium motuum culpa, cum à nobis minimè conuocati fuerint? Imo qua fronte nobis turbata Ecclesiæ crimen obijciunt, quos constat omnium turbarum esse authores? Lupi scilicet de agnis conqueruntur. Cum initio prædij: Lutherus, paucos tantùm, & eos nimis crassos abusus, nec iam tolerabiles, leuiter notabat idque eam modestia, ut eos correctos cupere se magis indicaret, quàm auderet ipse corrigere. Hic ab aduersa parte ad arma prociuus conclamatus est: & cum magis ac magis accenderetur contentio, hoc optimum compendium esse duxerunt hostes nostri, ut & scuitia veritatem opprimerent. Itaque cum nostri homines ad amicam disceptationem prouocarent, & placidis rationibus cuperent dissidia cõponi: sanguinarijs edictis crudeliter vexati sunt, donec ad miseram istam dissipationem res est perducta.

Neque tamen hæc noua est calumnia. Id, quod audire nunc cogimur, exprobrabat etiam olim impius ille Ahab Helia; nempe quòd turbaret Israelem. Verùm sanctus Propheta, sua responsione, nos absoluit: Non ego sum, inquit: sed tu & domus patris tui: quia dereliquisti Dominum, & abiisti post Baalim. Non ergo ex eo grauari nos inuidia æquum est, quòd hodie feruet inter Christianos tam acere de religione certamen: nisi Heliam dammare primum libeat, cum quo nobis communis est defensio. Ille se hac sola ratione excusat, quòd non nisi pro vindicanda Dei gloria, & restituendo eius puro cultu, pugnauerit: turbarum verò & certaminum crimen reijcit in eos, qui, ut veritati resisterent, tumultu abantur. Nos autem quid egimus aliud hæcenus, & quid agimus nunc quoque, nisi ut colatur Deus vnus inter nos, simplèxque eius veritas regnet in Ecclesia?



sarij nostri, saltem antè conuinci nos impiæ doctrinæ conuenit, quàm nobis id vitio vertatur, quòd ab alijs dissentiamus. Quid enim agendum nobis erat? Vna erat redimenda pacis conditio, vt tacendo Dei veritatem proderemus. Quamquam non satis fuisset tacere, nisi impiam doctrinam, apertas in Deum blasphemias, & pessimas superstitiones, tacito consensu approbaremus. Quid ergo aliud potuimus, quàm testari saltem clara voce, nos ab impietatis consortio esse alienos? Nos ergo simpliciter, quòd officij nostri erat, facere studuimus. Quòd porro in tam hostile dissidium res exarserit, huius mali penes eos culpa est, qui cælum terram misce re maluerunt, quàm præ sanæque doctrinæ locum dare: vt tyrannidem semel usurpatam, quoquo modo retinerent.

Tametsi hoc nobis ad defensionem satis superque esse debet, quòd à parte nostra stat sacrosancta Dei veritas, pro qua asserenda tantum certaminum sustinemus: aduersarij autem, nobiscum pugnando, non tam a uersum nos, quàm Deum ipsum, bellum gerunt. Deinde, quòd non sponte ad hunc contentionum feruorem descendimus, sed illorum intemperie, præter opinionem nostram, fuimus pertracti. Quicquid acciderit: non est cur odio grauemur. Nam sicut euentus moderari non est nostrum, ita nec eos præstare. Vetus hoc est, seculisque omnibus visitatum: ex Euangelij doctrina impios tumultuandi occasionem sumere: postea hanc infamiam irrogare Euangelio, quasi dissidijs causam præbeat: quam ipsi, non oblatam, sua prauitate captant. Et quemadmodum in prima Ecclesia impleri vaticinium illud oportuit, vt domesticis suis esset Christus lapis offensionis, & petra scandali: ita nihil mirum, si nostro quoque tempore verum sit. Est quidem hoc habendum prodigij loco, quòd lapidem, qui in fundamento principatum tenere debeat, reijciant architecli: sed quia hoc ab initio factum fuit in Christo, ne miremur, cum hodie quoque vsu venit. Hic tuam maiestatem appello, Cæsar, vestramque amplitudinem, Principes: cum in fausta hæc Ecclesia dissipatio, aliæque infinita mala, quæ ex dissensione orta sunt, vel occurrunt animis vestris, vel sermone hominum commemorantur, facite vt simul in mentem vobis veniat, in scopum contradictionis positum esse Christum: vt quoties prædicatur eius Euangelium, impiorum rabiem accendat statim ad repugnandum. Iam ex conflictu fieri concussionem necesse est. Hæc igitur perpetua fuit, vsque à primo suo exortu, & semper erit, vsque in finem, Euangelij conditio: vt eius prædicationem magnis contentionibus excipiat mundus. Sed prudētium est animaduertere, vnde nascatur huius mali causa. Hoc quisquis respiciet, facile nos omni culpa liberabit. Veritati certè testimonium reddere, sicut fecimus, oportuit. Væ mundo, si Christum mauult ad certamen prouocare, quàm oblatam ab eo pacem amplecti. Frangetur enim proculdubio, qui ab eo corrigi non sustinebit.

At hic nobis rursum obijcitur, non omnia Ecclesiæ vitia tam asperis remedijs corrigenda esse: nec ad viuum rescandanda: ac ne omnibus quidem asserendam esse medicinam: sed alia castiganda esse leniter, alia esse toleranda, si quid difficultatis habeat emendatio. Respondeo, non vsque adeo imperitos esse nos communis vitæ, quin Ecclesiam nouerimus semper fuisse obnoxiam aliquibus vitijs, semperque fore: quæ pijs improbanda quidem, potius tamen ferenda sint, quàm eorum causa hostiliter dimicandum. Caterum, iniuriam nobis faciunt aduersarij, dum nimis morositatis nos accusant: quasi, ob exiguos leuésque errores, molestiam Ecclesiæ

exhibuerimus. Nam hanc quoque calumniam ad alias adiungunt, quod extenuant, quo possunt artificio, eas res, de quibus controversiam mouimus: ut vixandi magis libidine impulsus videamur, quam iusta causa adducti huc fuisse. Neque enim id faciunt ignorantia, sed astanto consilio: quia scilicet nouerunt eiusmodi importunitate, qualem nobis affingunt, nihil esse odiosum. Tametsi suam quoque impietatem in eo produnt, quod de rebus omnium maximis ita contemptim loquuntur. Itane verò? ut cum profanatum Dei cultum, cum honorem eius prorsus imminutum, cum implicatam multis perniciosis erroribus salutis doctrinam, cum sepultam esse Christi virtutem, sacra denique omnia sacrilegijs polluta, conquerimur, nostram stultitiã derideant, quasi de leuiculis quæstionibus disputando, nos & totum mundum frustra fatigemus?

Verum, quia hæc cursim perstringi nequeunt: locus postulat, ut earum rerum, de quibus contendimus, dignitatem & pondus diligentius vobis exponam: ut appareat, non modo non fuisse negligendam, sed nullo modo potuisse à nobis prætermitti, quin maximo scelere, & impia aduersus Deum perfidia nos obstringeremus. Quod de tribus capitibus, de quibus initio dicturum me proposui, erat in ordine tertium. Principio scire velim, qua fronte Christianos se nominare ausint, qui nos, ob nimium leues causas discordijs tamen turbasse Ecclesiam, insimulant. Nam si tanti religionem facerent nostram, quanti suas fecerunt veteres idololatra, eius conseruandæ studium, quod illi alijs omnibus curis ac negotijs præferendum duxerunt, non ita contemnerent. Illi enim cum pro aris & focis dimicare se aiunt, causam sibi videntur allegare omnium optimam, & maximè fauorabilem. His videtur esse pene superuacua contentio, quæ pro Dei gloria, & hominum salute, suscipitur. Non enim de umbra asini, sicut dictum est, litigamus: sed tota religionis Christianæ summa in quæstionem vertitur. Si nihil aliud veniret in rationem, an tantulo in pretio nobis est aterna & inuiolabilis Dei veritas, quam tot illustribus testimonijs certam reddidit: pro qua confirmanda tot sancti Prophetæ, tot Martyres mortem obierunt: cuius ipse Dei Filius præco & testis fuit, quam denique suo sanguine obsignauit: ut nobis videntibus & tacentibus, conculcari debeat?

Sed descendo ad species. Scimus quàm execrabilis Deo res sit idololatria: & quàm horrendis pœnis eam ultus sit tum in populo Israelitico, tum in alijs gentibus, passim narrat historia. Audimus eandem vindictam eius ore denunciari in omnes ætates. Nobis enim loquitur, cum per sacrum suum Nomen iurat, non passurum se, ut ad idola gloria sua transferatur: cum testatur se zelotypam esse, qui in tertiam & quartam generationem vindicaturus sit, cum alia peccata, tum hoc ipsum præ alijs. Hoc peccatum est, cuius causa Moyses, tam mansueto alioqui ingenio vir, spiritu Dei accensus, Leuitas discurrere per castra iussit, & manus fratrum suorum sanguine consecrare: cuius causa populum suum toties persecutus est Deus ac peste, fame, gladio, omni denique calamitatum genere afflixit: cuius causa potissimum, cœcidit regnum Israelis primum, deinde Iudæ: excisa Ierusalem ciuitas sancta: Templum Dei, quod vnicum erat tunc in terris, dirutum: populus ille, qui ex omnibus peculiariter selectus erat, cui se Deus fœdere cõiungeret, qui solus ferret Dei insignia, & sub eius tutela principatûs viueret: ex quo denique nasceretur Christus, a) lucius modis omnibus spoliatus omni dignitate, in exilium pulsus,

Et propè ad interitum perductus fuit. Longum esset, omnia hìc recensere. Nulla est pagina in Prophetis, quæ non clamitet, nihil esse quod Deum ad indignationem magis prouocet.

Quid ergo? cum apertâ idololatriâ passim grassari in mundo cerneremus, fuitne cõnuen-  
diû? Atqui, perinde id fuisset, ac mundû suo exitio indormientẽ palpate, ne expergisceretur.

Veniant vobis in mentem, inuictiss. Cesar, & illustrissimi Principes, tot illa inquina-  
menta, quibus prius ostendi pollutum fuisse Dei cultum: reperietis profectò, quoddã veluti  
diluuium impietatis exundasse, quo tota religio suffocaretur. Hinc statuis exhibebantur di-  
uini honores: ad eas passim homines precebantur: illis numen & potentiam Dei subesse finge-  
bant. Hinc sancti mortui colebantur, non secus atque olim apud Israëlitas Baalim. Et  
plurimi alij modi excogitati erant, Sathanæ artificio, quibus Dei gloria discerneretur. Clam-  
mat Dominus, se ardere zelotypia, si quod idolum erigatur: nec minus seruos eius pro asse-  
renda ipsius gloria zelotypos esse debere, suo exemplo demonstrat Paulus. Nec vulgaris  
est ille zelus domus Dei, qui fidelium omnium corda debet exedere. Cum ergo tot pollueretur,  
vel potius laceraretur modis Dei gloria, nõnne, conuiuendo, & tacendo perfidi fuisset-  
mus? Canis, si quam suo Domino violentiam inferri viderit, protinus latrabit: nos tot sacrile-  
gijs violari sacrum Dei nomen taciti aspiceremus? Et vbi esset illud? Opprobria expro-  
brantium tibi, ceciderunt super me.

Illam verò ludibria, quòd non nisi externo gestu, & stultis hominum figmentis coleba-  
tur Deus, silentio præterire quã fas fuit? Scimus quantopere hypocrisim oderit: regnabat  
in illo cõmentitio Dei cultu, qui passim erat vsitatus. Audimus qua verborũ acerbitate inue-  
hantur Prophetæ omnes in cultus, hominũ temeritate fabricatos. Bona intentio, hoc est, in-  
sana quidlibet audẽdi libido, optima colendi Dei regula putabatur. Certè ex toto Dei cultu,  
qualiter erat institutus, nihil ferè erat quod testimonium haberet à verbo Dei. Nõ est quòd  
hìc, vel nostro, vel aliorũ iudicio stemus. Sed audiẽda vox Dei, qua testatur quanti hãc cul-  
tus sui profanatione æstinet, vbi homines extra verbi eius fines in proprijs cõmentis lasci-  
uiunt. Dux affert causas, cur populũ Israeliticũ, pio & sancto Ecclesiæ regimine priuatiũ,  
excacatione puniat: hypocrisim, & ἰδωλολατρίαν, hoc est, formam colendi ipsius huma-  
nitus confictã. Quia appropinquat populus hic labijs suis, inquit, cor autẽ longè est à me: &  
quia me colit mandatis hominum, ecce edam portentum horribile, cuius auditu omnes ob-  
stupescent. Peribit enim sapientia à sapientibus, & prudentia à sensibus euanesceat. Similis  
aut maior etiam peruersitas, cum Deus nos excitauit, palam in Ecclesijs dominabatur. Cum  
è cælo Deus fulminaret, an quiescendum nobis fuit?

Quòd lingua incognita, aduersus clarã Dei prohibitionem, solennes preces in  
tẽplis fieri moris erat, leue forte erratũ fuisse existimabũt. Sed eo modo derisum fuisse Deũ  
cum appareat, nobis nõ negabũt fuisse plus satis iustã reclamãdi causam. Quid, quòd in publi-  
cis hymnis personabant blasphemix, quas nemo pius sine summo horrore audire sustineat?  
Nota sunt illi Mariæ epitheta, cum porta cæli, spes, vita, & salus nominaretur. Eousque  
furoris & amentix prouecti sunt, ut imperãdi ius illi in Christũ tribueret. Adhuc enim in  
multis tẽplis execrabile illud & nefandũ carnẽ auditur: Rogã patrẽ: iube natum. Nihilo mo-  
destioribus elogijs quosdã sanctos celebrat: & quidẽ suos, hoc est, quos ipsi opinione sua in  
sanctorũ catalogũ retulerunt. Nã inter plurimas laudes, quas canit Claudio, eũ lumẽ cæcorũ,  
viã errantiũ, vitã & resurrectionẽ mortuorũ vocat. Talibus blasphemijs refertã sunt pre-  
candi formulæ, quas in quotidiano vsu habet. Seuerissimas pœnas Dominus aduersus eos pro-  
nuntiat, qui nomẽ suũ miscuerint cũ nominibus Baalim, siue in iure iurãdo, siue in precibus.  
Quæ igitur vindicta nostris capitibus imminet, qui nõ modo sanctos, tanquã minores Deos,

cum illo miscemus, sed cum insigni eius contumelia, Christiā spoliamus proprijs & singularibus titulis, quibus eum ornavit, ut illos creaturis deferamus? Hicne etiam tacendum nobis erat, ut perfidioso silentio in nos quoque tam graue iudicium accerferemus?

Taceo, quod certa fide, hoc est, serio, Deum nullus precabatur, ac ne poterat quidem. Nam sepulto in eum modū, ut erat, Christo: necesse erat, de paterna erga se Dei beneuolentia, & an sibi opem ferre vellet, an salutem suā curā haberet, homines perpetuò dubitare. Quid: an hic leuis aut tolerabilis error fuit, quòd æternū Christi sacerdotiū, quasi prædæ expositum, ad sanctorū quemlibet defereretur? Meminerimus, hunc sibi honore Christū morte sua cōparasse, ut æternus sit aduocatus & pacificator, qui nos & preces nostras Patri offerat: qui gratiā nobis apud eum impetret: qui nobis sp̄e obtinendi, quod petimus, faciat. Sicut solus & pro nobis mortuus est, & morte sua nos redemit, ita in huius honoris societate nullum admittit. Quod ergo sacrilegiū illo fœdus, quod subinde aduersarij nostri in ore habēt? Christū esse quidē vnicū redēptionis mediatorē: at sanctos omnes, intercessionis. An non eo modo in gloriosius relinquitur Christus? quasi sacerdotis officio semel in morte defunctus, illud nunc sanctis resignauerit. An tunc etiā tacendum est, vbi præcipua Christi dignitas, & qua illi tanto pretio constitit, ab eo per summam cōtumeliam erepta, inter sanctos, quasi hostile spoliū, distribuitur? At, sic loquendo, Christum non negant etiā nunc pro nobis intercedere: modò id facere intelligamus vnā cū sanctis: nēpe, ut vnū quēlibet ex grege. Præclarum verò honore sibi acquisiuit Christus suo sanguine, si hoc tantum consecutus est, ut socius esset Hugonis, aut Lubini, aut alterius cuiuspiā ex vltima face sanctorū, quos Pontifex Romanus suo arbitrio creauit. Non enim hic quaeritur, an orent illi quoque: qua de re nihil scire satius est, cū Scriptura nullam faciat mentionē: sed hoc est de quo contendimus, Christone, aut prætermisso, aut neglectim habito, aut in totum valere iusso, ad sanctorum patrocinia circūspectare liceat: vel, si quis malit apertius, sine vnicus sacerdos Christus, qui & sanctuarium Dei Patris nobis aperiat, nōsque illuc solus m. nuducat, & Patrem sua deprecatione, ad preces nostras exaudiendas flectat: in cuius clientelam concedere, & cuius nomen obtendere in precibus debeamus: an communiter hoc munus cum alijs sanctis sustineat.

Quamquam non solius sacerdotij honore, sed omnium quoque suorū beneficiorum gratia Christum magna ex parte fuisse exutum, superius demōstrauim. Nam redemptor quidem vocatur: sed ita, ut se quoque ex peccati & mortis seruitute, per liberū arbitriū, homines redimant. Vocatur quidem iustitia & salus: sed ita, ut ipsi sibi operum meritis homines salutem acquirant. Scholasticos enim nihil pudet huc restringere inæstimabile illud redēptionis beneficium: cui enarrando nulla, nec hominum, nec angelorum facundia sufficiat: ut dicant eum nobis contulisse primum meritum, quod occasionem merendi interpretantur: nos verò, hoc adminiculo adiutos, vitam æternam operibus proprijs mereari. Fatentur quidem, Christi sanguine nos ablutos esse à peccatis: sed ita, ut se quisque, ascitis hincinde lauacris purget. Habet quidem mors Christi sacrificij titulum: sed ita, ut quotidianis hominum sacrificijs peccata expiantur. Dicitur quidem Christus reconciliasse nos Deo patri: sed conditio additur, ut satisfactionibus suis redimant homines pœnas Dei iudicio debitas. Cū supplementum quaeritur ex clauū beneficio, nihilo plus honoris habetur Christo, quàm Cypriano aut Cyrilio. Martyrum enim & Christi merita simul permiscet, ut cōficiant Ecclesiæ thesaurum. Nōne quot hic audimus verba, tot sunt execrabiles blasphemiae, quibus profcinditur ac laeceratur Christi gloria? ut ipse propemodum exinanitus, nomen retineat tantum, virtute autem careat. Hic etiam tacuissimus scilicet, cū filium Dei, in quem Pater omne imperium, omnem potentiam & gloriam contulit, & in quo solo gloriari nos iubet, ita in ordinem redigi

digi cerneremus, ut paululum supra servos suos emineret? Cum eius beneficia in oblivione iacere, cum eius virtutem hominum ingratitude sepultam, cum pretium sanguinis eius vilesce, cum fructum mortis propè abolitum, cum denique ipsum ita deformatum falsis & profanis hominum opinionibus, videremus, ut inani spectro, quàm sibi, esset similior, an hoc taciti & quieti tulissemus? O sceleratam patientiam, cum imminuto, ne dicam prostrato Dei honore, ita leuiter tangimur, ut possimus commiundo transilire! O malè collocata in nos Christi beneficia, si eorum memoriam impijs blasphemijs ita suffocari sustinemus!

Ad secundam Christianæ doctrinæ partem iterum redeo. Quis neget ita passim delirare homines, ut comparare se vitam æternam, operum merito, existiment? Coniungunt fateor, interim cum suis operibus Dei gratiam: sed cum non aliter se gratos esse confidant, quàm si digni sunt, eorum & fiduciam & gloriationem in operibus residere constat. Hæc trita est ac receptissima in omnibus scholis doctrina: hæc omnium ferè animis penitus infixæ opinio, ita quenque amari à Deo, ut quisque sit dignus. Hoc recepto, nonne Diabolica confidentia in altum eriguntur animæ, ut grauiore præcipitio in desperationis gurgitem postea ruant? Quid, quod non veris saltem obsequijs, sed nihili ineptijs Deum volunt demereri? Siquidem in operibus meritorijs hæc habentur primaria: multas preculas susurrare, erigere altaria, statuas aut tabulas illic collocare, frequentare templa, cursitare de templo in templum, multas Missas audire, aliquas emere, nescio quibus abstinentijs, quæ à Christiano ieiunio in totum dissideant, affligere corpus, seruandis hominum traditionibus diligenter incumbere. In satisfactionibus, nonne maior adhuc dementia? Cum scilicet ethnicorum more, piacula quærent, quibus se cum Deo reconciliarent. Iam verò, cum omnia tentando, diu multumque se fatigassent, quid profecerant? Nam cum omnia facerent, dubia & trepidante conscientia, semper eos excipiebat horribilis illa anxietas, vel potius durum illud tormentum, de quo antè dixi: quia, an Deo cum suis operibus exositi essent, dubitare iuebantur. Euersa porrò eum in modum fiducia, simul accidere necesse est, quod ait Paulus, ut æternæ hereditatis promissio ateleatur. Vbi tunc hominum salus? Nos verò, si in tanta loquendi necessitate tacuissemus, non tantummodo in Deum ingrati & perfidi, sed etiam inhumani in homines: quibus videbamus æternam omnibus exitium imminere, nisi in viam reducerentur.

Canis, si tantam iniuriam inferri domino suo cerneret, quanta Deo contumelia irrogatur in sacramentis, lacraret proitinus, vitamque suam potius opponeret periculo, quàm, se tacente, dominum ita malè tractari smeret. An nos Deo minus præstare obsequij debuimus, quàm homini præstare solet bestia? Taceo quòd institutis à Christo mysterijs, cœlestique eius auctoritate commendatis, nuda hominum voluntate proditos ritus æquarunt: quod tamen ipsum acriter reprehendi merebatur. Mystera verò ipsa tot superstitionibus corrupti, tot prauis, quas retulimus, opinionibus fœdari, ad turpem infamemque quæstum, absque vlla verecundia, prostitui, an dissimulanter ferre debuimus? Flagello nummularios fugauit Christus è templo, eorum mensas manu euertit, merces exturbauit. Non omnibus, fateor, flagellum in manum sumere licet, verùm zelo illo, quo incitatus fuit Christus ad vindicandam Patris gloriam, flagrare omnes conuenit, qui se Christi esse profitentur. Proinde, quæ sibi tantopere displicere templi inquinamenta opere

monstravit, nostrum saltem est, libera constantique voce, fortiter execrari. Quis ignorat venalia nihilominus sacra in templis iam dudum esse, quàm quæ medio foro prostant merces? Et alia quidem condicito pretio vaneunt: de alijs, post multam licitationem paciscuntur.

Sed quoniam in Cœna, magis quàm in reliquis, illustre est exemplum, & plus indignitatis habet, age, qua cõscientia ad tã multas, tamque sacrilegas eius profanationes, conniuere potuimus? Ad quas exprimendas, cum mihi nunc desint verba, quo iure nobis vitio vertitur quòd in eas inuehendo, nimis fuerimus vehementes? Vos hìc inuictiss. Cæsar, & illustrissimi Principes, per sacrum Christi corpus, quod immolandum pro nobis exposuit, per venerandum illum sanguinem, quem pro nostra ablutione effudit, obtestor, vt reputare cum animis vestris velitis, quanti debeat esse mysterium, in quo nobis corpus illud in cibum, sanguis in potum exhibetur: qua religione, qua cura, custodiri impollutum debeat. Cuius ergo ingratitude erit, si quis cœleste hoc mysterium, quod instar pretiosissimæ margaritæ, nobis commendauit Christus, calcari aspiciat porcorum pedibus, & taceat? Atqui, non calcari modò, sed omni etiam pollutionis genere inquinari videbamus. Quale ludibrium erat, quòd mortis Christi efficacia ad theatricam hominis actionem trāsferbatur? quòd sacrificulus tanquam Christi successor, mediatorem se inter Deum & homines interponebat? quòd obliterata vniuersi sacrificij virtute, nulle singulis diebus sacrificia in vna vrbe ad expianda peccata offerbantur? quòd nullies quotidie immolabatur Christus, quasi nõ sufficeret, semel esse pro nobis mortuum? Ad istas omnes contumelias Christo irrogandas, sacrosanctæ Cœnæ titulo abusi sunt: si quidem in solo sacrificij nomine omnes continentur. Neque verò ignoro, quas nunc interpretationes obtendant aduersarij, ad diluendas tantas absurditates. Verùm, cum hæc lenius omnes, quas retuli, abominationes impudenter exercuerint, nunc deprehensi perfodiunt sibi nouos cuniculos: quibus tamen suam turpitudinẽ minimè operiunt. Missam sacrificium esse tradiderunt, quo expiarentur peccata, non viuorum modò, sed etiam mortuorum. Quid nunc proficiunt tergiversando, nisi quòd suam impudentiam produnt? Quanta etiam sacramenti pollutio, quòd cum aperta verbi prædicatione constet legitima consecratio, flatu dumtaxat & murmure, panis incantatur? quòd non distribuitur in cœtu fidelium, sed seorsum voratur ab vno, vel in alienum vsum reponitur? quòd cum aliqua fit distributio, populus dimidia parte, hoc est, calice, aduersus clarum Domini interdictum, priuatur? Quale deliramentum, quòd aboleri suis exorcismis fingunt panis substantiam, vt in Christum transmutetur? Quale probrum, quòd nihilo verecundius Missarum exercetur mercimonium, quàm calceorum? Nam si recipitur quod dicunt, id est meritum mortis Christi vendere. Certè non leuiorem Christo contumeliam faciunt, quàm si eius faciem conspuerent.

Tibi, quaeso, inuictiss. Cæsar, vobisque illustrissimi Principes, in mentem veniat, quid olim Corinthijs propter vnum, nec ita grauem, prima specie, abusum huius Sacramenti, acciderit. Suam quisque cœnam domo afferebat: non vt conferrent in commune, sed vt lautè epularentur diuites, pauperes autem esurirent. Hanc ob causam vehementi ac saua pestilentia fuisse à Domino castigatos, asserit Paulus: qui tamen paternum hoc flagellum esse admonet, quo Dominus eos ad resipiscentiã vocaret. Hinc colligite, quid nobis hodie expectandũ sit, qui non paululũ quiddã declinauimus à recta Christi institutione, sed ab ea im-

mensio interuallo discessimus, qui non vno in genere corrupimus eius puritatem, sed compluribus, & ijs quidem horrendis modis, eam deformauimus: qui non vno quolibet abusu turbauimus legitimum eius usum, sed totam administrationem euertimus. Nec verò dubium est, quin pridem hanc impietatem vlscisci cœperit Deus. Iam multos annos continuos plurimis varijsque exumms & calamitatibus mundus premitur: & nunc ad extremum propè miseriarum ventum est. Nos quidem obstupescimus ad nostras plagas: aut alias causas imaginamur, cur ita nos Deus affligat. Verùm, si cogitamus quàm leue fuerit erratum illud quo vitauerant sacram Cœnam Corinthij, præt sunt tot inquinamenta, quibus hodie inter nos fœdèta pollutatque est, mirum nisi agnoscimus, Deum, qui tam seuerè in illos vindicauit, meritò nobis esse magis iratum.

Regiminis Ecclesiastici corruptela quàm flagitiosa fuerit, si velim persequi, infinitam sylvam ingrediatur. De vita sacerdotum, propter multas causas, hìc dicere supersedeo. Hæc tria vitia quàm nõ ferenda sint, expendere pro se quisque potest: quòd, sublato iustæ vocationis ordine, passim sacerdotia aut per vim, aut per simoniã, aut per fraudẽ, aut per alias improbas & sceleratas artes occupantur: quòd qui præsunt, inanes potius sunt vmbrae, quantũ ad munus suũ exequendũ pertinet, vel mortua simulachra, quàm veri ministri: tãdem quòd cum verbo Dei gubernare conscientias debeant, iniusta eas tyrannide opprimunt, & multis impiarum legum vinculis constrictas tenent. Itãne, vt non modò spretis Dei & hominum legibus, sed proiecta omni verecundia, fœdèta confusio in promouendis episcopis & presbyteris regnet: libido pro iure valeat: rarò absit simonia: & tanquam leuia essent hæc mala, correctio in futurũ seculum differatur? Iam vbi iacet docendi cura, quæ restat amplius ministerij species? Iam pro spiritali conscientiarum libertate, videmus quot certamina Paulus suscepit, quantaque contentione ea exagitet. At, qui adhibuerit in iudicando æquitatem, intelliget profectò longè nunc iustiores nos habere contendendi causas. In tanta ergo totius piæ doctrinæ deprauatione, in tam nefaria pollutione sacramentorũ, in tam deplorata Ecclesiæ calamitate, qui nos tam vehementer commoueri oportuisse negant, ijs non aliter potuimus satisfacere, nisi vt Dei cultum, Christi gloriam, salutem hominum, totam sacrorum & Ecclesiæ administrationem, perfida patientia proderemus. Speciosum est moderationis nomen: pulchra & laudabilis virtus, tolerantia: sed tenenda est regula vsque ad aras: Hoc est, ne sacrum Dei nomẽ profcindi impijs blasphemijs, æternam eius veritatẽ suffocari Diaboli mendacijs, Christum conspui: inquinari eius mysteria, crudeliter interfici miseris animas, Ecclesiam lethaliter sauciatam cum vltimo exitio luctari, patienter feramus. Non enim hæc esset mansuetudo, sed earum rerũ incuria, quibus omnia posthaberi oportet.

Hactenus, quod proposueram, satis ostendisse me confido: nos in corrigendis Ecclesiæ vitijs nequaquam fuisse vehementiores, quàm res ipsa flagitabat. Neque id nostros reprehensores fugit. Itaque ad alteram criminaticnem confugiunt. Nihil aliud nos tuando profecisse, nisi vt intestinis discordijs ferueret orbis Christianus, qui saltè antè pacatus erat. Aded enim nihil emendationis apparere, vt prolapsa in deterius sint omnia: ex ijs, qui doctrinã nostrã sunt amplexi, paucos inde factos esse meliores: quin etiã quibusdã, si non maioris, at dissolutioris nequitie audaciã præbuisse. Obijciunt præterea: nullam esse in Ecclesijs nostris disciplinam, nullas abstinentiæ leges, nulla humilitatis exercitia: plebem, quæ nullo iugo retineatur, licetia impunè lasciuire. Postremò, inuidiam nobis de bonorum Ecclesiasticorum dirceptione faciunt. Principes enim nostros in ea, non secus atque in hostilem prædam, inuolasse: ita spoliatam, indigna violentia, Ecclesiam fuisse: hodièque, confuso discrimine possideri ab ijs Ecclesiæ patrimonium, qui in medio contentionum strepitu ea, si-

ne iure, sine honesto vlllo titulo, occupauerint.

Equidem non nego, cum absque controuersia regnaret impietas, turbatum eius regnum per nos fuisse. Quòd si sanæ piæque doctrinæ, statim atque mundo illuxit, s̄onte omnes, promptisq̄ue animis, sicuti par erat, manum dedissent, non minus hodie tranquilla pax & quies esset inter omnes Ecclesias, florente Christi regno, quàm tunc, Antichristo tyrannidem obtinente. Desinant ergo, quos veritatis cursum impedire constat, cum Christo bellum gerere, & statim optima erit concordia: aut dissensionum, quas agitant ipsi, culpam in nos rejicere desinant. Nam istud certè perquam iniquum est, cum non aliam à se pacis conditionem impetrari sustineant, nisi vt, profligata pietatis doctrina, Christo velut in sepulchrum recondito, iterum Ecclesiam subigat Antichristus, non gloriari solum tanquam innocios, sed nobis etiam vltro insultare: nos, qui nihil aliud cupimus quàm vnitatem, cuius modò vinculum sit æterna Dei veritas, totum crimen & odium sustinere: perinde ac si cõtentionum essemus authores. Quòd nullum fructum ex doctrina nostra consecutum esse exprobrant, scio equidem nos profanis hominibus ob hanc eandem causam derisui esse, quòd insanabiles morbos commouendo, nihil quàm exulceremus. Sic enim existimant: tam perditæ Ecclesiæ statu, frustra tentari remedia, cum nulla sit spes sanitatis. Proinde melius nihil esse concludunt, quàm malum bene positum non mouere. Qui in hunc modum loquuntur, Ecclesiæ instaurationem non intelligunt opus esse Dei, quod à se opinionèque hominum nihilomagis pendeat, quàm aut mortuorum resurrectio, aut aliud miraculum ex eo genere. Non ergo aut ex hominum voluntate, aut ex inclinatione temporum expectanda est hic agendi facilitas: sed per mediam de desperationem prorumpere conuenit. Vult Dominus Euangelium suū prædicari. Huic mandato pareamus: & sequamur, quòd nos vocat. Quis futurus sit successus, inquirere, non est nostrum: nisi quòd eum quàm optimum, & votis optare, & precibus à Domino postulare debemus: eniti etiam omni studio, sollicitudine, diligentia, vt talis contingat: interea tamen qualiscunque erit, æquo animo ferre.

Immeritò igitur hoc nobis crimini datur, non tantum profuisse nos, quantum & studuimus, & optandum fuisse. Plantare & rigare nos Deus iubet. Fecimus. Sclus ipse est qui dat incrementum. Quid si pro nostro voto dare nolit? Si quòd nostrarum partium erit, fideliter nos esse exequutos constat, ne quid amplius à nobis requirant aduersarij: de successu minus prospero cū Deo expostulent. Quauquam id quoque, quòd obtendit, nullū extare doctrinæ nostræ fructū, falsissimū est. Omitto externæ idololatriæ correctionem, tórque superstitioinum ac errorum: quæ pro nihilo ducenda non est. Sed an nulluse sit hic fructus, quòd multi verè pij nobis acceptum referunt, quòd Deum puro tandem corde colere didicerint? quòd eum cõperint serena conscientia inuocare? quòd ex perpetuis tormentis liberati, verum Christi gustum, in quo acquiescerent, perceperint? Quòd si querantur documenta, quæ in hominum conspectu appareant, non ita infaliciter nobiscū agitur, quin plurimis gloriari liceat. Quàm multi, cum antè corruptioris vitæ fuissent, ita resipuerunt, vt in nouos homines viderentur conuersi? Quàm multi, cum omni reprehensione caruisset eorum antea acta vita, imò cum præclaram laudem habuisset, adeò tamen non retrocesserunt, vt abunde vita sua testentur, non esse sterile nec infructuosum nostrum ministerium? Traducere nos, adeoque lacerare suis calumnijs hostes nostri possunt: apud imperitos præferim: sed hoc nobis non eripient, quin plus apud eos, qui doctrinam nostram sunt amplexi, innocentia, integritatis, veræque sanctimonie reperiatur, quàm in ijs omnibus, qui habentur inter eos excellentissimi. Quòd si qui sunt, vt nimis multos fateamur esse, qui ad laxandas nequitia suæ habenas, Euangelio abutantur: non nouum id quidem est: sed quid ad nos, vt eius culpam sustinere



sustinere nos oporteat? Scitur Euangelium vnicam esse bene sancteque viuendi regulam. Quod autem non omnes regi se patiuntur: quod etiam alij, quasi iugo soluti, liberius insolent, in eo agnoscimus verum esse quod dicebat Simeon: Christum in hoc positum esse, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Si Euangelij lucem, ideo accendere, vt occulta impiorum nequitia detegatur, Deo placet, inde Euangelij ministris, eorumque praedicationi crimen conflare, extremae impudētia & malitiæ est. Ego verò nullam illis iniuriam facturum sim, si hoc de quo inuidiam conflare nobis conantur, in eos retorqueam. Vnde enim lasciuendi audaciam arripiunt Dei contemptores, nisi quod in medio dissensionum strepitu, omnia sibi licere putant? Suum ergo hoc esse crimen agnoscant, quod veritatis cursum remorando, impunitatem alunt improborum.

Quod disciplina & legibus, qua populum in ordine contineant, carere nos aiunt, ad eam vituperationem duplex nobis in promptu est responsio. Si ordinem rite apud nos constitutum dixerò, refellent me quotidiana nostrorum hominum conciones, quibus disciplinam iacere adhuc neglectam deplorant. Ego verò, sicut nos isto bono destitui non inficior, ita per quos steterit haecenus, & nunc stet, quominus eo fruamur, respiciendum esse dico, vt his culpa imputetur. Negent hostes nostri, si possunt, omnia se machinari, quò non modò laborem in formandis ordinandisque Ecclesiis nostrum impediunt, sed quò dissipent etiam ac euertant quicquid per nos inchoatum fuerit. Sedulò nos quidem in Ecclesiae aedificatione elaboramus. Dum in opere sumus occupati, illi ad turbanda principia infestos se subinde ingerunt, nec vll. in nobis relaxationem permittunt, vt componere domesticum Ecclesiae statum liceat. Postea dissipationem, cuius ipsi causa sunt, probri loco nobis obieciunt. Quanam ista est ingenuitas, nolis continuam exhibere molestiam: deinde criminis loco ducere, quòd per eam omnes Ecclesiae partes constituere non valet? Quòd malum adhuc deest ad perfectionem, Deus gemituum nostrorum, homines querelatum, testes sunt. At nonnulla, qua ad disciplinam pertinebant, loco mouimus. Nempe quaedam ducunt facere solent, qui collapsum aedificium reparare aggrediuntur, vt congelata in aceruum & confusa ruinarum fragmenta extrahant ac colligant, aptandi postea suo loci ita nobis facere necesse fuit. Nam si quid ex veteri disciplina superstitit, in tanta Ecclesiae vastitate, ita, in deformi ruinarum aggere permixtum & proiectum, pristinam faciem amiserat, vt nullum ad usum, nisi prius extractum ex illa confusione, accommodari possit.

Vtinam autem suo saltem exemplo nos prouocarent. Sed quid? Disciplinam quin ullam apud nos esse clamitant, ipsi quam habent? An non praestaret, vitium suum agnoscere ipsos coram Deo nobiscum, & fateri, quam nobis exprobrare quod mox in sua capita retorqueatur? Duae sunt disciplinae partes. Vna enim ad clericum: altera verò ad plebem pertinet. Scire nunc velim, qua seueritate clericum suum in honestis castisque moribus contineant. Puriozem illam & magis exquisitam sanctorum moniam, ad quam clericos adstringunt antiqui canones, illis remitto. Scio enim vt intus rideant, cum quis leges illas, iam pluribus seculis mortuas, ex diuturna oblivione suscitatur. Tantum vulgarem in eorum clericis honestatem requiro: vt si non excellent vita innocentia, saltem ne turpitudine sint infames. Si quis vel muneribus, vel favore, vel sordidis obsequijs, vel subreptitia commendatione obrepserit ad sacerdotium, simoniam esse pronuntiant canones, & vindicari iubent. Quotusquisque

hodie est, qui aliter perueniat? Sed valeat, quemadmodum dixi, summus ille rigor. Verum ut nihil legibus præscriptum sit, Episcoporum domos, apertæ & prostitutæ simonix esse officinas, quantum est dedecus? Quid de Romana curia dicam, vbi licitationibus palam subiacere sacerdotia, leuiculum iam videtur: cum & lenociniorum, & veneficiorum, & obscæniorum sce lerum sint mercedes? Si qua saltem inter nos valet humanitatis ratio, duodecim annorum pueris mandari Archiepiscopatus, quantum est portetum? An cum colaphis caderetur Christus, indigniore contumelia affectus fuit? An apertius Deo & hominibus illud potest, quam vbi Christiano populo regēdo præficitur puer, & in patris pastorisq; sede collocatur? De presbyteris & Episcopis ita statuunt canones: ut in sua quisque statione excubias agat: ne quis longius absit à sua Ecclesia. Verum fingamus nihil tale præcipi: quis tamen non videt, Turcarum quoque ludibrijs prostitui Christianum nomen, cum pastor vocatur qui spiam Ecclesie, ad quam ne semel quidem tota vita accedat? Nam ut quis illic perpetuo habitet, vbi destinatus est pastor, iam pridem rarum exemplum esse cæpit. Episcopi & Abbates, aut ipsi proprias aulas habent, aut ordinarij sunt in principum aulis. Alij pro suo quisque genio locum eligunt, vbi delicientur. Quibus autē nidus suus magis placet, illi verè in Ecclesijs suis resident. sunt enim otiosi ventres, qui nihil minus nouerūt, quam officium suum. Vetitum illud quoque est antiquis canonibus, ne cui attribuerentur duæ Ecclesie. Sit hoc pro non dicto. Sed quoniam colore excusabitur tanta absurditas, quod quinque, aut plura sacerdotia in vnum hominem congeruntur? quod vnus, interdum etiam puer, tres Episcopatus occupat, tanto interuallo diffitos, ut eos anno vertente circuire vix possit, etiam si nihil aliud agat? Examen, in promouendis sacerdotibus, & morum, & doctrinæ, canones requirunt exactum & enucleatum. Demus hoc temporibus, ne ad illam nimis austeram formulam alligentur. Sed videmus quàm indocti, & omnis, non tantum scientiæ, sed etiam prudentiæ expertes, sine delectu ingerantur. Et in milione conducendo, maior antea clæ vitæ ratio habetur, quàm in eligendo sacerdote. Nihil fingo: nihil amplifico. Agunt quidem, ceu histriones in scena, fabulæ: ut simulachrum aliquod antiqui moris representent. Interrogant vel Episcopi, vel eorum suffraganei, num digni sint, quos destinarunt ordinare. Adest qui respondeat, dignos esse. Neque verò procul quærendus est testis, aut pretio corrupendus: quia enim ceremonie tantum seruit hæc responsio, cum omnes cubicularij, tonsores, ianitores edocentur. Iam post ordinationem, minima in clericis scortationis suspicio, secundum antiquos canones, corrigi debet: si conuictum fuerit crimen, abdicacione & excommunicatione puniendum est. Remittamus aliquid ex asperitate illa veteri. Quid tamen, quod quotidiana in illis scortatio sic toleatur, tanquam iure permissa foret? Clericum, qui aut venationi, aut aleæ, aut comestationibus, aut choreis indulgeat, nullo modo ferendum, pronuntiant canones. Quinetiam eradunt ex ministerio, quicumque infamia aliqua notati sunt. Similiter eos omnes, qui se implicat profanis negotiis, qui ciuilibus officijs se ita immiscet, ut abstrahantur à ministerij cura: qui denique non sunt in munere suo exequendo assidui, corrigi grauius, & nisi resipiscant, deponi præcipiunt. Excipient, tam aspera remedia, quæ ad viuum omnia vitia refecant, ætatem hanc non ferre. Sit ita. Neque enim tantam ab illis puritatem flagito. Sed tam effrenem peccandi licentiam in clericis dominari, ut mundum, alioqui corruptissimum, magis inficiant, quàm vllus alius ordo, quis hoc illis ignoscant?

Plebis

Plebis verò disciplina sic habet: modò clericis maneat intacta sua dominatio, modò tributis ac rapinis nihil depercat, vt reliqua ferè omnia aut impunè liceant, aut prætereantur negligenter. Videmus, vt in omne genus nequitia passim diffluxerint hominum mores. Nec verò eius rei alios aduocabo testes, quàm te ipsum inuictiss. Cæsar, vósque illustrissimi Principes. Possunt quidè, cur ita sit, multa causæ adduci, fateor: sed inter multas hæc prima erit, quòd sua vel indulgentia vel socordia, improborum libidini frana laxarint sacerdotes. Quid hodie? Quam purgandus vitijs, aut saltem reprimendis, curâ adhibent? Vbi monitiones? Vbi censura? Excommunicatio, vt alia taceam, optimus disciplina neruus, quem habet vsum? Habent quidem, excommunicationis nomine, tyrannicum fulmen, quod in contumaces, vt vocant, iaculantur. Sed quam contumaciam puniunt, nisi eorum, qui de causis pecuniarijs ad tribunal suum citati, vel non stiterint se iudicio, vel credi coribus, propter inopiam, non satisfecerint? Ita quòd saluberrimum erat, ad corrigendos noxios, remedium, eo tantum modo admiseros innocentésque vexados abutuntur. Ridiculū porò est, quòd occulta facinora interdum anathemate flagellant: vt si furtum admissum fuerit, nec reperiatur author. Aliena enim est ab institutione Christi hæc ratio. Caterùm, cum tot publica dedecora ante omnium oculos versentur, illic cessat excommunicatio. Et adhuc nobis ~~etiam~~ exprobrare audent, apud quos omnia sic sunt dissipata? Quanquam nihil eorum accusatione inuamur, si in eodem sumus reatu. Sed enim non huc pertinebant, quæ hæcenus dixi, vt crimen, quo nos infamant, in eos retorquendo, à nobis abstergerem: sed vt ostenderem qualis fuerit eximia illi disciplina, quam à nobis labefactatam fuisse conqueruntur. Si facere comparisonem libeat, non veremur, quin aliquanto saltem ordinatior ab omnibus pijs iudicetur nostra qualiscunque dissipatio, quàm totus eorum ordo, quo gloriantur. Non blandior malis nostris, cum hæc dico. Scio quàm multa desiderari in nobis possint. Et certè, si hodie nos Deus vocaret ad calculum, difficilis esset excusatio: sed cum hostibus nostris respondendum est, meliorem habemus causam, & faciliorem victoriam quàm vellemus.

Similis impudentia est, quòd diripi apud nos Ecclesiæ opes, & in profanos vsus conuerti clamitant. Si nihil hinc apud nos peccari dixerò, mentiar. Et sanè, rarò tanta rerum conuersiones fiunt, quin secum trahant aliquid incommodi. Si quid igitur hinc peccatum est, non excuso. Caterùm, qua fronte nobis crimen hoc aduersarij intendunt? Ecclesiæ facultates in alienos vsus conuertere, sacrilegium esse dicunt. Assentior. Adijciunt, fieri hoc à nobis. Excipio, nos minimè subterfugere, quin pro nobis respondeamus: modò ipsi quoque ad causam dicendam vicissim parati veniant. Mox igitur de nobis: interea videamus quid ipsi faciant. De Episcopis nihil dico: nisi quod omnes vident, eos non splendore modò vestium, mensarum lautitjs, copioso famulitio, palatiorum magnificentia, omni denique luxus genere certare cum principibus: sed etiam in sumptus multò fœdiores dilapidare opes ecclesiasticas, ac profunderè. Taceo venationes: taceo aleæ ludum: taceo reliquas voluptates, quæ non exiguam redditus partem absorbent. Sed ab Ecclesia sumere eos quod in scorta & lenones expendant, id verò nimis indignum. Iam hoc quidem absurdum, non dico modò pompa & apparatu superbire, sed illis redundare, vnde possint. Fuit olim tempus illud, cum in sacerdotibus gloriosa predicaretur paupertas. Sic enim habetur in actus Aquilerensis synodi. Olim quoque san-

Concil.  
Carthag.  
4. cap. 14

Ad nepo-  
tuanum.

c. Cleri-  
cos 1. qua-  
estio. 2.

citum fuit, ut Episcopus non procul ab Ecclesia, hospitium, vilem mensam, & suppellectilem haberet. Verum, ut faceffat antiquus ille rigor: postquam iam una cum opulencia multa corruptela succreuerant, tunc quoque tamen confirmata iterum lex antiqua fuit, ut prouentuum Ecclesiasticorum quatuor fierent portiones: una Episcopo cederet, propter hospitalitatem, & susceptionem pauperum: altera clero: tertia pauperibus: quarta reparandis Ecclesiis. Hanc rationem sua quoque aetate viguisse testatur Gregorius. Prætereâ, ut nullæ sint leges, sicut aliquando nullæ fuerunt (hæc enim, quam dixi, quemadmodum & alia, ex malis moribus nata est) verissimum tamen esse illud Hieronymi, nemo non fatebitur: gloriam esse episcopi, pauperum opibus providere: ignominiam omnium sacerdotum, proprijs studere diuitijs. Austerius fortè videbitur quod illic quoque iubet, mensulam sacerdotis peregrinis & pauperibus patere: sed æquè tamen est verum. Abbates quò propius, redituum amplitudine, accedunt ad episcopos, eò sunt illis similiores. Canonicis & parochis, quia ad ingluuiem, delicias, & pompam, non suppetebat unum sacerdotium, facile compendium, quo huic incommodo mederentur, inuenerunt. Nihil enim obstat, quominus quatuor aut quinque sacerdotiorum prouentum recipiat vnus, qui multò plus de glutire posset vno mense, quàm habeat in totum annum. De onere, non agitur. Sunt enim in promptu vicarij, qui libenter supponant humeros, modò portiunculam aliquam liguriant. Quinetiam pauci reperiuntur, qui vno episcopatu, aut abbacia vna sint contenti. Clericos, qui publico aluntur Ecclesiæ sumptu, cum ex patrimonio possint viuere, sacrilegos Hieronymus appellat. Quid ergo de ijs sentiendum, qui tres simul episcopatus, hoc est, aut quinquaginta, aut centum honesta patrimonia ingurgitant? Et ne paucorum culpa immeritò se traduci conuerantur, quid de his sentiendum, qui publicis Ecclesiæ stipendijs non luxuriantur modò, sed ad soluendas lenonibus ac scortis mercedes, abutuntur? Atqui, iam nihil dico, quod non sit vulgare. Adde, quòd si rogentur, quònam iure vel frugale modicumque stipendium accipiant, non dico omnes, sed pauci illi, qui in sacerdotijs suis resident, ne ad hanc quidem questionem quod respondeant, erit. Quibus enim officijs id merentur? Quemadmodum olim sub Lege qui altari seruibant, vivebant ex altari: ita nunc qui Euangelium annuntiant, ex Euangelio viuere æquum est. atque ita Deus præcepit. Hæc sunt Pauli verba: Exhibeant ergo nobis Euangelij ministros & stipendium illis non agrè concedam. Neque enim boui trituranti os obligandum. Boues autem arantes esurire, & inertes asinos pasci, quàm ab omni ratione dissentaneum? Atqui, seruire se altari dicent. Respondeo, altaris ministerio victum meruisse sacerdotes sub Lege: aliam esse rationem noui Testamenti, sicut Paulus testatur. Et quæ sunt ista circa altare obsequia, quibus victum deberi iactant? Nempe quòd peragunt suas Missas, & cantillant in templis, hoc est, partim operam sine fructu ludunt, partim sacrilegium perpetrant, quo ira Dei prouocetur. En cur illis ex publico præbeantur alimenta.

Hi sunt, qui inexpiabilis sacrilegij nostros principes accusant, quòd patrimonium Ecclesiæ, Deo consecratum, rapuerint per vim & summam iniuriam: & nunc in profanos vsus dilapident. Iam quidem testatus sum, nolle me omnia, quæ apud nos fiunt, excusare: quin potius non maiorem alicubi rationem haberi, ut in eos tantum vsus impendantur Ecclesiæ redditus, quibus sunt dedicati, mihi displice-

ve profiteor. Mecum etiam id gemunt omnes boni. Verum, hoc tantum in praesentia agitur: rapueruntne per sacrilegium Ecclesiae bona principes nostri, cum ex sacerdotum & monachorum erepta manibus, ea ad se receperunt? Num quia aliorum ea conferunt, quam ad saginandos illos ventres, ideo ipsa profanent. Suam enim aduersarij, non Christi, nec Ecclesiae, causam agunt. Fateor certè, graue iudiciū pronuntiarī aduersus eos, qui Ecclesiam spoliauerint, ut sibi raperent quod illius erat. Sed ratio simul additur, quia veros ministros fraudent suo victu: quia, pauperes fame necando, rei sint sanguinis. Hoc autem quid ad nostros aduersarios? Quis enim, ex eorum cohorte testabitur, quod de se olim testatus est Ambrosius: *Epist. li. 5. Epist. 31. & 33.* sumptum esse egenorum quicquid possidet? Item, nihil habere episcopum, quod pauperum non sit. Imò quotusquisque est eorum, qui non aequè licenter eo quod possidet, abutatur, ac si libidini suae, ad quamlibet profusionem, expositum foret? Frustra ergo sibi ablata esse exposcunt, quae nec vlllo iure occupabant, & dilapidabant per summum nefas. Non enim licuit hoc modo nostris principibus, sed etiam necesse fuit. Quid enim cum Ecclesiam, veris ministris nudam ac destitutam cernerent: reditus autem, qui alendus ministris dicati essent, ab otiosis ignavisque hominibus supprimiti: cum Christi ac pauperum patrimonium cernerent, vel ingurgitari à paucis, vel in sumptuosos luxus dissolutè profundi, an non admoerent manum? Imò cum obstinatos veritatis hostes, Ecclesiae patrimonio incubare, & eo, ad Christum impugnandum, ad opprimendam pietatis doctrinam, ad persequendos eius ministros, abuti cernerent, an non excuterent protinus ex eorum manibus, ne ad vexandam Ecclesiam, Ecclesia saltem opibus armati instructique essent? Laudatur Spiritus sancti testimonio Rex Ioas, quod cum sacras oblationes perperam consumi à sacerdotibus, animaduerneret, quae storem suum praefecerit rationibus repositendis. Et tamen illi erant sacerdotes, quibus ordinariam administrationem Deus mandauerat. Quid ergo cum ijs agendum, qui nec funguntur legitimo ministerio, nec templi modò instauracionem, sicut illi, negligunt, sed ad diruendam Ecclesiam nervos opesque omnes impendunt?

Verum administratio qualis? dicet quispiam: Sanè, ut non penitus reprehensione careat, longè saltem & melior & sanctior, quam in hostium nostrorum partibus. Inde saltem aluntur veri ministri, qui populum salutis doctrina pascant: cum antehac nudæ ac destitutæ à Pastoribus Ecclesiae, sumptu tamen alimentorum grauariantur. Vbicunque scholæ erant aut prochotrophia, manent: aucti etiã alicubi reditus, nusquam imminuti. Multis etiam locis in vicem monasteriorum instituta prochotrophia, quæ antè non fuerant: alicubi etiam erectæ nouæ scholæ, ubi non magistris tantum ordinata sunt stipendia, sed pueri quoque in eam spem educantur, ut postea Ecclesiae seruiant. Denique, multa commoda in commune percipiunt Ecclesiae ex ijs opibus, quas sacerdotes & monachi prius soli heluabantur. Neque exigua portio in sumptus extraordinarios absumitur: qui tamen optimo iure in rationem venire debent. Certum est, multò plus consumi, rebus ita confusis, quam si composito certo ordine, inter Ecclesias conueniret. Eiusmodi impensas, quæ non priuati compendij gratia, sed in publicam Ecclesiae necessitatem sunt, nostris principibus ac ciuitatibus non ferri expensas, perquam iniquum foret. Præterea non subducunt aduersarij rapinas illas & iniustas exactiones, quibus Ecclesiae sub sacrificis expilabantur, nunc autè sunt subleuatae. Verum ob vnâ causam

propè superuacua est tota hæc disputatio: quòd iam ante triennium testati sint nostri principes, *moram se nullam in restitutione facturos, modò in eùdem se ordinem cogi patiantur, qui & amplius multò, idque minus honesto colore detinent, & in administratione multò dissolutius peccant. Habet igitur tua Maiestas, Inuictiss. Casar, eos sua promissione obstrictos. Extat etiam in manibus hominum libellus: ut ad doctrinæ consensionem ea res non debeat esse impedimento.*

*Vltimum ac præcipuum quo nos grauant, crimen est factæ ab Ecclesia discessionis. Atque hic ferociter nobis insultant, quòd nulla causa sit, cur abrumperentur hominum libri. Nunc autem breuiter sibi responsum habeant: nos nec ab Ecclesia dissidere, nec ab eius communionem esse alienos. Sed quia specioso illo Ecclesia titulo, etiã pijs alioqui & cordatis perstringere oculos solent, te Inuictiss. Casar, vosque Illustriss. principes, obtestor, primùm ut deposito omni præiudicio, alteram defensionem nostræ aurem integram præbeatis: deinde, ne protinus, audito Ecclesia nomine, terreamini, ut memineritis, tale omnino cum laruata sui seculi Ecclesia, Prophetis & Apostolis fuisse certamen, quale nobiscum pontifice Romano, totaque eius cohorte esse hodie videtis. Cùm illi, Dei mandato, in idololatriam, superstitiones, Templi sacrorumque pollutionem, in sacerdotum socordiam ac torporem, in omnium auaritiam, crudelitatem, & libidines liberius inuherentur, continuo illis regerebatur quod hodie semper in ore habent aduersarij nostri: eos à communi sententia discedendo, Ecclesia scindere vnitatem. Erat tunc ordinarium Ecclesie regimen penes sacerdotes, quod non temere arrogauerat ipsi sibi, sed Deus illis lege sua cõtulerat. Longũ esset in singularis hoc ostendere. Vno igitur Ieremiæ exemplo simus contenti. Erat illi cùm toto sacerdotum collegio negotium. Hæc ad eum impetendum erant illorum arma: Venite, conspiremus aduersus Ieremiam. Non enim lex à sacerdote peribit: nec consiliũ à sene: nec sermo à Propheta. Erat illic summus sacerdos, cuius non stare iudicio, capitale erat. Totum ordinem, cui Deus ipse Israëliticæ Ecclesie gubernacula tradiderat, sibi consentientem habebat. Si Ecclesie vnitatem violat, qui, sola Dei veritate instructus, ordinariæ se potestati opponit: schismaticus erit Propheta, qui nihil eiusmodi minis fractus fuit, quominus bellum cum sacerdotum impietate gerere, constantem persisteret. Stare à nobis æternam Dei veritatem, à Prophetis & Apostolis prædicatam, parati sumus ostendere: atque adeò cuius intelligere, promptum est. Sed hoc tantum ariete repellimur, quòd discessionem ab Ecclesia, nulla causa excuset. Nos verò id fieri à nobis, permegamus. Quid habent, quo nos urgeant? Profus nihil: nisi quòd ordinarium habent Ecclesie regimen. At quanto meliori iure hoc dicunt, abant Ieremiæ hostes? Nam tunc saltem manebat adhuc sacerdotij lex à Deo constituta: ut certa esset illorum vocatio. Qui hodie præfules vocantur, nullis, nec diuinis, nec humanis legibus, approbant suam vocationem. Sint tamen pares. Nisi reum schismatis antè peregerint sanctum Prophetam, nihil aduersum nos proficiunt, fucoso illo Ecclesie nomine. Illum vnum, exempli gratia, nominaui. Sed reliqui omnes eandem se pugnam sustinuisse testantur, cum, ad eos obruendos, Ecclesie titulo abuterentur impij sacerdotes. Quid Apostoli? an non illis necesse fuit, ut se Christi seruos profiterentur, synagogæ bellum denuntiare? Et tamen sacerdotij nondum amiserant gradum aut honorem. Atqui, inquit, sic in doctrina dissidebant tum Apostoli, tum*

Prophetæ, ab impijs sacerdotibus, vt in sacrificijs & precibus cõmunionem interea cum illis colerent. Fateor: cum ad idololatriam non cogentur. Sed quem Prophetarum legimus vnquam sacrificasse in Bethel? quem etiam piorum impuris sacrificijs putamus communicasse: cum templum ab Antiocho pollutum, & profanæ illuc ceremoniæ introductæ essent?

Summa huc spectat, vt seruos Domini intelligatis in anem Ecclesiæ titulum nunquam morari solitos fuisse, cum ad stabiliendum impietatis regnum obtenderetur. Proinde, non satis est Ecclesiam iactare, sed adhibendum est iudicium: vt, quæ sit veræ Ecclesiæ, & qualis sit eius vnitas, nouerimus. Hoc autem primum omnium est, ne Ecclesiam à Christo capite suo, separemus. Christum, cum dico, coniunctum intelligo cum Euangelij sui doctrina, quam suo sanguine obsignauit. Ergo vt se veram esse Ecclesiam persuadeant aduersarij, ante omnia puram Dei doctrinam apud se esse ostendant oportet. Atque id est, quod sæpe dicimus, perpetua bene ordinatæ Ecclesiæ insignia esse, sanam doctrinæ prædicationem, & purum Sacramentorum usum. Fundatam enim eam esse in Prophetica & Apostolica doctrina cum testetur Paulus, nisi hoc fundamento fulciatur, ruere extemplo necesse est. Venio ad nostros aduersarios. Christum à suis partibus stare, magnificè iactant illi quidem: sed tunc illis fides demum habebitur, si eum in verbo suo exhibeant. Ecclesiæ vocem identidem inculcant. Sed quærimus, vbi nam sit illa doctrina, quam Paulus vnicum facit Ecclesiæ fundamentum. Videt iam profecitõ Maiestas tua, Cæsar, multum interesse, veritate Ecclesiæ, an nomine arment se hostes nostri, ad nos obruendos. Ab Ecclesiæ, communi fidelium omnium matre, columna & firmamento veritatis, qui discedunt, eos à Christo etiam deficere, nos æquè fatemur, atque ipsi: sed Ecclesiam requirimus, quæ filios suos incorruptibili semine ad immortalitatem gignat: quæ genitos alat spiritali cibo (semen autem illud, ac cibus ille, verbum Dei est) quæ puram & integram custodiat suo ministerio veritatem illam, quam Deus in eius sinum deposuit. Illa nota est minime dubia, minime fallax: quam Deus ipse Ecclesiæ suæ impressit, vt inde dignoscatur. Nîm videmur iniquum postulare? Vbi ergo nihil extat tale, nulla illic relucet Ecclesiæ facies. Si nomen obtenditur, notum est illud Ieremiæ: frustra verbis mendacibus gloriari impios sacerdotes, dum clamitant: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini: cum ex Templo Domini speluncam latronum fecerint.

Similiter Ecclesiæ vnitatem, qualis à Paulo describitur, testamur nobis esse sacrosanctam: & anathema pronuntiamus aduersus omnes, qui eam vllò modo violauerint. Ab hoc itaque principio vnitatem ducit Paulus, quod vnus sit Deus, vna fides, vnum Baptisma: quod vnus sit omnium Pater, qui nos in spem vnã vocauerit. Tunc ergo vnum erimus corpus, & vnus spiritus, quemadmodum illic præcipit, si vni Deo adhareamus: idque, fidei nodo inter nos colligati. Porro memoria repetendum, quod alibi dicit: fidem esse ex Dei verbo. Sit ergo hoc constitutum, tunc constare inter nos sanctam vnitatem, cum in pura doctrina consentientes, in vnum Christum coalescimus. Et sanè, si in quacumlibet doctrinam conspirare sufficeret, quo iam iudicio amplius à profanis impiorum factionibus Dei Ecclesia aufereretur? Quamobrem, paulò post subiungit Apostolus, ad aedificationem Ecclesiæ institutum esse à Christo ministerium, donec perueniamus in

fidei unitatem: hoc est, agnitionem filij Dei: ne simus amplius pueri, qui circumferamur quolibet vento doctrinae, sed veritatem sectantes in charitate, crescimus in illum, qui est caput. Poterátne apertius totam Ecclesiae unitatem includere in sancta vera doctrinae concordia, quam dum ad Christum, ad fidem, quæ eius agnitione continetur, id veritatis obedientiam reuocat? Neque verò hoc longa demonstratione opus habet apud eos, qui Ecclesiam cogitant ouile illud esse, cui solus Christus præest: ubi vna eius vox auditur, & discernitur ab alienorum voce. Atque id quoque alibi confirmat, cum pro Romanis Deum precatur, ut vnum sentiant omnes, sed secundum Christum: ut vnanimes honorent Deum.

Proinde, ad Christum accedant aduersarij nostri primum: & tunc reos schismatis nos faciant, quòd ab ipsis in doctrina dissidere ausi simus. Cum verò iam planum fecerim, prosligatum esse Christum ex eorum contubernio, exterminatam esse Euangelij eius doctrinam, hoc tantum in nobis accusant, quòd Christo potius adhareamus, quam sibi. Cui enim, obsecro, persuadeant, quicumque abduci à Christo, eiusque veritate, recusent, ut se in hominum tradant potestatem, eos schismaticos, & ab Ecclesiae consortio transfugas esse? Fateor certè, honorem habendum esse sacerdotibus: & magnum esse periculum in despectu ordinariae potestatis. Quare, si non temerè ordinariae potestati resistendum esse dixerint, non difficulter subscribimus. Neque enim rudes adeo sumus, quin videamus, quanta sit futura perturbatio, nisi authoritas deferatur ijs qui præsent. Constet ergo suus pastoribus honor: sed ita, ne quid imminuat ex summo Christi imperio: cui & illos, & omnes ad vnum, subesse oportet. Hac enim conditione se olim Israëliticæ Ecclesiae regimè deditisse sacerdotibus, testatur Deus per Malachiam, ut factæ cum illis pactionis fidem præstarent. Nempe, ut labia eorum custodirent scientiam, & legem populo exponerent. Huic pactioni cum minimè tunc starent sacerdotes, fœdus suum, illorum perfidia abrogatum, iamque irritum esse, pronuntiat. Falluntur, si alia se lege collocatos in Ecclesiae regimine arbitrantur, quam ut veritatis Dei ministri sint ac testes. Quandiu ergo, contra officij sui legem ac formulam, bellum cum Dei veritate gerere pergent, ne sibi potestatem usurpent, quam Deus non nisi, sub ea, quam diximus, conditione, vel olim sacerdotibus, vel nunc episcopis, contulit.

Verum, quia Ecclesiae communionem in illo regiminis genere, quod ipsi sibi finxerunt, inclusam esse persuasi sunt, eo solo vicisse sibi videntur, cum nobis alienationem à Romana sede obijciunt. Nobis verò de primatu Romanæ sedis, quo tantopere gloriantur, non est difficilis responsio. Sed eam disputationem, tum quia nimis prolixa foret: tum quia copiose tractata est à nostris hominibus, hic non ingrediar. Tantum hoc à vobis postulabo, inuictiss. Cæsar, & illustrissimi Principes, ut Cyprianum audiatis differentem, ex quo potius ordine aestimanda sit vobis vera Ecclesiae communitio, quam ad solum Romanum Pontificem aduersarij nostri reuocant. Nam ubi Ecclesiasticæ concordiae fontem constituit in solo Christi episcopatu: cuius à singulis in solidum partem teneri affirmat, postea subiungit: Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latius incrementio fecunditatis extenditur: quomodo solis radij multi, sed lumen vnum: ramus arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum: & de fonte vno riuus plurimi defluunt: numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen manet in origine. *Auelle radium*

De simplicitate  
prelator.



radium solis à corpore, diuisionem vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit. A fonte præcide riuum: præcisus arefcit. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa, per totum orbem porrigitur: vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec corporis vnitas separatur. Proinde hereses & schismata inde oriri pronuntiat, quòd ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec cœlestis magistri doctrina seruatur. Talem nobis hierarchiam si exhibeant: in qua sic emineant episcopi, vt Christo subesse non recusent: vt ab illo, tanquam vnico capite, pendeant, & ad ipsum referantur: in qua sic inter se fraternam societatem colant, vt non alio nodo, quàm eius veritate, sint colligati: tum verò nullo non anathemate dignos fatear, si qui erunt, qui non eam reuerenter, summâque obedientia, obseruent. Hæc verò mendax hierarchiæ larua, qua superbiunt, quid omnino habet simile? Vnus principatum, Christi vice, tenet Pontifex Romanus, qui absque lege & modo, tyrannico more, imò dissolutiore impudentia, quàm tyrannus quisquam, dominatur. Reliquum corpus ad illius magis normam, quàm Christi, compositum. Extinctum illud lumen, de quo loquitur Cyprianus: præclusa fontis scaturigo: denique, sola arboris proceritas, à radice præcisa, ostentatur.

Non abs re est, scio, quòd de asserendo Romanæ sedis primatu ita laborant aduersarij: in quo scilicet consistere, & se, & sua omnia, anim aduertunt. Sed vestrum est, inuictiss. Cæsar, & illustriss. Principes, dispicere ac præcauere, ne vobis, sicut imperitis facere soliti sunt, inani fuco illudant. Principiò hunc, quem iactant, primatum, nulla Dei autoritate, sed nudo hominum arbitrio constitutum fuisse, iam fateri ipsi quoque coguntur. Saltem id cùm ostendimus, etiam si non palam assentiantur, contrà tamen pugnare, quodammodo eos pudet. Fuit quidem tempus, cùm audacter Scripturæ testimonijs, ad tam crassi mēdacij confirmationem abuterentur: sed vbi comminus certatum fuit, facile fuit excutere de eorum manibus festucas, quas pro gladijs procul ostentauerant. Itaque Dei verbo destituti, confugiunt ad vetustatis subsidium. Sed inde etiam nullo negotio eos depellimus. Paulatim enim emerfisse Romanos Pontifices ad hoc honoris fastigium, quod ab annis circiter quadringentis occuparunt, vel potius astu partim & malis artibus obrepfisse, partim violenter irrupfisse, tum sanctorum patrū scripta, tum acta conciliorum, tum historiæ planum faciunt. Verum vt illis vtrunque remittamus: vt, inquam, nobis concedentibus obtineant, & collatum diuinitus Romanæ sedi primatum: & confirmatum perpetuo veteris Ecclesiæ consensu fuisse: tunc tamen demum his esset locus, si Roma & veram Ecclesiam haberet, & verum episcopum. Neque enim stabit sedis honor, vbi nulla amplius erit sedes. Obsecro, qua in re episcopum se præstat Pontifex Romanus, vt talis à nobis censeatur? Notum est illud Augustini: Episcopatum officij nomē esse, nō honoris. Et has esse episcopi partes definiunt veteres synodi, pascere verbi prædicatione populum. sacramenta administrare, clerum & populum continere in sancta disciplina, & ne ab his distrahatur, profanis omnibus huius seculi curis se abdicare. Episcopo adiutores in his omnibus debent esse presbyteri. Quid horum facere se simulant Papa & Cardinales? Dicant igitur quo titulo haberi se velint legitimos pastores, qui nullam officij partem, vel minima digito, ne in speciem quidem, attingunt.

Verum, vt demus hæc omnia: episcopum esse, qui ab omni officij sui parte in

totum abstineat: Ecclesiam esse, quæ tam verbi ministerio, quàm puro Sacramentorum usu careat: quid tamen, vbi omnia contrà pugnant? Iam aliquot seculis sedem illic habuerunt impie superstitiones, aperta idololatria, peruersa doctrina: ea doctrinae capita, quibus potissimum Christiana religio continetur, euersa. Prostituta ad turpem quæstum, aliasque pollutiones, sacramentis, extremo ludibrio habitus fuit Christus: vt iterum quodammodo crucifigeretur. Erine illa omnium Ecclesiarum mater, quæ adedò nullam, non dico faciem, sed ne lineam quidem retinet veræ Ecclesiæ, vt nervos omnes sanctæ, quæ inter fideles esse debet, communionis absciderit? Nunc renascenti Euangelij doctrina non aliter se opponit Romanus Pontifex, quàm si de capite suo ageretur. An non eo ipso demonstrat, non aliter saluam sibi fore suam sedem, nisi prostrigato Christi Regno? Neuit tua Maiestas, Cæsar, quantus hic mihi dicendi campus pateat. Verum, vt breuiter locum hunc concludam: Nego Apostolicam esse eam sedem, vbi nihil præter horrendam apostasiam visitur. Nego vicarium esse Christi, qui Euangelium furiosè persequendo, Antichristum se esse opere demonstrat. Nego esse Petri successorem, qui ad demoliendum quicquid adificauit Petrus, toto conatu incumbit. Nego caput Ecclesiæ esse, qui rescissam à Christo vero & vnicò capite Ecclesiam, sua tyrannide discepit ac lacerat. Ad hæc omnia mihi respondeant, qui sic alligatam sedi Romanæ esse volunt Ecclesiæ hierarchiam, vt Papæ authoritati certam ac testatam Euangelij doctrinam posthabere non dubitent. Imò mihi respondeant ipsi: tantum vos expendite, inuictiss. Cæsar, & illustrissimi Principes, æquumne an iniquum postulemus.

Hinc quoque proculdubio statuere vobis promptum erit, quàm nõ audienda sit aduersariorum nostrorum calumnia, dum impie temeritatis, & quasi inexpiables audaciæ nos accusant, quia ad purgandam, tum doctrinae, tum ceremoniarum inquinamētis Ecclesiã, non expectato pontificis Romani nutu, aggressi simus. Id verò priuatis hominibus fas fuisse negant. At verò, quid ab eo sperandum erat, quem loco cedere oportebat, vt Ecclesia in statum meliorem restitui posset? Deinde quisquis memoria repetet, quæ Lutheri aliorumque fuerint initia, qui progressus, nullam à nobis purgationem requireret. Suppliciter, cum integra adhuc essent omnia, orauit Pontificem Lutherus, vt grauissimis Ecclesiæ morbis in animum induceret mederi. Quid profecit: Re vltèrius prouecta: etiam si taceret Lutherus, satis acres stimulos ad incitandum Pontificem habebat necessitas, ne amplius differret. Id palam vniuersus orbis Christianus ab eo flagitabat. Pij omnium votus satisfacere illi in manu erat. An fecit? Non impedimenta causatur. Verum, si fontem inuestigare libeat, reperiamus eum solum, & sibi, & alijs obstare, ne quid agatur. Verum, quid argumentis istis leuioribus insisto? Quasi verò hoc vnũ, aut nõ satis sit illustre, aut non satis ponderosum: quòd nullã à principio hucusque secum transigendi aliam spem ostendit, nisi vt, sepulto rursus Christo, quicquid impietatis fuit cum nos in medium prodymus, firmioribus quàm antè machinis, stabiliat. Hæc scilicet causa est, cur hodie quoque fortiter prohibeant aduersarij, Ecclesiæ instaurationi manum admouere: non quia necesse non sit (id enim negare, nimis perdita impudentiæ foret) sed quia tam saluè Ecclesiæ, quàm interitum, ex solo Pontificis Romani arbitrio nutuque, suspensam esse velint.

Nunc de remedio videamus, quod solum nobis relinquunt, qui digitum moueri

moneri nefas esse censent, quibuscumque malis prematur Ecclesia. Ad concilium nos vniuersale reijciunt. Quid? An si, obstinatis animis, in suum exitium maior pars ruat, ideo nobis quoque simul perire necesse erit: cum penes nos salutis nostrae consulendi sit facultas? At nefas est, inquit, abrumper Ecclesiae unitatem: quae tunc abrumpitur, si seorsum aliquid in fidei doctrina pars vna, nõ adhibitis alijs, decernat. Postea, quae inde incommoda nascerentur, amplificat: nihil præter horrendam vastitatem, & confusum cahos posse expectari, si propriam sibi fidei formam instituat vnaquæque gens & natio. Hæc quidem merito, & ad rem appositè tum dicerentur, si sponte se vnum Ecclesiae membrum ab alijs, contempta unitate, separaret. Verùm, id nunc non disputatur. Vtinam impetrari hoc quidè posset, vt sancta conspiratione omnes Christiani orbis monarchæ & populi, ad expetendam præsentium malorum emendationem, simul digitum tollerent. Sed cum alios videamus à meliori statu abhorrere: alios verò, aut bello, aut alijs curis teneri implicitos, quominus huc studiũ suũ applicare queant: quousque tandè alios expectando, nobis consulere differemus? Atque vt liberius malorum omnium fontem aperiam: videmus Ro. Pontificem, quoad poterit, nunquam passurum, vt consentiant Ecclesiae omnes, non dico ad iustam consultationem habendam, sed omnino ad synodum colligendam. Satis quidem promittet, quoties rogabitur: modò vias omnes præclusas, & aditus omnes impeditos videat. Verùm habet in manu remoras, quas identidem obijciat, ne vnquam desit tergiversandi prætextus. Cardinales, episcopos, abbates habet omnes, paucis exceptis, consentientes in hac re secum. Siquidem hoc vnam cogitant vt plurimum, qualiter possessionem retineant semel vsurpata: tyrannidis de Ecclesiae salute, vel exitio, ne minimum quidem solliciti.

Non vereor inuictis. Caesar, & illustris. Principes, ne vobis incredibile, aut etiam ad persuadendum difficile sit, quod dico. Quin potius vestras omnium conscientias appello, an aliud referam, nisi quod certo experimento comprobatum habetis. Interea ultimo in discrimine iacet Ecclesia: infinita anima, quo se vertere debeant, nescientes, miserè anguntur: multa etiam morte præoccupata, nisi mirabiliter à Domino seruentur, pereunt: secta varia exoriuntur multi, quorum prius latebat impietas, ex præsentis dissensione licentiam nihil credendi sumunt: multa loqui non mala ingenia, profanescunt. His malis coercendus nulla est disciplina. internos, qui vnius Christi nomine gloriamur, & eundem habemus baptismum, nihilo plus est consensionis, quam si diuersas penitus religiones profiteremur. Et, quod omnium est miserrimum, instat, & iam propè in conspectu est horrenda totius Ecclesiae dissipatio, cui frustra remedia quarentur. Cum igitur ad opem Ecclesiae ferendam nulla possit esse, in tanta calamitate, & in tantis periculis, nimia celeritas, qui nos ad concilium vniuersale ablegant, cuius habendi nulla spes apparet, quid aliud quàm Deo & hominibus illudunt? Aut ergo sustinendum est hoc iudicium Germanis, quod Christi Ecclesiam in suo imperio pati maluerint, se videntibus & quiescentibus, perire, si um mederi possent eius morbis: aut statim ad suscipiendam eius curam se accingant, necesse est. Quanquam istud secundum, nunquam faciènt ita maturè, quin nimia cessationis merito etiamnum damnentur. Quicumque verò, generalis concilij prætextu, moram interponunt, eos nihil aliud moliri constat, nisi vt hoc artificio tempus extrahant. Nihilo igitur magis sunt audiendi, quàm si verbis faterentur, quod re ipsa demonstrant, sibi tanti priuatum

compendium esse, ut id Ecclesie interitu redimere non dubitent.

At nouo, inquit, exemplo id fieret. Nam ut de religionis dogmatibus, si qua in his controuersia fuerit exorta, cognitione in prouincia una suscipiat ac pronuntiet, nunquam auditum fuit. Quid audio? an solo nutu persuasum iri mundo arbitratur mendacium, quod temporum omnium historijs refellitur? Quoties emerfit noua aliqua hæresis, aut dissidio aliquo turbata fuit Ecclesia, nonne statim prouincialem synodum solebant conuocare, ut illic componeretur quod turbatum erat? Ad generale uero concilium, nisi tentato prius illo remedio, decurrere nunquam moris fuit. Priusquam ad confutandum Arrium, Niceam conuenirent ex toto orbe Christiano episcopi, iam plures in Oriente synodi collectæ fuerant. Reliqua exempla, breuitatis causa, prætereo. Sed quod hostes nostri, tanquam inusitatum fugiunt, ordinarium fuisse, ueterum scripta testantur. Facebat ergo mendax iste nouitatis prætextus.

Si Africanos episcopos tenuisset hæc superstitio, nimis serò Donatistis ac Pelagianis occursum esset. Iam magnam Africae partem in suam factionem traxerant Donatistæ: nec locus quiquam erat ab eorum contagione omnino purus. Erat maximi ponderis controuersia, de Ecclesie unitate, & legitima administratione baptismi. Secundum nouam istorum sapientiam, debebant ad uniuersale concilium reijcere orthodoxi episcopi illam quæstionem, ne à reliquis Ecclesie membris se abscederent. An faciunt? Quin potius, quia restringendo præsentis incendio festinatione opus esse iudicant, urgent & insequuntur Donatistæ: nunc ad synodum, nunc ad disputationem eos, quasi manu conserutum uocantes. Damnant hostes nostri impiæ ab Ecclesia separationis & Augustinum, & alios eius ætatis sanctos uirios, qui cum eo consentiebant: quod & Donatistæ, imperiali auctoritate, non conuocata uniuersali synodo, secum disputare cogerint: & prouinciali concilio transigere de controuersia maximè ardua & periculosa non dubitauerint. Pelagius illic quoque cristas extulerat: statim, ad reprimendam eius audaciam, habita synodus. Cùm, simulata ad breue tempus pœnitentia, uomitum resorbisset, defixum in Africa impietatis suæ aculeo, Romam se recepit, ubi satis benignè fuit exceptus. Quid faciunt pij episcopi? An se membrum duntaxat Ecclesie esse causantur, ut ab uniuersali concilio remedium expectent? Quin potius conueniunt ipsi, prima quaque occasione, iterum atque iterum: impitè illud dogma, quo iam infecti fuerant multi, in themate damnant, pronuntiant liberè ac definiunt, quid de originali peccato, deque regenerationis gratia, sentiendum sit. Postea Romam quidem aëtorum exemplar mittunt, partim ut communi & auctoritate, & consensu, melius & validius hæreticorum frangant contumaciam: partim, ut alios admoneant periculi, quod erat omnibus cauendum. Torquent hoc aliorum Romani Pontificis aduatores: quasi suspenderit sententiam, donec quod egerant, ratum haberet Innocentius, qui tum Romanæ Ecclesie præsidebat. Verum satis superque refellitur hæc impudentia ex sanctorum patrum uerbis. Neque enim aut consilium petunt ab Innocentio, quid facere debeant: nec ad eum referunt, ut pronuntiet: nec eius nutum auctoritatè que expectant: sed iam se cognouisse de causa, & sententiam tulisse narrant, qua & hominem, & doctrinam damnauerint: ut suum exemplum ipse, nisi satis partibus deesse uelit, imitetur. Atque hæc quidem tum fiebant, cùm in sana doctrina consentientes adhuc essent inter se Ecclesie. Nunc ergo, cùm omnia inclinant

inclinent ad ruinam, nisi celeriter succurratur, quid ab eorum pendeamus consensu, qui nullum non mouent lapidem, ut Dei veritatē, quam profligarunt, impediant, quominus iterum emergat? Erat Ambrosio, sua etate, cum Auxentio certamen de primario fidei nostrae capite: hoc est, de diuinitate Christi. Fauebat Auxentij partibus Imperator. Neque tamen ad generale conciliū prouocat hoc obtentu, quasi alibi tantam causam finiri sit nefus: sed tantum postulat, ut quia fidei sit quæstio, in Ecclesia, coram populo disputetur. Quorsum etiam synodi: prouinciales, quæ bis olim quotannis ex more habebantur, nisi ut de ijs, quæ emerferant, inter se consultarent episcopi? sicut & canon synodi Chalcedonensis decimus nonus continet. Iubet antiquum institutum, bis quotannis conuenire vniuscuiusque prouinciæ episcopos. Hoc synodus Chalcedonensis interpretatur fieri debere ut si qua emerferint, corrigantur. Isti quæ omnibus nota sunt, & doctrinæ, & morū vitia, vlllo modo attingi fas esse negant, donec ad vniuersale conciliū ventum fuerit. Quinetiā hoc ipso subterfugio Palladius & Secundianus, Arriani, conciliū Aquilienſe repudiabant, quòd plenum ac generale nō esset. Abesse Orientales omnes episcopos: Occidentaliū etiā paucos cōparare. Et certè, ex Italicis quoque vix dimidia pars conuenerat. Romanus episcopus, neque venerat ipse, neque aliquem miserat ex suis presbyteris, qui suo nomine interesset. Ad ista omnia respondet Ambrosius: non esse nouum exemplum, ut synodum agant Occidentales episcopi: cum moris semper fuerit, Orientales inter se conuenire. Prudenter fecisse pios Imperatores, qui conciliū indixerint, facta omnibus libera veniendi potestate, nulla verò necessitate imposta. Venisse, quibus visum fuerit: quia nemo fuerit prohibitus. Cū pergerent in suis tergiversationibus hæretici, non propterea desisterunt à suo proposito facti patres. Talibus profectò exemplis non prohibetur maiestas tua Cæsar, queminus ad recolligendum in sanctam concordiam imperij corpus, hac quæ se ad manum offert, ratione utaris.

Quaquam non hoc agunt isti nostri, qui procrastinandum suadent, sicuti iam dictum est, ut aliquantisper differendo, tandem Ecclesiæ consulatur: sed lucrū modò ex mora querunt. Porro satis longas inducias habituros se existimant, si ad vniuersale conciliū reuocari nos possint. Agedum tamen: fingamus iam nihil obstare, quominus vniuersale conciliū mox cogatur: fingamus etiam serò indictum esse: adesse diem: omnia esse comparata. Illic nimirum præsidebit Romanus Pōnifex: aut si venire grauabitur, vnum quempiā ex Cardinalibus legabit, qui suo loco præsit: eūque proculdubio deliget, quem fidiſsimum sibi fore arbitrabitur. Assidebunt Cardinales reliqui, Episcopi deinde & Abbates: subsellia occupabunt consiliarij: quos ut plurimū deligere nō solent, nisi ad suam voluntatē bene formatos. Fieri quidem poterit, ut pauci quidam boni inter eos sedeat: verū & propter suam paucitatem despectui erunt: & metu debilitati, vel proficiendi desperatione facti, iaculant. Quòd si quis forè verbum facere audeat, strepitu & clamoribus, dicto citius, obruetur. Multi uero autem sic erit comparata, ut quiduis passura sit potius, quàm Ecclesiam restitui in statum meliorem. De doctrina taceo. Vniā modò integri ac dociles ad causam veniēt. At cerio certius est, vnā hanc fore omnium de liberatione: quicquid dicatur, quæcunque afficiatur rationes, non esse auscultandū. Imò non pertinacia modò & obstinatione aures sibi obstruent, ne obediāt veritati, sed ferocia etiam ad resistendū se armabunt. Quid enim? an qui nullam sanæ doctrinæ mentionem auribus admittunt, eos credibile est, simul ac in rem præsentem ventum fuerit, sponte cessuros? an qui omnia moluntur ne collapsum Christi regnum iterum in mundo resurgat, eos sperabimus excitandi illius & promouendi adiutores fore? an qui nunc ferro & igni insaniunt aduersus veritatem, aliosque ad seuitiam, quoad possunt, aciunt & inflammant, humanos se & moderatos, tunc præstabunt? Verū, ut nihil aliud sit, tuæ hoc

Prudentiæ inuictiss. Cæsar, vestræque illustriss. Principes relinquo æstimandum, num pontifici Romano vniuersæque eius factioni priuatim expediat, restitui in verum ordinem Ecclesiam, & ad rectam Euangelij normam corruptissimum eius statum emendari. Quam autem facile sua commoda obliuisci soleant, vt nulla eorum habitatio, ad suscipiendam communis salutis curam, voluntate & studio ferantur omnes, certis experimentis habetis compertum.

His, Cæsar, Ecclesiam permittes, vt de eius reparatione, suo arbitrio, vel sua potius libidine statuatur? Ab eorum nutu suspensus hærebis, vt nunquam, donec ipsi consenserint, Ecclesiæ consulendum decernas? Si illorum erit cognitio, facile se compendio expedient. Pronuntiabunt enim sic manendum. Sed fingamus, vel pudore, vel tua aliorumque Principum autoritate victum iri, vt nonnihil adhibeant moderationis in speciem, & de suo etiam imperio aliquantulum remittant, eone sponte vnquam descendunt, vt se in ordinem coactis, Christi Regnum erigatur? Quorsum igitur illis mandetur reformandæ Ecclesiæ cura, nisi vt oues lupis exponantur? Si alterutrum accidere necesse sit, præstaret tamē Ecclesiam pro derelicta desperatæque haberi, quàm in tales medicos incidere. Decuerat quidem eos, qui pastorū nomen locūque obtinent, primos omnium aduolare ad opem illi ferendam. Decuerat, fateor, duces eos se profiteri: principes verò se illis comites adiungere in opere tam sancto, & adiutores. Sed quid si non faciunt? Quid si fieri ab alijs nolunt? Quid si ad impediendum, nullum non mouent lapidem? An respiciendum quoque nobis sunt: ne quis se moueat, donec ipsi digitum sustulerint? adhucne audienda illa solennis eorum cantilena? nihil tentandum donec Pontifex approbauerit. Sic ergo habeat tua Maiestas: adeoque vos simul omnes reputate cum animis vestris, illustriss. Principes, virique ornatiss. Ecclesiam à suis Pastoribus non modò proditam, desertam, destitutam, sed vexatam, afflictam extrema calamitate, denique exitio destinatam, ad fidem vestram confugere. Quin potius sic existimate: offerri hinc vobis à Deo materiam, in qua specimen edatis insigne ac testatum vestræ erga se obseruantie. Nihil est, quod nobis omnibus maiori curæ esse, & in quo elaborare nos intentiore studio velit Deus, quàm vt illibata maneat nominis sui gloria, vt Regnum suum floreat, vt pura vigeat illa doctrina, quæ sola ad ipsum rite colendum præluere nobis debet. Quanto igitur magis hæc princeps curare, hæc meditari, hæc agere & persequi decet? quos ideò nominis sui communicatione dignatus est, vt gloriæ suæ custodes sint in terris ac vindices.

Nolite, obsecro: profanis hominibus aurem accommodare, qui vel fallaci concilij ostentatione vos lætant, ne quid leuationis ex vobis sentiat Ecclesia: vel hanc causam, cum sit omnium maxima, extenuant, quò sitis ad eam suscipiendam remissiores: vel ad violentas eius transigendæ rationes impellunt. Hactenus operam perdidierunt, qui te ad scuitiam inflammare, inuictiss. Cæsar, & tibi quodammodo arma induere conati sunt. Præclaram certè, & mansuetudinis, & prudentiæ laudem ad posteros consecutus es, quòd turbulenti consijs, quibus sæpe multūque tentatus es, nunquam te à perpetua moderatione passus es dimoueri. Ea laus ne quādo tibi extorqueatur hostiū nostrorū importunitate, etiā atque etiā vide. Si terreantur hæretici, nō doceantur, improbā esse dominationē Augustinus agnoscit. Si hac mansuetudine tractandi sunt hæretici, qui Ecclesiam, sua intemperie, nulla iusta causa perturbant, vt castigationem semper doctrina præcedat, quanto plus adhibere in hac causa humanitatis decet, in qua Deū & homines testamur, nihil nos aliud quærere, nisi vt in purā Dei doctrinā vtrinque cōsentiamus? Pontificem Romanū cū suis nihil quàm sanguinē & cades spirare, tu optimus es testis, Cæsar. Quòd si eorū obsecutus esses furori, iam-

pridem

pridem suo sanguine Germania redundasset. Neque id vos laeret, illustriſſ. Principes. Ad tantam crudelitatem præcipites ipſos ageret Dei Spiritus? Sed hoc eſt ſcilicet: libido, quæ diu graſſata eſt ſine obſtaculo, ſi cohiberi incipiat, protinus ad inſaniam erumpit. Si qui ſunt præter eos, qui oppreſſos vi & armis nos videre cupiant, aut ab illis ſtabellis accenſi, aut inconfiderato zelo ſponte inſtigati, cauſam incognitam oderunt. Nam quòd naſcenti primùm Eccleſiæ accidiffe Tertullianus queritur, id nobis hodie quoque uſu venit: ut ſolius nominis præiudicio, ſine cauſæ inſpectione, damnemur. Et nunc quid contendimus aliud, niſi ut ſuſcepta ſemel legitima cognitione, ex vero tandem & æquo, non ex præſumpta falſo opinione iudicetur? Atque hoc quidem præclarum, & humanitatis tuæ, & ſingularis ſapientię documentum edidiſti, Cæſar, quòd hæcenus furiſſæ hoſtium noſtrorum libidini, ne te ad iniuſtam ſenſitiam abriperet, conſtãter obſtituſti. Sed hoc ſecundum ſupereſt, ne pernicioſis eorum conſilijs morem geras, qui ſub dilationis ſpecie ſanctum hoc opus, reformationem Eccleſiæ dico, iam dudum impediunt: & quod peius eſt, abrumpere moluntur.

Vna fortè perficiendi adhuc reſtat difficultas, quæ vos ab inchoando non nihil retineat. Plerosque enim, non malè alioqui animatos, non alia cauſa auerit à tam ſancto inſtituto, niſi quòd antequam periculum faciãt, ſucceſſus deſperatione, concidunt. Sed hic vobis duo ſunt conſideranda: neque tantum eſſe difficultatem, quanta animis concipitur: & quantacunque ſit, non decere tamen eius cogitatione ac metu vos frangi, ſi reputetis apud vos, hoc eſſe Dei opus: in quo gubernando & ſpem noſtram ſuperari, & opinionem falli oporteat. Priorem illam partem explicare, non eſt huius operis. Aptior & opportunior erit locus, ſi ad ſeriam conſultationem ventum ſemel fuerit. Hoc tantum dicam: magis expeditam fore rationem, nec tantæ molis, quàm vulgò exiſtimetur, modò ſatis ſit ad tentandum animi. Verùm, cùm veteri proſerbio celebratum ſit, nihil eſſe præclarum, quod non arduum ſimul quoque ſit ac difficile, miramur, ſi ad rem omnium maximam & præſtantiſſimam per multas difficultates ſit enitendum? Deinde, quemadmodum dixi, niſi velimus grauem Deo iniuriam facere, alius hic attollere animos conuenit. Certè enim Dei virtutem metiemur mentis noſtræ captu, ſi de Eccleſiæ reparatione nihil plus ſperabimus, quàm ipſa præſentium rerum conditio ſtatuique promittat. Quamlibet tenuis ſpes appareat, bono animo nos eſſe Deus iubet: ut excuſſo procul omni metu, ad opus alacres accingamur. Hunc ſaltem illi honorem præſtemus, ut fiducia virtutis eius freti, experiri non recuſemus, qualem dare ſucceſſum velit.

Ut nunc Imperij res habent, implicitos varijs curis teneri vos, inuictiſſ. Cæſar, & illuſtriſſ. Principes, ipſaque negotiorum multitudinem diſtractos circumagi, & quodammodo fluctuare neceſſe eſt. Verùm, ſic ſtatuite: vnum hoc procul dubio alijs omnibus eſſe vobis anteuertendum. Sentio, quos neruos, quam vehementiam, quos aculeos, quem ardorem requirat huius loci tractatio. Et certè non de futuroſ ſatis ſcío, qui me in eam inſigni ſplendidaque materia ita frigidum eſſe mirentur. Sed quid facerem? Ponderi rerum ac grauitati succumbo. Nihil itaque melius video, quàm rem ſimplyter, & abſque vllò verborum ſplendore, vobis proponere: ut eam veſtro deinde examine ponderetis. Primùm vobis in mentem veniat horrenda hæc Eccleſiæ calamitas, quæ fer eos etiam animos ſlectere quodammodo ad miſericordiam poſſit. Imò ante oculos vobis ſqualidum hunc deformemque habitum, & vaſtam diſſipationem, quæ ſunt in omnium conſpectu, ſtatuite. Quid? ſponſam Chriſti, veſtram omnium matrem, quouſque tandem ic proſtratam afflictamque iacere feretis? Præſertim cùm & fidem veſtram impleret, &

vobis ad manum sit eius subleuanda ratio? Percipite deinde animis, quanto acerbiora iam insistent. Non enim procul abest vltimus interitus, nisi quàm citissimè obuiam eatis. Seruus bit quidem mirabiliter, & supra hominum opinionem vbicunq; volet, Ecclesiam suã Christus: sed hoc dico, si paululum modò cessatum adhuc à vobis fuerit, Ecclesiã formam nos in Germania nullam habituros. Circumspicite quot indicia, illam, cui occurrere vos par est, ruinam minetur, iamque imminere denuntient. Illa satis loquuntur, etiam si taceam.

Quamquam non presenti tantùm aspectu mouere nos hæc indicia, sed diuinæ quoque vltionis commonefacere debent. Vitiato tot prauis opinionibus, tot impijs fœdisque superstitionibus peruerso Dei cultu, atroci contumelia afficitur sacra eius maiestas, profanatur sanctum eius nomen, eius gloria tantùm non pedibus calcatur: imò cum palam idololatria inquinatus sit totus Christianus orbis, sua, eius loco, fragmenta homines adorant. Mille superstitionum species regnant, quæ tot sunt aperta eius ludibria. Virtus Christi propè oblitterata ex hominum animis: fiducia salutis ab ipso ad inanes friuolaque ceremoniarum nugæ traducta: sacramentorum non minus execranda pollutio. Baptismus multis additamentis deformatus: sacrosancta verò Cœna ad omne ignominie genus prostituta: tota religio in alienam prorsus formam degenerauit. Si nos ad hæc curandi, ne gligenter adijcimus animum, non obliuiscitur certè sui Deus. Nam qui imminui suum honorem vlllo modo passurum se negat, quomodo eum labefactari & destrui pro nihilo duceret? Qui dissipatione populis omnibus, apud quos defecerit prophetia, minatur, quomodo apertũ & contumacẽ prophetiarum contemptũ inter nos impunitũ sineret? Qui leuẽ Cœnæ suæ maculam tam seuerè vindicauit in Corinthijs, quomodo nobis parceret, si eam tot nefandis sacrilegijs cõspurare pergitimus? Qui prophetarum omnium ore ad vlciscendã idololatriam armatum se testificatur & clamat, tot idololatriæ portenta an intacta in nobis relinquet? Et certè non relinquit: vdenus enim, vt nos vigeat & insequatur armata manu. Turcicum nunc bellum omnium in se mentes conuertit, ac trepidatione implet. Meritò id quidem. De comparandis ad resistendũ præstarijs consultatur. Id quoque prudèter fit ac necessariò. Festinatione nõ vulgari opus esse clamãt omnes. Fateor nimiam esse non posse, modò ne interea reslituenda in suum statum Ecclesiæ cõsultatio, quæ prima esse debet, vel negligatur, vel retardetur. Plus enim satis morarũ interposuim iam fuit. Intus est, in visceribus nostris inclusa belli Turcici materia. Eam imprimis tollere oportet, si bellũ ipsum foeliciter propulsare cupimus.

Quamobrem quoties vobis posthac hæc vox occinetur, differendum in præsens esse reformande Ecclesiæ negotium: fore, alijs transactis, satis maturũ eius curandi tẽpus, de eo vobis inuictiss. Casar. & illi Striss. Principes, deliberandũ esse memineritis, imperiũ ne velitis aliquod perdere vestris. Relinquere, aut nullũ. Tamen si quid de posteritate loquor? Iã enim, vobis videtibus, semirutũ ad vltimã ruinã inclinãt. Quòd ad nos pertinet: vtrũque res reciderit, hæc nos conscientia semper sustinebit in Dei conspectu, quòd & seruire eius gloriæ, & Ecclesia ipsius prodisse voluerimus, quòd fideliter incubuerimus in eam rem, quòd denique fecerimus, quantum in nobis erat. Nam non aliorum spectasse conatus nostros, nostrãque omnia studia, ipsi primum nobis sumus satis conscj, & id luculentis testimonijs vt testatum foret, dedimus operam. Et certè cùm nobis constet, Dei negotium hic nos & curare & agere, ipsum sibi, operique suo minimè de futurum confidimus. Ceterum, qualiscunq; exitus erit, nunquam nos cõpissè, aut hac vsque progressos esse pœnitebit. Nobis Spiritus sanctus doctrinã nostrã fidelis est ac certus testis. Scimus, inquam, esse æternam Dei veritatem quam predicamus. Ministerium nostrum vt mundo sit salutare, optamus quidem, sicut par est: verum vt id consequamur, Dei est præstare, non nostrũ. Si ita meretur eorum,

quibus



quibus prodesse cupimus, partim contumacia, partim ingratiudo, ut desperato profectu, omnia pessum eant: dicam, quod homine Christiano dignum est: subscribent, quicumque huic t. un sanctæ professioni respondere volent: *Moriemur. Sed in morte quoque victores erimus: non modò quòd inde certus ad meliorem vitam transitus nobis erit, sed quia sanguinem nostrum ad propagandam illam, que nunc respuitur, Dei veritatem, seminis instar futurum esse scimus.*

FINIS.

BREVIS INSTRVCTIO MVNIENDIS  
Fidelibus aduerfus errores sectæ Anabaptistarum.

ITEM ADVERSVS FANATICAM ET  
furiosam sectam Libertinorum, qui se spirituales vocant.

*Nunc primum è Gallico versa Latine per Nicolaum Gallasium.*

ILLVSTRI VIRO IACOBO A BUR-  
gundia, Falesij Bredanique Domino, Nicolaus  
Gallasius. S.



**Q**UAE rationes, vir clarissime, Calvinum impulerint ad scribendum aduer-  
sus Anabaptistas, satis cum libellus ipse declarat, tum verò epistola ei præpo-  
sita, quam unà conuerti. Multi quidem ac docti viri eruditè ac copiosè aduer-  
sus hoc hominum genus scripserunt: atque adeò Calvinus ipse in sua Institutione sparsim eo-  
rum deliria, & quidè abiudè, refellit: sed nemo id seorsim præstiterat nostra lingua. Quam-  
obrem necessarium fuit eos iterum eodem sermonis genere refutari, quo ipsi nostrates fal-  
lere. & in animos imperitorum irrepere conati erant. Solent enim illiteratos & rudes ado-  
riri: quos cum reperiunt imparatos, facillè, qua sunt astutia & calliditate præditi, eos sibi ad-  
iungunt. Cui malo ut mederetur noster Calvinus, libellum hunc vulgari lingua scripsit, quo  
breuiter & apertè detegit ac diluit eorum fallacias: adeò ut vel indocti, & veritatem ipsam  
intueri, & aduersus tam perniciosos hostes probè muniti esse possint. Latine porrò scribere  
noluit, quòd doctissimorum virorum extent libri, quibus literati homines abundè instruan-  
tur. Sed quoniam illi, dum cunctos errores qui ex ea secta prodierunt sumunt sibi refutandos,  
infinitam penè syluam ingredi coguntur: hoc autem libello refelluntur solum vltima eorum  
pronuntiatia, quæ pro oraculis habent, & typis excusa tum Germanica tum Gallica lingua  
euulgat: eum non minus doctis quàm indoctis vtilè fore putauit. Adde quòd paucis & familia-  
riter explicantur omnia, solidisque argumentis firmantur: exponuntur etià genuinè ac fide-  
liter plerique Scripturæ loci. Itaque operæpretiū me facturū putauit, si eum cōmunicarem lin-  
guæ Latinæ hominibus. Quod attinet ad posteriorè libellū què scripsit aduersus Libertinos:  
quàm necesse fuerit portentosam illā & belluinā sectā reprimi, nemo sanæ mentis nō videt.  
Eos autè qui acerbis tractatos, aut durioribus verbis cōpellatos existimāt, rogatos vel im-  
cum reputent, num satis atrociam aut indignam de tā scelesto hominum genere dici aut cogitari  
possint. Videant quanta verborum acerbitate tum Christus ipse, tum Prophetæ, & Apo-  
stoli veritatis hostes insectati sint. Et quales hostes? Qui scilicet præ istis vix leuissima  
reprehensione

reprehensione digni videri possent. Nec verò ijs assentior, qui silendum potius, quam hæc scriptis euulganda putant. Tales enim, aut illorum fautores, aut valde socordes esse oportet: qui detestabilem hanc pestem, qua non tantum religio, verum etiam humanitas omnis deletur, quò magis impune grassetur, quietam sibi volunt. Cum publicatis scriptis sparserint venenum suum, à recta viuendi ratione abduxerint permultos, an fideles Dei serui muti esse debent? At plures qui antea ignorabant quid sibi vellent Libertini, lecto hoc libello statim intelligent, quod ipsos nec scire vitilius foret. Quæso, nonne præstat omnes de pestilentia hac seclæ monitos esse, quam incautos ipsos & imprudentes decipi? ac prius medicinam eis in manu esse, qua se tueantur ac munit, quam veneno infecti sint? Quòd si paucorum tantum animi eo corrupti essent, fortasse tali consilio fuisset locus: sed cum hæc lues, iam per multas regiones sæuius grassata sit, quanta crudelitatis foret interuentibus animis nullam opem ferre? Nemo, cui aliquid cordi est, non facile agnoscit, quam necessarium fuit tantam abominationem detegi: vt omnes eius fœtore absterriti, procul ab ea fugiant, nec ullis, se illicebis irretiri patiantur. Et quò quisque sibi diligentius caueret, authores seclæ nominari oportuit. Nam instar Prophetæ, subinde sese transformant, nouasque species induunt: ita vt facile decipi possint, quibus ignota est eorum astutia. Simulare enim, mentiri, fallere, summam esse virtutem statuunt: secum vident omnia: & quicquid in mundo est, nihil esse aiunt. Quo fit, vt hodie talia se dogmata tradidisse aut sequutos esse negent: quia ex eorum sententia, doctrina ipsorum nihil est: & cum loquuti sunt, nihil dixerunt. Quis ad tam insana deliria non obstupescat? Proinde, quoniam malum hoc, longius serpebat in Gallia, ac multa iam hominum millia corrupta erant, ideo Gallicè scripsit Caluinus: vt præsertim linguæ nostræ hominibus subueniret. Sed cum intelligerem non minus in Flandria, Brabantia, & nonnullis inferioris Germaniæ partibus hanc pestem grassari, existimaui me rem pijs omnibus gratiam facturum, si libellum hunc conuertens, communia facerem ipsis hæc arma, quibus muniti, possint vnà nobiscum tam perniciosos hostes depellere. Vt, si manus conferenda sint cum ipsis, habeant vnde eorum tela & gladios retundant. Sunt enim hic omnia desumpta ex verbo Dei: quo solo falsa omnis doctrina conuincenda est. Haud equidem arbitrator diuturniorem fore hanc seclæ: cum ab omni naturali sensu ita abhorreat, vt nullos nisi deploratissimos ei adherere verisimile sit. Sed cum tanta sit ingratitude nostra, vt longè etiam deteriora vereri oporteat, nos certè instructos esse verbo Dei necesse est: atque hic, velut in speculo, contemplari, quale iudicium Deus exerceat in eos, qui sacrosancto eius Euangelio ad suas libidines abutuntur, aut ipsum in vanam philosophiam conuertunt. Nec verò libellus hic, vsui tantum erit, quòd eo Libertini refellantur: sed etiam quòd vtilem alioqui per se doctrinam & familiariter explicatam contineat: cum de alijs rebus, tum de spiritu, de prouidentia Dei, de libertate Christiana, de resurrectione, de vocatione, de regeneratione, de communione bonorum. Quæ tamen si tum alijs libris, tum Institutione abundè tractantur: tamen & ad formandum iudicium, & ad plenioram intelligentiam non parum valet, rem eandem variè, eodémque nihilominus sensu traditam, cernere. Hæc ego cum in piorum omnium gratiam verterem, vellem tamen alicui potissimum mittere: tu mihi in mentem venisti, cui libentius ea dicarem. Vidi enim ac perspexi, quam sis versæ pietatis & synceræ doctrinæ studio-

*sus. Intellexi non tantum ex tuis sermonibus, sed experientia ipsa didici, quanto animum tuum dolore afficiant hæ sectarum pestes, quas alijs etiam scriptis oppugnandas curasti. Ostendisti quàm iniquo animo ferres miseram plebem, & Pastoribus & doctrina, in hac rerum perturbatione destitutam, vulpecularum istarum fraudibus in exitium duci. Cùm igitur hanc luem profligatam cupias, & scriptis Caluini insignis Ecclesiæ pastoris summo opere delæteris: quæ tibi Gallicè scripta placuissent, eadem Latina facta non iniucunda fore existimaui. Non quòd ista cum illis comparari possint (præstat enim quæ ab authore scripta sunt, quàm à me conuersa, legere) sed quoniam ea quæ linguæ nostræ hominibus seorsim scripta videntur, cæteris communicari vtile est: quibus etiam, pro Christiana pietate tua, bene consultum cupis. Quamobrem sub tuis auspicijs hæc prodire volui, cuius gratia & opera in quamplurimorum manus peruenient, & magnum, vt spero, fructum sunt allatura. Cæterùm non tam hinc sermonis ornatum, quàm rationum momenta queri velim. In hoc præcipuè studui, vt mentem authoris fideliter & facillè exprimerem: & quauis peculiare quædam habeat loquendi formas, quæ Latine neque leporem, neque vim eandem retinere possunt, efficerem tamen vt sensus omnibus satis dilucidè constaret. Quod an sim affecutus, tibi cæterisque iudicandum relinquo. Dominus suas in te dotes augeat, & te incolumem seruet, ac tueatur, in ea fide & constantia, in qua hætenus perstitisti. Idibus  
 Mart. M. D. XLVI.*

## BREVIS INSTRVCTIO MVNIENDIS

Fidelibus aduersus errores communis sectæ Anabaptistarum.



**S**I aduersus omnes errores & falsas opiniones Anabaptistarum scribere vellem, longum opus susciperem: atque ingredi- rer abyssum, vnde mihi exitus non patèret. Nam ista collu- nies ab alijs hæreticorum sectis in eo differt, quòd nò tantum certis in rebus errauerit: verum sit immèsum quòd lam stuper- dorum deliriorum mare: adèd, vt vix vnus Anabaptistæ ca- put reperiri possit, quod non sit imbutum aliqua opinione di- uersa à reliquis. Itaque, nullus esset operi finis, si impias omnes huius sectæ doctri- nas excutere, aut etiam recitare vellem. Tandem verò ad duas sectas præcipuas re- ducta sunt omnia: quarum vna, etsi multis erroribus impijs & perniciosis referta est, maiorem tamen simplicitatem retinet. Saltem enim sacræ doctrinæ libros probat & nobiscum recipit. Si cum eius sectatoribus aliquid tractandum est, quid cum eis sit dissidij, intelligi potest: quid animo conceperint, declarant: ac tandem in quo conuentum sit, quæ supersit controuersia, percipiuntur. Altera est veluti impli- catissimus labyrinthus deliriorum, & quidem adèd absurdorum, vt mirum sit crea- turas figuram humanã gerentes ita ratione & sensu destitui, vt in eas incidant imaginaciones, à quibus bestia ipsæ mutæ abhorrent. Hæc: secta Libertinorum ap- pellatur. Hi adèd se spirituales simulant, vt nihilo pluri faciant sacrosanctum ver- bum Dei, quàm fabulas, nisi cum ipsis visum est, idque ita possunt deprauare, vt diabolicis opinionibus suis violenter seruire cogant. Habent præterea peculiare quoddam genus sermonis (eorum more quos Gallicè Gueos hostiarie vocamus,) quo quid effari velint, intelligi non potest: neque etiam seipfos intelligunt: nisi quòd talibus astutijs vti nouerunt, vt eo modo tegant turpitudinem doctrinæ suæ. Eius enim principia sunt, omne boni & mali discrimen confundere, Deum cum Diabo- lo miscere, ita vt alteram ab altero amplius discerni nullo modo possit: homines non solum stupidos reddere in conscientijs suis coram Deo, verum etiam coram hominibus impudentes. En cur hac verborum ambiguitate & olsecris inuo- ueris sese occultant, ne fœditas eorum appareat: omnesque istos horreant: & execrentur, vt reuera communis hominum sensus, monstra quæ isti proferunt, prorsus repa- gnat. Itaque, vt in summa scribamus aduersus Anabaptistarum errores, & bre- uis & expeditius erit hanc diuisionem tenere: atque in tractatũ vnum colligere errores eorum, qui nò tam desperata omnino insania abrepti sunt. In altero autem venenatam ac pestiferam infeliciũ istorum malitiam detegere, qui sub spiri- tualitatis (vt ita nominem) colore, homines bestijs mutis similes reddere voluit. Ne que tamen prioris sectæ homines ita inter se conueniunt, vt faciliè ipsorum errores in vnum colligi possint, quò certo ordine refutentur. Sed quia primarij eorum doctri- nes, & veluti totius synagoga Patriarchæ, post multas & varias cõsarcinationes, tandem definitionem suam protulerunt, qua summã eorum, in quibus nobis & Papi- stis aduersantur cõplexi sunt articulus septẽ, quibus Anabaptistæ omnes vulgò adne- rent: atq; etiam viã inuenerunt, qua præclara hæc definitio excuderetur, vt ubiq;

spargāt venenum suum, & miseram plebem inficiant, contentus ero, quod etiam, ut mihi quidē videtur, sufficiet ostendisse, quā falsa sint ea, quæ in maiore horum articulorum parte continentur: ne possint cōqueri, me quorundam culpam falsō in eos transferre, quò totam sectā immeritò traducā. Eo absoluto, si mihi per otium aliquando licuerit, libellum alium scribam aduersus secundum illum ordinem: nempe Libertinorum, de quibus antea sum loquutus. Nunc verò, ut iam dixi, sufficiet omnes veritatis studiosos monuisse, quòd miseri isti homines communi consensu pro inexpugnabili fundamento fidei suæ habent, lethalem imposturam esse, à qua, tanquam à peste omnes cauere oportet: omnes inquam qui se veritati obsequentes præbere volunt. Sunt enim in hac infelici Secta nonnulli, atque ij præcipuè, qui doctores agere volunt, qui superbia & arrogantia præoccupati in omnibus quæ ipsis proponuntur caligāt: aut pernicacia potius & obstinata malicia claudunt oculos, ne clarā lucem, cum eis proponitur, intueri possint. Ita ut rationibus cum eis agere, quòd in viam reducantur, sit operam ludere: nisi quòd saltem hæc utilitas redit, cum boni impudentiam eorum deploratam vident, sese ab eis semouent, & tanquam venenum lethale effugiunt.

Quia verò nulla specie illustriore seduci possunt miseri Christiani, qui zelo aliquo Deum sectantur, quā dum prætenditur verbum Dei: Anabaptista, aduersus quos nunc scribimus, ipsum perpetuò in ore habent, idque semper præfantur. Et certè simulatque hoc propositum est, Deum esse qui loquitur, creaturas omnes reuerentia nominis ipsius commoueri oportet, ut animo humili & demisso quæ dicuntur auscultent. Cùm intelligimus sermonem Dei reuera proponi, ne hiscendum quidem, ut repugnemus aut contrā disputemus: sed omnino obmutescendum est. Nec enim Papistarum more dicimus sacrosanctas Scripturas missas fieri oportere, ut authoritati hominum acquiescamus. Hoc enim effugium, censemus blasphemiam execrabilem esse. Sed volumus omnia quæ à Deo profecta atque ex ipsius verbo hausta esse cōstabit, à cunctis humiliter admitti, & recipi sine cōtrouersia. Quinetiam nullam aliam doctrinam censemus, præter eam, quæ ab hoc fonte unico veritatis manat, pro vera ac certa recipiendam esse. Quocirca siue Anabaptista, siue alij affirmant ea, quæ proferunt, se à Deo accepisse, & sumpsisse ex ore ipsius, id est ex scriptis sacris, eam gloriam tribuamus Deo, ut audiamus placidè ac modestè, atque an ita sit intelligamus. Verum ut nostrarū est partium ijs quæ dicuntur audiendis aurem præbere, donec quale sit vnumquodque cōpertum habuerimus: ita necessariū est prudenter inter verum & falsum discernere, adhibendumque iudiciū nunquid verè an falsò nobis verbum Dei obrendatur. Iussi enim sumus probare spiritus, & expendere an ex Deo sint. Quod quā necessarium sit re ipsa perspicimus. Nā ipse quoque Diabolus sese armavit verbo Dei, eoque gladio se accinxit, ut Christū inuaderet. Atque experimur ipsū quotidie his artibus uti per organa sua, ut veritatem deprauet, scque miseras animas in exitiū ducat. Quòd ad miseros istos fanaticos attinet, qui ita verbū Dei secū facere iactāt: an ita sit, res ipsa per se satis demōstrat. Iam multū tēpus assiduis laboribus conamur sanctum Dei verbū restituere: cuius rei gratia bellū aduersus orbē vniuersum sustinemus. Hi verò quantum id promouerunt, aut quid præbuerunt nobis adiumentū? Turbarūt nos potius & vehementer impedierūt. Adcò ut quid profecerint dici non possit, nisi ut quantū promouebatur à nobis verbū Dei, tantundem retraheretur ab istis, ac cessimiret. Quinetiā in nonnullis

nullis Christianæ religionis capitibus præcipuis cõueniunt cum Papiſtis, & opinio-  
nes tuentur sacræ Scripturæ ex diametro contrarias, vt de Libero arbitrio, de Præ-  
destinatione, de Cauſa noſtræ ſalutis. Falſo igitur abutuntur hoc prætextu, atque  
ſimplicioribus perſuadere moliuntur ſe ex ſacrarum literarum præſcripto guber-  
nari: cùm ijs omnino abiectis, ſolius cerebri ſui imaginationem ſequantur. Nunc  
ad primum articulum veniamus præclaræ illius definitionis, quam pro reuelatione  
è cælo profecta habent.

## ARTICVLVS I. DE BAPTISMO.

Baptiſmus exhiberi debet iis, qui ad pœnitentiam edocti ſunt  
& credunt peccata ſua per Chriſtum deleta eſſe: ac volunt in i-  
pſius reſurrectione ambulare. Quamobrem iis diſtribui debet, qui  
per ſe ipſi flagitant, non infantibus, vt in regno Papæ factum eſt.

## REFVTATIO.

Hoc eorum eſt pronuntiatum. Sed reſpondeo: Primum non eſſe morem recen-  
ti memoria introductum: nec ſub regno Papæ initiũ cepiſſe. Aio enim ſacroſanctum  
inſtitutum eſſe perpetuò obſeruatum in Eccleſia Chriſtiana. Nullus enim, eſt pri-  
ſcæ vetuſtatis tam antiquus doctor, qui non fateatur Apoſtolos ita ſemper uſos  
eſſe. Quod perſtringere obiter volui, non alia de cauſa, quàm vt ſimpliciores com-  
monefaciam hos fanaticos impudenter calumniari, cùm perſuadere volunt obſer-  
uationem ad eò vetuſtam ſuperſtitionem nouam eſſe: ac fingere à Papa profectam:  
cùm vniuerſa Eccleſia eam teneret antequam intelligeretur quid ſibi uellet regnum  
Papæ, aut quicquam de eo auditum eſſet. Cæterum minimè peto, vt in eo probando  
nos antiquitas ullo modo inuuet, niſi quatenus in verbo Dei fũdata reperietur. Scio  
enim ſicuti hominum conſuetudo authoritatem ſacramento non ribuit: ſic uſum  
ſacramenti, vt rectius ſit, ad normam conſuetudinis exigendum non eſſe. Ad ve-  
ram igitur regulam ueniendum, de qua loquuti ſumus: nempe ad uerbum, quod ſo-  
lum hęc locum habere debet. Hoc eorum eſt propoſitum, baptiſmum nulli communi-  
candum eſſe præterquàm ei qui poſtulat, cum fidei & pœnitentiæ profeſſione. Pro-  
pterea baptiſmum infantium inuentum eſſe ab hominibus contra uerbum Dei. Vt  
id probent, ultimum Matthei caput allegant, ubi Chriſtus Apoſtolos ita alloqui-  
tur. Euntes docete omnes gentes, baptizantes in nomine patris & filij & Spiritus  
ſancti: cui adiungunt hanc ſententiam ex ultimo Marci. Qui crediderit & bap-  
tizatus fuerit, ſaluus erit. En fundamentum, quod eis ad eò firmum uidetur, vt euer-  
ti non poſſit. Cui reſpondeo in illis locis de baptiſmo obiter ſolum mentionem  
fieri. Adijcitur enim uelut appendix prædicationis Euangelij. Dominus Ie-  
ſus Apoſtolos ſuos mittit vt concionentur, hominesque inſtituant in doctrina Dei:  
deinde baptiſmum adiungit ad doctrinæ confirmationem. Eſt autem notandum, do-  
ctrinam debere eo modo ſacramento præire, quòd ad eam obſignandam adiungi-  
tur. Atque in eo facile conſentimus. Sed de modo querendum eſt. In eo enim  
decepti ſunt malè feriati iſti & fanatici homines, quòd modum non conſidera-  
runt. Si quis igitur ſit alienus ab Eccleſia Chriſti, ueluti Turca aut Iudæus, aut

quiuis alius infidelis, vt fiat Christianus non est à baptismo inchoandum: sed antequam baptisetur instrui debet. Atque etiam talis vsus veteris Ecclesiæ fuit. Qui enim ad Christianismum conuertebantur, suis habebant separatim conciones, quas Catechismos vocabant. Deinde, habito fidei & pœnitentiæ ipsorum testimonio, baptisabantur. Idque ratio postulat. Nam cum homo non tantum in Ecclesiæ cõmunionem cooptetur per baptismum: verumetiam testificationem ob signa tam habeat, qua Deus pro filio eum agnoscit: dubium non est doctrinam præcedere debere, qua doceatur, vt cum fide & pœnitentia conuertatur ad Deum. Idem videmus erga Abraham in circumcisione Dominum fecisse. Antequam enim hoc signum statueret, eum in fœdus suum receperat, & instruxerat in doctrina.

Nunc autem notandum est, cum homo à Deo in cœtum fidelium admittitur, promissionem salutis quæ ei datur non ad ipsum solum, verumetiam ad liberos pertinere. Nam ei dicitur: Ego sum Deus tuus, & Deus seminis tui post te. Proinde qui in hoc fœderis vinculum non est ab incunabulis à Deo receptus, is ab Ecclesia alienus est, donec per salutis doctrinam ad fidem & pœnitentiam sit adductus. Tunc autem semen eius domesticum Ecclesiæ esse incipit. Idcirco infantes fidelium baptizantur vi huius fœderis, quod cum parentibus initum est eorum nomine. In hoc igitur sese decipiunt miseri Anabaptistæ. Non repugnamus quin doctrina sacramentum præcedere debeat. Sed in eo tota difficultas sita est, quemadmodum dixi, vt modum & rationem consideremus. Cum enim homo iam etate prouectus, quinquam Christianus fuit, baptizandus est, prius doceri debet, ac moneri eorum quæ per baptismum figurantur. Liberi autem ipsius baptizantur in ea doctrina quam recepit: quæ continet, Deum non tantum ipsi, sed etiam liberis in Deum fore. Vt verò facilius intelligatur: cum is qui alienus fuit à cœtu fidelium conuertitur ad Deum, doctrina in qua baptizatur, ipsum compellat; & quodammodo alloquitur. Propterea ab ipso intelligi debet, & antè percipi quàm sacramentum recipiat. Doctrina verò in qua pueri infantes baptizantur, non compellat eos, sed parentes eorum & totam Ecclesiam. Non est igitur necesse vt eam prius intelligant, quàm recipiant signum.

Quamobrem cum hoc struitur argumentum: Dominus iussit Apostolos predicare antequam baptizarent, atque dixit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Sequitur ergo neminem ad sacramentum admittendum esse, præter eos qui iam credunt, pessimè concluditur. Perspicuum enim est Dominum in illis locis de ijs solum loqui, qui doctrinæ sunt capaces, quique prius ab Ecclesia Christiana fuerunt alieni. Si nullam huius circumstantiæ rationem habeamus, multos locos confundi necesse erit, nosque ipsos in eis explicandis perturbari. Scriptum est eum qui non laborat, manducare non debere. Nemo tamen adeò crudelis est, vt velit infantes eo supplicij genere condemnare, vt fame pereant. Omnes enim perspiciunt Apostolum nolle ipsos in hoc ordine censeri, sed tantum de ijs loqui, quibus suppetunt vires, & ratio victus quaerendi. Cum igitur illis in locis Dominus mentionem de ijs speciatim faciat, qui doceri possunt, quique antea ipsius discipuli non fuerunt: omnia deprauant & peruertunt ij, qui eos detorquere volunt ad Christianorum pueros infantes, quibus nulla est audiendi facultas: atque iam in fœdere Dei sunt cum parentibus comprehensi, vt sint Ecclesiæ domestici.

Adducunt postea miseri isti phanatici vsum & consuetudinẽ Apostolorum.

Acto-



Actorū secundo refertur, homines ad duo millia audita Petri cōcione, cōpunctos in animo consiliū petiisse, quid agere deberent: Petrum verò respōdisse, Pœnitentiā, & credite Euangelio. Item, cum Eunuchus petijt vt baptizaretur, Philippum dixisse, id licere, si modò ex animo crederet. Hinc concludunt Apostolos in ijs quos baptizabant prius fidem & pœnitentiā requirere solitos fuisse. Quod quidem concedo in ijs, quos recens in Ecclesiā Christianā communionem recipi oportebat: sed in puris infantibus, qui antequam ex utero prodierint iam in communionē Ecclesiā sunt, longè diuersa ratio est. Nam ipsorum parentes atque aui promissionem recipiunt super qua Baptismus eorum fundatus est. Necesse igitur erat Ierosolymitanos, qui alieni erant ab Ecclesiā Christi, quiq; in eadem Domini nostri consenserant, vera pœnitentiā tangi, antequam per Baptismum daretur eis testimonium gratiæ, qua Dominus Iesus ipsos in fidelium numerum recipiebat. Necesse erat Eunuchum per veram fidem in gregem Christi cooptari, antequam ipsius nota insigniri posset. Sed cum omni fideli homini hæc promissio facta sit, Ego sum Deus seminis tui: liberi qui ex ipso nascuntur, alio fruuntur privilegio, nempe, quòd Deus eos pro suis propter parentes agnoscit. Quod ne ex me ipso comminisci aut excogitare videar, Dominus eius rei nobis in Isaac exēplum dedit. Nam, sicuti diximus, prius instruxit Abraham in doctrina fidei & pœnitentiæ, quàm ei Circumcisionem communicaret. Postquam verò ipsum in Ecclesiā suam recepit, statuit etiam vt eius soboles tanti boni esset particeps. Itaque Isaac & reliqui ab infantia ipsa circumcisi sunt. Deum igitur huius differentiæ, ex qua tota huiusce quæstionis difficultas pendet, authorem habemus. Sed quia similitudinem, quam adducimus inter Circumcisionem & Baptismum, admittere nolunt, priusquam ulterius progrediamur, necesse erit ostendere idem esse. Cum de Sacramento aliquo agitur, animaduertendum est substantiam omnem & vim ex doctrina & stimandam esse, à qua confirmationem capit. Notemus ergo doctrinam veluti rem præcipuam, Sacramentum verò velut appendicem esse. Nunc Baptismum cum Circumcisione comparemus. Baptismus pœnitentiā aut renouationem vitæ continet, cum promissione remissionis peccatorum. Vtrunque istorum, Circumcisio nec plus aut minus complectitur. Nam quòd ad pœnitentiā attinet, de ea sæpe & apud Moysen & Prophetas fit mentio, cum monent vt circumcidantur corda. Id ipsum enim est quod nouo Testamento dicitur, veterem hominem mortificare. In summa, spiritalis Circumcisio idem sibi vult quod pœnitentiā. Quòd verò ad alteram partem attinet, scilicet ad remissionem peccatorum, clarior approbatio petenda non est, quàm ea Pauli sententiā, vbi dicit Circumcisionem Abrahamæ datam esse ad iustitiæ gratuitæ confirmationem, quam fide obtinuerat. Si igitur ita argumentari velint, rationi consentaneum non esse, vt infantes baptizentur, qui nec fidem nec pœnitentiā habent, cum Baptismus sit Sacramentum regenerationis & lauacri spiritalis, quo per Christum abluimur: respōdeo, idem de Circumcisione dici posse. ac Deum nihilominus iussisse vt infantes circumciderentur. Deum ergo ipsum redarguunt, cum aiunt rationi aduersari, si Sacramentum, quod fidei & pœnitentiæ testimonium est, communicetur infantibus. Quid igitur dicendum? Sanè si quæ à Deo constituta sunt probemus, eius doctrina ceruò ostendit minimè necessarium esse veritatem, quæ Sacramento significatur semper præcedere, sed aliquando sufficere, si subsequatur saltem pro parte. Renouatio

Gen. 17.

Gen. 21.

Rom. 4.

enim vitæ significabatur per Circumcisionem : ac similiter iustitia quam fide obtinemus : nec pœnitentia, nec fides erant in puero infante, nec tamen propterea minus capax erat Sacramenti recipiendi. En igitur quomodo signum veritatem antecedebat . Si hoc aliquando licitum & rationi consentaneum fuit, quare nunc erit dissentaneum?

Verùm obijciat aliquis non sufficere si similiter factum fuisse allegemus, nisi etiam ostendamus idem hodie fieri oportere . Hoc quidem fateor, nec instare volo ut paruulorum Baptismus approbetur, nisi etiam talem esse Dei voluntatem ostendero . Interim verò quod iam probavi teneamus, disputari aduersus Deum ab ijs, qui semper veritatem signo priorem esse volunt . Cæterùm, à nobis probandum est, verbo Dei consentaneum esse, quòd infantes baptizamus. Quod facillè poterit sine longa controuersia à quouis percipi, si gratiam, quam Dominus Iesus aduentu suo nobis attulit, agnoscamus. Prius promittebat Deus Iudæis se ipsorum liberis fore in Deum : atque in eius rei testimonium Sacramento fœderis sui eos insigniebat. Nunc verò, ut ait Paulus Rom. xij. Dominus Iesus aduenit, ut promissiones Iudæis factas confirmet ac ratas efficiat, Deique misericordiam per vniuersum orbem effundat. Atque ut notat alio in loco, intermedium parietem diruit, quo alij ab alijs se cernebantur, ut nihil amplius supersit discriminis : sed omnes vnà eodem fruente priuilegio simus filij Dei . Quamobrem quisquis minorem vult efficere erga nos & liberos nostros gratiam Dei, quàm erga populum Iudaicum fuit, is magnam Christo iniuriam inferi, cùmque vehementer blasphemiat. At dicet quispiam, non imminui gratiam Dei erga nos, si infantes ad Baptismum non admittentur : modò non negatur Deum ipsos pari misericordia prosequi, qua liberos Iudæorum. Ego verò valde imminui ostendo. Nam gratiam Dei præcipuè æstimare debemus ex declaratione, quam tum verbo, tum Sacramentis facit. Cùm igitur Baptismus hodie institutus sit, ut promissio salutis in corporibus nostris obfignetur, ut olim in populo Iudaico fiebat : singulari consolatione priuarentur Christiani, si hæc confirmatio liberis suis adimeretur, qua semper potiti sunt fideles omnes : ut visibile signum haberent, quo Dominus ostendit ac testatur se liberos ipsorum in Ecclesiæ communionem recipere.

Cauillationem qua hic vtuntur Anabaptistæ, non ignoro: dum Infantis nomen allegoricè accipiunt, pro ijs qui malitia sunt paruuli, non atate : nôsque propterea irrident, quòd ita simplices simus, ut literæ sensum sequamur. Sed qualis est ista, quæso, subtilitas? Velle promissa Dei ad cõ clara & facilia euertere, quibus ait se misericordia sua fidelium semen, etiam post ipsorum mortem prosequi? Huius verò rei quem meliorem aut certiore interpretem habere possumus quàm Spiritum sanctum? qui ipse per Apostolos exposuit quod antè denuntiauerat per Propheas . Petrus testatur Iudæis ipsos promissionum filios, id est, hæredes esse, quatenus ex stirpe Abraham originem ducunt . Paulus etiam quauis data opera pugnet aduersus Iudæorum arrogantiam, qua sese ob cognationem illam carnalem efferebant, non tamen negat Abraham stirpem propter fœdus, quod Deus cum ipso inijs, peculiariuer sanctificatam esse . Euenit quidem interdum ut fidelium liberi maiores facti, sese alienent à Deo, & quantum in ipsis est, Baptismi veritatem in nihilum redigant : sed non propterea dicendum eo minus Deum ipsos elegisse ac segregasse à reliquis, ut salutem ipsis offerret . Alioqui frustra dice-

vet Paulus, infantem patre aut matre fidei natum, sanctificatum esse: qui alioqui immundus foret, si progenitus esset ab infidelibus. Cum Spiritus sanctus, omnis sanctificationis author & origo, testetur Christianorum liberos sanctos esse: an nostrum est eos à tanto bono excludere? Quòd si Baptismi veritas in eis resideat: quì eo signo, quod longè minus & inferius est, priuare audebimus?

At obijciunt usum & consuetudinem Apostolorum contrariam fuisse: nam scriptum est, Paulum & Silam prædicasse verbum Domini custodi carceris & domesticis ipsius, antequam baptizarentur. Huic obiectioni iam antea satis respondi, ostendens in eo qui alienus fuit ab Ecclesia, doctrinam antecedere debere: sed posteaquam semel in communionem fidelium receptus est, promissionem vitæ, non ipsius tantum nomine, sed liberorum quoque illi offerri. Sed expressius argumentum se habere putant, & quod sibi magis suffragetur ex decimo nono capite Actoꝝ: ubi scriptum est, Paulum, cum aliquos discipulos reperisset, qui nondum Spiritum sanctum receperant, eos de-integro baptizasse. Porro certissimum est Lucam illic agere de visibilibus gratijs Spiritus sancti. Nec enim aliter ea quæ dicit conuenire possent: nempe quòd ij de quibus loquitur qui Iudæi erant, respondent se nescire an sit Spiritus sanctus. Ignorare autem minimè poterant Deum Spiritu suo fideles sanctificare, cum de eo apud Prophetas omnes tam crebra mentio fiat. Sed nisiiebant an gratia illa, de quibus interrogabat Paulus, Ecclesiæ Christiana data essent. Cum itaque nominentur Discipuli, non adeò ignorauerant, quin Deum ac Christum quodammodo cognoscerent, vt hodie idiotæ quispiam ex vulgo Christianorum. Sed hoc ipsis deerat, quòd gratias visibiles non acceperant, quæ tum Deus in seruos suos effundebat. Hæ permannuum impositionem à Paulo ipsis collate sunt. Non est nouum in ea significatione accipi Baptismi nomen. Vt apertè in ex. n. p. lo docemur, Actoꝝ undecimo, cum dicitur Apostolos memuisse verborum Domini, quibus dixerat, Ioannem baptizasse aqua, se verò baptizaturum Spiritu. Est præterea hic vsus frequens in Scripturis, vt verbum vnum per aliud, sententia aliqua per aliam exponatur. Illic dictum est, Paulum in nomine Christi ipsos baptizasse. Deinde, vt explicet quid hoc sibi velit, adiungit ipsum eis imposuisse manus, ac Spiritum sanctum descendisse. Est igitur res eadem, duobus modis, ex Scripturæ vsu, variè expressa, sicuti diximus. Sed nihilominus videamus quid probi isti viri colligere poterunt, etiam si omnia quæ postulant, eis concedamus. Nihil quidem certè aliud, quàm Paulum iterum discipulos illos ob eorum ignorantiam baptizasse. Quòd si ob hanc causam iterandus sit Baptismus, quid Apostolus factum esset, qui tres annos post Baptismum suum adhuc tot erroribus absurdisque opinionibus tenebantur? Ita vt existimarent Christi regnum terrenum esse, nihil d. morte aut passione ipsius animo conciperent, & pleraque eiusmodi. Tanta cerè ruditas alterum Baptismum meritò requirebat, si ignorantes iterum baptizandi essent. Quòd autem ad nos pertinet, licum aut fluuium semper à tergo habere oporteret, quoties Dominus nos repurgat aliquo errore, ex integro baptizandi essemus. Huc præterea accedit, quòd Paulus eos de quibus agitur, baptizauit antequam eis imponeret manus. Qui ordo reprobandus esset, si miseri isti fanatici verum dicerent. Nam ex eorum imaginatione Spiritum sanctum prius discipulis dari oportebat, signum deinde subsequi. Sed quid ampliore disputatione opus est, cum res ipsa omnino perspicua sit?

Nulla igitur superest amplius eis calumnia, ut paruulorum Baptismum infecerentur & mordeant, præterquam quòd aiunt, nusquam commemorari Apostolos eo vsos esse. Respondeo, nusquam etiam legi administratam ab ipsis fuisse Cœnam vel vnicae mulieri. Cur ergo plus difficultatis in vno quàm in altero constituunt? Dicere non audebunt mulieres recipiendæ Cœnæ Domini non esse idoneas. Non tamen legimus ipsas vnquam ex manu Apostolorum eam accepisse. Vnde ergo reddemur certiores? Nempe si institutionem, naturam & substantiam Sacramenti intuemur. Sic enim perspiciemus æquè mulieribus ac viris conuenire. Ostendimus autem idem esse in Baptismo. Conuenire scilicet infantibus, atque ad eos pertinere: quoniam Dominus eos pro domesticis habet Ecclesiæ suæ. Quid plura requirimus? Nonne superfluum est de consuetudine inquirere, vbi ius ipsum apertum & perspicuum est? In hac, inquam, materia in qua solum Dei placitum sufficere nobis debet? Quòd ad hunc articulum spectat, spero me omnibus abundè satisfecisse, qui veritatis normam sequi volent. Quanquam si quis ampliorem declarationem desideret, poterit ea videre quæ tractaui in Christiana Institutione, vbi copiosius omnia horum argumenta deducuntur.

ARTICVLVS II. DE EXCOMMV-  
nicatione.

Vfus excommunicationis inter omnes esse debet, qui se Christianos profitentur. Qui baptizati, nihilominus noxiam aliquam imprudenter aut casu admittunt, non ex industria, ii secreto moneri debent semel atque iterum: tertio publicè coram toto cœtu exterminandi sunt. Ut possimus eodem zelo vnà panem frangere, & calicem bibere.

REFVTATIO.

Excommunicationem bonam & sanctam politiam esse non negamus: atque etiam in Ecclesia non vtilem modò, sed etiam necessariam confitemur. Quin etiam hi miseri & ingrati quicquid de ea tenent, à nobis didicerunt: nisi quòd ignorantia sua aut arrogantia corruerunt doctrinam, quam purè docemus. Sed vt breuiter articulum istum expediam: in quo consentiamus annotabo, & quid habeant nobiscum discriminis. Docemus, vt iam dixi, constanter, excommunicationem, qualis à Christo instituta est in vsu esse debere, & conseruandæ Ecclesiæ adminiculum necessarium esse affirmamus. Atque etiam curamus & omni studio contendimus, vt restitatur in statum suum, eaque, vt decet, vtantur omnes, admonentes errorem grauissimum esse, & vitium vehementer reprehendendum, si non ita fiat. In eo igitur Anabaptistæ nihil à nobis discrepant. Si damnaremus excommunicationem, aut suaderemus inutilem & superuacaneam esse, aut libenter assentiremur ne ei in Ecclesia locus esset, tunc murmurandi aduersum nos occasionem haberent. Sed de eo bene inter nos conuenit. In hoc tota est controuersia, quòd putent nullam ibi Ecclesiam esse, vbi hæc politia non est constituta, aut non eo quo decet

deceat modo exercetur: nec illic homini Christiano licere Cœnam recipere. Eoque prætextu sese ab Ecclesiis segregant, in quibus verbum Dei purè annuntiatur: nolentes, ut inquit, eius pollutionis participes esse, qua commaculantur ij, qui flagitiosos & sceleratos non relegant. Nos è-diverso fatemur, si hic ordo alicui Ecclesiæ desit, imperfectiorem eam & prava macula notatam esse: sed non eo minus pro Ecclesia ipsam habemus, ac persistimus in eius communionem, atq; affirmamus, singulis sese ab ea segregare non licere.

Quia verò non satis est verbo asserere: videamus an ex Scripturæ doctrina firmam probationem simus habituri. Huic enim legi me libenter subijcio, ut dictis meis nulla adhibeatur fides, nisi testimonium ex Scriptura habeam. Prima igitur quaestio est: an pro Ecclesia Christiana habendus sit v. cœtus, qui nullum excommunicationis usum habet, qualis à Christo instituta est. Hoc certè deerat Corinthijs eo tempore quo Paulus ad eos scribebat, ut ipse ostendit ac conqueritur: at nihilominus eum honorem eis tribuit, ut eorum congregationem, Ecclesiam Christianam vocet. Diversæ illic sectæ & factiones erant. Ambitio & auaritia vigeabant inter plures. Litibus & iurgijs sese mutuò corrodebant. Crimen quod inter infideles execrabile fuisset, non tolerabatur solum, sed etiam propemodum fovebatur. Quinetiam præter tantam corruptionem morum, errores in ipsa doctrina reperiebantur. Paulus tamen non ex seipso loquens, sed velut os & organum Spiritus sancti, sic inscribere Epistolam suam non desinit: Ecclesiæ Christianæ quæ est Corinthi. Quis nunc ex nobis tantum audebit, ut seuerior ipso Deo esse velit in iudicando? Qui hoc ausus fuerit, præbebit insigne documentum suæ temeritatis. Nihil tamen de eo, quod semel pronuntiauit Deus, immutabit. Quid dicemus de Galatis? Scimus quanta apud eos perturbatio & confusio fuit: id tamen non prohibet Paulum illic Ecclesiam agnoscere. Omne quidem studium à nobis adhibendum est, ut eam perfectionem, quæ in Christi corpore esse debet, assequi possimus: sed vna Ecclesiæ conditio alia à nobis querenda non est, quàm quæ prædicta est à certa & immutabili veritate. Ne ergo fallamur, perfectam in hoc mundo Ecclesiæ formam imaginando. Nam semel pronuntiauit Christus eam areæ similem fore, ubi grana tritici sic paleæ admixta sunt, ut sæpenumero non appareant. Item, reti similem fore, in quod varia piscium genera aggregantur. Quæ similitudines nos docent, quanuis puritas summa desideranda sit in Ecclesia, & in ea consequenda omnem operam adhiberi oporteat, nunquam tamen ita puram fore, quin multus adhuc maculis polluta sit.

Quod enim dicitur Christum effudisse sanguinem suum, quo eam mundaret, ut careret omni ruga & macula, non significat eam omnino iam mundam, & omnino vacuam esse, sed potius adulescere in dies, & proficere: eò tendentem, quò nunquam in hoc seculo poterit peruenire. Verum adhuc duobus modis maculata est Ecclesia. Nullum enim est ipsius membrum adeò purum aut perfectum, quod multis adhuc vitijs circumseptum non sit. Fideles igitur omnes, quandiu licet versantur, semper immunditiam aliquam habent, quæ in eorum carne residet, ut tota Scriptura testatur, ac præsertim Paulus ad Romanos septimo. Quòd ad hanc immundicie speciem attingit, etiam si Ecclesiam, quàm optimè fieri posset, administratam haberemus, tamen euitare non possumus, quin à Domino nos ablui necessesit, & ipsius misericordia nobis peccata nostra remitti. Sequitur alterum genus

immundiciei, quo Ecclesia maculata est. Bonorum gregi semper admixti sunt hypocritæ, qui sordibus suis totum cœtum inficiunt. Nonnunquam etiam admixti contemptores Dei, vitæ dissolutæ, & flagitiosæ: aut qui sibi cauebunt, ne reprehendantur ab hominibus, sed interim ostendent se nullo Dei timore, nulla reuerentia tangi. Hæc pollutio excommunicationis disciplina tollenda est, & in eo quanta fieri potest diligentia elaborandum. At multæ reperiuntur Ecclesiæ, quæ in eo malè officio suo defurguntur, vt ab eiusmodi sordibus sese repurgent. Aliæ, quæ studium & diligentiam adhibebunt, tantum efficere non poterunt, quin magnus iniquorum numerus impunitus maneat: quoniam hypocritarum malitia sæpe occulta est: aut saltem non ita detegitur, vt aduersus eam ferri sententia possit. In summa igitur, teneamus quod Dominus noster ait, ad finem vsque mundi permultas herbas nociuas tolerandas esse, ne si omnes velimus euellere, simul quod boni tritici erit, vnâ perdamus. Quid desyderamus plura? Dominus, vt probaret suos, huic miseris obnoxiam reddere Ecclesiam suam voluit: nempe, vt boni perpetuò essent admixti malis. Subeunda igitur est hæc conditio.

Et sanè sic agendi optima nobis ratio constat. Id enim honoris nos sacrosancto Dei verbo sanctisque eius Sacramentis deferre par est, vt vbicumque annuntiarî hoc verbum videmus, atque ex regula, quam nobis prescribit, purè Deum adorari, reiecta omni superstitione administrari Sacramenta, illic sine vlla controversia Ecclesiam Dei esse concludamus. Alioqui quid dicemus? An hypocritarum aut contemptorum Dei nequitia, dignitatem & virtutem verbi Dei & Sacramentorum abolere potest? Fateor quidem disciplinam ad Ecclesiæ substantiam requiri: quòd ad id attinet, vt ritè ordinetur, siquæ recta administrandi ratio & politia desit, veluti si excommunicatio non sit in vsu, tantundem de eius specie detractum iri, vt sit quodammodo deformis. Sed non propterea dicendum eam omnino dirutam esse, neque adificium amplius vllum manere, cùm doctrinam retineat, in qua fundata est Ecclesia. Prætermitto quòd eo posito, nullius rei habendam esse rationem quam hominum morumque, sæpe tamen falli possemus, cœtum aliquem improbandum, cùmque æstimando, propter sua vitia, Ecclesiæ nomine indignum. Accidere enim sæpenumero posset, vt probris & sanctis viris fieret iniuria, quorum numerus inter improbos sic latet, vt tritici grana sub paleis occultantur. Præterea cogitare debemus, nonnullos qui vitijs laborant, sibi nihilominus in ipsis displicere, & cum vera pœnitentia cupere si se ex eis eripere, vt integritate maiore Deum colant. Hoc etiam animaduertendum, seuerius esse ac durius, aliquem ob vnicum delictum reijci. Adde quòd natura nostræ ea est prauitas, vt tum ad malè suspicandum sit procliuus, tum ad temerè iudicandum, antequam res bene perspecta sit. Quamobrem eò diligentior cautio à nobis adhibenda est, ne hic impingamus. Verùm, vt dixi, perperam à nobis fieret, si hominum tantum rationem haberemus. Tanti enim facere debemus verbum Dei & Sacramenta, vt vbicumque viderimus ea, ibi Ecclesiam Dei esse certò sciamus, quamuis errores & vitia in communi hominum vita reperiuntur. In summa, cùm queritur quid sit Ecclesia, meritò iudicium Dei nostro præferendum est. Anabaptistæ verò, vt ostendimus, iudicio Dei acquiescere non possunt.

Alterâ quæstio in hoc articulo est, Cùm excommunicationis ordo non est in aliqua Ecclesia constitutus, vel in eo quo decet vsu non est, an propterea nos ab ea se-

ea segregari oporteat, nec liceat in ea Cœnam recipere? Anabaptistæ aiunt, v-  
 bicunque mali non excluduntur à communione, illic Christianum communican-  
 do sese polluere. Nos è diuerso dicimus Christianum tmœstia affici debere, cum  
 sacrosanctam Cœnam pollui videt ab iniquis & improbis, qui ad eam admittun-  
 tur: & curare quantum in ipso est, ne id fiat: quod si fiat, ipsi tamen sese priua-  
 re Cœna, & à communione subducere, non licere: debere potius in eo persiste-  
 re, vt quandiu in eo loco agit cum cæteris, Deum adoret, verbum audiat, Cœnam-  
 que recipiat.

Proferant Anabaptistæ authorem suum, vt sententiam suam probent. Nos  
 enim nihil omnino asserimus, quàm ex Prophetarum & Apostolorum sententiâ.  
 Videmus quæ vitia in Ecclesia Iudaica Prophetæ reprehendant: aut potius cõtra  
 quas abominationes vociferentur. Neque verò reprehensiones illæ competunt in  
 vnum genus hominum: sed palàm denuntiant à primoribus ad plebem vsque, à sum<sup>Ier. 1.</sup>  
 mis ad infimos omnia sic corrupta & deprauata fuisse, vt vix vnicũ mèbrum sa-  
 nũ reperiri posset. Hæc enim sunt ipsorum verba. An verò propterea desierũt cum  
 populo iniquo & peruerso conuenire, vt adorarent Deum, vt offerrent sacrificia,  
 vt audirent doctrinã Legis? An seorsum Templum aut altare extruxerunt, vt pu-  
 ra Ecclesia potirentur? Si polluitur fidelis, quod in precibus cum iniquis cõmunicet,  
 in audienda doctrina, in Sacramentis recipiendis: Prophetæ omnes polluti fuerunt,  
 ac veluti duces, qui cæteros exemplo suo in exitium ducebent. Nunc ad Christum  
 Dominum nostrum & ipsius Apostolos veniamus. Primum, scimus qualis eo tem-  
 pore fuerit Ecclesiæ Ierosolymitanae status. Tamen cum cæteris Dominus Iesus  
 circumcidi voluit. Deinde, purgationis die ad Templum afferri, vt ex solito more<sup>Luc. 1.</sup>  
 Deo offerretur. Si allegent, sancti viri manibus susceptum fuisse: respondeo, id to-  
 tius Ecclesiæ nomine factum: quæ tamen spurcitiâ multa & abominandis vitijs  
 scatebat. Si rursus obijciant, infantem fuisse, nec ab eo propriè facta: respondeo,  
 ita infantem fuisse in humana natura, quã à nobis acceperat, vt interim providen-  
 tia sua diuina regeretur, qua nunquam fuisset se vlla actione contaminari, quæ fi-  
 liorum Dei puritati repugnaret. Quinetiam vir factus, ac quod amplius est, cum  
 prædicaret verbum Dei, & officio suo fungeretur, eam viam persequutus est vsq;  
 ad extremum diem vitæ. Si offenditur Deus ab eo qui precandi & testificandæ fi-  
 dei suæ gratia in cœtum aliquem ingreditur, à quo scelerati non arcentur: quid sibi  
 voluit Dominus noster, quale exemplum præbuit, cum Tẽplum Ierosolymitanum  
 ingrederetur, vt vnà cum Scribis, & Phariseis, & populo tunc perditissimo sacra  
 faceret? Protinus, sat scio, excipient, Christum in Templum non ascendisse, nisi vt  
 vitia & scelera reprehenderet, quæ tum admittebantur: non vt cum eorum sacri-  
 ficijs & cæteris testificationibus fidei participaret. Verùm falsam esse hanc solu-  
 tionem, facile est monstrare. Non abs re dicit Paulus eum subditum Legi fa-<sup>Gal. 4.</sup>  
 ctum (de Christo semper intelligo) vt ab eius seruitute omnes, qui ei subiicieban-  
 tur, redimeret. De ceremoniali Legenominatim verba facit. Cum igitur ad Tem-  
 plum ac præcipuè diebus festis & sollemnibus accedebat, quannus eò veniret, vt  
 meliorem promouendi Euangelijs, & corrigendis impiorum vitijs, occasionem  
 nancisci posset: tamen non desinebat sese Legis obseruatorem ostendere, quæ  
 Lege iubentur faciens, veniens in Templum adorandi & sacrificandi causa.  
 Quod ipse ore suo confirmauit, cum Samaritanam conueniret. Loquens enim

ioan. 4. ex omnium Iudæorum persona, ait: Scimus id quod adoramus: at vos, quod adoratis, nescitis: quia salus ex Iudæis est. Haud certè ab illis se segregat, cum loquitur de adoratione, qua etiam sacrificia continentur, verum sese redigit in communem ordinem cæterorum. Id quod ratio ab eo adiuncta, magis etiam confirmat: nempe, quia salus ex Iudæis est. His enim verbis nihil aliud intelligit, quàm cultum, qui Ierosolymis exhibebatur Deo, ipsi gratum fuisse, tantum ob fœdus, quod cum populo illo inierat. Ex quibus perspiciamus, eum qui Sacramentis à Deo institutis cum iniquis communicat, ipsorum congressu non pollui, modò ipse crimine vacet, puraque conscientia sit præditus.

Idem Apostoli, Magistri sui exemplum sequuti, fecerunt. Verum ne prolixiores simus, quàm par sit, Paulo vno contenti simus. Omitto quòd quæcunq; in locum veniret, sine ulla difficultate in Synagogam Iudæorum ingressus est, ut oraret Deum, & de Scriptura tractaret. Omitto etiam, quòd ei religio non fuit sese in Templo exhibere, ut ibi Deum adoraret, & ceremonijs legitimis vna cum reliquis vteretur: quanuis summa esset Sacerdotum & Scribarum, qui tum illic erant, improbitas & nequitia. Non quòd illa ad rem non faciãt: sed quia clariore probationum genere, quæ calumnijs minus eludi possunt, non caremus. Nempe, quòd conuerteritur eos qui ipsum adiuvare debuerant, Christi honore & Ecclesiæ propagatione posthabitis, priuatis cõmodis suis studuisse. Neq; tamen legimus ipsum, ne polueretur, se ab eorum cœtu segregasse. Item, cum vitia illa horrenda, quibus Corinthij & Galatæ laborabant, reprehendit: non vetat eos qui puri sunt & immunes, ullam cum cæteris communionem habere, quoad bene purgata fuerint omnia: sed tantum adhortatur, ut vitia, quæ, suo quæque loco, reprehendit, corrigant: nulla mentione facta de eiusmodi segregatione, qualem isti fanatici introducere volũt.

Quid verò necesse est ad eò disputare? cum Apostolus ipse alio in loco tractans, quo quisque modo præparari debeat ad recipiendam, ut decet, Cœnam Domini, non iubet vnumquemque proximi sui vitia examinare: sed ita loquitur, 1. Cor. II. Probet se ipsum homo, ac sic de pane illo edat, & de calice bibat. Nam qui edit & bibit indignè, iudicium sibi ipsi edit & bibit. In quibus verbis duo sunt obseruanda. Primum, indignè panem Domini edere, non esse cum ijs qui indigni sunt communicare: sed non ritè præparare se ipsum, nec expendere fidem propriam & pœnitentiam. Alterum, cum Cœna recipienda est, ne initium faciamus ab alijs, quo examinemus ipsos, sed nosmetipsos probemus. Et certè, si accuratè considerentur omnia: qui ita otio abundant, ut inquirent in alios, sæpius in re sua sunt negligentes & obliuiosi.

Hominem noui adhuc superstitem, qui hoc errore detentus, quòd vereretur nobiscum, propter quorundam vitia, Cœnam sumere, sese Ecclesiæ communionem priuabat: interim domi duos habebat famulos vitæ flagitiosæ & dissolutæ. Quod cum intellexissem, eum commune faciendum curavi (quoniam eo tempore mihi auscultare noluisset) meritò cogitare ipsum debere de purganda domo sua, quæ ipsi commissa erat, cum se pollui existimaret eorum vitijs, qui ad eius administrationem nullo modo pertinebant. Tum stultitiam ipse suam animaduertere cœpit, ac veluti castigationem à Deo missam agnoscere, qua suam illi arrogantiam exprobraret. Ita se & Ecclesiæ & mihi reconciliauit: agnoscens hoc esse primũ, ut de nolis ac familia nostra cogitemus: deinde habeamus cæterorum rationem: non ut in



eorum odium, quòd non ita, vt decet, se gerant, nos subducamus ab Ecclesia: sed vt corrigamus eos, ac, si fieri potest, reducamus in viam, aut eijci curemus. Sin minus commendemus Deo, vt in meliorem statum redigat omnia.

Obijci poterit, Paulum eadem Epistola acriter reprehendere Corinthios, quòd in eorum cœtu vitia non punirentur excommunicatione: atque adicò prohibet ne cum fornicatoribus, ebriosis, deceptoribus, idololâtris, & eiusmodi hominibus versentur. Cui obiectioni respondeo, vitium in Ecclesia valde reprehendendum esse, cum delictis nulla correctio adhibetur. Imò verò aio, sæpe accidere posse, vt Dominus hanc solam ob culpam, in populum vniuersum animaduertat. Quamobrem, nequa Ecclesia adhuc ista excommunicationis disciplina carens, sibi aduletur, quasi leuis culpa sit nullum eius vsu habere: sed potius vnaquæque sibi prospiciat, detque operam, vt erigi & status possit. Similiter, priuatus quisque se in eo impendat, & ei restituendæ, quam qmimo poterit, operam nauet. Sed non propterea dicendum, iustam esse causam priuato cuique sese ab Ecclesia abalienandi, quoties rerum status ipsius voto minimè respondebit. Notare enim debemus hanc politiam non esse in vnius membri potestate: verum ex totius corporis consensu exercendam esse. Idcirco Paulus non speciatim singulos compellat, vt seorsim vitium cuiusque culpæ hoc assignet: sed totum corpus in simulat.

In summa, quòd ad Ecclesiæ communionem attinet, demus operam, vt membra putrida, aut contagione infecta, omnes scilicet, qui flagitiosam & dissolutam vitam degunt, abscondantur. Quid autem in nobis sit, ipsi consyderemus: cumque funclii sumus officio nostro, si nequeamus assequi quod volumus, quòdque vehementer optandum esset, reliqua commendemus Deo: vt quemadmodum ipsius est opus, ita manum admoueat. Interim, etsi meritò tristes simus, quòd Ecclesiam nondum ritè ordinatam & in integrum restitutam intuemur, feramus tamen vitia, quæ emendare non possumus. Quòd autem vetat Paulus cum ijs cibum sumere, qui vitæ sunt dissolutæ, id ad priuatam consuetudinem pertinet, non ad publicam communionem. At, dicet aliquis, si homini Christiano non liceat cum scelerato versari, corporei victus percipiendi causa, multò minus panem Domini cum illo sumere licebit. Respondeo, in libertate nostra & facultate positum esse, an familiariter versetur cum sceleratis. Quo fit, vt vnicuique sit ab eo abstinendum. At non est ita in arbitrio nostro positum, an Cœnam recipiamus, necne. Itaque diuersa est ratio. Notemus ergo, si Ecclesia hominem indignum ferat & toleret, probè facturum eum qui talem nouerit, si ab eius consuetudine abstineat, idque, quoad poterit, facere debere: modò ne schisma vllū aut separationem in Ecclesiæ communiōne inducat.

De excommunicationis materia, quantum locus hic requirebat, tractatum est. Tantum obiter omnes veritatis studiosos monitos velim, eius quod in hoc ipso Anabaptistarum articulo continetur: vt ex eo animaduertant, quantum fidei debeant reliquis adhibere: nempe, quòd aiunt hominem, qui imprudentia, non destinata malitia errauerit, posteaquam bis seorsim fuerit admonitus, publicè castigari debere, aut excommunicari. In eo, errorem vnū eis condono: quòd Dominus non vult Ecclesiam ad excommunicationem progredi, etiam cum peccator priuatus admonitiones binas neglexerit: sed vult tert.ò admoneri publicè, antequam reijciatur. Falluntur iterum in eo, quòd non consyderant Dominū eo in loco de secretis delictis

verba facere. Manifesta enim, quæ populo offensionis causam præbent, alia ratione corrigenda sunt, quàm secreta monitione. Hi duo errores facillè demonstrant, quàm præclari Doctores sint Anabaptista, quo spirituducantur ad omnia reformanda, cum vix tria verba proferre possint, quin permisceant & confundant omnia. Verùm hoc adhuc eis ignosco, vt ad eam partem veniam, quæ plus momenti habet. Cùm enim aiunt, eum qui imprudenter non sponte peccauit, significat, vt etiam apertè docent & assecurant, hominem qui sponte deliquit, nūquam veniam obtenturum. Nam, ex eorum opinione, peccatum voluntarium aduersus Spiritum sanctum committitur, cui nulla datur venia. Hanc opinionem, blasphemiam execrabilem esse dico, & delirium perniciosum, quo misera animæ in desperationem conijciuntur. Quod re ipsa in nonnullis vidi, qui per aliquod tempus ab hac infelici secta fuerant seducti. Nos quidem cogitare debemus in nobis ipsis, & alios monere rem esse non parui ponderis, Deum sponte offendere, & repugnante animi nostri conscientia aliquid admittere, quo ira Dei aduersum nos prouocetur. Quisquis ergo his vtretur vocibus: Quauis accidat nos post agnitum Deum, contra animi nostri conscientiam peccare, ea culpa facillè remittitur: nec eam tanti facit Dominus, vt magnopere torqueri nos oporteat: is repellendus esset ceu Sathan aliquis, qui talibus nos adulationibus ad Dei contemptum vellet adducere. Assiduè potius meditemur, leue crimen non esse contra sanctissimam voluntatem Dei rebelli animo & contumaci aliquid facere, iustitiam eius data opera violando: & qui id faciunt, eos nimis dissolutè abuti collata in se gratia: proinde periculum esse maximum, ne ij qui adeò habenas sibi laxat, dentur in reprobum sensum, vt in malitia obdurescant, ne vnquam conuertantur. Reuocemus etiam in memoriam cõminationes, quas Scriptura in talem ingratitude pronuntiat. Verùm postquam hæc omnia dicta & facta fuerint, non tamen conijciendi in desperationē ij sunt, quibus sic contigerit labi. Quò enim delaberemur? Vix decimus quisque reperietur, qui asserere possit, se posteaquam Deum nouit, non sponte deliquisse. An non esset Ecclesiam perdere, velle eos omnes conijcere in desperationem? At dicent sic conscientias sopiri, vt facillè assentiantur malo. Ego verò cõtrà respondeo, consopiri potius eorum animos qui sibi ita imponunt, vt putent se nunquam nisi ignorantia peccare se que adeò innocentes existimant, vt nūquam malo sint animo aut praua voluntate. Consideremus, quæso, quot modis nos tentet Diabolus. Si non opprimimur omnino, quis tamen virtute tanta præditus est, vt aliquando non defleat, nunquam aberrat: quauis sit commonefactus à Deo, & testimonium habeat conscientia suæ, quo in rectam viam reducat? Peccato contra spiritum sanctum admissio veniam nullam dari allegant. Fateor. Sed peccatum voluntarium multum differt ab eo, quod in Spiritum sanctum committitur. Is enim resistit Spiritui sancto, qui apertè repugnat veritati Dei, & obstinato animo nititur ipsam euertere, quasi Deo certamen indicere videretur. Peccare autem sponte poterit aliquis, qui tamen nec bellum aduersus Deum gerere, nec in eius verbum contumeliosus esse volet.

Sed breuiter & facillè expedietur hæc quaestio, si eius definitionem ad Deum referamus: id est, si pronuntiat is ipsius, vt æquum est, acquiescamus. Cùm enim auctoritatem remittendi peccata sibi soli reseruauit: ipsius etiam est solius definire, quæ remitti, quæ non remitti debeant. Ab initio verò in populo Iudæico instituit duo sacrificiorum quotidianorum genera: vnum pro voluntarijs peccatis:

catis, alterum pro ijs quæ ignoratiâ admitterentur, addita hæc promissione, tam prioribus quàm posterioribus se veniam daturum. Quid ad hæc miseri isti fanatici respondebunt? Pronuntiat Dominus, se remissurum fidelibus peccata voluntaria (suebant enim sacrificia pro ijs qui iam Ecclesiæ membra erant) isti verò Deo manus colligere, ac ne talem misericordiam exerceat, prohibere volunt. Si excipiant, id in veteri lege factum, aliam verò temporis nostri esse rationem, nimium frivola erit hæc cavillatio. Satis enim perspicuum est, infinitam bonitatem Dei, aduentu Christi Domini nostri haudquaquam imminutam, sed potius amplificatam esse. Præterea scimus sacrificia antiqua figuræ tantum fuisse eorum, quæ in Christo implenda erant. Cum ergo voluntariorum peccatorum remissionem sacrificia antiqua representarent, quæ domesticis fidei exhibetur, certum & perspicuum testimonium est, fideles non tantum ignorantia suâ, sed etiam delictorum sponte admissorum, remissionem per Christum obtinere. Cuius etiam rei tot habemus exempla, ut eam revocare in dubium, impudentiâ sit maximâ. Si ex veteri Testamento sumamus. Patriarcha cum in fratris necem conspirarunt, malè se agere non ignorabant. Ruben non imprudenter patris sui thorum contaminavit. Iudas satis perspicuum habebat fornicationem displicere Deo: ab ea tamen non abstinuit. David, qui fontes quotidie puniebat, non poterat errore aut imprudentiâ illud adulterij crimen admittere. An misericordia, quam Deus illis omnibus impartivit, defecit aut interijt, ut non possit ipsam eodem modo suis hodie exhibere? Sed ex veteri Testamento exempla mutuari minimè necesse est: cum ijs abundet novum. Nam Petrus antequam abnegaret Christum, hanc sententiam audierat: Qui me coram hominibus abnegaverit, illum abnegabo coram Deo Patre meo. Ignorantiæ ergo excusationem obtendere non poterat: Christus tamen ei veniam dedit. Paulus de nonnullis conqueritur, qui Thessalonica flagitiosam vitam ducebant: nec tamen desinit bene de ijs sperare: modo corrigantur, ut ad pœnitentiam adduci possint. Qui in Ecclesia Corinthiorum in flagitiosas libidines & vitæ genus ad eò dissoluta proruperant, silique ad eò placebant in vitijs suis, ut nullam admonitionem audire vellent, nonne rei erant criminis prava voluntate admissi? Non tamen desinit idem Apostolus eos ad resipiscentiam adhortari, veniam locum ipsis apud Deum relinquens. Idem legimus de Petro erga Simonem Magum. Quid plura desideramus? Dominus thesauros misericordiæ suæ aperit, etiam ijs, qui concupiscentijs suis victi, quantum mali cognitionem haberent, tamen infirmitate carnis suæ à recto deflexerint. Quis hominum miseris peccatoribus ianuam claudet? nec sinet eos gratiam, quam ipsis Deus offert, recipere? Ex his igitur perspicimus venenum lethale sub istis Anabaptistarum verbis latere: cum nullis alijs peccatis veniam dari avertunt, quàm ijs, quæ imprudenter admittuntur.

Ut autem in hoc articulo concludamus, Christianos omnes admonitos esse necesse est, quæ sint ex eo consequentia. Nam etsi facile iudicatur nimis esse severitatis, nolle vllum omnino vitium in Ecclesia tolerare: non tamen primo intuitu videmus, quàm perniciofa sit hæc opinio, quòd ea quæ consequuntur non animadvertamus. Olim duæ fuerunt hereticorum sectæ, quæ Ecclesiam vehementer turbaverunt. Quorum alteri Græco nomine Cathari, id est, Puri: alteri Donatistæ, ex primi authoris & magistri nomine appellabantur. Vtrique in eodem errore fuerunt quo isti somniantores: Ecclesiam quærentes, in qua nihil posset desiderari. Idcirco se

ab vniuersa Christianorum societate segregauerant, ne commacularetur aliorum sordibus. Porro, quid accidit? Dominus eos cum tam arroganti cœpto dissipauit. Hinc ergo moncamur cum sub specie studij perfectionis, imperfectionem nullam tolerare possumus aut in corpore, aut in membris Ecclesiæ, tunc Diabolum nos tumefacere superbia, & hypocrisi seducere, vt ad deserendum Christi gregem nos instiget: certò sciens se victoriam obtinere, cum nos inde abduxit. Cum enim nusquam alibi sit aut remissio peccatorum, aut salus, tametsi vitæ plusquam angelicæ speciem præ nobis feramus, tamen si tali audacia nos separemus à Christiano cœtu, sumus Diaboli.

TERTIV Seorum articulus, est de receptione Cœnæ: in quo nihil dicunt, quod ipsis non concedamus: imò quod non quotidie doceamus: nempe, ne quis ad sacrosanctam hanc mensam accedere audeat, nisi verè sit membrum corporis Christi, vnum Deum cum fidelibus cunctis adorans & colens, in vocatione iustæ & legitima. SED cum articulo quarto declarant, quomodo quisque se castum integrumque seruare debeat, vt adhæreat Deo: iterum omnia deprauant. Quãuis initio bonis vtantur verbis, veluti cum Papisticas superstitiones damnant, & iubent Christianos omnes ab eis abstinere. Sed venenum est in cauda, vt inquit prouerbium. Tandem enim concludunt, omnem armorum vsus diabolicum esse. Nulli quidem priuato, vsus gladij permittendus, vt obsistat malo. Nam Christianorum arma, sunt preces & mansuetudo vt in patientia possideant animas suas, Luc. 21. & bono malum vincant, iuxta doctrinam Euangelij. Vniuscuiusque igitur officium est, patienter ferre, potius quàm vi & armis vti, cum nobis inferetur iniuria: Rom. 12. sed publici gladij potestatem, quam Deus nostri protegendi gratia constituit, condemnare, in Deum ipsum blasphemia est. En Spiritus Dei per Paulum Rom. 13. pronuntiat magistratum ministrum Dei esse, in gratiam & utilitatem nostram constitutum, quo vis & furor iniquorum reprimi & impediri possit. Atque idcirco gladium ipsi datum in manu, vt flagitia & scelera puniantur. Cum Deus ea sic ordinauerit, qui sumus nos, vt audeamus ei obsistere? Adhæc cum tale præsidium nobis offerat, cur eo vti non licebit?

Præterea, ceriissimum est miseris istis fanaticis hoc esse propositum, vt improbent & damnent munitiones omnes, propugnacula urbium, armorum præsidia, cæteraque eiusmodi, quæ ad tuendam patriam spectant, atque prohibeant subditos principibus & magistratibus obedire, cum re postulante, eorum opera vti volent. Improbare autem quod nunquam improbauit Deus, nimis est, homini inquam mortali, temeritatis & arrogantia. Hoc autem perpetuò teneamus, vsurpari Dei Ier. 2. auctoritatem, cum id, quod permisit, condemnatur. Nusquam verò Scriptura mentionem facit, prohibitum esse principibus armorum vsus, aduersus eos, qui ipsis iniuria molesti erunt. Prophetæ quidem de Regno Christi loquentes, aiunt futurum vt gladij & lanceæ in ligones, & vomeres commutentur: verùm his loquendi formis nihil aliud significant, quàm bella omnia & inimicitias inter fideles sublaturum iri. Atque vtinam ita inter homines profecisset Euangelij doctrina, vt id locum haberet in omnibus. Sed cum fides & amor Dei non ita in maiore hominum parte dominantur, quin ambitio & auaritia superiores adhuc partes teneant: cum vrbs aut regio aliqua iniusto bello inuadetur ac infestabitur, tantum abest, vt princeps ad eam tuendam & defendendam constitutus, malè agat, iniquæ violentiæ obsistens,

stans, vt potius officij & muneris eius sit id præstare, neque aliter facere debeat. Princeps quidem Christianus omnes ineundæ pacis rationes inuestigare debet, atque etiam paratus esse remittere de suo, vt eam carè redimat: ita vt omnia tentet, priusquam armis: extremumque hoc remedium, quantum poterit, vitet, nec nisi inuitus ad id confugiat. Sed cum nihil omnino, quod officij sui esset, prætermisit, bellumque, quoad eius fieri potuit, semper auersatus est: si non aliter regionem sibi commissam tueri possit, extremum remedium est, vt i gladio, quem Deus ei in manum dedit. Eadem enim est ratio stringendi gladij in sceleratos, qui publicum ordinem conturbant: & eos, qui regionem aliquam iniuste inuadunt, repellendi. Quod cum accidit, si vir Christianus ex regionis instituto ad opcrã suam principi præstandam vocetur, non solum non offendit Deum, si armã capiat, verum etiam facta est ea vocatio, nec potest citra nefandã Dei blasphemiam improbari. Proinde, cum milites ad Ioannem Baptistam accesserunt, vt instruerentur, non iussit eos ab-<sup>Luc. 3.</sup> icla uocatione sua, arma deponere: solum admonuit, vt stipendijs suis contenti, ne<sup>Acto. 10.</sup> minem vexarent, ne prædarentur, sed ab omni scelere abstinerent. Petrus Cornelium baptizauit, cumque centurionem, id est, ordinis militaris ducem: nec tamen iubet ipsum militia munus vt reprobum abijcere: quinimo visibiliter accepto Spiritu sancto, militia munus exercere nõ desinit. Vt finem orationi huic imponamus: si medium tenere velimus in reprehendendis vitijs, quæ armis coniuncta sunt, ne omnino damnemus eorũ usum, cum auctoritate principis, pro patriæ defensione, suscipiuntur: cum princeps nulla alia ratione quàm bono publico patriæ ducitur: populus verò nihil aliud cõsiderat, quàm vt id præstet quod est officij sui: sed sceleratas animorũ libidines, quibus bella suscitãtur, reprehendamus: damnemus crudelia facinora, rapinas, effrenatam violentiam, direptiones, vastationes, depopulationes, aliãque grauia & horrenda scelera, quæ in ijs admitti solent. Sed bonum malo commiscere, vt sine discrimine simul vtraque damnentur, omnino non conuenit.

**QVINTVS** Articulus est de Pastoribus, in quo consilium quodãmodo suum immutarunt. Prius enim delirium hoc mentes eorũ omnino perstrinxerat, vt putarent eos aduersari Deo, qui pastores certis locis præstitui uellent: atque censebãt, õnes qui ad hoc munus vocabãtur, huc illuc discurrere debere, quasi Apostolorũ simias, non veros imitatores. Hæc porrò philosophia inde manabat, quod serio cuperent fideles ministros sibi cedere, vacuumque locum sinere, quod liberius venenum suum ubique effundere possent. Nunc verò, siue agnoscant errorem suum, siue plus sibi priuilegij arrogant, quàm ceteris uelint concedere, in hoc cum eis consentimus, nullam Ecclesiam posse absque ministro statum suum retinere, atque ideo in omni congregatione pastorem constituendum: modò etiam agnoscerent, ubicũque minister rite constitutus est, ac fideliter munere suo fungitur, vnumquenque, qui pro Christiano haberi uult, debere ei adherere, & cum reliquo grege, ipsius ministerio frui. Sed quid agunt? Quia eorum erroribus obsecundare nolumus, quãuis purè annuntiemus uerbum Dei, nos tamen pro lupis rapacibus habent, nõsque ita abominantur, vt credant se facinus morte dignum admissuros, si uel vni nostræ concioni adfuerint. Dehinc, subitos ministros creant, & momento vno factos, vt diuellant Ecclesiam, populum distrahant, cõtusque ineant inter se contrarios: ne Dei nomen, vno omnium consensu, & ea quæ decet concordia inuocetur.

INSTRVCTIO  
ARTICVLVS VI. DE  
Magistratu .

Concedimus gladium esse ordinatum à Deo, extra perfectionem Christi. Itaque principes & superiores huius seculi constituti sunt ad puniendos fontes, & morte mulctandos. Sed in perfectione Christi, excommunicatio extrema poena est, sine morte corporali.

REFV T A T I O.

*Animaduertendum hinc moderationem esse ab ipsis adhibitam: vt corrigere-  
rent ea quæ prius dixerant: quoniam pro sua absurditate videbant ab omnibus  
reijci. Hoc enim honoris principis & magistratui deferebant, vt eos haberent  
pro prædonibus. Sed cum viderent hoc nullo modo tolerari posse, consilium eis fuit  
hoc sensim & leniter sub hoc specioso colore retrahere: nempe terrenam domina-  
tionem, Dei ordinationem esse, extra perfectionem Christi. Hoc autem verbo si-  
gnificant munus esse Christianis omnibus vetitum ac illicitum: vt ipsi etiam po-  
stea declarant. Nunc expendamus an Christiana religio cum magistratu aut prin-  
cipatu conuenire non possit: ad id vt qui ad vnum vocatur, cogatur se altero abdi-  
care. Primum quero, si munus sit fidelium vocationi contrarium, gladij potesta-  
tem exercere, aut principatu aliæ dominatione fungi, quomodo in veteri Testa-  
mento Iudices, item boni illi Reges, Dauid, Ezechias, Iosias, atque etiam nonnulli  
ex Prophetis, veluti Daniel, ijs vsit sunt? Nec enim vlllo modo conuenit, vt dica-  
mus id vitiosum in ipsis fuisse: cum Spiritus sanctus testetur Iudices à Deo susci-  
tatos, vt per eos populus liberaretur: idque præcipue in Moyse perspicuum est, qui  
cum nominatim commone fungi iuberetur, libenter tamen recussasset. Sed vt mo-  
rem geueret Deo, hoc munus suscipere ei necess: fuit. Dauidis verò regnum, Deus  
non solum approbavit, sed etiam laudibus extulit, & ornauit titulis magnificis.  
De eius successoribus, cum eadem sit ratio, idem censendum est. Nullum igitur su-  
perest istis omnis ordinis hostibus subterfugium, quàm vt dicant maiorem à Do-  
mino perfectionem in Ecclesia Christiana, quàm olim in populo Iudaico requiri.  
Hoc quidem verum est, quòd ad ceremonias attinet. Illud falsum, nos aliam viuendi  
regulam habere quàm veteres, quòd spectat ad legem, quam moralem vocant.  
Qui hoc cogitarunt, cœperunt occasionem ex quinto capite Matthæi, vbi prima  
fronete videtur Dominus quædam ad ea quæ prius populo mandauerat, adiungere.  
Sed si bene diligenterque consideremus ea quæ continet lex Moysis, & collatione  
facta, alterum alteri comparemus, perspicemus id non fuisse consilium Domini,  
aliquid addere: sed veram legis intelligentiam, quam Rabini falsis interpretatio-  
nibus deprauarant, restituere in integrum. Hoc ergo apud nos firmum ratumque  
sit: Quòd ad veram iustitiam spiritualem spectat, id est, vt fidelis bona sit consciencia  
præditus, sitque integer coram Deo tum in vocatione sua, tum in operibus, nos  
plenum atque integram declarationem habere in lege Moysis, quam nos simplici-  
ter sequi oportet, si rectam viam tenere velimus. Quisquis ergo ei addit, aut de ea  
imminuit,*

imminuit, terminos transgreditur. Sic argumentum hoc certissimum atque omni dubitatione vacuum erit. Nos cum eundem colamus Deum, quem olim veteres illi patres coluere, & eadem nobis quæ olim ipsis lex & vita norma proposita sit, quæ docet quomodo unusquisque se gerere debeat, ut recte ambulet coram Deo: consequens est, vocationem, quæ tum ut sancta & legitima probata est, non posse inter Christianos improbari. Vocatio enim præcipua pars est humanæ vitæ, & quæ plus momenti habet coram Deo. Concludendum ergo ciuilibus iustitiæ munus neque à nobis abdicandum, neque ab Ecclesia Christiana reiiciendum esse, cum Dominus id in populo Iudaico instituerit & approbarit: cum præstantiores è seruis suis atque etiam Prophetas eo fungi voluerit.

At fortasse obijcient administrationem illam ciuilem, regni spiritualis Christi figuram fuisse: ac propterea usque ad ipsius aduentum solum durasse. Fateor quidem ex parte fuisse umbram ac figuram: sed nego, nec absque ratione, nihil aliud quam figuram fuisse. Fuit enim per se ciuilibus administratio, qualis in alijs populis requiritur. Quod ita esse satis demonstratur ex eo quod dicitur de sacerdotio Leuitico: nempe finem accepturum & abolitum iri aduentu Christi. Vbi de politia externa vnquam dictum fuit? Sceptrum quidem auferendum, & tollenda administratio de tribu Iuda, & domo Dauidis: at nullam omnino administrationem fore, id Scripturæ apertissimè repugnat.

Verum ad eximendum penitus hunc scrupulum, probatione clariore & manifestiore non caremus. Cum Prophetæ loquuntur de regno Christi, aiunt venturos reges adoratum ipsum, atque pro Domino agitur: non dicunt sese abdicaturos suo munere ut fiant Christiani: sed potius ut in regia dignitate locati, Christo tanquam summo Domino se subijciant. Exinde Dauid ipsos monens ut fungantur officio suo, non iubet eos sceptra aut diademata abijcere: sed tantum Filium ex seculari, id est, honoris & fidelitatis signum exhibere, quo sese ei submittant cæteris dominando. Certum est de regno Christi verba facere. Reges ac principes monet, ut sapiant, sibi que prouideant. Qualis verò hæc sapientia est? Quæ ratione ipsus instituit? An docet, ut abijciant omnia? Minimè: sed ut timeant Deum, eiusque filio honorem exhibeant. Quinetiã prædixit Iesaias, reges Ecclesiæ Christianæ nutritios fore: reginas veluti nutrices uberebus suis eam lactaturus. Quæso, qui possunt ista conuenire, ut reges tutores sint Ecclesiæ Christianæ, nec tamē possit eorum munus cum religione Christiana consistere? Si Dominus ipsis vel locum tantummodo inter populum suum dedit, ut Prophetis, qui ipsos antecesserunt, iam illud ad probandam nostram sententiã abunde sufficiet: nunc verò, cum tam honorificam sedem eis assignet in cœtu populi sui, hoc inquam honoris eis tribuit, ut tutores Ecclesiæ suæ ipsos constituat, quantæ impudentiæ est ipsos inde omnino excludere? Cōcludamus ergo principes, qui Deo inserviunt, Christianos esse posse, cum Dominus talem eis eminentiam & dignitatem in Christiana republica tribuit.

Itaque nimis absurdum esset talem vocationem tanti fieri, atque ita extolli à Deo, si hominem Deo seruire prohiberet. Paulus vnumquëque Christianorum hortatur, ut in ea vocatione permaneat, in qua fuerit vocatus. Omnes opiliones, bubulci, agricolæ, opifices, cæterique eiusmodi, munus suum sanctum existimare debent, nec Christianæ perfectioni impedimento esse. Nunc videamus utrum vitæ genus magis à Deo probetur, pastoris ne pecudum, an hominum gubernatoris: nec probetur jo-

lūm, sed etiā tanquam dignius præstantiūsq̄ cæteris laudetur. Multa Scripturæ testimonia non aliena ab hoc proposito, breuitatis causa prætermitā. Vnum enim sufficiet pro omnibus. An maiorē alicuius muneris laudē desyderamus, quā cum ex ore Dei ipsius, diuinum appellatur? Si titulus hic principum muneri datus est à Deo, quis audebit homine fideli indignū dicere? Sed adhuc maiora audiamus. Dominus tantū tribuit principibus, vt ipsos vocet Deos, nō personarū ratione, sed propter officij dignitatē. Rationē reddit Christus ipse: quoniā cōstituti sunt à Deo, qui tale munus ipsis mādauit. Nō mihi quidē videtur Dominus locupletius testimoniū dare posse, quo genus aliquod vitæ probet, quā cum nomē suum homini, quē in eo cōstituit, cōmunicat, ac si vicariū suū, qui personā ipsius gerit, vocaret. Quāobrem cōcludo, omnes qui hanc vocationem, quā Deus ad eō honestauit, contēnunt, in cœlestē ipsius maiestatem blasphemos esse. At responde bunt minimē à se contemni, cum perfectione Christiana inferiorē faciunt. Ego verò nihil contumeliosius dici posse affirmo. Cum enim Christiana religioni non conuenire aiunt, vt profanam reijciunt. Speciosos colores nihil moror, quibus blasphemiam suam tegere volunt, cum dicunt esse ordinationem Dei. Tota enim controuersia in eo sita est: sit ne munus sanctum, quod à fidelibus exerceri possit: an qui sese ei admiscet, polluatur. Aiunt autem omnes qui in tribunali sedēt, indignos esse qui habeantur pro Christianis, propterea quod gladij munus, in Christiana republica locum non habeat.

*Ioan. 10.* Etiam si nihil esset præter id quod ait Paulus, id inquam vnicum satisficere potest ijs, qui rationi acquiescere volent. Pronuntiat enim, principes ministros esse Dei, atque gladium ipsis à Deo in manum datum, vt conseruetur boni, mali verò puniantur. Hoc miseri isti fanatici commento deprauant: constitutos quidem esse à Deo, sed fidelibus eo munere fungi non licere. Perinde ac si quis diceret: Fateor opus hoc à Deo mandatum esse, à nemine tamen illa conscientia effici posse: quinimò quisquis efficiet, abnegabit Deum. Quis, an is, cui vel sola cerebri vnicia superesset, ita loqueretur? Sed huic vnica rationi respondeant. Cum nullo modo dubitent vniuersas artes vtilitati generis humani destinatas, licitas & sanctas esse: cur ex eo numero principū vocationē excludūt, quæ reliquas omnes exuperat? Vt exēpli gratia: Sutores aut cerdonem Christianum esse posse non negabunt: cum tamen hæc opificia nullū habeant expressum testimoniū à Scriptura. Cur igitur nō eodem modo sinunt Christianū magistratu fungi, cum munus hoc Dei ipsius ore cum summa laude probetur? Deus pronuntiat principes & magistratus omnes ministros suos esse, & à se cōstitutos bonorū & innoxiorū tutores, ac vindices malorū: cumque fungūtur suo munere, eos negotiū suum, id est, quod ipsis delegauit, agere testatur. Quis verò fanaticos istos eō adigit, vt hoc addant: magistratus, dū seruiūt Deo, arceri à cæteris Christianorū? Quod de canū lanione, vt fatētur ipsi, nō diceretur.

*Rom. 13.* Vnicum adhuc locum citabo, deinde finē faciā. Cum Paulus videret sui tēporis principes, vt plurimū Euāgelij hostes capitales esse, idque fideles posse indignè ferre, ac minus bono erga ipsos esse animo: Timotheo præcipit, vt nihilominus preces pro ipsis in Ecclesia solennes fiant: Addita hac ratione, quod Deus velit omnes saluos fieri, & ad veritatis cognitionem venire. Non intelligit Deum velle mortales ad vnum omnes, nemine excluso, ad salutem, sicq; ad Euāgelium suum adduce re. sed omnes vitæ cōditiones & status: quia status principum reieclus à Deo & maledictus videri poterat, eò quod omnes Euāgelium infesto animo persequeren



tur. Quod si ita fuisset, superuacaneum erat ac stultum pro eis rogare. Nunc exijs Apostoli verbis quod aperte elici potest, colligamus. Si Deus velit principes ad cognitionem veritatis adducere, qua auctoritate Anabaptista ipsos repellent? Si quis respondeat, principes posse ad Deum conuerti sed abiecta sua dignitate, nimis aperta calumnia est. Nec enim dicit Paulus, ipsos abnegaturos principatum suum, vt fiant Christiani. Quinimò, verba quibus vititur, nullo modo possunt cum eiusmodi tergiversatione conuenire. Nam si principem oporteret dignitatem à se abdicare, vt fieret Christianus, sequeretur munus illud, vt reprobum atque indignum, Dei gratia destitui.

Verum vt ab Ecclesia cõmunionem & omni salutis spe, reijciãt principes, rationes inexpugnabiles se habere putant, dum locos aliquot perperam à se intellectos adducunt, quos eò impudenter detorquent. Primum allegant Dominum Iesum <sup>Ioan. 8.</sup> non constituisse, vt mulier qua fuerat in adulterio deprehensa, lapidibus, quemadmodum lex Dei iubebat, obrueretur: sed misericordia vsus erga ipsam, dixisse: Abi, ac noli amplius peccare. Priusquam respõdeam, hoc eos rogabo. Aiunt enim excommunicationem in gladij locum successisse in Ecclesia Christiana, ita vt crimen, quod olim morte plectebatur, nunc sit excommunicatione puniendum. Quæro igitur, quomodo Christum facti sui excusabunt? Ipsorum enim regulam minime obseruauit, quòd non magis à sancta congregatione ablegauerit mulierem illam, quàm morte damnauerit. Hinc iam perspicitur, vt cerebro careant. Nunc ad veram solutionem venio, quæ facillima est. Notandum est miseris hæc bestias in huius loci interpretatione sacerdotes Papisticos sequi, qui nefandas libidines suas, eo tutati sunt. Quòd enim interdictum ipsis esset matrimonium, id impunè scortãdi licentiã cõpensari voluerunt. Ita sibi mutuati sunt vxores vicinorũ. Ne verò tã graue adulterij crimẽ videretur, nos, quantum ad id spectat, sub lege gratiæ esse dixerũt. Nec ferè in vlla alia re gratiã Christi agnouerũt, quàm vt impunita sinãtur adulteria. Miseri isti homines, vt iam dixi, illos sequuntur: id is euenit quod sententiã suã protulit Christus: Cùm cæcus cæcum ducit, ambo in foueã cadunt. Est autẽ certissimum, Christum de ordine & administratione ciuili nihil immutare voluisse: cui derogare nolens, eo officio functus est, cuius gratia in hunc mundum venerat: nempe, vt peccata remitteret. Nec enim missus est à Deo patre, vt iudicis terreni officium exerceret: sed vt morte sua redimeret mundum, & prædicatione Euangelij, gratiã huius redemptionis, beneficiorumque omnium, quæ per ipsum recipimus, testimoniũ daret. <sup>Luc. 23.</sup> Quemadmodum videmus eum promittere latroni, se recepturum ipsum in Paradiso: qui tamen scelerum suorum pœnam ferre non desinit. Eodem igitur modo adulteram liberat, & latronem. Sed latro punitur iudicum sententiã: adultera verò impunè euadit, quòd iudices pud facti sese subducunt. In summa, quod Dominus noster Iesus Christus in adulteram fecit, non est aliud, quàm quod hodie ferui ipsi, ministri verbi, agunt in omnes scelestos. Iis enim solùm exhortandus operam dabant, vt resipiscant, & pœnitentiã ducti, redeant in viam: deinde conscientias eorum consolabuntur, oblata, Iesu Christi gratia, & de peccatorum remissione certiores reddent. Hoc verò minime sibi sument, vt puniant delicta: nec enim ad eorum manus id pertinet. Sed interea iudices manum iniicere non vetabũt. Caput rei est, vt officium Domini nostri Iesu Christi intelligamus: sic enim difficultate omni expediemur. Eius officium est peccata remittere, & sermonem suum ad pec-

catorum cōscientias destinare. Corporum verò punitionem non attingit: sed illis hoc relinquit, qui ea autoritate præditi sunt: quibus id muneris est delegatū. Vt ipse alio loco dicit: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Ex eodem ignorantia fonte manat, quod secundo loco allegant. Christus, aiunt, noluit inter duos fratres familia herciscunda arbiter esse. Sequitur ergo nullum Christianum debere se controuersus ciuilibus admiscere, ut de ijs iudicet. Primum, Christianus permittit Paulus, quod Christus eo in loco recusauit: ut scilicet lites & iurgia, quæ propter fortunas accident inter fideles, amicè componant. Postquam enim Corinthios reprehendit, propterea quòd litigarent coram Ethnicis iudicibus: atque ea occasione blasphemaretur nomen Dei: simul monet quanto præstet controuersus dirimere bonorum virorum arbitratu: atque ex ipsis fidelibus iudices eligere, qui præsent litibus decidendis. Quinetiam hoc argumento utitur: cum simus Angelos iudicaturi, rebus terrenis iudicandis, multo magis idonei sumus. Si exemplo Christi iudicia & arbitria omnia à nobis recusanda essent, perperam ageret Paulus, qui nos ad ea suscipienda vellet adducere. Minime verò dubium est, Spiritum sanctum per os ipsius loquutum esse. Ita que, perspicuum est, quomodo vertiginosi isti Deum blasphemant: dum, id quod ipse approbat, condemnare volunt. Præterea, si non liceat homini Christiano sese dirimendis controuersis admiscere, quæ ad prædia, possessiones, & reliqua bona spectant: à bonis istis doctoribus quero, quid mundo eueniet? Nam fieri non potest, quin dum inter se contrahunt homines (quod ad communem statum retinendum necesse est) accidant sæpe dubitationes, quæ interpretem ac diremptorem, siue iudex sit, siue arbiter, desiderant. Si dicant inter Christianos minime id euenturam, delirium est: cum etiam duo boni viri, quæ naturæ nostræ est infirmitas, in controuersiam aliquam incidere possint. Vt in causa nostrâ ipsi cæci sumus, vterque æquum tueri se existimabit. Si vir Christianus nolit eam cōtrouersiam attingere, ut arbitrio suo eos conciliet, quam tandem cōfusionem accidere necesse erit? Hinc facile est perspicere, miseros istos fanaticos nõ aliò tēdere, quàm ut cōturbent omnia, & talem bonorum cōmunionem inducant, ut qui ad se rapere poterit, is laudetur: quantum id vehementer n̄ gent. Sed iudicia & arbitria tollantur è mundo, ut ipsi volunt, & ardè iubent: quid eueniet, nisi atrociorum summa licentia & impunitas? Aut certè cuperent principibus & magistratibus omnibus persuadere, ut cedant loco suo, quò succederent ipsi, & tanquam in vacuâ possessione irrumperent.

Quid igitur, inquit? An Christus sanctū & piū opus recusasset? Audiamus eius responsum, & quæstio soluta erit. Quis me, inquit, constituit iudicem aut diuisorem inter vos? Non dicit rem illicitam esse: sed tantum se in ea vocatione minime constitutum. Et certè obscurasset officium, cuius gratia in hunc mundum venerat, si se negotijs illis admiscuisset. Quare, si quam ex eo exemplo utilitatem colligere velimus, ut ipsum sequamur: sumenda est regula, quam præscribit Paulus: ut vnusquisque munus ad quod vocatus est, videat: & quoniam vnum corpus in Domino sumus, ne quod oculi est, brachium vsurpet: aut manus, quod est pedis. Atque ut paucis concludamus: quero, nõne licitum est inter Christianos familiam herciscere? vel an omnia confusa & permixta esse oportet? Si enim prædia diuidere & partiri liceat, qui se huic negotio interponet, nihil reprehensione dignum admittet, modò scilicet, in eo sit munere constitutus.

Adhuc alio argumento utitur isti ordinis & politia hostes. Christus, aiunt, se recepit

recepit in montē & abscondi, cum populus eum in regē creare vellet. Sequitur ergo, Christianum si ad magistratus functionē eligatur, nullo modo accedere: sed, Magistri exemplo longissimē aufugere debere. Me fieri pudet ista ad eō friuola recitare: sed quoniam video simplices & rudes homines his seduci, quomodo sese istis expedient, eos monere cogor. Neminus ignota est stulta Iudaeorū imaginatio de Messia: quē putabāt florētissimū regnū in hoc mūdo habiturū, ut hīc in otio & quiete, beatā & felicē vitā ducerēt. Ad eō ut Apostoli ipsi etiā post resurrectionem Domini, adhuc opinione ista tenerētur: ut Actor. 1. Lucas ostēdit. Hęc est causa, quā populū ad Christū in regē vi creandū incitabat: ut scilicet à Romanorū seruitute in libertatē vindicaretur. Nō est igitur mirū, si se dominus occultauit, cū id ab errore peruerso ac deterrimo proficisceretur: ex quo multa cōsequuta essent pernitiosa & nocua. Certissimum est, regnum ipsius neque carnale, neque ex hoc mundo, sed spirituale omnino esse, atque in rebus nihil ad terram sicut cęlestibus consistere. Si igitur obtemperasset stultitiei populi, nōne errore altius iam eorum animis infixum confirmasset? Nōne sic consēpulta fuisset ab eo ipsius virtus & gratia? quoniā nihil de eo quā carnale imaginati fuissent. Prętercā fuisset seditione cōstitutus ab ijs, quorum minimē ius erat. Nam cum Iudęa Romano imperio subdita esset, non erat liberum populo nouum regem eligere suo arbitratu. Itaque, has ob causas regnum munus detrectauit Christus, non ut ipsum tanquam nefarium, aut vitę Christianę repugnans improbarer. Sed interim per ipsum regnare dicuntur reges: Prouerb. 8. Dicitur ipse gratiam suam magistratui & iudicibus impartiri, ut æquis legibus & statutis populos regant. Quid plura desideramus? Christus nō est rex in sua persona: sed ut omnia regna fundauit atque instituit, sic eorum tutor & defensor est.

Verum phanatici isti obijciēt Dominum iussisse, ut idem faceremus ipsi, cum diceret Apostolis: Reges Gentium dominantur ipsis, vos autem non sic. Fateor non idem esse Apostolorum & principum officium: atque in illo nullam esse dēminationem: Christus autem nihil aliud quā alterum ab altero discernere voluit. Inde enim ortus est sermo: quōd iam inter se Apostoli contenderent, quis inter eos maior esset, & veluti rector aliorū in regno Christi. Ut eiusmodi tolleretur ambitio, monet regnum suum sicut spirituale esse, non in mundana celsitate positum: non in pompa aut dominatione: sed omnem ministrorum suorum eminentiam in hoc constitutam esse, ut seruiant. Cum ergo non agatur eo in loco, an reges Christiani esse possint, necne: sed tamen dicat Apostolos & ministros Ecclesię regibus nō fore similes, nempe ut dominantur: summę stoliditatis est, illinc colligere, omnem dominationem nobis vetari. Perinde est ac si quis diceret: Officio ministri fungi regibus non licet, ad quod minimē vocati sumus. Officium ergo ministri nefarium & illicitum est. Quis so an facit munerum & officiorum discrimen, ut dīmetur unū, quōd alterum laudetur & in pretio sit? Reges igitur se intra suos limites contineant: pastores verō exercendo officio suo contenti sint: neque id usurpent, quod ipsis minimē conuenit: sic probē omnia habebunt. Dominus verō utrosque approbabit. Perperā igitur ab istis phanaticis expositus est ille locus, cum aiunt eo gladij potestatem vetitam esse.

Ut autem ingentem cogant testimoniorum aceruum, similiter citant quod ait Paulus, Deum quos pręuidit eos pręordinasse, ut essent cōformes imagini Filij sui. Assentior, iuxta Pauli monitionē, nos Christi mortificationē in corporibus nostris ferre debere, æquo animo pati afflictiones & miserias, quibus nos Deus probare volet. Sed an ex eo sequitur, fidelis nō posse populū suę administrationi cōmissum gubernare? Hi verō sequi aiunt, quia Christus passus, nō dominatus est. Quōd ad primū, dico Dauidē etiā multa passum: ac figuratus in eius persona ærumnis & afflictiones, quas Dominus nostra causa tulit. Neque tamen eōmi-

nus dominatus est. De suo igitur alteram partē adiungit, epistolā Petri falso deprauantes. Sic enim in suo libello Petrum loqui fingunt: cum nihil minus. En igitur Dauid, qui Rex fuit, gladij pote statem administrans: neque tamen hoc illi impedimento fuit, quominus pareretur: ac patiēdo conformaretur imagini Christi, adēdō ut eius esset typus & figura. Hęc sequutus Philippus, cum Eunuchum baptisaturus esset, qui vnus erat ē gubernatoribus regni Aethiopum, hanc ei legem minimē imponit, vt non dominetur amplius: sed tantum petit, an ex toto animo in Christum credat: eūque in ipso, in quo erat, statu relinquit. Et certē si dominatus Christiano homini non conueniret: id aequē in vnico homine, ac in vniuerso populo verum erit. Paulus autem dominatum & pote statem Christianis permisit in seruos, qui tum mancipia erant: nec iussit eos ius illud à se abdicare: sed tantum vt moderatē vterentur: ac benignē & humaniter seruos suos tractarent. Quinimō passus est Philemonem, quem collegam suum vocat, seruum suum in pote state retinere: tantum, vt eum humaniter tractaret, ipsi commendauit. Quāuis igitur nominatim dictū esset Christum minimē dominatum esse, perspicimus tamen quā stulta sit hęc argumentatio: Christus passus est, non dominatus. Omnis igitur dominatio improbanda. Idem enim est ac si quis diceret: Christus non habet locum, vbi caput suum reclinat, vt ipse testatur. Perperam igitur agunt Christiani qui domum, aut agrum, aut denique pradium vllum possident. Quantum verō id à ratione alienum sit, omnibus perspectum puto.

Tandem, quemadmodū ebriosi post multos ructus, crapulā cū multo foetore euomunt, sic infelices isti, postquā muneris sanctissimo quod, adēdō honestauit Deus, multū detraxerunt, blasphemias atrociores pleno gutture egerunt. Magistratū, inquiunt, gubernatio secundū carnē est: Christianorū verō, secundū spiritum. Mihi Papā Syricium cōtra sanctum matrimonium blasphemantem audire videor. His enim ipsis verbis vtitur. Sed exigua hęc sunt prae ijs quae sequuntur. Magistratū, inquiunt, habitatio tantūmodō in hoc mūdo est: Christianorū verō in caelis. Vos moneo omnes veri fideles, & obsecro per nomen Dei, vt diligenter consideretis ea quae Petrus & Iudas de nōnullis corruptoribus dixerunt, qui iam suis temporibus simplicium fidem peruertebant: & eorum verba conferatis cum ijs Anabaptistarum sermonibus, quos nunc recitauit. Nihil aliud dico, quā quod vnusquisque perspiciet, sectam illam nihil ab ista differre. Quia verō non sunt ita omnibus libri in manu, locos ipsos adiungam. Prior sic loquitur. ij. Pet. ij, Erunt audaces, praeracti, qui dominationem contemnent, qui gloria praecellentes, non verebuntur conuijs incessere: brutis animalibus similes, vituperantes ea quae non intelligunt. Similiter Iudas, Dominos spernunt, in pote state praedios maledicta congerunt. At Michael Archangelus cū aduersus Diabolum certans disceptaret de corpore Moysis, non est ausus illi maledictionis iudicium proferre: sed dixit, Increpet te Dominus. Isti autem vituperant, quae sibi ignota sunt: in omnibus quae apprehendunt naturali sensu, se ipsos, vt brutae pecudes corrumpunt. En Apostolorum verba quae tam proprie conueniunt Anabaptistis, vt nominatim de ipsis praedicta videantur. Quōd aiunt principes hīc permanentem habitationem habere: quoties Dauid eos conuincit mendacij, cū testatur se toto studio ad vitam spiritualem aspirare ac tendere? Ac certissimum est reliquos omnes probos reges idem fecisse. Deus praecipit Danieli, vt in curia regis Persarum suum administrationis politicae munus exerceat: interim dum ea quae ipsi reuelata fuerant, ac denique resurrectionis diem expectat. Moyses verō Prophetarum princeps, non desijt spe & votis in caelis versari, dum in hisce terris populum gubernabat. Oppono igitur Anabaptistis Moysē, Dauidē, Ezechiam, Iosiam, Iosephum, Danielē, denique omnes Israelis Reges & Iudices, vt suā causam tueantur: an scilicet priuē

regno Dei, quòd in hoc mundo gladij pote statem exercuerunt. Quòd autem dicunt omnes principum sollicitudines mundū hunc spectare: Isaias vehemēter eis repugnat, qui prædixit fore, ut reges terreni conseruando cœlesti & spirituali regno Christi seruiant. Paulus etiā hortatur, ut pro omnibus qui præsumunt, fundatur preces: ut sub eis in otio & pace viuamus, in timore Dei, & vitæ sanctitate. In quo demōstrat nō esse præcipuum magistratus finem, pacem inter subditos externā solū tueri: sed potius curare, ut in ipsorū ditionibus colatur & honoretur Deus, ac vnusquisque sanctam atque honestam vitam degat. Hinc perspicimus, quā falsæ & perversæ sint Anabaptistarū allegationes, quibus magistratū vocationem, quā tantopere probauit Deus, damnare volunt. Atque etiam videmus, quomodo Diabolus per eorū os loquitur, ut auertat principes, & suo munere fungi prohibeat. Cū enim potius monendi sint, ut omnem operam, studium ac diligentiam adhibeant extollendo nomini Dei, ita ut supra ipsos regnet, sintque tantūmodo ipsius cliētes & ministri, isti cōtrā persuadere nituntur, hoc nihil ad ipsos pertinere, nec vllō modo debere se ijs, quæ ad honorem Dei spectant, interponere. De fine verò quem sibi proponūt, pauca dicā: nempe, quòd in eo ostēdunt se & Dei, & generis humani hostes. Est enim bellum gerere cum Deo, dedecore afficere quod ipse honorauit: & quod ad eò extulit, pedibus conculcare. Neque verò breuiore cēpeno mundi ruinam moliri, & latrociniorū licentiam summam vbique introducere possent, quā cū reipub. adinistrationem, aut gladij potestatem abrogari volunt. Quæ certè tollitur omnino, si non liceat eam homini Christiano exercere.

## ARTICVLVS VII.

Quòd spectat ad iusiurandum, venimus in hanc cōcordiam, ut iudicemus esse confirmationem, quæ fieri debet, tantū in nomine Dei: in veritate, non mendacio, iuxta præceptum Legis: sed Christianis omne iusiurandum per Christum prohibitum esse.

## REFUTATIO.

Prima facie, nihil huic articulo videtur inesse mali. Videmus hodie mundū in iuramentis effranē & dissolutū esse. Nullus est boni animi vir, cui non valdè molestum sit ita contemptui haberi nomen Dei. Eo fit, ut omne iusiurandum, qualecunque sit, odiosum reddatur. Præterea non nihil speciei habet quod ex verbis Domini allegant, iusiurandū omne in totum prohiberi. Hoc quidem ita videbitur, nisi propius sensum eius loci attendamus. Quod ad primum, nobis profecto vehementer displicere debet tam dissoluta iurandi licentia, qua homines hodie abutuntur. Ac longè melius esset non iurare omnino, quā ita temere ac leui de causa, aut nulla potius, iusiurandum adhibere. Sed animaduertamus modum reprehendendæ & corrigendæ corruptelæ non esse, eam cum legitimo vsu miscere ac confundere, ut vtrumque sine discrimine damnemus. Hodie in esu & potu, ac præcipue in conuiuijs nimius est apparatus, ac profusissima luxuries. Ebriositas vitium turpissimum & inhonestissimum viget hodie apud multos. Si quis, ut has corruptelas reprehenderet, omnino vini conuiuiumque bonorum ciborum vsum damnaret, nōne blasphemaret Deum, sic vituperans ac improbens creaturas, quas ad vsu nostrum destinauit? Idem de iureiurando aut etiam multo magis dicendum est. Dominus id instituit, ut veritas, cū res postulat, confirmetur, atque approbetur. Talis iurandi modus ad honorem Dei bifariam vergit.

Nempe hoc modo charitatem tuemur inter homines: & veritatem, quæ summo in pretio est apud eum, conseruamus. Et cum solus veritatis, testis allegatur, vnam è præcipuis laudibus quas à nobis requirit, ipsi tribuimus. Accertè in lege ostendit iusurandum verum ac legitimū speciem esse honoris, quæ ipsi à populo suo exhibetur. Quæadmodū enim vult solus adorari & inuocari, ita iubet vt tantummodo per ipsius nomen iuret. Et Propheta vociferantes aduersus idololatriam, sepe mentionem faciunt, quod per alienos deos iuratum sit: vt cum è diuerso cultum Dei restitutum iri significant, aiunt fore vt per ipsius nomen iurent omnes.

Hic igitur est verus tractandi iurifurandi modus. Primum, ostendere conuenit duplicem ipsius vsus esse. Nempe vt testimonium reddatur ante actarum rerum: atque vt in futurum astringamur ad ea peragenda quæ à nobis licitè requiri possunt. Deinde monendum quid sit iurare, nempe testem citare Deum. Qua in re ostendere par est, quid illi reuerentiæ de feramus. Hinc consequens est, neminem vnquam iurandi causa vel hiscere tantum debere, nisi cū magno timore Dei, summa humilitate ac reuerentia. Sic omnia blasphemiarū genera, quibus contumeliose sumitur nomē Dei, & Iesu Christi, optima ratione improbaretur. Præterea docendū, quot modis nomē Dei sumitur in vanū: ac primum periuria ac falsas testificationes, vt blasphemias execrabiles detestari, quod veritas Dei in mendaciū cōuertatur: quò deuertatur gloria ipsius: quasi homines eum ad sese abnegandū cogere velint. Hinc ostendere quantus Dei contēptus sit, sanctissimū eius Nomē temerè assumere aut animi gratia, aut faciendi sermonis causa, vel iracūdia, vel visus & festiuitatis causa: idque vitium eò asperius & acerbius reprehēdere, quò altius in hominibus radices egit, eaque consuetudo inualuit. Rursum vituperanda superstitiones, quibus pollutū est nomē Dei: cum absque discrimine sumpta sunt sanctorum nomina, vt cum ipso miscerentur. Sic enim iure iurando minimè profanaretur nomen Dei, sed honori eius permultū seruiret. Quòd si omnibus is esset propositus finis, quis rem malam & vitiosam esse pronuntiare auderet? Summa est, vt moneantur omnes, nihil tan commendatum esse Deo, quàm gloriam nominis sui, vt salua sit & illibata, & sine periuriis qui ipsam aut imminuerint aut obscurarint. Quia nemo ipsius nomē vsurpare debet, nisi cū summa religione, eum solummodo finē sibi proponens, vt ipsi gloria tribuatur.

Sed Anabaptiste sine vlla moderatione terminos perripunt, & omne iusurandum sine exceptione damnant: neque discernūt, an bonū an malū sit. Vnde manifestè apparet eorū doctrinam nulla minime ratione nitī. Nunc ad auctoritatē veniamus: an scilicet aliquod testimonium habeat ex verbo Dei. Insigni se clypeo muniri putāt, cum citant verba Christi, quibus omnino iurare vetat. Illinc enim concludunt, neque iure neque iniuria iurare licere. Quibus vt respondeat, primum quaero, an Christus legi Patris sui aliquid adiungere, an solummodo interpretari voluit. Ad id aiunt, ipsum perfectionē legis docuisse. Sed magis urgeo ac quaero, an nunquā cogitata fuerat hæc perfectio? Si enim incognitā fuisse respondeant, dico aperitū esse mendaciū. Moyses publicata lege restatus est populo se viā vitæ & mortis ostēdisse. Itē in summa colligēs omnia, dicit: doctrinā suā eò tendere, vt homo ex toto corde, tota mente, tota anima, denique totis viribus, Deū amet. Item alio loco: Et nūc Israel, quid à te requirit Deus, nisi vt ipsi toto animo penitus adhareas? &c. His sententijs abudè probatur doctrinā legis, bene viuēdi regulā continere, quæ hominē ad integram perfectionē deducat. Est igitur certissimū, Deum voluntatē suam in lege patefecisse: Matth. 19. & alibi: semel inquam, pronuntiasse quid bonum, quid malum, quid ipsi gratum sit, quid itē displiceat. Quare Dominus noster Iesus, quoties de vita perfecta incidit quæstio, eos quos docebat semper illuc adegit. Ac Paulus Rom. 12. nos ad eum finem reducit, vt rectè intelligamus quid sit officij

officij nostri. Itaque dicere Moysen dimidia tantum ex parte populum Iudaicum instituisse in cultu Dei, execranda blasphemia est: inuenta primum à Papis, nunc verò à miseris istis fanaticis renouata, qui fabulas aniles, quas ab auis suis audierunt, pro reuelatione è caelo profecta habent.

Si contra obijciatur, Christum perfectionem legis vocari: ac scriptum esse, nos doctrina Hebr. 5. puerili non amplius, vt veteres olim, gubernari: respondeo, Perfectionis vocabulum ad doctrinam minimè referri, sed ad gratiam Spiritus sancti, qua quicquid in lege continetur, inscriptum atque impressum est cordibus nostris: vt Dominus, non tantum aures nostras, sed etiam voluntatem alloquatur: neque solum audiamus quæ iubet, verum etiam facimus. Altera ratio est, quòd Christus ipse solus omnem iustitiam in seipso adimpleuit, legemque exactè seruauit: vt obedientia quæ exhibuit Deo patri, nobis accepta feratur. Quòd Paulus Legem, Gal. 4. doctrinam puerilem vocat: id ad ceremonias tantum & figuras pertinet. Eòque sensu alibi dicitur, non posse discipulos suos ad perfectionem adducere. Quoniam finis ipsius, complementum, Heb. 7. & veritas, in Christo est. Ceterum, quòd attinet ad doctrinam, qualis ab initio fuit, nunc eadem est, ac nobis est cum populo Iudaico communis. Neque variatur ipsa: sed vt còstans & immutabilis est voluntas & iustitia Dei: ita lex, quæ certa & vera est ipsius declaratio, eadem in omne æuum permanebit, qualis ab initio fuit.

Si fateantur Christum simpliciter interpretatum esse præceptum Patris sui de iure iurando, nec quicquam adiunxisse, vt fateri necesse est: iam obtinemus quod volumus. Nec enim lex prohibet quouis modo assumi nomen Dei, sed in vanum assumi vetat: significans aliquè esse nominis Dei sumendi modum licitum ac legitimum. Sed verba Domini nostri exponere necesse est: quia prima facie iusiurandi prohibere videtur. Quorù vt certà ac rectà intelligentiam habeamus, animaduertendum qua occasione ita loquutus sit. Matth. 5. Scriba & Pharisei, vt ex toto illo capite apparet, falsis cõmentis ita populum corrumperunt, vt nulla esset religio, præcepta Dei multis modis violare: modò sese aliqua tergiversatione aut diuerticulo tegere, ac effugere possent. Ita vulgò minimè malum esse ducunt, frustra & inaniter per cælum & terram iurare, modò ne directò per nomen Dei iuraretur. Christus verò ineptam cauillationem ac sophisticam esse ostendit, sic velle sese coram Deo purgare, cum sub nomine cæli & terræ, nomen etiam ipsius obliquè comprehendatur. Sic cum iusiurandum omnino vetat, hæc dictio Omnino, ad loquendi formam, aut ad verba quibus vititur, referenda est. Quod facile confirmari potest ex eo, quod postea adiungit: Neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, quoniam scabellum est pedum eius. Anabaptistæ verò peruersè ad causam illa applicant: ac si iurare vetitum esset quacunque occasione. Quod prorsus consilio Domini repugnat, atque sententia, quam exprimit postea ipso verborum contextu.

Interim hoc imponunt, nos ita locum hunc interpretari, ac si diceretur: per cælum & terram perperam iurari, sed iurare per Deum licere, Aut saltè nos ita apud simplices criminantur, qui nihil scriptorù nostrorù aut viderunt aut audierunt, vnde iudicare possint. Deinde sparsa hac calumnia exclamant, ô stulti, ô cæci, qui Deum throno suo maiore esse non animaduertit! Sed in quos insultat, nisi in seipsos, cum illi ipsi fanatico suo ingenio hoc cõmentisunt? Quia in illis domini verbis sequitur, ne quis per caput suum iuret: quòd nullus pilum capitis sui nigrum aut album facere possit. En, inquiunt, cur iusiurandum omne prohibeatur, quòd neque ammus præstare id quod promittimus. At contra dico bestias ipsas, si fari possent, prudentius loquuturas. Primum in ijs, quæ blaterant, sibi ipsi contradicunt. Specialis enim est illa ratio in iure iurando, quo nos aliquid facturos præstiturosve spondemus. Sequitur ergo iusiurandum quo iam antè acta & præterita assenereo, minimè malum fore. Nonne, quæso, omnino

insanire ipsos oportet, cum ita argumentantur? Non possumus prestare quod promittimus: ideo iusiurandum omne vetitum est. Responso ad id in promptu est, speciem esse aliquam iusiurandi, qua de obligatione faciendi prestandiue non agitur: sed solummodo de ijs, quæ antea facta sunt, testimonium dandum est. Atque adeo ea est frequentior iusiurandi forma.

Mat. 5. Deinde longissimè abest à vero sensu quod imaginatur. Pergit enim Dominus id quod cœperat, demonstrare: Si quis per caput suum iuret, obliquè assumere nomen Dei: ut cum iurat per cœlum aut per terram, aut per Ierusalem. Quem admodum igitur dixerat cœlum, thronum Dei esse: terram, scabellum pedum ipsius: Ierusalem, ciuitatem sanctam: sic deinceps ostendit caput hominis imperio suo similiter subditum esse, quia solus ipse de eo statuit suo arbitrato. Ac si diceret: cum quis per caput suum iurat, si existimet se per id quod suum est iurare, nec iureiurando suo maiestatem Dei attingere, fallitur. In id enim dominatur etiam Deus, ita ut nulla homini in ipsum relicta sit potestas. Sic ergo semper sumitur nomen Dei. Videmus ut Christus continua verborum serie sermonem suum sit prosequutus: quem tamen vesani isti quasi desultoriè à gallo, ut aiunt, ad asinum traiciunt.

Mat. 5. Porro conclusio est, Ut sermo noster sit, est, sit non, non. Quod ultra hæc adiungitur proficisci à malo. Hæc facilia sunt intellectu, nisi porci isti rostris suis ita inuenterent, ut confundant omnia. Aiunt enim idem esse ac si dixisset, sermones nostros tales esse debere: est, est non, non: ac malè agi cum aliquid præterea adiungitur. Dominus autem bis vtrumque verbum repetit, quò nos firmos & constantes in sermonibus esse oportere demonstrat. Ac si diceret: Ne varietis, aut sitis inconstantes: ne verba vestra subinde retractetis. Ne sit in sermonibus vestris mendacium aut simulatio. Sed ut vestrum est, sit est: vestrum autem non, sit non. Et certè Iacobus eandem doctrinam tradens, sic ferè ad verbum loquitur. Iacob. 5. Vestrum est, sit est: vestrum non, sit non. Quo significat debere fideles firmam in verbis suis constantiam habere. Si talis esset inter nos fidelitas & constantia, iusiurandum omne superuacaneum esset. Sufficeret enim illa verborum simplicitas, qua citra iusiurandum aut affirmatur aut negatur. Vbi ergo frequens est vsus iusiurandi, ibi veritatem non regnare necesse est. Ideo non abs re pronuntiato Dominus id à malo proficisci. Ac certè causa cur iuretur, ea est, quoniam totus orbis adeò refertus est mendacijs, astutijs, simulationibus, infidelitate, ut nemo sit, qui vel fratri suo fidere audeat. Sic mala trahuntur malis. Sed in ijs omnibus Dominus nullo modo iusiurandum legitimum attingit, quod lege permittebatur: sed reprehendit solum & corrigit effrenem populi licentiam, quam malè instructus à suis doctoribus sibi indulgebat, ac putabat non iurari, cum obliquè sumebatur nomen Dei: periurium pro leui offensione, iusiurandum autem superuacaneum & inane, pro re nihili ducebat.

Cum penitus euersa sint à me fundamenta, quibus nituntur Anabaptistæ, dum sine vlla distinctione aut exceptione omne iusiurandum improbare volunt: superest, ut rationibus & testimonijs Scripturæ ostendamus, quo modo, citra offensionem Dei, Christiano iurare liceat. Testor autem, quod prius dixi, me nolle hominibus habenas laxare, ut temere iurando, Dei nomine abutatur: scio enim nimis vulgare vitium esse: potiusque reprimi quàm augeri oportere: scio quoque non leuè esse culpam temerè assumere nomen Dei, eoque maiorem impendendam esse operam, ut tantum malum modis omnibus coëcceatur. Quid verò? ut corruptela tollatur, an simul damnandū quod bonum est? Hæc profectò minimè tenenda est via. Quamobrem, cum dico licere interdum homini Christiano iurare: intelligant omnes me de recto iusiurandi vsu loqui, qui cum timore & reuerentia nominis Dei coniunctus est: ne quisquam ex verbis meis occasionem sumat, in eam licentiam proripendi, ut temerario aut su-



peruacaneo aut ullo modo, vitioso iureiurando utatur. Et ut clarius definiamus, cum dico hominem Christi anum citra offensionem iurare posse, primum intelligo: cum agitur de testimonio reddendo veritati: deinde cum operapretium est. Quae consideratio ad honorem Dei referenda est & amorem proximi: hoc est, ut expediat & uti le sit iurare, tum ob honorem Dei, tum ut charitas inter nos conseruetur. Tertio, cum necessitas postulat, id est, si necessarium sit uti tali confirmatione. Quarto, ut eius qui iurat, talis sit finis & deliberatio. Denique ut cò descendat, cum timore, ac studio sanctificandi nominis Dei. Hic ego, non alijs conditionibus, usum iurandi, homini Christiano licitum esse dico. Si quis contemptor hinc licentia pretextum captet, id faciet suo exitio.

Quod ut confirmem, allego praeceptum Dei, cui omnino acquiesco: Nempe quòd statuit ac voluit per nomen suum iurari, si legitima causa fuerit. Hinc concludo, rem nõ esse simpliciter, nec per se malã, iurare. Nam fieri non potest, ut quod malum sit, placeat Domino. Quinimò cum species sit honoris, qui Deo exhibetur à fidelibus, ut per Prophetas sæpe ostendit: qui vitium ac peccatum esse dicunt, nimis apertè resistunt veritati. Accedit etiam simul ratio. Nempe quòd expediat veritatem, quæ alioqui latèret, atque in dubio esset, confirmari. Quod aliter fieri quàm per iusurandum non potest. Quod allegant Anabaptistæ de correctione huius præcepti, manifesta blasphemia est. Sequeretur enim Christum retractasse quod semel à Patre fuisset constitutum. Quod, ut vidimus, nullo modo tolerari potest. Accertè Apostolus, de iureiurando loquens, obiter id quidem atque aliud traçians, non dicit usum ipsius abrogatum esse: sed humanarum controuersiarum finem & decisionem vocat. Quæso, cum Apostolus apud Christianos verba faciens pronuntiat finem imponi controuersis per iusurandum: nõne abundè significat talem usum esse approbatum à Deo, ut in Ecclesia Christiana locum habeat? Quanta ergo temeritatis est, contrà repugnare, & quasi damnandum vitium reijcere quod pro remedio dedit?

Accedunt ad doctrinam exempla, tum Dei tum seruorum ipsius Hebr. 6. Homines, inquit Apostolus, iurant per nomen Dei, quòd ipsis maius sit: Deus per se ipsum iurauit, quòd superiorem se nullum haberet, sed supremus esset omnium. Quòd ad Deum attinet, Anabaptistæ respondent cum iurare posse, quia potest omnia quæ dicit, præstare: sicque esse extra periculum periurij: cum sit fidelis, ac velit omnia quæ promittit, obseruare. Diuersum autem esse in homine mortali: qui, etiam si cupiat, sæpe tamen promissa exoluere non poterit: ideòque temerarium esse sese iureiurando adstringere, ad id quod excedit facultatem suam. Cum hanc solutionem in aëra iactarunt, iam actum esse, & os se nobis obstruxisse existimant. Verùm quod contrà obijciamus in promptu est: nempe ipsos non posse idem dicere de Patriarchis, Prophetis, sanctis regibus, patribus antiquis, qui Dei exemplo etiam iurarunt. En Abraham fidelium omnium pater iurauit. En Isaac, Iacob, Dauid, Ezechias, ac Iosias similiter idem fecerunt. Qualis est inter nos & ipsos differentia? Saltem constat istorum responsonem, meram cauillationem esse: imò facile est iudicare ipsos ad primum statim verbum impingere.

Si, ut tergiuersentur, allegent exempla hæc ex veteri Testamento sumpta esse, nunc verò in ecclesia Christiana arctioribus habentis constringi: tamen si error hic iam sit refutatus, sic tamen nihil proficiet. Producemus enim Apostolos, qui

iureiurādo vsi sunt etiam in scriptis suis, cum res id postulabat. Sed audiamus præclarā excusationē qua effugiunt. Petrus, inquit, ac Paulus, iureiurando nihil promiserunt ipsi, sed tantum promissionē à Deo affirmarūt factā. Hic perspicuè intue ri possumus, quantis absurditatibus sese implicent, qui ex industria resistunt veritati: nec tamen ipsos pudet impudentiæ suæ. Primum, cum ita respondent, concedunt aliquam iurifurandi speciem licitam esse, nempe cum de præteritis rebus testimonium datur. Sequitur enim ex ipsorum verbis, tunc solum iusurandum malum esse, cum in futurum aliquid promittimus. Ad hæc, an non valde impudentes sunt, quod tam aperte mentiantur, ac sardere velint, id omnino non esse, quod oculis ipsis ceruimus? Paulus iureiurādo affirmat, 2. Corinth. 1. se ad ipsos non venisse, ut eis perceret: quod ei necesse fuisset ipsos durius tractare. Item Roman. 9. se cupere à Christo reijci, ut populum Iudaicum saluum redderet. Similiter iurat, ut testetur amorem quo Philippenses prosequitur. Iterum. 2. Corinth. 12. iureiurando asserat se apud ipsos recta cōscientia versatum. Item Thessalonicensibus, quod non pecuniæ aut lucri studio ipsos adierit: ac Deum testem inuocat quàm sanctè se gesserit. Phrenetici verò isti aiunt Apostolos nunquam iurasse, ut de facto suo affirmarent: sed tantum ut testificarentur de fœdere Dei. Quæso, quid meretur talis impudentia? An vel digni sunt quibus refutandis verbum duntaxat fiat.

Verum, difficultas quam proferunt expedienda, est. Nempe neminem promittere quicquam debere cum iureiurando, quod ipsius non sit id præstare. Respondeo, cum subditus principi iureiurando ipsi promittit se quicquid est officij sui præstaturum: fidem nempe ac obediētiā fore: haud quaquam fiducia virtutis suæ id facit, quasi defficato Deo sese iactans: sed potius inuocans opem Dei, de sua voluntate spondet, qualem ipsam esse oportet. Tamen si nimium stulta sit imaginatio iusurandū improbare, cum simplices promissiones approbantur. Nam si in vno sit temeritas, itidem erit in altero. Quare si promittere licet, alleganda esset ratio, cur promissionem nostram iureiurando confirmare minimè licet, cum res postulat & requirit. Quæ conditione posita iusurandum sanctum ac legitimum esse, Scripturæ exempla satis ostendunt: ac præ alijs tria quæ præcipuè notanda sunt, Scriptum est libro Chronicorum, Asam regem Iuda ab Azaria sacerdote & Propheta monitum, vniuersum populum conuocasse in Ierusalem, ac iussisse omnes iurare, se Deo cultum ac venerationem in perpetuum exhibituros 2. Par. 15. Idem recitatur de Iosia, cum liber legis repertus esset: ad nouandū fœdus à Moysè initum, populum adiurasse, ut promitteret se in obsequio Dei perpetuò futurum. Tertium exemplum est de Esdra & Nehemia, quorum auspicijs & ductu, populus è Babylone reuersus, iurauit se Deum ac verbum ipsius in posterum sequuturum. Tamen si nec perperis omnibus idem in prima legis publicatione factū sit. Sed qui a scio mihi negotium esse cum hominibus nullius cerebri ac pertinacibus, eos tantum locos allegare volui, quibus expressa fit mentio iurifurandi. En igitur tota Ecclesia Israël, quæ iusurandum solenne dat, ac rem difficillimam promittit: nempe fideliter adhærere Deo. Id autem non semel. Quin bona sit actio ipsa, minimè dubium est: habet enim à Spiritu sancto testimonium & laudem. Non multum immorabor in eo explicando, quomodo possint homines sese obligare Deo, ut faciant ea quæ non habent in potestate: tantum monebo, quod antè perstrinxi, memoria tenendum esse, fideles hoc pro certo sumere, Deum nunquam sibi de futurum in gratia, quam promissi: atque

hoc habere fundamentū iurifurandi. Cū Deus hanc iurifurādī speciem approbet, & Ecclesia sæpenumero, ex ipsius instituto, ea v̄sa sit: peto à vertiginosis istis, quæ authoritate audeant ipsum improbare? Aut potius, ne cum ipsis agendo, tempus frustra teram, & operam ludā: hortor & obsecro fideles omnes, vt considerent, quantæ sit arrogantia, ignaros istos ac infœlices homines quasi summos magistrōs statuere definitiones suas, ad quas velint totum orbem adigere, ac si oracula essent diuina à quibus discedere nō liceret. Ego verò non dubito, quin in hac iurifurandi materia, vt in superioribus, abunde satisfecerim omnibus, quibus aures & ingenium non minimè defuerint: quicque perspectæ veritati volent acquiescere.

Expediti sunt articuli septem eo libro comprehensi, quem Anabaptistarum patriarchæ, veluti definitionem supremam eorum, quæ tenent seorsim à reliquis, ediderunt. Idcirco nihil aliud superesset, quàm vt finem imponeremus huic libello, nisi duos articulos reliquissent, non minoris momentī, quàm quiuis ex alijs, de quibus tractare necesse est: cum Anabaptistæ omnes ijs vulgò adhæreant. Quinetiam hoc scio, illos à quibus præclara hæc definitio scripta est, eo tempore ita docuisse. Vnus est, quòd Christum verum hominem fuisse non putant: sed potius phantasma fuisse corpus eius fingunt. Alter est, quòd existimant animas separatas à corporibus, vsque ad diem iudicij sine sensu aut intelligentia vlla dormire: vel animam hominis esse vitam ipsius, quæ moriendo deficit, quoad suscitetur. Vnusquisque, quanti momenti sint hi duo errores, facile potest perspicere. Quòd de ijs subtriciat, nescio an astutia factum sit, quòd adeo sint odiosi, vt merito ipsorum doctrina execrabilis reddi debeat. Quicquid sit, cū hoc susceperim, vt armem fideles ac probos viros aduersus falsas eorum opiniones, non est æquum me hæc ad eò pestifera & flagitiosa dogmata, cū inter ipsos vulgò recepta sint, dissimulare. Quod verò nonnulli ipsorum de bonorum communionē tenuerunt: item virum vnum plures uxores habere posse, ita vt eò adigerent eos qui vna contenti erant, sexcentisquæ alias absurditates non attingam. Vt verò enim ipsi, cū eos scilicet tantæ insanie puderet, maiore ex parte sese paulatim ab eis erroribus subduxerūt. Sed in his duobus articulis, de quibus sum loquutus, diuersa ratio est. Adhuc enim in his persistūt.

Quoad primum attinet, de corpore aut natura humana Domini nostri Iesu Christi, notandū est duas veteres hæreses huic persimiles fuisse, aut quæ saltē quàm proximè accederent. Nam Manichæi imaginati sunt Christū cœlestē corpus in vterum virginis intulisse. Marcionitarum delirium, aliquantum diuersum fuit. Finxerunt enim ipsum, non corpus re vera substantiale, sed speciem tantummodo aut similitudinem corporis habuisse, quod phantasma vocamus. Vbiq; hunc sibi finem propositum habebant, vt negarent Christū ex humano semine quicquam sumpsisse. Quamobrem, videmus Anabaptistas solummodo expergefacere iam sopitos errores, quos diabolus ante quadringentos & mille annos excitarat: qui verbo Dei sublati fuerāt ac deleti. Vt tamen initio testatus sum, nullū ex eo præiudicium ipsorum causæ adferri volo, nisi prius ipsos conuicero solo verbo Dei, ac si nulla vnquā habita fuisset ab hominibus mentio. Id verò ea de causa solum dixi, vt omnes intelligant, ex quo fonte manant, ea quæ Anabaptistæ, quasi nuper ipsis è cœlo reuelata proferunt. Atque etiam vt commonefaciam ipsos. Nam eius sectæ vel doctissimi, hystoriæ & omnis antiquitatis adeò ignari fuerunt, vt nullus eorum vnquam hoc solum intellexerit, quid sibi vellent nomen Marcionis. Operæpretium est igitur

tum ipsos, tum alios moneri, primum authorem huiusce opinionis, qua hodie perturbant homines, non à certis solum hominibus, sed ab vniuersa Ecclesia reiectum, & cū anathemate damnatum fuisse: idque statim, id est, circiter quadraginta annos post obitum Apostolorū. Eusebius enim & Hieronymus referunt Polycarpum, qui discipulus & familiaris fuerat Ioannis Apostoli, obuium Marcioni Romæ factum, eum primogenitum Satanæ appellasse. Alios errores quibus Ecclesiam turbauit prætermitto. Cū enim hic diligenter expensus fuerit: perspicient, vt spero, omnes, magis execrandum reperiri nunquam posse.

Primum, multis ac certissimis Scripturæ testimonijs ostendam, Christum reuera carnem nostram & humanam naturam sumpsisse: cū nobis à Deo patre in hoc mundo reuelatus est: idque tam apertè ostendam, vt etiam à minimo puero perspicui possit, nimia impudentia præditos fore Anabaptistas, si vltèrius tergiversari pergant. Quanquam haud necesse sit locos omnes, qui ad rem istam faciunt, colligere. Ne ergo sim prolixior, eligam eos, qui mihi conuenientiores videbuntur. Scimus Dominum ab initio mundi, Eua promississe, fore vt semen ipsius serpentem vinceret. Videamus an id in nobis impletum sit, aut in vllò vsquam homine mortali, nisi per Iesum Christum, qui nobis Sathanam vicit ac superauit. Sed quia promissio hac adhuc quodammodò obscura erat, postea multò clarior facta est, tum Abrahamæ tum Iacob: cū eis dictum est, vniuersas terræ nationes in eorum semine benedictionem receptoras. Semen istud, vt interpretatur Paulus, & ratio demonstrat, est Christus. Promissionis ergo veritas aliter pateneri non potest, quàm si Christus ex progenie Abrahamæ descendit. Similiter, cū dictum est Dauid: *Fructum ventris tui super sedem tuam collocabo, vt regnet in æternum.* Hoc ipsum eodem sensu confirmatur ab Esaiâ propheta, qui ait fore vt quasi sarculus de radice Isai exoriatur. Scimus hac de alio intelligi non posse, quàm de ipso redemptore, qui Abrahamæ fuerat promissus. Igitur ipsum de sobole Dauidis secundum carnis propagationem esse necesse est: aut inanis esset promissio. Ideo Matthæus genealogiam ipsius recitare volens, inde exorditur: vocans ipsum filium Dauid, filij Abrahamæ: vt expressius designet eum ipsum esse qui promittebatur. Et certè ea loquendi forma atque hæc appellatio cōmunis & vsitata erat inter Iudæos, quemadmodū ex Euangelistis cōstat.

Ad hæc omnia sic respondent Anabaptista, vt facillè ostendant quales sint bestia, & quàm perditè impudentes. Vocatur, inquiunt, filius Dauid, non quòd aliquid ex virgine Maria sumpsit, aut quòd ex ipsius substantia homo fit factus, sed quia solummodo ipsum in vtero gestarit, cœtubulus per quem aqua ducitur. Hoc quidem dici possit, nisi seminis vocabulum exprimeretur, quāuis re vera perspicerent omnes sani iudicij homines meram esse tergiversationem: plus tamen coloris aut integumentum quodammodo haberent. Sed cū adeò frequenter iteretur, ex semine Abrahamæ esse, quæ superest cauillatio, qua verum hominem fuisse negent? Ac certè, cū Esaiâs aduentum ipsius prænuntiat, non solum ex virgine nasciturum, sed prius ab ea conceptum iri nominatim dicit. Conceptio ista ostendit ex semine ipsius formandum fuisse, si vt ij, quibus nota est verbi significatio, facillè possunt iudicare. Sed magis adhuc ipsos vrget Paulus, cū ait factum fuisse ex semine Dauid secundum carnem: ac nihilominus declaratum esse filium Dei in potentia. En postquam Christus pronuntiatuſ est filius Dei: deinde dicitur, secundum humanam naturam à Dauide originē ducere. Nō omne hominē vehementer insanire oportet, qui

qui ad hæc omnia claudit oculos, atque aures obturat, ut è contrario asserat Christum nihil naturæ humanæ habere, quantum ad substantiam corporis pertinet? Similiter alio loco Apostolus de Iudæorum dignitate ac prærogativa loquens: inter cætera ait, successores esse patrum, atque eorum sobolem, à quibus Christus ortus est secundum carnem. Multos alios locos prætermitto, ut cum ait Deum exhibitum in carne: item in humilitate carnis passum esse: similiter cum Ioannes ait: Verbum caro factum est: ac præsertim quod sibi ipse tam frequenter filij hominis titulum attribuit: cæterosque eiusmodi, quia post illos duos tam insignes quos adduxi, superuacui viderentur. His igitur contentus ero, quæ id quod volo abundè probant: simulque declarant, quantum necesse sit credere Christum, cum homo factus est, cõmunem nobiscum naturam re vera sumpsisse. Apostolus in Epistola ad Hebræos præclarum argumentum sumit, ut amorem, quo Deus nos prosequutus est, amplificet: quod non Angelorum naturam, sed nostram acceperit. Si infelicitum istorum somnia admittamus, hæc gratia & inestimabilis bonitas Domini nostri Iesu Christi è memoria nostra delebitur: ne amplius ipsum nos magis quàm angelos honorasse agnoscamus. Postea addit, per communicationem quam in carne sua & sanguine nobiscum habet, se fratrem nostrum vocare, ac re vera fraternam nobiscum coniunctionem habere. Hinc concludendum, summum omnium bonorum nobis ereptum iri, nisi Christus nobiscum in carne & sanguine communicet. Quis enim esse-  
mus filij Dei, nisi ipsius fratres simus? Apostolus autem ait nos tale bonum non aliter obtinere, quàm quod eiusdem naturæ societate nobiscum coniunctus sit. Adijcit deinde congruum fuisse, ut fratribus suis persimilis esset, ut fidelis patronus esset, ac misericors. Unde singularem consolationem deducit: nos non habere aduocatum qui infirmitates nostras sustinere non possit, cum ipse eodem modo fuerit tentatus, per omnia nobis similis factus, dempto peccato. Cum in ea similitudine, qua nos Christo comparat, solam hanc exceptionem peccati addat, sequitur in reliquis nobis esse persimilem, cum nominatim illic de natura humana loquatur. Ex his locis non tantum Christum re vera naturæ humanæ coniunctione fratrem nostrum esse, sed etiam utilitatem quæ inde ad nos redit, perspicimus: qua nos spoliant ac priuant ij, qui nescio quod cœleste corpus ei attribuit, quod cū nostro nihil habeat cõmune.

Similiter Pauli disputatio, quam habet apud Corinthios, ut in Christi resurrectione nostram omnium stabiliat, tota corrui, nisi naturam nobiscum communem habeat. Si Christus inquit resurrexit, nos quoque resurgemus. Quod si nulla sit nobis resurrectio, nec Christus omnino resurrexit. Parata enim ad repugnandū esset responsio, si dici posset Christum, corpus cœleste secum in matris uterum detulisse. Nec enim mirum esset, substantiam profectam è cœlo eximi à corruptione: nec inde sequeretur, corpora nostra terrestria, quæ præter putredinem nihil in se continent, suscitanda esse. Ut ergo firmum sit eius disputationis fundamentum, necesse est Christum nobiscum eiusdem naturæ coniunctione participare. Hac enim est unica spes quam habemus de resurrectione: nempe carnem istam, quam nunc corruptioni obnoxiam circumferimus, iam suscitatum in Christo, & in possessionem cœli ingressam, ibique immortalem esse. Hoc, inquam, modo optimum & certissimum arrabonem habemus, quo certiores reddamur: alioqui omni spe destituti sumus. Alio loco idem Apostolus ostendere volens, Christum mediatorem nostrum esse: hominem esse ait. Quia intelligebat nos nunquam adduci posse, ut ad ipsum confugere-

Hebr. 2. 11

Hebr. 4.

1. Cor. 5.

1. Tim. 2.

*mus, nisi prius essemus persuasi, nobis eum proximum esse, nosque attingere. En igitur ubi sita est & quiescit fiducia nostra: ut adhaereamus Christo, eumque pro mediatore quaeramus: quod videlicet nobiscum coniunctus sit, & eiusdem naturæ sit participeps. Idque intelligit Esaias propheta, cum ait factum esse Immanuel, id est nobiscum Deum. Hoc enim sine vera similitudine, & naturæ vnione fieri non potest.*

*Sunt & aliæ rationes solidissimæ: quæ tamen in Scriptura nõ exprimantur, non minus propterea certæ sunt, cum in ea fundamentum suum habeant. Quàm enim necessarium fuerit, eum qui Mediator noster futurus erat, verum Deum ac verum hominem esse, constat ex officio mediatoris, quod in eo consistit, ut homines cum Deo conciliet, & inimicitias capitales aboleat, quæ prius intercedebant. Nulla autem spes erat id futurum, nisi Dei maiestas ad nos descendisset, sc̃que cum naturæ nostræ infirmitate coniunxisset. Similiter, officium mediatoris erat, nos Filios Dei atque hæredes regni eius efficere, cum antea mortis & damnationis hæredes essemus. Hoc arrabone fiducia nostra confirmatur, quod sumus filij Dei: qui filius eius naturalis, corpus è corpore nostro, carnem è carne nostra assumpsit. Præterea id omnino ad redemptionem nostram necessarium erat, ut inobedientia commissa in carne nostra, in eadem sarciretur. Ideo venit Dominus noster vera homo, veluti personam ipsius Adæ referens, cuius etiam nomen sumpsit, ut pœnam peccati in carne in qua admissum fuerat, persolueret. Qui ergo natura humana Christum spoliaret, obscurant bonitatem ipsius: magnâ etiam nobis faciunt iniuriam, cum verum obiectum destruunt, quo ad plenam & integram eius fiduciam ducimur.*

*Sed ne videar quicquam dissimulare eorum quæ ipsis suffragari possent: producam ea, quæ solent adducere, ut aliquid coloris ad imaginationem suam afferant. Paulus ait, Christum se ipsum exinaniuisse, cum indueret formam serui, ac similem factum hominibus, & specie apparuisse tanquam hominem. Hinc Marcio olim colligebat corpus ipsius phantasma fuisse. Anabaptistæ eo iniuri volunt, ut ostendant non fuisse nostro simile. Responsio facillima est. Nec enim Paulus de substantia corporis Christi tractat: sed tantum ostendit, Christum cum posset se in maiestate gloriosa ut Deum exhibere: se pusillum hominem in omni humilitate exhibuisse. Nam Philippenses ad humilitatem hortatur. Cuius rei gratia Christi exemplum adducit, inquit, ipsum in forma, hoc est, in gloria Dei fuisse, & tamen exinaniuisse semetipsum. Postea adiungit quomodo id factum sit: nempe quia in hominis forma sese exhibuit, ac se ut hominem gessit. Quid aliud significant hæc verba, nisi sub velamento carnis, in qua parvus & contemptibilis apparebat, gloriam diuinitatis suæ abscondisse: ita ut eius conditio fragilis, quam præ se ferebat solum agnosceretur? Itaque in huius loci solutione, nulla est difficultas. Sed alius est locus qui plus aliquanto speciei habet. Nempe, 13. prioris ad Corinthios, ubi Paulus ait primum Adam de terra terrenum, secundum è cælo cœlestem esse. Illinc Anabaptistæ cum Manichæis, maioribus suis, concludunt: Christum corpus cœleste habuisse, non ex semine humano creatum aut formatum, hoc est, ex substantia virginis matris suæ. Solutio huius argumenti in eo sita est, ut quid illic Paulus traheret spectemus: ac connectantur sententiæ, non ad deprauandum sensum abscondantur. Paulus ostendere volens vnde mors, vnde resurrectio oriatur, illam nempe*

nempe ex Adam, hanc ex Christo esse, inter cetera ait: Adam factum in animam viventem, Christum in animam viuificantem. His autem negare non vult, Christum animam nostræ similem habuisse, sed plus habuisse significat: nempe spiritum non tantum viventem, sed qui in se viuificandi vim haberet. Deinde adiungit primum Adam de terra, terrenum: secundum Adam cœlestem, è cœlo. Dubium nõ est, locum istum eodẽ modo quo alium, accipi debere, de qualitate Christi non de substantia. Intelligo de illa supernaturali & diuina virtute, quam vt filius Dei habet è cœlo: non è terra, vt mortalis homo. Et certè, vt iam diximus, fundamentum quod sumit Paulus ad confirmandam spem resurrectionis nullum esset, si Christus corporis substantiam à nostro diuersam haberet. Allegat deinde conceptum fuisse à Spiritu sancto. Verum, hæc Spiritus sancti virtus non excludit substantiam matris. Nulla quidem viri & mulieris coniunctio intercessit, vt iuxta naturalem aliorum ordinem generaretur: sed hoc non impedit, quominus admirabili Spiritus sancti operatione de substantia matris formatus sit, vt verè sit Abrahamæ semen, & fructus ventris David: vt Spiritus ipse, longo prius tempore, ipsum nominarat. Scio quid ad hæc obijciant: hoc absurdum fore, quòd semen humanum maledictum & corruptum sit: sicque sequeretur Christum ex corruptione descendisse. Sed respondeo admirandam istam conceptionem, omnem difficultatem tollere. Quòd enim interuenit Spiritus sanctus, hoc eius ab initio sanctificandi gratia factum est. Qua sanctificatione præseruatus fuit, ne qua generis humani macula pollueretur. Ideo ait Paulus, ipsum similitudinem carnis peccati sumpsisse, vt in ea peccatum damna- ret. Assumens enim carnem nostram, peccatum minimè sumpsit: quoniam virtus Spiritus sancti eum secreuit à reliquis.

Stulta etiam & fanatica consideratione tenentur, cum existimant dedecus inuri Christo, si eò demittatur, vt natura nostræ similis fiat. Idcirco imagantur, ipsius dignitati conuenientius esse, si cœleste corpus ei tribuatur. Respondeo, magnæ esse dementiæ, existimare gloriam Christi vllam in rem inui, vel ipsius dignitati vllò modo derogari, cum dicitur sese ita abiectum esse, atque ad eò exinaniuisse, salutis & redemptionis nostræ causa. Abiectiona multò dicuntur de eo, Psalmo. 22. Verem esse non hominem, opprobrium hominum, & abiectionem plebis. Similiter quod ait Iesaias, contemptum fuisse vt hominem nihili, instar leprosi habitum, annumeratum cum scelestis. Sed quis plura dicere posset quàm Paulus ipse? Nempe maledictum & execrabilem pro nobis factum esse. Si hoc honorem ipsi debitum imminueret, pudeat nos etiam fateri ipsum pro nobis cruci affixum fuisse. Fuit enim genus mortis magis infame & probrosum, quàm si quis hodie in furcas tolleretur. Quare ne stultis imaginationibus istis inhereamus, vt nostro more veneremur Christum: nec vereamur ipsum dedecore afficere, cum sic eum, quantum ad humanam naturam pertinet, propter nos abiectum fuisse agnoscimus. Vt enim ab æterno fuerat Deus, eiusdem gloriæ particeps cum Patre suo: sic etiam talis permansit sine vlla diminutione. Quòd induit carnem nostram, & in ea humiliter abiectus est, testimonium est memorabile infinitæ suæ bonitatis, & incomprehensibilis amoris, quo nos prosequutus est. Itaque, rãtum abest, vt celsitudini ipsius hoc vllò modo derogare possit, vt eius laudandi & magnificè extollendi, præcipua nobis sit materia. In summa, si Christum pro saluatore nostro verè agnoscere velimus, sequamur Ioãnis exhortationem, & fateamur ipsum in carne venisse: quòd nos Deo patri coniungeret,

per obediētiam quā ipsi in humanitate sua, quasi in persona nostra exhibuit. Qui talē cōfessionē edere recusat, Antichristus est: eāque exhorre, & execrari debemus.

Restabat alter articulus de animarum statu, postquam è corporum vinculis excesserunt: in quo etiam perniciosè errant Anabaptistæ. Sed quia hoc abundè author ipse alio libello Latinè scripto tractauit, quo apertissimis Scripturæ testimoniis animas, quæ ex hac vita decesserunt, in Christo viuere probat, eadem hîc repetere superuacaneum existimaui. Præstat enim omnino, quæ ab ipso authore scripta sunt, quàm à me conuersa legere. Quod etiam studiosis omnibus magis gratum esse scio. Itaque ad libelli conclusionem veniam.

*Testatus sum initio mihi minimè propositum esse omnes Anabaptistarum opiniones sigillatim expendere. Id enim esset immensam syluam ingredi, vnde nullus pateret exitus. Id quod etiam minimè necesse est. Susceptumque esset magis curiosum quàm vtile, colligere omnes imaginationes tam absurdas, quas stolidæ quæque istorum capita protulerunt. Mihi igitur satis fuit, quàm fidelissimè potui, breuiter tractare articulos, quibus vulgò adhærent ij, qui minus temulenti sunt cerebri, aut saltem non omnino vertiginosi. Nam de insanis illis & furiosis qui se Libertinos vocant, alio libro tractare institui. Nunc, vt finem faciam, pios omnes lectores rogatus velim, vt ad Scripturæ normam examinent omnia, vt lydius est lapis, quo doctrina omnis probatur. Nec dubito quin omnibus qui veritatem ducem sequentur, seque subijcient rationi, abunde satisfiat ijs, quæ in hisce articulis tractaui. Præterea me imbecilliorum ruditati, quorum gratia præcipuè laborabam, accommodare nisus sum. Sic Anabaptistæ minimè vt solent, calumniari poterunt, me subtilitatibus ipsos vincere, aut eloquētiam humanam artificio opprimere voluisse: cum formam adeò popularem & simplicem sequutus sim, vt simplicior desyderari non possit. Verùm fideles omnes à me de istorum malitia commoneferi necesse est. Quia causam non aliter approbare possunt, nisi confundant omnia: ita vt omnis eorum doctrina sit confusa quadam permixtio, quasi corpus capite, brachijs, & pedibus carens, vtuntur absurdis ac peregrinis formis loquendi, & dedita opera à legione, quod aiunt, ad culinam subinde transfiliunt, variósque sermones intertextunt: concisos & abruptos adducunt locos Scripturæ: atque in eo sibi placent, ac persuadent longè plus maiestatis id præse ferre si balbutiant & confuse loquantur, quàm si res digerant ordine. Horum autem confutandorum nulla melior iniri potest ratio, quàm si distinctè & dilucidè sigillatim & certo ordine materia quæque explicetur: expendanturque & obseruentur sententiæ Scripturæ, quò verus & naturalis eliciatur sensus: simplèxque & aperta sit oratio à communi hominum vsu minimè abhorrens. Cum id sit, clamant sibi à nobis imponi, seque humana ajiutia & sophistica circumueniri. Quasi verò talis sit mos aut institutum sophistarum, res inuolutas euoluere atque enudare. Equidem fateor me in eo studium & diligentiam adhibere, vt quæ trado, certo ordine disponam, vt facilem & claram intelligentiam præbeam. Si Anabaptistæ id ferre non possunt: nihil aliud respondeo, quàm exosam esse lucem ijs qui malè agunt.*




*Ut autem aliquid præterea coloris suæ doctrinæ afferrent, curarunt ut cum definitione sua excuderetur historia mortis cuiusdam Michaëlis affeclæ sui: ac certè hoc tanquam firmo clypeo regere se solent, multos obijisse mortem, quòd opiniones istas defendissent, nec voluisse villo modo ipsas retractare, cum alioqui ea conditione possent vitam suam redimere. Ac certè testimonium hoc perbellam speciem præsefert, ut doctrinæ alicui tribuatur authoritas, cum quis ad eam confirmandam constanter omnique difficultate sublata, vitam profundit. Ut cum proponuntur ea quæ Propheta, Apostoli, cæterique martyres perpessi sunt, ut veritatem Dei tuerentur: eo magis roboramur, & fidei nostræ, quam sanguine suo obsignarunt, firmitus adhareamus. Fateor igitur non esse paruifaciendam mortem seruorum Dei: cum in eius conspectu pretiosa sit: eorûmque constantia ac firmitudo, ad infirmitatem nostram iuuandam non paruo sit adiumento. Sed quia subinde possemus decipi, nisi vltra progredieremur: redeundum est ad fundamentum, sine quo certum aut firmum iudicium in hac causa ferri nequit. Certum est mortem hominis, quisquis ille sit, nunquam tanti esse debere, ut præiudicio sit veritati Dei: nec tantum valere, ut falsam ac peruersam doctrinam approbet. Hoc igitur teneamus: quemadmodum sana doctrina ac ratione subnixæ, à testium & confessorum, qui eam tuentur ac sustinent morte confirmationem capi: sic omnes vniuersi orbis homines moriendo nunquam mendacium approbaturus. Atque illud est discriminis inter Martyres Dei & Diaboli: quòd illi, pro iusta, hi pro iniusta causa tuenda moriuntur. Itaque, sicuti laudabilis constantia est, mortem, si res postulat, perpeti, ob testimonium veritatis: ita insana est obstinatio ob malæ causæ defensionem pati. Ad eòdè ut quòd quisque ob eam grauiora sustinet, eò magis sit vituperandus. Tantùm abest, ut hoc prætextu omni iudicio & consideratione priuati nos, statim rapi sinamus. Si veritatis diuinæ, quam predicamus, certitudo queritur, eam copiosam & vberem supra quàm necesse sit, habemus in morte Christi Domini nostri, omniumque Prophetarum, Apostolorum, ac Martyrum, tum primitiue Ecclesiæ, tum huiusce temporis. Quòd autem ei repugnat, frustra sanguine aut cara obsignatur: nunquam enim mendacium esse desinet.*

F I N I S.

ADVERSUS FANATICAM ET FVRIOSAM  
sectam Libertinorum, qui se Spirituales vocant, instructio.

P R A E F A T I O .

1. Cor. II.



NON abs re ait Paulus, sectas esse oportere: ut qui probati sunt manifesti fiant: nam si quid turbarum fuerit subortum in Ecclesia Dei, aut falsa aliqua doctrina emergat, detegitur ea occasione multorum animus, qui se Christianos haberi volunt: & qua quisque affectione Verbum Dei receperit, cognoscitur. Tunc enim qui constanter perseverant in veritate, eam in animis suis radices egisse re ipsa ostendunt: alij, dum seduci se facile sinunt, & quasi omni vento transferri, sua inconstantia demonstrant se eam leuiter tantum attigisse. Hoc nunc pluribus explicare nolo: sed tantum exemplum sumere eorum, quae oculis ipsis intuemur. Sathan à viginti annis, ut doctrinam Euangelij, quam emergere videbat, extingueret aut praefocaret, aut saltem diffamaret, & hominibus redderet odiosam, varias haereses & peruersas opiniones excitauit. Plurimi qui antea fideliter in pura Euangelij doctrina edocui fuerant, statim abrepti atque abalienati sunt. Alij, quorum animus ad sustinendas offensiones paratus erat, magis ac magis roborati sunt, & in Verbo Dei confirmati. Hoc, ut dixi, sic euenire vult Dominus: atque ita statuit, tum ut probet suos, tum ut hypocrisim & vanitatem eorum detegat, qui se fideles profitebantur, priusquam oblata esset materia incredulitatis ipsorum dignoscendae. Nonnullos quidem certè ignorantia & simplicitate circumueniri accidit: sed dubium non est Dominum fuisse tales labi, ut eos in posterum humiliores redderet, & magis erudiret: ut priore securitate sua aut arrogantia correcta, firmitus ac solidius fundamentum habeant in Verbo Dei. Adeo ut nemo à recta via abductus, quò mendacio & falsitati adhereret, excusationem habeat, quin ipsius culpa assignandum sit: ac merito puniatur, quòd nò, ut par erat, amauerit ac timuerit Deum: sicuti postea dicemus. Quicquid su, cum scelestas & perniciosas aliqua secta pullulare coepit, praesertim verò cum augetur, eorum quos Deus ad aedificandam Ecclesiam constituit, officium est, ire obuiam ac fortiter obistere, priusquam ad perdenda & corrumpeuda omnia vires sumpserit. Et certè, cum sint Ecclesiae pastores, nò solum lecta cibaria gregi Domini administrare debent: sed etiam excubias agere, aduersus lupos & fures: ut si ad gregem accedere voluerint, eos magnis clamoribus & acri vociferatione quam longissimè summoueant. Licet, ut propriè loquamur, Haeretici non solum lupos & furibus similes, sed longè deteriores sint. Quia dum sacrosanctum Verbum Dei corrumpunt, tanquam venefici sub specie boni cibi, quo se alios pascere velle fingunt, miseris animas trucidant. Adhuc cum Sathan modis omnibus moliatur dissipationem sanctissimae vnitatis huius, quae habemus in Christo per Verbum ipsius, eo magis nos ipso verbo ad Ecclesiam conseruandam armari decet, ut eo veluti gladio & clypeo utamur ad eiusmodi machinationes repellendas. Quia verò Domino nostro, per immensam ipsius bonitatem placuit, nulla habita ratione qualis ipse essem, me ad eorum numerum adiungere, quos non solum ad veritatem suam publicandam, sed eam quoque asserendam contra aduersarios omnes constituit: ut

me ipsum

meipsum pro ea facultate, quam mihi concessit, ei muneri impendam necesse est. Cum etiam multi boni viri ac fideles intelligerent, partim etiam oculis intuerentur horribilem dissipationem quam isti male feriatii homines inchoauerunt, mihi assidue instare non desierunt, donec me manum operi adhibiturum recepi.

CAPVT I. VBI DOCETVR QVAM PERNICIOSA SIT SECTA Libertinorum.



Amet si omnes Hæreticorum secta, pestes lethales sint in Christiana re- publica: tamen in veteribus historijs nusquam legimus vllam fuisse adeo perniciosam, quam ea est, quæ hodie Libertinorum vocatur. Verum, vtscelerata, ita longè magis prodigiosa ac belluina est: adeo vt nemo sana mente præditus, sine horrore de ea cogitare possit. Cæterum, hoc saltem boni est, quod terreri nos minimè decet, ac si noui aliquid contineret. Quòd enim attinet ad summam doctrinæ, ea iam Apostolorum temporibus, saltem aliqua ex parte, vt statim ostendam, initiũ cœpit. Reliqua habent à Valèrianis, Cerdonitis, aut Manichæis, qui ante quadringentos & mille annos Ecclesiam Dei cõturbauerunt. Hi quidem homines indocti sunt, ac idiotæ, qui non vsque ad eò euoluendis chartis sunt exercitati, vt ex eis deliria sua addiscere potuerint. Nec verisimile est ipsos scire vllam vnquam de his mentionẽ habitam fuisse. Deniq; id lætione percipere non potuerunt: sed idem magister, qui veteres illos Hæreticos olim suscitauit, eadẽ doctrinã istos imbuere potuit, quã illos instruxerat. Cùm enim, vt monet Christus, sciamuseum ab initio patrẽ fuisse mendacij, minimè dubium est errores, quotquot vnquam fuerunt, ac futuri sunt, in eius officina fabricatos esse. Quo fit, vt mirum non sit ipsum infælicem hanc sectam iterũ experge fecisse: atq; ignaros homines excitasse, à quibus instauraretur. Nec enim quempia alia schola edoctum fuisse opus est, quò discat blasphemare Deum, & malitiosis astutijs veritatem eius euertere. Quicquid enim est inuentionum ad veritatem impugnandam, sub mendacij nomine comprehenditur, cuius ipse doctor est præcipuus. Sed quoniam leue esset iddicere, nisi re ipsa ita esse ostendam: videndum est, num ea quæ dixi, vera sint: & claris probationibus demonstrandum, Libertinos nihil noui producere, quòd attinet ad præcipua capita doctrinæ suæ: sed iam Apostolorum temporibus similes fuisse Hæreticos, ac statim postea alios subortos esse, qui eadem deliria sequebantur, quibus isti totum orbem cupiunt inficere. Sic enim qualis sit eorum secta, facile poterit iudicari.

Ioan. 8.

QVID SIMILITVDINIS HABEAT LIBERTINORUM secta cum ea, de qua Petrus & Iudas loquuntur. Cap. II.

EX posteriore epistola Petri, tum etiam ex ea quam Iudas scripsit, perspicitur iam eo tempore sceleratorum sectam fuisse, qui sub Christiana religionis nomine simplices ad vitæ genus dissolutæ adducebant: sublato omni discrimine boni & mali, vanis adulationibus sopiebant conscientias: vt sine vllò scrupulo vnusquisque viueret suo arbitrato: Christiana libertate abutentes, frænum laxabant cuius carnis licentiæ: in eo sese oblectantes, vt totum orbem confunderent, omnemque politiam, ordinem, humanitatem, denique honestum omne inuenteret. His enim verbis vititur Petrus, veluti mutæ bestia, animales, genitæ ad captionem & perniciem, ijs quæ non intelligunt malè dicentes, in vanis voluptatibus fælicitatem cõstituunt. Deinde eos nubibus comparat, quæ tempestate huc & illuc agitantur: & fontibus

2. Pe. 2.

vacuis aqua: quòd cùm sublimi stylo insonuerint, ac si uellent auditores supra cœlos transserre, ad carnis delicias ipsos attrahunt, & in concupiscentias iterum deiciunt, à quibus sese subduxerant: & cùm omni corruptioni seruiant, libertatem illis pollicentur. Similiter Iudas ait: Quæ non nouerunt, ea maledictis insectari: neque præter carnalem sensum, vllã cognitionẽ habere: & ut animantia expertia rationis in omni apprehensione corrumpi. Quisquis nouerit quales sint Libertini, & attentè diligenterque eos locos obseruarit, facillè iudicabit Spiritum sanctũ eos describere voluisse, vt moniti nobis ipsis caueremus. Ego profecio nunquam planè & perspicuè, quæ ibi descripta sunt, intellexissem, nisi ea in ipsis recognoscerẽ. Sed quoniam non omnes eos nouerunt: optimũ erit notas istas, vt re vera ad eos pertinent, accommodare. Primũ, quòd attinet ad sublime & tumidũ illud dicendi genus, de quo illic fit mentio: obseruandũ est cùm istos audire cœperis, parum abfuturum, quin ecstasi aliquando supra nubes raptos fuisse putes. Nam, præterquam quòd totus eorum sermo de spiritu est, idiomate quodã ad eò peregrino loquuntur, vt qui ipsis audiunt, prima facie stupefiant. Id autẽ affectat ex industria, vt auditores rapiant in admirationem, & talibus fumis eorũ oculos perstringant, sicq; prius obrepant in eorũ animos, quàm abominationẽ doctrinæ ipsorum potuerint animaduertere. Sed postquam sublimia præcemia sua despumauerunt, statim in barathrũ hoc decidunt, vt sublato omni discrimine, homines pecudibus similes reddant. Persuadent enim frustra hominem torqueri, si quo vlla in re scrupulo pungatur: sed vnumquenq; debere sese suo spiritui ducendam cõmittere. Sic omnẽ ordinem confundunt, & cum Dei timorem, eiuq; iudiciũ, quo tanguntur fideles, tum etiam omnem honesti respectum ludibrio habent. Ea scilicet est libertas, quam promittunt, vt homo sit ita suæ libidini & cupiditati addictus, vt sine difficultate omnia perperet, ac si nulli legi, aut rationi esset subditus. Id enim pro seruitute habent, de qua nihil prorsus audire volunt. Si quis in ipsos falso criminari putet, digito ostendam me solum ipsorum verba recitare: ac tantummodo vsu raris loquendi formis ea proferre, quæ ipsi peregrino sermone transformant. Quod suo loco patefiet.

DE SIMILITVDINE QUAM LIBERTINI HABENT cum multis veteribus Hæreticis. Cap. III.

STATIM post tẽpora Apostolorũ exorta sunt Hæreses portetose, vt mirũ sit deliria ad eò absurda, in hominũ mentes irrepere vnquã potuisse. His tamen vexata est per aliquod tempus Ecclesia Christiana. Sed postquã cognita est tanta absurditas, vnusquisq; abhorruit: ad eò vt à mille & ducentis annis, nemo in toto orbe sit repertus, qui ijs adherere voluerit, aut saltẽ ausus f. erit profiteri, vsq; ad istos dies quibus infælices isti, qui se Libertinos vocant, à Sathana incitati fuere: non tantũ vt si nili modo quo ceteri blasphemarent, sed vt execrabiliores etiam errores adiungerent. Primus fuit Cerdo, qui duo principia ponebat: alterũ bonum, alterum malum: atq; aiebat ab vno quicquid in mundo est venire, & ex propria ipsius substantia esse. Sic resurrectionẽ negabat: quia imaginabatur omnia, quæ ab vno horum principiorũ orta erant, ad suam originem redire. Christum verò dicebat imaginariè tantũ apparuisse: & passum esse. Postea, exortus est Marcio, ei ferè similis: nam eius verbis nouã formam induxit, potius vt nouæ opinionis gloria potiretur, quàm vt ea quæ perperam dicta fuerant, colore aliquo tegeret. Eodẽ ferè tempore fuerũt & Gnostici, qui se hoc nomine appellabant, vt excellentẽ sibi supra ceteros cognitionem

tionem tribuerent: quãuis fideles eos nominarent: Bonitas, vt ostenderent se illos tam nihil facere, quã ranae ex coeno profectas. Hi similiter affumabant animã ex propria Dei substantia esse: duoque principia constituebant, alterũ bonum, alterũ malum: afferentes animas, quae se castas & puras in humanis corporibus seruassent, ad boni Dei naturam reuerti: ad mali verò naturã, quae se foedis voluptatibus polluissent. Ceteri in obcuro & peregrino sermone utebantur, vt de rebus spiritualibus obgãnientes minimè intelligi possent. Haud magna erat inter ipsos, & Valentiniãni, & Apelle differentia: nisi quòd vnusquisque ad dicta aliorum aliquid adiungebat de suo: vt se noua secta auctores constituerent. & famã inde aliquã colligerent. Sed quia Manichæorum secta inter reliquas percelebris fuit, & maiorem sectatorum multitudinẽ habuit, & fuit diuturnior, consarcinauit etiam vndiquaque errores, vt in falsis doctrinis copiosius abundaret, sumenda praesertim erit veluti pro speculo, vt demonstremus id quod volumus. Illi igitur reiecto veteri Testamento, legem & Prophetas ludibrio habentes, Deum crudelitatis & nimij rigoris accusabant. Ex nouo Testamento, si ars, decerpebant ea, quae ad rem ipsorum videbantur facere, abiectis ijs, quae minimè ipsis placebant, aut eorum opinioni aduersabantur. Deinde duos diuersos Deos constituebant, alterum boni, alterum mali initium. Similiter, duas in homine animas fingeant: alteram à bono Deo profectam, quam dicebant inferioribus istis rebus pollui: ideoque purgandam: vt veluti gradibus ad primam originem suam rediret: alteram verò, corrigi non posse dicebant: sed in tenebris, vnde initium habebat, redire. Purgationes autem illorum nefaria erant praestigiae & execrabiles foeditates, sicut & aliorũ hereticorũ, quos supra neminãui. Animas eorum qui à secta sua alieni erant, in animantia bruta redire affirmabant. Praeterea, in tres ordines siue classes, eorum secta diuisa erat. Doctores, Macaros, id est, fulices se vocabant: Cathartas verò, cum in purgandi officium suum exercebant. Deinde, scholasticorum duae erant species. Alij quibus arcana scholae reuelabant, vocabantur Electi: alij, quos cernimus pedetrim inescabant: nominalantur. Auditores. Quãuis nondũ hic locus sit de ducenda articulatim & distinctè doctrina Libertinorũ: nunc tamẽ notare debemus, veteres illas haereses, quas recessui, solum ab ipsis expergefactas esse, vt cõtones ex singulis colligendo cõfusionũ acernũ strueret: nisi quòd tandem hoc consequuti sunt, vt alijs omnibus dissolutiores essent, ac tam dementia, quã impudẽtia vinceret omnes. Initio audacter reijciebant Scripturas: probrosas etiã scõmatibus vnũquenque Apostolorũ inessebant, vt eorum autoritatẽ eleuarent. Apud eos Paulus, vas confractum erat: Petrus, abnegator Dei: Ioannes, adolescens stolidulus: Matthæus, fornicator. Nec villo pudore retinebantur, quo minus ita apertè blasphemarent. Post ea cum viderent se ita alloquentes omnibus esse horrore, tectius & obscurius agendum esse animaduertunt: Vt simulãtes se Scripturã minimè reijcere, in allegorias ipsam cõuertent & detorqueant in alienos & peregrinos sensus: equũ in hominẽ transformãtes, & (quod vulgò dicimus) fingentes nubẽ laternæ cornu esse. Quã astutiã à Priscillianistis acceperunt, qui olim hoc artificio utebantur & in eo à Manichæis differebãt. Postea, quomodo talibus allegorijs inuertant & torqueant Scripturas, tractabimus. His enim, quae nũc refero, solũ ostendere volo, quã viã secuti sint, & quales fuerint eorũ antecessores. Quantũ ad Deũ & animarũ substantiã, tãmet si nõ eodẽ omnino modo, quo Manichæi, loquuntur: quae tamẽ obstrepunt & obscure musitat, eò redeunt, vnũ tantũ esse spiritũ, Deũ scilicet: ex altera parte, mũdum: creaturas omnes nihil esse, nisi quòd homines spiritu Dei, qui in ipsis est, cõseruãtur, quoad sese subduxerit: quod autẽ præter id habent, non nisi mundum esse aut Satanã, aut nihil. Si quis eorum secta sit, ipsum factũ Deũ, atque animã ipsius spiritũ Dei esse autẽ, nec tamẽ plus ipsum faciunt, quã equum: quia nihil in ipso est, præter mundum, quod nihil est. Quòd si rem ad viuum persequamur, comperiemus eos somnia sua super fundamentum Manichæo-

rum edificare, quod attinet ad duo principia: nisi quod faciliore viam inuenerunt, quam Manichæi, qua se ipsos Deos ficerent. Nam purgationum & exorcismorum loco, in quibus illi multum operæ ponebant, hi sui purgandi causa nihil aliud habent, quam vt claudant oculos, ac omne boni & mali discrimen tollant, & sopiant conscientias, ne quo inferorum timore percelli possint, tuncque sunt Angelis nitidiores. Qui cquid Christiani de vita æterna, de resurrectione tenent, ipsis fabula est. Hoc enim imaginantur: animam hominis, quæ est Deus, ad se ipsam redire, cum ad mortem ventum est: non vt tanquam anima humana, sed tanquam Deus ipse viuat, sicuti ab initio, quod postea pluribus declarabitur. Quod attinet ad diuersos discipulorum gradus, Manichæorum omnino sequuntur morem. Nec enim facile prodeunt, quò se patefaciant: nec unicuique, quod animo gerunt, declarant: sed diu suspensos tenent, & per longas ambages circumagiunt, quos volunt ad sectam suam adducere: nec prius arcanum excubiarum symbolum, vt aiunt, ipsis reuelant, quam per spiciat ita à se fascinosos esse, vt facile quicquid voluerint, persuadeant. Solum ijs qui veluti iureiurando astricti sunt, detegunt mysteria sua: nisi quod primarij doctores sibi semper capita aliqua reseruant, quibus existimationem suam & dignitatem tueantur. Nunc comparationes istas attingisse sufficiet: nam ordo quem sequi instituimus, vt pluribus rem tractemus, postulabit.

QVALE FUIT INITIVM SECTÆ LIBERTINORUM, quique eius fuerint præcipui duces. Cap. IIII.

**E**QUIDEM si in vniuersum comprehendere aut recitare vellem omnes, qui hunc Libertinorū titulum assumpserunt, quique ad vagis istorum imaginationes accesserunt, de quibus hoc libro tractare institui, nunquam finem facerem. Etenim varix fuerunt sectæ, tum in Hollandia, tum in Brabantia, cæterisque inferioris Germaniæ regionibus. Sed quia ijs solum scribo, quibus linguæ Gallicæ vsus est, ab ijs quæ in alijs regionibus acciderunt recitandis, tanquam à re superflua, abstinere. Mihi satis erit, si commonefeco paucis, quomodo venenū hoc ad nostrates peruenierit: quique primi hic atque illic ipsum sparserūt. Quod vt narrare incipiam: à quindecim annis & eò plus, Flander quidam nomine Coppinus Insulanus, vir indoctus, cui nihil omnino erat quo se promoueret, præter audaciam, facies istas, in ea ciuitate qua natus erat, cõmouere cœpit. Postea subortus est alius nomine Quintinus, qui tantū collegit famæ, vt prioris extinxerit memoriam: adeò vt huius sectæ caput & author existimeretur. Et qua superbia ganeo iste præditus est, hac existimatione vehementer oblectatur ac diligenter cauet, ne mentionē faciat illius magistri: aut ab eo quicquid videatur didicisse. Hic ex Harmonia aut circa eam regionem natus est. Ex quo autem tempore in Franciam venerit, non satis scio. Hoc tamen scio, me ante annos decem illum vidisse. Tunc illi societate coniunctus erat quidam, nomine Bertrandus: quidam à Moletrinis, qui nuper aut Deus aut nihil factus est, ex eorum opinione: id est, excessit è vita. Ego verò non solum ipsos nollem falso criminari, sed si quis id faceret, pro viribus impedirem. Tamen dissimulare non possum quod ex Stephano à fabrica intellexi: (cuius recordatio, vt sancti Christi martyris, inter fideles sancta esse debet:) nempe istos potius ob maleficia, quam ob verbum Dei, è patria sua egressos esse. Intelligo etiam, tertium quendam nomine Claudium Perseualum his adiunctum fuisse. Hi omnes tam egregiam operam nauarunt, vt quamplurimos corrumperint in Franciam: adeò vt nullo habitarent in loco, quem purum & integrum ab hac contagione reliquerint. Quanquam interim idem agere & moliri in patria sua non desierint, vt simpliciores & idiotas aut quos reperiabant, ad sui imitationē appositos, seducerent. In quo ita profecerunt, vt horribile auditu sit, quàm infecta sint illic omnia. Verum, quod omiseram, opem etiam eis tulit quidam sacerdos, statura paruus, quem Antonium Pocquium vocant:

eant, quem etiam à tribus annis cognoui. En totius ordinis primi doctores, & veluti Patriar-  
 chæ. Postea eorum exemplo vnusquisque, quemadmodum & illi, aliquid nominis sibi com-  
 parare nisus est. Flandris, Hollandus & Brabantinus, vt iam d. xi, abstincbo. Sed in Gallica  
 lingua, iam veluti examen Doctorum huius seclæ reperietur, qui tertio statim die eum gra-  
 dum adepti sunt: nec quisquam eorum est, qui maximus esse non appetat. Nec profectò mi-  
 rum est. Non enim idem est, ac si doctum aut præclaro ingenio præditum esse ad aliquam exi-  
 stimationem consequendam oporteret: sola enim impudentia illic palmam obtinet. Ac cer-  
 tè omnes, de quibus sum loquutus, adeò ignari sumi supra quàm dici potest. Nec quicquam eo-  
 rum sermonibus inest, vt vulgò dici solet, aut ritui aut rationis: non magis quàm si cetaria  
 de astrologia disputarent. Quòd autem Quintinus eiusque socius ex sartoribus Doctores  
 facti, atque ita immutati sunt, id in causa fuit, quòd delicatè & molliter viuere vellent: nec  
 sibi putarent labores conuenire. Propterea commodius cernimò existimarunt, vt quemad-  
 modum sacerdotes & monachi cantillando, sic ipsi garriculationem quaerent. Tamen si  
 alter eorum hostiarius, aliter cubicularius libenter fieri sustinuerit. Quòd ad Antonium  
 attinet, putauit amœna sibi voluptati fore, si postquam Missam suam cecinit, has specula-  
 tiones ruminaret. Nec enim eius conditionis homines multum negotiorum, quibus  
 occupentur. Sed cum explicatum fuerit, in quo sita sit eorum sapientia, adhuc apertius per-  
 sticietur, quàm facillè sit strenuum se gerere ad magnam famam statim colligendam. Dux  
 rationes me ad istos infelices nominandos impulerunt, qui alioqui ne mentione quidem in vlla  
 digni sunt: tantùm abest, vt charta debeant eorum nominibus cõspurcari. Primum nonnulli  
 qui ignorabant quid sibi vellent Libertinorum nomen, id Quintini nomine cognituri sunt.  
 Expedit etiam beluas adeò perniciosas nota aliqua insigniri, vt dignosci possint ab vnoquo-  
 que: nec quisquam non monitus damnum aliquod recipiat. Ceterum minimè ignoro me haud  
 gratum omnibus facturum, quòd eos nuncinem. Sed quid agerem? Cùm quatuor ganeores  
 video, qui plusquam quatuor millia hominum in exuium dixerunt, etiamnum hunc assidue  
 lapidem voluere (aut tres saltem) vt euertant veritatem Dei, miseram Ecclesiam dissi-  
 pent, in errorem abducant omnes, quos irretire possunt, blasphemias execrabiles stargant,  
 & quod omnium deterrimum est, totum orbem perturbent ea confusione, à qua bestia ipsæ  
 abhorrent: an tacere debeo aut dissimulare? Quàm verò crudelis essem, si vt parcerem  
 alicui, aut placerem, sinerem ab ijs vastari & destrui cuncta, neque monerem homines, vt  
 sibi præcauerent? Si scirem viam aliquam à latronibus obsideri, nõnne meum esset id reue-  
 lare, ne miseri viatores in eorum manus inciderent? An ego veneficos celare deberem,  
 qui in vniuersi alicuius populi necem conspirassent? Nullum est autem latrocinium adeò  
 scelestum, nec venenum adeò perniciosum, quàm execrabilis hæc doctrina: quæ eò tendit, vt  
 non solum Christianam religionem, sed etiam honestatem omnem atque humanitatem dissi-  
 pet ac deleat, quæ hæctenus etiam inter Turcas ipsos atque infideles semper valuit. Si igitur  
 hoc facerem, meritò ipse censerer homicida: cum malo veluti assensum præberem. Ego-  
 ne obmutescerem, cum istos video ita Christi nomine abutentes, vt eius prætextu abomi-  
 nationem omnium, quæ vnquam in vniuerso orbe fuerunt, teterrimam introducant, ac ipsi  
 Christo probrum iniurant, quòd Diabolo deterior censerì possit. Hoc si facerem, nõnne essem  
 canis recordior, qui de minum suum inuadi non sinit, quin saltem oblatret? Elato igitur cla-  
 more vociferari cogor: si vlli vnquam fuerunt hæretici, qui effræni & profusa libidine, non  
 dico falsas opiniones & errores, sed execrabiles & horrendas blasphemias protulerint,  
 omnes fuisse ab his superatos. Nunquam talia fuerunt monstra, adeò vnquam abominanda,  
 quàm Quintinus, cum sua cohorte. Præclarum profectò esset me Papam eiusque socios atque

ad ministros pro viribus infumare (nec enim aliter Ecclesiam Dei edificare possum, quam bellum gerens cum istis, qui eam diruere conantur) interim autem istis parcere, qui hostes Dei sunt longe perniciosiores, veritatemque ipsius magis euertunt. Nam Papa aliquando adhuc religionis formam relinquit: spiritus vite eternam non tollit: docet timendum esse Deum: aliquod statuit boni & mali discrimen: Christum verum Deum atque hominem agnoscit, aliquid autoritatis tribuit Verbo Dei. Istis autem, hic finis propositus est, ut calumiam terram misceant: omnem religionem in nihilum redigant: omnem ingenij humani cogitationem deleant: sopiant veluti lethargo conscientias: nec vllum prorsus inter homines & bestias discrimen relinquunt. Causa cur tandem tacuerim, ea fuit, quod tam absurda deliria placide euanescere, priusquam in hominum notitiam venirent, optabam. At cum Dominus colluuiem istam tam late spargi sruerit, ut publica sit contagio, nullum iam silendi tempus est. Quamobrem nemo conqueri poterit, quod tam sceleratos homines detegimus nisi etiam proderet vellet se non inuitum opem eis laturn ad nocendum, eorum nequitiam tegendo. Si quæ ratio esset supprimenda eorum turpitudinis, hac lege ne silentio aleretur, eam libenter tenerem. Sed cum omnino necesse sit me digito ipsos commonstrare, ne nocere pergant, nemo certe offendi debet, præsertim cum diuturnitas moræ, me necessitate prorsus pergere ostendat. Si prima facie sic efferbuissem, ut scripsissem aduersus ipsos, tamen si officij mei finis non essem prætergressus, tamen morosus aliquis me nimis festinationis arguendi colore habuisset. Nunc autem cum post longam expectationem mihi nullum aliud remedium supersit: si quis iniquo animo ferat, quomodo suspicionem eluere poterit, quominus eorum conscius ac fautor censeatur? Quinimo quisquis vel tantillum zeli habet, potius niti debet, ut cognoscatur à summis & infimis. Ac omnes ad pueros vsque ipsos conspuere in faciem prætereantium deberent, ut hoc execrationis signo, pudore afficerent eos, qui dum ipsos tuentur multis animarum millibus exitij causa fuerunt. præter offendicula & remoras quibus, Euangelij cursus vehementer retardatus est, ac, ne in posterum magis retardetur, periculum est, nisi Deus Opt. Max. infinita bonitate sua obuiam eat. Quod ad infamiam, quæ illis inde iniuri potest, an mihi curæ esse debet illorum fumam tueri, qui sacrosanctum nomen Dei, & verbum ipsius maiori probro & ignominia exponunt, quam vllum fuerit idolum ab initio mundi? Ad hæc, maior adhuc ratio me ad hoc faciendum impellit. Quantum enim perspicere potui, carnes isti hæc vtuntur astutia, ut sese insinuent sub prætextu nominis seruorum Dei, sicque simpliciores seducant. Sicuti à duobus iam circiter annis, cum Henricus Pocquius aliquod tempus in hac ciuitate egisset, ac dissimulasset nefariam doctrinam suam: discedens hæc agabat, & sollicitè curabat, ut testimonium aliquod ex me haberet, quo sese iunaret apud eos, qui mihi aliquid tribuunt autoritatis, ac si diabolicos eius errores approbare. Personam verò suam non sic callidè egerat, quin saltem eum pro deliro & fanatico homine habuissem: ut in cœtu etiam nostro eum monui: quantum nequitiam eius ignorarem, quæ postea mihi comperta fuit. Certior enim factus sum ipsum tunc, ex Annonia & Artesio à spargendo veneno suo rediisse. Cùm se nihil à me elicere posse perspexit, tum mihi allegauit fratrem nostrum, Martinum Bucerum, (cuius nomen apud Christianos omnes honorificum esse debet) quod ei denegabam, facile concessisse. Vnde apertissimè constat, istum, dum venenum suum celabat, probum illum Dei seruum se fuisse: ut postea eius autoritate abuteretur: atque aditum sibi patefaceret ad eos, qui aliquo Dei timore tenentur. Quæso, an silendum mihi est, cùm oculis ipsis intueor impuros istos atque impudentes, nobis, id etiam ignorantibus, quasi lenonibus uti, ut miseris animas corrumpant? Quam strenuè silentio nostro abutentur, cùm adeo inuerecundi sint, ut nefaria doctrinæ suæ à nobis approbationem extorquere velint? Quamobrem, æquisimum est eis laruam detrahere, quæ aliam for-



man induere nituntur, ut detestabiles conatus suos perficiant, hoc est ut honorē Dei euer-  
tant, & salutem animarum.

QUI FIERI POSSIT UT A DEO BELLVINAE  
fr̄ctionis tot sint affectus: ubi etiam tractatur, quæ hominum ge-  
nera eam sectentur. Cap. V.

**D**ICET hic quispiã: cum hæc doctrina adeò absurda sit, neque solùm sacrosanctæ Scri-  
pturæ, verùm etiam omni humanitati repugnet: cum etiam eius doctores adeò rudes &  
ignari sint, qui fieri potest, ut tot sectatores habeant? unde fit ut multos ad se adducant, qui an-  
tea puræ Euangelij doctrinæ gustum habuerunt? Primum, sicuti Dominus sectas excitari si-  
nit, ut vniuscuiusque cōstantia probetur: & boni à malis discerni possint: ita declarationem  
talē fieri, itaque euenire necesse est, ut plurimi, qui in speciē Euangelium sequi videbãtur,  
& formam Christianorum induerant, tandem quales sunt, patefiant: ut purgetur eiusmodi  
fecibus Ecclesia Christiana: sintque exemplo cæteris: quo discant omnes, cum Deo minimè  
iocandum esse. Verùm præter radicem communem & quasi matrem omnium hæresum, ar-  
rogantiam videlicet, aut confidentiam, si propius intuemur, comperiemus duo vitia in causa  
fuisse, cur tanta hominum multitudo in hosce errores incideret. Nonnulli enim stultæ curio-  
sitati addicti, ad vanas & superfluas quæstiones animum appellebant: cum debuissent vtilia  
& ædificationi propria quærere: nec Scripturæ simplicitate cōtenti, in vanis & friuolis spe-  
culationibus, velut in aëre volitabant: quò vel satisfacerent insanæ & improbæ suæ cupidita-  
ti, vel se subtiliores esse, ac sublimiora persequi ostenderent.

Alij, qui Euangelij puritate imbui cœperant, ea abusi sunt, non tantùm ceu scientia  
profana, sed etiam ut effrenem licentiam sibi sumerent, ac vitam ducerent flagitiosam &  
dissolutam: aut cum perspicerent id Euangelio minimè permitti, sed potius ipso quasi freno  
se cohiberi, secessus aliquos aut diuerticula quærebant, ubi sese in omnium turpitudinem pro-  
fundere ipsis liceret. Ac quidem certè omnes huius sectæ discipuli, ferè sub ista duo gene-  
ra comprehenduntur. Aut enim sunt fanatici, qui stultas & euanas quæstiones solùm  
mouere cupiunt, & in rerum inutilium occupatione delectantur: aut homines profani, qui  
iugo Christi ferendo fatigati, deinceps sopire voluerunt conscientias suas, ut sine vlla  
religione, Sathanæ inferuissent. Verùm adhuc quæri poterit: quò fieri possit, ut ij qui  
studium suum in eo applicant, ut maiora inquirent, quam ad se pertineat, se ineptijs adeò  
puerilibus stupefieri sinant, quibus rudissimi omnium atque obtusissimi haudquaquam fal-  
lerentur? Ac vehementer quidem nouum videtur, eos, qui quamlongissimè à Deo fugere  
cupiunt, ut suo arbitrio viuant, posse delirijs tam absurdis acquiescere. At respondeo, iu-  
stam esse vindictā Dei, qua ipsos in reprobum sensum tradit, ut bestijs sint persimiles, nisi  
quòd speciem, & figuram hominum gerunt. Quanto enim dedecore Deum huius se-  
ctæ principes affecerunt, dum vagi ipsi & tanquam abreptij, inuestigandis nouis quæstioni-  
bus incumbabant, ac si cœlestis sapientia, quæ nobis per Euangelium reuelata est, pro ipso-  
rum magnitudine nimium simplex & abiecta foret. Cum Deus idoneus ipsis magister non  
videatur, nonne æquissimū est eos ab ipso tradi Sathanæ, & ad eius scholam ablegari? Cum  
intra veritatis terminos ingenium eorum contineri nequeat, nonne in labyrinthum fallaci-  
arum ingredi necesse est, ubi aut via aut semita nulla sit? Qui verò doctrina Euan-  
gelij sic abusi sunt, ut ea occasione se à recta viuēdi via subducerent: aut quia eā, ut nimium au-  
sterā ferre nō potuerūt: nonne digni erāt quibus sensus cōmunis, & omne boni & mali dis-  
crimen tolleretur? Cognoscamus ergo Deū sic vlcisci cōtumeliam, quæ verbo suo irrogatur;

dū ab alijs habetur contēptui, ab alijs in occasionem flagitiosæ licētiæ rapitur. Cū autem homines sic se à verbo Dei excluderunt: quo solo tanquam lumine ad rectam viam dirigimur: hæc Pauli sententiā in ipsis impleri oportet: nempe, ut Deus dei efficaciam Satanæ, quò eos quotique libuerit abripiat. En paucas causas præcipuas retuli, cur Quintinus eiusque socij tot habeant sectatores. Caterum, haud inficior, quin a stultitia qua vtuntur, plurimum ipsos iuuet. nam initio, tam nouo atque insolenti sermone vtuntur, ut rapiantur idiotæ, credentes se in caelos sublaturum iri: sicque auditores suos diuisus pensos tenent, quoad ipsos ita fascinarint ut persuadeantur, umbram, quod dici solet, esse arborem. Hac porro ratione plurimos ab ipsis illaqueatos esse certissimum est. Eos enim qui sese facilius committunt, pedetentim hæc & illac circumducunt, sicque nouo illo & obscuro loquendi genere stupefaciunt, & perstringūt oculos, ut album (quod vulgò dicimus) à nigro distinguere non possint. Nec tamen in tam crassa ignorantiā & delirij adeo stultis & absurdis quicquā proficerent, ut ad se allicerent homines, sicuti faciūt, nisi Dominus eos punire vellet, qui se irretiri sinunt, eosque in re probū sensim traderet, quòd nec sibi nec verbo suo acquiescere voluerint. Denique præcipua quædā est causa, quæ spectat ad principes & omnes magistratus cuiusvis ordinis: nempe quia nituntur impedire, quò minus sana Dei doctrina in eorum ditiones perueniat, eamque abolere conantur & extinguere: dū eos persequitur, qui aut eam annuntiant, aut vias sternunt, quibus ad ipsam perueniri possit: quibus denique possunt modus, eā procul reijciūt & propulsant. Ideò Dominus eos punit, dum sinit ipsorum regiones hæc colluuiæ infici. Nōne verò acquisitū est, cū reijciant benedictionē Dei, eius loco maledictionem illi succedere? Hoc quid minime cogitant, quin potius existimant gladijs & ignibus sese quod volunt facile effecturos. Verim falluntur. Quicquid enim moliantur & faciant, fortius erit verbū Dei, ac superabit impedimenta omnia, quæ ad abrumpendum eius cursum ab ipsis obijciuntur: atque Ecclesia ipsa augetur in medijs persecutioibus. Interim efficiet Deus, ut flagitiosæ sectæ magis ac magis in ipsorū regionibus pullulent, quibus eorū populi corrumpantur, quoad in tantam confusionē venerint, ut nemo hominū mederi possit. Nihil enim proficiet, quando diu eo vtentur consilio, quo sine discrimine puniant omnes, qui Antichristi superstitionibus aduersantur: quoniam nulla est alia euellēdis impijs sectis & hæresibus apta ratio, quàm si puræ Dei veritati, quæ vna suo splendore tenebris fugat, locus detur. Quod ipsa experientia apertissimè docet.

### QVIBVS REMEDIIS CAVERE QVIS

possit, ne in Libertinorum errores incidat: aut si iam foriè inciderit, sese eripiat. Cap. VI.

**C**VM Dominus promiserit sese cogitationē suā patefacturum ijs, qui in timore & humilitate ipsum querent: si ad eum cupimus accedere, hoc iter teneamus. Demus, videlicet, operam, ut eum cognoscamus in Domino Iesu Christo: nec tantum nobis arrogemus, ut putemus nos in tantā sublimitatē proprio ingenio euolatuos: sed rogemus ut nos idoneos reddat, ad capeffendā eius doctrinā, quòd nequimus efficere, nisi prius abiecerimus istam arrogantiam, ne plusquā par sit sapere appetamus. Vnū inquam Deū cognoscere optemus in Christo Iesu, nec quicquā aliud nobis propositū sit: ut re vera Deus nihil aliud nobis Verbo suo proponit. Nec tam moroso ingenio, aut delicatis auribus præditi simus, quin acquiescamus puræ & simplici veritati, in qua infiniti Dei thesauri inclusi sunt. Ne profanemus Verbi Dei ipsum aut in vanā & infrugiferā scientiā, aut in aliū usum, quàm in ædificationē, coferēdo. Ne in vanū recipiamus ipsum: contemntes tum minis & terrores iudicij Dei, tum gratiam

quæ

Rom. 12.

quæ nobis in eo offertur. Denique, ut sciamus quem in finem nobis datum sit Evangelium: atque ipsum, sicuti Deo placet, recipiamus. Reputemus qualiter animis nos esse comparatos oporteat: atque à Deo, ut nos ita formet, precibus postulemus. Tunc verendum non erit, ne hæretici nobis oculos confingere possint, quò nos à Deo auertant. Atque in primis ne vereamur nos ita ab eo destitutum iri, ut in hanc belluina Libertinorum secta abyssum ruamus. Hæc admonitio ad omnes spectat. Dominus infinita misericordia sua cœperat, Principi aulus per verbum suum visitare. Multi oblectamenti loco Evangelium sumere voluerunt. Nos quod illis accidit, spectantes: eorum exemplo, tanquam speculo, utamur. Speculum per simile habemus in quæstorum arariorum mensis, & hominum otiosorum secessibus, in mercatorum tabernis, atque in officinis opificum. Ne igitur simus tanquam arundines omni vento agitata: agamus radices in Domino Iesu Christo, ne pueris infantibus similes simus, omni deceptioni expositi: confirmemur & augeamur in ipso: in Domino, inquam, nostro, Iesu Christo, qualis iam olim demonstratus est à Prophetis, & plenè in Evangelio exprimitur. Quòd si nonnulli leuitate seducti fuerunt, ne sibi placeant in suo malo: ne obdurato sint aduersus Deum animo: ne ad sanctæ admonitiones, quas hic audituri sunt, aures obstruant: ne sua sponte inebriantur, quòd omne iudicium sibi tollant, ne semisopitas conscientias suas obstupesciant: verùm excitari se patiantur, ab eo, qui Sol est iustitiæ: qui in mundum venit, ut nobis illucesceret. Sustineant omnes unà, dum eis animaduertere liceat monitiones, quibus agam cum ipsis: ut sint veluti nota, quibus sibi caueant, ne imprudenter intercipi possint. Spero enim, adiuuante Deo, me sic ad viuum monstra ista depicturum, ut unicuique ea etiam eminus animaduertere & cauere liceat.

## DE IDIOMATE ET FORMA LOQUEN-

di, quibus utuntur Quintinistæ.

Cap. VII.

Primum, quemadmodum circulatores, aliique erronei, quales sunt, qui ex Bohemia profecti, per totum ferè orbem vagantur, caterique eius farina homines, peculiari quodam sermonis genere utuntur, quod à nemine, nisi sua factionis & fratris, intelligitur: ita ut coram hominem fallere, ac prodere possint non sentientem: sic Quintinistæ peregrina & insolenti utuntur lingua, qua sic cornicantur, ut nihilo plus perspicuitatis insit, quàm in auium cantu. Non nego, quin utantur communibus vocabulis, sed ita significationem eorum deformant, ut nemo intelligat qualis proposita sit materia, de qua agitur, ne quid negare aut affirmare velint. Id quidem malitiosè agunt, ut possint clanculum, velut ex insidijs idiotas circumuenire. Nemini enim reuelant abominationum suarum mysteria, quæ sub illis verborum tegumentis latent, præterquam ijs qui iam iureiuranda sibi astricci sunt. Quos enim adhuc pronouitjs habent, ijs nihil omnino patefaciunt: & quasi obstupescentes ad eorum verba, hiscere sinunt. Ita sub istis ambagibus, tanquam latrones in latebris suis sese occultant. Atque hi quidem sublimes sunt illi sermones, quos Petrus & Indas bullis & spumis cõparant, quòd nihil ex eis consequatur: sed dum aliorum mentes suo sublimi stylo in errorem abducere sudent, se quoque ita abripiunt ipsos, ut quid garriant minimè intelligant. Memini cum

aliquando *Quintinus* in magno hominum cœtu videret me, garritum suum nimis acriter reprimere: ac idem, quod aiunt, declinare vellet, dixisse: me orationem suam, quòd eam minimè intelligerem, improbare. Tum respondi me in ijs paulò plura, quàm ipsum intelligere: quòd ea quæ dicebat nullo modo perciperet: mihi verò perspectum erat ipsum velle delirijs istis absurdis & perniciosis, hominum mentes fascinare. Quod quidem ita esse comperietur: nempe, sic ipsos in stultas speculationes suas se immergere, sicque inuoluerè, vt neque cœlum, neque terra illis appareat. Hac igitur nota discernantur ab alijs, cùm sic loquentur, aut cornicabuntur potius, vt nihil intelligi possit. Lingua enim ad exprimendas cogitationes nostras à Deo creata est, vt vnâ internos communicare possimus. Quo fit, vt ordinem à

1. Cor. 14 Deo institutum peruertant, qui confuso vocis sono verberant aerem: aut longis ambagibus circumueunt, vt alternandi materiam præbeant auditoribus, ac demum suspensos relinquunt. Præterea, cùm tractanda sunt mysteria Dei, Scripturam pro regula habere debemus. Sequamur ergo loquendi regulam, quam tradit, neque extra illos fines euagemur. Cùm enim Dominus sciat ingenia nostra eò vsque conscendere non posse, si tantùm ijs verbis, quæ maiestatem suam decent, vt eretur: si se paruitati nostræ accommodat: & quemadmodum nutrix balbutit cum infante suo, sic erga nos rudioribus loquendi formis vtitur, quò intelligi possit. Qui ergo hunc ordinem inuertere conatur, nihil aliud spectat, quàm vt sepeliat veritatem Dei, quæ percipi alio modo non potest, quàm eo, quo Dominus nobis ipsam reuelauit. En cur laborandum erit in explicandis eorum ambagibus, vt in lucem quasi vi pertrahantur: si quæ abominationes, quas tegere student, omnibus innotescant. Similiter Christianos omnes monitos esse oportet, vt cùm eos sic obstrepentes audient, statim abruptant sermonem, ac dicant: Aut eo sermone vtamini quo Dominus nos instruxit, & in Scripturis vsitato: aut ab ite lapidibus atque arboribus verba facituri.

### DE SVMMÀ MALITIA ET IMPVDENTIA

Libertinorum, quæ se duplices & animo & lingua esse gloriantur. Cap. VIII.

**V**erùm, idhuc effrenatius & magis proiecta libertidine præcipites ruunt. Nam absque vlla religione, nunc hoc, nunc illud asserunt: atque ad auditorum voluntatem & arbitrium sese transformant. Quæ etiam vehementer in eo gloriantur, & magni se æstimant, quòd ea simulatione vti norunt. Atque adeò hic vnus est ex præcipuis capitibus theologiæ ipsorum: artem simulandi, & sese transformandi nosse oportere, quòd facilius hominibus imponant. Quòd an impudentiam, an malitiam vocem, nescio. Cùm enim simplicitas præcipua sit virtus, quæ apud nos commendata esse debet: naturæ omnino peruersæ signum est, si quis eò animum applicet, vt nunc hac nunc illac sese inflectat, anguim more, & complice, vt ex eorum manibus, qui ipsum tenere putant, elabatur. Rursus, verecundiam omnem ipsos prorsus abiicisse oportet, dum nullo afficiuntur pudore, quòd eis exprobre- tur nullam esse in eorum verbis fidem nec constantiam. Ex eodè fonte manat hæc simulatio, quæ sibi permittunt omnem speciem induere, quò placeant hominibus. Quemadmodum nulla est ipsis religio coram idolis se prosternere: ita se omnibus superstitionibus Paptstarum adhærere simulant, quòd ex eorum opinione exter-

externa omnia in hominis Christiani libertate posita sunt. Verum hoc argumentum in aliud caput referuo. Tantum hoc strictim attingere volui, ut moneam lectiores, magnam istis esse oblectationem in videndis & subsannandis, tum gestu, tum sermone hominibus: & veste, quod aiunt, subinde inuertenda: ita ut qua ex parte apprehendi possint, nescias. Hinc fit, ut si hodie Quintinus vincius teneretur siue à Christianis, siue à Papistis, & staretur ipsius confessioni, non multum esset anxius. Certus enim esset de sua liberatione, quod tum horum, tum illorum voluntati assentiretur. Neque tamen propterea doctrinam suam abnegaret. Primus enim fidei ipsorum articulus est, ut iam dixi, hoc artificio utredum esse, ut bilingues sint, & in multiplices species sese transforment. In quo nullos alios iudices præter ethnicos habere velim, à quibus condemnentur. Nouerunt enim ipsi, ac pronuntiarunt proba natura nihil tam esse contrarium, quam ita se astute transformare: adeo ut ex eorum sententia præstabilius sit leonis, quam vulpeculæ similem esse. Verum neque hoc ipsi adhuc contenti sunt, nisi etiam Deum probro afficiant: dum se hoc ab ipso didicisse asseuerant: seque muniunt eo loco Psalmi secundi: *Qui habitat in cælis, irridebit eos.* Hinc probare volentes, Deum simulatorem esse. En quomodo applicent Scripturas. Propheta significans, Deum, iudicium quod in iniquos & Ecclesiæ persecutores laturus est, differre, & ad tempus sinere impunitos, non quod dormiat, aut remedium nullum afferre possit, sed potius quod eorum audaciam rideat, quoad tempus exitij ipsorum aduenerit, utitur his verbis, idque nostri consolandi gratia, ne animum despondeamus, cum rerum potentiuntur scelerati homines, neque in eorum nobis apparet auxilium Dei. Putidi vero isti hoc sic accipiunt, quasi Deus irrisor quidam esset, Protheum quendam se faciens, quod imponat hominibus. Eod. in etiam crimine postea Christum onerant. Matt. 3. Ad id allegant responsum, quod Apostolus dedit: ipsis quidem clarè exponenda esse secreta regni Dei: populo autem, qui audienda simplicis & apertæ veritatis indignus erat, se loqui in parabolis. Quasi verò Dominus noster Iesus Christus, parabolis utens, album, nigrum esse dixerit, aut aliud pro alio supposuerit, ut circumduceret animos auditorum: aut potius eò adduceret, ut quod ab ipsis mente alienissimum erat, conciperent. Quales fuerint similitudines aut parabole, de quibus agitur, perspicuum est: sunt enim ad ea, quæ proponebat, significanda convenientes & aptissima. Cui verò vsui apta sint, cognoscitur. Primum, ut ornatum atque etiam maiestatem afferant orationi, dum auditorum animos excitant, & attentiores reddunt. Deinde, ut eosdem strictim pungant, atque occasionem præbeant secum accuratius considerandi. Fateor quidem ipsas expositione indigere, quod res sub figuris insinuentur. Sed quid populum eas intelligere prohibebat, nisi quod aspernabatur? in ignorantia sua delitescere, quam discendi causa inquirere malebat. Iam olim veteris Testamenti tempore, testatus fuerat Deus per Iesaiam Prophetam, se non clanculum aut in latebris loquutum esse: nec frustra sui inquirendi mandatum populo dedisse. An tanto dedecore afficiemus Christum, ut dicamus ipsam in mundum venisse, ut clarum lumen obscuraret, aut potius extingueret? ut rebus perspicuis offunderet tenebras, & inuolueret ea, quæ plana & expedita erant? Quomodo id in eum cõpeteret, qui Sol est iustitiæ, Lux mundi, & cuius officium est tenebris lumen afferre? Nõnne atrocissima hæc contumelia est? Præterea multum abest, quin ea quæ Paulus de Euangelio predicat, conueniant

cum ijs, quæ isti obtrudunt. Testatur enim planam & illustrem esse doctrinam, qua facies Dei nobis in Christo Iesu patefiat, sublato omni velo, quo noster intuitus impediri posset. Deinde adiungit, si quis in tam clara luce nihil videat, eum à Diabolo obcæcatum esse. Lecloribus cogitandum relinquo, quantum sit discriminis inter Paulum & istos nebulones. Iactat enim se doctrinam claram, certam, puram, omnibusque expositam habere: inquit, eum, qui obscuritate vitur, pudoris velum assumere, quo turpitudinem suam tegat. Hi verò vehementer laborant in eo, ut non solum intorqueant doctrinam suam, ad eò ut neque initium, neque finis appareat: sed etiam, ut hac & illac ipsam inuertant, & præstigatorum more subinde transfilire cogant. Quòd attinet ad exemplum Christi, quo se armare volunt: necesse esset ipsum sese abnegare, quòd istis adhereret. Nec enim naturam habet Euangelio suo contrariam. Atque, ut iam monui, non est loquutus in parabolis, ut ambigua oratione vteretur, aut sine vlla intelligentia deblateraret: sed potius, ut infigeret animis auditorum doctrinam suam, & plus ei ponderis adijceret. Et quantum infideles nihil intelligerent, neque vllam utilitatem referrent: non tamen propterea ænigmata confusa dicenda sunt, sed potius intuentium, cuius culpæ assignari debeat. Id autem aperte exprimit, crebrius hoc repetens: Qui habet aures audiendi, audiat. His enim significat permultos esse surdos, quibus frustra fiunt verba, aures enim minimè accommodaturos. Tandem concludit in ijs dictum Iesaiæ comprobari: obcæcatos esse animis, & induratos corde, ut pereant in incredulitate sua. Quocirca, si veri imitatores Domini esse velint, Pauli exemplum sequantur: auferant ac reijciant vela omnia, quæ dedecoris signa sunt: purumque ac syncerum Euangelium doceant, quod nemini sit intellectu difficile, præterquam ijs qui mentem suam incredulitate abalienarunt. Alioqui, eos in Christum blasphemos esse dico, quòd sic agendo eius simiæ videri velint. Hanc etiam auctoritatem adducunt: Nos serpentum prudentia præditos esse oportere. Sed cum eodem in loco etiam columbarum simplicitatem requirat, vtrunque vnà coniungamus: ac facile erit iudicare, minimè ipsum velle nos astutia malitiosa præditos esse, qua tergiversemur, & hominibus imponamus: sed tantum admonet, ne quid agamus inconsideratè. Quòd si quis amplio rem huius prudentiæ declarationem requirat, eamumat ex ipso Paulo, vbi monet, ut cum nobis in medio mundo versandum sit, qui peruersus omnino ac corruptus est, diligenter caueamus, ne seducamur: verum, scientes quæ sit voluntas Dei, recto cursu prudenter incedamus. Isti verò canes, sub præclaræ huius doctrinæ specie, audacter mentiuntur, quoties eis commodum visum fuerit: neque solum in omnibus simulationibus & mendacijs suis sese excusant, verum etiam gloriantur: atque ad eò innocentes homines in periculum mortis conijciunt, quò ipsi euadant.

QVAM AVTHORITATEM LIBERTINI SACROSANCTÆ SCRIPTURÆ TRIBUANT.

Cap. IX.

I Am diximus istos initio aperte ridere solitos fuisse, si quis Scripturas allegaret: nec dissimulasse, quin eas pro fabulis haberent. Interim tamen non desinebant

bant ijs uti, si quis esset locus, quem in sensum suum torquere possent. Non quòd ei adhiberent fidem: sed tantum, ut perturbarent idiotarum, atque ita concuterent, ut tandem eos ad se possent facilius adducere. Si quis locus ipsis ollyceretur, respondebant, nos literaè minimè obnoxios esse: sed Spiritum, qui viuificat, sequi oportere. Quinetiam porcas ille Quintinus, vnumquenque Apostolorum aliquo scommate notauerat. Veluti Picardico suo sermone Paulum vocans vas fractum: Ioannem, iuuenem stolidulum: Petrum, abnegatorem Dei: Matthæum, fœneratorem. En quomodo ille fœtoris gurges putido ore suo blasphemare audebat. Et qui tam seuerè in eum animaduertere debuissent, ut cæteris exemplo esset, cum alunt & stipendio honorant. Equidem inuitus de ijs verba facio, verum si eis pepercero, Deus nec mihi, nec ipsis parcat. Cum autem animaduertent bonos omnes tale sacrilegium detestari, quo sacrosanctum verbum Dei pedibus conculcatur: iuxta fidei suæ articulum, quo statuunt bilinguem esse expedire, sese hoc amictu induerunt, sub quo nunc delitescunt: nempe, quòd non proficiuntur se sacrosanctas Scripturas reijcere: sed eas admittere fingentes, maiorum suorum Priscillianistarum, de quibus loquuti sumus, exemplo, detorquent, & in allegorias commutant. Quicquid sit, non maiore afficiunt honore verbum Dei: alim sic ipsum deformant, quàm si omnino abnegarent. Semper enim hoc retinent principium. Scripturam in naturali sensu suo acceptam, literam mortuam esse, atque occidere idòque missam esse faciendam, ut ad Spiritum viuificatè veniamus. In quo sibi duo proponunt. Primum, ne simplici sensui Scripturæ acquiescamus, sed ludamus atque legoricis interpretationibus. Deinde, ne adhareamus ijs, quæ scripta sunt, ut assentiamur omnino: sed sublimius speculemur, & reuelationes novas inquiramus. Tametsi à Papi starum secta hæc multum diuersa sit, longèque deterior ac perniciosior: utraque tamen hoc principium inter se commune habet, ut Scripturam in allegoriis transforment, & sapientiam meliorem & perfectiorem affeclent, quàm quæ illic continetur. Vtrique cõmuni cõsensu hanc Pauli sententiam obtedunt, Literam occidere. Quia verò locum hunc ad se trahendo, ne quater deprauari: necesse erit primum mentem Pauli declarare: deinde, ad ea, quæ ex ipsa consequentia esse volunt, veniemus. Apostolus eo loco Legem, si à Christo separaretur, cum Euangelio comparat. Legem vocat Literam, quòd sine gratia Dei frigida sit & inefficax, eò quòd vsque in corda non penetret: sicuti alio in loco Circumcisionem Literale appellat, Rom. 2. eam quæ solum fit in corpore, quòd sit externa tantummodo ceremonia. Econtrariò autem, Euangelium Doctrinam spiritualem vocat: quia Christus in ea comprehenditur, qui viuificat verbū, atque efficit per Spiritum suum, ut in animis nostris proficiat. Deinde ait, Legem, si eo modo literalis manjerit, occidere, quòd nihil possumus in ea reperire, præter condēnationem. Quod paulò post declarat, cum addit, Prædicationem esse mortis. Econtrariò autem Euangelium viuificare, quòd afferat gratiam Christi, per quam in nobis fructum edit ad salutem. Hic simplex est Pauli sensus: ex quo nihil aliud elici potest, quàm discere nos oportere, non esse se pirandum verbum Dei & quasi absindendum à Christo, qui eius anima est, ut postea etiã monet: per quæ solum eam vim habet, ut nobis sit salutaris. Quid verò præclari isti interpretes? Formam scilicet nouam introducere volunt, qua Scriptura nasus, quod vulgò aiunt, cereus fiat: aut instar pilæ sursum deorsumque agitur. Nec enim plus est firmitatis in allegorijs, quàm in bullis, quis pueri cum jestuca emittunt.

Certò certius est Paulum nunquam id cogitasse. Desinant igitur eum in restem producere, quò iuuent causam suam. Alterum quod sibi proponunt, adhuc magis diabolicum est. Conantur enim nos à Scripturis auertere, ut in imaginationibus suis vagari, aut potius extra Scripturæ fines errare cogant: ut unusquisque somnia sua, & Diaboli præstigijs loco verbi Dei sequatur. Ut autem de vitanda ac repellenda adeò periculosa tentatione moniti sint Christiani omnes, quem in finem Dominus Spiritum suum nobis promiserit, notandum est. Non enim ideo promisit, ut prætermissa Scriptura, per nubes & aera vagemur: sed ut veram eius intelligentiam adipiscamur, eaque contenti simus. Hæc enim sunt verba Christi:

Ioan. 4. Cum venerit Spiritus veritatis, patefaciet vobis omnia, quæ à me audistis. Videmus eum non promittere Apostolis Spiritum, qui nouas doctrinas fabricet: sed qui solùm eos confirmet in Euangelio, quod ipsis fuerat prædicatum. Deinceps, cum post resurrectionem, duobus discipulis suis mentes aperuit: nolbat peregrina, & quæ Scriptura minimè continerentur inspirare: sed efficere, ut Scripturam ipsam intelligerent. Et verò, quibus vberius datus est Spiritus Dei, quam Apostolis? Nec tamen inde occasionem recedendi à Scriptura, aut eam contemnendi sumpserunt: sed contrà, videmus ipsos omne studium & diligentiam adhibuisse, ut ei parerent, nosque sub eadem obedientia continerent. Quòd ad Paulum attinet, absit, ut nos velit ab ea abducere. Cum enim totus in eo sit, ut eius dulcedinis gustu nos alliciat, authoritatèque eius cõmendet, ut nobis persuadeat ne quid sciamus, aut scire cupiamus, nisi quod in ipsa continetur, asserens ipsam, addocendum, exhortandum, arguendum vtilem esse: posse nos in omni opere bono reddere perfectos: illinc patientiam, consolationem sumendam esse, ut in spe confirmemur. Verbo autè Spiritus nihil eum superiore loco à Scriptura diuersum significare hinc apparet, quòd prædicationem suã Spiritus ministerium vocet. Ad Thesalonicenses scribens, posteaquã mouit ne Spiritu extinguant, adiungit, ne prophetias aspernentur. Quò declarat, suffocari lumen Spiritus Dei, si nos ab eius verbo subducamus: verbo, inquã, quod nobis prædicatur. Scriptura enim & prædicatio, vera Spiritus Dei instrumenta sunt. Quocirca omnes illos pro Diaboli habeamus, qui nos ab illis aut claculum, aut aperte in alia diuerticula abducent: eosque ceu venenũ lethale fugiamus. Adhareamus, inquã, puro & simplici verbo Dei, in quo plenissimam voluntatis suæ declarationem protulit: ac rogemus, ut per Spiritum suum (cuius etiã officium est) velit eam animis nostris insingere. Dicamus cum Davide: Domine, aperi oculos meos, & considerabo mirabilia ex Lege tua.

1. The. 5.

#### VARIIS MODIS LIBERTINOS ABVTI

Verbo Spiritus, quod semper in ore habent.

Cap. X.

**P**Ræter id quod nuper diximus, notandum est, eos nullum posse aliqua de re sermonem inchoare, quin nomen Spiritus statim ab eis proferatur: vixque binas clausulas continuare possunt, quin subinde repetant. Id verò non solùm in vna significatione: sed quemadmodum rusticani parochi simulachrum aliquod quinque aut sex sanctulis accommodare solent, ut toridem oblationum generibus ornentur: sic ganeones isti, nomen Spiritus ad omnia applicant, quoties ipsis commodum videtur, ut omnibus modis res suas agant: aut saltem commune ex



eo cibus omnibus condimentum conficiant. Verbum Dei spiritum esse aiunt. Dominus quidem semel hac locutione usus est: inquit, Verba quæ ego loquor, spiritus & vita sunt. Sed nemini dubium est, quin intelligat verba sua spiritualia esse, ac viuificare. Nam de ipsius corpore edendo agebatur: Quod Capernaïta imaginabantur fieri modo aliquo carnali. Id autem non ita esse declarat. Quod ad hunc articulum pertinet: nulla controuersia est, quin omnis doctrina Dei sit spiritualis, sicuti etiam docemus. Fanatici verò isti, nihil aliud in lingua gerunt, quo quid sibi velint, ignoratur: nisi quod nouum quoddam verbum tãquam phantasma nituntur fabricare. Christum etiam spiritum vocant. Paulus ei semel hoc nomen, sed non simpliciter, attribuit. Vocat enim spiritum, id est, animam legis: propterea quod sine ipso sit veluti mortua, sicuti iam diximus. Verùm bestia ista omnia sine ratione confundunt: nihilque ponunt inter Filiũ Dei & spiritum eius discriminis. Nõ omnes modos refero, quibus ipsi vtuntur. Nunquam enim finem facerem. Hæc solummodo exempla allegare volui: quod fideles omnes moneam, vt si ab eis nomen spiritus nominari audiant, obseruent in qua significatione accipiatur: ne se confusis rebus implicari sinãt, quibus ratio nulla aut sententiã subiecta sit. Præterea, notandũ est cùm sic cõfuse nomen spiritus applicant ad omnia quæ ipsi in mentẽ venerint, non solum auditorum sensus perturbare, ea permiscendo, quæ distingui necesse foret: sed etiam illudere, suadentes ipsis se spirituales ac planè diuinos, & iam cum Angelis semiraptos esse. In quo etiã optimos quosque initio decipi facile est, quoad perspectum habuerint, quod spectet hæc spiritualitas. Hæc autem dico, quod magna sit bonis omnibus offensio, cùm magnam leuium hominum multitudinem vident verbum Dei ad libidinem suam trahentium, atque libertatem Christianam vertentium in dissolutam licentiam carnis: aut dum sermocinantur de Euangelio, interim turpem & flagitiosam vitam degunt, & operibus suis Deum blasphemant, ore gloriam ei tribuentes. Si quis igitur vir pius in manus istorum impostorum incidat, atque audiat eos de spiritu tantum verba facere: verbum Dei nihil aliud quam spiritum esse: similiter Christum esse spiritum: nõsque cum ipso spiritus esse oportere: vitam etiam nostram spiritum esse debere: prima facie videbuntur pietatis studiosi homines, & ardenti zelo præditi, quibus molestum sit videre sic pollutum verbum Dei, & omnium vituperio expositum ob flagitiosam pseudochristianorum vitam. Sic inescatus, bonam de ijs opinionem concipiet: qua in amorem eorum inducetur, & eis quodammodo fidem adhibebit. Postea verò, venenum suum euomere incipiunt, & de sublimi illo sermone decidunt, vt inquit Iudas, in doctrinam beluinam. Nam, postea videbimus nullum quãlibet prostituta libidinis scortatorem, nullum latronem, nullum ex profligatissimis ac penitus desperatis hominibus esse, qui eò progredi ausit, aut vt omnia crimina approbet quantumus execranda, quemadmodum prohi isti spirituales faciunt. Quid ergo? dicet quispiam: an propterea spiritus nomen nobis suspectum esse debet? Minimè verò: absit à me vt id cogitem. Eam ob rem ab initio dixi nos prudentes & circumspectos esse oportere: nõ vt ipsum aspernemur, aut rideamus: sed vt quem in usum accommodetur, possimus discernere. Si quis igitur hominẽ simplicem & candidum animaduertat, mouentem verbum Dei spirituale esse, quo animi nostri in fide & vitæ sanctitate reformentur: si loquatur de inuocatione nominis Dei, de bonis operibus, ac pijs Christianorum exercitijs, purum ipsorum usum ex Scriptura demonstrans: si verè ac sine

Iud. in  
Epi.

ullo fūco ea tractet: si vanitatem eorum reprehendat, qui in primoribus solum la-  
lijs habent verbum Dei, atque moneat in alium vsū sumendum esse, is attentè  
audiatur, adiuetur etiam ab alijs, in reprehendendis ac corrigendis vitijs, quibus  
hodie scateat totus orbis. Verùm si quis audiatur longa verborum ambage & circui-  
tu vtens, abruptendus est ei sermo, ac quærendum quid significare velit. Quòd si  
ita circumire pergat, & implicare sermones suos sinuosiss flexibus, vt serpentes  
caudam, tum ad claram lucem pertrahatur etiam inuitus: ac si latro aliquis aut sce-  
lestus è latibulis suis educeretur. En quomodo distinguemus inter lumen & tene-  
bras, ne in omnium abominationum voraginem cum miseris istis præcipitemur:  
dum putamus nos eorum ope in cælum sublaturum iri. Vnusquisque etiam videt quo  
iure ac titulo Spiritualium nomen, quo gloriatur, vsurparunt: adeò vt Christiano-  
rum nomen præ illo nihili putent,

### DE PRIMO ARTICVLO DOCTRINÆ

*Libertinorum: quo docent vnicum tantum Spiritum immorta-  
lem esse: Cui adiuncta est declaratio, quomodo id Scri-  
pturæ veritati aduersetur.*

Cap. XI.

**I**am ad questionum tractationem veniendum est, quæ in hac infœlici secta sunt,  
veluti articuli fidei. Primum, vt auspiciò ordiantur, hoc statuunt: Vnicum esse  
tantum spiritum Dei, qui sit ac viuat in omnibus creaturis. Ita in nihilum redi-  
gunt tum humanæ animæ, tum angelicæ naturæ essentiã. Tamet si refellendi istius  
erroris causa nihil proferrem, atque obmutescerem omnino: nemo tamen sani iudicij  
vir, tantam absurditatem nõ abhorreret. Verùm quanta abominatio sub ea lateat,  
quid è diuerso doceat Scriptura, demonstrandum est. Olim quidem inter veteres  
Philosophos nõnulli fuerunt adeò fanatici, vt imaginarentur vnicum tantum spi-  
ritum esse vbique diffusum, omniãque animantia motu & sensu prædita, eius esse  
partes, quæ ab ipso proficiscerentur, & ad ipsum tandem redirent. Sed quia ratio  
& experientia, repugnant, nemo vnquam moderati ingenij vir (de philosophis  
ethnicis loquor) tantam dementiam non improbauit. Superius sectas quasdam nomi-  
nauius, quæ olim Ecclesiam Christianam perturbarunt delirio non omnino simi-  
li, sed tamen multum affini. Nempe, aiebant animas ac cælestes spiritus ex pro-  
pria Dei substantia constare, vt ardens carbo ex igne assumitur. Libertini verò,  
vt omnes Hæreticos qui vnquam fuerunt, impudentia superent, ad veterem istam  
ethnicorum imaginationem redierunt: Vnicum esse spiritum diffusum vbique.  
Absurda multa, quæ inde sequuntur, hîc minimè tractabimus. Ea enim in suum lo-  
cum differo. Nunc tantum essentiæ quæstionem attingam. Cùm igitur vnicum  
tantum spiritum statuunt, fingunt Angelos nihil aliud, quàm inspirationes aut  
motus, nõ creaturas essentiã præditas esse. Animarum nostrarum loco aiunt Deum  
viuere in nobis, vegetare corpora nostra, nos sustinere, atque omnes vitales actio-  
nes efficere. Præter alios autem prætextus, de quibus postea loquemur, hoc prin-  
cipium sumunt: nos non solum Scripturæ, verum etiam naturæ doceri, spiritum æ-  
ternum Dei, fontem atque originem rerum omnium esse. Quod ipsis libenter con-  
cedimus. Sed non inde sequitur, ipsum creaturis, vt essent ac subsisterent, non dedis-  
se. Hæc enim valde diuersa sunt: creaturas omnes à Deo proficisci, & quod à Deo  
creatum

creatū est, ipsum esse Deum. In ipso sumus, inquit Paulus, ac viuimus. Vnde merito genus ipsius nominamur. Verum id quidem: sed non significat, Deum esse naturam illam spiritualem, quæ habitat in homine. In ipso quidem subsistimus: quod fundamentum nostri in nobis minimè situm sit. Sed inter opus & authorem ipsum, magna est differentia. Nunc ab angelorum tractatu supersedebo. Quale verò id est, negare hominis animam veram substantiam ac creatam esse? Nōne horrendum, hoc inter eos qui se Christianos vocant, in dubiū reuocari? Veruntamen cū sic acciderit, bellis ipsorum rationes audiamus. Vnicus est tantum Deus, qui verè sit. Fateor: sed non propterea desinimus in eo subsistere: quemadmodum nos semel creauit ea conditione, nosque virtute sua tuetur. Paulus, inquit, vocat Deum solum immortalem. Mibi verò bene conuenit cum Paulo. Sed intelligit Deum solum ex se ipso, & propria natura hoc priuilegium habere, ita vt sit immortalitatis origo. Quod autem ex se habet, hoc per gratiam suam communicat animis nostris, postquam eas ad imaginem suam formauit. En validissimæ argumentationes ad confundenda omnia: vt Deus fiat creatura, & anima humana in nihilum redigatur. Si diabolica ista opinio coarguenda est, tam aperta sunt rationes, vt testimonijs Scripturæ armari minimè necesse sit. Anima humana ignorantie obnoxia est: Hoc Deo competere non potest. Affectionibus obnoxia est: Hoc nihilo magis Deo conuenit. Quid verò de inconstantia & mutabilitate dicemus? quid de imbecillitate eius atque fragilitate? quid tandem de peccato? Sophisticis profectò euasionibus suis, nihil proficient, dum inquit opinionem tantummodo esse in homine, non Spiritum Dei. Accedat enim Quintinus ipse, aut alius apostata ex eius cohorte. Audet isne iactare se omnia & scire, & posse? Id quidem asseret, sat scio, suo illo incognito idiomate. Verum hoc non admitto: vt Deus omnia sciat in cœlo, idem autem ipse, cū in homine est, aliquid ignoret. Porrò, talis eorum imaginatio est, Deum à se ipso diuersum esse: quod alius omnino in hoc mundo quàm in cœlo sit. Nōne multo me otio abundare oporteret, si profligandis hisce monstris diutius insisterem? Quamobrem ne frustra tempus in eo consumam, mihi sat erit digito cōmonstrasse. Caterum, doctrina Scripturæ simplex & aperta est, Deum formas se animas nostras ad similitudinem suam: quæ sic in corporibus nostris habitant, vt cū inde excedunt, vnaquæque ad eum locum redeat, quem sibi ipsa in hoc mundo præparauit: aliæ in quietem & consolationem: aliæ in angustias & tormenta inferorum. Verum de hoc ita abundè tractaui scribens aduersus Anabaptistas, vt amplius verba facere superuacaneum sit.

### QVID LIBERTINI CENSEANT DE

Diabolo, mundo, & homine à secula sua alieno. E contrario verò, quid sentiendum sit.

#### Cap. XII.

Quæret igitur hinc aliquis, quæ sit eorum opinio de Diabolo. Respondeo, ipsos Deum nominare, & de eo loqui, sed suo more & sensu. Diabolum enim, mundum, & peccatum accipiunt pro imaginatione, quæ nihil est. Talemque hominem esse aiunt, quo ad sit in ipsorum secula reformatus. Ideo hæc omnia vno verbo comprehendunt, nempe, opinatione. Quo significare volunt imaginationes tantum friuolas & inanes concipi, cū aliquid de diabolo aut peccato opinamur. Nec

solum de Diabolo loquuntur vt de Angelis, censentes ipsos esse inspirationes essentia vacuas: sed niant vanas esse cogitationes, quæ, veluti somnia, obliuione obruenda sunt. Quòd ad peccatum attinet, non solum aiunt boni priuationem esse: sed est illis opinatio, quæ euanescit & aboletur, cum nulla habetur eius ratio. Denique sic de eo loquuntur, vt Paulus de idolis. Cum enim ait idolum nihil esse, intelligit id solum in apprehensione imperitorum hominum, citra rationem aut fundamentum situm esse: idè oque nullo loco habendum. Sic isti: eò tendentes, vt tollant discrimen boni & mali, docent non esse amplius in hærendum opinioni, cum ablitum sit peccatũ: stultumque esse, ac si aliquid foret, de eo amplius laborare. Similiter hominem componunt ex corpore ipsius, & opinatione: inquietes hominem naturalem animam habere diaboli & mundi participem: idè oque veluti fumum prætereuntem esse, minimè que permanere. Nunc ad puram Scripturæ doctrinam veniamus. Docet enim Diabolo Spiritus malignos esse, qui nobiscum assidue bellum gerunt, vt nos in exitium ducant. Et quemadmodum æternæ damnationi destinati sunt, sic nobis in idem exitium pertrahendis semper intentos esse. Item esse instrumenta iræ Dei, quæ ipsius vindictam exequantur, incredulos & rebelles puniunt, nos excæcant, & miram exercent tyrannidem, vt ad omne flagitium incitent. His omnibus referta est Scriptura. Sunt quæ ad eò vulgata testimonia, vt ea necesse non sit adducere. Nisi igitur Scripturam abijcere velimus, res ipsa per se omnino satis aperta est. Verùm hic astutiam Sathana animaduertere oportet. Nihil est, quod magis cupiat, quàm vt nos ex improviso adoriri & intercipere possit. Quam verò meliorè rationem inire potest, quàm vt nobis sic imponat, vt putemus ipsum nusquam esse, ne quis ab eo sibi caueat? Quò obrem, videmus quãto sit odio habèda hæc doctrina non solum quòd aduersetur veritati, sed quòd perniciosissima sit omnium, quæ vnquam excogitari possunt: eò que tendat, vt miseras animas diripiendis, veluti prædam, diabolo exponat, suadendo nullo nos hoste inuadi aut oppugnari, cum simus veluti oves in medio luporum, vel, vt Scriptura eos nominat, leonum rugientium. Mundi nomen, in Scripturis variè accipitur. Sed cum sumitur in malam partem, significat corruptionem, quæ propter peccatum est in genere humano. Vnde manant vitia omnia, quæ ab hominibus admittuntur: ambitio, auaritia, odium, detractio, heluatio, superbia, fornicatio, arrogãtia, & omnium malorum fons, incredulitas. Porro omnes vitiose nature nostre cupiditates, & omnem peruersitatem, quæ vbique terrarũ est, sub hoc opinationis verbo sepelire, nõnne idè est, ac si flatu mare vniuersum absorbere vellent? Sed quemadmodum diabolorum memoriã delere nituntur, ne amplius præcauendi casus vigilemus, sic obliuione obrui volunt quicquid tradit Scriptura, de armis & instrumentis, quibus ab hoc hoste inuadimur: non vt destruantur, sed ne vlla de ijs in mentem veniat cogitatio, quoad lethaliter percussi simus, & vulnus receperimus, quod nulla curatione sanari possit. Idem faciunt de peccato. Quid quæso aliud est peccatum vocare opinionem, nisi larua ipsam tegere, ne amplius perspici possit, quicquid mali inferat? Vrget ad eò Scriptura vt moniti simus, quàm pestilens venenũ sit peccatum: atque hortatur vt ei fortiter omni que studio & diligentia obstitamus. Tam diligenter ostendit qualis sit eius natura, quæ radix, quales fructus inde nascantur. Nec immeritò. Est enim perquam necessarium. Hinc perspici potest, quo spiritu miseri isti aguntur: dam hæc doctrinam ad eò necessariam non solum obscurare, sed in nihilum omni-

no redigere volunt. Quòd ad hominem spectat, Scriptura docet animam ipsius, ex quo auersus est à Deo, ignorantia & vanitatis plenam esse, peruersitate & rebellionem in Deum refertam, malo deditam, victam atque oppressam infirmitate. Neque tamen propterea desinit eam vocare creaturam Dei, habentem in se conditiones naturales, quibus prædita est à Deo: nisi quòd omnia per peccatum corrupta & deprauata sunt. Quamobrem ex Scripturæ sententia, anima est substantia spiritalis, sensu & ratione prædita, quibus intelligat & diiudicet: prædita etiam voluntate, qua deligat atque expet. ea ad quæ fertur suo motu. Nos quidem postea monet Scriptura, peruersam in nobis esse intelligentiam propter peccatum, ita ut cæci simus: voluntatem etiam malam esse, ut nihil nisi iniquum ab ea manare possit. Sed non ideo anima desinit in essentia sua permanere, ac retinere quod naturaliter, & iuxta ordinem à Deo constitutum, non potest ab ipsa separari. Nonne igitur nimis impudenter resistunt veritati, qui animam, imaginationem esse fingunt, præterquam quòd hominem adducunt ad ignorantiam sui, ut nulla amplius anime sue sollicitudine tangatur, quam Dominus toti terrarum orbi, à nobis præferri voluit? Matt. 16.

## DE OPINIONE LIBERTINORVM

qua sentiunt vnicum Spiritum immortalem omnia  
efficere. Quæ pestis lateat sub hac sententia.

## Cap. XIII.

POSTEA QUAM vnicum Spiritum suo arbitratu finxerunt, destructis atque abolitis tum Angelorum, tum diabolorum, tum etiam animarum naturis: aiunt solum hunc Spiritum efficere omnia: non ut id significent, quod docet Scriptura, de eo loquens, Eph. 1. omnes creaturas, ut in eo subsistant: sic ab ipso gubernari, eius providentiæ subditas esse, atque singulas in ordine suo seruire ipsius voluntati: sed quicquid in mundo fit, opus ipsius directio cõsendum esse. Ita nullam homini voluntatem tribuunt, ac si esset lapis: atque omne boni & mali discrimen tollunt: quòd nihil eorum iudicio perperam agi possit, cum Deus sit author omnium. Ut autem res apertius declararetur, exemplum aliquod sermocinationis eorum adducam. Cum aliquando porcus ille Quintinus fortè in locum venisset, ubi quidam interfectus iacebat, atque illic adesset aliquis vir pius, qui præ horrore diceret, Hei mi: Quis hoc scelus admisit? statim ille Picardico sermone suo respondit: Ego, si scire vis, admisit. Tum alter veluti attonitus. Tunc, inquit, ad eò scelestus es? Exceptit Quintinus. Is non sum, sed Deus. Quis, inquit alter, sunt ne imputanda Deo crimina, quæ puniri iubet? Tum putidus iste venenum suum magis euomere cœpit, inquiens: Ita res habet: tu ipse admisisti, ego admisit, Deus admisit. Quod enim ego aut tu facimus, Deus efficit. Quod etiam Deus facit, ipsi facimus. Nam in nobis est. Hoc concessio, imputandum esset Deo peccatum: aut concludendum nullum in mundo peccatum fieri, cum nihil sit quod non fiat à Deo. Sic omne boni & mali discrimen tollitur. Vnde sequetur, nobis non licere aliquid, ut malum, vituperare, cum omnia sint opera Dei: licebitque hominibus veluti laxis habentibus quicquid in mentem venerit, peragere: non solum quia sumus extra periculum peccandi, sed etiam quòd desiderium aliquod cohibere, sit impedire Deum. Exempli gratia. Scortatus est aliquis? Vituperandus non est. Nam Deo irrogaretur blasphemia. Concupiuit uxorem vicini sui quispiam? Ea potatur, si potest. Certò enim scit, se nihil à voluntate Dei alienum facere.

Quòd ad fortunas attinet: Qui eas arripere poterit aut vi, aut subtili aliqua ratione, audaciter id faciat. Nihil enim suscipiet quod non probetur à Deo. Qui rapuit omnia quæ potuit, ne multùm de ijs restituendis laboret. Neque enim conveniens est, ut Deus corrigatur. Postea quidam præclaras istis speculationes in commodum suum vertunt. Nam quicquid sit, nec se attingi volunt, nec Deum quem imaginantur, quicquam agere quod eis nocumento esse possit. Si quis autem detrimentum in se, aut bonorum iacturam tulit, vident, eaque omnia optima esse aiunt: eos etiam litigare cum Deo, qui scelestis authores accusant. Sed si vel minimus eorum digitus attingatur, bellarum istarum rationum obliti, statim in bilem prorumpunt, nec ulli stomachantur vehementius. Historiam iucundam hic narrabo, qua ostendam quid eis, cum maximè necesse est, prosint hæc deliria. Lutetia quidam cerdo, huius sectæ veneno sic imbutus erat, ut iam nihil malum esse iudicaret. Accidit ut cum is aliquando Stephanum à Fabrica inuiseret, cum quo aliquid usus habebat, eumque moestum reperisset propter famulum, qui eo derelicto pecuniam aliquam secum abstulerat. Præcipua verò tristitiæ causa erat, quòd verebatur ne alicubi abuteretur, apud negotiatores, ipsius nomine. Cerdo ille rogavit, quid eum malè haberet. Ille tribus verbis respondit, ut erat vir paucorum verborum. Statim cerdo sese attollens, quasi expansis alis supranubes volaturus, Stephanum reprehendit, quasi blasphemantem Deum, qui de eius opus nequitiam vocaret: cumque Deus faceret omnia, nihil censendum esse malum. Stephanus sciens se nihil ratiocinando cum illo profecturum, vno verbo sermonem eius abruptit. Aliquot postea diebus accidit, Dei voluntate, ut huic philosophastro cerdoni famulus quidam furtum faceret. Ille quasi furore correptus hac & illac discurrens, aliquid de famulo audire satagebat. Cum non reperiret hominem, ad Stephani domum accessit, ut conquerendo ac eiulando animum allevaret suum. Iam cœperat conuitorum acervos in furem illum iactare, atque ulterius progressurus erat, cum Stephanus sic eius sermones interrupit. Quid? Siccine, ait, blasphemandum est? An possumus accusare Deum? Si ipse hoc fecerit, potius laudandus est. Phanaticus ille suis verbis, quibus antea usus erat, vitæ eius, & pudore suffusus abiit, nec tamen propterea resipuit. Hoc exemplo docemur, quomodo Dominus insanos istos experientia ipsa confundat: neque tamen hoc eis proficit, quominus pertinaciter inhereant dementiae suæ: possidentur enim à diabolo, qui non sinit ea quæ oculis eorum obiecta sunt, cernere. Notandum est ex hoc articulo, vna admodum execranda consequi. Quorum primum est, hoc concessio, nullum inter Deum & Diabolum discrimen fore: ut etiam, re vera, Deus quem nobis fabricant, idolum est diabolus ipsis detentus. Alterum, quòd homines nulla amplius ad vitandum malum conscientia movebuntur: sed beluæ, nullo rerum habito discrimine, sequentur appetitum suum. Tertium, quòd nemo iam audebit de re aliqua iudicare, sed omnia probanda erunt: scortationes, homicidia, furta, & crimina omnium flagitiosissima pro laudandis facinoribus habenda erunt. Ut hic articulus melius expediatur, de his tribus ordine tractandum erit, quæ consequentia esse ostendi: eaque, dirutis fundamentis quibus abutuntur, refutanda.

QVOMODO CONSIDERANDA SIT

providentia Dei, qua efficit omnia: quomodo Libertini de ea loquentes, omnia confundunt. Quae prima est superioris articuli consequentia.

Cap. XIII.

**N**ON negamus ipsi, quin omnia fiant Dei voluntate. Atque ad id cum declaramus cur dicatur omnipotens, potestatem in omnibus creaturis efficacem ei Gen. 43. tribuimus: atque docemus, ut semel creavit orbem uniuersum, sic etiam ipsum regere, manumque operi semper admotam habere, ut omnia in statu suo conseruet, & arbitrio suo disponat. Ut facilius exprimam quid hoc sibi velit: aio, nobis considerandum esse, Deum, in uniuersi administratione, tribus modis operari. Est enim primum uniuersalis operatio, qua dirigit omnes creaturas iuxta conditionem & proprietatem, quam singulis, dum eas formaret, dedit. Haec gubernatio nihil aliud est, quam quod ordinem naturae vocamus. Nam cum infideles nihil aliud in dispositione mundi agnoscant, quam quod oculis intuentur, ideoque naturam veluti deam constituunt, quae omnibus praesit ac dominetur: haec Dei voluntati laus tribuenda est, quod ipsa sola moderatur ac regit omnia. Quocirca cum solem, lunam, & stellas, cursum suum conficere videmus, existimemus ipsa obedire Deo, ipsius iussa exequi: neque id tantum, sed Dei quoque manu gubernari, fieri, ue omnia eius virtute. Sic cum rerum terrenarum cursum cernimus, tribuenda Deo omnia: creaturae vero censenda, veluti instrumenta in manu ipsius, quae quomodocunque libuerit, operi applicet. Uniuersalem istam providentiam saepe attingit Scriptura, ut discamus gloriam tribuere Deo, in omnibus operibus suis. Ac praecipue hanc suam virtutem nobis Deus commendat, ut eam in nobis agnoscamus, quod exuamur arrogantia, quae statim in nobis exurgere solet, simulatque nos in ipsius manu esse oblitiscimur. Huc pertinet quod Athenis dicebat Paulus: Ipse est in quo uiuimus, mouemur & sumus. Ise enim admonet, nisi nos sustineat manu sua, vel minimo temporis momento stare non posse, cum in ipso subsistamus: atque ut anima vim suam per uniuersum corpus effundens, membra agit: sic nos uiuificari à Deo, à quo quicquid est in nobis facultatis aut uirium obtinemus. Haec tamen uniuersalis operatio Dei non prohibet, quominus singulae creaturae tum in caelo, tum in terris, qualitatem & naturam suam retineant, propriamque inclinationem sequantur. Acto. 17. Alter modus quo Deus operatur in creaturis suis, est, quod eas addicit in obsequium bonitatis suae, iustitiae, & iudicij: pro ut nunc seruos suos adiuuare, nunc fontes punire uult, nunc fidelium patientiam probare, aut eos castigare paterno affectu. Sic cum frugum copiam nobis uult largiri, dat pluuia suo tempore, calores per solem suum immittit, lucidosque & serenos dies: tum etiam naturalibus alijs medijs utitur, veluti instrumentis benignitatis suae. Cum uero manum suam adseruocat, caelum fit ueluti aeneum, terra quasi ferrea. Itaque, is est qui tonitrua, gelu, grandines, tempestates efficit, & sterilitatis causa est. Ideo quicquid Ethnici & ignari tribuunt fortunae, nos diuinæ providentiae assignare debemus: non tantum uniuersae illi uirtuti, de qua locuti sumus, sed ordinationi speciali, qua moderatur omnia, ut maximè expedire ac conducere ipsi uideatur. Idque docet, cum ait per prophetas, se tenebras & lucem Iesa. 45. creare, uitam & mortem immittere: nihil boni aut mali accidere, nisi è

manusua: adco vt dicat se etiam sortes, & alia qua fortuita videntur, mode-  
 Prou. 16. rari. Quod si aliquis forte occidatur non ex industria, se causam esse mortis illius,  
 atque ita constituisse: ne quicquam fortuito, sed omnia ex consilij ipsius definitio-  
 ne, euenire putemus. Ac vehementer indignatur, cum existimamus quicquam ali-  
 unde proficisci, neque in ipsum intuemur, vt cum agnoscamus, non solum vt prae-  
 cipuam omnium causam, sed etiam vt authorem, hoc vel illo modo omnia consilio  
 suo statuentem. Sic igitur concludimus, tam prospera quam aduersa, pluias, ven-  
 tos, grandines, gelu, serenitates, abundantiam, famem, bellum, pacem, opera Dei  
 esse: creaturas autem, quae inferiores cause sunt, instrumenta solum esse quae in usu  
 habet ad exequendam voluntatem suam: id eoque ijs arbitrio suo vti, quocumque li-  
 buerit ea conuertere, eoque adducere, vt omnino fiat quod constituerit. Praeterea  
 notandum est, ipsum non solum creaturis sensu carentibus hoc modo vti, vt per  
 eas operetur, & exequatur voluntatem suam, sed & hominibus ipsis atque etiam  
 diabolis. Adco vt & Sathan & iniqui si vt exequutores diuinæ voluntatis. Quem  
 admodum Aegyptijs usus est, ad affligendum populum suum: aliquantò post susci-  
 tauit Assyrios, aliosque similes, vt eius delicta vindicaret. Diabolovsum esse cer-  
 nimus, vt Saulem torqueret, vt deciperet Achab, & in omnes iniquos, cum necesse  
 fuit, iudicia sua exerceret: aut è diuerso ad probandam suorum constantiam: cuius  
 Iob. 1. rei Iob nobis est exemplum. Quae cum Libertini audiunt, temerè atque incogitan-  
 ter irruentes, neque longius spectantes, concludunt, nihil amplius agere creaturas.  
 Sic horribiliter omnia permiscunt. Nec enim tantum coelum cum terra, sed Deum cum  
 Diabolo confundunt. Idque ita accidit, quod exceptiones duas valde necessarias  
 minimè obseruent. Prior est, Sathanam & iniquos non sic esse instrumenta Dei,  
 quin ipsi etiam suas agent partes. Nec enim imaginari oportet, Deum sic per ho-  
 minem iniquum vt per lapidem aut truncum operari: sed vt per creaturam ratio-  
 nis participem, secundum naturam quam ei dedit, qualitatem. Cum igitur dicimus  
 Deum per creaturas operari: id non prohibet, quominus etiam impij sua ex par-  
 te operentur. Quod etiam Scriptura apertissimè ostendit. Vt enim pronuntiat  
 Iefa. 5. Deum sibilaturum & quasi canturum tuba, vt ad bellum educat infideles: indura-  
 turum aut inflammaturum animos: sic narrare non desinit proprium eorum con-  
 silium, & quae fuerint voluntate: atque opus illis adscribit, quod Dei decreto exe-  
 quuti sunt. Altera exceptio, cuius infelices isti nullam habent rationem, haec est:  
 magnam esse differentiam inter opus Dei, & opus impij, cum eo Deus vice in-  
 strumenti vtitur. Impius enim sua auaritia aut ambitione, aut inuidia, aut cru-  
 delitate incitatur ad facinus suum, nec alium finem spectat. Ideo ex radice illa, id  
 est, ex animi affectione & sine quem spectat, opus qualitatem sumit, & meritò  
 malum indicatur. Sed Deus respectum omnino contrarium habet: nempe, vt iusti-  
 tiam suam exerceat ad conseruandos bonos: gratia & bonitate sua vtatur erga fide-  
 les: malè autem meritos castiget. En quo pacto sit inter Deum & homines discer-  
 nendum, vt hinc in eodem opere iustitiam, bonitatem ac iudicium eius contem-  
 plemur: illinc Diaboli & infidelium malitiam. Sumamus autem praclarum & per-  
 lucidum speculum in quo ista intueamur. Cum Iobi offertur nuntium tantæ bono-  
 rum iacturae, interitus filiorum, tot calamitatum quae ipsi acciderunt: agnoscit se  
 Iob. 1. visitari à Deo, inquitens: Dominus haec mihi omnia dederat, eadè ipse abstulit. Et  
 sane sic res habebat. Sed interim, nonne sciebat Diabolum eam ipsi cudisse fa-  
 bam?



bam. Nonne intellexerat Chaldeos armenta & pecora sua abegisse? An predato-  
 res illos & latrones laudabat? an excusabat Diabolum, quod à Deo afflictio illa  
 oriretur? Minimè. Magnam enim esse inter hæc differentiam intelligebat. Itaque  
 malum damnans, inquebat: Sit nomen Domini benedictum. Similiter David, cum  
 eum Semei persequeretur, dicit se id recipere à Deo: ac videt impium illum esse  
 virgam, qua Deus eum castigat: sed Deum laudans, non eò minus postea Semei  
 cõdemnat. De hoc autem, adhuc alio in loco tractandũ erit. Hoc nunc tenere suffi-  
 ciat: Deum sic per creaturas suas operari, usque uti ad providentiam suam, ut in-  
 strumentum quo agit malum esse non desinat: quodque Sathanæ & impiorum ho-  
 minum maliciam in bonum conuertit, non propterea excusari ipsos aut expiari  
 quò minus delinquant, eorumque opera iniqua & damnanda sint: sumant enim om-  
 nia qualitatem à proposito & voluntate authoris. Qui igitur ista non distin-  
 gunt, omnia tanquam porci rostro suo euertunt, & horribili confusione pertur-  
 bant quæ pulcherrimo sunt ordine constituta. Tales sunt Libertini, qui non tan-  
 tum Diabolum cum Deo societate coniungunt: sed etiam in Deum ipsum trans-  
 formant: laudabilia eius opera censentes hoc pretextu, quòd nihil agit nisi à Deo  
 constitutum. Hæc autem hæresis, si antiquis doctoribus fidem habemus, origi-  
 nem cepit à Simone Mago. Nos contra obseruare debemus, creaturas in suo gra-  
 du opera sua in terris efficere, quæ prout effecta fuerint hoc vel illo fine, sic aut  
 bona aut mala existimanda sunt. Interim omnia gubernat ac moderatur Deus, ead-  
 que ad rectum finem dirigit malum in bonum conuertit: aut saltem natura sua bo-  
 nitate agens, ex eo, quod malum est, boni aliquid elicit: ita utitur Diabolo, ut se  
 cum eo non admisceat, quòd aliquid habeat cum ipso commune, vel societate mali  
 coniunctus implicetur, vel mali naturam deleat iustitia sua. Sicut enim sol in cada-  
 uer radios suos emittens, & corruptionem quandam in eo generans, nihil aut cor-  
 rupti, aut impuri ad se trahit: neque efficit puritate sua, quominus cadauer putri-  
 dum ac foetidũ sit: ita Deus per impios sic operatur, ut iustitia quæ in ipso est, eos  
 non iustificet, nec ipse eorum nequitia & corruptione contaminetur. Tertia spe-  
 cies operationis diuinæ, in gubernatione fidelium consistit, in quibus uiuit & re-  
 gnat per spiritum suum. Quatenus enim corrupti sumus peccato originali, terre-  
 sicca & sterili per similes sumus, boni fructus nihil omnino producenti. Nam cor-  
 ruptum est iudicium nostrum, voluntas nostra Deo rebellis, ad malum procliuis &  
 propensa: denique tota natura nostra vitiosa est. Quod cum ita sit, non solum  
 bonus rebus animum appellere non possumus: verum, quod maius est, vnica bonæ  
 cogitationi concipiendæ non sumus idonei: sed ut inquit Paulus, si quid idonei su-  
 mus, id ab ipso proficisci necesse est. Ideo is est qui operatur in nobis & velle &  
 perficere: qui nos illuminat, ut ad sui cognitionem adducat: nos ad se trahit, format  
 noua corda in nobis, duritiem nostram emolliens. Idem ipse est qui nobis inspirat  
 precandi affectum: vim ac potestatem impertit resistendi omnibus tentationibus  
 Sathanæ: efficitque ut in preceptis suis ambulemus. Sed interim notandum est, nos  
 à natura electionem & voluntatem habere. Ceterum, quia vtraque peccato de-  
 prauata est, Dominus eas reformat, & è malis, bonas facit. Quòd igitur ad discer-  
 nendum apti sumus, quòd volumus, quòd hoc vel illud facimus, id naturale donam  
 est. Quòd verò nihil aliud possumus eligere, expetere aut facere quàm ma-  
 lum, id ex corruptione peccati est. Quòd bene operari cupimus, atque exequendi

2.Reg.16.

3.Reg.2.

O

111

Eze.36.

Electio

Voluntas

Mala

Bona

potestate sumus præditi, id à supernaturali gratia proficiscitur, qua in meliorem vitam ac planè diuinam regenerati sumus. En igitur quid Deus in filijs suis efficiat: Peruersam nempe eorum naturam delens, eos spiritu suo dirigit in obsequium suæ voluntatis. Temulenti verò isti, à Deo fieri omnia perstreptentes, eum mali authorem cõstituant. Deinde quasi immutetur mali natura, cum sub hoc nominis Dei velo tegitur, bonum esse affirmant. In quo atrocior & sceleratior contumelia Deum afficiunt, quàm si potestatem aut iustitiam ipsius aliò transferrent. Cùm enim Deo nihil magis proprium sit quàm sua bonitas, ipsum à se abnegari oporteret, & in Diabolum transmutari, vt malum efficeret, quod ei ab istis tribuitur. Accertè istorum Deus idolum est, quod nobis execrabilius esse debet omnibus Gentium idolis. Verùm ritè ablutas (vt aiunt) manus suas putant, cum respondent se affirmare omnia bona esse, cum à Deo fiant. Quasi in ipsorum potestate esset, nigrum in album commutare. Præclarè scilicet defuncti sunt, si postquam Deum latronem, furem, scortatorem vocauerint, adijciãt nihil omnino his inesse mali. Verùm, quis homicidium damnauit, scortationem, latrocinia, furtum, nisi Deus? Sic eum profecto à nobis mendacij argui oporteret, vt opera ipsius excusaremus. At Scriptura, inquit, in vniuersum pronuntiat Deum omnia efficere in omnibus. Respondeo, ipsos perperam & falsò Scripturam ad id accommodare. Cùm enim hac sententia utitur Paulus, tantum loquitur de gratijs Spiritus sancti. Idque locus ipse, satis demonstrat, in quo admonet Corinthios, vt ijs bene vtantur, cum sint dona Dei: quoniam, vt inquit, nemo potest vel vnicum verbum in laudem Christi efferre, nisi per Spiritum sanctum loquens, à quo bona omnia proficiscuntur. Et certè quòd ad bonũ pertinet, id totum perlubèter tribui Deo sinemus. Malum verò, quò ostendent à Deo nasci? Vbi demonstrabunt Deum furari in fure? in latrone & sicario interficere innocentes? Itaque hæc tegumenta non tantum non purgãt ipsorum blasphemias, sed vehementer adaugent, & duplo grauiores reddunt.

### DE ALTERA CONSEQUENTIA,

que ex eo sequitur: Deus efficit omnia: nempe, neminem amplius ullius rei conscientia moueri debere.

Cap. XV.

Superius diximus, si Deo tribuantur omnia, vt volunt Libertini, & homo nihil sagere dicatur, fore vt nullius rei conscientia moueamur. Nec enim id esset cauere à peccato, sed potius retroagere opus Dei. Nec tantum dico id posse ex superiore eorũ sermone deduci, ne laboremus disputando, an talis sit eorum sensus necne: sed id ipsum aio, quod ipsi confitentur. Atque adeo id præcipuè sibi proponunt, vt sopiant conscientias, quòd omni sollicitudine vacui homines, quicquid sese offeret, quicquid appetierint, perpetrent. Quasi Deus frustra legè suam dederit, qua bonũ à malo discernatur. Hoc autem ab ipsis quaero, An non in lege declarationè diuinæ voluntatis habemus? Ea autem pronuntiauit Deus, scortationem, furtum, homicidium, & vt consequens est, auaritiã, odium, inuidiam, ambitionem, ceteraque eiusmodi sibi displicere. Nunc si illi ipsi grata esse dicantur, nõne arguitur mendacij? Testatur Moses datam esse legè, vt seruire Deo, atque ipsi adhærere, voluntati eius parère discamus, ne ipsius iram flagitijs nostris in nos prouocemus. Infelices

*isti hoc moliuntur, ut nobis tales cogitationes excutiant. Et ne quicquam perspicere possimus, hac fascia oculos nostros obligant: nempe, fieri omnia voluntate Dei: propterea que nihil ipsi displicere, ac si mutabilis esset Deus, sibi que ipse repugnaret: aut esset simulator, affirmans se id odisse ac detestari, quod tamen cupit ac probat. Propter hæc, inquit Paulus, venit in infideles ira Dei. Mox ore afficitis Spiritum Dei, inquit Iesaias. Molesti mihi fuistis, inquit Dominus alio in loco. Item, Dominus vehementer iratus est: inflāmata est ira ipsius aduersus Israel. Scio quidem Deū humanis affectionibus minimè obnoxium esse. Sed omnes hæc locutiones significant ab ipso improbari ac damnari malum: atque ideo peccatum, inimicitiarum inter nos & ipsum, causam esse: nec posse nobis, quandiu malè agimus, cum ipso conuenire: expectandam esse potius punitionem ac vindictam, quod iustus sit iudex, à quo nulla potest iniquitas tolerari. Nihil aliud in vniuersa ferè Scriptura legimus, præter istas exhortationes: Time Dominum: Vide ne ipsum offendas: Caut tibi à malo. Insani verò isti contrà vociferantur, stultum esse vereri, ne ipsum offendamus, cum nihil agamus aut boni aut mali, sed omnia in nobis efficiat. Paulus admonet Gentes ipsas, & doctrina & Scripturis carentes, legem habere impressam cordibus suis: nempe conscientiam, qua sese coram Deo vel accusant vel defendunt. Eam malè feriati isti homines delere cupiunt, negantes quicquam esse, cuius nos accusemus: cum omnia fiant à Deo. Quæ eos puderet Scripturas euertere, cum tantum audeant, ut persuasionem naturaliter animis nostris infixam atque insculptam à Deo, euellere non dubitent? Si nostri excusandi causa ignorantiam allegare velimus, ad cōscientiam nostram nos Deus amandat, quæ abundè aduersum nos testificari potest. Phrenetici verò isti, hoc testimonio suppresso, aiunt Deum oportere prius se ipsum accusare, si aduersum nos accusationem intendere velit, cum in nobis efficiat omnia. Moyses id vocat radicem, fel & absinthium germinantem, cum adulationibus conamur omnem synteresein sopire, nobisque ita imponere, ut malum putemus ludicrum esse. Ac re vera, quod in vniuerso orbe venenum lethalius aut pestilentius esse potest? Id etiam vocat ebrietatē siti adiungere, ac meritò naturalis enim affectio nostra, inordinatus est appetitus, & veluti malè agendi sitis. Cum igitur nobis ipsi benedicimus, ut eo loco ait: atque nobis persuademus nos pace potituros quandiu nequiter & perditè viuimus: id perinde est, ac si quis vehementi siti accensus, se inebriaret vino, ne illo amplius tangeretur sensu, cum potius sitim illam frænare & restringere sobrietate & abstinentia debuisset. Præclarus sanè locus nostri commonefaciendi causa: ut intelligamus quid amaritudinis lateat sub melle, quod inauspicati isti homines nobis propinant. Ad hanc nihilominus latebram se perpetuò recipiunt, nihil omnino fieri præter voluntatem Dei. Sed respondeo, quod attinet ad opera quæ nos facimus, considerandam à nobis voluntatem Dei, qualiter eam ipse declarat. Ut, exempli gratia, cum iubet suum cuique seruari: ne, cui damnum aut iniuria inferatur: ibi voluntas eius perspicua est. Quid igitur ei placeat amplius disquiri non oportet. Scimus enim nos, si id facimus, eius voluntati obsequuturos: sin minus, ei minimè gratos fore. Si quis ergo furetur, ac deinde dicat, se nihil admisisse præter voluntatem Dei, mentitur impudenter: cum transgressus sit præceptum Dei, quo de ipsa docebatur. Quæret quis spiam, an inuito Deo aliquid fieri possit: Fateor non posse. Sed cauendum omnino, ne de eius providentia, quæ nobis occulta est, inquiramus: cum scia*

2.Re.24.

Rom.2.

Deut. 19.

Deut.29.

*mus quid à nobis requirat, quid approbet, aut condemnet. Non abs re Solomo affirmat fore, ut is obruatur gloria, qui maiestatem scrutatur. Et certè sic omnino accidere necesse est, atque hoc modo superbiorum arrogantiam puniri. Quod in istis experimur, qui cum supra nubes ascendere velint, ut voluntatem Dei inquirant, cum reuelationi, quæ de ea in Scripturis habetur acquiescere nolint, in deliria tam absurda tamque belluina ruunt, ut horribile dictu & auditu sit.*

*D E T E R T I A C O N S E Q U E N T I A  
quam Libertini trahunt ex hac propositione: Deus facit  
omnia: nempe, non esse fas quicquam improbare.*

*Cap. XVI.*

**P**osteaquam sic frenata laxarunt omnibus, ut sinant unumquemque viuere suo arbitrato, hoc pretextu, quòd se à Deo regi sinat, ex eodem principio deducunt perperam fieri, si de re aliqua iudicetur. Nullam verò aptiorem doctrinam habere possunt, qua suis abominationibus aditum patefaciant. Multum enim consequuti sunt, cum sic obstruxerunt, aut potius confixerunt oculos auditoribus suis, ut nemo amplius audeat iudicare, an dicta eorù & facta, bona vel mala sint. Atqui, si hoc eis concedimus, quòd spectabit hæc Dei sententia, qua maledicit omnibus, qui malum bonum esse dixerint? En Deus dira & infausta omnia nobis denuntiat, si quod malum esse iudicat, pro iusto habeamus. Hi contra, nihil omnino condemnari patiuntur. Si superiores ipso Deo essent, ut poenam, quam edicit, possent remittere, esset fortasse deliberandi locus. Sed quis volet condemnari à Deo, ut à Quintino absolatur? Cum articulum istum in medium proferre volunt, hisce verbis viuuntur: Oportere Christianum omnia in utilitatem suam conuertere. Nam, ut ab initio dixi, nunquam simpliciter & aperte loquuntur, ut quod animo conceperint, liquidò exprimant: sed obliquis flexibus rem implicant. Libenter quidem ipsis concedo, Christianum debere quiduis, ut ille ait, reputare in lucro: sed eo sensu quo docet Scriptura: nempe, ut aduersis rebus secum reputet, quod Paulus ait: ideo affligi fideles, ut conformentur imagini Christi, sicque afflictiones ipsis adiumento sint ad salutem consequendam, & eo solatio se sustentent. Si fratrem suum labi aut errare videat, hoc ei sit vice speculi, quo naturæ humanæ infirmitatem cognoscens, maiore in timore ambulet. Quòd si ipsi labi contingat, eo moneatur imbecillitatis suæ, ut viribus suis diffidat, humilior reddatur, omnemque arrogantiam ponat: sitque ei veluti stimulus, quo ad Deum ardentioribus votis inuocandum instigetur. En quomodo Christiani omnia in utilitatem suam conuertunt: non ut sibi placeant in vitijs suis, aut claudant oculos, ne quod malum est animaduertant: sed potius ut mæsti ac tristes, quòd Deum tum abs se, tum ab alijs offendidi videant, ad poenitentiam, humilitatem & timorem Dei instruantur, sintque solliciti ut sibi in posterum caueant. In hunc modum David ex eo, quod admiserat, delicto, fructum collegit: minimè quidem sese iustificans, sed condemnatione sui audita, magis ac magis sese confirmans in bonitate Dei, præcauens ne de cætero in tantam calamitatem recideret. Eadem etiam ratione Paulus nos monet, ut ea peccata, quæ filij Israel aduersus Deum admiserunt, in utilitatem nostram conuertamus: nempe, ut dum punitiones, quæ subsecutæ sunt, consideramus, eorum exemplo doceamur. En denique, quorsum Scriptura recitat tum

*fideliùm,*

fidelium, tum contemptorum Dei peccata: non ut nos cecos reddat; quò nihil cer-  
 rò definire aut pronuntiare possimus, atque dubitemus, an quod malum est, bonum  
 sit: sed ut mali cognitione percepta, ipsum vitemus. Ut etiam ipsa apertè pronun-  
 tiat, quid à nobis de quoque opere censendum sit. Verùm, allegant scriptum esse, ne  
 iudicemus. Dominus quidem his verbis vititur: Nolite iudicare. Sed quorsum? Ut Mat. 7.  
 eorum temeritatem reprehendat, qui auctoritatem Dei usurpant de rebus sibi i-  
 gnotis iudicando. Idem argumentum tractatur à Paulo, decimo quarto ad Roma-  
 nos: ubi reprehendit eos, qui ob actionem indifferentem fratres condemnant. V-  
 num, inquit, iudicem habemus omnes. Et reddenda à nobis est ratio. Ipsus est de  
 eiusmodi rebus definire. Ne igitur proximos opinioni nostræ sulijciamus. Pracla-  
 ra quidem & utilissima doctrina est: quemadmodum vnicus est Legislatoꝝ spiri-  
 tualis, videlicet Deus: sic solum esse ipsum idoneum iudicem animarum nostrarum.  
 Interim verò, non ideo minus validum est iudicium, quod iam tulit. Cùm ergo scor-  
 tationem, fartum, blasphemiam, ebrietatem, ambitionem, flagitiosa esse vitia iu-  
 dicamus, non proferimus ex nobis iudicium, sed quod iam tulit Deus, ad aꝝ proba-  
 mus. Verùm, è diuerso impudentes isti canes, fingentes se nolle iudicare, se ipsos  
 Deo superiores iudices constituunt. Quæso, si postquam supremus iudex senten-  
 tiam tulit, priuatus quispiam diceret, rem in dubio relinquendam, ac si nihil omni-  
 no definitum esset, & rem iudicio damnatam pro mala habendam non esse, nonne  
 is tanquam factiosus aut seditionis author, graui animaduersione dignus meritiò pu-  
 taretur, quia vellet omnem iuris ordinem euertere? Impuri verò isti canes, sub  
 hoc prætextu, quòd non esse iudicandum aiunt, suprema summi Dei iudicia, quæ  
 toti orbi publicauit, irrita esse volunt: meràmque frustrationem esse quicquid  
 pronuntiauit. Videmus itaque, sicuti non vsque adeò nobis audendum est, ut ex  
 libidine animi nostri iudicia feramus: ita approbanda esse omnia & assensu no-  
 stro, veluti rata habenda, quæ Deus iudicauit. Proinde, ut cum bonum & æquum  
 esse iudicem testemur, opera iniuqua cum ipso condemnemus: atque, ut monet, ar-  
 borem bonam aut malam ex fructibus iudicemus. Postea sententiam istam alle-  
 gant: Hypocrita, erue prius trabem ex oculo tuo, deinde festucam ex oculo fratris  
 tui remouebis. Verùm, quid ex eo concludere volunt? Hac reprehensio ad hypocri-  
 tas pertinet, qui vitia sua occultantes, aliena tantummodo obseruant. Veluti cùm  
 ijs, qui adulteram accusabant, dixit: Qui vestrum peccato caret, primus in eam la-  
 pidem conijciat. Non ideo vetat puniri sceleratos: sed tantum admonet, ut cùm re-  
 prehendimus alios, initium faciamus à nobis ipsis: cùm eos, qui deliquerunt, cor-  
 rigimus, vacemus his criminibus, ob quæ animaduertimus in ipsos: ut ostendamus  
 nos vero iustitiæ zelo duci: malum tam in nobis, quàm in alijs odisse, sine vlla ac-  
 ceptione personarum. Sed permagna inter ista duo differentia est: nihil per hy-  
 pocrisin iudicare, vel non iudicare omnino. Iubet Dominus, ut ex veritate iudi-  
 cemur: ne magis aduersus proximos, quàm aduersus nos ipsos seueri simus. Canes ve-  
 rò isti, hoc colore, iudicium omne, quantumuis rationi consentaneum, excludi atque  
 aboleri volunt. Quamquam si hypocrita sese adularis, alium reprehenderit, non se-  
 quitur eum, qui deliquit, propterea excusari: semper enim malum damnaudum  
 est. Sed hoc hypocritæ vitium est, quòd non eadem se metitur regula: & fa-  
 cile sibi ignoscens, summo iure vititur in alios. Verùm, ut initio dixi, non frustra  
 ganeones isti hoc assequi nituntur. Praclarum enim sibi ingressum patefacerent,

Matt. 11.

Matt. 7.

Leuit. 19.

si persuaderent mundo, nihil omnino improbandum esse, Caterùm, astutiam Sathanæ hoc loco obseruare, & quem in finem spectet, optimum est. Nam præterquam quòd proximorum delicta, & castigationes quibus Deus ea punit, satis nos monere debent, ne iram ipsius aduersum nos promoueamus: aliud etiam à nobis requiritur; nempe, animos nostros dolore affici oportere, quòd Deus offenditur, quòd anima peccatoris in exitium ruit. Tanto nos honoris Dei zelo flagrare decet, ut cum læditur, premamur dolorum angustijs, quibus animus noster aduratur. Tam propensa animi affectione proximos nostros prosequi debemus, ut cum imminere ipsis, præcipuèque eorum animus exitium videmus, misericordia commoueamur. Sathan verò per nebulones istos vellet homines stupidos reddere, ut quamcunque viderimus confusionem, nulla omnino cura tangamur, nec vlllo modo afficiamur, si nomen Dei blasphemijs proscindi cernamus, sacrosancta eius præcepta violari, perdi animas, grassari omnia scelera & flagitia. Ut re vera isti subsannatores, quicquid acciderit, vident, nulla curam tanguntur, ne fortè eos enecet atra bilis, nisi cum aliquid minus ipsis gratum admittitur: tunc enim lepidas has omnes speculationes de non iudicando oblitus, ceteris longè acriores & rigidiores sunt. Atque etiam eos à quibus nutriuntur clam irident, & linguam post ipsorum terga exerunt. Omnis enim eorum oblectatio & studium in eo est, ut quieti & securi genium suum bene & hilariter accipiant. Audierunt scilicet hanc Solomonis sententiam: Tristi spiritu ossa desiccari. Ita ne macie deterantur, hanc inuenerunt viam, suauiter & placidè deliciæ di, excussa omni sollicitudine, videlicet ea omnia probando, quibus filios Dei angere, & animo torqueri necesse est: ne vllam amplius mæstitiæ causam haberent. En quomodo in malis rebus, per æquè ac in bonis, sese oblectantes, omnia in vtilitatem suam conuertunt. Paulus verò ait, hunc nequitia cumulum esse, cum quis non solum admittit mala, sed etiam eis cum oblectatione affertur. Quamobrem, si fides Paulo adhibenda est, istos pro deploratissimis omnium hominum habeamus: qui non eo contenti, quòd indormiant malis suis, eò nequitia prouolunt, ut etiam aliorum vitijs applaudant.

QUALIS SIT CHRISTVS LIBERTINORUM, & quomodo ipsum pro redemptore suo agnoscunt. Cap. XVII.

POSTquam ad libidinem suam Deum sibi fabricarunt, qui sit veluti elegans pictura, sub qua omnes eorum abominationes tegantur, in eadem etiam proplasticè Christum fingunt, qui non tantum idolum sit erectum aduersus Filium Dei, sed veluti sordium omnium saccus, aut cloaca, in quam faces omnes recipiantur. Primum cum componunt ex Spiritu Dei, qui in nobis omnibus est, & ex eo quòd opinionem, aut mundum vocant. En monstrum quod nobis imaginantur eius loco, qui cum solus sit verus & naturalis Filius Dei, eiusdem essentia cum Patre, naturam nostram assumpsit, ut fraternam conuersionem nobiscum haberet. Ne verò quisquam existimet me falsò ipsos criminari: duo Valentianæ extremo supplicio affecti sunt, quòd dicerent Christum non obijisse in cruce, sed tantum opinionem. Nonne præclarum hoc est principium, quo Christus fiat veluti phantasma, in quo nihil cognoscatur? Cum de officio eius agitur, & gratia, quam per ipsum obtinuimus, multò adhuc deteriora promunt. In eo enim constituunt redem

ptionem

ptionem nostram, quod Christus solum velut typus fuit, in quo contemplerur ea, quæ ad salutem nostram requirit Scriptura. Utuntur quidem præclaris sententijs, perinde ac si virtutem eius vellent extollere, ut turpitudinem doctrinæ suæ tegant. Sed eòredit omnis eorum oratio: quod Christus fecit & passus est, tantum comædiam aut histrionicam actionem fuisse in theatro exhibitam, qua mysterium salutis nostræ nobis figuretur. Exempli gratia: Cùm aiunt Christum aboluisse peccatū, sensus eorum est: Christum abolitionem illam in persona sua representasse. Cùm dicunt, victam esse mortem, quia, inquit, Christus personam illius egit, qui eam patiebatur: in resurrectione verò facinus edidit ducis, victoriam ab hoste referentis. Cæterum, ut imaginantur, nemo nostrum nõ est Christus: quodque in ipso factum est, in omnibus effectum dicunt. Nam, ut dixi, Christum fingunt, velut imaginem aut exemplar, in quo figurata sunt ea, quæ ad salutem nostram requiruntur: sed interim imaginantur, quod in ipso factum est, in nobis quoque factum fuisse. Hinc fit, ut Quintinus excædescat, quoties rogatur ut valeat. Quomodo, inquit, an Christus male habere potest? Adeoq; hoc modo exponunt verba, quæ Christus moriens pronuntiavit: Consummatum est. Cùm enim simus Christus, id quod perfectum in nobis fuit, iterandum non est. Itaque Christus ipsis idolum est, quo excacantur: ut sibi falso persuadeant se omni obligatione erga Deum atque homines solutos esse: atque ita solutos, ut nihil in posterum boni agere debeant. A ferendis molestijs, quantum fieri potest, sese subducunt atque eximunt. Cùm alij affliguntur, magnanimitate ac fortes, videri volunt: Deum blasphemari aiunt, si quis lamentetur, aut sensum aliquem doloris præferat. Ut aliquando me præsentem Quintinus, homini vehementer egrotanti, propterea quod solum id dixisset: Heu, Deus mi, quantos dolores sentio: adiuvam me: obiurgans, respoñdit: An verò rectè hoc dicitur, Christum male habere? nõne dolores ipsius omnes præterierunt? Nõne est in gloria Patris sui? Huc usque tantum progressus es? Sed cùm ipsos exercet Deus, stupent attoniti, quod homines se esse reperiant, dissimiles Filio Dei: aut saltem, quod in se non reperiunt idolum illud, quod sibi in aere fabricarant. Ut Colonia superiore æstate vnus ex hoc grege conquerebatur gemens: An, inquit, me adhuc pati oportet, cùm omnia cõsummata sint? En quid proficiunt, cùm delirij suis naturam rerum transformant. Nec dubium, quin Filius Dei iniuriam ulciscatur, quam ipsi inferunt, dum eius nomen sic usurpant, ut peruersissimè abutantur. Nos verò, cùm intelligimus nomen Christi tam nequiter profanari ab ipsis, ut eorum abominationibus seruiat, ne commoveamur, illud eorum ore pronuntiarum audientes, nisi ut tantum sacrilegium cõ magis execremur.

QUA SIGNIFICATIONE LIBERTINI VERBUM  
Regenerationis accipiant: & è diuerso, quid iuxta  
Scripturæ veritatem significet.

Cap. XVIII.

Atentur quidem nobiscum, nos Dei filios esse non posse, nisi renati simus. Ac prima quidem facie idem nobiscum sentire videri possunt, si tantum verba speciemur. Magnificis enim & splendidis admodum verbis utuntur, ut regenerationem extollant. Et verò, cùm in ipsorum ore verba ista resonari audimus: si Dei sumus, veterem hominem in nobis crucifigi oportere: veterem Adamum interire:

mortificari carnem nostram: mundum destrui, ne peccatum in nobis regnet amplius: quis non falleretur? Est enim pura Scripturæ doctrina, & præcipuum vitæ Christianæ caput: aded, vt in his verbis nihil reprehendi possit: neque Angeli ipsi melius loquerentur. Ipse enim Deus nos sic loqui docuit. Sed cum explicandum est, quid per ea significare velint, omnia peruertunt: tum impias & execrabiles blasphemias suas euomere incipiunt: vt non solum omnem timorem Dei & sanctitatem vitæ euertant, verum etiam honestum omne, quod etiam apud gentes semper inuolabile fuit: atque omnibus fræna laxant, vt sinant vnumquenque in omni libidinum etiam belluarum genere voluari. Hoc enim principium sumunt: nempe, regenerationem esse restitutionem innocentia, in qua Adam, antequam peccasset, constitutus erat. Hunc autem innocentia statum sic accipiunt: nihil dignoscere, nec inter album, quod aiunt, & nigrum discernere: quia hoc Adæ peccatum fuit, comedere de fructu scientia boni & mali. Sic ex eorum sententia veterem Adamum mortificare, nihil aliud est, quàm nihil discernere, quasi mali cognitione sublata: ac puerorum more naturalem sensum, atque inclinationem sequi. Huic orationi locos Scripturæ accommodant, quibus puerilis simplicitas commendatur. Quasi Spiritus Dei iubens nos pueris infantibus similes esse, non etiam simul adiungat: haudquaquam sensibus, sed mansuetudine, synceritate, simplicitate eos referre oportere. Quasi verò rursus non moneat, vt crescamus in Christo, donec ad iustam & perfectam ætatem peruenerimus. Quasi non requirat à nobis, vt prudentia spirituali abundemus. Quasi non hortetur, ne temerarij & inconsiderati simus, sed circumspècti, quæ sit voluntas Dei intelligentes. Quis ad conuincendam impiorum istorum impudentiam, qui Scripturas sic deprauare audent, clariores interpretationes desyderet? Ad præcipuum igitur ipsorum axioma redeamus. Si quem videant mali conscientia moueri: O Adam, inquit, adhuc aliquid cernis? Vetus homo nondum in te crucifixus est? Si quem perspiciant timore iudicij diuini percelli: Adhuc, inquit, pomi gustum habes? Caue ne buccella te ista strangulet. Si quis peccata sua considerans sibi displiceat, ac mœrore afficiatur: peccatum adhuc in ipso regnare aiunt: & sensu carnis suæ captiuum teneri. Vt autem facilius istorum turpitude innotescat, notandum est, peccatum, mandum, carnem, veterem hominem, nihil aliud esse apud ipsos, quàm id quod Opinacionem vocant. Sic, modò ne amplius opinemur, ex eorum sententia non peccamus. Sub hac autem opinacione comprehendunt omnem synteresin, scrupulum, denique sensum omnem iudicij Dei. En præclara regeneratio, quæ ediscitur in eorum schola: ne vlla omnino re amplius animus tangatur: sed ad libidinem nostram sine vlla difficultate viuamus. Qui nullam habent rationem peccati, ipsum pro nihilo ducentes, Nouas creaturas vocant: quòd ab opinacione vacui sint, sicque nullum in se peccatum habeant. En, in quo constituunt beneficium redemptionis per Christum factæ: nempe, quòd opinacionem illam destruxit, quæ Adami culpa in mundum ingressa erat. Cum hæc opinacio abolita est, nullus, ex eorum sententia, superest aut mundus, aut Diabolus. Nullum enim alium, à quo iafestentur, inimicum habent. Vnde apparet bene ipsis cum Sathana & potestatibus inferorum, cum eas omnino nihili faciant conuenire. Atqui, Spiritus Dei longè aliter de regeneratione loquitur. Quòd si nos omnino deficeret Scripturæ, sola tamen humana ratio, abundè sufficeret. Rationem intelligo, non



eam quæ stultitiæ damnata est, ob cæcitatem quæ insita est nobis: sed ratione quæ naturaliter animis nostris impressa est à Deo, ut omnis excusatio & ignorantia prætextus infidelibus adimatur. Naturalis igitur ille sensus veluti edictum manu Dei insculptum in nobis, satis ostendit ac dicat sanctam & honestam vitam, quam facientur omnes regenerationis Christianæ fructum esse, non consistere in eo, ut bonum & malum ignoretur: sed potius, ut inter utrumque discerni possit, ut ab omni iniquitate puri & vacui simus, & conscientia testimonium coram Deo, operum verò coram hominibus habeamus. Hic est naturalis sensus, quem Deus ab initio, ut inquit Paulus, gentibus omnibus dedit. Scriptura verò nos adhuc clarior docet, qualis sit reparatorum status. Haud cerè is est, qui nos ita securos reddit, ut sine discrimine quicquid collibitum fuerit, sequamur: sed contrà, ut vigilantiores simus, quàm vnquam, & maiore cum prudentia ac sollicitudine, quàm antea incedamus. Admonet enim Diabolum hostem nostrum perpetuò instare, ac circumire, ut pradam ad se aliquam rapiat: adeoque ne nos intercipiat, sine intermissione vigilandum: eiusque tentationibus assiduè obsistendum esse. Similiter bellum continenter & sine inducijs gerendum aduersus carnem nostram, & vitiosas cupiditates, quibus ad malum incitatur: peccatum habitare in nobis, cui semper obsistendum. Minimè etiam nos somnolentos reddit, neque eò adducit, ut nulla amplius culpæ conscientia moueamur: cum dicit, iustum à seipso accusari: & felicem eum pronuntiat, qui animum suum ad timorem sollicitat, in memoriam reducens iudicium Dei, quò sese cohibeat, & ad humilitatem instruat. Verùm, ut breuem & perspicuam totius rei definitionem habeamus, talis Scriptura doctrina est: regenerationem in pœnitentia consistere. Pœnitentia enim, ut proprie loquamur, nihil aliud est, quàm abnegatio nostri: ut simus nouæ creaturæ, & iuxta Dei voluntatem viuamus. Quid autem ista significent, nemini ignotum est: an, ut omni sollicitudine abiecta, molliter & delicate viuamus, rerum nominibus immutatis: an, ut vim afferamus animo nostro, eumque ab inclinatione naturali in obedientiam Dei reducamus, ac peruersos nostros affectus corrigamus. Verùm, ne sim prolixior, quod accidere necesse esset, si plenius ista tractare vellem, tantùm producam aliquot Scripturæ testimonia: sed ad eò perspicua, ut nemo sit tam rudis, qui non aperte intueatur, Regenerationis vocabulum, quo impij isti abutuntur, veræ regenerationi ac Christianæ adeò tam contrarium esse, quàm est igni aqua. Primum enim, pro eo quòd garriunt Christianum debere sese affectioni suæ committere, neque amplius peccatum intueri: contrariò, Christianos omnes hortatur Paulus, ut mortificent terrena membra sua: nempe, ut ipse exponit, prauas cupiditates, fornicationem, auaritiam, ambitionem, & eiusmodi. Ut timorem eis incutiat, mittit eos ad iudicium Dei: inquiens propterea iram Dei in rebelles prouocari. Iubet, ut vetere homine abnegato, de die in diem renouentur. Mouet, ut sobrietati studeant, sicuti decet filios iucis. Hortatur ne vanis adulationibus decipi se sinant. Commonefacit, ut in vocatione sua, cum timore & tremore ambulent. Ipsos non ad immundiciem, sed ad sanctificationem vocatos esse commemorat. Exhortationes istæ, quibus auocamur à malo, ad bonum verò incitatur, tam vulgares sunt in Scripturis, ut nihil magis. Quid verò, ut iam dixi, Dominus Apostolos predicare iussit, nisi pœnitentiam & remissionem peccatorum? Idque non vnum tantùm diem, aut primo ingressu sed vsque in finem. Idcirco, Paulus

Rom. 2.

1. Pet. 5.

Prou. 28.

testari volens, se suo munere ritè defunctum esse, ait, se vtrunque tum Iudeos, tum Gentes docere non destitisse. Quamobrem, omnes qui puræ veritati Dei adherere volent, dent operam, vt toto vitæ suæ tempore in ea pœnitentiæ doctrina assidui sint: quæ continet, vt virtute Spiritus Dei & gratia ipsius adiuti, opera carnis mortificemus: ne peccatum regnet in nobis: vt ab ingenio proprio atque animo transformemur, & reducatur in obedientiam Christi: à pollutionibus huius mundi caueamus: quò in vocatione nostra contineamur. Quò ad innocentiam perfectam attinet, quam isti imaginantur, fingentes hominem regeneratum ab omni peccato purum & immunem esse: atque regenerationẽ instar Angelici esse status, in quo homo delinquere aut labi non possit: si res ita se haberet, quò pertineret oratio, qua nos Christus precari iussit, vt remittat Deus nobis debita nostra? Id enim ad infideles non pertinet. Sed omnes filij Dei sic iuxta regulam Christi orare debent. Hæc oratio testificationem continet, qua fideles se peccatores esse confitentur. Quisquis eius ordinis esse recusat, à numero filiorum Dei sese excludit. Si exemplum speciale queritur, an vllus inter omnes mortales nominari poterit tam integer, quàm Paulus fuit, aut pietatis tam eximia? Fatetur autem se dum his corporis vinculis constringebatur, assiduè ei belligerandum fuisse aduersus peccatum, quod in ipso habitabat: sua autem infirmitate ad id præpeditum, vt bonum quod volebat minimè efficere possit. Atque ad extremum tandem exclamavit: *Miser ego homo, quis me liberabit de isto corpore mortis?* In quo significat, nullam aliam rationem iniri posse, qua in perfectionis statum euehatur, atque eripiat a seruitute peccati, quàm si è corpore excedat, in quo captiuus, velut in carcere tenebatur. Subannatores isti quidem, quæ illic Paulus tractat, deprauantes, cum reprehenduntur de maleficijs suis, certo prouerbio vtuntur: se illa minimè admisisse, sed asinum. Quamquam id minimè conueniat cum ijs quæ dicunt de perfecto Christianorum statu, ac manifesta sit in eorum sermonibus repugnantia, turpissima tamen & execrabilis blasphemia est, asinum suum, vt à malo sese excusent, instar clypei opponere. Cum enim dicit Paulus: Non ego malum operor, sed peccatum, quod habitat in me: non ideo se iustificare vult, aut iocando vitiorum suorum culpam aliò reijcere: sed tantum ostendere vult, hanc præcipuam esse affectionem suam, vt ad Dei voluntatem omnino conformetur: quòd si aliquid in eo desideretur, non ideo fieri quòd sit malo deditus, sed quòd infirmitate carnis suæ ita rapitur, vt non possit ex animi sententia in solidum Deo seruire. Sicuti etiam postea dicit: Qui filij Dei sunt, Spiritu Dei duci debere: ne obsequantur carnis affectibus. Certum est autem, peccatum in filijs Dei habitare, quandiu versantur in hoc mundo, non tamen regnare. Impediuntur quidem, & varijs afficiuntur molestijs à carne sua: sed non ita eam sequuntur, vt vinci se sinant. Idque satis demonstrat Paulus. Posteaquam enim se malo assensum non præbere dixit, non eo minus se infelicem censet, ob captiuitatem, in qua detinetur. Imò verò nobis expressam imaginem status regeneratorum in seipso proponit, atque exhibet: inquit fidelem hominem veluti in duas partes diuisum esse: nempe, quatenus reformatus est per verbum Dei, assentitur bono: sed quatenus corrupta natura reliquæ adhuc in ipso manet, repugnantiam sentit eiusmodi, vt ipsius caro, hoc est, ea pars quam nondum reformatam à Deo adhuc in se reliquam habet, ipsum abripiat, & ad contraria impellat. Si queratur, vnde proficiscitur ista repu-

repugnantiã, rationem reddit: Quia, inquit, lex spiritualis est: id est, perfectam vitæ sanctitatem & conscientiam puram atque integram requirit: nos autem è contrario carnales sumus. Iis igitur, quæ definit, acquiescamus: nempe, fideles omnes, quæ vidu hic degit, legi Dei parere, quatenus per gratiã eius renouati sunt: verum, secundum carnem, peccato esse obnoxios. Ita Christianorum perfectio, vt tribus verbis absolua, in eo sita est, vt sine vlla simulatione puro colendi Dei affectu ducantur: ne sint animo duplices: sed sincera & simplici integritate præditi, ita vt te stari possint, se hoc præcipuè in votis habere, vt placeant Deo. Interim, vt ait Augustinus, summa eorum perfectio erit, agnoscere imperfectionem suam: atque assiduè infirmitates suas coram Deo confiteri. At isti fanatici, quò errorem suum probet, hac Ioannis autoritate niti volunt. Qui natus est ex Deo, non peccat. Hoc quidem ipsis facillè concedo, si quis perfectè re generatus reperiri posset, nullum in eo peccatũ fore. Sed in hoc tota versatur difficultas: vt sciamus, an re generatio vnquam in vllò mortalium fuerit perfectã. Aio verò nullum ab origine mundi exemplum extitisse. Quare Ioannis verba nihil aliud significant, quàm hominem, quatenus re generatus est à Deo, non peccare: sed quia id tantum ex parte factum est, quandu vitam trahimus in hoc mundo, ne imaginemur nos iam ad metam peruenisse, cum adhuc iter faciamus. Obijciat aliquis, superuacaneum videri, eo sensu Ioannis verba accipi: atque adedè aliam esse Ioannis mentem, ex ipso contextu apparere. Respondeo, Ioannem quidẽ significare velle, haud amplius in homine regnare peccatũ, ex quo re generatus est. Gratia enim si iritus Dei in eo superior esse debet, ad cohibendũ omnino & comprimendũ affectiones carnis. Verum hoc interim perpetuò tenendũ est: hominẽ à seruitute peccati eximi iuxta mensurã gratiæ ab eo acceptæ, quæ vberior alijs, alijs tenuior exhibetur: sed in nullo omnino, quisquis ille sit, plena atque absoluta fuit. Nec profectò Ioannes alio interprete indiget, cum seipsũ satis explicet, iubens omnes pro remissione peccatorum orare: inquit, Si quis ita sibi imponat, vt se peccato carere putet, fallitur, vultque mēdaciũ Deũ arguere. Hæc itaque sufficere debet ad demonstrandã verã re generationẽ filiorũ Dei, qualis sit eorũ perfectio in hoc mūdo: & quàm contraria sint infelicium istorũ deliria, ijs quæ de vtroque docet Scripturæ. cum sanctitatẽ fidelium constituant in ignorantia belluina, suadentes hunc innocentia statum esse, naturæ appetitum sequi: atque hominem tunc perfectum esse somniantes, cum iudiciũ Dei oblitus, nullã amplius boni aut mali rationem haberet: sed quicquid ei collibitum fuerit, id bonum esse censet.

DE LIBERTATE CHRISTIANA. QVOMODO eam accipiant Libertini: qualem è diuerso nobis eam

Scriptura tradat. Cap. XIX.

PRÆCLARA ista renouatione, quam nobis fabricati sunt, constituta, libertatẽ Christianã deinceps ita extendunt, vt statuãt omnia homini sine exceptione licita esse. Ac certè postquã homo in belluã cõuersus est, cur ei belluinũ affectũ sequi nõ licebit? tametsi aut cohibetur alie bestiæ, aut ligatur cathenis, aut includitur. Insani verò isti sic homini frenã laxant, vt nulla re prorsus retineri aut impediri possit, quominus sibi omnia permittat. Primum, cum Scripturæ ostendat nos à legis maledictione exceptos esse, sic quæ in libertatẽ vindicatos, ne amplius horribili sententiæ obnoxij sumus, quam transgressoribus denuntiat: phrenetici isti sublata omni distinctione, totam legem abolere volunt: inquit, nullam amplius eius habendam esse rationem, propterea quòd in libertatem asserti sumus. Hoc adhuc planius & apertius reddam. Duo in lege consideranda sunt. Nempe doctrina,

quæ bene viuendi regula est. Ea enim ostendit Dominus quid sibi gratum sit, quidque approbet. Itaque doctrina legis eò spectat, vt nobis viam & rationem ostendat, qua vita nostra ad Dei voluntatem conformetur. Alterum est rigor: eo quòd maledictionem omnibus denuntiat, qui vel apice in vno lapsi fuerint: neque salutem promittit, præterquam ijs qui omnia præcepta perfectè obseruauerint. Quandiur rigori isti locus est, omnes à vitæ spe deijcitur, atque sub condemnatione includimur, quam omnibus denuntiat. Nemo enim omnium mortalium reperietur, qui in ijs quæ requirit, suis defungatur partibus. Sic omnes in desperationem coniectos cernimus, si lex cum appendicibus suis auctoritatè in nos obtineat. Nã fieri omnino non potest, vt ijs quæ à nobis requirit satisfaciamus: condemnationem autem effugere qui possumus? Nullum igitur aliud superest remedium, quam vt ab eiusmodi seruitute in libertatem vindicemur. Manumissionem istam nobis affert Euangelii: cum asserit nos sub lege amplius nõ esse. Hic porro nõ contruersa est: quòd phrenetici isti his verbis intelligant legem prorsus abrogatam esse, vt eorũ quæ docet, nulla amplius ratio habeatur: sed sinamus eam quiescere, tanquam doctrinam, quæ nulla in re ad nos spectet. Sed longè aliam esse Dei mentem, & Scripturæ sententiam, nemini sano dubium est: nempe doctrinam illam in suo statu permanere, vt nos in rectam viam deducat: tantum sublatam esse maledictionem, ita vt quantum infirmitate labamur, grati Deo esse non desinamus: cultumque quem ipsi exhibemus, quantum imperfectum, nihilominus acceptum habeat: quia culpam, qua rei sumus, nobis remittit. Paulus enim posteaquam in Epistola ad Romanos de libertate Christiana tractauit, ac dixit nos ab eius seruitute liberatos esse: nos nihilominus ad eius doctrinam reducit, docens eam obseruari debere. Quomodo hæc inter se conueniunt: nos amplius sub legis seruitute haudquaquam teneri: doctrinam tamè ipsius ad vitam nostram dirigendam adhuc esse locum. Perspicue cernimus, libertatem hanc, maledictionem tantum aut rigorem spectare. Idem facit in Epistola ad Galatas. Postquam enim fideles hortatus est, vt libertatem suam tueantur, statim subiicit, ac iubet vt charitatem colant, quòd sit legis plenitudo. Denique nulla extat eius Epistola, in qua non remittat eò fideles, tanquam ad bene viuendi regulam, ad quam omnes conformari decet. Quòd si illa tantum extaret admonitio, qua scribens ad Galatas, præcipit ne abutamur libertate nostra, aut in effrenem carnis licentiam prorumpamus: ea restrictio anteuertendæ canum istorum impudentiæ sufficere posset, qui iugum omne excutiant: vt sublata omni lege ac regula, quamlibet vitæ degendæ licentiam sibi indulgeant. Simili exhortatione vititur Petrus, cum ait libertatem Christianam quam nobis Christus acquisiuit, nequitiam velut esse nõ debere. Quomodo verò id fieri potest, nisi cum à rigore legis liberamur, ne per eam amplius coram Deo maledicti simus: ac nihilominus ex eius præscripto instituamus vitam nostram? cum bona & salutaris doctrina esse non desinat, quantum illam seueritatem erga nos, quam erga infideles, exercere desierit. En præclarum principium quod statuunt Libertini, in tractanda libertate Christiana. Deinceps Scriptura docet abrogatas esse veteres ceremonias, idèoque nos ad earum obseruationem minimè astrictos esse: ac generatim conscientias nostras rebus externis minimè obligari: sed potius omnes nobis esse subditas, ac nullam idcirco posse nobis necessitatè imponi. Vertiginosi verò isti, in vniuersum doctrinam hanc sumunt, ac si ad omnia extenderetur, atque ad ea ipsa quæ Dominus seuerè à nobis exigit, sine quibus nulla potest sanctitas aut honestas vitæ consistere. Vt autem hæc facilius declarentur, Scripturæ sententiis sumam: quis isti, dum eas imaginationibus suis accommodant, omnino peruertunt. Paulus omnia sibi licere asserit. Quorsum id dicat, nemo mentis sanæ compos non perspicit. Id quod etiam circumstantia loci aperit demonstrat: de rebus enim externis agitur: veluti, de carnum esu, quæ idolis sunt consecratæ: modò absit superstitio.

Quoniam

Quoniam id indifferens est, Paulus id per se licere fatetur, sed usum eius ad edificationis normam moderandum esse. Dæmoniacy verò isti, generalem sententiã statuunt: eoquæ prætextu nihil omnino Christiano homini vetitum esse volunt. Quasi verò Paulus scortari, furari, atque homicidã esse, licere intelligat. Quid verò? Quãvis Scripturã uniuersã, cum eis visum est, irrideant: hic tamen simulant se eius verbis insistere. Qui omnia, inquit, nominat, nihil excludit. Verum materiam, de qua illic agitur, spectare oportuit, nõ euagari extra oleas. Nam de re mediã illic tractabat Paulus, quæ nec bona per se, nec mala, sed ex consecutione iudicanda est. Ostenderit se abstinuisse ab ijs quæ sibi per Deum licebãt, ut omnem offensionem vitaret: rursum patefecerat id magnã offendiculi causam præbere, quod erat in controversia. Ut tandẽ concludat: ait, non quod nobis licet, spectandum, sed quid expediat, idque in edificationẽ fratrum. His autem fera ista bestia inferre volunt sine exceptione, licita esse omnia. Verum, hanc eorũ impudentiam ne miremur, cum ad hæc adiungere non vereantur, quæ Paulus antè dixerat. Nonne mihi & Barnabæ potestas est circumducẽdarum vxorũ? 1. Cor. 9. Ad eò, inquam, inuerecundi sunt, ut pro clypeo hanc sententiã obijciant, quò tollant omne discrimen boni & mali. Sed qua de re loquitur Paulus? Haudquaquam de re vetita à Deo: de matrimonio enim agit, quod Deus omnibus hominum ordinibus permittit. Eo se minime usum esse gloriatur: aut saltẽ quod in ijs peregrinationibus, quas suscipiebat, non circumduceret vxorem, ne id ipsi impedimento esset. Si id egisset, nihil admississet mali: verum sponte abstinebat, ut quorundã infirmitatẽ sustineret. Nonne mare vno passu transilire est, sic eam torquere sententiã, ut probent omnia licere homini Christiano, ei quæ nihil prorsus vetitum esse? Hæc exẽpla sufficiẽt monẽdis lectoribus, quã impudẽter caues isti lacerẽt Scripturas, ut Diabolica suã libertati, quã in mediũ prof. rre conãtur, prætextũ ex eis aliquem afferant. Sub hoc libertatis tegumento simulationẽ occultant, qua fingunt se omni impietati & idololatriã consentire. Homini enim permittunt ante idola genua flectere, candidas offerre, peregrinationes ad duorum templa suscipere, celebrare Missas, demique fingere se assentiri omnibus abominationibus Papisarum: licet eas in animo suo irrideant. Si obijciatur, nos debere glorificare Deum in corporibus nostris, ac coram hominibus Christum confiteri, fidem quæ nostram testari coram mundo, responsionis loco hunc libertatis clypeum solummodo obijciunt. Sed quia in alio tractatu de hac materia abundẽ scripsi, illuc lectores remittere malo, quã nunc diutius immorari. Ac profectò sola ista monitio conuincendã istorũ impudentiã sufficere potest: quod ad ea pertinet, Quæ Deus iussit aut vetuit, nulla sit immutãdi libertas. Necessitas enim inuolabilis est. Cætera sunt indifferentia, & posita in nostra libertate: sic tamen ut semper in edificationem illis uti studeamus.

## QV ID LIBERTINI PER VOCATIONEM

fideliũ intelligant: & quomodo sub hoc colore, omnem turpitudinem excusent. Cap. XX.

PAVLVS admonet ut vnusquisque in ea vocatione in qua vocatus est, permaneat. 1. Cor. 7. Vocationis autem nomen, omne genus vitæ ac statũ comprehendit, institutum à Deo & fundatum in verbo ipsius. Hoc enim Scriptura nobis præcipuẽ commendatum esse vult: ut sic instituanus vitam nostram, ne pro animi libidine, quodcunquẽ visum fuerit deligamus: sed ea quæ ipse probauit, sequentes, intra verbi ipsius terminos contineamur. Apostoli igitur mens talis est: ut vnusquisque in eo statu, in quo vocatus est, Deo seruiat, eoquæ sit contentus: ne expetat mutationem, ne irruat in munus alterius, ne inuitus aut perfunctoriẽ officium faciat: nam de Matrimonij statu & virginitate loquebatur.

Capta occasione etiam loquitur de alijs. Ad id concludit, ut unusquisque in sua conditione se se contineat: si modo vocatio legitima fuerit. Infalices isti sententiam hanc evertunt: ut probent ac persuadeant omnibus: unumquemque oportere naturalem inclinationem sequi, atque sic agere & vivere ut libebit, aut è re sua esse videbitur. Tamen si proverbiū hoc vulgare sit inter homines, *Vlulandi esse cum lupis*: qui tamen eo vititur, id laudare nō audent tanquam probè factū: sed quaecūque hanc excusationē sumunt, ut culpā suam leniorem reddant. Miseri verò isti, non solum iniquitatem excusant, dum fatetur id esse *vlulare cum lupis*, cum quis sociorū corruptela & contagione ad nequitiam abducitur: verum etiam honorando hoc vocationis titulo, ipsam ornant, quasi nos Deus ad eam vocaret. Sed notandum est, tria prorsus diabolica in hoc articulo contineri. Primum est, quòd nulla sit in orbe viuendi ratio, quam ipsi non probent, tamen si Deus eam verbo suo condemnet. Veluti sacerdotium Papale bonum esse censent. Itaque ex eorum sententia canonicus aut maleficialius aliquis (quod vocant) in cœno suo delitescere debet, quæ idolis offeruntur comedere, sacrilegijs vesci, Missam canere, & alia peragere eiusmodi. Vocatio enim ipsius est. Monachi in claustris suis, tanquam porci in harena stertere ac saginari debent. Est enim ipso- rum vocatio. Hinc accidit, ut cum aliquando Quintinus solenni cuiusdam Cardinalis Missæ adesset, diceret se gloriam Dei videre. Neque solum hoc prætextu omnia vitæ genera probant, quæ repugnant veritati Scripturarum: sed etiam ea quæ Gentes sensu tantum naturali prædicatae condemnarunt. Leno, inquit, fungatur munere suo, fur audacter furetur: est enim consentaneum rationi, ut unusquisque vocationem suam sequatur. Si quis ex aduerso obijciat, tam fœda illa esse, ut natura nos ab eis abhorreere doceat: respondent, hoc solum sufficere, quòd unusquisque in sua vocatione permanere debeat. Iam verò reprehendenda huius blasphemix rationem ostendimus: nempe considerandum quò nos Deus vocet: & pro vocatione habere, statim omnes quos probat, & pro legitimis habet: omnem vitæ degendæ rationem, cui nullum à veritate ipsius testimonium datur, non solum incertam & periculosam censere, sed errabundum cursum, tãquam hominis ab itinere suo auersi, & per devia loca vagabundi. Ceterum, quæ repugnant verbo Dei, per ipsum reprobanda, ac pro certo inferorū ingressu habenda sunt. Alterum est, quòd abusus & corruptela, quibus omnes vitæ ordines hodie infecti sunt, nihil habent mali. At mundum vniuersum ad eò corruptum ac dissolutum hodie cernimus, ut horrendum sit quantis vitijs turgeant omnia genera vitæ, quæ per se alioqui legitima & bona sunt: non quòd id eò licita esse desinant: sed vitia corrigi oportet. Veluti nobilitas vanitatis plena est, atque immodicæ pompæ, superbix, dissolutionum, insolentiæ, blasphemiarū, ambitionis. Forum iudiciale fauoribus, auaritia, fraudibus, refertum est, atque ad eò laniena quædam esse videtur. Mercatorum commercia mendacijs, dolis, periurijs, rapinis, deceptionibus, crudelitate scatent. Denique nulla est omnino vitæ conditio, in qua flagitia multa non admittantur. Belli verò isti doctores, inter puram institutionem Dei, & hominum corruptionem distingui nolunt: sed omnia sub vocationis titulo comprehendunt. Ita profectò si huic theologiæ adhibetur fides, culpa vacabunt nobiles insolentes ac proterui, atque etiã profligatae libidinis, prostituti ad omnē vanitatē & pompā, denique in omni voluptate dissoluti. Sic enim fert eorū vocatio. *Quum obrē? Quoniã ita se gerit mūdus. Quasi verò hominū cōsuetudo, Dei iustitiã immutet.* Si iudex ius habeat venale, si alterū subleuare velit, quò alterū oneret: si bonā causam op primat, quò faueat iniustæ, minimè vituperandus erit. Est enim rationi consentaneū, ut unusquisque vocationis suæ cursum sequatur. Si mercatores monopolijs vniuersum orbem destruant, si merces fucent atque adulterent, si peierent qualibet hora, ut fraudent & circūueniant alios: si quicquid

arripere poterunt, expilent ac deuorent, obmutescendum est: alioqui Dei uocatio blasphemabitur. Quis, quaeso, orationem adeò execrabilem ex hominis ore prodituram existimaret? aut ullum hominem ita mente captum fore, ut ausit res tam absurdus ac turpes in medium proferre? In ijs tamen gloriatur, ac si præclara quædam esset subtilitas. Tertium est, quòd omnis hominum inclinatio, siue à natura siue à mala consuetudine profiscatur, uocatio Dei est. Veluti, si quis ad ebrietatem sit procliuus, hoc uitium in eo uituperare non licet: ad id enim uocatus est. Si quis ludo sit deditus, tolerandum: non est enim à sua uocatione abducendus. Denique uolunt unumquemque appetitum suum sequi pro regula: & cor hominis quoquò impellat, uocationis suæ magistrum esse. Ex hoc fonte turpissima omnium quæ unquam audita fuère lenocinia sequuta sunt: nempe, tum uiris tum mulieribus permittunt sese quibuscunque uisum fuerit, copulare. Idque matrimonium spirituale uocant, cum alter altero contentus est. Si quis igitur non oblectetur uxore sua, alias mulieres, quas sibi adiungat, querere potest. Interim, ne uxor desituta sit, ei conditionem meliorem querere, & ubicunque oblata fuerit, eam accipere permittunt. Si quis igitur petat, quid de matrimonij fiet, quæ indissolubilia esse existimantur, si ea adeò temerè retractare liceat? Aiunt matrimonium etiam solenni ritu initum coram hominibus carnale esse, nisi spiritus ipsi bene conueniant, atque ideò Christianum hominem minimè ad id astrictum esse, sed id solum inter Christianos firmum esse debere, in quo utriusque simul cum altero bene est. Quamquam, neque hæc firmitas perpetua est: nam simulatque adulteram scortatoris sui tedium cœperit, eum subinde commutare potest, si quis alius magis gratus sese offerat. Similiter scortator, hac & illac procandi causa se insinuat, ut nouas uxores spirituales acquirat, & quis repererit assumat. Et adeò impudentes sunt, ut talem turpitudinem te gant uocationis prætextu: quoniam, ut dixi, interpretantur id esse uocationem, animi appetitum sequi. Nunc considerent omnes quid saluum manebit in toto orbe: quid ordinis, quid fidelitatis, quid honesti, quid securitatis amplius erit: si matrimonium, quod sanctissimum omnium fœdus est, & quod fidelius seruari debet, sic potest uolari? Matrimonium inquam institutum à Deo: in quo tantam vim positam esse uoluit, ut naturales coniunctiones omnes exuperet, adeò ut arctissimo necessitudinis uinculo, quo filius cum patre coniunctus est, præferatur? Matrimonium, quod Christus indissolubile esse pronuntiauit. Matrimonium, quod in nomine Dei consecratum est, sicut in ipsius auctoritate fundamentum habet. Matrimonium, quod Solomo diuinum fœdus appellat: quod Paulus comparat uinioni spirituali, qua cum Christo iuncti sumus. Nonne eos à Sathana possideri necesse est, cum tam prodigiosè omnia confundunt: & tanquam cælum terra permiscunt? Quòd aiunt matrimonium illud carnale esse, cum uiri animus uxori minimè adhæret, aut maritus uxori parum gratus est: nonne turpissimæ impudentiæ est, promissionem solenni ritu in nomine Dei coram Ecclesia factam sic ridere? Quòd respondent hominem Christianum nulla obligatione constringi: quaero, quo de uinculo loquebatur Dominus, cum aiebat, Quod Deus coniunxit, homo non separet. Neque enim quicquam tunc auditum fuerat de execrando isto matrimonio spirituali. Quaero, quorsum Paulus uiros hortatur, ut uxores suas diligant: ac iubet utrosque ad extremum usque diem uitæ unà uiuere? Quòd si dissensio aliqua suboriretur, uetat ne uxor nubat alteri. Ediuerso canes isti matrimonij carnale adeoque nullius momenti esse aiunt, si uxore mariti sui tedium cœperit. Paulus iubet uxore reconciliari uiro, si qua lusus aut dissensio suborta sit. At scriptum est hominè à Deo fuisse conditum: maritum & feminam creatos esse. Itaque tantum restat, ut diligamus, cum omnes unum corpus simus. Quasi frustra diceret Scriptura, duos fore in una carne. Neque;

enim aut tres aut quatuor nominat, sed duo tantum, inquit: *De*linquet homo patrem & matrem, ut adhaereat uxori suae. *Ac* si frustra *De*us legem suam dedisset, qua vetat uxorem alterius concupiscere. Quasi *Dom*inus absque causa adulteria & scortationes damnasset. Quasi superuacanea esset *Pauli* monitio, qua iubet unumquemque uxore sua esse contentum. Quocirca, ut prius ostendi infelicem hanc sectam, licentiam esse latrocinia ac homicidia omnia exercendi in hominum corpora, praedandi, expilandi, diripiendi bona omnium, quasi praedae exposita: sic nunc perspicimus, ea fenestram aperiri commaculandis omnibus thoris ac domibus, atque omnis castitatis e mundo exterminanda.

QUALIS SIT FIDELIVM COMMVNIO IUXTA FIGMENTVM Libertinorum. Cap. XXI.

**I**AM vidimus quomodo infelices isti matrimonium profanant, homines cum mulieribus, prout libido ducit, permiscendo, instar beluarum. Quo pacto sub matrimonij spiritua-  
lis nomine, beluina hanc pollutionem tegant: spiritualem motum vocantes furiosum impetum, quo viri taurorum instar, feminae ut canes coitus appetitu percitae accenduntur. Ut autem nullum ordinem hominibus reliquum faciant, eandem in bona confusionem inducunt: communionem sanctorum esse dicentes, si nemo quicquam possideat tanquam suum: sed unus quisque, undecumque nancisci poterit, ad se rapiat. In initio nonnulli Anabaptistarum cerebro carentes, sic loquuti sunt: verum, ex quo tanta absurditas ab omnibus repudiata fuit, tanquam humano sensui contraria, adeo ut primarios auctores ipsos puderet: eam isti quasi profugam receperunt, sicuti eorum secta cloaca est aut sentina quaedam, in quam omnes sordes conflunt. Prima quidem fronte speciosum colorem obtendunt, dum conqueruntur de avaritia eorum, qui se Christianos vocant: eod quod omnes adeo avidi sunt lucri, ut maior pars sint similes famelicis bestiis, aut potius sint voragines. Nec profecto dubitandum, quin *Dom*inus permittat & habenas laxet *Sathan*ae, quod eiusmodi furiosos impellat, qui sic bona omnia praedae contentur exponere: ut ingratitude eorum puniat, qui ipsis abutuntur, id est, uniuersi propemodum orbis. Perspicitur enim ut hodie omnes & summi & infimi accumulandi: & rapiendi ad se cupiditate, fornacum instar, accensi atque inflammati sint: quibus etiam artibus & commercijs contentur ditescere. Videmus ut ij qui potiuntur bonis, ea ingurgitant soli, aut inclusa tenent: nec inopum fratrum eos miseret, ut eorum subueniant inopia, & bonorum suorum faciant participes. Nos *Dei* monitis non auscultamus. Est igitur rationi consentaneum, *Diabolum* istos inferorum titiones mouere atque exagitare, ut confusionem augeant, quam, *Deo* admonente, non emendamus. Quare isthinc initium facere necesse est: ut sciamus qualiter nos *Deus* velit erga opes huius mundi affectos esse: quae rationes earum acquirendarum licitae sint: quis eorum usus rectus sit ac legitimus. Primum igitur ac praecipuum est, ne bonorum huius seculi cupiditate ducamur. Si premamur inopia, eam moderate feramus: si vero potiamur bonis, ne ijs animum aut fiduciam adijciamus: ea a nobis abdicare simus parati, quoties *Deo* libuerit. Siue habeamus ea, siue careamus: tanquam res caducas & fragiles aspernemur, atque solam benedictionem *Dei* toti mundo praeferramus: spirituale *Christi* regnum quaeramus, nec prauis cupiditatibus implicemur. Alterum est, ut ijs, quae ad victum cultumque necessaria sunt, quaerendis operam nauemus: lucrum quod inde proficiscetur, capiamus tanquam ex manu *Dei*: neque malis artibus utamur, quod facultates aliorum ad nos trahere possimus: sed bona conscientia seruiamus proximis: fructum laboris nostri, tanquam iustam mercedem, percipiamus: ne vendendo aut emendo mendacis aut fraudibus aut fallacis



*eijs vtamur: sed apertè simplicitérque agamus omnia, eadémque fidelitate, quam  
 requiremus ab alijs. Postremũ est, vt qui pauca habet, non propterea desinat gra-  
 tias agere Deo, & placidè edere panem suum: qui verò abundat, ne per ingluuiem  
 aut intemperantiam abutatur: ne per ambitionem aut vanitatem sumptus faciat  
 superuacaneos aut pompæ seruientes: sed moderatè vtendo, facultates in se à Deo  
 collatas, proximis subleuandis & iuuandis impendat: agnoscens se Dei veluti œco-  
 nomum esse, ea conditione bona possidentem, vt aliquando rationem reddat, simi-  
 litudinem illam perpetuò mente agitans, qua Paulus diuitias cum manna compa-  
 rat: nempe, vt is qui magna copia abũdat, id tantũmodo sumat, quod vsus sit: cui ve-  
 rò parum est, is ne indigeat. Denique, vt quemadmodum Christus seipsum nobis de-  
 dit, sic beneficia in nos ab ipso collata, proximis communicare studeamus: eòque pa-  
 cto opem ferentes ipsis, communicemus eorum inopiæ. En qua via progrediendum,  
 & quis modus tenendus sit. Quoniã verò id minimè facimus, agnoscamus iusta Dei  
 vindicta fieri, vt insani isti eo prorumpant ad omnẽ ordinem euertendum, omnẽm-  
 que honorum distinctionem tollendam, dum ex vniuerso orbe, syluam facere mo-  
 liuntur latrociniorum plenam: in qua vnusquisque sine pretio, aut nulla fide ha-  
 bita, quicquid poterit ad se rapiat. Tot verò sunt testimonia Scripturæ ad fœdam  
 istam cõfusionẽ refutãdam, vt nunquã finem esse facturũ, si omnia recitare vel-  
 lẽ. Hoc contenti sumus, haudquaquã iuberi à Domino, vt abijciamus omnia: vt si di-  
 uitijs affluimus, eas penitus abdicemus à nobis: sed tantũ moneri, vt ijs bene vtã-  
 mur. Non vult humanos contractus ciuilemque agendi rationem tolli, ad vsus vitæ  
 necessariam: sed tantũ ad æquitatem & veritatem reducit. Superuacuum igitur  
 esset, multa ad hæc testimonia allegare, cum ijs ad eò abundet Scriptura, vt ea ne  
 mo ignorare possit. Verũ phrenetici isti, vt colore aliquo errorem suum præte-  
 xant, id allegant quod monachi solent obtendere, vt statum suum perfectũ & An-  
 gelicum esse probent. Nempe, quòd Dominus adolescenti illi quærenti quid age-  
 ret, vt vitam æternam adipisceretur, respondit: Vade, inquit, & vende omnia quæ  
 habes, & da pauperibus, ac sequere me. Sed facilis est solutio: nec enim Dominus  
 illic sententiam vniuersalem omnibũsque conuenientem pronuntiat: sed hominis,  
 quem alloquitur, rationem habet. Cum enim se erga Deum officio suo egregiè fun-  
 ctiũ existimaret, omnia legis mandata obseruando: sicque sil ipsi per hypocrisis  
 imponeret, Dominus morbum, qui ipsum latebat, detegit. Erat enim diues, opibus-  
 que suis animum adiecerat: neque id vitium esse ducebat. Eius igitur scabiem Do-  
 minus scalpsit: vt malum ipse suum sentiret, neque iactaret amplius se omnia Dei  
 præcepta adimplesse: vnde longissimè aberat. Summæ ergo stupiditatis est, senten-  
 tiam hanc, qua probando vnus hominis speciatim animo vsus est, sic torquere, vt  
 ex ea vniuersalis doctrina statuatur. Cæterũ, rationi consentaneum est, vt vnus-  
 quisque non solum vendere, sed etiam perdere quicquid habet paratus sit, ob hono-  
 rem Dei: vt quæ ijs, quibus bonorum copia in manu est, nihilominus inopes sint ani-  
 mo. Certò autem scimus, venditionem bonorum re ipsa minimè requiri ab ijs, quos  
 Dominus instruit ad perfectionem Christianam: vt non possint esse Christiani, nisi  
 se bonis omnibus exuerint. Similiter eo niti volunt, quod in Actũ scriptũ est: ne-  
 minem discipulorum aliquid suum esse dixisse, sed omnes protulisse bona sua ad  
 pedes Apostolorum. Atque ad eò eos quibus agri & possessiones erant, ea vendi-  
 disse, vt ex pecunia quam redegerant, subuenirent pauperũ inopiæ. Præclarum cer-*

1. Cor. 8.

Acto. 4.

tē exemplum, modò rectè accommodetur. Atque utinam talis esset hodie affectio in  
 omnibus qui se Christianos vocant. Vniuscuiusque enim necessitati subueniretur,  
 ac longè meliori ratione distribuerentur bona, quàm hodie fieri solet. At vertigi-  
 nosi isti, longè aliud imaginantur, quàm quod Lucas docere voluit. Quamobrem  
 ne in hoc delirium incidamus, quo fallantur ipsi, ac mundum perturbant: animad-  
 uertamus quam bonorum communicatione in Lucas significet, dum ait, neminem id quod  
 possidebat, sibi proprium esse dixisse. Est enim forma loquendi linguis omnibus  
 communis: ut cum de homine liberali loquimur, eum nihil sibi proprium habere di-  
 camus: quòd semper aperta sit eius manus ad largiendum ijs qui inopia laborant. Ac  
 maiore quidem ratione, si quis sit amicorum cœtus, tam bene inter se cõuenientium,  
 ut nemo ipsorum, cæteris laborantibus deesse velit: sed vnusquisque proximum iu-  
 uare sit paratus, meritò dicentur tales homines nihil sibi habere proprij: etiam si  
 interim vnusquisque familiam suam regat, bonis suis fruatur, possessionumque ac  
 facultatum administrationem habeat: nec in eundem acervum congesta & confu-  
 sa sint omnia. Talis erat fidelium congregatio de qua loquitur Lucas. Vnusquisque  
 retinebat familia suæ regimen, res suas sibi habebat, & separatim administrabat  
 sua. Verùm, ita se mutuo ac fraterno amore prosequabantur, ut nemo inter ipsos  
 inopia laboraret. Idque, ut iam dixi, dilectionis Christianæ speculum verissimum  
 est: cui ut conformaremur, magno studio nos eniti oporteret. Atque utinam Quin-  
 tinus: & eius affectu talem reformationem restituere possent. Minimè quidem  
 ipsis obstitere. Verùm, neque id inquirunt, neque eum sibi proponunt finem. Huc  
 enim tendunt, ut misceant & confundant omnia. Nam in hoc insistent, ut nemo  
 aliquid habeat proprij. Et cum respõsionem hãc admittere debuissent, quod post-  
 ea sequitur, subiiciunt: Omnes scilicet, quibus agri & possessiones erãt, ea vendidif-  
 se. Itaque, ex eorum sententia nemo Christianus esse potest, nisi qui se omnibus ijs  
 quæ possidet, exuerit. Ad hæc respõdeo, ipsos dupliciter falli. Primum enim, haud-  
 quaquam dicit Lucas, omnes bona sua vendidisse: neque eos qui vendebant, nulli re-  
 prioribus excepta, aut sibi reservata, omnia distraxisse. Ne autè videar hanc ipse so-  
 lutionem confingere quæso, an verissimile est Lucã duos tantum propositurũ fuis-  
 se exempli causa, quorum vnus hypocrita fuit, Deo que volebat imponere, si omnes  
 vendidissent? Iosem Cyprium nominat, qui bona animi affectione ductus, re vera a-  
 grum vendidit. Alter quem nominat, inanis gloriæ studio ducebatur, & partẽ pre-  
 tij solum attulit. An credibile est, è sex milibus fidelium, aut eò plus, omnes qui a-  
 gros & prædia habebant, ipsa vendidisse: Lucam verò vnicum tantum exẽpli gra-  
 tia fuisse nominaturum? Dixi secundo, fideles ipsos, qui eo tempore prædia sua di-  
 straxerunt, ut fratrum inopia subuenirent, non ita omnia vendidisse, ut nihil sibi  
 reliquum facerent. Retinebant enim domos & familias suas, easque tuebantur &  
 aiebant, usque bonis, quæ Deus ipsis dederat, utebantur. Id autem satis demonstra-  
 tur ex eo quod postea adijcitur de Tabitha, foemina singulari charitate prædita,  
 & in pauperes liberalissima. Vnde verò esset largita, si omnia abiiecisset? Scriptũ  
 est Petrum apud Simonem coriariũ diuertisse: quod fieri non poterat, nisi domum  
 & familiam habuisset. Idem postea dicitur de Maria matre Ioannis: nempe Pe-  
 trum, stupendo miraculo ereptum è carcere, in eius domum venisse. Idem de Lydia.  
 Postquam enim ad Christum conuersa fuit, haud semel Apostolos hospitiis re-  
 cepit, sed etiam ipsi carcere liberati, in eius domum sese recipiunt. Ii autem, de  
 quibus

quibus loquor, inter Christianos perfectissimi fuere. Nec tamen inter ipsos confusa fuit bonorum communio. Verum superuacuum & nimis longum foret, singularia exempla omnia colligere, ut ostendam fideles bona sua inter se comunicando, ea non simul coaceruasse, sed quenque apud se retinendo, alijs, quemadmodum res exigebat, distribuisse. Doctrinam enim generalem habemus, cui acquiescere tutius est. Vnum adhuc speciale exemplum producam: deinde concludam iuxta vniuersalem illam doctrinam, ceu veram regulam, qua dimetienda sunt omnia. En Philemon, quem Paulus, non abs re, commilitonem suum vocat in opere Domini, & laudat ob fidem ipsius & excellentem charitatem, celebratam ubique, qua erga Deum & omnes sanctos affectus erat. Neque tamen propterea desinit pradia sua ac mobilia possidere: sed etiam seruos & seruas, qui eo tempore mancipia erant. Neque enim tunc mercede conducebantur serui, sed ita possidebantur, ut vel toto vitæ tempore retineri, vel alienari possent. Erat igitur longe absurdius, dominum ea conditione frui seruis suis, quam reliqua bona, id est, census & possessiones retinere. Paulus autem, minimè iubet eum omnia abijcere: sed rogat ut seruum suum Onesimum, qui aufugerat, recipere velit. Si is qui cæteris est veluti speculum perfectionis, illi conscientia, bonis suis fruitur, atque in eo probatur à Paulo, quis diuersam omnino legem poterit Christianis imponere? Ad communem doctrinam veniamus, in qua vera definitio sita est. Paulus non docet 1. Tim. 6. Timotheum, ut iubeat diuites huius seculi, diuitijs omnibus cedere: sed non superbi-  
 re, ne in opibus corruptioni obnoxys spem locent, sed ut in bonis operibus sint diuites. Non iubet dominos manumittere mancipia sua, sed tantum humaniter & Ephes. 6. benignè tractare. Non vetat emptiones aut venditiones: sed ne vendendo aut 1. Tes. 4. emendo circūueniamus proximos, aut fraudemus. Item, ut ij qui emunt tales sint, 1. Cor. 7. ac si non emerent. Non iubet pradia relinqui, sed ut qui ea possident, ita se gerant, ac si nulla possiderent. Denique, de elemosyis verba faciens, non iubet in acrum 2. Cor. 6. conijci, ut vnusquisque, quan:um sibi necesse erit, inde sumat: sed vult vnum-  
 quenque pro arbitrato & affectione animi sui dare: non quasi coactum aut vi impu-  
 lsum, sed ingenuè ac liberaliter: non ut qui dives est, sese ad inopiã redigat, quò  
 suppeditet alijs: sed ut penuriã proximorum ex abundantia sua subueniat. Hæc  
 sunt Pauli verba. Quid plura requirimus? Discamus ergo communionem, quam  
 inter se habent fideles, quò ad facultates spectat, cum ordine & politia coniun-  
 gere: sic que reijciamus atque abominemur diabolica istorum deliria, qui bona om-  
 nia confundi volunt, ut non solum labyrinthos in mundum inuehant, sed etiam  
 horrenda latrocinia: sic: i vnusquisque animaduertere possit, ac clarius experi-  
 mento perspiceret. Quòd attinet ad illas sententias Luca, quæ prius allega & fue-  
 runt: constat ijs nihilo plus fanaticos istos inuari, quam monachos, qui ijs niti  
 voluerunt, ut præclaras suas, imò suum, communionem fundarent, quibus in claustris  
 suis vtuntur. Omitto quòd charitas ipsorum non eò progreditur, ut deteriorem  
 conditionem suam reddant, quò beneficijs afficiant alios: nam, æquo animo ferunt  
 alios sese exuere, quò ornentur ipsi, sed quid sit alijs donare, prorsus ignorât. Quam-  
 obrem solius sum eos vocare dociores passivæ charitatis: quia se quantis fieri pote-  
 rit, beneficijs affici patiuntur: verum, vbi omnia ingurgitarunt, neque sic tamen  
 contenti sunt, semper obmurmurant. Quòd si dandum sit, quaritur alius qui id fa-  
 ciat: hoc eorum animos subire non potest. Atque tantum abest ut possint cha-

ritatem adiuam bonis exemplis docere: vt nunquam eã addiscere possint. Ceterum, quia in eo ostendit tãtum, quo animi studio aguntur: in hac parte eos vltierius non persequar. Mihi enim satis est ostendisse quam impia & dananda hac doctrina sit.

DE RESURRECTIONE QVAM  
tenent Libertini. Cap. XXII.

2. Tim. 2.

**P**Aulus mentionem facit Phileti & Hymenai, qui iam suo tempore resurrecti onem esse factam dicebant: ostendens nefariam esse hæresim, qua fides Christiana prorsus euertitur. At nihilominus canes isti execrabilem errorem suum aduersus sententiam adeo perspicuam tueri non desinunt. Rident enim spem omnem, quam de resurrectione habemus, idque iam nobis euenisse dicunt, quod adhuc expectamus. Si queratur, quomodo id intelligant: nempe, inquiunt, vt homo sciat animam suam spiritum immortalem esse perpetuò viuentem in cœlis: ac Christum morte sua opinationem aboluisse, eaque ratione nobis restituisse vitam, qua in eo est: vt nos minimè mori cognoscamus. En quomodo impij isti cum maioribus suis

1. Cor. 15. Hymenæo & Phileto præcipuum fidei nostræ fundamentum euertunt: sine quo Euangelij, vt ait Paulus, nequit consistere. Sublata enim resurrectione, quid amplius restat? Tollitur autem, cum talis concipitur imaginatio, qua veritas destruitur. Verum quidem est, eam qui credit nunquam interiturum, sed à morte in vitam transfuisse: nullam aduersus eos esse condemnationem: mortem ipsis amplius non dominari: quatenus residei in ipsis Dei Spiritus, qui Christum à mortuis suscitauit, semènque ipsis immortale est. Verum, ex eo non sequitur beatitudinem, quam expectamus, iam in nobis reuelatam esse, nos iam ipsa frui, atque in hæreditatis nostræ possessionem re ipsa esse ingressos. Expedit autem Scripturæ locos annotare, quibus radium & imperitorum oculos perstringunt, quò se iam surrexissent credant.

Eccle. 12. Solomo in Ecclesiaste, de morte verba faciens, ait spiritum hominis redire ad Deum qui ipsum creauit: quemadmodum corpus redit in terram, vnde originem cepit. Illinc concludunt spiritum ad essentiam Dei redire, eique iungi, ita vt vnicus spiritus maneat. Sed cui persuadebunt hanc verborum significationem talem esse? animam scilicet humanam, ad Deum redeuntẽ, fieri Deum? Dominus quidem moriens sic loquebatur: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Stephanus etiam simili oratione Deum rogauit: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Sed tantum abest vt loci isti eorum errorẽ iuuent, vt etiam ad eũ planè conuincendum abundè sufficiãt: demonstrant enim aperte, Deum animas nostras in tutelam suam recipere, ac conseruare vsque ad id tempus, quo suis corporibus coniungentur. Si queratur qualis sit interim eorum status & conditio, satis ostenditur alijs in locis, eis gaudium & consolationem afferi, & miserijs liberatas, bonis omnibus à Deo expleri. En quod spectat ad animas. Nunc de corporibus loquamur. Paulus magnificè extollere volens gratias, quas per Christum recepimus, ait: nos domesticos esse Dei, atque vnã cum sanctis ciues regni ipsius: & iam in locis cœlestibus, cum Christo

Colo. 2. sedere. Alio etiam in loco ait, nos cum ipso surrexisse. Verum, id quod in fine adijcit, dicere omitunt: nempe id totum nos spe obtinere. Itaque omnia quæ de presentĩ Christianorum fœlicitate dicuntur, ad eam certitudinem referenda sunt, quam Deus eorum animis infixit: non quòd iam ipsa fœlicitate potiamur, aut e-

eius effectum cernant. Quod enim alibi ait Paulus, verum esse oportet: nempe, salutem nostram, cum in spe sita sit, adhuc absconditam esse. Spes enim absentium & futurarum rerum est. Item, in speciem nos similes esse mortuis: neque vitam nostram prius manifestandam, quam Christus ad iudicium venerit. De omnibus igitur quæ Christus promittit, certi sumus. Idque interim dum ipsam præstolamur. Atque, ut ait Ioannes, scimus nos esse filios Dei: sed nondum apparuit. Idcirco dicit Apostolus alibi, nos gestare arram vitæ in animis nostris, habentes Spiritum Dei, quo nobis testimonium redditur, nos esse filios Dei. Quod Paulus dicit nos resurrexisse, non lequitur de gloriosa vita, quæ nobis promissa est. Itaque non significat nos ipsa nunc frui: sed tantum de regeneratione verba facit, ut ex orationis contextu facile est iudicare. Quid igitur sibi vult? Haud quicquam aliud, quam nos renuntiantes mundo, aspirare ad vitam cælestem debere, de regno Dei meditari, nec quicquam aliud querere, quam ut ipsius voluntati conformes simus. Quid hæc faciunt ad destruendam spem resurrectionis, quam Deus nobis dedit? An credibile est Paulum voluisse nos ab ea auertere? Qui omnes aperte tanquam hæreticos condemnat, qui eò tendebant? Vel, an eò spectat quod dicit de nouitate vitæ? Minimè quidem certè. Hoc igitur ei imponere, nimis impudentiæ est. Itaque, quemadmodum Deus nos elegit atque adoptauit ante creationem mundi: ita eum adoptionis nostræ testimonium animis nostris per Euangelium obsignasse intelligamus: & iam quodammodo in possessionem hereditatis nostræ, spe videlicet, immisisse. Quamdiu verò degimus in hoc mundo, velut peregrini sumus, expectantes quoad bona nobis promissa, re ipsa præstetur: quodque nobis nunc proponitur, tanquam in speculo & figuris obscurioribus, ut ait Paulus, coram intueamur. Absumus à Deo, ut alio loco dicit, quia fide ambulamus: non autem oculis cernimus, aut re ipsa fruimur. Proinde laboramus, spe quietis post mortem potiùs: pugnamus, cum spe percipiendi fructus victoriæ nostræ: gemimus, cum spe consolationis & gaudij perfruendi. Denique, quoniam infelicissimi essemus omnium hominum, si spes nostra in hac vita inclusa esset, ad summam illam felicitatem, quæ ingenium nostrum exuperat, aspiramus: facilius, inquam, vitam illam, in quam Dominus noster Iesus Christus ingressus est, quò nos etiam aliquando secum deducat. Interim, certò credimus, quod nobis per os Pauli dictum est: nos, cum terrestre hoc domicilium dirutum fuerit, permanentem in cælis, dum habituros. Eò nos ab Euangelio vocari scimus: ideoque ex hoc carcere cupimus migrare, ut simus cum Domino: certò persuasi, nos cum ipso verè contentos fore, ac bonis omnibus perfruendos. Cæterum, quia Scriptura nos semper ad extremum diem reuocat, quo promittit Christum venturum, ut iudicet viuos ac mortuos: in eo omnis spes nostra sita est: nam etsi fidelium animæ, simul atque separate sunt à corporibus, viuunt cum Deo, ac felici regni ipsius gaudio potiuntur: tamen perfectæ omnium filiorum Dei felicitas, vsque ad secundum Christi aduentum differtur. Ita ut Abel, Noe, Abraham, omnesque antiqui patres nos expectent, necdum coronas suas receperint, ut vnà omnes coronemur. Oportet igitur fidelium mentes in eum diem esse defixas, eorumque animos in eo conuiescere: sicut etiam Scripturas talium exhortationum plenas videmus. Quid igitur sibi volunt infelices isti, qui præcipuum religionis nostræ caput nobis adimunt? Clamat Scriptura, & clara voce contendit, ut si salutem nostram velimus contemplari, ad supremum illum diem animos erigamus. Canes verò isti, latrant frustra id fieri,

Coll. 3.

1. Ioan. 3.  
Eph. 1.  
Col. 2.

1. Cor. 13.

2. Cor. 5.

1. Cor. 15.

2. Cor. 5.

Philp. 1.

2. Tim. 4.

Hebr. 11.

nosque iam resurrexisse: nullam amplius resurrectionem expectandam. Testimonia adeo perspicua sunt, ut nihil supra: quibus ostenditur corpora nostra, quae nunc corruptioni, ceterisque miseris obnoxia sunt, ad gloriosam illam immortalitatem adipiscendam: similiterque infidelium corpora, ad ignominiam perpetuam suscitanda esse. Si non resurgimus, inquit Paulus, neque Christus resurrexit: Evangelium nihil aliud quam mendacium est: exinanita est fides. Similiter haec doctrina tam crebro iteratur, Dominum Iesum venturum in maiestate sua cum Angelis, ad supremum iudicium ferendum: ad filios Dei in plenam caelestis hereditatis possessionem vocandos: impios vero mittendos ad supplicium aeternum: ut segreget haedos ab agnis: ut opus redemptionis a se factae, in membris suis adimpleat. Isti vero porci ex aduerso doctrinam hanc nostris suis euertunt, dicentes nihil omnino amplius restare, opinione sublata: hoc sufficere, spiritum excedentem e corporibus nostris, redire ad Deum. Tunc enim ex eorum somnio, verè in locum suum & perfectionem suam redactus est. Ex quo perspicimus, eos non minus peruersè ac nequiter finem quam initium facere. Sicut enim de hominum creatione & omnibus operibus Dei, verba facientes, Deum cum Diabolo miscent ac confundunt: ita cum ad restorationem omnium ventum est, quicquid Scripturis continetur, euertunt: spem salutis nostrae tollunt: nihil nobis reliquum faciunt praeter hanc vitam, ut eam transigamus, deinde in nihilum redigamur. Quamobrem de hac execrabili blasphemia moniti, viuamus in spe, quam adeo certam & perspicuam nobis Deus per totam Scripturam proponit. Nempe Dominum Iesum e caelis appariturum suo tempore: & eos qui prius decesserint, quorum corpora iam computruerint in terra, ad tubae sonitum, id est, ad vocem Archangeli, qui eos ad iudicium citabit, suscitatum iri: reliquos vero superstites momento immutatum iri: ipsos quoque, omnesque unam innouatos obuiam venturos regi, ut sese coram ipsius maiestate representent. Tunc filios Dei premium spei suae recepturos, eisque reuelatum iri beatitudinem illam, quam nunc auidè expectant: eam, inquam, coram ac plenè ipsis patefactum iri, utcunque nunc, quod ad humanum sensum, eos lateat. Tunc nos inductum iri in possessionem hereditatis nobis per Evangelium promissae. Tunc foelicitatis plenam fruitionem adepturos: cum nunc miseris & calamitatibus obruamur. Tunc nos praesentem Deum habituros, eumque visuros sicuti est: cum nunc fide tantum cognoscamus. Tunc corpora nostra, tamen si corruptioni & putredini nunc obnoxia, in gloriam Domini nostri Iesu Christi transformatum iri. Sic itaque futuram resurrectionem nostram in ipsius resurrectione contemplemur. Nempe, quemadmodum ad immortalitatem resurrexit, ita non dubitemus, quin idem in membris ipsius sit futurum, cum tempus aduenerit. Ac certi sumus, sicuti Apostolus testatur, nos à patribus, Prophetis, ceterisque fidelibus expectari, qui nondum paratam sibi à Deo coronam receperunt, ut eam omnes unam adipiscamur. Neque id solum, sed etiam ut creaturae omnes nos comitentur, quae, ut ait Paulus, cum gemitu expetunt diem redemptionis nostrae, ut restituantur in pristinum statum, & eripiantur à seruitute, in quam nunc ob peccata nostra redactae sunt. Quo magis perspicitur miserorum istorum insania, qui creaturis ipsis sensu carentibus, lapidibus inquam ipsis & stipitibus stupidiores sunt. Inde reputemus quid sit in reprobum sensum dari: & iudicium Dei timere discamus.

**CAP. XXIII. QVO OMNIA, QVAE TVM DE STY-**  
*lo, tum de falsa ac damnanda impietate Libertinorum dicta sunt, qua-*  
*si digito commonstrantur ex libello Antonij Pocquij huius*  
*sectæ affecta: quo, vt aiunt, à gallo ad asinum*  
*subinde transilit.*

**Q**uoniam ea quæ prius tractaui, tum de execrandis erroribus Quintinistarum, tum de eorum astutia, qua sub integumentis verborum callidè inuoluunt venenum impie & perniciose doctrinæ suæ, longè facilius comprehendi poterunt, si exemplum aliquod propositum fuerit: quò plenius instruatur lectores, inuolucra aut ambages nescio quas Antonij Pocquij, sacrificuli illius, de quo initio loquutus sum, hinc inferenda putauit: additis exhortatiunculis nonnullis, quibus rudes ac imperiti moneantur, qui alias forsitan minimè sibi præcauerent. Tricas autem istas, desultationes voco à gallo ad asinum: quò sermones illic congesti, tam benè coherent, quàm caprarum stercora, sicuti vnusquisq; e facile iudicabit. Porro notandum est illic alluciniendis imperitis, veluti escam proponi. Neque enim grandia mysteria deteguntur, quæ nullis aperiri solent, præterquam ijs qui se omnino ipsis dederunt, vt in eorum schola instituantur. Illud est videlicet, quod ab initio dixi: quem admodum monachi nouitium aliquem inescare volentes, diligenter cauent ne ordinis secreta ei pandantur: sed quæ pulchriorem habent speciem, ei in conspectum ponunt, donec ipsos in laqueos suos attraxerint: sic canes isti, initio bella aliqua specie sese fucabunt, vt rudioribus, aliquem doctrinæ suæ gustum dare possint: neque vnquam sentinam abominationum suarum detegent, quoad certi sint hominem ita à se fascinatam esse, vt eorum delirijs prorsus consentiat. Vt ergo miseri nouitij, apud monachos, posteaquam professione sua laqueum perpetuæ seruitutis induerunt, ibi inferos esse comperiunt, vbi cœlestes delicias querebant: atque mel ipsis in fel conuertitur: sic rudes ac imperiti homines, prima facie existimantes hanc infelicem sectam veluti cœlorum ianuam esse, prius in exitium præcipientes ruunt, quàm malitiam ac nequitiam eorum cernere aut animaduertere poterint. Quamobrem, ne quis non monitus fallatur, magnum istum doctorem Antonium Pocquium, eorum more concionantem, audiamus.

**LAVDABILIS EST DEVS, CUI HIS POSTRE-**  
*mis diebus, mihi per organum suum pateface: e libuit magnum, in quo sui errorem,* Rom. 11.  
*quod vos reprehedere ac corrigere vellẽ, cum scriptum sit: Omnes erũt ducti à Deo.*

**C E N S V R A.**

**O**bseruate præcipuam istius esse sapientiam, sinere vnumquenque animi sui libidinem sequi, nec miseros homines errore seductos, reprehendere. Ita omnem doctrinam & monitionem, inter homines cessare oportebit. Quod longè alienum est ab eo, quod Paulus ab omnibus fidelibus requirit. Docentes, inquit, vos & admonetes mutuo. Item, Pleni estis sapientia, vt vos inuicem hortemini. Item, argue, admo, increpa. Itẽ, quod ait Dominus: Si peccauerit frater tuus, corrige eum inter te & ipsum. Sequitur.

**EXISTIMABAM ME ALIQUID INTELLIGERE,**  
*nec quicquã intelligo: Deus enim intellectus meus est, virtus mea, & salus mea: atq;*  
*ad eò vos iudicabã, & murmurabã acutè in proximos meos, in me verò nihil cernẽs.*

Quæ omnia vetita sunt: fecit enim nationes mundi capaces salutis. An qui Deum pro intellectu suo habet, nihil intelligit? sic enim Deus nihil aliud efficeret, quam nos excacaret: cum nos illuminare ipsius officium sit.

## C E N S V R A.

Homo quidem fidelis, se nihil ex seipso intelligere censet. Sed an propterea debet oculos claudere, ne quid intueatur, ut vult iste insanus? Prohibitum quidem est, ne obseruemus alios, ad vitia nostra conuiuendo: sed Dominus non vetat, quominus vno peracto, alterum etiam efficiamus. Diligenter autem notanda est præclara ratio quam adiungit: Omnes nationes capaces sunt salutis. Non licet igitur in proximum animaduertere: sed contrarium prorsus concludo. Cum enim sumus ministri Dei, & eius coadiutores ad proximos nostros in salutem instruendos: nos operam nostram ipsis impendere, nec vnquam cessare oportet.

1. Cor. 3.  
Marc. 16.

Sequitur.

PRIMUM HAUD QVA QVAM INTELLIGEBAM, quomodo ex nihilo creati sumus, & corpora nostra in cineres reducenda: spiritum verò, ut aërem clarum fore, & sparsum ut nubem: neque etiam intelligebam me ex genere terrestri esse, id est, ex eo qui primum factus est in animam viuente. Deus nihil sine causa facit, & quomodo exiimus ex utero terræ, matris nostræ, ubi omnis inest dolor? Quãobrem dicebat Iob: Qui vulnus inflixit, ipsumq; sanauit: qui deducit ad inferos & reducit: qui liberat à sex tribulationibus, septimam verò malum non attinget.

## C E N S V R A.

Quæso, quis tenor in his sermonibus? haud sanè maior quam in delirijs hominis phrenetide laborantis. Caterum, ingreditur in præclaram illam philosophiam quam attigimus: spiritum ad Deum reuerti post interitum hominis, dicens in nubem sparsum iri.

Sequitur.

EVIT ENIM ANIMA MEA VIVENS, QVAE PV-  
tauit loqui. Sed gratia Deo, per hunc Spiritum renouationis à morte erectus sum, & viuificatus sum cum Christo: mihi præterierunt opera legis: vocatus sum cum Angelis, & factus filius Dei: hæres immortalitatis & membrum Christi, corpora nostra templum Spiritus sancti, anima nostra imagines, & loca secreta diuinitatis. Horribilis verò illa bestia, quæ vocatur Diabolus, cui obligati & serui eramus, eratque impossibile ex nobismetipsis ab ipso liberari. Erat igitur superbia, aut auaritia aut mundus, qui iam per ignem finitus est, ut amplius sum dicturus.

## C E N S V R A.

Nunc vndas illas despumat, de quibus Iudas loquitur, id est, grandiloquentiam, quæ mirificæ spiritualitatis speciem præ se ferat. Quis enim prima facie non affirmarit Antonium Pocquium semiangelum esse, si eum tam sublimi stylo intonantem audierit? Verum, si bene perpendantur, nihil aliud sunt quam vesicæ speciei sua bene tumida, sed turgida vento: nisi quòd sub harum spumarum tumore, multæ latent blasphemias. Vult enim fanaticam hanc resurrectionem, de qua loquutus sum, introducere. Deinde quantum nominet Diabolum, tamen indicat id tantum imaginatione se facere: declarans se nihil aliud intelligere quam superbiam, mundum, aut auaritiam. Id quod est eorum opinatio, de qua iam tractaui. En igitur quid Diabolus apud eos significat. Denique quod dicitur de consumma-

tionem



tionem mundi per ignem, ad stultam allegoriam trahens, hunc fidei nostræ articulum destruit, qui tam disertè exprimitur in Scripturis: spemque tollit, quam de omnium creaturarum renouatione habemus.

Sequitur.

**Q**UEMADMODUM SCRIPTUM EST DE TRANSFIGURATIONE, ubi erat Moses, Helias, & Iesus in medio. Moses erat lex vetus, dura & importabilis: Christus erat lex mitis, pergrata & tractabilis: Helias postremus erat, finem mundi significans, ut discedens in ardenti curru suo ignis pleno ostendit: qui vocatus est spiritus duplex, per quem extra hunc terrestrem mundum consumimur. Ideo per Ioannem dicebat Christus: Video cælum nouum & terram nouam. Erat scilicet mundus, qui iam finem ceperat: non omnibus, sicuti neque adhuc hodie finem cepit. Mundus finitus est pro ijs qui sunt in Christo, neque amplius viuunt secundum carnem: nam prudentia carnis, mors est, & plena mortis.

CENSURA.

**P**erspiciat huius furciferi audaciam, quem non pudet magnum doctorem agere, dum recitat fabulas aniles, ex libro, ut aiunt, colium, pro mysticis interpretationibus Scripturæ. En Christus qui se in gloria exhibet in medio Moysis & Helias, id est, Legis & Prophetarum: ut indicet Moysen & Prophetas sibi testimonium reddidisse, seque esse verum finem, ad quem omnis illorum doctrina referenda est: atque in medio est, ut in loco eminentissimo quo se ostendat caput in domo Dei, ut dicit Apostolus: alios autem famulos tantum fuisse. Porcius iste præclarum hoc mysterium, rostro euertens, ne Christus sit amplius omnium finis, Heliam in supremo gradu collocat: & vniuersorum perfectionem facit, nihil aliud Christo attribuens, quam quod nos ad medium itineris perducit. Quæ Mahometis doctrina est. Deinde, cum dicit mundum iam finem cepisse, adhuc apertius blasphemias suas euomit, tum de sua perfectione, quam imaginantur, tum de ea resurrectione, quam prædicant: nempe iam esse factam: quod imaginatione gloriosi atque adeo Angelis ipsis excelsiores sunt. Quod fingit curram igneam, in quo Helias extra mundum hunc raptus est, duplicem spiritum esse: primum, textum corrumpit, & aperta falsitatis conuincitur. Illic enim solum refertur, Heliseum à magistro suo petiisse, ut Spiritum Dei abundantiorum duplò quam habuerat, post ipsum haberet: atque additur, id ipsi concessum fuisse. Deinde in hoc vocabulo latet huius sectæ abominatio, quod sese fingunt atque fucant, tum in verbis, tum in gestu, tum etiam in operibus: Christianam perfectionem esse dicentes sic duplices esse animo: ne vlla ex parte deprehendi possint, neque vllus in ipsis tenor vllæ certitudinis sit.

Sequitur.

**N**AM SCRIPTUM EST: FACTVS SVM TOTVS HOMO. Cum factus sit totus homo, accipiens naturam humanam, ac mortuus sit, potestne adhuc in his inferioribus locis mori? Magni esset erroris hoc credere: nam mortuus est & resurrexit: & credendum est eum nullum membrorum reliquisse, quod cum ipso mortuum non sit, atque etiam resurrexerit. Quare scriptum est: Omnes sumus membra Christi.

CENSURA.

**V**bi scriptum est quod allegat? Nonne falsitas manifesta est? Nulla enim talis sententia in Scripturis reperietur. Sed imprimis notemus quid ex illa falsa allegatione deducat. Nempe nos amplius non mori: ac si nihil à

AA 2

Christo differremus. Nos quidem, si membra Christi sumus, iam mortui & suscitari esse debemus, quòd ad sanctitatem vitæ pertinet: abnegando, inquam, nosmetipsos, viuere Deo. Sed an id iam est perfectum? E contrario ostendit Scriptura id nunc fieri tantum ex parte. An propterea abolita est mors naturalis? An dicendum nullam amplius superesse spem resurrectionis? Contra ait Paulus, mortem nouissimum hostem esse qui destruat. Videtur quidem huic venerabili sacrificio ineptis comprobandum sufficere: quòd scriptum est, nos esse membra Christi. Sed non animaduertit Deum, gratias suas in mensura largiri & vnique partem suam in hoc mundo distribuere, pro cuiusque membri qualitate, vt ait Paulus. Quare sicuti Christus non absolutè adhuc in nobis est: sic etiam multum abest quin bonis ipsius ac donis integrè potiamur. Redeamus igitur ad id quod alio loco scriptum est: Vnumquaque suo ordine ad beatam resurrectionem peruenturum.

Sequitur.

**QUIN ETIAM DICIT: INFIRMITATES ALII** aliorum sustinete: nam si detractores simus, adhuc erimus cum serpente, qui Diabolus vocatur, accusante fidelem, quòd in superbia sua se adhuc esse opinetur: sed Deus extollet paruos & humiles: magnos verò & superbos deprimet. Quamobrè ij qui Christi sunt, habentes sapientiã fidei, vbique opera Dei agnoscunt, nihil mirantur, omnia in vtilitatem suam conuertunt, agnoscetes omnia ex voluntate & prouidentia Dei proficisci.

CENSURA.

Rom. 15. **D**ominus quidem iubet vt fratrum infirmitates sustineamus: non tamen vt ap-  
 probemus ipsas, sed tanquam vitia corrigamus. Hic autem impius, quòd reprehensiones omnes tollat, vetat ne simus Diabolo similes. Quis in re? Detrahendo inquit. Fateor. Sed nonne magna est differentia inter detractionem, & reprehensionem, quæ sit fratris emendandi causa? Si igitur falso calumniemur proximum, aut maledicèdi cupiditate, traducamus, imitatores sumus Diaboli: cum verò errores quos animaduertimus in ipsis, syncero animi candore arguimus, imitatores sumus Dei. At furcifer iste adhuc effrenatius erumpit: addes fidei hæc esse sapientiam: omnia, tanquam opera Dei, bona esse iudicare. Ait nos neminem vituperare debere. Rationem adiungit, quia nihil malum esse potest. En quomodo indulget homicidijs, latrocinijs, scortationibus, hoc prætextu, quòd alteri minimè detrahendum sit. Quòdque omnium deterrimum est, hanc infert Deo contumeliam, vt ei maleficia omnia imputet, ne improbentur.

Sequitur.

**SCRIPTVM EST ENIM: OMNIA MVNDA MVN-**dis. Qui autè fide purificatus est, totus est gratus Deo. Sed caueat ne infirmo fratri ruina sit. Quare scriptum est: Ama proximum, & illi coniunctus sis fide: neque vlcisci velis. Qui enim vult se vlcisci, vindictam inueniet à Domino seruãdo peccata. Quare scriptum est: Ignosce proximo qui tibi nocet. Et cum orabis, peccata tua tibi remittentur. Homo enim ira affectus, nihil rogare debet. Quomodo enim sanationem peter, si misericordia careat erga homines similes sui: cum adhuc sit in carne, nouissimorum temporum memoria carens, cum non sinat esse hostis, id est, Diabolus: non reminiscens testamenti, quod docet abstinendum esse à rixis & contentionibus, abolens omne peccatum, nec spectans ignorantiam proximi tui? Dixit enim Dominus: Percutiã, & sanabo. Interimã, & viuificabo. Quare ex toto animum attendite verba mea, & renouemini in nouitate sensus, vt cognoscatis quæ sit voluntas

Dei,

Dei, non reddentes malum pro malo, sed vincentes bono malum in am si ames proximum, adimplebis Legem. Dilectio proximi tui, nihil mali admittit: est enim plenitudo Legis.

C E N S V R A.

Hic perspicitur qua impudentia bonum cum malo confundunt. Paulus de cibis loquens, dicit nullum immundum esse, aut reijci debere: quoniam bona sunt creaturae Dei. Putidus iste, hanc sententiam eò applicat, ut latrocinia, scortationes, homicidia, pro mundis & sanctis rebus habeantur. Quod postea sequitur, confusus est sententiarum aceruus, nihil ad rem facientium. Veruntamen, certum est, malitiam sub eis occultam latere. Cum ait ignoscenda esse delicta: intelligit assentandum esse: atque ultionis verbum cum reprehensione confundit, ut concludat neminem licere in malo suo condemnare: quia debemus ijs ignoscere, à quibus offensus sumus. Verum id quidem: At remissio illa, quae nobis praecipitur, ad charitatem refertur. Interim, non usurpamus auctoritatem Dei, ut malum, bonum esse dicamus. Videmus igitur quomodo canes isti sacrosancto Dei verbo ab blasphemias suas abutantur.

Sequitur.

EN CVR SCRIPTVM SIT VENTVRVM QVI

liberaret infirmitatem Iacob, dicendo: Hoc summum testamentum ex me habebunt cum abstulero peccata ipsorum. Nam, scriptum est Deum inclusisse omnia in infidelitate, ut omnium miseretur. Iudicia enim ipsius, incöprehensibilia sunt. Nam ex ipso, & in ipso, & per ipsum omnia facta sunt. Moyses dicit: Miserebor, ubi miserebor. Quocirca, Dominus miseretur cuius vult, & indurat quem vult. Deinde Iesus dicit: Sine me nihil potestis facere. & Nemo potest venire ad me, nisi ei datum sit à Patre meo. Nonne veritas infallibilis ita loquuta est? An volumus ipsius verbo contradicere? Nonne scriptum est, Deum cognovisse antequam nos crearet, in boni vel mali futuri essemus? Et omnia novit, & quae evenerunt & quae ventura sunt.

C E N S V R A.

EN praclara eorum theologia. Aiunt Christum in hunc mundum venisse, ut peccatum tolleret. Abolet quidem peccatum in suis fidelibus: verum, id facit mortificando ipsos per gratiam Spiritus sui, ut virtutes sequantur, vitia vero fugiant. Delet etiam maledictionem peccati, ne nobis amplius coram Deo imputetur: sed non ideo peccato carent fideles ipsi, neque minus se ipsos in malo suo condemnare debent, ut à Deo absolvantur. Similiter non minus debent sese, mutuis admonitionibus corrigere, ut resipiscant à vitijs. Deus inclusit omnia sub incredulitate, id est homines omnes conuictos, ac propria incredulitate damnatos, tenet: adeò ut nemo saluus euadat, nisi misericordia ipsius, quam ijs exhibet, quibus sibi visum est: sed non ideo peccatum iustificat, cum ipsum ignoscit. Sed quorsum, quaeso, omnes illas sententias nullo ordine aut ratione congestas accumulatur, nisi ad perstringendos lectorum oculos, ut ignorent omnino quò se vertere, ubi consistere debeant? Quemadmodum qui aberrant à via neque aut iter aut semitam ullam vident, per medios agros incerti vagantur.

Rom. u.

Sequitur.

SCRIPTVM EST, NON TENDES AD MALVM: CA

uè ne adulteres in verbo, sicut multi faciunt. Talis ego fui: sed omnia remissa sunt. Nã scriptum est, Abstinetes vos ab adulteratione, ut possitis vras vestras in sacrificatio ne & honore possidere. Cui simus mortui legi, per corpus Christi, ut alterius simus, qui suscitatus est ex mortuis, ut fructificemus Deo viuenti: non estis igitur in carne. Prudẽ-

AA 3

tia carnis est inimica Deo, nec potest Deo placere. Nisi enim spiritus Christi sit in vobis, quomodo essetis in ipso? Sed si in vobis sit, corpus mortuum est propter peccatum, sed spiritus vivit ob iustificationem: id est, iustificavit nos, quatenus eiusdem spiritus sumus. Si ergo spiritus illius qui Christum à mortuis suscitavit, qui habitat in vobis, cum mortuus sit pro omnibus, ac scriptum sit ipsum fuisse omnem hominem, & pro omnibus mortuum esse, ut qui vivunt, non amplius vivant in seipsis, sed ei qui pro omnibus mortuus est & resurrexit.

## CENSURA.

**H**Aud multum laborat venerabilis presbyter Antonius in alleganda Scriptura, ea videlicet, quam sequitur ratione: falso hunc locum citans, illum depravans, nonnullos etiã fabricans pro sua libidine scriptum id esse fingens quod ipse summavit: confundens omnia: ac si Scriptura in hoc edita esset, ut tanquam confusum ex ea edificium construeretur, ex omni generis frustis sine ulla ordine congestis in  
2. Cor. 4. aceruum. Paulus ad Corinthios scribens, dicit se non adulterasse verbum Dei, more multorum, id est, non fucasse (quem admodum mangones merces suas fucare solent) ut in questum abuteretur. Stolidi haec bestia, locum hunc coniungit cum eo quod Apostolus Thessalonissencibus dicit de castitate: dehinc transulat ad octavum capitulum Epistolae ad Romanos, ut sanctas exhortationes, quae nobis illic proponuntur, pervertat. Nam cum illic Paulus nos ad vitam sanctitatem hortetur, ut mundum & cupiditates carnis abnegemus, infelix iste, rudes fascinare conatur, ut eos ad infernalem spiritualitatem trahat: quam in eo constituit, totamque perfectionem in eo sitam esse vult, ut nihil malum esse iudicent: eo pretextu, quod, ut ipsi videntur, haec eant spiritum Christi. Atque illud est quod in fine dicit, falso allegans locum Pauli, nos esse iustificatos, quod eiusdem spiritus sumus: cum Paulus dicat, spiritum Dei nobis esse vitam, propter iustitiam, quam nobis dedit.

## Sequitur.

**Q**UAM OB REM NEMINEM NUNC SECUNDUM CARNEM COGNOSCIMUS: quare si cognovimus Christum secundum carnem, nunc non si eum amplius cognoscimus, quia, renati & regenerati sumus, nova creatura in Christo. Itaque res veteres & aridae praeterierunt, quia omnia renouata sunt, & omnia sunt ex Deo, qui nos sibi reconciliavit per Christum. Deus enim erat in Christo, reconcilians mundum sibi, non imputans ipsi peccata. Ideo scriptum est: Qui videt peccatum, peccatum ei manet, & veritas in ipso non est. Deinde, praeterea dicit, eum qui peccat in uno, peccare in omnibus.

## CENSURA.

**P**AULUS volens eorum superbiam deprimere, qui in rebus externis gloriantur, dicit neminem cognoscendum secundum carnem, ut cum ab externa larva aestimemus: sed eos magni faciendos esse, qui novae sunt creaturae. Hic nebulo eò spectat, ut imperitos rapiat in istam imaginationem, ne amplius inter bonum & malum discernant, ac si esset secundum carnem iudicare. Quod ut melius confirmet, impudenter corrumpit locum Ioannis, ubi Dominus Phariseos sic alloquitur: Quia dicitis, videmus: peccatum vestrum manet: eumque in aliam omnino formam convertit: Qui videt peccatum, peccatum ei manet. An egregie sublimes illos & tumidos spiritualitatis sermones despumavit: nunc uno verbo definit, qualis sit praecleara illius sanctae innocentiae & sanctitatis. Nempe, sensu & intelligentia porcis nihil praecellere.

Sequi-

Sequitur.

**SED CVM INSPICITIS IN DEVM, OMNIA ISTA non videtis. Non enim habitat in Deo peccatū: & tamen facit omnia: & quæ facit omnia, bona sunt: ac scientia hominis, stultitia est coram Deo. An ergo respicietis in hominem, id est, in carnem, quæ non est Deus? Etiam ipsi non sunt.**

C E N S V R A.

**H**ic perspicitur quomodo tribuens malum Deo, ut bonum iudicetur, per quæ Deum blasphemat, aut etiam atrocius, quàm si iustitiæ eius palam maledice ret. Quia verò nullus est humano sensu præditus, qui tam prodigiosam fœditatem ferre possit: omnia fieri à Deo, ideoque nullum esse peccatum: sapientiam hominis, stultitiam esse allegat. Quod ei concedo: sed dico, condemnare malum, & peccatum cernere, ut ipsum odio habeamus, scientiam esse Dei, nisi omnino velit Diabolum per sacrosanctam Scripturam loquutum esse.

Sequitur.

**ET QVIA OMNIA QUÆ FIVNT EXTRA Deū, nihil sunt: dicit Scriptura, quòd omnia quæ facimus, aut scimus facere, nihil sunt quàm vanitas. Quare dictum est: Abnega te ipsum, tolle crucem tuam & sequere me. Qui mecum ambulat, non est in tenebris, sed ambulat in luce.**

C E N S V R A.

**N**ulla adeò præclara in Scripturis sententia est, quam os istud impurum atque impudens ad belluinam affectionem suam non trahat, nimirum ut vnumquæque ad vitam, suo arbitrarij degenant, impellat. Cùm Scriptura dicit, nihil aliud esse in nobis quàm vanitatem, nec sine Christo boni quicquam posse efficere: ideo statuat, ut se quisque inutilem ad bene agendum agnoscens, Dei gratiam imploret, quæ omnia operetur. Impius iste, contrarium prorsus concludit. Nempe, nos nihil agere, idque sufficere, ut credamus Deum facere omnia: ac nos tum nihil admittere mali, cum Deo imputamus.

Sequitur.

**ASPICITE, ADEST TEMPVS QVO DISCIPULUS Helix duplicem spiritum petebat. Atque illud erat, quod Christus dicebat Apostolis suis, inquiens: Adhuc nonnulla habeo vobis dicenda, quæ nunc ferre non possertis: sed cùm Spiritus ille veritatis aduenerit, vos omnem veritatem docebit. Neque enim loquetur à seipso, sed omnia dicet quæ audierit, & ventura omnia nuntiabit vobis. Ille clarificabit me. Accipiet enim de meo, & vobis nuntiabit, per quem incorruptibiles futuri estis, qualis ego sum. Plura dicere supersedebo, donec tempus aduenerit.**

C E N S V R A.

**A**cutè & solerter nobis esset diuinandum, ut quorsum spectet huius sacrificij sermo intelligeremus: videtur enim à primo Missæ suæ momento, ad secundum transilire. Sed animaduertendum eò ipsam spectare, ut mundum à simplici & pura Scripturæ doctrina auocet: ac si Christianorum sapientia in eo sita esset, ut nouis reuelationes inquirerent: idque nunc duplicem spiritum vocat, ea prætergredi quæ Scripturæ finibus cõmentur. Tamen si, quoties ipsi libet, id diuersa omnino significatione accipiat. Cæterùm perditè & nequiter adulterat locum Iohannis, ut blasphemiam suam confirmet. Nam cùm Dominus dicat Apostolis, Spiritum patefacturum intelligentiam eorum, quæ ex ipsius ore audierunt: veterator iste illa, scilicet immutat, ipsam nuntiaurum ea quæ futura sunt. Deinde Christum loquentem facit pro suo arbitrarij, eiusque personam, tanquam in fabula, introducit, dicentem ea, quæ ne in mentem quidem ipsi vnquam venerūt. Sed, ea re uerentia Scripturam colunt

ut eius nomen obtendant: quò plebi imperitæ, & quid ipsa contineat ignorant, imponant.  
Sequitur.

**ASPICE QUOMODO DEVS PLANTAVIT**  
ortum voluptatis: deinde constituit in eo hominem, ut eum coleret & servaret. Cùm autem Deus ipsum creasset, obdormiuit, & Deus cepit unam è costis ipsius, ex qua creauit feminam, ut consociaret eam viro, deinde dixit eis: Crescite & multiplicamini super terram. En prima lex quam ordinauit Deus, quæ vocabatur lex naturæ. Itaque intelligite quomodo Ioânes ostendit in Apocalypsi de septem tēporibus, ut de septem candelabris & septem stellis: quomodo in quinto ambulaturi eramus in tenebris, dicens primum esse sanctum, & postremum eiusdem solennitatis cum primo. Nos autem sumus in postremo tempore, & fuit verum vinculum factū in arbore crucis, quod vocamus Matrimonium: & tunc obdormiuit, & fuit apertū latus, ut costæ reponeretur quæ est femina, Ecclesia dicta, & unio totius naturæ humanæ: & fieri omnes in vno membro, cuius Christus est caput. Quare, relinquamus mortalibus quod est mortale & corruptibile: nam regnum & excellentia animæ nostræ, non est hic inferius, nisi sordida & maculata. Afficiamus bene quomodo Ecclesia facta fuit & formata, quæ erat præfigurata per Adam & Euam. Quare Christus est sponsus, & nos sumus sponsa, ut scriptum est in cantico. Veni soror mea, sponsa mea.

CENSURA.

**Q**uoniam Paulus hac similitudine Adami & Eux utatur, ut vinculum illud spirituale, quo cum Christo iuncti sumus, nobis vnicè commendet: nempe, ut communicemus cum ipso beneficijsque ipsius: scelestus iste seductor, eam detorquet ad Diabolicam imaginationem suam: nempe, nos ipsam esse Christi personam. Præterea quòd legem naturalem vocat multiplicare & crescere: deinde addit eò esse redeundum, ut sumus in primo innocentis statu: id facit iuxta eorum doctrinam de spiritualibus matrimonijs, ut vniuersusque sese ad eam applicet, quæ prima occurrerit. Quod interferit de Apocalypsi, à gallo ad asinum est. Attamen perspicuum est sensum loci ab eo peruerri, dum ad hoc tempus perfectionem regni Dei alligat: quòd ut adueniat quotidie rogantes, fatemur nondum adimpletum esse.

Sequitur.

**SED SI ADHVC COMMITTAMVS DELICTUM,** & ingrediamur hortum voluptatis, qui adhuc nobis prohibitus est, ne quid velimus facere, sed sinamus nos duci à voluntate Dei. Alioqui non essemus exuti veteri serpente, qui est primus parens noster Adam, & videremus peccatum sicut ipse & uxor eius, qui putabant tegere humanitatem & peccatum suum, quòd tunc commiserant. Prius non videbant voluntatem suam, neque pudebat eos suæ humanitatis: non videbant peccatum suum: sed cùm viderunt ipsum, imputatum est eis in peccatum. & profusus immutatum est in contrarium. Delicia enim fuerunt conuersæ in miserias & labores: & maledicta est terra in omnibus quæ producebat. Homo versus est in vanitatem.

CENSURA.

**Q**ualem mortificationem doceant isti ganeones hic perficimus: nempe ut homo sese appetitui suo committat, neque ullius rei conscientia moueatur. Tunc enim eorum sententia Deus operatur in nobis, cùm opus nostrum esse non dicimus. Hanc blasphemiam adhuc iteratam videmus, tollendū esse ex animo omnem scrupulum: atque in eo totā innocentiam suam sitam esse, ut claudat oculos, ne bonum aut malum intueatur: quòd, ut inquit

inquit Solomon, omnis iniquitatis fastigium est. Idem etiam post ipsum dicit Paulus, signum esse hominis à Deo prorsus destituti, cum nullo tangitur dolore aut pungitur. *Prou. 18.* Præterea, obseruandum quomodo omnia euerit, dum originem exitij humani statuit in eo, quòd hominem sui ipsius pudere cœpit: cum malum ortum sit ex infidelitate & inobedientia: ille verò pudor, punitio fuit quæ sequuta est, quam tamen Dominus ei in salutem cõuertit. *Gen. 3.* Perspicuum est igitur quanta sit fœditas hominis impudentia, affirmantis peccatum in deo. Adæ fuisse imputatū, quòd illud viderit & nouerit. Nam è cõtrario, quòd vidit peccatum, obtinendæ gratiæ initium fuit: ut re vera peccatorem à seipso cõdemnari oportet, quòd veniam à Deo obtineat. Alioqui, quòd spectabit pœnitentia, quam Christiani omnes ad mortem vsque meditari debent? Cæterum, alia adhuc malitia notanda est: nempe quòd Adamum & serpentem, vnum eundemque facit, iuxta suam doctrinam, quæ docet peccatum, Diabolū, mundum, animā hominis viuentē, & opinationē, vnā atque eandē rem esse.

Sequitur.

#### QVARE RELINQVAMVS VETEREM

Adam, id est, animam nostram viuentem, & veniamus ad rem maiorem, id est, ad spiritum. Dicitur enim fuit Adæ quòd moreretur, & re vera mortuus est. Nunc viuificati sumus cum secundo Adam, qui est Christus, non cernendo amplius peccatum, quia est mortuum: nam ex peccato facta est gratia, per Patrem nostrum in Iesu Christo. Vnde igitur veniret hic pavor & timor mortis, aut inferni deiectionis? Vnde possunt sic mitti in errorem, decepti, qui nihil aliud sunt quàm vanitas?

CENSURA.

Hic perspicitur quomodo serpentes isti Veteris hominis & Spiritus vocabula intorqueant. Nam, cum Scriptura Veteris hominis nomine significet corruptionem, quæ in nos irrepit propter peccatum: ex eo faciunt animam viuentem, quæ homini à prima creatione data fuerat, antequam peccasset, aut villo vitio laboraret. Verbum Spiritus non est ipse ex gratia regenerationis: sed imaginatio illa, quòd Deus in nobis est, eumque, omnia quæ vult, agere sinendum esse. Perspicitur etiam quid intelligant per vitam, quā habemus in Christo: nempe omnia nobis licita esse, nihil esse malum, modò nullum eius sensum habeamus. Fidelis quidem nec mortem nec inferos timere debet: nempe dum cognoscit se redemptione Christi in libertatem vindicatū. At contemptus hic, minime ex stupore nascitur, quemadmodum impij isti volunt, aut sublata opinione mortis & inferorum, ac si puerorum terriculamenta essent. Atque is est finis quem Pocquius iuxta communē sectæ suæ doctrinam spectat.

Sequitur.

#### NAM CVM IESVS DESCENDISSET IN

terram, qui in multis adhuc clausus est, quanius Christus vicerit omnes Diabolos, qui est mundus, & adeo admirabatur quis erat rex iste tam gloriosus, reddens lumen suum tenebris, & faucibus inferni: dicebat, Attollite portas & c. sicut antea dixi vobis, deducit nos & reducit. Sed perpetuò est nobiscum. Non possumus esse sine ipso: neque ipse sine nobis. Sicut enim dixi, nos sibi de seipòdit in cruce, & tam firmiter affixus fuit, ut nō possit, neque velit remotus esse à nobis, propter magnam charitatem quam habet in nos.

CENSURA.

Difficillimum quidem esset, omnia interpretari quæ Missarius hic doctor effudit. Esset denum rationem agere cum insania. Semper tamen redit ad illa duo capita, ut talem nobis fingat Christum, quo freti, Deum offendere non vereamur, nihil habentes in nobis præter iustitiam: deinde ut persuadeat omnia adimpleta esse, ne amplius aut paradysum

aut inferos expectemus. Notandū etiam perpetuò, Diabolum nihil apud ipsum esse quàm mundum, id est opinionationem. Quòd attinet ad locum Davidis quem citat, erratum illud facile ipsi potest condonari, cum totam scientiam suam breuiario suo inclusam teneat: eamque fabulam die Pasche, quam floridam vocant, in pago suo agri viderit: nempe cum sacrificus baculo crucis fores templi petit, fingens se inferorum portas disrumpere. In textu autem Davidis, nihil omnino tale habetur: sed orationem suam dirigit ad fores templi Dei, iubens ut capita sua attollant, quò Deus ingrediatur. Quare aptius omnino & còuenientius esset, venerabili huic presbytero demurmurare preculas breuiarij sui, Missam canere, & sublata mappa lingere paropsides culinæ, quàm agere doctorem.

Sequitur.

**ET CHARITAS OMNIA IN UTILITATEM** suam conuertit, nec quarit utilitatem suam: nec pro seipsa est, sed pro omnibus: orat pro inimicis suis, & donat quod illis decet, & operit multitudinem peccatorum, nec cernit peccatum. Destruxit enim omnia per summum hoc mandatum quod statuit & ordinauit, dicens: Diligite inuicem, quemadmodū dilexi vos. Non veni pro me, sed pro vobis omnibus qui creditis in me. Et ero in vobis, & vos in me. Sicut Pater & ego unum sumus, ita vos & ego unum erimus. Scitis me exiisse à Patre & venisse in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Quauquam non sum solus, sed Pater mecum est.

CENSURA.

**T**Amet si, pro more suo inuoluit sermones istos, tamen in summa significare vult, peccatum non esse amplius, cum remissum sit per charitatem Dei: neque nos imputare ipsum debere, cum charitas multitudinem peccatorum inter homines tegat. Deus certe, fateor, peccata nostra tegit, siquidem ad eius misericordiam confugimus: sed non ideo minime nos peccare dicendum est: alioqui, qualis esset remissio, si nulla esset culpa? Neque etiam dicendum, nos peccatorum nostrorum sensu tangi non debere, cum fides sine pœnitentia nequeat consistere. Similiter, fateor, charitatem fidelium tegere in proximis multitudinè peccatorum. Verum, id neutiquam assentando aut blandiendo. Nec enim Paulus, quanuis acriter fratrum suorum vitia reprehenderet, charitate præditus esse desinebat. Nec quicquid à charitate alienum facit, cum dicit se lætari, quòd mœrore affecit Corinthios, & doloris causam intulit, quæ ipsos ad pœnitentiam adduceret. Blasphemia est igitur, dicere charitatem non videre peccatum.

Sequitur.

**DICO VOBIS VT PACEM HABEATIS INVICEM**, id est, in me: oppressiones habebitis in mundo. Confidite, ego vici mundum. Sed ij qui sunt in carne, Deum videre non possunt. Scriptum est enim, Caro & sanguis regnū Dei non possidebunt. Deinde dictum est: Beati & benedicti qui sunt mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.

CENSURA.

**C**onclusio reliquis persimilis est, id est, sententiarum malè coherentium farrago. Interim scopus est: vt videamus Deum, nos in carne amplius esse non oportere. Quo intelligit nullius rei conscientia debere amplius commoueri: sed existimandum nos iam in cælis ipsi agere, cum ibi sit Christus, qui ipse in nobis est. Quod delirium vt confirmet, citat testimonium Pauli: carnem & sanguinem regnū Dei possidere non posse: omnino præter mentem Apostoli. Ibi enim loquitur de vltima resurrectione. Perditus verò iste, sic illud adducit, ac si iam perfecta & adimpleta esset. Sed minime mirandum. Præcipuum enim huius sectæ fundamentū est, vt iam dixi, omnia esse facta, cum sumus in Christo: animam carnalem in nobis amplius non inesse, sed spiritum viuificantem: in eoque non solum

iusstitiam



iustitiam nostram, sed resurrectionem & gloriam sitam esse. Itaque nemo non cernit, aut potius contactu percipit, quàm verè de infans istis bestijs sim loquutus: nec quicquã illis calumniosè affinxerim, ut eos granarem aut redderem odiosos. Nam lepidum hoc specimen Antonij Pocquij locuples testimonium reddit, tum præclaræ rhetoricæ, quam in usu habet, tum etiam consilij, & quem in scopum intendat. Rursum ij, quos turpis Missator nugis suis circumuenire molitur, insignem hic notam animaduertent, qua commonescunt quo spiritu agatur: nec ipse solùm, verum etiam omnes huiusce factionis. Quamquam oporteat ipsum inter ceteros, cum à patre eius Quintino discesserim, notatum esse. Nam præter aditum qui ei ad plurimos patefit, ut venenum suum effundat: præterquam etiam quòd in discursando hac & illac nimium est sedulus, ut miseris animas perturbet, ubicumque Diabolo magistro suo sine periculo inferuire pote fit: se quoque tegit, quantum intelligo, Valdensium nomine, ut facilius se in simplicium animos insinuet, quibus perspecta est eius populi probitas. Cum ergo ovis pelle sese induat, ad agèdis lupi partes, hoc est, ad deuorandũ & perdendum: hoc eum tegumento nudari par est. Quod me ei ita ademisse puto, ut qualis sit bestia omnes intueri possint. Præterea ferendam non est, ut impius iste probũ hoc inferat populo tam Christiano, & simplici animi candore Euangelij puritatem colenti: ut ex eo se esse iactet, quò illum apud fideles Dei seruos atque etiam imperitos traducat & diffamet. Præsertim cum ita præbeat occasio blasphemandi nominis Dei, si Valdenses commune quicquam cum isto cane habere putentur.

## CAP. XXIIII. QVO MONENTVR LE-

ctores de nonnullis libris in vulgus aditis, quibus vtuntur

Libertini, quanuis non omni ex parte cum ipsis faciant.

Quia semel imbutum aut implicitum stulto aliquo delirio ingenium, semper in deterius labi solet, operæpretium est, fideles lectores de nonnullis libris monitos esse, qui fanaticis opinionibus infecti, possent veluti aditum & viam munire ad sectam Libertinorum: ut re vera ijs causam suam fulciunt, quò rudium ingenia in errorem impellat. Inter ceteros vnus extat, falsò inscriptus, Instructio & salutaris admonitio, ut perfectè viuamus in hoc mundo, & quomodo patientes erimus in nostris aduersitatibus. Si ex me queratur, quid in eo mali reperio: primùm, dico totum eius argumentum esse vagum, nec certam ex eo definitionem sumi posse. Deinde stultæ sunt & absurda in eo speculationes quæ nulli omnino vsui esse possunt, quàm ad concutienda ingenia, ut postea dubia & suspensa relinquatur. Tertiò, sermones dissolutos, atque ab omni ratione alienos continet. Veluti, homini fideli tam gratum esse agere in inferis, quàm in Paradiso: & eiusmodi. Ceterum mihi satis est nominasse: nec enim est instituti mei contrà disputare. Alius extat liber paulò longior, inscriptus, Specillum Christianorum: qui re vera ad turbandam aciem quàm iuuantem longe aptior est. Author quidem libelli, non tam bardus est asinus, quàm Quintinus, aut Pocquius, quibus aut plus in specie est, quàm in re, dempro confusi garritus ac stridendi potius quàm loquendi astu, ut ex ambagibus & inuolucris scientiæ opinionem colligant. Hic verò nonnullius est ingenij, alicuius etiam doctrinæ, & nonnihil habet methodicæ: ut speciem aliquã opus eius habere posset, nisi stultæ & perniciosæ opiniones admixtæ essent. Rationibus quidem bene expèsis & subductis totus liber à principio ad finem usque, haud multum habet succi: sed tamen quodammodo reciperetur, si stulta illa deliria abessent, quibus infercitus est. Ab initio ipso, negat afflictiones, quæ in hoc mudo patimur, esse flagella Dei. Ut id probet, addit medicinas tantùm spirituales esse, quæ nos à vitijis

- repurgant. Non est autem valida hæc ratio. Cur enim pater filium castigat, nisi ut ipsum emendet? Non est igitur alienum à ratione, flagellum ipsum, remedium esse. Rursum notandum est, sicuti Dominus fideles bello, fame, peste, alijsque aduersis rebus castigat in ipsorum correctionem & salutem: ita incredulos & contemptores punire, iustam aduersus ipsos ultionem exercens. Proinde, quemadmodum ignis aurum & argentum repurgans, paleam & fœnum consumit: ita afflictiones purgãdas bonis, reprobis verò destruedis immittuntur. Postea, dicit eos qui membra Christi sunt, vitam corporalem amplius non degere: quæ loquendi forma nimis hyperbolica est, videturque hominis ex somnio delirantis. Omitto quòd ab ipso perperam exponitur locus Ioannis, in quo præcipuam thesaurum suam fundat. Dehinc politiam omnem condemnat, quæ bonis conseruandis constituta est. Rursum, medicinam quæ tuendæ humanæ vitæ ordinata est, improbat. Et quauis nonnulli in locis talem temeritatem corrigere, aut saltem moderari conetur: semper tamen in eo perseuerat, omnes humanas leges, quæ ad reipublicæ administrationem pertinent, Diaboli esse inuenta, medicinam verò meram esse idololatriam. Si corruptelis, quæ in ijs admittuntur solùm reprehenderet, facile ei consentirem: nec tam multa dicere posset, quin ego plura adderem. Sed dum ea quæ bona & sancta sunt, vituperat, blasphemat Deum, à quo illa manarunt. Deinde, bella omnia in vniuersum condemnat, sublato omni discrimine, an iusta de causa suscepta fuerint vel iniusta: atque etiam si princeps defendendi solùm populi sui causa bellum gerat, nulla aut ambitione, aut auaritia impulsus: sed tantùm ut officio suo fungatur. Ut id confirmet, adducit locum, quo iubemur iræ locum cedere. Paulus autem per nomẽ Iræ, vindictam Dei, & iustam eius punctionem intelligit, quam principes exercere iubet. De bellis veteris Testamenti loquens, ait ea nos imitari non debere, cum sub charitatis lege simus: quasi verò tunc etiam ipsa neuitquam fuisset. In eo non solùm graui contumelia afficit sanctos Patres: sed Deum quoque ipsum, à quo fuerant edocti. Neque verò simplici & moderata vitæ reprehensione, sed vociferatur & tumultus mouet, ac si cum omnibus inferni Diaboli bellum gereret. Execrabile enim censet esse blasphemiam, atrocem iniuriam in Deum, impiam infidelitatem, legibus humanis ad mundum gubernandũ uti. Cur ita? Quia Deus satis superque ipsum prouidentia sua regere potest. Verùm prouidentia Dei, per Solomonem clamat, hoc à se proficisci, quòd principes & consularij ipsorum leges, & iura constituunt. Imò, inquit, Sathan principum animis hoc suggerit, ut quòd solius Dei est, sibi usurpent: nãpe, efficere ut voluntas ipsius adimpleatur. Quasi leges humanæ spectarent aliò, quàm ut mundum in iustitiæ ordine & modò continerent. Id quòd etiam vult ac iubet Deus: eumque in finem, ut Paulus ait, principatus in mundo ordinauit. Non est, inquit, principis manus, audire querelas & contetiones subditorũ, aut lites dirimere: nam ubicunque est lis, utrinque etiã transgressio est. Primùm, hæc ratio verã esse nego: Fieri enim potest ut alter æquũ tueatur. Velut is qui ius suũ defendit, cum iniuste inuaditur. Rursum dico, si quid mali sit, ad remedium veniendũ esse. Causam omnium calamitatum, quas filij Israel perpessi sunt, huic culpæ assignat, quòd regẽ postularunt. Quasi verò populus antea afflictionibus minoribus aut paucioribus, quàm postea vexatus fuisset. Nimis igitur inconsideratè garrit, & nimis socordi historix ignorantia labitur. Verùm, hoc adhuc ab ipso quaero, num prius politicus ordo institutus erat à Deo, qualis hodie is est, quem ipse condemnat? Rogo, an non Moyses & iudices audiebant controuersias populi, easque dirimebant? Quid vertiginoso homini facitis & cerebro carenti: dum transuersus rapitur in vanas speculationes & fundamento vacuus? Tantùm obiter hoc perstringere volui, ut inde liceat, qualis sit totus liber, æstimare. Perstringi, inquam, nimis enim longum fuisset plenè pertractare. Ad hæc, superuacuum mihi videbatur, quæ
- Rom. 12.
- Prou. 8.
- Rom. 13.  
1. Tim. 2.
1. Reg. 12.

de ijs in mea Institutione differui, repetere. Quineciam ad eò stulta & absurda deliria sunt, ut inter homines sani iudicij ea digito commonstrasse sufficiat, quò præcaueri possint. Cum ad medicinam ventum est, non minus effrenatè erumpit: ririgitur, furit aduersus eam, phreneticorum more, qui feriunt, mordent, unguibus petunt eos qui ipsis opem ferre ac consulere volunt. Nunc autem omnes medicinae laudes referre, ac per singula demonstrare artem illam, non tantum bonam & diuinam esse, sed etiam honore & pretio dignam, nimis longi sermonis esset. Respondere etiam calumnijs omnibus, quibus eam traducit, prolixioris esset controuersia. Nec profectò tanta prolixitate opus est ad refutandas stolidas illas rationes quas adducit, vel tuendam tam liquidam certamque causam, qualis est illa quam impugnat. Primum, res est pudenda cum ijs, qui se Christianos nominant, & tales haberi volunt, imò etiam doctores se proficiuntur, de ea re contendere, quæ inter Gentes certa & indubitata fuit. Communis enim inter eos fuit hæc sententia, medicinam esse donum Dei. Tametsi nolim hoc eum præiudicio grauare, nisi quatenus veritas unicuique patebit. Dicit medicinam spiritus maligni suggestionem, in mundum irrepsisse. Ego verò dico, atque etiam probo esse à Deo profectam: cum scientia sit bene utendi Dei creaturis, quas nobis destinat, pro ut necessitati nos obnoxios esse voluit. Sicut enim Deus corpora nostra fami & siti subiciens, esculenta & poculenta dedit, quibus huic necessitati subueniremus: frigori & calori nos subiciens, adiumenta quibus obuiam iremus suppeditauit: sic cum nos morbis reddidisset obnoxios, remedia subministravit, quibus mederi nobis ac prospicere possemus. Qui negabit morbus à vitiosis qualitatibus proficisci, ab intemperantia, ab accidentibus etiam quæ aliunde manant, is meritò, ut sensu & ratione carens, ab omnibus reijciatur. Herbarum vis cæterarumque rerum percipitur experientia: ita ut qui vel micam habet cerebri, id oculis ipsis cernat. Scriptura refert Solomonem librum composuisse huius argumenti. An naturalis illa cognitio tam præclara, quæ in euidenti ratione sita est, & à Scriptura sacrosancta approbatur, pro incatatione, aut præstigijs Sathanæ habenda est? Cum Paulus mentionem facit de Luca, medicum nominat. Lucas, inquit, medicus, vos saluta: An hoc titulo eum dedecore afficere voluit, ac si latronem aut prædonem vocaret? Nunc ab egregio hoc censore dicti sui approbationem requiro: nempe, medicinam à Diabolo fabricatam fuisse. Allegat nos debere in meditatione legis, noctes & dies occupari: ideòque nihil nobis vacui ad cognoscendas herbas superesse temporis, quia sunt speculationes otiosorum hominum. Talis fanaticus dignus esset qui in cubiculo cum Biblijs includeretur, ademptis omnibus cibarijs ac vestibus, ut perficere posset, quomodo cæteris cogitationibus prætermisissis, ad sacri verbi Dei lectionem noctes & dies animum appelleret. At dicit, nobis comedere licitum esse. Excipiam nullo modo licere, si eius demerita fides adhiberetur. Quales enim sunt hæc distractiones, terram colere, serere, metere, triturare, molere, pinsere, coquere? Quantum temporis consumendum in ijs artibus perdiscendis, quæ ad victum & cultum corporis necessariae sunt: quanto etiam longiore opus est in ijs exercendis? Interim meditationi verbi Dei, quæ nobis ad id commendatur, nihil detrahi velim: sed ostendo deliros istos homines, quid præceptum illud sibi vellet, nunquam intellexisse. Nec enim Dominus nos in ijs occupari vetat, quæ ad hanc vitam tuendam requiruntur: modò semper ad altiora aspiremus, neque in eo præci-

Iefa. 38.

3. Ro. 4.

Col. 4.

puam impendamus operam, quod accessionis tantum loco esse debet. *Ut ostendat Deum non tentari, si medicina contemnatur, dicit, verbum fore diabolicum, si quis fecus loquatur: quo eueritur vniuersa Christianorum religio. Sed quæ est ratio? Quoniam, inquit, is n̄m tentat Deum, qui omnem in eo fiduciam locat. Fateor: si d dico eum qui media à Deo ordinata contemnit, in ipsum minimè cōfidere, sed praua temeritate & arrogantia tumere. En præclara argumenta ad condemnandas creaturas Dei, cum eius dedecore & probro qui ipsas in vsum nostrum destinauit, ut ipsis cum laude & gratiarum actione fruereur. De multis sententijs stultis & absurdis, quibus passim aspersus est liber ille, dicere omitto. Veluti, cum dicit Dominum nostrum Iesum solum esse hominem, in quo omnes sumus: & cum postremus sit, nullum præter ipsum superesse. Id quod ad Libertinorum blasphemiam accedit, de qua prius differuimus. Item, solam animam viuentem homini post peccatum remansisse. Quasi non esset eadem anima diuinis prius ornata dotibus, quæ nunc etiam per Christum instauratur. Item, blasphemium esse magnam contra bonitatem Dei, parentes plusquam alios diligere. Quasi frustra hæc præcepta essent: Honora patrem & matrem: Viri diligite uxores vestras. similiter uxores viros suos ament. Sed habemus, inquit, fraternitatem spiritualem quæ longè præstansior est. Fateor: sed nego alteri ab altero vlllo modo derogari: modò in gradu suo singuli permaneant. Item, cum dicit, quæ Deus præcipit, non ideo faciendæ quòd ita iubeat, sed tantum, quòd exemplum ipse præbuerit. Item, cum dicit ferre crucem, esse pati æquo animo nos fieri vasa ignominia: cum è diuerso Deus nobis hanc perpetuò consolationem proponat: crucem quam ferimus societatem esse cum cruce Christi, ut imagini eius conformes facti, gloriosæ eius resurrectioni communicatemus, sicque fiamus honoris vasa, non ignominia. Existimo nemini non esse satis perspectum, quàm fugiendi sint tales libri, infecti opinionibus adeò fanaticis. Quod ego demonstrare, nec vltra progredi volui.*

Exod. 20.  
Eph. 5.

Rom. 8.

#### CONCLUSIO.

**N**unc omnes qui ex animo Deum quærunt, ac veritati eius libenter parent, rogatos velim, ut diligenter & tanquam in speculo considerent quàm perniciosum ac pestiferum sit, sinere se à pura Christi simplicitate abduci. Est enim formidabile exemplum iræ Dei, homines ratione præditos, qui etiam illustratos aliquo intelligentiæ lumine, in tam horribiles tenebras labi, ut se bestijs mutis similes reddant. Quòd periculum eiusmodi vitemus, demus operam, ut in timore & sollicitudine vocationis nostræ cursum persequamur: & proficiamus in doctrina, sed bona & vtili: eumque nobis ante omnia finem proponamus, ne quid velimus scire, præter id quod Dominus Scriptura sua nobis reuelare voluit: ne sacrosanctum Dei verbum, sensui nostro aut cupiditati subiiciamus: sed acquiescamus omnino ijs quæ nobis præscribit. Cauendum sedulò ne profanemur, cum nos in sanctificationem vocare Deo libuerit. Ne simus rerum nouarum cupidi, ne pruriamus auribus, quòd curiosa sectemur: sed quæramus ea quæ & nobis vtilia esse, & adificationi seruire possunt. Ne inconstantes adeò simus aut mutabiles, ut in dies varietatem aliquam expetamus: sed ad verum iter deducti, ne inde deflectamus: compotes diuinæ veritatis facti, illi adhæreamus, tanquam indiuidua copula connexi. Cæterum nemo miretur aut consternetur, cum tam insolitos atque ab omni ratione alienos errores cernit. Nemo cõturbandi sui, aut abstinendi ab Euāgelio inde occasionè sumat.

Potius omnibus modis nos in eo cōfirmare studeamus, vt hoc tanquā perēni fulcimē  
eo subnixi, aduersus omnes tēpestates ac procellas inuicēti stemus. No peto vt quis-  
quam sententiā meā adhareat, nisi ea conditione: si prius id quod doceo vtile esse  
cognouerit. Non peto vt infauista hęc doctrina, contra quam scripsi, improbetur, nisi  
quatenus repugnat doctrinā Dei: neque id tantū, sed erroribus etiā referta est  
ad eō execrandū, vt solo auditu horrorem incutere debeant. Restat solū ne oculi,  
ad cernēdum quod palām est, desint. Si quidem certum est neminem nisi iusta Dei  
vindicta excēcatum, & sensu reprobo damnatum, hęc posse circumueniri, quōd De-  
um in verbi eius contemptu contumelia afficerit. Atque id causā est, cur tam sedu-  
lō fideles hortatus sum, vt vocationis suę perpetuō memores, nunquam ab ea desle-  
tant: atque prospiciāt, quorsum Scriptura nobis data sit, quomodo eā sit vtendum,  
ne profanetur ipsa, dum in alienum vsū trahitur, ab eo, in quem à Deo destina-  
ta fuit.

## IOANNES CALVINVS SERVVS IESV Christi, Omnibus piis qui degunt Rotomagi.

**N**elus quo afficior pro domo Dei, fratres, has me literas ad vos scribere co-  
git, tum quia sollicitus sum de salute vestra, tum quia dum vsuam nomen  
Dei blasphemari, eiusque doctrinā corrumpi intelligo, dissimulare nō debeo, si qua  
mihi cōtradictō ratio sit, aut facultas. Oblata sunt mihi scripta cuiusdam Frāci-  
scani, qui apud vos, tanquā religionis Christianę studiosus, in vinculis tenetur: qui-  
bus perspicio hominem hęreticum, ac nequissimum, cuius veneno miserā multorum  
animā infici, atque in exitium duci possent, nisi ab ijs quibus illuxit gratia Dei,  
remedium afferatur. Ac, ne incertis quorundam delationibus temerē fidem ha-  
buisse videar, vos monitos velim, me iam ante annum, dialogum ab eo conscriptum,  
horrendis blasphemijs refertum legisse: ac me nuper à viris fide dignis certiorē  
reddidit, alia scripta quę ad me missa sunt, & quę finem eundem spectant, ab e-  
ius manu prodijisse. Vnica enim, vt aiunt, cantilena, ipsi nota est, quam perpetuō  
recinit: nempe, cū Deus rerum omnium author sit, nullum iam boni & mali di-  
scrimen esse habēdum: sed quicquid agitur, bonum esse, modō nullus animo scrupulus  
inhareat. Intelligo verō, dum execrandas hasce blasphemias euomit, permultos ei  
fauere, atque ad eō fœmias quasdam non vulgares eum habere in delicijs. Ex quo  
facile est iudicare, lasciuas ac prostituti pudoris istic esse mulieres, quę splēdidius  
ornantur, quō insigniora scorta sint. Nam, si honesti vel mica tantū ijs reliqua  
esset, neque perfriēt omnino frontis essent, vel minimum cum ipso commercium  
exhorrent. Sed quoniam audio quosdam etiā minimē malos homines, prima fron-  
te ab ipso falli, vos admonitos volui, vt cū venenum eius detexero, diligenter  
ab eo caueatis.

Speciosis quidem præfationibus vti solet, vt fucum faciat: sed cū ad rem  
aggrediendum est, nihil præter inanem speciemprehenditur, tanquam se-  
puchri quod intus corruptione & fœtore scatet. Longis verō proemijs vtitur, velu-  
ti: Omnes nostri sensus Deo subiiciendi sunt, nec quicquam de sapiētia nostra per-  
suasum habere debemus: mēs nostra subigēda, vt veluti captiua morē Christo ger-  
rat: quod & ipsi fatemur. Imō nullo vtitur apparatu hic impostor, quē ex doctri-

na nostra furatus non sit. Sed dum vobis aureum calicem porrigit, eò tantummodo spectat, ut vos veneno suo enecet. Non est igitur haerendum ijs locis, quos extrarem citare solet: sed urgendus statim atque impellendus, ut ad rem redeat. Primum, ei vulgare est, quod Libertinis omnibus, sacrosanctius Scripturae verbis ludificari: dum eam pro libidine torquet, variisque allegorijs transformat: quod nihil aliud est, quam genuinum eius sensum adulterare. Hoc dum iste agit, infinita deliria comminiscitur: deinde Scripturam inuertit impudenter, ut eam somnijs suis accommodet, ac veluti subseruire cogat. Ut autem ad summam rei praecipuam veniamus, Deum insimulat, quod hominem creavit cum ea prauitate & vitiositate naturae, qua nunc praeditus est. Quae aperta blasphemia est, occasione homini praebens excusandae nequitiae suae, ut in Deum culpam reijciat. Contestatur quidem sibi longè aliam esse mentem: seque Deum mali authorem facere nolle, affirmat. Sed quid prodest eiusmodi subterfugium in re tam aperta? Si cuius malam percussit, an excusabor, si obtester id me offendendi hominis causa non egisse. Etenim, res ipsa manifesta est. Ut errorem suum approbet, testimonio Pauli abutitur, cum ad Ephesios ait, naturam nos, iram filios esse: atque admonet, ut nomen naturae diligenter expendatur. Atqui, perspicuum est, Paulum de natura corrupta loqui, quam ex Adam ducimus. Vnde verò oritur haec corruptio? Paulus ad Romanos quinto id declarat: nempe, per unum hominem peccatum in mundum ingressum esse. Itaque, nomen naturae, creationem, qua conditi sumus à Deo, non significat, sed genus quod omnes à primo parente ducunt. Quemadmodum secundo ad Galatas ait: Nos Iudaei sumus natura. Nam intelligit eos originem duxisse ab Abrahamo, atque ita benedictionis ei, ac semini eius promissae, esse participes. Ut etiam ad Romanos decimo, omnes Iudaeos, naturales ramos sanctae radice vocat. Ita natura aeternae damnationis haeredes sumus: quoniam omne humanum genus, in Adam maledictum est. Videlis ergo ut fanaticus iste, Deum eius rei insimulet, quae primo homini imputanda est. Scriptum est enim, Deum creasse hominem ad imaginem & similitudinem suam: atque ostendit Paulus, imaginem hanc prius in nobis instaurandam esse: unde sequitur, Adae peccato fuisse deletam. Atque hinc concludo, peruersam ac vitiosam hanc naturam à creatione Dei non oriri, sed à culpa Adae, qui sese corripit: quemadmodum etiam Solomo testatur, inquiens: Scio Deum creasse hominem relictum. Sed ipsi varias inuentiones quaesierunt.

Porro, sub praedestinationis praetextu sic hominem in nihilum redigere conatur, ut reprobi exitio suo nihil agant. Atque hinc praedestinationis doctrinam obscurat exemplo sophistarum: quam ut illustrare & planiorem redderem, omnes me studium atque operam adhibuisse sciunt. Sed si comparètur ea quae tractaui cum interpolatis sententijs, quas iste vndequaue euerrit, perspicuum erit omnibus quanta hic audacia Scripturae locos adulteret, quibus veram ac certam solutionem attuli. Quid enim eius refert, modò euadat? Fateor igitur Deum quos vult indurare, & misericordiorum vult: nec rationem cur id faciat, ab ipso reposcendam esse. Nec tamen sequitur reprobos, propterea quod induratur à Deo, à seipsis non indurari. Nam dum ita loquitur, sacra Scriptura arguit mendaciam. Interea nihil ad rem facit, quod ait, malum nolus inhaerere, ab originali peccato, hoc est, ab homine ipso non oriri: tametsi Deus praeviderit ac statuerit priusquam mundum crearet, quid unicuique nostrum fieri vellent. Nec verò frustra ad Dei imaginem creati sumus: sed nos conuictos tenere voluit, ut à nobis

bis ipsis exitium nostrum oriri intelligamus, quemadmodum per Oseam Prophetam testatus est. Perditus hic nebulo tria solummodo interiora peccata esse affirmat: nempe, inanem sapientiam, virtutis, ac iustitiæ nostræ persuasionem ac confidentiam. Ac subiicit exteriora peccata omnia eò referri posse. Fateor quidem hæc tria vehementer damnanda: nec ullam esse capitaliorem pestem, quàm si quis arroganter sibi de se persuadeat. Sed si hæc tria solummodo peccata sunt: quid avaritia, quid invidia, quid vlciscendi libido, quid mœchandi cupiditas, & eiusmodi? De interioribus vitijs tantùm loquor, quæ animis inhærescunt. Cùm huius quod cud: ternarij speculum proponere vult, Petri exemplū citare solet: sed vnicū tandem: nempe, perversam virtutis confidentiam reperit. Atque in eo belluinus hominis stupor aper: è deprehenditur. Tres inquit, abnegationes quibus Petrus vsus est, triplicis peccati figuram gerunt. Postquam nominavit primum, si alia duo querantur, nihil habet quod respondeat. Sed videamus an Petrus arrogantia tantùm & falsa persuasionem elatus, peccarit. Nam abnegavit Dominum suum, quòd vitam hanc miseram & caducam pluris, quàm pretiosissimum fidei testimonium faceret. Hæc autem imbecillitas quæ sic ad momentaneam mortem trepidamus, vt fontem vitæ abnegemus, ac pluris faciamus mundum hunc quàm honorem Dei, detestabile vitium est, sicuti abundè patet. Et tamen venerandus hic doctor, huius rei rationem haberi vetat, ne peccatum censeatur.

Verùm, ex consequentibus quæ hinc deducit, magis patet ipsius nequitia. Ait enim peccatum idè remissum Petro, quòd agnouerit & confessus sit, sibi quicquam agendi potestatem defuisse, seque nihil egisse. Contrà, non esse remissum Iudæ, quòd viribus suis præfideret, inquiens, Prodidit sanguinem iustum. Quis tantam blasphemiam non exhorreat? quæ vniuersa pœnitentia in eo statuitur, vt dicamus nihil à nobis factum aut admissum esse. Qui igitur post admissum adulterium, latrocinium, aut homicidium dicit. Nihil agere possum, itaque nihil egi, iustus erit: & qui humili & mœsto animo fatebuntur se grauia in Deū scelera admisisse, damnabuntur vt rei, ac pœnitentiæ expertes. Quid ergo perditus hic ganeo de Paulo sentiet? In eundem enim ordinem cum Iudæ ipsum rediget, cùm similem confessionem edat. Postquam enim dixit se prius Ecclesiæ persecutorem atque fidei hostem fuisse, subiungit, se ignorantia & incredulitate id fecisse. Quid de Davide pronuntiabit? De crassa & belluina eius ignorantia omitto dicere: cùm nullum in Davide peccatum præter arrogantiam agnoscit. Nam adeò impudens est, vt dicat Davidè, cùm Vriam occidi iussit, iustitiæ suæ: cùm Berhsabæam rapuit, viribus suis confidisse. Sed his prætermisissis, de eius pœnitentia videamus. Nonne se crimen, cuius Nathan ipsum accusat, fateatur admisisse? Ex præclari huius doctoris sententia, David pro indurato habendus est: quòd in Deum scelus non reiciat, nec fateatur se nihil posse. Denique, improbat omnes confessiones quæ à Scriptura probantur, cùm fideles aiunt, Peccauimus, iniquè egimus. Nec tamen huic misero homini sufficit hæc blasphemia: nisi etiam addat stimulos, quibus homines ad lætitiã incitet, postquam iniquè egerint: quòd ita placeat Deo, cui quod placet, rectum est: cùm potius ipsos ad gemitus & lacrimas hortari oporteret. Quò euadet doctrina Pauli monentis, eos quos sceleris sui pœnitent, tristes esse debere? Itè, quod ab Ezechiele Propheta dictū est, Tuarū tibi viarū in mentē veniat, & erubesces. Vt talem blasphemiam cōprobet, Ieremiæ locū adulterat, vbi ait, Scio non esse hominis viam eius, nec

2. Cor. 7.  
Eze. 16.

Iere. 10.

in hominis potestate esse, ut dirigat gressus suos. Atqui, nõ est ea Prophetæ mens, ut nihil in posterũ mali agere possimus, quæadmodum perditus hic nebulo cõcludit: sed cum non sit in manu nostra positum, ut quod nobiscum ipsi statuimus, ad exitum perducatur: nec quicquam à nobis constitui posse, quod non euertat Dominus, ut dementiam nostram puniat, ideo se totum addicit ac summittit Deo, ut ipso duce ac direttore utatur. Adulterat etiam Isaia locum, ubi Propheta ait: Ut sciamus vos deos esse, benè facite, aut malè facite. Quem locum sic interpretatur, ac si Deus impios rideret, qui benè aut malè agendi potestatem sibi esse putant. Atqui, illic agitur de idolis, quorum vanitatem arguit Dominus, quòd neque suis cultoribus prodesse, nec contemptoribus obesse possint. Boni enim nomine, beneficia: mali verò, supplicia atque animaduersiones intelligit.

11a. 41.

Idem agit alijs locis, quos veluti sus impurus rostro euertit: ac præsertim septimum caput Epistole ad Romanos: inquit Paulum illic personam gerere Adami, quòd iacet se male agere posse. Atqui Paulus tractat de homine regenerato, cui semper reliquiæ peccati nonnullæ restant. Quinetiam Paulus sese exemplo proponit, & fatetur se ob carnis infirmitatem, quæ spiritali desiderio repugnat, bonum quod cupit, efficere non posse. Sed, infauisto huic homini sacras Scripturas discerpere ac diuellere nulla religio est. Equidem non nego eum qui vero penitentiæ sensu afficitur, agnoscere debere sibi nullas omnino ad bene agendum aut vitandum malum inesse vires: ut postulet à Deo virtutem, qua alterum fugiat, alterum verò sequatur. Sed non ideo concludendum est peccatorem scelerum suorum sensu affici non debere, ut se peccasse intelligat.

Iam satis superque vobis notæ sunt, fratres, execrandæ blasphemix, quas impurus hic nebulo aduersus Deum & sacram ipsius doctrinã euomit. Nec quicquã præterea cordatis & bona conscientia præditis viris referendum erit, ut ipsum exhorreant ac detestentur. Si iubet Paulus eos notari qui admonitioni suæ parère nolunt, ut omnes ipsos deuitent: quãto magis execranda hæc pestis notãda est, quæ cum simulet se gloria afficere Diũ velle, eum in Diabolum cõmutat? Neque verò hic nobis Scribas & Phariseos alleget, quos doctrina Christi offendebat. Nam hærefes quas iste docet, nihilo magis conueniunt, aut commune quicquam cum Christo habent, quàm Belial. Obtenit persecutiones quas sustinuit, ac si Sathan martyribus careret. Parum enim est persecutionem pati, nisi causa discernatur. Quòd omnes qui ipsi repugnant, tanquam superbos & inani scientia tumidos condemnare audet, is ipse arrogantiam suam demonstrat. Nam ij quibus sanum iudicium est, facile perspiciunt bestiam esse ignarã, quæ sacras Scripturas cõuellit ac distorquet. Ac nihilominus effertur vana persuasionem sui, sicque applaudit ignorantix suæ, ut eos rideat, quos Deus donis amplioribus ac præstantioribus ornavit. Tametsi in eo sibi ipse repugnat. Nam interdum, quod nescit, vituperat: interdum se Hebraicum fingit, quòd plures ab idiotis & vulgo aestimetur. Ut cum ait: Israel significat Videntem Deum. In quo se planè cæcum demonstrat. Moyses enim interpretatur Fortem coram Deo, aut potentem. Deinde, Latinæ linguæ interpret esse vult, cuius haud magis peritus est, quàm Hebraicæ. Sed pauonem esse diceret, qui expansis alis sese admiratur, dum temerè de rebus incognitis disputat. En venerandi huius doctioris humilitas, qui tanquam oraculum, pronuntiat se, ex quo Dei notionem adeptus est, nihil nisi optimum dixisse



xisse. Cui ego cum Augustino respondeo, eiusmodi iactationem non posse, nisi ab homine insano, atque prorsus hebetate proficisci.

Conabor nihilominus summam doctrinæ ipsius paucis explicare, ut de ea ipse loquitur. Hominem creatum esse improbum à Deo, simul & Diabolum, fingit: ac Deum, cum id faceret, nihil mali fecisse, dicit. Hoc ut probet, sententiam adducit Isaiæ, dicentis: Ego sum Deus, creans lumen & tenebras, faciens pacem & malum. In quo sibi ipse repugnat: nam, ex eius sententia, Deus se mali auctorem vocat: quod tamen negat. Discat igitur concordibus tibijs hinc canere. Notandum est autem Isaiæ sententiam ab ipso corrumpi, quemadmodum & Ieremiæ, dum ait: Estne malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus? Vterque enim Propheta incredulitatem eorum reprehendit, qui iudicia Dei, fortunæ tribuebant. Mali igitur nomine intelligunt, quas vulgò res aduersas vocamus. Itaque, Isaias malum opponit paci, qua res prosperæ apud Hebræos significantur.

Cæterum, cum Diabolum semper malignum fuisse asserit, id Scripturæ aperte repugnat. Nisi satisfaciât ei, quæ octauo capite Ioannis dicuntur, aperta sunt testimonia Petri, Epist. ij. item Iudæ: ubi tractatur de lapsu eorum, qui, cum Angeli essent, Diaboli facti sunt. Sed videamus qualem in modum se à Ioannis testimonio explicet. Ait verbo Standi Latine significari Esse. Id forsitan verum est, idiomate Franciscanorum. Sed non animaduertit Ioannem Græca lingua scripsisse. Quid ageres cum lepido hoc magistro, cui satis est modò à probis mulierculis aestimetur, quæ ipsum delicate tractant, dum tenetur in vinculis, ut se lenonem ijs præbeat, ac persuadeat nihil esse mali in stupris & adulterijs, cum à Deo omnia fieri cognoscimus. At secum facere contendit quod illic dicitur: Diabolum mendacem fuisse ab initio. Ac si Ioannes diceret, ipsum à creatione talem fuisse. At longè ipsi alia mens est: significat enim, Diabolum ab initio seduxisse homines, cum prius à veritate in mendacium decidisset.

Fateor quidem Paulum ad Romanos, ix. sic de prædestinatione tractare, ut ostendat omnia fieri admirabili consilio Dei. Neque vlla causa est cur calumniatur à nobis passiuum effingi Deum: nam, ei summam rerum omnium administrationem tribuimus. Sed nihilominus cum Diaboli & homines peccant, id eorum vitio & culpæ tribuendum: ut de Diaboli dicitur illo Ioannis loco, quem citauimus: Cum mendacium loquitur, dicitur sua loqui. Quòd attinet ad consilium illud arcanum Dei, humiliter ipsum adoramus, quòd ea sit ingenij nostri imbecillitas, quæ ad tantam celsitudinem pertinere nequeat.

Ut se excuset, ait se non ignorare malum in nobis herere. Quid præterea? Asserit, nihil à nobis agi. Contrà, fatetur Dauid: Malum coram te jeci, Domine, ut iustificeris aduersus eos qui te condemnant. Sed alia adhuc in eius verbis repugnantia est. Nam si Deus sic omnia faciat, ut creaturæ nihil agant, sequitur nihil fieri mali. Siquid enim agitur mali, auctor citetur. Atqui nullus reperietur præter Deum, in quem hoc cadere non potest ut malè agat. Quò igitur euadent nomina peccati, iniquitatis, præuagationis, nequitia, contumacia, quibus Scriptura referta est? Quorsum verò Deus homines accusat, si nihil mali agunt? Quò tandem reperiet in ijs quod cõdemnet aut puniat? Queret, vtrum negem à Deo peri omnia. Respondeo, sic Deum agere, ut etiam creaturæ agant si o modo & gradu: atque in eodem opere, cum Deus pro sua bonitate bene agit, hominem pro sua

Pfal. 51.

malitia malè agere. In summa, huc tantùm spectat, vt discrimen tollat boni & mali: vt nemini quidvis facere aut perpetrare religio sit, cum omnia Deo tribuet. Quamobrem, ait peccatum Sodome esse, cum quis se malè agere putat. Ita execrandum illud & belluinum Sodomitarum crimen, quod tam grauiter damnat Scriptura, diluit, atque in auris emittit, ne peccatum censeatur. Quod ego ipsum haud abs re facere arbitror. Nam facile existimo ipsum, vt ordinis sui priuilegijs fruere, in signe hoc facinus exercuisse. Et nunc, vt præclara fert eius philosophia, iisdem cogitationibus sese oblectat, quoniam opus Dei esse censeat. Nec enim pudet ipsum asserere, nos malis agendis, cooperari Deo. Scriptura quidem ait impios esse velut instrumenta iræ ipsius: sed execranda blasphemia est ijs tribuere Cooperariorum nomen, quod societatem & coniunctionem notat. Nimia verò admodumque stolidi ipsius impudentia est, cum nos Adamo creationem nostram tribuere fingit, vt quæ de peccato originali dicimus, eludat. Nam si hominis elephantiaci liberi eandem ab ipso corruptionem ducunt, id tamen honorem Dei nullo modo imminuit. Nec quicquam dicimus, nisi quod Dauid testatus est: nos in iniquitate conceptos esse. Sed talem creatum fuisse Adamum contendit, quales nunc sumus, neque ab ipso naturæ nostræ vitium proficisci. Quod certè, prorsus repugnat doctrinæ Pauli, docentis nos omnes in Adam peccatores esse. Similitudo quam adducit ex Ieremia, nihil ad rem facit. Illic enim Propheta nullo modo loquitur de peccato, aut creatione hominis: sed quia peruicaci & obdurato animo resistebat populus, nec minas Dei verebatur, declarat Propheta tam facile Deo fore ipsos delere, quàm facile à figulo vasa lutea conteruntur. Nam ab ipso in eum, quem obtinebant statum, euecti erant. Nouam ergo naturam nobis ab Adamo traditam esse non dicimus, sed Deum iusto iudicio nobis in ipso maledixisse, ac voluisse nos ob illius peccatum, corruptos nasci, vt in Christo instaureremur.

Psal. 51.

Iob. 4.

Gen. 3.

Mat. 21.  
Marc. 11.  
2. Cor. 5.

Osc. 13.

Rom. 6.

Vt probet & Diabulos & homines natura malitiosos esse, imò Deum ijs malitiam indidisse, locum Iobi citat, vbi Deus iniquitatem in Angelis ipsis deprehensurus esse dicitur. Cum adducit hunc locum, cū Scriptura sacra, more suo, laudat. Nam si de Diabolo illic ageretur, argumentatio conuenire non posset. Huc spectat Spiritus sanctus, vt hominibus demonstraret, neminem prorsus coram Deo iustum fore. Idque, vt planius doceat, ait, ne Angelos quidem ipsos adeò puros aut perfectos esse, quin multa in ijs requirat, si summo iure cum ipsis agere velit. Et certè, quid creatura est, si cum Creatore conferatur? Quemadmodum etiam dicitur, ne stellas quidem coram ipso lucidas esse. Quid, quæso, fanaticum hunc hominem ista inuānt? Deinde, cum ei visum est, fatetur esse Diabolum, ac momento vel minimo, sententiam mutat, negans serpentem, de quo loquitur Moyses, Diabolum fuisse.

Vt autem probet, Deum nihilominus animaduersurum in eos, qui ab omni noxa abstinerunt, exemplum fici adducit, quæ à Christo maledicta est, cum tamen Deus sterilem ipsam redderet, solusque in causa esset. Sed longè aliter de hominibus loquitur Spiritus sanctus, vt cum ore Pauli dixit, omnes prout in corpore gesserint, siue bonum, siue malum, recepturos. Nec tamen intelligo nos boni, quod agimus, auctores esse. Si excipiat eandem in malo valere rationem: longè aliter à Propheta pronuntiatum est: Perditio tua exte Isra. l: à me tantummodò est auxilium tuum. Ideo Paulus, alio loco, inter hæc duo distinguit nominatim: inquit,

ens,

ens, mortem, peccati stipendium: vitam verò eternam, donum Dei gratuitum esse.

At perditus hic nebulo omnia confundit, neque ullum discrimen admittit: interea magno fastu sententias iactat malè intellectas: ut cum allegat id quod Christus ait: Pater, qui in me habitat, ipse est qui facit opera. Atqui, illic agitur 102. 1. 14 de probanda diuina virtute, quæ in miraculis ipsius elucebat. Propterea dicit, fieri non posse, ut ea miracula ederet, nisi Pater in ipso habitaret: quoniam opera illa viribus humanis superiora erant. Delirus hic impostor locum illum torquet, ut Deum omnia facere ostendat. Caterùm, non nego, Deum prouidentia sua efficere omnia: sed declarationem adiungo, quam Scriptura docet: nempe, nos regi Spiritu ipsius, ut bona agamus, quæ nobis agenda dedit. Atque ita inferiore gradu à nobis agi, quod per nos ipse agit. Quòd atinet ad malum, nos eius authores vocamus: ut quæ iam antea diximus id nostrum esse, quòd eius radix nostra sit, & natura nostræ insit: non ei quam Deus creauit, sed quatenus corrupta & vitiosa reddita est. Quòd autem obijcit, hoc modo non fore authorem rerum omnium: facilis est solutio inter eos, qui non penitus cerebro carent. Malitia enim & perversitas, quæ tum nobis ipsis, tum Diabolo inhaeret, creata substantia non est: sed operis diuini corruptio, atque immutatio eorum, quæ nobis à Deo indita fuerant: quemadmodum omnes prauæ cupiditates nihil aliud sunt, quàm effrænes & dissolutæ eruptiones aduersus regulam, quam probauit Deus ac præscripsit. Quamobrem dicimus Diabolum & hominem, cum creati sunt à Deo, fuisse bonos, mutabiles tamen, atque voluntate Dei, nobis incognita, æqua tamen & iusta, utrosque lapsos, lapsuque suo naturam suam mutasse, atque eidem condemnationi subiectos, exceptis ijs quos elegit Dominus, atque eximit per gratiã Iesu Christi. Hæc quæ nos Spiritus sanctus docet, impius iste euertere conatur, ut tenebras cum luce misceat ac confundat.

Obijcit, Deum misisse Sathanam, ut seduceret Achab: fateor: nec permisisse, sed ita statuisse dico. Sed diabolicæ doctrinæ est, negare Sathanam Reg. 23. falsosque doctores nihil agere mali, dum homines seducunt. Videte, quæso, fratres, atque iterum legite diligenter, quæ de hac re in mea Institutione tractaui: ac reperietis, quod animos vestros pacatos reddat, ut gloria reddatur Deo: vos autem pudefacti, vosmetipsos summissè humilitérque geratis. Caterùm, quòd fingit Micheam ad tempus seductorem & simulatorem fuisse, idemque de Paulo obliquè persuadere conatur, impia calumnia est. Nam Micheas ridebat Achab, quòd assentatorem potius, quàm Prophetam habere vellet: ac si diceret, Non sum à re accersitus, ut fungar officio Prophetæ, tibi quæ vera prædicem: sed potius, ut assenter, tibi quæ placeam. Agedum: quandoquidem ex libidine animi tui hæc fieri cupis. Atque hæc ironia planè ab impio Rege intellecta est. Quare, sanctissimo Prophetæ, maxima à perdito hoc homine infertur iniuria. Idem de Paulo dicendum est: nec enim simulatione usus est, ut illiciti quicquam faceret, aut imperitos falleret: sed eorum imbecillitati sese accommodauit, quantum per Christianam libertatem ipsi licebat, quæ omnibus pijs ad promouendam atque ædificandam Christi Ecclesiam data est.

Sed quòd deinceps hic tendat, perspicuum est: nempe, ad spiritum duplicem Libertinorum. Ait enim, Abrahamum, dum mentitus est, à Spiritu veritatis impulsus ac directus fuisse: quòd apud imperitos mentiri ipsi liceret. Atque in eo

aduersus sanctum Patriarcham & aduersus Deum blasphemus est: nec enim mentitus est Abraham: hoc est, nihil sua sponte aduersus veritatem pronuntiauit. Mendacium velut licitum tueri, ut imperiti fallantur, blasphemia est in Deum, cuius officium est mendaces perdere ac delere.

Mortificationis nomen, saepe ipsi, ut ceteris Libertinis, in ore est: sed quale mortificandi genus intelligat, attendite: ut se ipse aperit. Si quis intelligat omnia fieri à Deo, ratum deinceps erit quicquid aget. Modò enim quispiam dicat: Nihil possum, quicquid libet, ei licet. Denique, mortificatio est, cum quis nec boni, nec mali discrimen tenet: & tanquam laxus habenis quouis impellitur, atque omnia bellè habere dicit, quòd ea Dominus efficiat. Nam, sicuti iam prius exposui, nullam aliam pœnitentiam agnoscit, qua perfectus homo reddatur, quàm si quis fateatur à Deo fieri & cognosci omnia, ipsumque solum esse iustum. Cetera omnia superuacanea, imò damnanda esse affirmat. Hæc controuersiam moueat cum Paulo, qui conqueritur de ijs, quos suæ impuditiæ, scortationis, atque immunditiæ non pœnitet. Fortasse dicet, Paulum theologia non tam abstrusa & recondita instructum fuisse, ut ei satisfaciatur. Verum his tribus gloriam Dei consistere dicit. Quid igitur de bonitate & misericordia censendum, quæ gloria κατ'ἑξοχὴν vocatur? Cum Deus per Ieremiam ait, nos in eius cognitione gloriari debere, subiungit, se cognosci velle: ibique iudicium & misericordiam potius, quàm sapientiam & virtutem nominauit. Legimus titulos, quos sibi in summa illa & authentica diuinitatis suæ reuelatione attribuit, cum se Moysi patefecit. Non videmus illic triadem hanc, qualem fanaticus iste fingit: sed Deus, gloria afficitur in misericordia & clementia sua, in patientia & veritate. At dicet hæc omnia ad tria illa referri. Cur verò ad tria potius, quàm quatuor? Estne quicquam magis proprium Deo, quàm veritas? Vbinam ostendet Deum nominari Virtutem, Sapientiam, aut Iustitiam, ut à Ioanne Charitas vocatur? Perspicuum est igitur ab ipso obscurari & restringi gloriam Dei, cum tribus hisce virtutibus, contra Euangelij doctrinam ipsum includat. Inanes sunt argutiæ, quæ prima fronte placent: sed cum propius cernuntur, instar fumi euanescent.

Accedit alius articulus de perfectione, ad quam ex eius sententia, pertinere possumus in hoc mundo. Ac nititur præclara ratione: nempe, duo contraria in eodem subiecto esse non posse. Ac si Paulus non doceret, pios in hac mortali vita, assiduam inter carnem & spiritum pugnam sentire. Alloquitur enim filios Dei, cum Galatis scribens, ait: Spiritus pugnat aduersus carnem, & caro aduersus spiritum: ita ut quæ vultis, ipsi non faciatis. Atque septimo ad Romanos, fusius hoc argumentum deducit. Insanus hic ait, Paulum suscipere personam carnalis hominis non mortificati. Atque, ut calumniosa interpretationi, quam affert, colorem aliquem obtendat, adducit quod dicitur in initio capitis: Eos alloquor qui Legem norunt. Sed nimia impudentiæ est id referre ad eam similitudinem, quam attingit Paulus de obligatione vxoris erga virum. Et certè, quæ illic continentur, alijs conuenire nequeunt, præterquam ijs, quos Deus Spiritu suo regenerauit: nam disertè ait, se, cum nosset Legem, se ipsum adiudicasse morti, nec amplius inanem vitæ persuasionem habuisse. Item, sibi ad sequendum Deum voluntatem esse alacrem atque promptam: quæ certè nemo, nisi per regenerationem, adipisci potest. Item, à se non fieri malum, sed à peccato, quod in ipso inhabitat. Quo significat id sibi potis-

potissimum esse in votis, ut adhaereat iustitiae Dei, sed imbecillitate carnis suae prohiberi. Sed nihil adeo miror, quam conclusionem ab hoc phrenetico non spectari. Fatetur enim, veram esse hominis mortificationem, cum quis eam potestatem Deo, non sibi attribuit. Atqui, Paulus se miserum ac seruum peccati esse fatetur, nec usquam, nisi in gratia Christi, conquiescit. An illa, quae so, hominis carnalis oratio est? Quod alio loco dixit: Non iam vivo ego, sed vivit in me Christus: huic Gala. 2. sententiae non repugnat. Ac facile uterque locus conciliatur ex eo, quod octavo capite dictum est: Corpus mortuum est propter peccatum: spiritus autem vita ob iustitiam. En quomodo contraria in eodem subiecto, aduersus fanatici huius doctrinam, esse possint. Nam vita inchoata est, & mortis non nihil restat. Et certe ingredimur in vitam fide, incredulitas autem mors est. Scriptum est autem: Credo, Mar. 9. Domine, adiuua incredulitatem meam. Item Domine, adauge nobis fidem. Hinc perspicuum est, fanaticos eiusmodi homines, nunquam gustasse quid Deus donumve ipsius esset, cum non intelligunt ea esse imperfecta, & quod illis deest, contrarium ipsi vitium esse.

Exempla omnia quae cumulat, ut perfectionem probet, quam in hominibus esse posse imaginatur, dum istic viuunt, nihil ipsum iuuant. Iosephum allegat, quem typum Christi gessisse dicit: atque hinc contendit ipsum ab omni peccato fuisse immunem. Aio verò, Aaronem, illiusque successores, similiter typum gessisse Christi: ac nihilominus iussos esse sacrificare pro peccatis suis, antequam pro populo intercederent. Porò, quia de Samuele scriptum est, nullum unquam ab eius ore 1. Reg. 3. verbum cecidisse in terram, querit, an existimandum sit, ipsum ad vltimum usque diem vitae, peccatorem fuisse. Aio verò, malè ab isto intellectam esse hanc sententiam, qua de ijs tantum agitur quae Propheta loquutus est, dum munere suo fungeretur. Quod etiam de Isaia & Daniele verè dici potest: & tamen Isaia in Iesa. 64. extrema senectute dixit: Peccauius, Domine. Daniel quoque septuaginta annos natus, ut ipse refert, sua & populi peccata fatebatur. Sed ne prolixior sim, Dani. 9. quam par sit, ad Dauidem venio. Quarit enim hic fanaticus, an non inter tot preces ac gemitus, quos edidit, dum à peccato liberari cuperet, exauditus sit. Respondeo, exauditum fuisse: sed eo modo, quem Paulus docet, qui idem optabat: nempe, cum ex hoc mortali corpore ereptus est, quo veluti carcere, in seruitute peccati detinemur. Nec alio sanè, quam eius ipsius testimonio opus est, cum ait: Ne ingrediaris in iudicium cum seruo tuo, Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Neque hunc canem oblatrando & blasphemando excipere oportet, Dauidem eo tempore carnalem fuisse: nam eo tempore, quo perfectissimus fuit, ac tanquam Propheta Dei, loquutus est. Nec tantum de presenti tempore loquutus est, sed totam hominis vitam comprehendit: quemadmodum etiam Psalmo tricesimo, secundo perpetuam doctrinam tradit, inquiens: Beati quorum remissa sunt iniquitates, &c. Quam doctrinam, Paulus omnibus filiis Dei accommodat. Et certè, non abs re Dominus noster Iesus Christus Apostolos suos precari docuit in hunc modum: Remitte nobis debita nostra. Perditus hic ganeo execrandam blasphemiam euomit, inquiens: Christum discipulos suos eo tempore, quo carnales erant, ita docuisse: quod certè, nec Celestini, nec Pelagiani unquam dicere ausi sunt, qui hanc ipsam haeresim tuebantur. Et cum verba Christi expenduntur, eo magis patebit fanatici istius impudentia. Nec enim ait: Nunc ita precandum: sed

Precabimini in hunc modum perpetuam ijs regulam tradens. Denique, quisquis remissionis peccatorum non eget, neque discipulus Christi, neque membrum Ecclesie sit. Omnes enim Christiani, postquam se vniuersalem Ecclesiam credere confessi sunt, adiungunt, se quoque remissionem peccatorum credere, secundum ea quae à Prophetis praedicta fuerunt: nempe, omnibus verae & spiritualis Hierosolymae incolis peccata remissum iri.

Obsecro autem vos, fratres, ut quanta perdit huius hominis impudentia sit, attendatis. Nam cum hunc Ioannis locum soluere conatur: Si dicimus quod peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est: respondet id carnalibus dictum esse. Atqui, paulò prius dixerat Ioannes: Si in luce ambulamus, sicut ipse in luce est, societatem habemus inter nos mutuam. Quid furiosè huic bestiae faceres? Excipit, postea dici à Ioanne, Eum qui natus est ex Deo, non peccare. Fateor: verum id pro mensura regenerationis, quam adeptus est, intelligendum: ita, ut peccatum in ipso non regnet. Omnes autem filij Dei re ipsa experiuntur hanc regenerationem haud statim primo die perfici: sed contrà, ad eam semper magnis laboribus contendunt, & cum Paulo aiunt, se nondum adeptos esse. Sed huic fanatico inanibus verbis de regeneratione blaterare haud difficilium est, quàm Scholasticis de bello, quod nunquam experti sunt. Dico igitur, eum qui ex Deo natus est, non peccare, quoniam peccato deditus non est, sed praecipuus eius affectus tendit ad cultum Dei, quemadmodum ait Paulus: Ne regnet peccatù in mortali vestro corpore. Optandum sanè esset, ut ne insideret quidem vllò modo: sed quoniam id fieri non potest in hoc mundo, ei dominationem adimi iubet, ut iustitiae Dei summittamur. Similiter abutitur hic fanaticus dicto Pauli, ad Romanos octauo, dum ait, nihil esse damnationis ijs qui sunt in Christo Iesu, qui Spiritu ducè, non carnis suae impetum sequuntur. Atque hinc perspicuum est ipsum, tanquam nequissimum de grege Epicuri porcù, sacrosancta Dei scripta ridere. Nam statim apud Paulum sequitur, corpus mortuum esse ob peccatum. Et cum ijs nihil damnationis esse dicit, intelligit peccata ipsis non imputari. Vt enim illi, qui iudicabitur ex iustitia sua. Quemadmodum etiam Iacobus grauius comminari, aut maiorem isto terrorem inferre nequit: quàm ut sublata quispian misericordia iudicetur. Fateor quidem nos, si filij Dei sumus, à Spiritu sancto duci ac regi debere, ut voluntati Dei conformemur: atque domemus & mortificemus rebellionem carnis nostrae: sed nihilominus semper in nobis vitia restant: ita, ut vera perpetuò sit Augustini sententia, dicentis: Iustitiam, quam pij obtinent in hac vita, magis consistere in remissione peccatorum, quàm in virtutis perfectione.

Nec pugnât ista cum ijs quae phreneticus iste adducit: nepe, si nūquam homines à peccato liberari possent, Paulum non ita frequenter moniturum fuisse fideles, ut veterem hominem enecarent. Nobis enim scopum demonstrat ad quem omnes collimare oportet. Progrediamur ergo & proficiamus, quantum fieri poterit: ac multum profectò efficiemus, si eosque ad extremum vitæ accedamus. Alioqui frustra vita haec, cursus vocaretur. Quamobrem, praetermissis hisce delirijs, quibus Sathan vos excacare, perdit huius ganeonis ministerio conatur, fratres, doctrinam Evangelij adhereret, quae nos docet, ut ad extremum usque diem vitæ in poenitentia proficiamus.

Concesterur, quantum volet, se licetiam peccandi praebere nolle: hoc enim nihil

nihil aliud quam inane, nimisque ridiculum simulationis velum obtenderē: quoniam peccatū, ipsi nihil est, cum Deus omnia facere putatur. Atque idē est integumentum, quo tegitur, ut se Deum gloria afficere fingat. Nobis quidem unice omnique studio curandum est, ut gloria Deo ubique omnibusque in locis in solidum reddatur. Sed cum his tribus articulis concludit gloriam Dei, nimis audaciter ipsi praescribit: ait enim, Deum non aliter affici contumelia, quam cum falsa sapientiae nostrae, meriti, atque liberi arbitrii persuasione efferimur. Hinc consequens esset, Deum nulla ab Antichristo Romano contumelia affici, cum iurisdictionem usurpat in animas, quae pro libidine sua condemnat. Excipiet hic nugator, id sub tribus articulis ab ipso expressis comprehendi. An non Spiritu sancto sapientior est, ut eius linguam immuter? Disertis enim verbis admonet Paulus, quod solius Dei est Rom. 14. ab homine mortali usurpari, et usque maiestatem imminui, cum quis se proximorum iudicem statuere audeat: Tu quis es, inquit, qui fratrem tuum iudicas? An non omnes statuemus apud tribunal Christi? Similiter et Iacobus: Quod si iudicas Legem, non es observator Legis, sed iudex. Unus est Legislatores, qui potest servare et perdere. Quae so, an non haec superbia seorsim notanda est: cum homo, qui pulvis accinis est, conscendit tribunal Dei, ut iudicia in animas exerceat, quae sibi tantum reservavit? Rursus, posteaquam hic blatero multum obstrepuit, ut se Deum gloria afficere velle simulet: summa huc recedit, ut omnia recte fieri agnoscamus, quod Deus omnia efficiat: ut hoc velo, quicquid est scelerum, vel maxime detestabilium, regatur: et quicquid putidissimum est, optimi odoris esse iudicetur. Denique, ut Deus stupratoribus et adulteris se lenonem, latronibus et homicidis receptatorem ac fauctorem se praebet: quae blasphemiae adeo horrendae sunt, ut omnes earum commemoratione cohorrere, atque expauescere debeant. Nec verò ipsi sat est causam suam tueri, nisi etiam Quintini defensionem, tanquam patronus, suscipiat. Si referenda essent ea, quae Christiani omnes in Quintino detestari debent, non referrem ea quae accepi ab alijs, sed quae ipse vidi ac perspexi. Ego tamen ab ijs abstinebo, et non nihil de eius exitu solummodo perstringam, ut qualisnam fuerit praeclarus hic martyr, omnes agnoscant. Nulla fuit alia occasio, cur in vincula coniceretur, quam quod honestas et pudicas feminas ad stuprum sollicitaret. Nam ut emissarii equi, quanvis senio confecti, ad equas, sic ille ad feminas hinniebat. Nimia verò impudentiae foret id negare, cum uniuersa Nerviorum ciuitas huius rei optima sit testis. Coniectus in vincula, nihil non effecit, quod euaderet: nam ex praecleara ista, quam sequuntur, philosophia, simulare, mentiri, fallere, atque in omnes formas sese immutare licet, ut ijs, quos Carnales vocant, imponatur. Ita omnia abnegavit, asserens Papistico ritu, se optimum, ut vocant, Catholicum esse. Tandem et testimonijs conuictus, et libro, quem nuper edidi, (eo enim iudices, ut ut miserabilis est apud ipsos hodie iudiciorum status, vbi sunt) petijt, ut ne saltem crudeli supplicio afficeretur, promptum ac paratum se praebens ad omnia dicenda, quae ipsi iuberent: quod etiam strenuè ab ipso praestitum est. Nam productus in theatrum, à Monacho et sacrifico Antichristi impulsus, bis populum hortatus est, ut diligenter à sacris literis caueret: nihil peius aut perniciosius earum lectione simplicibus et illiteratis viris. Quam ergo iniuriam impudens hic impostor infert sanctis Iesu Christi Martyribus, cum in eorum ordinem et societatem Quintinum cooprat? quem uniuersa Nerviorum ciuitas, non

solum flagitiorum & effrenata sua libidinis poenas dedisse nouit, sed etiam execranda blasphemiam, qualem libello meo explicui & descripsi. Neque verò ista à me hominis odio dicta sunt, sed quia discrimen rerum habendum est, ac praesertim dum periculum est ne ab istis Sathanæ ministris seducamur.

Caterùm, perspexi irrisorem istum nos occultè perstringere & calumniari, quasi diuites nobis conciliare nitamur, ut aliqua ex ijs commoda percipiamus, atque interea pauperes aspernemur. Cui nihil aliud respondeo, quàm mihi duplicem Libertinorum more, linguam non fuisse, ut varijs sermonibus erga hos atque illos uterer, pro statu & conditione personarum: sed promiscuè idem responsum planum atque apertum dedisse omnibus: quemadmodum regula Dei & summis & infimis eadem & communis est. Quale verò mihi consilium fuerit, quid animo propositum habuerim, res ipsa apertè docet. Pauperum quamplurimorū aduentus mihi dispendio magno fuit: maiori etiam, quòd istic commorati sint: nemo autem omnium est, qui me, vel obolo vno auxerit. Et certè maximæ stultitiæ foret, si hac ratione diuitias, aut commoda nostra quaerere vellem: nec enim diuites huc, sine maxima bonorum suorum iactura & imminutione commorari possunt. Sed eos, qui ipsis in idolorum cultu & superstitione adulantur, ac persuadent licere in ijs versari & comorari, seque mūdo accommodare, hoc facere certissimum est, ut partem aliquam facultatum ipsis emungant: pluriusque absolutionem istam vendunt, quàm Romanus Antichristus suam, ac diplomata indicarit. Pluribus hæc calumniam persequi nolo, tum quia nimium aperta & perspicua est, tum etiam quia gloriæ ducendum sit, cum nobis huiusmodi canes oblatrant.

Ut finem dicendi faciam, obsecro atque obtestor, per nomen Dei, fratres, ut Ioannis exhortationem memoria teneatis: nempe, ut probentur spiritus, ne nos deliri isti homines ab Euangelij simplicitate abducant inanibus fallacijs, quæ lumen Euangelij in tenebras ad eò obscuras conuertunt, ut nihil in eorum dictis & sententijs præter horrendam confusionem appareat. Deum nostrum bonitatis & misericordiæ Patrem rogo atque imploro, ut vos tueatur, & Spiritu sapientiæ ac prudentiæ regat, omni virtutum genere muniat ac confirmet, vosque omni sanctitate dediceret, ut eius gloria, sicuti par est, in vobis reluceat, Amen. Geneuæ, XX. August.

M. D. XLVII.

IOAN-



IOANNIS CALVINI ADMONITIO,  
qua ostenditur quàm è re Christianæ reip. forer, Sanctorum  
corpora & reliquias, velut in inventarium redigi: quæ tam in  
Italia, quàm in Gallia, Germania, Hispania, cæteri que regio-  
nibus habentur.

E Gallico per Nicolaum Gallasium in ser-  
monem Latinum conuersa.

NICOLAUS GALLASIVS  
pijs Lectoribus, S.



**N**credibile profecio videretur tam crassa impostura ac tam diuturna  
seductum fuisse orbem vniuersum, nisi rem ipsam oculis intueremur:  
atque intelligeremus iusta Dei vindicta id factum esse: vt homines à  
veritate alieni addicerentur mendacio, atque ita excacarentur, vt error  
(sicut ait Paulus) vires & efficaciam obtineret. Quod cum hodie immensa Dei  
bonitate patefactum sit, & veluti digito demonstratum: nos adhuc cecos esse,  
aut in tenebris delitescere minimè decet: cum præsertim luce adedò clara & luci-  
da illustrati simus. Equidem haud vllum fore arbitror, cui ista non pateant: nisi  
quem sensus planè omnes defecerint, sitque bellua, quàm homini similior. Neque  
enim hic subtili agitur ratione: sed res ipsa monstratur, ita, vt vel stupidissimi  
eam perspicere possint. Nostrates certè, quamplurimi, hoc perlecto libello, adedò  
obstupefacti sunt, vt ex antro quodam prodysse sibi viderentur: atque affirma-  
rent, se id nunquam fuisse credituros. Proinde, re perspecta, maiore iudicio Deum  
quarere, & superstitiones exhorrere cœperunt. Quod omnibus euenturum spero,  
qui inuidia omni deposita, eum attentè legerint. Itaque, eum è Gallico Latinum  
feci, vt nulli non communicetur: atque etiam, vt cætera nationes hoc exemplo re-  
liquias, quæ apud eas esse feruntur, describant: nec enim hic vnius hominis est la-  
bor: plures ei intentos esse oportet, & quæ in vnaquaque regione sunt, colligere.  
Calvinus enim noster omnes. rescire non potuit: tantum ear descripsit, quas ipsi  
tum videre licuit, tum certis testimonijs accipere. Propterea, libellum hunc ad-  
monitionis loco esse voluit: vt cum præcipua rerum capita perstrinxisset, cæteri,  
quibus religio cordi est, accingerentur huic operi: quò magis ac magis hominum  
stupiditas & inconsiderantia excuti possint. Hoc igitur à vobis maiorem in mo-  
dum peto, atque obsecro, vt tantum apud vos ponderis habeat hic libellus, quantum  
apud pios homines habere debet: vt que laborem in vertendo meum boni & equi  
consulatis. Si sales & iocos, quibus refertus est, minus expressi: cogitate, suos cui-  
que linguæ esse lepores, qui interdum alijs non conueniunt. In hoc  
certè potissimum elaboravi, vt verterem omnia fi-  
deliter. Valete, Idib. Mart.

M. D. XLV III.



**AUGUSTINVS** in eo libro quem inscripsit *De labore Monachorum*, conquerens de circumforaneis quibusdam impostoribus, qui iam suo tempore foedam ac sordidam nundinationem exercebant, Martyrum reliquias hac & illac circumferendo, subiungit: Si modò sunt Martyrum reliquiae. Quo verbo significat iam suo tempore inualuisse abusus & imposturas, quibus plebs imperita decipiebatur: ut putaret ossa hinc atque illinc collecta, Sanctorum esse. Cùm ad eò antiqua sit origo huius imposturae, minimè dubium est, quin vehementer adaucta sit tam longo temporis spatio: cùm praesertim mundus deinceps mirum in modum corruptus, ac semper in deterius lapsus sit: donec ad extremum venit, in quo nunc eum constitutum videmus. Primum autem vitium & veluti initium mali fuit, quòd cùm Christus in verbo suo, Sacramentis, & gratijs spiritualibus quaerendus esset, mundus, solito suo more, subuculis, vestibus, fascijs inhaesit: sicque omiffare praecipua, accessionem tantum sequutus est. Eundemque in Apostolis, Martyribus, alijsque Sanctis se praebuit. Nam cùm diligenter eorum vitam meditari, seque ad eorum imitationem conferre debuisset: omne studium posuit in contemplandis & veluti in thesauro reponendis eorum ossibus, subuculis, cingulis, pileis, & nugis eiusmodi.

Equidem non ignoro id quandam pietatis & zeli speciem praesferre: cùm dicitur, reliquias Christi seruari ob honorè qui illi habetur: utque eius memoria tenacius inhaereat animis: tantundè quoque in Sanctis valere. Sed considerandù erat, quòd ait Paulus, quenuis cultum Dei, ingenijs hominum excogitatum, qualemcumque sapientia speciem praesferat, vanitatem & stultitiam meram esse: nisi melius fundamentum habeat, & certius nostra opinione. Praeterea, utilitas quae inde oriri potest, cum periculo comparanda erat. Sic enim compertum fuisset, parum utile, aut omnino superuacaneum esse & friuolum, habere eiusmodi reliquias: ac contra, difficillimum esse, aut potius fieri nullo modo posse, quin inde ad idololatriam homines paulatim declinè. Neque enim eas intueri aut attrechiare possunt sine veneratione: in qua nullus tenetur modus, quin protinus honor Christo debitus ipsis tribuatur. Itaque, ut paucis dicam, reliquiarum desiderium nunquam superstitione caret: imò; quòd deterius est, mater est idololatriae, quae ut plurimum cum ipsa coniuncta est.

Omnes, sine controuersia, fatentur, Dominum ideo Moysis corpus è conspectu hominù abstulisse, ne populus Iudaicus eo adorando abuteretur. Quòd in vno factum est, ad omnes extendi oportet, cùm in ijs eadem valeat ratio. Verum, ut omitteremus Sanctos, videamus quid Paulus de ipso Christo dicat. Testatur enim se, post Christi resurrectione, amplius ipsum non agnoscere secundum carnem: adnonsens his verbis, quicquid in Christo carnale fuit, obliuioni tradendù, & missum faciendum, ut in eo secundum spiritum quaerendo & possidendo, omnem operam studiumque locemus. Nunc igitur causari praclarum esse, aliquod habere monumentum tum Christi, tum Sanctorum eius: quid aliud est, quam inane tegumentum, succedat stultae nostrae cupiditatis causa, quaerere, quae nullum in ratione fundamentum habet? Quòd si etià haec ratio sufficere videretur, cùm tamen aperte repugnet sententiae, quam Spiritus sanctus, per os Pauli pronuntiauit, quid plura requirimus?

Sed

Sed minimè necessarium est longam in hac re disputationem texere: bonum sit necne habere reliquias: tantum ut repositæ asseruentur, non ut adorètur: nam, sicuti diximus, experientia docet nunquam ferè alterum ab altero seiunctum esse. Ambrosius quidem de Helena Constantini matre loquens, quæ magno labore & sumptu crucem Domini inquiserat: ait, ipsam Dominum tantum, qui in ea peperderat, non lignum, adorasse. Sed rarissimum est, ut quis reliquijs ullis sit deditus, quin simul aliqua superstitione polluat. Fateor non primo impetu ad manifestam idololatriam erumpi: sed paulatim ab una fallacia ad alteram declivem esse lapsum, donec tandem homines in extrema precipites ruant. Sanè populus, qui se Christianum nominat, eò usque progressus est, ut non minore idololatria, quam ulli olim Ethnici insanierit. Prostravit enim seipsum ac genua flexit coram reliquijs, tanquam coram Deo: accendit faces & candelas pro solenni adorationis ritu: fiduciam in ijs locavit, ad eas cūfugit, ac si illic virtus & gratia Dei inclusa fuisset. Si idololatria nihil aliud est, quam honorè Dei aliò trāsferre, an id idololatriam esse negabimus? Neque verò id excusari potest, quasi immoderato rudium ac imperitorum, vel anicularum zelo factum sit. Latius enim patuit hæc immoderatio, eaq; in uniuersum laborarunt omnes: atq; adeò ij ipsi, qui ad Ecclesie gubernacula sedebant, eam approbarunt. Quinetiam mortuorum ossa ceteraq; omnes reliquie supra altare primum in altiore & eminentiore loco collocatae sunt, ut maiore reuerentia adorarentur. En ut stulta, quæ initio fuit, in seruandis reliquijs atq; in thesaurum reponendis curiositas, huc tandem abominationis delapsa sit, ut non solum à Deo auersi sint homines, quò rebus vanis & caducus adhererent: sed etiam execrabili sacrilegio res omni sensu carètes adorarèt loco Dei, qui uiuit ac benedictus est in secula.

Ceterum, sicuti mala trahuntur malis, alia etiã infelicitas sequuta est, ut nescio quæ sordes, omni ratione & specie carentes, pro reliquijs Christi & Sanctorum reciperentur: adeò que cæcus fuit mundus, ut qualiscunq; titulus nugis oblati imponeretur, absque inquisitione ulla aut delectu, pro uero & legitimo duceret. Ita asinorum aut canum ossa, quæ nugator quispiam proferre uoluit, pro Martyrum ossibus, sine ulla difficultate, homines studiosè amplexi sunt. Idemque in alijs accidit, ut postea tractabimus: equidem non dubito, quin iusta sit ultio Dei. Cùm enim mundus, ueluti rabie quadam accensus, reliquias concupiuerit, ut peruersa superstitione ijs abuteretur: rationi consentaneum fuit, Deum sinere mendacium aliud ex alio sequi. Sic enim dedecus nomini suo illatum ulcisci solet: cùm gloria quæ ad ipsum pertinet, aliò transfertur. Itaque nihil aliud causa est, quòd ubique tot falsæ reliquie repertæ fuerint, quam quòd Deus homines sese mendacis oblectantes in duplicem errorem abduci suerit.

Christianorum officium erat, Sæclorum corpora in sepulchris suis relinquere, ut uniuersali illi sententiæ parerent: qua dictum est, omnem hominem puluerem esse, atq; in puluerem reuersurum: nõ erigere ipsa opere magnifico & sumptuoso, quò præmaturam resurrectionem fabricarent. Hoc quidem minimè intellectum fuit: sed è diuerso contra decretum Dei, fidelium corpora effosa sunt, ut magnificè extollerentur, cùm in sepulchro suo, uelut in lectulo, usque ad extremum diem quiescere debuissent. Appetita fuerunt ipsa, in ijs fiducia locata est, adorata quoq; sunt: denique, omnia reuerentiæ signa ijs exhibita. Quid accidit? Diabolus eiusmodi foecordiam cernens, non satis esse putauit, quòd uno modo homines fefelleret: uerum

hac etiam impostura ipsos decepit, ut sanctarum reliquiarum titulum, rebus omnino profanis inscriberet. Deus autem iusta ultione mentem ac sensum omnem incredulis ademit, ut sine ulla inquisitione, albūmne an nigrum esset, ac sine discrimine reciperent quicquid oblatum foret.

Nunc quidem instituti mei non est tractare quantæ sit abominationis reliquiarum Christi, tum Sanctorum abuti, eo modo, quo hætenus factum est, atque etiam hodie in maiore orbis Christiani parte fieri solet: esset enim liber in hanc materiam seorsim scribendus. Sed quia perspicuum est maximam reliquiarum, quæ ostenduntur, partem falsam esse, ac productam à quibusdam nugatoribus, qui misera plebi impudenter imposuerunt: mihi in mentem venit nonnulla referre, quæ sanis hominibus cogitandi & obseruandi occasionem præbeant. Sæpe enim accidit, ut errore aut opinione præoccupati, multa inconsideratè probemus: neque tempus adhibeamus ad rem examinandam, rectumque iudicium ferendum: sicque incogitantia nostra fallimur. Sed cum moniti cœpinus animum advertere; miramur ipsi nos ad eò leues fuisse, & faciles ad id credendū, quod probabile nullo modo fuerat. Id quod omnino in hac re accidet. Homines enim minime communiti, sed præoccupati hac opinione, quod dicatur, *En corpus illius sancti, en calcei, en caligæ, sibi facile, ita esse persuadent. Sed cum fraudes ostendero, quæ in ijs admittuntur, cui vel minimum erit prudentiæ, is oculos aperiet: & ijs, quæ nunquam ipsi in mentem venerant, considerandis animum adhibebit.*

Tametsi hoc libello, quod vel maximè cuperem, efficere non possim: nam vndiquaque catalogos nancisci opus foret, ut sciretur, quæ in vnoquoque loco esse dicuntur reliquiæ, & singularum fieret inter se collatio. Tunc enim perspiceretur vnumquenque Apostolorum, plus quàm quatuor corpora, Sanctorum verò duo aut tria habere. Idem cerneretur in cæteris. Denique, coactò tali aceruo, nemo non stuperet: cum videret rebus ad eò ridiculus vniuersum ferè orbem excacatum fuisse. Mecum ipse ita cogitabam: cum nulla sit cathedralis ecclesia tam exigua, cui non sit osium aliarumque eiusmodi nugarum infinitas: quid si coaceruaretur multitudo omnis, quæ in tribus aut quatuor millibus diocesisibus condita est viginti, aut triginta millibus Abbatij, ex quadraginta millibus Cœnobijs, aut eo plus, ex tot parochijs, tot sacellis? Verum, adhuc præcipuum esset ipsas visitare, non nominare tantum: neque enim omnes ex nomine cognoscuntur. In hac ciuitate habebatur, ut ferebant, brachium D. Antonij. Cum theca inclusum erat, omnes ipsum exosculabantur & adorabant: cum productum est in medium, cervi penem esse compertum est. Ad maius altare aliquid erat de cerebello D. Petri. Quando id inclusum fuit, nemo dubitabat: fuisset enim blasphemia titulo fidem non habere: sed cum excussus est nidus, & accuratius obseruatus, repertus est pumex. Possem multa eiusmodi exempla referre, sed ista iufficiunt, ut intelligant omnes quantæ detegerentur sordes, si aliquando visitarentur sedulo, omnes totius Europæ reliquiæ: idque cum prudentia, quò melius discerni possent. Nonnulli enim reliquiarum aliquod spectantes, superstitione claudunt oculos, ut cernendo nihil cernant: id est, non audent serio inspicere, ut quid sit, diligenter considerent. Quemadmodum multi, qui iactant se integrum D. Claudij corpus, aut alterius cuiusquam vidisse, nunquam oculos attollere ausi sunt, ut quid esset spectarent. Verum, is cui secreti videndi esset libertas, eaque vti auderet, longè aliter loqueretur.

Idem

*Idem de capite Magdalena, quod Massilia ostenditur, cum massa aut cera frusto, quod oculo affixum est. In thesauro seruat, ac si Deus aliquis è caelo delapsus esset: verum si examinaretur, facile detegeretur fallacia.*

Optandum igitur esset, vt certiores effemur de nugis omnibus, quæ hîc atque illic pro reliquijs habentur: aut saltem, quò constaret quam multæ falsæ sint, catalogum earum & numerum tenere. Sed cum id fieri non possit, saltem optarim inuentarium ex decem aut duodecim vrbibus nasci: veluti Lutetia, Tolossa, Rhemus, Pictauo. His enim solis mirabilia veluti apum examina, vel saltem officinæ admodum confusæ perspicerentur. Idque mihi sæpenumero in votis esse solet: vt tale inuentarium nancisci possem. Quia verò hoc quoque mihi nimium difficile esset, tandem cogitavi, præstabilius esse omnino exiguam hanc monitionem præbere, quæ somnolentos excitem, vt cogitent quid sit in vniuersis, cum in paucis tanta impostura deprehendatur. Hoc intelligo: cum in ijs reliquiarijs quæ nominauero, tanta deprehendatur impostura, quæ tamen vix millesima est pars eorû, quæ exhiberi solent: quid de cæteris poterit æstimari? Præterea, si constet eas quæ pro certioribus habitæ fuerunt, falsò esse suppositas: quid de incertis iudicandum erit? Vtinam verò Christiani principes paulisper animum ad id aduerterent! Effset enim ex eorum officio non sinere miseros homines sic seduci, non râtum falsa doctrina, sed etiam palàm deludi, persuadèdo quod vulgò dici solet: Vesicas arietum, laternas esse. Nam de sua dissimulatione, rationem Deo sunt reddituri, quòd ea cernentes taceant: grauisimamque hanc esse culpam sentient, fuisse Deum ludibrio haberi, cum id prohibere potuissent. Quicquid sit, spero libellam hunc omnibus vsui futurum, daturumque occasionem singulis, id suo loco considerãdi, quòd titulus ipse monet: nempe si descriptæ essent omnes orbis Christiani reliquiæ, perspicuum fore, quàm cæci antehac fuerint omnes: quantæ tenebræ per vniuersum orbem sint effusæ, & quanta stupiditate homines laborarint.

A Christo igitur initium faciamus, cuius cum naturale corpus haberi non posset (nam miraculo si fabricandi facilè viam inuenerunt, quanto numero ac quoties eis libitum foret) eius loco sexcentas nugas collegerunt, quibus ipsius absentiam compensarent. Quanquam nec totum Christi corpus elabi sinerint, quin aliquod frustum retinerent. Nam præter dentes & capillos, Charrouienfes Monachi, iactant se præputium habere: id est, pellem quæ ipsi in circuncisione amputata fuit. Quæso, vnde pellis hæc ad ipsos profecta est? Lucas Euangelista Dominum circuncisum fuisse refert: pellem verò seruata fuisse pro reliquijs, nusquam fit mentio. Veteres historix omnes silent. Ac quingentorum annorum spatio, nulla de ea, in Ecclesia Christiana, sermo habitus est: Vbi latuit tam diu, vt tam subito erumperet? Præterea, quomodo ad Charrouium vsque aduolauit? Verum, vt id probent, aiunt aliquot inde sanguinis guttas decidisse. Id quidem dicunt, sed opus esset probatione. Proinde patet merum esse ludibrium. Sed tamen si concedamus pellem, quæ Christo amputata fuit, seruata esse, ibique aut alibi esse posse, quid dicemus de præputio quòd Romæ ad Ioannis Lateranensis ostèditur? Certum, est vnicum tantum fuisse: Romæ igitur & Charrouij simul esse non potest. Quòd si, vt manifesta hîc cernatur falsitas.

Sequitur deinde sanguis, de quo magna fuerunt contentiones. Per multi enim negarunt Christi sanguinè reperiri, præterquam miraculosim. Et tamen natu-

valis, plusquam centum in locis, exhibetur. Alicubi pauca guttae, ut Rupellæ Pictorum, quas Nicodemus in chirotheca sua, ut aiunt, collegit. Alibi plena phialæ, ut Mantuæ. Biliomi in Aruernia, ostenditur, vase crystallino liquidus: in quodam proximo vico, coagulatus: & alijs in locis. Alibi plenis pateris effusus, ut Romæ ad Eustathij. Neque verò sat fuit purum habere sanguinem: sed etiam aquæ admixtum habere oportuit, qualis à latere ipsius fluxit, cum in cruce transfixum est. Hæc merx Romæ ad Ioannis Lateranensis reperitur. Iudicandum cuique relinquo, quid certi inde colligi possit: atque adeò num mendacium perspicuum sit, dicere sanguinem Christi septingentis aut octingentis post ipsius mortem annis reperitum fuisse, ut per orbem vniuersum spargeretur: cum in veterè Ecclesià nulla unquam habita fuerit mentio.

Sequuntur præterea quæ corpus Domini contigerunt: aut saltem quæcumque potuerunt colligi, ut corporis loco fierent in eius memoriam reliquiæ. Primum, ostenditur Romæ ad Mariæ maioris, præsepe in quo nascens positus fuit. Ibidem ad Pauli, exhibetur linteam quo fuit inuolutus, quanquam aliquod eius fragmentum ad Saluatoris in Hispania esse dicatur. Sunt etiam ibidem eius cunæ, cum subucula, quam Maria mater eius ipsi contexuit. Item, Romæ ad Iacobi ostenditur altare, cui impositus fuit, cum in templo offerretur. Quasi verò tunc varia fuerint altaria, sicuti in Papatu: ubi constituuntur pro hominû libidine. Ita sine ullo colore hæc in rementuntur. Hæc sunt quæ habent de ijs quæ Christum infantia tempore contigerunt. Neque verò multum disputare necesse est, ubi sarcinæ istæ tanto spatio post mortem Christi repertæ fuerint. Nemo enim tam hebes est, qui non intueatur qualis sit hæc dementia. In historia Euangelica, de ijs rebus ne vnum quidem verbum. Apostolorum tempore nihil prorsus auditum est. Quinquaginta circiter annos post Christi mortem, Ierosolyma expilata ac euersa fuit. Tot veteres Doctores ab eo tempore scripserunt, eorûmque mentionem fecerunt, quæ extabant suo tempore: præsertim de cruce & clauis quæ Helena reperit. De exilibus verò nugis illis, nullum verbum. Quinetiam Gregorij tempore nusquam apparet horum quicquam Romæ extitisse: ut constat ex eius scriptis. Post eius mortem Roma sæpius capta, expilata, & penè funditus delata fuit. Si hæc omnia accuratè cõsiderentur, quid aliud dici poterit, nisi omnia hæc excogitata fuisse, quò imperitæ plebi imponeretur? Ac certè id fatentur falsæ religionis fautores, tum sacerdotes, tum monachi: æsque vocant, Pias fraudes, quasi ijs populus ad pietatem incitetur.

Secundæ classis reliquiæ sunt quæ id tempus spectant, quod inter infantiam & mortem Christi medium fuit. In quibus est columna, cui Christus in templo disputans innitebatur, cum alijs vndecim similibus ex templo Solomonis. Sed quis ipsis reuelauit Christum, disputando columnæ innixum fuisse? Nam Euangelistæ, historiam huiusce disputationis referens, ne verbo quidem id perstringit. Nec verisimile est ei cõcionatoris concessum fuisse locum, cum nulla, ut perspicuum est, existimatione, aut authoritate polleret. Præterea quæro, etiam si columnæ innixus esset, qui sciunt illam fuisse? Tertio, vnde duodecim illas columnas nacti sunt, quas aiunt protulisse è templo Solomonis? Sunt deinde hydriæ, in quibus Christus aquam in vinum mutauit, cum adesset nuptijs in Canna Galileæ. Equidem scire vellim, quis earum custos fuit tandiu, ut eas postea distribueret. Hoc enim perpetuò notandum, octingentis solum aut mille annis post editum illud miraculum, reper

tas fuisse. Non satis teneo locos omnes ubi illæ ostenduntur. Scio tamen ijs Ra-  
uennæ, Pisis, Cluniaci, Andegavi, ad Saluatoris in Hispania haberi. Sed, ne lon-  
gior sit oratio, solo aspectu eos mendacij conuincere, facile est. Aliæ enim non sunt  
congio capaciores, aut paulò plus, aliæ minus, aliæ octo amphoras cõtinere possant.  
Conciliantur hæc inter se, si fieri possit. Tunc eos suas hydrias habere sinam absque  
controversia. Sed neque vasis cõtenti, poculentum etiam ipsum habere voluerunt.  
Nam Aureliæ iactant se ex eo vino habere, quod Architricliti vocant. Hoc au-  
tem sponsi nomen fuisse putant, & populum adhuc retinent in ea ignorantia.  
Singulis annis semel extremam exigua ligulæ partem lingendam præbent ijs, qui  
munus aliquod offerre voluerint: dicentes, se, vinum quod Dominus in conuiuio  
fecit, propinare. Neque vnquam minuitur eius quantitas, modò subinde complea-  
tur scyphus. Nescio cuius magnitudinis sint calcei, qui Romæ esse dicuntur in eo  
loco, quem Sancta sanctorum vocant: an puer, an vir factus, ijs vsus sit: sed neu-  
trum alteri præstat. Nam satis superque ostendi quantæ sit impudentiæ nunc Chri-  
sti calceos proferre, quibus Apostoli suo tempore caruerunt.

Nunc ad ea veniamus quæ ad supremam cœnam pertinent, quam Christus  
cum Apostolis celebravit. Mensa enim Romæ est ad Ioannis Lateranensis. Aliquid  
de pane ad Saluatoris in Hispania. Culter, quo agnus Paschalis fuit dissectus, Tre-  
ueris. Notemus Christum in commodato loco cœnam celebrasse. Illinc disceden-  
tem, mensam reliquisse: nec legimus ab Apostolis eam esse exportatam. Aliquot  
postea annis Ierosolyma destructa fuit, sicuti diximus. Qualem verò speciem veri-  
tatis hoc præferret: mensam illam septingentis, aut octingentis post annis repertam  
esse? Præterea, mensarum forma tunc omnino diuersa erat, ab ea quæ nobis hodie in  
vsu est. Nec enim sedere cœnando, sed accumbere solebant: quod diserte Euangelio  
exprimitur. Perspicuum est igitur hoc mendacium. Quid superest? Calix in quo sa-  
cramentum sanguinis sui Apostolis bibendum dedit, ostenditur ad Mariæ Insula  
næ, propè Lugdunum. Item, apud Heluios, in quodam Augustinensium cœnobio.  
Cui fides habebitur? Verùm de disco in quo positus est agnus Paschalis, res etiam-  
num peius habet. Est enim Romæ, item Genuæ, & Arelatæ. Fossit, an illius tem-  
poris consuetudo à nostra diuersa fuit. Quòd enim hodie variantur fercula, tunc  
vnius feruli causa, discum variari oportuit: si modò sanctis hisce reliquijs fides ha-  
betur. An magis perspicua requiritur falsitas? Idem est de linteo, quo Christus  
Apostolorum pedes absterxit, postquam eos abluisset. Vnum est Romæ, ad Ioannis  
Lateranensis: alterum Aquis, in Germania, ad Corneli, cum impresso vestigio pedis  
Iudæ: alterutrũ falsum esse necesse est. Quid ergo iudicabimus? Si manus eos inter  
se contendere, quoad alteri causam suam probarint. Interim cœseamus meram esse  
imposturam: persuadere hominibus velle, linteum, quod Christus reliquit in ea do-  
mo, in qua cœnam celebravit, quingentis, aut sexcentis post Ierosolymæ euerfionem  
annis, in Italiam, aut Germaniam aduolasse. Panem omiseram, quo per miraculum  
in deserto pasti sunt hominum quinque millia: cuius frustum Romæ ostenditur, ad  
Mariæ nouæ: & frustulum ad Saluatoris, in Hispania. Refert Scriptura por-  
tionem aliquam manæ fuisse reseruatam, tanquam monumentum magni illius mi-  
raculi, quo Deus populum Iudaicum in deserto pavit. Sed de quinque panum reli-  
quijs, Euangelista non commemorat quicquam fuisse hoc sine asseruatam: neque  
vlla veterum historia, vllisue antiquorum Ecclesiæ Doctorem mentionem facit.

Facile est igitur iudicare, id postea pinxitum fuisse quod nunc monstratur. Idem iudicandum de ramo, quod est ad Saluatoris in Hispania. Aiunt enim eum esse quem Christus gestabat, cum die Paschatis, quod Floridum vocant, Ierosolymam ingressus est. Verum à Christo gestatum fuisse ramum nequam recitatur in Evangelio: commentum igitur euidentis est. Denique in hunc ordinem redigenda sunt reliquia, quæ ibidem exhibentur: nempe, terra quæ sub pedibus Christi iacebat, cum Lazarum suscitaret. Quæso, quis tam diligenter notauit locum, ut post Ierosolymæ euerisionem, qua omnia in Iudæa immutata sunt, locus in quo Christus semel pedem posuit, certò potuerit designari?

Iam ad præcipuas Domini reliquias veniendum est. Illas scilicet quæ ad mortem & passionem eius pertinent. Ac primùm de cruce in qua pependit, agamus. Pro certo haberi scio, Helenam, Constantinii imperatoris Romani matrem, ipsam reperisse. Nec ignoro quid veteres nonnulli Doctores scripserint in eius rei comprobationem: nempe, ut certum sit, eam sine ulla dubitatione esse crucem, cui Christus suffixus est. Horum omnium fides sit penes rem ipsam. Vtunque sit, vel stulta curiositas, vel ineptus religionis zelus ipsam huc impulit. Sed fingamus opus laude dignum fuisse, quòd inuenienda cruce tantum operæ posuerit: atque Dominum tunc miraculo declarasse, suam fuisse crucem. Solùm temporis nostri rationem habeamus. Crucem illam, quam Helena reperit, adhuc Ierosolymis esse ferunt. Atque id nemini dubium est: quanquam Ecclesiastica historia apertè repugnet. Illic enim refertur, Helenam partem eius Imperatori filio suo misisse, à quo supra columnam porphyream Constantinopoli fuerit collocata: alteram verò partem, ab ea fuisse argentea theca inclusam, quam Episcopo Ierosolymitano seruandam dederit. Itaque, aut mendaciæ coarguemus historiam, aut quæ hodie feruntur de vera cruce, vana omnino & frivola sunt. Rursum, inuadueramus quot de ea sparsa sint per vniuersum orbem fragmenta. Si vel ea tantum, quæ teneo, recitare vellem, iustum certè librum catalogus eorum implere posset. Nullum est tam exiguum oppidum, in quo frustum aliquod non habeatur. Neque tantum in Ecclesia primaria, verum etiam in nonnullis parochiis: nulla tam vilis Abbatia in qua aliquid non monstratur. Atque adeo nonnullis in locis crassiores assulæ: ut Lutetia, ad sacri sacelli: Pictauij, & Romæ, vbi crucifixus mediocri magnitudinis, totus ex ea factus esse fertur. Denique si congesta in aceruum essent omnia quæ reperiri possent, integrum nauis onus efficerent: cum tamen Euangelium testificetur ab vnico homine ferri potuisse. Quanta igitur audaciæ fuit, ligneis frustis sic totum implere orbem, quibus ferendus ne trecenti quidem homines sufficiant? Atqui, excusationem illam excogitarunt, quantumcunque inde abscondatur, nunquam tamen inminui. Sed commentum adeo stultum & absurdum esse constat, ut superstitiosi ipsi, facile id intelligant. Cogitandum igitur omnibus relinquo, quid certi haberi possit de lignis omnibus, quæ pro vera cruce hinc & illic adorantur. Vnde verò fragmenta quedam allata sint, & qua via, aut ratione, dicere omitto. Veluti, nonnulli asserunt ad se ab Angelis delata esse: alij è cælo de cecidisse. Pictauienses referunt, id quod habent, à muliere quadam Helene ancilla subreptum, atque allatum fuisse: quæ cum aufugeret, errabunda, circa eam regionem appulit. Hoc etiam addunt fabulæ, eam fuisse claudam. En præclara fundamenta quibus miseram plebem ad idolatriam impellunt. Nec enim eo contenti, quòd imperitis ac rudibus imposuissent,

vulga-

cruce optima  
restitu digna



vulgare lignum pro ligno crucis ostentando. Sed definiunt etiam prorsus esse adorandum. Quæ doctrina omnino diabolica est: eamque nominatim Ambrosius, ut ethnicam superstitionem, improbat.

Crucem proximè subsequitur titulus, quem Pilatus affigi iussit, in quo inscripsit, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Sed sciendum esset, quo loco, tempore, & modo repertus est. Dicit aliquis, Socratem historicum Ecclesiasticum eius facere mentionem. Fateor. Sed quid de eo factum sit, reticet. Ita haud magni momenti erit hoc testimonium. Præterea scriptum illud prope atque ex tempore exaratum fuit, cum iam Christus crucifixus esset. Quãobrem alienissimū à ratione est, et a bulam curiosè & veluti ostentandi causa depictam exhibere. Si igitur vel vnicui tantum ostenderetur, pro falso & ficto, meriò haberi posset: sed cum Tholosates id se habere iacent, contradicant Romani, & ostendant ad S. crucis, mendacij se inuicem coarguunt. Litigent ergo inter se quantum volent: tandem utriusque conuincuntur mendacij, sicutè examinentur omnia.

Sed de clauis maior adhuc controuersia est. Referam eos de quibus fui admonitus. Hinc vel minimus puer iudicabit Diabolum nimis indignè mundo illuisse, omni ratione ac sensu ei ademptis, ne amplius hac in re discrimen habere posset. Si vera narrat antiqui scriptores, ac præsertim Theodorus veteris Ecclesiæ historicus, Helena vnum filij sui galeæ inseri, reliquos duos equi fræno aptari iussit. Tametsi Ambrosius non omnino consentiat. Vnum enim Constantini coronæ impositum fuisse dicit: ex altero, frænum equi factum: tertium ab Helena seruatum. Id ergo iam ante mille & ducentos annos controuersum fuisse videmus, quid clauis factum esset. Quid igitur nunc certi habere possumus? At verò Mediolanenses iacent se illum habere qui equi fræno insertus fuit. Intercedunt Carpentoraënses, sibi que illum vendicant. Atqui Ambrosius haudquaquam equi fræno insertum, sed frænum ex eo factum fuisse refert. Quod nullo modo conuenire potest, cum ijs quæ tum Mediolanenses, tum Carpentoraënses affirmant. Est etiam alius Romæ, ad diuæ Helenæ: alius ibidem, ad Sanctæ crucis: alius Senis: alius Venetijs: in Germania duo: vnus Colonia, ad trium Mariarum: alter Treueris. In Gallia, vnus Lutetiæ ad Sancti Sacelli: alius apud Carmelitas, alius ad D. Dionysii in Francia: alius apud Bituriges, alius in Abbatia, cui à Forficibus est nomen: alius Draguiniani. En numero quatuordecim. Porro vnusquisque locus idoneis probationibus niti sibi videtur. Vnum certè concedam: singulis æquum esse. Itaque nihil expeditius, quàm eandē de omnibus ferri sententiam: nēpe, ut quicquid iacent, pro mēdacio ducamus: cum id aliter expediti non possit.

Sequitur mucro lanceæ, quem vnicum esse oportuit: sed à cumistica cuiusdam fornacis forsitan ignem expertus, sic excreuit ac multiplicatus est. Quatuor enim prodierunt: præter eos qui hinc illic habentur, mēque prætereunt. Vnus est Romæ, alter Lutetiæ ad Sancti Sacelli, tertius apud Xaniones in cænobio, cui à Forficibus nomen est: quartus Seluæ, propè Burdegalam. Quis nunc eorum pro vero eligeretur? Expeditius omnino erit omnes missos facere, & quales sunt ipsi, tales sinere. Sed quanuis vnicus tantum esset, tamen vnde prodijset, scire vellem. Nec enim veteres historiae aut vlla aliorum scripta, de eo mentionem faciunt. Recens igitur fabricatum fuisse necesse foret.

Quòd ad coronam spineam attinet, fragmenta eius, quòd virescerent, plan-

tata fuisse dicendum est. Alioqui, nescio quomodo potuit in tantam magnitudinem excrescere. Primum, tertia eius pars est Lutetiæ, ad Sancti Sacelli: deinde Romæ, ad Sancta Crucis, tres sunt spinæ: ibidem ad Eustathij aliqua portio. Senis nescio quo: spinæ: Vincentiæ una: Biturigibus quinque: Vefontione, ad Ioannis, tres: totidem in monte Regio. Ad Saluatoris in Hispania, aliquot, quarum numerum non teneo. Compostella, ad D. Iacobi, duæ: apud Heluios, tres: Tholossæ, Matifconæ, Charrouij Pictonum, Cleriaci, Sanfloridi, Sanmaximini in prouincia, item in cœno bio Salla, item Nouioduni ad D. Martini. Singula hæc loca singulas habent spinas. Quod si diligens inquisitio fieret, plures quadruplo possent nominari. Vnde falsitatem & imposturam euidentissimè patere necesse est. Quid igitur certi de omnibus constabit? Ad hæc notandum est, nunquam in vetere Ecclesia scitum esse, quid corona illa factum esset. Hinc facile est concludere, primum virgultum multis post mortem Christi annis, enatum fuisse.

Sequitur vestis purpurea, qua Pilatus Christum induit, eum ludibrio habens, quod se regem nominasset. Erat autem pretiosa vestis, haud ita temerè abijcienda. Nec existimandum est Pilatum aut eius domesticos sic eam abiecisse, postquam semel Christum irrisissent. Equidem scire vellem, quis mercator eam à Pilato emit, ut eam pro reliquijs asseruaret. Ut autem aliquid commẽtio suo coloris afferant, quibusdam guttis sanguinis aspersam ostendunt. Quasi verò nefarij illi voluissent regiam vestem perdere, posteaquam per ludibrium eam humeris Christi imposuerant. Nescio an usquam alibi quæpiam alia eiusdem nominis reperiantur. Vestis quidem contexta à summo ad infimum, futuris carens, quia ad incitandos ad pietatem rudes magis apta videbatur, plures alias peperit. Nam Argentolij, qui pagus est in agro Parisiensi, exhibetur una: altera Treueris. Quod si verum dicit bulla quæ est ad Saluatoris Hispaniensis, Christiani inconsiderato suo zelo grauius deliquerunt, quàm impij illi milites qui non ausi sunt ipsam diuidere. Christiani verò quod eam adorarent, discernere veriti nõ sunt. Sed quid respondebunt Turcæ, qui eorum demeritum irridens, illam apud se esse dicit? Quamquam minime necessarium est eos cum Turcæ committere, ut cum ipso litigent: sufficit enim si suam inter se dirimant litem. Interim iusta ratione excusabimur, si nullis eorum fidem adhibeamus, ne absque causæ cognitione alicui fauere videamur. Id enim ab æquitate esset alienum. Quinetiam si fidem sibi haberi velint, primum ipsos cum Euangelistis conuenire necesse fuerit. Porro, sic res habet: vestem illam, cuius causa fors iacta est, tunicam fuisse, quam Græci χιτων, vocant. Velim nunc homines diligenter animaduertere, cuius formæ sit ea quæ Argentolij, aut Treueris ostenditur. Certè inuenient Argentoliensem, instar esse Missariæ vestis, quam chasulam vocant. Itaque, etsi hominum confingerent oculos, perspiceretur tamen eorum falsitas, & quasi manus atrectaretur. Ut finem faciam huic articulo, quæstiunculam libens proposuero: nempe, milites inter se vestimenta Christi diuiserunt, ut Scriptura testatur. Hoc ab ipsis commodi sui causa factum esse certissimum est. Indicent mihi nunc: quis Christianorum redemit à militibus & tunicam, & alia vestimenta, quæ alibi, veluti Romæ ad Eustathij, & alijs in locis ostenduntur? Quomodo Euangelistæ eius rei oblitæ sunt? Est enim absurdum dicere, milites inter se vestimenta partitos esse, nisi addatur à quibus redempta fuerint, ut tanquam reliquiæ seruari possent. Ad hæc quæ veteres scriptores addo ingrati fuerunt, ut ne

verbum quidem vllum fecerint? Ad solvendas quæstiones istas, diem illis præfigo, quo homines sensu, intelligentia, atque iudicio carebunt. Hoc melius, quod cum veste talos etiam habere voluerunt, quibus fors à militibus iacta est. Quorum vnus est Treueris, alter ad Saluatoris, in Hispania. In hoc autem genuinè infantiam suam prodiderunt. Iactas enim fuisse sortes referunt Evangelistæ, quæ tunc è pileo vel vna solebant educi, vt cum ho die fabus eligitur rex, vel Biancha, quod vulgò aiunt, luduor. Denique nemini ignotum est, quomodo sortes iaci solent, cum prædia aut hæreditates diuiduntur. Bestiæ verò istæ, imaginati sunt sortes illas fuisse talorum ludum, qui nondum in vsu erat, saltem qualem nostro tempore habemus. Nam punctorum loco, quæ nostris affixa sunt, tunc certa quædam habebant signa, quæ nominibus suis appellabant, veluti Venerem, aut Canem. Nunc exosculentur reliquias sub hominum tam ineptè mentientium & adeò stupidorum fide.

Iam de sudario tractandum est, in quo adhuc apertius tum impudentiam, tum stoliditatem suam prodiderunt: nam præter sudarium Veronicæ, quod Romæ ad Petri ostenditur, & peplum virginis Mariæ, pudendis Domini, vt ferunt, impositum, quod ad Ioannis Lateranensis monstratur, quod rursum est Carcasonnæ apud Augustinienses. Item, sudarium quo obuolutum est caput ipsius in sepulchro, quod ibidem exhibetur: sunt præterea sex, ad minimum vrbes, quæ iactant se integrum sepulturæ Domini sudarium habere: veluti Nicea illud, quod è Camberiacò translatum fuit. Item, Aquæ in Germania. Item, Traiectum. Item, Vefontio. Item, Cadonium Lemouicum. Item, oppidum quoddam Lotoringiæ, Alsatia vicinum: præter fragmenta, quæ hac & illac dispersa sunt, veluti ad Saluatoris in Hispania, atque apud Augustinienses Heluorum. Sudarium adhuc integrum prætermitto, quod est Romæ, in quodam mulierum monasterio: quoniam Papa solemniter illud ostendi vetuit. Quæso, an non valde insanierunt homines, cum in tam longinquas regiones magno sumptu, maiore molestia excurrerunt, vt panniculum cerne- rent, de quo nihil omnino poterant habere certi: sed potius addubitare cogebantur? Quis- quis enim sudarium certo quodam in loco esse putat, cæteros qui se habere iactant, accusat falsi. Vt exempli gratia, qui panniculum quod fuit Camberiaci, verum esse sudarium credit, Vefontinos, Aquenses, Cadonios, Traiectenses, & Romanos mendaciæ condemnat, & sceleris: quod plebem ad idololatriam impellant, atque ita ei imponant, vt credit profanum panniculum, linteum esse, quo Redemptoris sui corpus inuolutum fuit. Nunc ad Evangelij testimonia veniamus: Parum enim esset eos mutuò à seipsis mendaciæ coar- guere, nisi Spiritus sanctus ipsis repugnans, omnes simul ad vnum apertè conuinceret. Primum, valde mirum est Evangelistas nullam Veronicæ mentionem facere, quæ faciem Christi peplo absterfit: cum de mulieribus omnibus loquantur, quæ Christum ad crucem comi- tatae sunt. Res quid in præclara & memoratù digna fuit, faciem Christi linteo impressam stupendo miraculo fuisse. Contrà, magis videtur esse ponderis, aliquas mulieres Christi ad crucem comitatas, nec vllum interim ipsis exertum esse miraculum. Qui fit, vt Evan- gelistæ leues istas res nec magni adò momenti referant: præcipuas verò taceant? Equidè si tale editum esset miraculum, vt vulgò imponitur, accusandus esset Spiritus sanctus aut obliuionis, aut inconsiderantiæ, qui prudenter eligere nequiuisset ea quæ referri magis con- ducebat. Hoc habeant pro Veronica sua: vt cognoscant omnes quàm apertum sit menda- cium, quod vulgò persuadere volunt. Quòd attinet ad sudarium quo inuolutum fuit cor- pus, similiter eos rogaros velim. Cum Evangelistæ diligenter recenseant, miracula quæ

in morte Christi contigerunt, nec quicquam prætermittant eorum quæ pertinent ad historiam: quomodo hoc ita ipsis excidit, ut tam excellēs miraculū silerent? Nempe effigiem corporis Domini, linteo quo sepultus fuit inhx̄sisse? id enim non minus quàm alia multa merito referendum fuit. Cum etiam Ioannes delectet, Petrum ingressum in sepulchrum, vidisse linteum in quibus humatus fuerat seorsum dissecta. De effigie miraculosa, nulla mentio. Non est autem existimandum hoc præclarum Dei opus cum celaturum fuisse, si quid tale fuisset. Obijcitur & alia dubitatio. Nempe ab Evangelistis nusquam refertur, linteum illud à discipulis aut pijs mulieribus extra sepulchrum translata esse, sed potius ibi relicta fuisse innuunt, licet non expriment. Sepulchrum autem à militibus custodiebatur, in quorum potestate postea linteum fuit. An verisimile est eos pro alicui dedisse, ut pro reliquijs haberetur? Præsertim cum Pharisei eos ad periurium illexissent pecunia: ut sic affirmarent, corpus à discipulis clam subreptum fuisse? Omitto quòd falsus solus figurarum, quis ostendunt, aspectu, coargui ac conuinci potest. Manu enim hominum depictus esse facile perspicitur. Nec possum satis mirari, primùm quomodo tam obtuso fuerunt ingenio, ut astutia ad fallendum aptiore caruerint: ac longè magis, quomodo tam stolidi fuerunt homines, ut sibi oculos perstringi sinerent, ne rem adeò perspicuam intuerentur. Quinetiam se ad manum pictores habere ostenderunt. Combusto enim vno sudario, aliud perendie integrum compertum est. Id ipsum quidem esse affirmabant, quod prius cernebatur: sed adeò recens erat pictura, ut mendacio non esset locus, si modò oculi ad cernendum minimè defuissent. Denique, ut finem faciam, solidissima hac ratione profusus eorum impudentia conuincetur. Quibuscunque in locis sacrum se sudarium habere iactant, sibi linteum grande monstratur, quo tegebatur totum corpus vnà cum capite. Atque illic integri & continui corporis effigies conspicitur. Ioannes autem Evangelista, refert Christum Iudeorum more & ritu sepultum fuisse. Quis mos ille fuerit, non solum percipi potest ex Iudeis, qui etiam nunc ipsum obseruant: sed etiam ex eorum libris, quibus a iuquus ille mos declaratur. Nempe, corpus seorsum ad humeros vsque inuoluerunt solitos: deinde caput peplo, quatuor angulis in nodum collectis obligare. Quod etiam exprimit Evangelista, cum ait, Petrum linteum quibus inuolutum fuerat corpus ex vna parte vidisse: ex altera verò sudarium, quod impositum fuerat capiti. Talis enim est sudarii significatio, ut pro panniculo quo absterguntur sudores, aut pro peplo accipiatur: non pro grandi linteo, quo totum corpus inuolui solet: tametsi ego vnà cum ipsis voce abusus sum. Ut paucis concludam: aut Ioannem Evangelistam mendacem esse, aut omnes qui se sudarium habere iactant, falsitatis conuinci necesse est: ut aperte constet eos nimia impudentia miseræ plebi imposuisse.

Nunquam finem effem facturus, si omnia ludibria quibus vtuntur, sigillatim per se qui vellem. Romæ ad Ioannis Lateranensis ostenditur calamus, qui loco sceptri in manum Christo datus est, cum in domo Pilati per ludibrium caderetur. Ibidem, ad crucis, ostenditur spongia, qua fel cum myrrha ori ipsius oblatum est. Quæso, ubi illa recuperata fuerunt? Impij ea habebant in manibus: an præbuerunt Apostolis, ut pro reliquijs afferuarent? vel, an ea ipsi incluserunt, ut possent in futurum conseruari? Quantum sacrilegium, sic nomine Christi ad fabulas adeò frigidis obtegendis abuti! Eadem ratio est denariorum, quos Iudas, ut Dominum proderet, accepit. Refert Evangelista redditos fuisse ab ipso in synagoga Phariseorū: inde emptum fuisse agrum in quo peregrini sepelirentur. Quis verò venditoris manu denarios illos recepit? Si discipulos recepisset di-

se dicant, nimis ridiculi erunt. Alius igitur color paulò speciosior quærendus est. Si longo post tempore id factum fuisse respondeat, id longè minus coloris habiturum est: cum per varias manus peruagari, alijsque admisceri potuerint. Effet igitur ab ipsis commonstrandum dominum agrum ea ratione ipsum vendidisse, ut denarios illos recuperaret, quos haberet pro reliquijs, aut iterum eos venderet fidelibus. De hoc autem nulla unquam in Ecclesia veteri habita est mentio. Simile commentum est de gradibus prætorij Pilati, quæ sunt Romæ ad Ioannis Lateranensis, cum foraminibus in quæ guttas sanguinis à corpore Domini decidisse ferunt. Ibidem, ad Præcedis ostenditur columna, cui alligatus fuit, cum flagellis caderetur: tres verò aliæ ad Crucis, per quas moriturus circumductus est. Has omnes columnas nescio ubi somniarunt. Hoc certè non dubium, quin ipsi cerebro suo eas imaginati sint. Nihil enim in tota Euangelij historia de ijs legitur. Legitur quidem cæsum flagellis Christum: alligatum verò fuisse columnæ, eorum commentum est. Perspicitur ergo nihil aliud hos impostores, quàm immensum quoddam mendaciorum pelagus coaceruare conatos esse. In quo tantum sibi licentiæ tribuerunt, ut ex cauda asini, quo Dominus gestatus est, reliquias fingere non sint veriti. Ea enim Genus monstratur. Sed eorum impudentia non magis commoueri nos decet, quàm amentia & stupiditate hominum, qui summa religione tale ludibrium amplexi sunt.

Hic obijcere posset aliquis, non esse verisimile reliquias, quæ iam nominavi, tanta pompa ostendi, quin simul allegari possit unde profectæ, & è cuius manu receptæ fuerint. Ad id unico verbo respondere liceat, tam perspicuis mendacijs nullam verisimilitudinem obtendi posse. Quantumcunque enim sese Constantini, aut regis Ludouici, aut alicuius Papæ nomine inuuant, ea omnia nihil ipsos iuuant, quò probent Christum quatuordecim clauis affixum cruci: aut septem quandam integram, spineæ coronæ conficiendæ implexam: aut mucronem lanceæ tres alios peperisse: vel tunicam ipsius ita multiplicatam, ut tres productæ sint: vel immutasse formam, ut ex tunica fieret missaria vestis, quæ nihil habet simile: vel ex unico sudario, tanquam ex gallinæ pullatione tantum numerum prodijisse: ac Christum aliter sepultum fuisse, quàm Euangelistæ referunt. Si plumbi massam ostendens dicerem: Aurum hoc mihi à tali principe datum est, meritò demens esse censerem, neque ob assertionem meam, plumbi color aut natura immutaretur, ut aurum fieret. Sic cum dicitur: En quod Godefredus Biliomius in has regiones misit, postquam Iudæam subegisset, ratio autem aperte repugnat mendacio. An ita sinemus nobis verba dari, ut non intueamur ea quæ oculis nostris patent? Enimuerò ut sciant omnes quàm tutum sit fidem adhibere ijs quæ pro reliquiarum suarum approbatione adducunt: notandum est, præcipuas & maximè authenticas quæ Romæ visuntur, à Tito & Vespasiano (ut aiunt) allatas esse. Est autem commentum nihilomagis vasuum, quàm si diceretur Turca Ierosolymam profectus, ut inde crucem Domini Constantinopolim afferret. Vespasianus priusquam imperator factus esset, partem Iudææ subegit, ac vastauit. Postea, cum imperium esset adeptus, Titus eius filius quem in Iudæa legatum suum reliquerat, Ierosolymam cepit. Erant autem Ethnici, quibus non magis curæ erat Christus, quàm qui nunquam natus esset. Itaque iudicari potest, an non perinde audacter ausi sint mentiri, cum Godefredum Biliomium, aut regem Ludouicum allegarunt, quàm cum Vespasianum authorem laudant. Præterea, animaduertant quo iudicio præditi fuerint, tum rex ille, quem Diuum Ludouicum vocant, tum eius similes. Erat quidem in illis species religionis, & zelus qua-

lis cunq̄ue propagandi nominis Christiani: sed sic caprarum stercora eis ostensa fuissent, ac simul dictum fuisset coronas esse *Diux Mariæ*, ea sine vlla contentione adorassent, vel huc importassent suis nauibus aliquo in loco honorificè collocanda. Ac certè, & opes & corpora sua consumpserunt, atque etiam diuiones suas bona ex parte exhaurerunt, vt aceruum nescio quem nugarum ac minutiarum referrent, quibus fascinata erant ipsorum mentes, quòd pretiosissima monilia esse existimarent. Vt clariorem adhuc rei demonstrationem præbeam: notandum est, in vniuersa Græcia, Asia minore, & Mauritania, quæ vulgò Indorum regio vocatur, antiquaria quæcunq̄ue miseri isti idololatras se habere putant, ostendi cum magna affirmatione. Quid de ijs ac de illis iudicandum est? Dicent nostrates illinc reliquias allatas esse. Christiani qui adhuc illic morantur, affirmant eas se habere, & stultam iactationem nostram rident. Quomodo lus ista dirimi poterit sine inquisitione, quæ fieri nullo modo potest, nec vnquam fiet? Quamobrem, vnicum remedium est, spretis vtrisque, rem, vt est, in statu suo relinquere.

Vltimæ reliquie quæ ad Christum pertinent, sunt quæ ipsius resurrectionem sequuntur: veluti piscis a si frustum, quod Petrus ei obtulit, cùm ad litus maris apparuisset. Verùm, mirabili condimento ipsum aspergi oportuit, vt tam diuturno temporis spatio seruari posset. Sed, prætermissis iocis, an existimandum est Apostolos ex eo reliquias fecisse, quòd prandij causa parauerant? Quisquis apertam hîc irrisionem Dei non perspiciet, cum ego vt belluam ampliore monitione indignam relinquo. Est præterea miraculosus sanguis qui ex pluribus hostijs manauit: vt Lutetiæ ad Ioannis Arenarij: item, ad Ioannis Angelici: item, Diuioni, & plerisque alijs in locis. Atque, vt aceruum maiorem efficerent, sacrum cultellum addiderunt, quo Lutetiæ à Iudæo quodam hostia transfixa fuit, quem miseri Parisienses maiore reuerentiâ, quam hostiam ipsam, prosequuntur. Quod, Doctor à quercu iniquè ferens (nam cùm parochiam teneret Diui Ioannis Arenarij, donaria quæ hostiæ offerebantur, illi obueniebant: quantum dabatur cultello, tantum ex eius lucro minuebatur) Iudæis, clamitabat esse deteriores: quòd adorarent cultellum, qui violando sacrosancto corpori Christi instrumentum fuerat. Hoc adduxi, quoniam idem dici potest de lancea, clauis ac spinis: nempe, omnes qui ea adorant, ex sententiâ Magistri nostri à quercu, scelestiores esse Iudæis, qui Christum crucifixerunt.

Similiter ostenduntur pedum vestigia: quæ solo impressit, cùm nonnullis post ascensionem apparet: veluti Romæ, ad Laurentij, in eo loco vbi Petro factus est obuius: eique prædixit ipsum passurum Romæ. Aliud, Pictauij, ad Radegondæ. Aliud apud Suesiones. Aliud, Arelatæ. Non disputo, an Christus pedis sui vestigiū lapidi imprimere potuit: sed de facto tantum disputo: ac dico, cùm nulla adsit probatio legitima, totum id pro fabula habendum esse. Sed præstantissimum in hoc genere specimen est, natium forma, quæ Rhemis in lapide post maius altare visitur. Idque euenisse aiunt eo tempore, quo Dominus latomus factus est, vt atrium templi illius ædificaret. Blasphemiam hæc adeò execrabilis est, vt de ea loqui me pudeat.

Pergamus igitur, & dispiciamus quid de imaginibus ipsius dicatur: non de ijs quæ vulgò à pictoribus fiunt, aut sculproribus & fabris. Earum enim est infinitus numerus: sed de ijs quæ præcipuam aliquam dignitatem habent: singularesque & pretiosæ habentur, ceu reliquie. Harum autem duo sunt genera: nonnullæ enim per

miracu-

miraculum facta sunt: ut quæ Romæ ostenditur ad Mariæ, quæ vocatur in porticu. Item, alia ad Ioannis Lateranensis. Alia in qua effigies Domini, cum duodecim annorum esset, depicta est. Item, alia apud Lucenses, quam ab Angelis effectam esse aiunt: ac vocatur Vultus sanctus. Fabule sunt adeò futiles, ut operam lusurus sim, ac mihi nimium ridiculus & ineptus videar, si ijs refutandis insistam. Quamobrem, obiter eas notasse sufficiet. Nemo enim ignorat picturam ad Angelorum munus minimè pertinere: atque Dominum longè aliter à nobis cognosci velle, atque in memoriam nostram reduci, quam per mortuas imagines. Eusebius refert in historia Ecclesiastica, eum regi Abagaro imaginem suam ad viuum depictam misisse: verùm, id haud plus certitudinis habet, quam aliquod ex chronicis Melusinae commentum. Sed tamen si ita esset, quomodo eam ab Abagaro rege nacti sunt? Romæ enim eam se habere iactant. Non dicit Eusebius illam ad sua usque tempora integram mansisse: sed ex auditu tantum loquitur, tanquam de re longo iam tempore transacta. Credibile scilicet, eam sexcentis aut septingentis postea annis suscitatum, atque à Persia, Romam usque venisse. Eodem modo crucis imagines fabricati sunt, ut corporis. Nam Brixie iactant eam se crucem habere, quæ Constantino apparuit. De qua aduersus eos mihi non est litigandum: sed eos mitto ad Curtonenses, qui eam apud se esse constanter asseuerant. Litigent ergo inter se. Qui litem obtinuerint, tunc prodeant, eisque respondebitur. Quamquam facilis sit responsio, qua dementiæ conuinci possint: nam quòd scriptores nonnulli dixerunt, Constantino crucem apparuisse, de cruce materiali intelligendum non est: sed de figura, quæ per visionem ipsi in cælo exhibita fuit. Quamuis igitur id verum esset, tamen facile perspicitur eos nimis stupidè aberrasse. Itaque imposturus suis absque fundamento extruxerunt.

Quòd attinet ad secundam speciem imaginum, quæ pro reliquijs habentur ob quædam miracula quæ ediderunt: in hoc numero sunt imagines crucifixorum, quibus barba crescit. Ut quæ Burguisæ est in Hispania. Item, ad Saluatoris, & Aurengiæ. Si in hoc insistam, ut demonstrarem quantæ sit dementiæ, aut potius quàm belluinæ stupiditatis id credere, ridiculus ero. Est enim res adeò per se absurda, ut in ea refutanda operam consumere minimè necesse sit. Tamen misera plebs adeò hebes est, ut maior pars non minus certum id esse putet, quam Euangelium. In hunc ordinem redigo crucifixorum imagines quæ loquuntur sunt: quorum magna est multitudo. Sed exempli causa, vna contenti sumus: ea scilicet quæ est ad D. Dionysii in Francia. Loquuta est, inquiunt, ut dicatam esse ecclesiam restaretur. An rei magnitudo id posceret, cogitandum relinquo. Sed adhuc quæro, quo modo crucifixi imago tunc in templo esse potuit, cum in dedicatione, omnes imagines soleant è templis erui? Quomodo sese tunc suffuratus est, ne cum cæteris transferretur? Videmus sanè nihil eos negotij sibi esse putasse in fallendo mundo: cum pro nihilo duxerint, si apertè sibi ipsi repugnarent: sed illis satis fuit, mendacia pleno ore euomere: minimè præcauentes ea quæ obijci poterant. Denique sunt & lachrymæ: Vna Vindonici, alia Treueris, alia apud D. Maximinum, alia Aureliæ ad Petri Puellaris, præter eas quæ mihi sunt incognita. Alia, ut aiunt, sunt naturales: ut ea quæ est apud Diuum Maximinum: nam, iuxta eorum chronicon, decidit Domino, cum Apostolorum pedes ablueret. Alia sunt miraculosa. Quasi credendū sit ligneas crucifixi imagines adeò stomachosas esse, ut lachrymentur. Verùm, eis hæc culpa ignoscenda est: ipsos enim puduit minora à suis,

quàm ab Ethnicorum statuis, effici. Fingebant autem Ethnici, idola sua interdum lachry mari. Itaque hæc illis iure adiungi, & in eundem ordinem redigi possunt.

Quòd ad virginem Mariam spectat, quia corpus eius in terris esse negant, adempta est eis occasio iactandi se ossa ipsius habere. Alioqui eos suasuros fuisse arbitror, corpus ei tantæ fuisse magnitudinis, ut sarcophagum mille cadauerum implere posset. Cæterum, quod in toto corpore negabatur, id sibi vendicarunt in capillis & lacte. Capilli aliqui monstrantur Romæ, ad Mariæ supra Mineruam: ad Saluatoris in Hispania: Marisconæ, Cluniaci, Nuceriæ, ad Sanfloridi, ad Saniacquerij, ac plerisque alijs in locis. Locos autem annumerare ubi lac ostenditur, minimè necesse est. Nullus enim esset operi finis. Nec enim vllum est tam paruum oppidulum, nullum tam vile cœnobium, siue Monachorum, siue Monialium, ubi non aliquid monstratur. Plus in nonnullis, in alijs minus. Non quòd eos puduerit iactare se plenas habere amphoras: sed quia videbatur rectius eorum fore mendacium, si tantulum haberent, quantum in exigua pixide, aut vitrea, aut crystallina posset contineri: ne res propiori aspectui pateret. Verùm etsi sanctissimæ Virgini mammæ distentiores fuissent quàm vacca, ac toto vitæ suæ tempore nutritrix fuisset, vix tamen eis tantum lactis reddere potuissent. Rursum libenter quaerere, quomodo lac istud, quod hodie monstratur ubique, colligi potuit, ut in tempus nostrum seruarietur? Neminem eum adèd curiosum fuisse legimus. Legitur quidem pastores adorasse Christum: Magos ei munera obtulisse: sed nusquam legimus eos lac abstulisse loco præmij. Refert Lucas id quod Simeon Virgini prædixit: petuisse verò lac à Virgine, non refert. Si tantum hoc spectetur, maiore argumentatione opus non est, quo patefiat: quàm alienum sit ab omni ratione hoc delirium, atque omni specie careat. Mirum profecto quòd istis in mentem non venerit, ei amputare ungues, aliæque eiusmodi, cum nihil aliud de eius corpore nancisci possent: sed non omnium fortasse memores esse potuerunt.

Cætera quæ habere se iactant de reliquijs Virginis, sunt de eius sarcinis, aut suppellectile. Primum, Carnutis est quædam interula, quæ idolum est satis celebre: alia etiam Aquis, in Germania. Vnde eas nacti fuerint, prætermitto: nam certissimum est Apostolos, cæterosque pios homines, non tam stolidos fuisse, ut animum in rebus adèd friuolis occuparent. Verùm inspiciatur tantummodo forma: ac protinus cedam, nisi oculis ipsis eorum impudentia cernatur. Cùm Aquis in pompa circumfertur interula, quam ibi esse diximus, appenditur perticæ, æquè longa, ut alba sacerdotalis, quam vocant. Atqui, licet virgo Maria fuisset ex gigantum progenie, vix tamen adèd grandem interulam gestasset. Vt autem reddatur illustrior, simul feruntur D. Iosephi caligula, quæ puero prorfus aut nano aptæ forent. Vetere prouerbio dicitur, Mendacem memorem esse oportere, ne obliuione lapsus, in seipsum impingat. Malè profecto obseruata ab eis fuit hæc regula, cùm de proportione, inter caligus viri & interulam uxoris constituenda non cogitarunt. Nunc excurrant homines cum summa religione exosculatum tales reliquias, quæ nullam omnino speciem veritatis habent. Pepla duo tantum scio, vnum Treueris ad D. Maximini: alterum Lisii in Italia. Sed animaduerti vellem cuius telæ sint, simulque an eo tempore in Iudæa talis formæ vsus fuerit. Vellè etiam ambo inter se conferri: ut quæ sit inter ea similitudo cerneretur. Est autè Bononiæ quoddam eius pittaciū. Quæret ex me aliquis, an id cōmentitiū esse putem. Respōdeo, me idè existimare, quòd de eo cingulo, quod est Prati: itè de eo quod est ad Mariæ Montisferrati. Itè de crepida quæ est apud Saniacquerium: item de calceo qui apud Sanfloridū esse fertur. Quòd si nihil esset aliud, nemovel mediocr



mediocri prudentia præditus ignorat, talem piorum morem non fuisse, calceos & caligas colligendi, quò ex ijs reliquias facerent: neque ullam eorum, plusquam quingentis, post Virginis decessum, annis, habitam esse mentionem. Quid igitur maiore disceptatione opus est, ac si res esset dubia? Quinetiam hoc sanctissimæ Virgini imponere voluerunt: eam scilicet ornandi sui & comæ peccenda valde curiosam fuisse: duos enim ostendunt eius peccines: vnum Romæ, ad Martini: alterum v. r. s. n. r. i. j. ad Ioannis: præter eos qui alibi etiam ostendi possunt. Nisi id sit Virginem sacrosanctâ ludibrio habere, quid sit ludibriû non intelligo. Nec verò obliti sunt annuli sponsaliorum. Habetur enim Perusij: quia nunc eum morem seruamus, vt vir in sponsione facienda cum vxore, eam donet annulo: talem etiam eo tempore fuisse imaginati sunt. Ac maiore inquisitione neglecta, pulchrû & preciosum annulû in hunc usum statuerunt: nec considerarunt inopiam in qua Virgo sanctissima vitam transegit. De vestibus eius nonnullæ Romæ habentur, ad Ioannis Laterensis, ad Barbaræ, ad Mariæ supra Mineruâ, ad Blasij: item ad Saluatoris in Hispania. Saltem fragmenta quadam sese habere iactant. Audiui etiam alia loca nominari: sed eorum minimè recordor. Tantùm materiam vestium inspici oporteret, quò falsitas deprehendatur. Ipsi enim visum est, tam facile esse Virginem suo arbitrio vestire, quàm idola sua, quibus subinde novos ornatus fingunt.

Supereft vt de imaginibus loquamur: non de vulgaribus, sed de ijs quæ præter cæteras singulari aliqua dote, commendantur. Imponunt autem Lucæ, ipsum quatuor Romæ depinxisse: in eo loco vbi nunc templum est Mariæ, quæ vocatur Inuiolata. Quarum vna illic in sacrario monstratur: eamque deuotioni suæ, vt aiunt, aptauit, cum annulo quo Ioseph eam sibi desponderat. Altera, ostenditur Romæ, ad Mariæ Nouæ, quam etiam à Luca Troade efficiam ferunt: ac postea illuc ab Angelo importatâ. Tertia, ad Mariæ quæ dicitur Ara cæli: ea forma quæ prope crucem erat. Verùm, ad Augustini, præcipuâ omniû se habere iactant: nã si fides ipsis adhibeatur, ea est quam Lucas secû perpetuò gerebat: ita vt eam in sepulchro suo defodi voluerit. Obsecro, quanta hæc blasphemia est, ex sacrosancto Dei Evangelista, nefarium idololatram effingere? Quid verò habent coloris, quo Lucam pictorem fuisse persuadeant? Paulus quidẽ ipsum medicû vocat. Pingedi verò artem vnde isti affinxerint, prorsus ignoro. Quòd si verum esset, hoc artificio usum esse, nihilo tamen verisimilius fuerit ipsum Virginem Mariam, quàm Iouem, aut Venerem, aliudue idolû pingere voluisse. Non fuit certè tunc in more Christianis idola habere, nec longo post tempore is usus inualuit, donec Ecclesia superstitionibus corrupta est. Rursum referti sunt omnes orbis anguli imaginibus, quas à Luca depictas esse ferunt: veluti Cameraci, ac plerisque alijs in locis. Sed quali specie? Tam honesta, ac si quis impudicam fæminam depingeret. Sic eos excæcauit Deus, vt non maior fuerit in ipsis, quàm in bestijs mutus consideratio. Quanquam haud ita mirum mihi videatur, quòd Lucæ Virginis imagines attribuerint, cum idem similiter Ieremiæ ausi sint imponere. Cuius impudentiæ testis est Puteus Auernorum. Iam iam, vt arbitror, miseros homines oculos recludere, ac rem tam perspicuam cernere tempus fuerit. De Iosepho dicere omitto: cuius nonnulli crepidas habent: vt Treueris in cœnobio Simeonis: alij caligas, vt iam diximus, alij ossa: sed exemplum quod iam protuli mihi sufficit, quò tanta stoliditas detegatur.

Hic D. Michaellem subiungam, ut Virginem Mariam comitetur. Ego verò iocari videbor, si de Angeli reliquijs recitem. Comædi enim & histriones ipsi hæc irriserunt: sed nõ propterea desierunt impostores monachi & sacrifici populũ serid fallere. Carcaffonenses enim iactant se eius habere reliquias: similiter & Turonenses, ad Iuliani. Ad magni verò Michaelis, qui peregrinorũ confluxu adeo frequens est, ostenditur eius sica, pugioni puerili persimilis: atq; etiam clypeus ei valde accommodatus. Est enim similis cucurbitulus æreis quæ frænis equorum affigi solent. Nemo profecto est hominum, aut etiam mulierularum, tam hebes, cui quàm ridicula hæc sint, non pateat. Sed quia sub religionis velo tecta sunt hæc mendacia, Deum & Angelos irridere, malum non videtur. At obijcient, Scripturis testatum esse, Michaellem pugnasse aduersus Diabolũ. Verum, si ense vincendus esset Diabolus, validiore & acutiore opus foret, quàm ille sit. Suntne adeo belluini, ut existiment, bellum quod tum Angeli, tum fideles gerunt aduersus Diabolum, carnale esse, atque sicut & mucronibus confici? Verum illud est quod ab initio dixi, mundum id egregie commertum esse, ut belluina hac stupiditate seduceretur: cum adeo peruersa hac cupiditate flagraret, idola & imagunculas Dei viui loco adorandas, vndique coaceruandi.

Ut ordinem seruemus, nunc de Ioanne Baptista tractandum est: qui iuxta historiam Euangelijs, id est veritatem Dei, postquã capite plexus esset, à discipulis suis humatus est. Theodoritus refert sepulchrum eius, quod erat Sebastæ, Syriæ oppido, aliquanto postea tempore ab Ethnicis apertum, ossa fuisse exusta, & cineres in ærem sparsas. Tametsi addit Eusebius, Ierosolymitanos quosdã superuenisse, qui clam inde aliquid subriperunt, & tulerunt Antiochiam: quod postea Athanasius intramurum inclusit. Caput verò, Sozomenus scripsit à Theodosio Imperatore Constantinopolim delatum fuisse. Quamobrem, ut veteres historice testantur, totum corpus, dempto capite, exustũ fuit: ac perierunt ossa & cineres omnes, præter exiguam quandam portionem, quæ clam ab heremitis Ierosolymitanis subrepta est. Nunc quæ de eo exent videndum: Ambiani se faciem habere gloriantur: & in Larua, quam ostendunt, vulnus apparet, quod Herodiadem culro infixisse dicunt. Sed repugnant Ioannis Angelici incolæ, atque eandem partem ostendit. Reliquum verò capitis, pemppe à fronte ad ceruicem vsque, erat quondam in Rhodo: nunc verò, ut arbitror, in Melita. Saliem eius ordinis fratres simularunt sibi à Turca fuisse redditũ. Occiput est Nemorosi. Cerebrũ, Nouij Rantrouiensis. Sed nihilominus ad Ioannis Maiorini pars capitis habetur. Est etiam eius mandibula Vefontione ad Ioannis Maioris. Altera pars est Lutetiæ, ad Ioannis Lateranensis, & extremũ auriculæ ad Sanfloridi in Aruernia: frons verò & capilli, in Hispania ad Saluatoris. Est etiã Nouioduni frustũ aliquod, quod magnifico apparatu ostendi solet. Quadam etiã pars, qualis ea sit ignoro, Luca habetur. Hæcine ita sunt? Nunc eatur Romam: & in Syluestri cœnobio integrum Ioannis caput esse audietur. Fingunt Poetæ quondam in Hispania regem, nomine Gerionem, fuisse tricipitem. Si nostri reliquiarũ fabricatores idem de Ioanne Baptista dicere possent, id ipsis ad iuuanda mendacia sua valde commodum esset: sed cum non sit huic fabula locus, qua excusatione vtentur? Nolo autem ipsos adeo vrgere, ut quæram quomodo sic minutatum concisum fuerit caput ipsius, ut in tot, tamque varios locos diuidi preffit: nec quomodo ipsam nacli sunt è Constantinopoli: solum dico Ioannem monstrum fuisse oportere, aut istos impostores esse impudentes, dum tot eius capitis fragmenta ostendunt.

At, quod deterius est, Senenses se eius brachium habere iactant. Quod veteribus historijs omnibus, ut iam diximus, repugnat. At nihilominus toleratur hæc impostura, imò etiam approbatur, ut in Antichristi regno nihil cēsetur malum, dummodò populum in superstitione retineat. Aliam præterea fabulam excogitarunt: nempe, cum eius corpus exustum fuit, digitum, quo Christū monstrauerat, integrum mansisse, nec vlllo modo fuisse violatum. Hoc autem non solum veteribus historijs consentaneum non est, verum etiam ex ipsis facile potest coargui. Et sebius enim & Theodoretus nominatim referunt, corpus ad ossa vsq; consumptū fuisse, cum Ethnici ipsum rapuerūt. Nec certè talis miraculi obliti essent, si ita accidisset: nam alioqui referendis talibus nugis, plus satis curiosi sunt. Sed tamen si hoc verum foret, ubi sit digitus ille paulisper audiamus. Vnus est Vespontione, ad Ioannis Magni: Tholosa alius: alius Lugduni: alius Biturigibus: alius Florentiæ: alius ad Ioannis fortuiti prope Matisconē. Hic nihil aliud dico, quàm quod lectores omnes rogatos velim, ne aduersus monitionem adeò certam & perspicuā animum obdurent: ne in tam clara luce claudant oculos, quò tanquam in tenebris semper seduci se patiantur. Si prestigiatores essent à quibus ita fascinantur oculi nostri, ut digiti in vna manu sex esse viderentur, tamen eò vsque essemus circumspecti, ut cautionem adhiberemus aduersus imposturam. Hic autem nullus est ingeniosus astus. Tantùm hoc agitur, an credere velimus D. Ioannem digitum esse Florentiæ, & quinque alijs in locis. Idē de Lugduno, Biturigibus & reliquis. Vel, ut paucioribus dicam, an velimus credere sex digitos non nisi vnum esse, aut vnicum esse sex? De ijs tantùm quæ mihi cognita sunt verba facio: nec dubito, si inquirentur diligentius, adhuc totidem alibi reperumiri. Capitis certè alia adhuc fragmenta reperirentur, quæ taurini capitis magnitudinem superarent. Verùm, ne quid prætermitterent, sinxerunt, etiam se eius habere cineres, quorum partem Genuæ, alteram Romæ ad Ioannis Lateranensis esse ferunt. At legimus eos per aëra sparsos fuisse: ac nihilominus iactant se bonam eorum habere partem, ac præsertim Genuenses.

Nunc restant ea quæ proximè ad corpus accedunt: veluti Calceus, qui Lutetiæ est apud Cartusianos, qui ante duodecim aut tredecim annos subreptus fuerat: sed repente prodijt recens alius. Et sanè quandiu supererunt calcearij, non deerunt tales reliquæ. Romæ ad Ioannis Lateranensis, iactant se eius habere ciliciū, de quo in Evangelio nulla fit mētio: nisi quòd refertur eum pilis camelorum indutum fuisse: vestem in cilicium conuertere volunt. Ibidem aiunt se aram habere, super qua in deserto precabatur: ac seio tempore altaria ex omni occasione, & quouis in loco erigere soliti fuissent. Mirum etiam quòd nihil de Missæ celebratione ei imponunt. Auinione est ensis, quo ipsi caput amputatum fuit. Aquis in Germania linteum, quòd sub ipso extensum est cum decollatus fuit. Equidem, vnde tanta spiculatori comitas, libenter scire velim: qui tam benignus ei fuit, ut solum carceris tapetis sterneret, cum vellet eum tam ignominioso mortis genere afficere. Nōne absurda stoliditatis est id comminisci? Enimuè, quomodo ista ad eorum manus peruenerunt? Quàm verisimile est eum à quo interemptus fuit, siue satelles esset, siue spiculator, linteum dedisse, & gladiū suum, ut ex ijs fierent reliquæ? Cum adeo absolutū omni ex parte reliquiarum acervum cogere vellēt, grauius peccarūt in eo, quòd Herodiadis cultū prætermiserunt, quo vulnus oculo eius inflixerat: præterea omnem sanguinem qui effusus est, atque adeo sepulchrum ipsum,

Verum ego ipse falli posse: nec enim scio, an alibi præclara ista monilia reperiatur.

Nunc procedant suo ordine Apostoli. Sed quia multitudo confusionē parere possit, de Petro & Paulo, primū agemus separatim: deinde de cæteris. Romæ sunt eorum corpora. Dimidia pars ad Petri, altera ad Pauli. Atque Sylvestrū ea librasse aiunt, ut æquales utrinque partes distribueret. Vtriusque caput est etiam Romæ ad Ioānis Lateranensis: tamen si in eodē templo, vnus è dentibus Petri separatim habetur. Cū hæc ita sint, non tamen eorū ossa vbiq; esse desinunt. Vcluti Piclauij, mādibula Petri habetur cum barba. Treueris, vtriusq; ossa permulta. Argentone Biturigum, Pauli humerus. Sed quis vnquam finis erit? Vbicunq; enim templa extant ijs dicata, sibi etiam sunt eorum reliquæ. Si quales sint, queratur: reuocetur in memoriam quale fuit cerebellum D. Petri, de quo prius sum loquutus, quod erat ad maius altare huius ciuitatis. Quemadmodum pumicem esse compertū est, sic permulta reperirentur aut equorum aut canum ossa, quæ duobus hisce Apostolis tribuuntur.

Corpora, subsequuntur eorum appendices. Ad Saluatoris in Hispania, crepida habetur. De cuius forma & materia respondere nequeo. Sed existimandum hoc mercature genus simile esse ijs, quæ Piclauij habentur, quæ ex serico raso sunt, & auro segmentata. En ut splendide ornatur post mortem, ut paupertas in qua vitam egit, sarciat. Quoniam huiusce temporis episcopi, dum pontificalem maiestatem representant, ita lautè vestiuntur, derogare sibi viderentur Apostolorum dignitati, nisi idem ipsis affingerent. Pictores quidem imagunculas effingere possunt suo arbitrato, ipsas inaurando, variósque à capite ad calcem adhibendo ornatus: deinde nomen Petri aut Pauli, aut quale ipsis visum est tribuendo: sed non ignoratur quo vestium genere in hoc mundo fuerint induti: haud alio scilicet quàm inopes homines. Est etiā Romæ episcopalis cathedra Petri, cum veste sacerdotali ad Missam celebrandā. Quasi verò eotēpore episcopi thronos habuerint in quibus sederent! At eorum potius officium fuit docere, consolari, exhortari, & publicè & priuatim, ac verè humilitatis exemplū præbere gregi suo: nõ se populo adorandos ostentare, sicuti nostri temporis præsules facere solent. Quòd ad vestem Missariā attinet, nondum introduciuserat mos ille, histrionum in morem se laruandi: nec enim in Ecclesia sicuti nunc, agebantur fabulæ. Itaque, ut Petrum Missaria veste indutū fuisse probet, prius ipsum, sacerdotum Papiasticorum more, cū Deum colere vellet, histrionem egisse cōmonstrandum foret. Missariam quidē vestem ei tribuere potuerunt, cū etiā altare ipsi assignarint: sed neutrū eorum plus altero coloris habet. Quales tunc Missæ celebrabantur, ignotū non est. Nam Apostoli, suo tēpore, cœnam Domini tantū celebrabant, cui altare necessariū non fuit. Qualis bellua esset Missa, omnino ignorabatur: nec multo post tēpore scitum est. Hinc perspicuum eos, dum reliquias suas fabricati sunt, neminem sibi aduersaturū credidisse: cū ita impudenter ac dissolutè ausi sint mentiri. Quanquā nec de altari isto inter se conueniant. Romani enim id se habere affirmant. Pisani itidem ipsum monstrant, in suburbio quod ad mare vergit. Ut autem vndique lucrū colligerent, gladium quo auris Malcho abscissa est, minimè prætermiserunt. Ac si lepidum aliquod monile & reliquiario dignum foret! At verò pedum eius omiseram, quod Lutetia monstratur, ad Stephani, cui à saxis nomen est, quod tanti æstimandum est, quanti aut altare, aut vestis Missatica: eadem enim est ratio. Eius autem scipio, plus aliquanto speciei habet: nam existimandum est, tali ipsum baculo armatum fuisse, dum iter faciebat: sed

distur-

disturbant omnia, dum ipsi inter se conuenire non possunt. Colonenses enim apud se esse constanter asseuerant: similiter & Treueri. Ita dum se inuicem mēdacij arguunt, magnam occasione præbent, vt vtrisque fides derogetur. De cathena Petri, qua ligatus fuit, dicere omitto. Ea ostenditur Romæ, in aede ipsius. Item, de columna super qua capite truncatus est: quæ monstratur ad Anastasij. Tantum lectoribus cogitandum relinquo, vnde accepta est cathena illa, vt ex ipsa fierent reliquiae. Item, vtrum eo tempore super columnis supplicia de hominibus sumerentur.

Nunc de cæteris Apostolis vnâ tractabimus, quò citius absolvamus. Ac primum recitabimus, vbi integra sint eorum corpora: vt vtriusque facta inter se comparatione, quid certi ex eorum dictis colligi possit, iudicetur. Nemo ignorat Tholosates existimare se ex ijs habere sex: nempe Iacobi maioris, Andrea, Iacobi minoris, Philippi, Simonis, & Iudæ. Patavij est corpus Matthiæ. Salerni corpus Matthæi. Ortonnæ verò, Thomæ. Neapoli, aut circa eam regionem, Bartholomæi. Nunc qui eorum duo aut tria corpora habuerint, animaduertamus. Andreas enim, Melphis, alterum habet corpus. Philippus & Iacobus minor, vterque alterum corpus Romæ, ad sanctos Apostolos. Simo & Iudas itidem, ad Petri. Bartholomæus etiã Romæ in aede ipsi dicata. En igitur sex quibus bina singulis sunt corpora. Atque etiam auclarij loco Pisis ostenditur pellis Bartholomæi. Matthiis tamen reliquos omnes exuperat: Est enim ipsi Romæ corpus ad Mariæ maioris: est & tertium Treueris. Præterea ipsi est aliud separatim caput, & brachium separatim, idque etiam Romæ. Frustra verò quæ de Andrea hic atque illic habetur, dimidia saltem ex parte, id cõpensant: Romæ enim, ad Petri, est ei caput: ad Grisogoni, est humerus: ad Eustathij, costula: ad Spiritus, brachium: ad Blasij, pars quædam alia. Aquis Sextijs, pes vnus. Ex ijs simul coniunctis, fient duæ quartanæ corporis partes, modò æqua proportione aptari inter se possint. Vt autem Pisis Bartholomæus reliquit pellē, sic & alteram manum: Treueris, nescio quod aliud membrum: Frenis, digitum: Romæ etiam, ad Barbaræ, quædam aliæ extant eius reliquiae. Itaque non adeo est inops, quin abundet. Cæteris non sunt tantæ copia. Singulis tamen adhuc aliquod frustum abundat. Est enim Philippo pes vnus Romæ, ad sanctos Apostolos: atque etiam, ad Barbaræ nescio quid reliquiarum. Præterea etiam Treueris. In postremis duobus hisce templis, Iacobum habet pro socio: cui similiter est caput ad Petri, & brachium vnum ad Grisogoni: item alterum ad sanctos Apostolos. Matthæus & Thomas pauperiores cæteris restiterunt. Ille enim, præter corpus, nihil habet: nisi ossa quædam Treueris, & brachium Romæ ad Marcelli, & caput ad Nicolai: nisi fortè mihi aliquid exciderit, quod fieri potuit. Quis enim in tanta abyssu non obturbetur?

Quia in chronicis suis corpus Ioannis Euangelistæ euanuisse cõperiunt, simul atque humi defossam fuerat: eius ossa proferre minimè potuerunt. sed vt quod ea in parte deerat, suppleret alia ratione, irruerunt in eius sarcinas. Ac primum eis in mentem venit calix in quo venenū bibit, cum à Domitiano dānatus esset: sed quia duæ ciuitates eum apud se esse voluerunt: aut credendum omnino, quod Alchumistæ aiunt de multiplicatione: aut isti, cum calice suo, mundum ludibrio habuerunt. Vnus est Bononiæ: alter Romæ, ad Ioannis Lateranensis. Postcà, tunicam cõmenti sunt, & cathenam qua constructus erat, dū vinculus duceretur ab Epheso: vnâ cum oratorio, vbi dum in vinculis esset, precabatur. Libenter scire, an tum fabros lignarios conduxerat, qui oratoria ei cõstruerent. Itē, quid familiaritati erat Christianis, cum

custodibus, ut ab eis cathenam nancisci & in reliquiarum numerum collocare possent? Stolidi nimium sunt hæc ludibria: etiam si ludendis pueris fabrefacta essent. Sed monile omnium lepidissimum, est duodecim peccinum Apostolicorum, qui ad Mariæ Insulanæ propè Lugdunum monstrantur. Puto quidem initio illic fuisse collocatos, ut existimarentur ad duodecim Pares Franciæ pertinuisse: sed adaucta postea fuit eorum dignitas, & Apostolici facti sunt.

Cætera paucis expedienda erunt: nam alioqui nunquam hanc syluam egredieremur. Paucis igitur recitabimus quæ habeantur reliquiæ sanctorum, qui tempore Christi vixerunt: deinde veterum Martyrum, atque etiam reliquorum. Ex eo lectores, quid censere debeant, iudicabunt. Anna mater virginis Mariæ, vnum è corporibus suis habet Aptæ, oppido Prouinciæ: alterum ad Mariæ Insulanæ, Lugduni. Præterea vnum è capitibus Treueris: alterum Turenis apud Iuliacenses: tertium in oppido Turingiæ, quod ab ea nomen habet. Omitto fragmenta quæ habentur plus quàm centum in locis. Inter cætera, memini me olim partem quandam Vrsicampi, quod est cœnobium in agro Nouiodunensi, exosculatum esse: atque illic magna reuerentia colitur. Denique alterum brachiorum eius est Romæ ad Pauli. Constituitur hic fundamentum aliquod, si fieri potest.

Sequitur deinde Lazarus, & Magdalena eius soror. Is porro tria tantùm, quod sciam, habet corpora. Vnum Massiliæ: alterum Augustoduni: Aualonæ tertium. Magna quidem inter Augustodunenses & Aualonenses controuersia fuit: sed magnis sumptibus vtrò citrò que factis, perinde vtrique quiescunt, atque causa euicta: saltem in possessione tituli permanere. Quia verò Magdalena mulier erat, eam fratre inferiorem esse oportuit, ideò que duo tantùm habuit corpora: quorum vnum est Veseli, prope Altißiodorum: alterum quod est maioris nominis, apud Sanmaximum oppidum Prouinciæ: vbi caput separatùm est, cum suo, Noli me tangere: quod frustum cere est: ac tamen existimatur nota esse Christi, quam ei iratus impressit, quòd ipsum vellet attingere. Non refero reliquias, tum ossium, tum capillorum eius quæ sparsæ sunt per vniuersum orbem. Qui de his omnibus certi aliquid habere vellet: primùm inquireret, an Lazarus ac Martha & Magdalena eius sorores, vnquam venerint in Galliam Euangelij prædicandi causa. Nam si legantur veteres historiae, iudiciùmque & ratio adhibeatur, perspicuè cernetur stolidissimam omnium esse fabulam, quæ nihilo plus habet speciei, quàm si diceretur, nubes, vitulinas pelles esse: & tamen certissimæ sunt omnium reliquiæ. Verùm, et si ita foret, annon satis erat vno corpore abuti ad idololatriam nisi ex vno, quod vulgò aiunt, Diabolo, duo aut tres crearentur?

Itidem collocarunt in numero diuorū eum qui latus Domini in cruce transsedit, eumque Longinum vocarunt, puerili certè errore: nam cum nomen hoc Græcis lancearium significet, tanquam proprium vnius hominis nomē arripuerunt. Post talem baptismum, duo ei dederunt corpora: quorū vnum est Mantuæ, alterum ad Mariæ Insulanæ, Lugduni. Idem fecerunt de Magis, qui Christū, postquam natus fuit, adoratum venerunt. Ac primùm definierunt eorum numerum, ac dixerunt tres solūm fuisse. Quot autē fuerint, nihil Euangelio exprimitur: & veterum Doctorū nonnulli quatuordecim fuisse affirmarunt: velut is qui cōmentarium imperfectum in Mattheum scripsit, qui Chrysofostomo tribui solet. Deinde cum Euangelista eos Magos, id est Philosophos nominet, isti repētè regiā eis dignitatē sine vlla ditione aut subditis

ditis, tribuerunt. Denique nomina ipsis dederunt: vni, Balthasar: alteri, Melchior: Tertio, Gaspar. Porro vt impunè per nos illis fabulari liceat, certissimum est philosophos illos in Orientem rediisse. Id enim Scriptura testatur. Nec aliud omnino dici potest, quàm eos illic obiisse. Quis eos illinc transtulit ab eo tēpore? Quis eos ita nouerat, vt notare posset, quò reliquias faceret ex eorum corporibus? Verùm, super sedeo: facio enim stultè, cum hæc ad eò ridicula coarguo. Tantùm dico, Colonienfes ac Mediolanenses litigare inter se de bere, quis ea sit habiturus: quia vtrique apud se esse contendunt: quod fieri nequit. Cum lis eorum finem ceperit, quid agendum erit, dispiciemus.

Inter veteres Martyres, Dionysius est percelebris. Habetur enim pro discipulo Apostolorum, & primo Gallorum Euangelista. Ob hanc dignitatem, plerisque in locis habentur eius reliquie: corpus tamen duobus tantùm in locis integrum mansit: Sandionysij Francia, & Ratispona. Quia Franci id sibi vendicabant, Ratisponenses Romæ litem mouerunt, ante centum, aut circiter, annos: quibus corpus sententia definitiua adiudicatum fuit, cum adesset legatus Franciæ: ac per bellum diploma obtinuerunt. Qui apud Sandionysium, quod est in agro Parisino, diceret corpus illic nõ esse, lapidibus obrueretur: qui verò negaret esse Ratisponæ, haberetur pro hæretico: quia sedi Apostolicæ rebellis esset. Itaque consultius erit ab eorum controuersis abstinere. Confodiant, si velint sibi inuicem oculos: sicque nihil proficiat, nisi vt detegant omnia se in mendacijs posita habere.

Stephani verò corpus ita disseccuerunt, vt tamen sit integrum Romæ, in eade ipse dicata: caput Arelata: ossa plus quàm ducentis in locis. Atque vt ostenderet se ijs consentire qui ipsum interfecerunt, consecrarunt etiam lapides, quibus trucidatus fuit. Queretur forsàn vbi reperiri potuerunt, quomodo eos nacli sunt, qua via, è quorum manibus. Respondeo breuiter, stultam esse hanc quæstionem. Vbique enim reperiuntur silices, neque magno constat vectura. Florentiæ, Arelata apud Augustinienses, Viganii in Aquitania. Quisquis oculos claudere, aut omni se intelligentia priuare volet, credet eos ipsos esse lapides, quibus Stephanus obrutus est: qui verò rē parumper expendet, visurus est. Ac certè Carmelita Pictauienses à quatuordecim annis, vnum reppererunt, cui id assignarunt muneris, vt parientibus adesse, easque angoribus leuare posset. Dominicani, quibus costa Margareta destinata huic eidem vsui subrepta fuerat, magnam aduersus eos litem mouerunt: & aduersus talem imposturam vociferabantur: sed illi tandem fortiter obistendo superarunt.

De innocentibus (quos vocant) silere propemodum statueram: quia tametsi eorum velut exercitum colligerem, semper tamen obijcerent id cum historia non pugnare, qua eorum numerus præfinitus non est. De multitudine igitur dicere omittam. Tantùm obseruetur, nullam esse ferè regionem in toto orbe, vbi non aliquis extet. Nunc quero: quomodo tam longo postea temporis interuallo, reperta fuerunt eorum sepulchra: cum pro sanctis non haberentur, dum Herodes ipsos interfecit? Deinde quando allati sunt? Nihil aliud possunt respondere, quàm id quingentis aut sexcentis post eorum mortem annis factum esse. Iudicent imperitissimi omnium idiotæ quid eueniet, si fides tam absurdus delirijs habeatur. Ad hæc tametsi fortè ab aliquo reperi fuissent, quæ fieri posset vt plura eorum corpora importarentur in Galliam, Germaniam, Italiam: vt inter vrbes ad eò inter se remotas distribuerentur? Hanc igitur falsitatem, tanquam perspicuam, & conuictam relinquo.

Quoniam Laurentius in veterum Martyrum numero est, hinc locum ipsi assignabimus. Haud equidem scio corpus ipsius plusquam vno in loco esse: Romæ videlicet, in æde ei dicata: sed vas plenum carnis eius esse seorsum habetur. Item ampullæ duæ: quarum altera sanguinis eius plena est, altera adipis. Item, in æde cui Palisperna cognomen est, brachium & ossa: ad Sylvestri aliæ reliquiæ. Verum si omnia ossa colligerentur, quæ in Gallia solum monstrantur, duo haud dubiè corpora suis partibus absoluta effici possent. Est præterea craticula, super qua assus fuit: tamet si Palisperna illa, de qua iam locuti sumus, fragmentum eius quoddam se habere iactet. Quod ad craticulam attinet, adhuc condonarem: sed sunt aliæ reliquiæ nimium notabiles, quas mihi nefas esset reticere. Veluti carbones qui ostenduntur ad Eustathij. Item, mappa qua Angelus ei corpus absterfit. Cum itaque isti ad excogitanda eiusmodi deliria, otio abusi sint, ut mundo imponerent: qui hanc admonitionem viderint, otium sibi sumant ad hæc consideranda, quò sibi prospiciant ac caueant ne sic in posterum irrideantur. Ex eadem officina prodijt dalmatica, quæ etiam Romæ ad Barbaræ monstratur: quia Laurentium Diaconum fuisse audiebant, existimarunt eum iisdem indumentis ornatum fuisse, quibus eorum Diaconi sese transformant, dum in Missa personam suam agere volunt. Verum, longè aliud munus in Christiana Ecclesia fuit, quàm sit hodie in Papatu. Atque ad gerendam pauperum curam, distribuendâsque eleemosynas creabantur Diaconi, non ad histrionicos ludos agendos: itaque dalmaticis aut similibus laruis, minime opus habebant.

Laurentio, Geruasium & Protasium adiungemus, quorum sepulchrum Mediolani repertum fuit Ambrosij tempore, ut ipse testatur. Similiter Hieronymus, Augustinus, & plerique alij: Ita Mediolanenses etiamnum sibi eorum corpora vendicant. Sunt nihilominus Brisaci in Germania: ac Vefontione, in parochia quæ D. Petro dicata est: præter infinita frustra, quæ varijs in templis sparsa sunt: adeo ut necessariū sit, quatuor ad minimum singulis fuisse corpora: aut ossa abijcienda sunt, quæ falso & mendaciter eorum nomine inscribuntur.

Quia Sebastiano curandæ pestis munus tribuerunt, eò factum est, ut maiore in pretio fuerit, omnesque vehementius illum appetuerint. Effecit hæc existimatio, ut in quatuor corpora multiplicaretur: quorū vnū est Romæ ad Laurentij, alterum Sueßione, tertium Piligni, apud Armoricos, quartum propè Narbonam, in solo eius natali. Habet præterea capita duo: vnum Romæ ad Petri, alterum Tholossæ apud Dominicanos. Sed concaua sunt, si Andegauen sibus Franciscanis fides adhibetur: qui cerebrum se habere iactant. Quinetiam Dominicani Andegauenses brachium vnum habent. Est etiam aliud Tholossæ ad Saturnini: aliud Casedei in Aruernia: aliud Monsbrisonæ Forestanorum: præter minuta frustra quæ in varijs templis habentur. Sed cum bene expensa fuerint omnia, diuinetur vbi sit corpus Sebastiani. Verum, neque his contenti, ex sagittis quibus transfixus fuit, reliquias fecerunt: quarum vna monstratur Lambesci in Prouincia: altera Pictauij, apud Augustinienses: aliæ hinc atque illic sparsæ sunt. Hinc perspicitur eos statuisse, nunquam de suis imposturis rationem reddere.

Eadem ratio in Antonio valuit ad multiplicandas eius reliquias. Quod enim sit, ut fingunt, iracundus ac perniciosus, ita ut incēdat eos quibus indignatur, hac opinione se formidabilē reddit. Ex ea formidine nata est superstitio, quæ desiderium corpor-



corporis eius habendi, commodi causa, exacuit. Ideo Arelaten sis ciuitas multum diuque litigauit cum Antonianis Viennensibus: verum exitus omnino idem fuit, qui in talibus controuersis esse solet: id est, omnia confusa mansere: nam si patefaccienda esset veritas, neutros æquum tueri constaret. Ad duo ista corpora accedit & genus, quod est apud Augustinienses Heluianos: varia item membra quæ Burgi, Matisconæ, Diuionæ, Catalumni, Ouronij, Vefontione, habentur: præterea quæ passim ferunt impostores circumforanei: quorum quantitas haud exigua est. En quid sit damni inferendi famam collegisse: nam alioqui bonus ille Sanctus iaceret in sepulchro, aut neglectus in aliquo angulo latuisset.

D. Petronillam miseram, Petri filiam: cui corpus integrum est Romæ, in æde patri suo dicata. Item, reliquæ quædam ad Barbaræ, seorsum locatæ. At nihilominus Cœnomanii aliud corpus habent in cœnobio Dominicanorum, quod illic percelebre habetur: propterea quod homines sanet à febris.

Quia variæ Sanctæ fuerunt nomine Susannæ, haud satis scio, an eis propositum fuerit vnius corpus duplicare. Corpus quidem vnum Susannæ Romæ habetur in æde ipsi dicata: aliud Tholossæ. Helenæ, non tam prosperè successit: nam præter corpus quod habent Veneti, nihil aliud ex abundanti lucrifecit, quam caput alterum, quod est Colonia ad Gerionis. D. Ursula, in hoc eam superat. Primum enim, habet corpus, ad Ioannis Angelici: deinde caput vnum Colonia: partem etiam quandam apud Dominicanos Cœnomanorum: item apud Dominicanos Turonenses: aliam etiam Bergerati. De eius sociabus, quas vndecim milia Virginum appellant, vbi que haberi potest. Ac certè insigniter adiuti sunt eo cōmento, vt liberius mentiri auderent: nam præter ossa quæ Colonia sunt, quæ onerandis quadrigis centum sufficerent, nulla est ferè vrbs in tota Europa, quæ non aliquo in templo, aut etiam pluribus ijs ornata sit.

Si vulgarium Sanctorum lustrationem inciperem, syluam ingrederer, vnde mihi nullus pateret exitus. Quamobrem exempla aliquot adducere mihi sufficet, ex quibus poterit de reliquis ferri iudicium. Pictauij duæ sunt Ecclesiæ, quæ de Hilarij corpore inter se contendunt: nempe canonici ædis ipsi dicatæ, & monachi Sella. Controuersia adhuc vnco appesa est, quoad visitatio fiat. Interim idololatra, duo vnius hominis corpora adorare cogentur: fideles verò de corpore eius minime solliciti, ipsum, vbi que fuerit, sinent quiescere. D. porrò Honorati corpus est Arelatæ: est etiam Insule Lyrinorum, prope Antipolim. Aegidius vnum è corporibus suis habet Tholossæ: alterum in oppido Aquitaniæ, quod ab eius nomine vocatur. Guillelmus verò, in cœnobio Aquitaniæ, cui nomen est D. Guillelmi à deserto: item in oppido Holsatiæ, quod vocatur Ecrichenū, vbi etiam caput seorsum habetur. Quamquam ei sit & aliud caput in suburbio Tureni Iuliacensium, apud Guillelmitanos. Quid dicā de Symphoriano, cuius tam varijs in locis & corpus & ossa extant? Similiter de Lupo, qui est Altisiodori, Senis, Lugduni, eundemque Geneuæ esse fingebant? Itidem de Ferreolo: cuius integrum corpus est Vtica in Aquitania, & Briodæ Aruernorum. Saltem transigerent inter se, ne tam apertè proderent mendacia sua: sicuti canonici Treuerenses, cum Leodiensibus de capite Lamberti. Conuenerunt enim de oblationibus pro certa pecuniæ summa: hac lege ne interim ipsum publicè ostenderēt, ne prodigij loco esset, si duabus in ciuitatibus adeo vicinis conspicerentur. Verum id ipsum est, quod inuitò dixi, nunquam eos existimasse vllum obseruatorem

proditurum, qui ad tantam impudentiam coarguendam, vel hiscere auderet.

Posset autem rogare quispiam, quomodo isti reliquiarum structores, res multas veteris Testamenti, easque notabiles, omiserint: cum absque ratione cumularint omnia, quæ ipsis in mentem veniebant, & veluti flando, quicquid ipsis libebat fabricarint. Huic quæstioni nihil aliud respondeo, quàm quòd eas aspernati sunt, quia haud magnam ex ipsis vtilitatem se habituros sperabant: tamen si prorsus eas obliti non sint. Romæ enim iactant se ossa habere Abrahamæ, Isaac & Iacob, ad Mariæ supra Mineruam. Ad Ioannem etiam Lateranensem, iactant se arcam fœderis, cum Virgâ Aaronis, habere. Et tamen eadem Virgâ est Lutetiæ ad sacri Sacelli: atque etiam Saluatorenses in Hispania aliquod fragmentum tenent. Præterea Burgalenses Virgâ D. Martialis, quæ ad Severini môstratur, eam ipsam esse asserunt, quæ Aaronis fuit. Videntur profectò ad æmulationem Dei, miraculum novum edere voluisse: nam cum eius virtute Virgâ in serpentem conuersa fuerit, ita nunc eam in tres virgâs conuerterunt. Fieri quidem potest, vt plerasque alias eius generis nugas habeant: sed verbum hoc attigisse sufficiat, quo pateat eos tam fideles se in hac parte, quàm in cæteris præstitisse.

Nunc lectores rogatos velim, vt id meminerint quod initio dixi: nempe, mihi inquisitores non fuisse ad manû, qui omnium regionum, quarum hîc mentionem feci, sacraria lustrarēt. Quamobrem id quod de reliquijs dixi, ne sic accipiat, quasi integrum sit, aut absolutû inuentarium earum quæ reperiri possent. Germanicas vrbes circiter sex, plus minus, solùm nominavi. Hispanicas tres, quod sciã. Italicas circiter quindecim. Gallicas triginta, vel quadraginta. Nec quicquid apud eas reliquiarum est, teneo. Coniecturam igitur secum vnusquisque faciat, qualis farrago foret, si reliquiarum multitudo, quæ in orbe Christiano sunt, ordine describeretur: in ijs duntaxat regionibus, quæ nobis nota sunt, & in quibus versamur. Hoc enim præcipuè notandum est, omnes reliquias, quæ in Europa de Christo & Prophetis monstrantur: etiã reperiri in Græcia, Asia, cæterisque regionibus, vbi aliqua extant Ecclesiæ Christianæ. Nunc quæro, cum Orientalis Ecclesiæ Christiani dicant penes se habere illa omnia, quæ apud nos esse putamus, quid in eare statui, aut definiri poterit? Si aduersetur ipsis, excipientes hoc corpus allatû fuisse à mercatoribus, illud à Monachis, aliud ab Episcopo: partem spineæ coronæ, ab Imperatore Cōstantinopolitano, missam ad regem Galliarum: alteram, quæ sita bello: sicque de singulis: ridentes quatiant caput. Quomodo dirimentur hæc controuersia? Est enim in ancipitibus causis ex coniecturis iudicandum. Hac ratione semper obtinebunt. Quæ enim sua ex parte proferunt, verisimiliora sunt ijs, quæ hinc poterunt quomodocunque obtendi. Hic certè nodus difficilis ad soluendum, apud eos qui reliquias tueri volunt.

Vt finem faciã, lectores obtestor per nomen Dei, vt ad veritatem, interim dum apertè ipsis pateat, animum aduertant, atque agnoscant id singulari Dei prouidentia factum esse: vt qui miseram plebem ita seducere voluerunt, ad eò cæci fuerint, vt de obregendis mendacijs suis nunquam cogitarint: sed, veluti Madianitæ, oculis confixis, secum ipsi pugnare cœperint. Quemadmodum videmus istos inter se bellum gerere, ac mutuò sese arguere mendacijs. Quisquis obstinato, ad veritatem sponte impugnandam, animo esse nollet, etiamsi nondum plane intelligat, execrabilem esse idololatriam, reliquias vllas adorare, qualescunque sint, aut veræ, aut falsæ: cum tamen falsitas erit ad eò conspicua, nunquam ipsi cordi erit vllas osculari: &

qualicumque antea religione ductus fuerit, omnem earum gustum amittet.

Hoc quidem præcipuum foret, sicuti ab initio dixi, Ethnicam istam consecrandarum reliquiarum superstitionem, inter nos aboleri, qui Christi nomen profiteamur: siue ipsæ Christi sint, siue Sanctorum, quò ex ipsis emergat idola. Talem enim pollutionem ac spurcitiã, nullo modo deceret in Ecclesia tolerari. Id quod antea rationibus & testimonijs Scripturæ demonstrauimus. Si quis eo cõtentus non sit, veterum patrũ morem & usum spectet, quò sese conformet ad eorum exemplum. Per multos Patriarchas, Prophetas, Reges, aliique fideles sub vetero Testamento existerunt. Plures ceremonie institutæ fuerunt à Deo, quàm hodie à nobis deceat obseruari. Quin etiam sepultura ipsa, maiorem tunc, quàm hodie, apparatus requirebat: quò figuris suis representaret resurrectionem gloriosam, quæ nondũ ita aperitis verbis, vt hodie, reuelata erat. An legimus Sanctos vnquam erutos fuisse è sepulchris, quò ex ijs pueriles pupæ fierent? An Abraham, omnium fidelium pater, sic in sublunari elatus fuit? Sara etiam princeps in Ecclesia Dei, an è fossaeducta est? Nõne cum alijs Sanctis, in quiete relictisunt? Atque adeò Mosis ipsius corpus, Dei voluntate occultatum fuit, ita vt nunquam potuerit reperiri. Nõne Sathan cum Angelis, vt inquit Iudas, ob eam causam contendit? Quare Dominus ipse: remouit à conspectu hominum: Diabolus verò reducere conatus est? Nimirum, vt fatentur omnes, Deus populo Iudaico idololatria occasionem adimere contra, Diabolus eam stabilire voluit. At populus ille, dicit quispiam, ad superstitionem procliuis erat. Nos verò, quales sumus? Nõne maior est Christianorum, in hac parte, quàm Iudeorum perversitas? Quid in Ecclesia veteri actum fuerit animaduertamus. Fideles quidem Martyrum corpora eripere semper studuerunt, ne à feris & auiibus lauiarentur, eoque honestè sepelierunt: sicuti de Stephano & Ioanne Baptista legimus. Verum, id agebant, vt conderentur terra, atque illic usque ad resurrectionis diem quiescerent, non vt collocarentur in hominum conspectu, quò omnes sese ad ea prosternerent. Nunquam infœlix hæc consecrandi pompa in Ecclesiam introducta fuit, priusquam euersa & quasi profanata fuerint omnia: partim stupiditate Præsulum ac Pastorum, partim auaritia, partim quò consuetudini, quæ iam inualuerat, nequirent obsistere: quò etiam populus sponte decipi vellet, animum ad nugas pueriles, potius quàm ad veram Dei adorationem adijciendo. Quamobrem si queratur solida huius corruptelæ emendatio, dirui atque funditus everti necesse foret, quò ab initio perperam, & aduersus omnem rationem institutum fuit. Quòd si quis ad intelligentiam istam primo gradu peruenire non possit, pedetentim saltem progressum faciat: ac primùm recludat oculos, atque ad discernendas reliquias, cum offerentur, iudicium adhibeat. Id porò haud difficile est ei qui attendere volet: nam inter tot mendacia adeò perspicua, qualia sunt ea quæ protuli, ubi deligentur veræ reliquie, de quibus certi aliquid haberi possit? Præterea, quæ attigi, præ ijs quæ restant, pauca sunt. Quin etiam dũ libellus hic excudebatur, de tertio præputio Domini sum admonitus, de quo nullam mentionem fecerim, quò Hyldeſneymi ostenditur. Est etiam aliorum similium quedam infinitas. Denique, visitatio longè plura detegeret, quàm dici possit. Caueat ergo vnusquisque, ne se instar bestię transuersum rapi & in errorem adduci sinat, nullamque interim viam cernat aut semitam, quæ tuto dirigatur. Memini quæ, me puero, imaginuculis parochiæ nostræ fieri solebant. Cum Stephani festum appropinquabat, ornabantur carnifices, qui ipsum

lapidibus obruebant, tum fertus, tum monilibus, non minus quam Stephanus ipse. Eos dum mulierculæ cernebant ita ornatos, Stephani socios esse existimabant. Itaque, sua unicuique candela offerebatur. Quinetiam, id fiebat Diabolo Michaelis. Idem accidit in reliquijs. Sic confusa ac permixta in ijs sunt omnia, ut Martyris alicuius ossa haberi nequeant, quin periculum sit ne latronis aut furis, vel etiam asini, aut equi, aut canis ossa adorentur. Annulus D. Mariæ aut pecten, aut cingulum adorari non potest, quin periculum sit, ne ex mundo scorti cuiuspiam aliquid adoretur. Quamobrem caueat à periculo qui vult. Nemo enim posthac ignorantia excusationem poterit obtinere.

## DE VITANDIS SUPERSTITIONIBVS, quæ cum sincera fidei confessione pugnant.

Libellus Ioannis Caluini.

EIVSDEM EXCVSATIO AD PSEUDO-  
NICODEMOS.

Philippi Melanthonis,

Martini Buceri,

Petri Martyris responsa de eadem re.

Caluini vltimum responsum cum appendicibus.

Quibus accessit responsum Pastorum Tigurinae Ecclesiae.



**M**ULTI saepe de me quærunt, qualiter se gerere debeant inter Papiſtas, ubi Deum purè adorare illis non licet: quin potius coguntur multis ceremonijs vti, quæ aduerſus Chriſti doctrinam pugnant, ac ſuperſtitionibus plenæ ſunt. Ad hanc quæſtionem non eſſet difficilis reſponſio, ſi cum animis ſuis proſus conſtitutum haberent, ſine vlla repugnantia ſequi, quod Dominus oſtendit. Verùm, ſit neſcio quomodo, ut maior pars hominum, poſtquam diſplicere hoc vel illud Deo cognouit, ſibi nihilominus permittat quod Deus prohibet. Atque adeò in hac ipſa cauſa plus centum animaduerti, ſententiam meam non ſecus rogare, ac Baalam conſiliũ à Deo petebat, cum venire cuperet ad regem Balach. Siquidem iam nouerat profeſſionem illam Deo improbari: neque tamen deſinebat petere, ut ſibi cõcederetur. Similiter iſti, cum iam propemodum conuicti ſint in ſuis ipſorum conſcientijs, nefas eſſe proſternere ſe coram idolis, ſciſcitantur tamen quidnam agere debeant: non quò ſubiſciant affectus ſuos Deo, eius verbo acquieſcentes, ſed potius ut frænũ illis laxetur: atque, ut accepta reſponſione quæ ipſorum voto reſpondeat, malo ſuo per vanam adulationem indormiant.

Denique

Denique, sicut dicit Ezechiel, Puluinaria quærunt ad sopiendas suas conscientias, sibi que persuaderi volunt quòd viuant, cum sint in morte. Quia tamen est officij nostri, syncerum veritati testimonium reddere, dissimulare mihi, aut subterfugere integrum non est, quin sensu meum de rebus cognitu vtilibus exponam: præsertim cum id à me postuletur. Verum, quoniam inde manat tota difficultas, quòd magis vulgò spectamus qualiter retineamus hominũ gratiam, quàm qualiter nos Deo approbemus: moritum volo fidelem vnumquenque, & hortor per Christi nomen, vt vim proprijs affectibus asserat, quò se tradat in obsequiũ Domino. Molestum est se conijcere & omnes suas fortunas in discrimen, mundum in se prouocare, probris & infamis se exponere, cedere patria, & in alienam regionem profugere, vbi carèdum sit ijs commodis, quæ in patria suppetebant. Hæc vera esse fateor: verum, quid primum discendum est in schola Christi, nisi vt renuntiemus nobis? Quòd si qui tam sunt imbecillo animo, vt statuere protinus nequeant, quid sibi agendum sit: peto tamè ne sibi adulentur, ne subterfugia quærant, sub quibus frustra se occultent. Sic enim agèdo, rationes supputant sine hospite, vt habet Prouerbiũ: nam sic tergiuersando, non euadunt iudiciũ Dei. Quin potius videmus hoc initium quasi primum ruinæ gradum fuisse ijs, qui se à Dei gratia alienarunt: nempe, quòd cum viderent sibi non esse tutum profiteri coram hominibus, se Christi esse seruos ritè ipsum colendo, iusti & inculpati censerì volebant, cum se multis idololatrijs polluerent. Deinde, cum viderèt, ne hoc quidem modo, suspitionem omnem se posse vitare, de fungi se tamen officio suo putabãt, vtcunque fidẽ suam occultam coniteret, nec verbo vno eam testarentur: nisi fortè cum amicis in secretiore loco inclusi. Interim, taciti patiebantur veritatem Dei conculcari, & quantumuis graues Christo contumelia fierent, non modò non se opponebant, sed potius præ se ferebant quendam consensum: nihil aliud propositum habentes, nisi vt ne quod pietatis suæ signum darent, vnde Christiani agnoscerentur. Sed quid tandem huic hominum generi contigit, qui carnis prudentia, hoc est malo astu, Deo & mundo illudere volebant? Dominus ipsos in horribiles tenebras passus est ruere, ac luce veritatis, qua donati fuerãt, eos priuauit. Ad extremum, eos possedit Satan, ac incitauit aduersus Ecclesiam, vt in eam ipsam doctrinam, quam ex Deo esse cognouerant, furiose scãuerent. Meritò sanè. AEquum est enim, eos, qui veritatem Dei in mendacium vertunt, quò se in sua iniquitate absoluãt, talem sentire vindictam. Quamobrem, etiã si nos infirmitas nostra impediãt, quo minus officium nostrũ impleamus: demus potius Domino gloriam, miseriam nostram fatendo, quàm vt tergiuersando, quæramus inanes prætextus, quibus bis damnemur. Exempla enim iræ Domini, nos admonere debent, vt in eius timore ambulemus.

Quid ergo agendũ est? Principiò, ne nostrum officiũ proprio commodo metiamur: sic enim nunquam perueniremus ad veritatem. Deinde, ne habeamus omnino rationẽ nostram: vt quod carni nostræ expedit, quæramus. Tertio, ne adhibeamus rationẽ nostram in consiliũ, vt à periculis omnibus & molestijs nos eximamus, sed pendeamus toti potius à Dei prouidentia: nec dubitemus quin satis sit potens ad nos inter mille mortes conseruãdos, quoties eòsque venire oportuerit. Sic agendo, nequaquam longa consultatione opus habebimus, nec diu disputandum erit in vranque partem, nunquid cum molestia, cum iactura bonorum, cum vitæ periculo, debeamus Deo parere: num incurrere debeamus in hominum offensionem, quò illius voluntati obsequiamur: sed contenti eius mãdato, sequemur prompto animo, ac sine hæsitacione, tanquam certum iter quod ostendet, exitum illi commendantes. Hæc solara:io est bene in hoc negotio nos gerendi. Referam insigne exemplum, quod apud Augustinum extat. Cum damnatus capite Cyprianus esset, quia nolles

idolis immolare, ac iam ad supplicij locum adductus esset: rogatus fuit, ut vita sua vellet parcere. Ad eoque ipse iudex eum seruare cupiens admonerat, ut apud se cogitaret. Ipse autem breuiter respondit: In re tam sancta non esse cōsultationi locum. Mortem habebat presentem ante oculos: sed quia habebat fixum in animo, parendum esse mandato Domini, hæc cogitatio, omni perplexitate ipsum liberabat. Itaque non obstupefactus fuit, non alternauit dubiis: tantum abest, ut flexus fuerit: sed perstitit inuictus, in eo quod semel conceperat. Nempe, quicquid à Deo statutum est, fixum esse debere apud nos, nec deliberationi hominū esse subiectū. Præclara sententia, & quæ memoriæ nostræ insculpta esse debet: ne diabolica audacia deliberemus nobiscum, an debeamus obedire Deo nec ne: ac si correctores essemus voluntaris eius. Quòd si nobis istud simimus, ut deflectentes ab eius verbo, audiamus nos ipsos, cerò nobis imminet maledictio, quæ denūtiatur per Prophetā aduersus omnes, qui consilia ineunt, & nō ex spiritu Dei: ordiuntur telum, & non ex ore eius.

Esa. 30. 31.

Nunc videndum est, num sic Deus voluntatē suam patefecerit in præsentī causā, ut quisquis verbi eius acquiescere volet, sciat quid rectum sit. Hac quæstione soluta, si quis responsare pergat, litiget aduersus Dominum: & periculum faciat, nunquid superior in hac lite futurus sit aduersus tam validam partem, & malam causam defendens.

Luc. 6.

Primum nobis succurrat, Christum primo scholæ suæ ingressu, omnibus occinere hoc carmen: Quemcunque puduerit mei coram hominibus, pudebit & me illius corā Patre meo & factis Angelis. Videmus non satis esse Domino, si quis eum intus in arcano cordis agnoscit: sed ipsum seuerè exigere, ut externa quoque professione ostendamus apud homines, nos ipsius esse discipulos. Nec verò alia lege in regnum suum nos admittit, &

Rom. 10.

optima quidem ratione. Nec enim fallit Pauli sententia: Sicut corde creditur ad iustitiam, ita ore fieri confessionem ad salutem. Quibus verbis significat non esse verā fidem coram Deo, quin confessionē corā hominibus pariat. In summa, Dominus ad confessionē nominis sui vocat omnes. Quicūque se hinc subducit, aliū magistrum querat. Rogabit hinc quispiā, nunquid omnes in publicū prodire oporteat. Ideo non requiro. Nā cum specialis sit vocatio, publicum docendi munus, minimè necesse est à singulis usurpari: ac ne conueniret quidem. Proinde non iniungo, ut suggestum omnes conscendant ad fidem suam profitendā, vel in compitis eam ut promulgent: sed enim ut quisque pro vocatione sua ad dandam Deo gloriam se comparet. Porro, quoniam Dominus neque tempus, neque locum præfixit, nec modum quousque progredi nos velit, ego etiam non possum certam in his legem præfigere. Verum, se quisque fideliter impendat ad id præstandum, prout occasio & facultas dabitur: cogitans semper in quo vita genere versetur, & quid sibi datum sit à Domino. Quia verò ferè adeò socordes & pigri sumus, nisi subinde stimulemur ad officium, memorabiles illas sententias in animis semper impressas geramus, quæ iubent nos paratos esse ad reddendā omnibus rationē spei quæ in nobis est, & quenque nostrū arrepta proximi manu, de

Esa. 1.

bere sanctis exhortationibus adducere, quos possumus ad Dominum: nam passim talem in nobis zelum propagandi regni Dei, tale salutis fratrum studium requirit Scriptura, ut velit nos toto conatu ad id eniti, neruósque omnes intendere. Sed quia certa regula non extat quæ doceat quousque: superest ut à Domino petamus omnes prudentiam, ut sciamus quidnam expediat. Deinde, ut quisque pro facultate sibi data, pro gradu intelligentiæ, vias omnes tentet, ac occasiones querat utriusque præstandi. Quicquid sit: imitatio Christi sit

Psal. 69.

Ioan. 12.

nobis semper pro scopo. De ipso autem scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. Quo indicatur, tanto flagrasse ardore desiderij, ad conseruandam Dei Ecclesiam, ut nunquam conuicuerit, quin perpetuò in hoc opus incumberet. Rursum audiamus quid de ijs Spi-

ritus pronuntiet, qui Christi nomen confiteri ausi non sunt, postquam in ipsum crediderant. Nempe, quòd magis dilexerint gloriam hominum, quàm gloriam Dei. Nòme hæc misera & nimium peruersa est optio, ut homines Deo præferantur? Cauendum ergo, ne incidamus in huiusmodi condemnationem.

Sed aliud est, quod tractare nunc instituimus. Nempe, an Christianus rectè edoctus in Euangelio, possit citra Dei offensam, dum inter Papiæ habitet, illorù moribus se accommodare: hoc est, num Missæ interesse possit, & reliquis ceremonijs cõmunicare, quæ illic sunt in vsu. Atque ut ansam præcidamus omnibus cauillis, non querimus an dissimulare malum sit: sed an simulare aliquid & præ se ferre, contra veritatem liceat, necne. Dissimulatio committitur, occultando quod quis in animo habet. Simulatio vterq̃ procedit: fingit enim quod non est. Denique, quod est mentiri verbo, id est factò simulare. Iam ut hæc questionem definiamus, notandum est, sicut duplex honor Deo debetur, nempe spiritualis cultus, qui in corde situs est, & adoratio exterior: ita rursum duas esse species idololatriæ. Prior est, cum homo praua opinione polluit ac peruertit s̃ spiritualem Dei cultum. Altera, cum honorem soli Deo debitum, quauis de causa, vel ad creaturam transfert, vel ad imaginem. Incipiamus ergo ab ea obligatione, qua sumus obstricti Deo, ut ritè ipsum colamus. Queritur, satisne sit Deum ab unoquoque clam agnosci, & intus in corde illi dari gloriam. Atqui plus quiddam à nobis requirit, cum præcipit ut nomen suum gestemus tam in corpore nostro, quàm in spiritu: & rationem addit, quia vtrunque suum est. Quòd si hoc non esset præceptum, est tamen euentissima ratio, quæ id nos doceat: nam cum sacro Christi sanguine redemptum sit corpus: quàm absurdum esset coram idolo prosterni! Cum templum sit Spiritus sancti, quàm indignum est pollui tali sacrilegio! Cum destinatum sit ad beatam immortalitatem & societatem gloriæ Dei: minimè conuenit tam foeda macula conspurcari. Discamus ergo, sicuti anima sacra est Deo, ita corpus eius honori esse dicatum. Paulus, dum inuehiur in scortationem, hoc argumento vitur: Cum corpora nostra membra sint Christi, nunquid fas est fieri membra meretricis? Eadem ratione dicere possumus: Cum corpora nostra membra sint Christi, rescindimusne ipsa ex eius cõmunione, & idolorum cultu profanabimus? Proinde, Dominus, cum de seruis suis loquitur, hac nota eos insignit: quòd non flexerint genu coram Baal, nec osculati sint manum eius. Poterat quidem dicere, non esse praua superstitione corruptos, aut non habere Baal pro Deo: verum, exprimere volens, non satis id esse, nominatim dicit, ne externo quidem gestu cultum ipsos exhibere idolo. Hæc descriptione à non admonet nos quoque à tali pollutione esse cauendum, si ex eius populo esse velimus? Id ipsum etiam per Iesaiam docet: *Viuo ego, inquit, mihi flectetur omne genu: & omnis lingua iurabit mihi.* Quibus verbis indicat, se non aliter ritè coli à nobis, nisi externo quoque gestu & corpore, sicut anima, ipsum adoremus. Si quis autem contrà, se coram imagine prosternat: à non ita eius maiestati derogatur? Quid volumus amplius? Nòne disertis verbis prohibet Lex, ne quo honore idola prosequamur? Verbum enim quo illic Dominus vitur, non tantum prauam superstitionem notat, sed impiam profanationem gloriæ Dei, quemcunque in finem spectet.

Est igitur friuola cauillatio, & quæ nihil quàm peccatum auget: causari Deum solo animo esse contenti. Videmus enim hoc falsum esse. Similiter causari, idololatriæ ex superstitione manare: atque ita non posse perpetrari nisi ex animo. Vt cunque enim quispiã apud se idoli rideat, si tamen honorem illi se habere simulat, iam reus est translata in creaturã, Dei gloriæ. Verum, ut omne cauillum tollat: quid est quod possit quispiã hic obtere? Ne gabit se peccare: quia malo non sit animo. Dicit se Deum viuente intus ex corde

colere, quicquid alij faciant. Dicit hoc sibi non esse ignotum: abominationem esse, si quis preces suas ad idolum conuertat, si quis inde auxilium expectet, si quis illud reueretur. Se ergo Deum precari: ut cunque facie ad imaginem conuersus oret. Hoc colore olim tentabant effugere Corinthij, cum hoc ipsum vitium reprehederet in ipsis Paulus. Phratris enim, quæ in idolorum honorem celebrabantur, frequentabant cum alijs: & solemnibus epulis intererant. Id ne agebant superstitione? Nequaquam: nam Paulus tanquam ex eorum persona, hanc excusationem adducit: Scimus idolum nihil esse: quicquid de eo opinentur homines. Scimus vnum esse Deum, & vnum Dominum Iesum Christum. Sed an id satisfacerebat Paulo? Quin potius è conuerso clamat, hoc totum nihil esse, cum exemplo suo infirmos inducant ad colenda idola. Annon infirmus, qui te videt, inquit, cogitat idolum te habere in honore? Ergo commouetur tuo exemplo, ut idolo honorem deferat. Tu quidem sanam intelligentiam in corde reconditam habes. Sed an conuenit, eum pro quo Christus mortuus est, propter scientiam tuam perire? Hac responsione, nonne preteritus omnes reijcit, quibus se plurimi hodie obregere conantur? Asperius etiãnum paulò post loquitur, cum addit: Sicut qui sacrificijs Dei communicant, participes sunt veræ consecrationis: ita, qui se vitiosis & pollutis sacrificijs permiscet, inde profanari. Nugæ sunt, inquit, si quis obtendat, imaginem nihil esse & nihil posse: nam cum impij Diabolo sacrificent, quicunque se in tali actione cum ipsis miscet, Diabolo se adiungit. Atqui, nemo potest simul particeps esse mensæ Domini, & mensæ Dæmoniorum. Nemo bibere simul potest calicem Domini, & calicem Dæmoniorum. Quicumque alterum eligit, alteri renuntiat. Et sanè, si hoc legitimum esset effugium, temerè ac stultè fecissent socij Daniels, in mortem se exponendo. Nonne sic poterant inter se pacisci? Alij quidem statuã adorabunt, sed nos mentibus in cælum erectis, Deum viuente adorabimus. Interea, ut euadamus periculum, erimus inter alios, & simulabimus nos agere quod ipsi agent. An talis cauillatio eos absolue coram Deo poterat? Nullus puto hoc dicere audebit. Quid ergo nobis volumus? Accusabimusne eos zeli inconsiderati, ut se conijcere in fornacem ardente maluerint, quam simulare quidpiam, quod honori Dei derogaret? Atqui, Spiritus sanctus eos commendat in hac constantia. Obijciet quispiam, non omnes adeo robustos esse. Sed quid tum? nam exemplum eorum nobis ad imitationem proponitur.

Ut ad quaerendus vitijs nostris latebras ingeniosi sumus, quidam idoneam solutionem habere se putant, cum respondent: Hac quæ diximus, omnia locum habere in Gentium superstitionibus, idèoque ad statum nostram trahi non debere: nam Gentiles, inquit, peccabant, non tantum prauis ceremonias usurpando, sed etiam comminiscendo falsos deos. Itaque non esse mirum dicunt, si Dominus eorum ritus tantopere execratur. Sed Papiatarum superstitiones longè diuersam rationem habere putant: nam ut cunque vitiatum sit apud illos cultus Dei, non aliud tamen intendunt, quam Deum adorare. Hoc igitur discrimine se armant, quòd illis non videtur tam graue malum esse idololatriam, quæ nomē Dei præ se ferat, quam si qua hoc colore careat. Ego autem ex aduerso respondeo: Simul atque mundus Deum colere aggreditur peruerso & illicito ritu, iam idolum adorare, qualicunque facio impietatem suam pingat. Quicumque ergo superstitiones erigunt à Deo dannatas, frustra asciunt hanc defensionem, se in animo habere, Deum colere: nam cum Deus talem cultum neque ratum habeat, neque probet: Diabolo non ipsi exhibetur. Quæ ratione dicit Paulus, eos qui verterunt gloriam Dei in imaginem corruptibilem, creaturæ non Creatori seruisse. Verum, ut clarius pateat, quam infirma sit hæc defensio, sumamus exemplum ex Scripturis, quæ præfenti causæ conueniant. Serpens æneus non temerè hominum libidine



bidine fabricatus erat, sed Dei mādato: nec symbolum modò erat beneficii diuini, sed Sacramentum, quod Christū figuraret. Posterior aetas illo abuti cœpit ad idololatriam: neque tamen carebat hic abusus specioso pretextu nominis Dei. Nunc scire velim, si quis sciant tunc Serpentē se adorare finxisset, quò se accommodaret superstitioni populi: an esset excusandus? Neminem fore puto, qui cōdemnare dubitet. Vitulus aureus, quem fudit Aarō, ánon in hoc factus erat à populo, vt Deum viuentem repræsentaret? Nam cum edictum promulgasset Aaron, vt conuenirent ad diem festum æterni Dei: id sine controuersia ab omnibus receptū fuit. Ceremonia igitur erat in honorē Dei erecta. Sed cum peruersa foret, ac pugnaret cum veritate, Deus idololatriā esse pronuntiat. Si quis ergo simulasset se consentire, & pretextuisset Dei titulum, fuissetne ideo innoxius? Quis non eum protinus cōdemnet? Cur ergo in simili causa nolimus culpam agnoscere? Tantundem habendam est de vitulis, quos Ieroboam erexit: neque enim profitebatur, se nouum Deum velle inducere: quin potius præ se ferebat se adhærere Deo viuēti. Et sanè non aliud spectabat, nisi vt obuiaret periculo defectionis, statimque regni sui hoc modo conseruaret. Idololatria nihilominus erat: quia ritum instituebat alienum à verbo Domini, & eius mandato contrariū. Si quis illic immolasset, non ex corde, sed tantum in gratiā regis, fuissetne extra culpam? Et ne simus longiores, legimus sine quempiam ex seruis Dei illic vnquam adorasse? Quin potius legimus Deum fortiter hoc vetuisse per suos Prophetas, tanquam scelus execrandum. Vt finem faciam: respondeant mihi, fueritne templum Samaritanum Ioui dicatū, aut Marti? Scimus consecratum fuisse Deo Israel. Licebatne propterea, cuiquam pro illic adorare? Fatentur omnes, grauissimum fuisse futurum crimē, si quis hoc fecisset. Quamobrem, secundum has rationes cōstituo, nihilomāgis fas esse idololatriā se implicare, quæ Dei nomine fucata sit, quàm si aperta esset, quales fuerunt Gentilium.

An equan vltra pergamus, quia iam ostendimus, idololatriā, etiam si committatur sola simulatione, semper displicere Deo, accommodare hanc doctrinam ad tempus nostrum cōuenit. Si quis apud Turcas agat, dubium non est, quin facturus sit impiè ac nefariè, si templum eorum ingressus, eorum superstitionibus communicet. Quòd si quis tam sit impudens, vt hoc excusare ausit: ostendet eo ipso, se cor habere omni timore Dei vacuum. Hæc ratio est: Quæadmodum adoratio, quæ in Ecclesia fidelium Deo exhibetur, solennis professio est, qua testamur ipsum esse Deum nostrū, idque palam apud homines: ita qui se Turcis adiungit in solenni adoratione, Deum verum abnegat. Idolum enim Turcæ colunt Dei loco: cum eorum adoratio sit peruersa & impia. Idem si simpliciter dicam de Papis, durum meritò & iniuum censeatur. Multa enim habemus inter nos cōmunia. Et quamlibet magnum sit dissidium: multò tamen propius inter nos conuenit, quàm nobis conueniat cum Turcis: vel ob hoc solum, quòd ab vno Christo vtrique nominamur. Videndum est ergo, qualiter & quousque homini verè Christiano liceat cum ipsis cōmunicare. De ijs loquor, quibus reuelauit Dominus, quāuis abominationibus scateant Papisticæ ecclesiæ. Quò magis perspicuum sit discrimen, notare conuenit, eorum quibus cultus Dei apud Papisas constat, partem esse excogitatam aduersus Dominum, & prorsus reclamare eius verbo: partē verò alteram deprauatā aut vitiatam fuisse posteriorū abusu, vt cunque ab initio origo mala non esset. Notandum præterea est, quasdam esse ceremonias, quæ nullo modo excusari possunt, quin apertam idololatriam contineant. Alias verò stultas quidem esse & ineptas: sed quæ hominem non contaminent, nisi in illis obseruandis accedat praua opinio. Tertiò, notandum est, quædam esse illic impiè præcepta, quæ seruari tamen ab homine sine offensa queant. Alia autem esse, quæ seruari nec possint vllò modo,

Cultum  
Ishim 8

1  
2  
3  
4  
5  
6

nec debeāt. Operæpretium nō est, minutatim singulas species excutere. Eas enim attigisse sufficit: ne quis putet me adeo austerum esse aut præcisi rigoris, ut velim in totū interdiciere homini Christiano, sine vlla exceptione, ne se Papiſtis vlla in ceremonia aut obseruatione accommodet: neque enim mihi quicquam damnare propositum est, nisi planè malum, & palam vitiosum. Porro, quia hoc non potest liquido comprehendere, nisi exemplis, rem ipsam, qualis est, ante oculos ponamus. Quotidie celebratur Missa. Qui præ alijs religioſi videri volūt, illuc accedunt. Hoccine excusari potest? Qui mediocriter in Evangelio profecit, non ignorat actionem illam abominabile sacrilegium esse. Amabò, potestne quisquam se coram idolo prosternere, & eo consilio, ut omnes putēt eum id facere ex animo, quin grauitè in eo delinquat? Si nullum in ea re delictum est, quid fiet hac sententia Spiritus: vbi vetat ne communicemus operibus infructuosus tenebrarū, sed magis redarguamus? Video opus impium & Deo exosum. Intrò me ingero, fingo me ratū illud habere. Postea, quasi perfricta frōte, ne gabo me peccasse. Quid hoc aliud est, quàm iactare cum impijs, de quibus Dauid loquitur, Faciamus quicquid libuerit: Deus non videt? Sed obtendunt, se non esse auctores actionis. Sibi ergo non esse imputandum id, quod non possunt corrigere. Respondeo: Me nihil aliud reprehendere in ipsis, nisi quòd non abstinent ab eo, quod malum esse nouerunt: quin potius eo se implicando, contaminant. Et sanè non magno negotio os illis in hac parte obstruetur.

In Missa parochiali, multis videtur aliquanto plus esse coloris. Tamen si enim multas illic corruptiones fit ètur esse, quis improbet, quia tamè, eorū opinione, in memosynon est Cœnæ Domini, eam se ita accipere excusant: proinde, quādo illuc accedunt, eo se animo & consilio venire, ut mortis Domini recordentur. Itāne pro nostro arbitrio res transformabimus, ut vocemus tenebras lucem? Obsecro, quid simile habet Sacramentū à Domino institutū, cum hac furragine ex varijs fecibus composita? Principiò, quòd Missam imaginantur Papiſtæ sacrificiū esse, quod Deo reconciliet non tantūm viuos, sed etiam mortuos: an id pro nihilo ducunt? An hoc etiam nihili reputant, quòd Canon, qui tanquā præcipiū Missæ caput est, refertus est execrandis blasphemijs? quòd illic pro mortuis, qui Purgatorio igne torquētur, preces fiunt, quas scimus omnino esse supersticiosas? Si nihil aliud esset mali præter diabolicū hoc figmentū, quòd putant illic Christū offerri Deo, ut tali opere expientur peccata viuorum & mortuorum, nōne iam id abnegare est Christi mortem? quæ in nihilū redigitur, nisi agnoscatur vnicū & perpetuū sacrificium. Nōne etiam hoc modo profanatur sacra Domini Cœna? Duas istas pollutiones certum est nihilomāgis posse à Missa separari, quàm calorem ab igne. Quisquis illuc ad participandum accedit, potestne purus & mundus esse, tale opus perpetrando? Hunc cōne honorem Deo Patri nostro habemus? Hanc cōne gratiam rependimus Christo redemptori: ut cū videamus talem vtriq; contumeliam irrogari, nō modò non reclamemus, sed potius adiungamus nos socios ad tantum nefas? Et quod peius est, alios ut id faciant, inducimus nostro exemplo.

An non nimis impudente est, excusare opus, quo Deus contumelia afficitur, & proximi impelluntur ad exitium? Sequitur deinde idololatria, quæ omnem impietate superat: nempe, cū illic panis frustulum pro Deo adoretur: nec iam censeatur panis, sed Deus ipse. Si Cœna Domini ritè illic administraretur, vera illic esset exhibitio corporis & sanguinis Domini: sed non sequeretur propterea, aut substantiam panis mutatam esse in corpus, aut corpus sub pane inclusum latere: nam ad hoc instituta est Cœna, ut in cœlum nos erigat, non ut detineat in visibilibus signis. Quāquam hæc disputatio hoc loco superuacua est. Quo enim iure pertinet hæc promissio ad Missam? Hoc est corpus meum, quod

quod pro vobis tradetur. Priusquam enim illic quicquam Dominus promittat, Sacramentum inter fideles distribui præcipit. Idne fit in Missa? Quin potius è conuerso, sacerdos, quasi priuatum negotium, seorsum conficit, perinde ac si se, data opera, excommunicare à tota Ecclesia vellet. Putamusne, cum relicto Christi mandato, in contrarium tendimus, ipsum teneri obstrictum nobis: vt cum eo ludamus, tanquam cum puero, vel potius, vt eum, instar pilæ, huc illuc iactemus? Adiungit deinde alterum mandatum, vt mysterium hoc celebremus in memoriam sui, beneficium mortis suæ cum laude prædicantes. Quò hoc in Missa fieri possit, in qua nullum verbum intelligitur? Sed insusurrantur omnia obscuro murmure & incognito. Præterea, sermonem ad nos conuertit Dominus, cum signum panis porrigendo, corporis sui communionem nobis pollicetur. In Missa nihil est tale: sed sacerdos incantatorum, aut prestigatorum more, super panem sufflat, vt eum arcano exorcismo incantet. Quanti hoc putamus valere? Denique, tantum abest, vt sit aliqua similitudo Cœnæ Papiæ cum sacra Domini Cœna, vt dies à nocte non magis sit diuersus. Quo igitur loco adorationem habebimus, quæ illic panis exhibetur? An non execrabilem idololatriam esse fatebimur? Atque adeò crassior, quàm vlla vnquam extiterit inter Gentiles. Nunc videamus, quæ conscientia sistere se illic ausit homo Christianus, vt se alijs conformet. Erigitur idolum in hunc finem, vt Dei loco adoretur & inuocetur: prosterno me in genua, me illud adorare profiteor: & reprehendi me non patiar? Quid hoc sibi vult? Vt nulla vox hominis audiatur: nonne opus authorem satis accusat? Proinde, etiamsi parcant homines, Deus tamen non parcat. Si demus nihil aliud esse mali: non video tamen, quo pretextu tegere se possit fidelis, quin grauiter in eo peccet. Nihilominus quidam omni se ratione destitui videntes, non desinunt tergiuersari: huius vel illius auctoritatem obtendere non cessant. Ille, inquiunt, non tantopere damnat. Sed quid prodest, aduersus Deum, hominum auctoritatem opponere? Proprias ipsorum conscientias testes appello, an non ipsos conuictos teneant.

Quid ergo proficiunt tantopere laborando, vt ab hominibus absoluantur, quando coram Dei iudicio rei sunt? Verùm, hoc est, quod dixi ab initio, multos sciscitari, non vt quid reclusum sit, teneant: sed vt responsonem eliciant voto suo, congruentem. Deus autem, hoc modo, eorum hypocrisin vlcisitur, dum facit, vt inueniant quod quærunt, idque suo exitio. Verùm, quia malum latius patet, quàm hætenus dixerim, quò clarius innotescat res tota, expendamus breuiter, quid soleant facere ferè omnes ad vnum, qui inter Papias versantur: loquor de optimis, qui pro carnis prudentia, de retinenda hominum gratia cogitant. Horum, inquam, vnusquisque, non tantùm die Dominico, ad quæ benedictionem & Missam veniet, sed festis quoque diebus: quorum magna pars ex superstitione instituta est. Illic in honorem illius Sancti, vel illius Sanctæ, canetur Missa. Taceo quales multi sint Sanctorum. Fingamus omnes esse Apostolos, vel Prophetas. Canetur ergo Missa in honorem hominis mortui. Quid magis abominandum, quàm vt sacra Domini Cœna ad talem abusum transferatur? Putamusne Deum passurum, vt tantæ pollutioni sit obnoxia? Deinde, quales illic preces eduntur? Impiæ scilicet, & blasphemys replete. Qualis erit eorum excusatio, qui illis communicant? Sunt autem, sicut dixi, ferè omnes. Quotus enim quisque se excipiet? Si ego ipsis adulari velim, an non

proditor ero veritatis? Iam verò, si vxor ducenda est: cum se fideles Deo & Ecclesiæ offerre debeant ad benedicendum coniugium: ibit ille, quisquis est, & multis histrionicis ineptijs ludet in Dei nomine. Postea, Missam sua pecunia redimet, pro coniugij sui benedictione. Obsecro, Sacerdos, qui Missam vendit, nonne sacrilegus habendus est? Quid ergo sentiendum de eo qui emit? Spiritus pronuntiat, vxorem bonam singulare esse Dei donum. Qui igitur tempore gratiæ agenda essent Deo, petendumque precibus, vt perficiat quod incæpit: tale sacrilegium perpetrando, nonne iram eius prouocamus? Scimus præterea, quo in honore haberi velit Deus coniugium: quantum opere eius sanctitatem commendet, dum illud cum vnitæ spirituali, quæ nobis est cum Christo, confert. Coniugium ergo, quod imago est tam sacræ vñionis, polluemus, initium eius facientes à mortis Christi abnegatione? Non cogitamus tam atrocem eius ignominiam Deum grauitè vindicaturum? Si inde nascatur proles: cum officium p̄j patris sit, filium suum ad Baptismum offerre, secundum puram institutionem Domini: contaminabit hic suos liberos multis peruersis & profanis ceremonijs. Fateor quidem, non ideo intercidere vim Baptismi, quantum ad infantem: quando sacra Domini institutio nullis humanis additamentis aboleri potest: sed non propterea innocuus est pater, vitiofæ huic Baptismi administrationi consentiens. Omitto Iudæas superstitiones, quibus in mulieris purgatione vtuntur. Venio ad familiæ disciplinam. Quotusquisque est, qui seruos suos erudiri caret in timore Domini, secundum purum eius verbum? An non potius vulgare est, ipsos negligere, patique, vt instar pecudum oberrent? Obijciunt, ingens subesse periculum. De periculo in præsentia sileamus. An hoc impedit, quominus fieri debeat? Estne rationi consentaneum, vnumquenque nostrum domi suæ imperare: Deum verò illic contemni, atque etiam probro affici? Quem successum meretur ea domus, quæ Deum pro summo Domino non agnoscit? Quid de seruis loquor? Quàm pauci sunt, qui ausint vxores & liberos purè in doctrina pietatis instituere? Quia tamen in ea re peccatur magis, cessando ab officio, quàm aliquid palàm perpetrando aduersus Dominum: hæc ego vitia vltèrius nunc non persequar. Est enim præsentis instituti, ea reprehendere, in quibus apparet manifesta transgressio. Nemo nostrum est (de ijs loquor, quos Euangeliij luce dignatus est Dominus) qui non fateatur solennes exequias mortuorum quales sunt in Papatu, adiunctis Missis, & alijs accessionibus: item Anniuersaria, meras esse abominationes: quia & res sunt contra manifestum Dei verbum falso confictæ, & quia vim mortis Christi extenuant. Si quem aut ex cognatis, aut ex amicis, aut ex vicinis mori contingat: is qui se Christianum vocat, veniet vnà cum alijs ad funus prosequendum, Missis intererit, & simulabit cum alijs, mortui animam se velle redimere. Quo hic prætextu se teget, nisi sacco madido? vt fert Proverbium. Quòd si patris agantur exequiæ, aut matris, non tantum approbabit hæc sacrilegia, sed etiam sua pecunia redimet. Si Sacerdos Missas vendendo, Iudæ negotiationem imitatur: eritne innocuus, qui eius operam ad id conducit? Præteribo reliquum anni tempus: tantum dicam de die Paschatis. Quid communiter tunc agunt, qui volunt haberi Christiani? Absque difficultate ad Missas accedunt, non tantum vt pareant tyrannidi Antichristi: sed vt blasphemijs omnibus consentiant, quas Sacerdoti libere proferre, & tanquam subscribant consentiendo. Quem admodum enim abso-

lutionem confert sacerdos auctoritate sedis Apostolicæ: hoc est, idoli illius Romani, à quo non potest expectari, nisi exitium: ita qui adsunt, recipiunt tanquam salutarem. Obsecro, cui hoc rectum censebitur? Christianos sistere se, ac prosternere coram Antichristi vicario, ad petendam peccatorum remissionem, quæ à vero Euangelij ministro petenda erat? Iniungit postea idem sacerdos penitentiam. Qualem? Sapius, ut demurmurentur salutationes Angelicæ coram imagine Crucifixi, ut emantur Missæ, aut reliqua eius generis. Quæ conditione, aut in quem finem? Ut ijs tanquam compensationibus Deo satisfiat. Si probari hoc opus potest: non video quid in toto mundo reprehendi possit. Verùm, ne simus equò prolixiores, reputet apud se quisque, quot impie superstitiones triduo illo peragantur. Ab illis autem quotus quisque abstinet? Sunt fortè nonnulli: sed numerus est perquam exiguus. Vbi homo Christianus tota vita in hoc luto defixus haeserit: extremus actus deterrimus est omnium: nempe, in morte. Tunc enim maiore conatu Diabolus ad impetendam eius fidem nititur. Aderunt sacerdotes aut Monachi Sathanæ flabella: quibus etsi non acquiescet, tamen necesse habebit gestu saltem indicare aliquem consensum. Quali conscientia tormento astuare debet, iam mox venturus ad tribunal iudicis sui, quem confiteri non audet? Præsertim, cum hæc sententia eius auribus insonet: Christum abnegaturum omnes, qui eum confessi non fuerint.

Hoc speculum proponere libuit, in quo vnusquisque fidelium, qui inter Papistas degit, vitia sua agnoscat: & quàm misera in conditione versetur. Comprehendi autem breuiter: & multa silentio præterire malui, quàm amplificare mala, quæ iam per se nimia sunt. Proinde, si quis præditus erit timore Domini, cum vitam suam recognoscet, & quot modis impingat: satis argumenti habebit ad se vltrò dammandum, nec hircere pro defensione audebit. Sed quoniam nonnullis satis est habere qualemcunque clypeum, quem opponant: excruciantur sunt illis è manibus, quæ ad patrocinium suum arripere obiecta solent. Exemplum Naaman Syri valde illis familiare est: qui cum professus esset se posthac sequuturum Deum Israel, petijt tamen ab Elizeo, ut sibi cum Rege suo idoli templum ingredi liceret. Et quia solebat Rex, eius humero incumbere, veniam simul petijt, si vnà cum Rege corpus flecteret. Istud permissum est à Propheta. Quamobrem, similem fictionem licere sibi isti volunt. Sed prodeat vnus ex eorum numero: ego ipsum ita conueniam: Amice, vehementer miror, cum in verbo Dei habeas viam vniuersalem, latam & bene tritam, in qua non possis aberrare: quid est, cur in particulare hoc exemplum, tanquam in angustam scimitam, & parum vsitatam, declinare mauis, in qua facilis sit error? Cur ad querenda diuerticula, & rimas perspicendas, tam es acutus, & cacus in videnda porta? An nescis rem esse plenam periculo, particularia exempla sequi, sine alia probatione? Nam quibusdam aliquando permisit Dominus, tanquam priuilegio singulari, quod omnibus in commune prohibuit: similiter quadam tolerauit, quæ tamen non probabat. Non legimus hunc Naaman, de quo agitur, vnquam fuisse circumcisum: neque credibile est. Hinc excusationem captatus, quò tibi à Baptismo abstinere liceat? Quid si excipiam adorationem Dei, & confessionem nominis eius, ex fide manare? Te ergo ad confitentiam fidem cò magis astrictum esse, quò plus intelligentia habes, quàm ipse Naaman: quid contra afferes? Finge hoc tibi

tantum à me responderi. Non mirum est, si cum tali permissione dimittitur Naaman à Propheta: cum exiguam tantum intelligentiæ scintillam haberet. Tu vero, qui ampliore intelligentiæ mensura præditus es, debésne ad hanc regulam exigere tuas actiones? Deus sophista non est: neque sophisticis istis effugijs eluditur. Hoc responso audito, effésne coram Deo quietus? Verum, longè aliud habeo, quod istis nugatoribus respondeam. Dico eos perperam abuti Scriptura: & planum hoc faciam ijs, qui volent rem expendere. Principiò, notandum est, præfectum regium, quandiu in superstitione vixerat, magno apparatu sacrificare solitum fuisse: cum mediocres etiam homines hoc facerent. Quid autem pollicetur Naaman? Inter alia vouet, se posthac sacra non facturum, nisi vni Deo Israel. Id autem, quid aluderat, quàm publicam & omnibus notam professionem edere: vnde mundus intelligeret, ipsum non esse amplius idololatram: ac si hoc præeunte tubæ clangore enuntiasset? Cui enim fuisset dubium, ipsum dijs valedixisse, quibus amplius non immolaret, cum antè fuisset perpetuò solitus? Præterea, mulos duos onerat terra Israelis, in qua Deum viuentem adoret: ne terræ profanæ contagione polluat, si illic sacrificet. An non hic quoque habemus solennem professionem, qua testatur omni hæsitacione sublata, se abhorre à superstitionibus Syrorum? Sed postea veniam sibi concedi postulat, si templum Remon ingressus fuerit. Si hoc facit, vt adorationem idoli simulet: fatcor hoc ipsis nonnihil suffragari. Verum, rem secus habere constat. Sic enim sonant verba: Si Rex dominus meus, fortè ingressus fuerit templum Remon, & super humerum meum innixus adoret: ego quoque similiter adorem, ne hoc impuet Dominus seruo suo. Adorare hic, pro Flectere, aut inclinare corpus accipitur. Cur nominatim hanc conditionem apponit? Si Rex humero meo incumbens adoret: nempe, vt significet inclinationem hanc, fore ciuile officium: ne Regem impediatur. Ergo, quòd corpus inflectebat, in eo nulla erat idololatriæ simulatio: sed ciuile obsequium, quod Regi exhibere consueuerat. Quicumque ergo, exemplo Naaman tueri se voler, primum se purget omni suspicione idololatriæ: & palàm ostendat à superstitionibus se esse alienum. Postquam id testatum fecerit, ego nullam illi controuersiam, aut litem mouebo. Verum, nunc in tanto discriminis intervallo, quàm ridiculum est, ipsos hoc operculum obtendere? Nam quod faciunt, huc spectat, vt videantur idololatriæ nomen dare. His tam friuolis cauillationibus, Deus satisfieri sibi non patitur.

Citant etiam quod habetur in Epistola, quæ inscribitur Ieremiæ: Cum videbitis portari deos aureos & argenteos, & Babylonios se incuruantes coram illis, dicite in cordibus vestris: Te oportet adorari Domine. Verum, an author Epistolæ, quicumque sit, Israelitas hortando ad dandam Deo gloriam, permittit ipsis genua coram idolis flectere? Quid illis prodest tam impudenter torquere hanc sententiam? Deinde, quòd fiet, obsecro, vt qui externo gestu idolum adorat, dicat in corde suo, Deo deberi hunc honorem, nisi vt se damnet? Ego autem non exigo à fidelibus, vt cum à Papistis vident idola portari, eripiant illis ex manibus, aut lutum contrà proyiciant: Principum enim est officium, eiusmodi sordes repurgare. Tantum præcipio, vt ab eorum consortio se abstineant. Et quoniam ijs non permittitur, publicè dare honorem Deo, intus id in corde suo faciant.

Exemplum Pauli quod obtendunt, paulò plus habet coloris. Reuera tamen

minus illis suffragatur, quam exemplum Naaman: quo tamen ipsos nihil iuuari prius ostendimus. Paulus, inquit, cum sciret ceremonias Legis abrogatas, in gratiam gentis suæ se totondit: ac purificationem vouit ex ritu Legis. Si hoc licuit Paulo, putant nihilominus sibi interdici debere, quominus Missas frequentent, & alia Papiſtarum sacra. Respondeo, ipsos Deo primùm grauer contumeliosos esse, qui ceremoniam ab ipso institutam, cum abominanda idololatria conferant: deinde ipsi Paulo, cum eum grauant hac infamia. En quid consequantur, qui peccando iusti haberi volunt. Rogo igitur, fueritne damnata verbo Dei ceremonia, qua vsus est Paulus: an verò media adhuc fuerit, donec Euangelium clarius eluceret? Nemo est, qui non fateatur rem fuisse in libertate fidelium positam, pro eo tempore: nam simpliciter sacrificium laudis erat. Tonsura quidem, & purgatio ex vmbrijs Legis erant. Sed nihil absurdi est, si Christianus ijs utatur ad edificationem. Atque id est, quod alibi dicit Paulus: se Iudæis, Iudæum fuisse faciūm: Gentibus, Gentilem: vt ad Christum omnes adduceret. In Missis autem, quid est simile? Missam accipio etiam pro alijs ritibus, in quibus extat manifesta idololatria, aut saltem superstitio, quæ pugnet cum verbo Dei. Quàm ergo præposterum est, quod tunc fecit Paulus, ad excusanda quæ planè vitiosa esse noverunt, obtendere! Si nihil differrent hæc duo, Tondere se, & Genua flectere coram idolo, facillè illis concederem, Pauli exemplum sequi. Sed eodem loco habere res tam diuersas, cælum terræ miscere est.

Quamquam longius etiamnum respicere conuenit: nempe, ad consilium, vel finem operis. Nam si Paulus, pro retinenda hominum gratia, aut pro declinando vitæ periculo, tali simulatione vsus esset, primus deberet reprehendi: verùm, scimus nihil aliud spectasse, nisi vt vitaret offendicula, & rudibus in edificationem aliquid concederet. Audebuntne falsi isti amulatores similem zelum profiteri? Atqui, conscientia testimonio refellentur. Hæc tamen quæstio nobis agitata est, perinde ac si aliquid dubitationis haberet. Videre enim est, magnam eorum partem, qui in hominum gratiam impietatem simulant, hoc prætextu abuti: quòd id totum faciant vitandæ offensionis causa. Principiò, eos ad Dei tribunal reuoco, & propria conscientia testimonium. Illic reperietur, nihil aliud esse ipsis propositum, nisi vt molestiæ vitent & pericula. Quid, amabò, lucri facimus, sic nobis contra veritatem adulando? Quid consequimur, mendacijs causam nostram tuendo? Vanas defensiones excudimus, quibus honorem nostrum tueamur apud homines: ne ambitione, aut auaritia duci videamur: interea conscientia nos conuictos tenet: ac ipsi aduersum nos sumus iudices. Obijciet quispiam, me temerè facere, qui in affectus cordis exquisitam, quod solius Dei est. Respondeo, iudicium meum subniti operibus, quæ ob oculos patent. Ne cum Deo ludamus. Nisi nos impediret vel moris timor, vel perdendæ authoritatis suspicio, nisi nos implicitos tenerent fortunæ nostræ, nisi hominum gratia libertati nostræ obstaret: an è centum, vel etiam ex mille inueniretur vnus, qui ita simularet, vt nunc faciunt omnes? Sed quia eò improbitatis prorupit mundus, vt tam petulanter Deo illudat: concedo illis quod postulant: bono animo hoc eos facere, neque vltra persequar illorum hypocrisiam. Ad rem ipsam veniamus. Ne scandalo simus, inquit, cogimur nos attemperare Papiſticis superstitionibus. Vt pateat, nunquid hoc verum sit, sciendum est quid

nomen Scandali significet. Cum eo Paulus utitur, eos scandalum dare intelligit, qui conscientiam infirmam turbant, quominus ad Christum veniat, vel ut ab eo alienetur. Cum ergo hoc argumentum tractat, de quo nunc agimus, iubet summa diligentia scandalum vitare. Sed qualiter? Caue, inquit, ne de carne idolis immolata coram infirmo comedas: erit enim hoc offendiculo. Si ratio quaeritur: respondet, quia eius conscientia in malum confirmabitur. Hanc enim carnem pollutam esse opinatur: & tamen, inductus tuo exemplo, comedet. Ita illi praecipitij causa eris. Quod si se absteineat, torquebitur tamen apud se hac opinione: quod Dei contemptu hoc fieri abs te putabit. Atque hoc modo labefactabitur, vel despondebit animum: quia nondum bene stabilitus est in salutis doctrina. Videmus nunc, à quibus scandalis nos reuocet Paulus: nempe, ne temeritate nostra occasionem praebeamus infirmo impingendi, aut deflectendi à recta via. Denique, scandalifamus eos, quos retardamus, vel impedimus, ne proficiant in Domino: cum illis potius adiutores esse debeamus. Similiter ad Romanos, postquam docuit, inhumanum esse, & charitati contrarium, molestiam exhibere infirmis, propterea quod quibuslibet cibis vesci non audeant: eosque non esse importunè vexandos, ut festinent repugnante conscientia: neque ipsis afferendam esse tristitiam: dum hanc orationem claudere vult, subiungit: Quisque ergo suo proximo placeat in bonum, ad aedificationem. Nunc videmus in quem scopum collimare oporteat, cum de scandalo vitando agitur: nempe, ne proximo causam praebeamus impingendi, nostro exemplo, ne verbis aut operibus eum à recta via abducamus. Hinc iudicare promptum est, nunquid qui se coram idolis prosternunt, & religionem suam regendo, probri Deum afficiunt, vitent eo modo scandalum. Primum, ostendunt, sibi non magno in pretio esse Dei gloriam, quam ita profanant: deinde, alios inducunt, suo exemplo, ad eandem profanationem. Infirmos dico, qui gustum aliquem veritatis habent. Nam audaciores eos reddunt ad id, quod merito alioqui horrerent. Postremo, impios, in sua malitia obdurant, redduntque obstinatiorum. Si hoc scandalizare non est, fateor me nihil videre, nec esse rationis compotem. Non offendunt quidem filios seculi, ut eorum offensionem in se prouocent: non concitant aduersum se impiorum furorem, nec mundo occasionem praebent obloquendi: Verum, dum idololatriam omnem fouent sua simulatione, in causa sunt, ut alij ruant praecipites: alij graui impactione collidantur: cadant multi: plures claudicent, vel à recta via euagentur. Proinde, omnes ad vnum, caeci sunt, caecorum duces: nam dum alij alios, instar gruum, sequuntur, mutuò se fallunt. Quia nemo interea verbum Dei sequitur, quod vnum pro regula esse debebat. Notare praeterea conuenit, cum Paulus iubet nos aliquid concedere fratrum ignorantiae, aut ruditati, ne illis simus offendiculo, non hoc requirere, ut in illorum gratiam illicitum aliquid tentemus, aut suscipiamus omnino vllum opus à Deo prohibitum: sed tantum, ut in rebus medijs, quas in libertate nostra posuit Deus, & quae per se non malae sunt, habeatur à nobis ipsorum ratio, ne turbentur, aut labefactentur. Quamobrem, hoc semper primum sit fundamentum: ut reputemus, num id, de quo agitur, nobis sit liberum, quo in vtranque partem uti liceat purè, & sine offensione Dei. Expendamus, inquam, num abstinendi & utendi nobis relicta sit à Deo facultas. Includere verò in hunc catalogum idololatriam, prorsus est à ratione dissentaneum. Quando  
igi-



igitur simulatio, quæ huc vsque procedit, vt homo se sacrilegio polluat, cum aperto Dei mandato pugnat, frustra scandali periculum obtenditur, ad captandam eius excusationem.

Qui videntur omnium modestissimi, cum se omni legitima defensione destitutos cernunt, non excusant in totum, nec contendunt rectè fieri: sed leue esse erratum, & facili venia dignum, pretextunt. Itaque, non sustinent tam acriter reprehendi. Et ne loquantur sine specie, obijciunt multa hodie vitia regnare in mundo longè grauiora: & quæ seuerius corrigenda essent. Initium ergo præpostere ab hac leui infirmitate fieri causantur: nisi fortè Phariseis velimus esse similes, qui camelum deglutiunt, culicem verò colant. Incipiam ab hoc postremo capite. Fateor, horrenda flagitia & atrociora passim hodie grassari in mundo: quibus redarguendis fortiter sit insistendum. Fateor etiam, si quis solum hoc vitium externe idololatriæ exagitet, interea verò ad illa omnia conniueat, aut leuiter tantum carpat, cum quicumque sit, perperam facturum. Quemadmodum, exempli gratia, si nunc ebriosus, scortatoribus, furibus, periuris, & similibus parcerem: si indulgerem auarus, de rapinis tacerem, fastum & vanitatem non attingerem: mordicus autem arriperem hoc solum vitium insectandum, meritò præposterus iudicaret, meritò socordiam meam reprehenderent omnes, quòd in curando vno vulnere intentus, reliqua tegerem. Verùm, cum hoc non faciam: quis mihi obstabit, quominus in singula vitia inuchar, & vnum quodque insecter suo gradu & ordine, nullo excepto? Hoc autem esse ex numero, nullus negabit. Atqui, modum excedis, inquirunt. Nam quidam, dum adiunt tanta vehementia te vociferantem aduersus externam idololatriam, defunctos se putant omni officio, si tantùm ab ea se contineant. Et perinde ac si tota sanctitas in hoc sita esset, non magno æstimant grauiora flagitia, præ vno isto vitio. Vita enim interea sunt dissoluta, vel rapaces sūt, vel auari. Respondeo, hoc genus hominum longè errare, dum perfectionem suam in externa specie collocant: fateorquæ, dum ita placare Deum volunt vno officio, non minus, quin etiam aliquantò grauius peccare, quàm qui se liberant omni culpa, dum externis superstitionibus Deum coram mundo abnegant. Sed nimis iniquum est, eorum vitium mihi imputari: cuius illis causam nullam dederim. Hæc mea est doctrina: pium hominem, tam corpore quàm spiritu, Deo consecratum esse debere: modò spiritus priores semper obtineat. Quis inde inferat, ad hypocritam institui homines, vt cum Deo gestu ludant & externis actionibus?

Porrò, quòd leue erratum esse imaginantur, si quis adorationem idoli simulet, idèoque non difficulter esse condonandum: respondeo, si comparatio fiat inter Dei mādata, alia tunc maiora, alia minora fore. Quemadmodum pronuntiat Christus, hæc præcipua esse capita Legis, Iustitiam, Iudicium, & Fidem. Verùm, si vnum quodque mandatum per se æstimemus: nullum est quod non habeat graue pondus. Audimus enim quid Christus alio loco dicat: Quicumque vnum ex minimis mandatis his neglexerit, & ita docuerit homines: minimus reputabitur in regno cælorum. Quid sibi vult hæc particula, Ita docuerit? nempe, si rem non magni momenti esse doceat, transgredi aliquod Dei mandatum, ac si parum ad rem faceret: atque hac illecebra laxet frenum cupiditati hominis. Denique, si peccatum extenuando, audaciores ad peccandum homines reddat: si is qui qualescunque Dei mandatum, quamlibet leue in speciem videatur, eleuat apud homines, tam severo iudicio

est obnoxius: quid de ijs fiet, qui de mandati vnus transgressione taceri prorsus volunt? Quod si micam sani iudicij habeamus, audebimusne hiscere ad hanc blasphemiam proferendam, vt exiguum erratum esse dicamus, repugnare Dei voluntati? Quicquid enim est, de quo præcipiendo dignatus est Deus habere curam, & cuius causa dignatus est sacrum os suum aperire, nonne tanti esse debet creaturis omnibus, vt cum timore & reuerentia excitentur ad obediendum? Estne nostrum inquirere cur hoc præceperit, illud vetuerit: ac si sola eius voluntas nobis pro ratione non sufficeret? Ne quis ergo hic fallatur: non enim ea tantum, quæ Deus præcipit aut vetat, intueri conuenit: sed in Deum ipsam qui loquitur. Quia non possumus, nisi maiestatem eius violando, transgredi eius mandata. Proinde, ab eius magnitudine æstimanda est peccati mensura: tunc nullum nobis exiguum censebitur. Hac de causa denuntiat per Zachariam, se missurum volumen maledictionis in vniuersam terram: quo periturus & fur similiter maledicetur: quo significat quamlibet Legis suæ transgressionem seueriter vindicandam. Quod Iacobus clarius etiamnum exponit, his verbis: Qui totam Legem seruauerit, & deliquerit in vno, factus est omnium reus. Nam qui vetuit occidere, vetuit etiam scortari & furari. Vt sciamus quàm grauis sit quæuis offensus, ad Deum legislatorem nos reuocat: ac si diceret, Peccati magnitudinem inde esse metiendam, quod pugnat cum voluntate Dei, ac auctoritatem eius euertit. Quamobrem Dominus Christus, dum Phariseorum hypocrisim reprehendit, qui sic totum studium collocabant in vltimis præceptis, vt præcipua interim à tergo relinquerent: non iubet eos, relicis minoribus, studium suum ad præcipua conferre: sed dicit, illa oportuisse quidem seruari, hæc autem non negligi. Ac si diceret, nihil à capite (vt ita loquar) ad calcem negligi conuenit: sed non decet ira intantum esse vni, vt alterum prætereas. Videmus ergo perni iosum esse figmentum, cum volunt homines extenuare quamlibet Legis transgressionem: cum reuerentiam Dei, ex animis nostris deleat. Et sanè, cum incipimus ex auctoritate verbi Dei quicquam vlla in parte deerrare, inde facile delabimur ad socordiam. Est ergo quidam veluti ingressus ad impietatem & contemptum. Itaque, quicquid aduersus Dei voluntatem perpetratur, generaliter reprehendi debet: & quidem serio, ac riq̃ue seueritate. Hoc enim erit timoris & obedientia signum, si nullum apiculum contemnamus ex eius mandatis.

Quamquam scire velim, qua ratione externam idololatriam inter minima delicta reputent. Causam adducent, quia non manet ex affectu cordis: necessitate enim cogi se dicent: se verò aliter facturos, si liceat. Prodeat ergo vnus ex ipsis. Ego sic cū cōpellabo: Amice, si periculi cuiuspiam timore, aut in gratiam vllius hominis atroci contumelia patretuum afficeret, esse sine propterea excusandus? Quæto autem minus probum irrogare Deo debes, nomen eius profanando, dum eius gloriam ad idolum transfers? Cogor, inquires. Annò putas plures eum gloriam suam facere, quàm tuam vitam? Sed omiſſis altercationibus, omnes obtestor qui hoc errore detinentur, vt paulisper, mecum reputent, si sine tolerabile delictum, quo Paulus Deum prouocari denuntiat quasi bello sibi indicto: quo dicit Christum offendi: quo testatur renuntiare mensæ eius: quo dicit participes nos fieri mensæ Demoniorum? Hæc certè verba horrorem incutere nobis debent: quin etiam fulminat illic Paulus magis, quàm loquitur. Sed obijciet quispiam falso me torquere istas sententias ad presentem causam. Expendamus num res ita se habeat. Corinthij aut periculi timore, aut alio carnis intuitu,

frequentabant cum infidelibus sacra idolorum, ac solennibus eorum epulis se aggregabant. Hæc ipsorum erat excusatio: Intus in corde, superstitiones omnes damnamus: scimus vnum esse Deum, cui debeat gloria. Non tamen ideo Paulus clamare desinit, ipsos prouocare Deum ad certamen: ipsos pollui consortio Dæmoniorum. Quid hodie minus faciunt, qui se prosternunt in Missa: ut eius impietati subscribant? qui omnes impias superstitiones approbare se palam simulant? Si negent, expendamus annon reperiantur in ipsis omnes causæ quæ Pauli aduersus Corinthios incitabāt. Certum est Pauli hæc duo respexisse: quod tali simulatione, Corinthij occasionem impijs præberent obloquendi de Christo: eos redderent obstinatiores, & fidem nostram eorum ludibrio prostituerent: deinde quod infirmos labefactabant malo exemplo. Propter hæc duo scandala tam asperè & minaciter in ipsos inuehitur. Quid hodie faciunt, qui in gratiam Papistarum superstitionibus eorum consentire se simulant? Sumamus exemplum huius rei in Missa. Sciunt abominationem esse in Dei probum erectam. Sciunt quo animo illuc populus conueniat. Atque ut nihil aliud sit, sciunt illic idolum adorari. Hoc cum sciunt, nonne communem cum alijs adorationem præ se ferunt? Nonne hanc de se opinionem volunt haberi, quod ex animo id faciant? Sic agendo, annon, obsecro, Dei gloriam impiorum derisioni subiiciunt? Nonne eos in sua prauitate confirmant? Nonne infirmis sunt offendiculus, cum alios malo exemplo inuitant ad peccandum: alios labefactant, ut incipiant de doctrina hæsitare? Nihil ergo proficiunt mitigando quod Deo tam acerbum esse cernimus. Quinetiam satis constat Missam ab inimicis Christi haberi instar pignoris, ad impietatem suam approbandam. Hoc enim pignore accepto, mundum se habere putant sibi obligatum. Nam si quis diligenter ac religiosè Missas frequentet: hoc ipso declarat, se fidele esse Antichristi mancipium. Rursum, Missæ contemptus est illis, tanquam defectio ab Antichristi tyrannide. Cum ergo homo Christianus Missas frequentado, quasi arra data, profiteatur se in idololatria Antichristi velle viuere & mori: nonne simul obliquè Christo & Euangelio renuntiat? Qua tergiuersatione euadent qui tantum flagitium colore aliquo inducere conantur? Et quia dealbare prorsus nequeunt, adumbrant obscuris inuolucris, ne tam conspicuum appareat. Dico, Missam non simpliciter in se considerandam esse, sed adiunctis circumstantijs, adiunctis appendicibus, quas secum trahit. Dico rursum, hanc perpetuam esse Missæ cõsequentiam, quod illic solennis professio editur, ad tyrannidem Antichristi approbandam, quæ horrore debet esse pijs omnibus. Si sana conscientia, & sine sophistica hunc mihi nodum soluant, non amplius illis molestus ero. Sed hoc, anno toto non facient. Referam historiam, quæ apud Iosephum & in libris Machabeorum extat, de Eleazaro, muliere Iudæa, septemque eius filijs. Urgebāt tantum impij eos, ut carnem suillam gustare vellent. Mori maluerunt. Videri possent prima facie, obstinatione quadam potius, quam zelo moderato mortem subijisse, tam leui de causa. Verum si reputemus quorsum id spectaret, secus non poterant, quin Deum abnegarent. Nam qui ab illis exigebāt, ut suilla vescerentur, cuius esum Deus prohibuerat: testimonium flagitabant defectionis a Deo & eius Lege. Hæc quidem historia in Scripturis non continetur, sed fabulosa tamen non est. Si hos habemus pro sanctis martyribus, & eorum laudamus constantiam, sicuti meretur: annon culpari tanquam vitiosum debet quod contrà fit? Ut finem faciam, dico eos omnes, qui fictionem hanc idololatriæ

pro leui delicto habent, nescire adhuc quanti Deo sit suus honor: nec vnquam gustasse quid hæc sententia valeat, quam profert per os Iesaiæ: *Viuo ego, non dabo gloriam meam alteri, nec honorem meum sculptilibus.* Nam his verbis ostendit se minimè vnquam passurum, vt honor suus ad idola transferatur, quin huius tanti sacrilegij vindictam exigat. Dico etiam nunquam eos percepisse, quàm singularis sit erga nos hæc Dei gratia, quid corpora nostra dignatus est sibi in templa consecrare: quòd ea sacrosancto sanguine Christi redemit, vt aliquando in beatam immortalitatem recipiantur. Nam si hæc haberent cognita, dicerent statim cum Paulo: *Purgemus nos ab omni inquinamento, tam carnis, quàm Spiritus: Deum portemus tam in corpore, quàm in spiritu, quando vtrunque Dei est.*

*His cauillationibus discussis, prodit prudentia carnis: ac suam personam agit. Hæc autem prima est eius ratio: Si se omnes palàm seruos Dei profiterentur, quid accideret? Respondeo, si ita Deo placeret, sæuus inde persecutiones exorituras. Alij enim relictis fortunis, fuga se eripere tanquam ex naufragio cogerentur: alij probus omnium lacerarentur: alij conijcerentur in vincula: alij in exilium pel-lerentur: alij etiam crudeliter trucidarentur, quantum scilicet Deus impiorum furori permetteret. Verùm hic dandus esset honor Deo, vt euentum illi committeremus: sperantes eum sic obuiam iturum, ne quicquam aliter, quàm optandum sit, eueniret. Huc enim nos exemplo ducit pater noster Abraham, qui cum iussus esset filium suum immolare, rogatus ab eo in itinere, vbinam esset sacrificium, respondet: Dominus providebit, fili mi. Præclara sententia, & quæ in cordibus nostris insculpta esse debet, vt nobis subeat in memoriam, quoties aliqua in re hæremus perplexi, nec exitum inuenimus. Si modò possemus reiicere in Dominum sollicitudines nostras, certò persuasi, ipsum satis habere prudent. & ad nos dirigendos, vbi consilio destituimur: nihilominus nobis deesset, quàm seruo suo Abraham de fuit: quem expli-  
cauit præter hominis sensum, ab illis angustijs, quibus districtus tenebatur. Verùm obstaculo nolis est incredulitas nostra, quominus Dei bonitatem experimèto sentiamus. Cum aliquid nobis præcipit Dominus, an putamus eum non præuidere pericula, aut eorum rationem non habere? Si prouidet, an putamus eum non satis habere potentia ad occurrendum? Quod deterius est, an volumus eum arguere mendacij: ac si præstare non vellet quod promisit: custodem, scilicet, se fore eorum, qui in vijs suis ambulabunt? Quamobrem loco huius cantu lenæ, *Quid nobis accidet, si seruiamus Deo? aliam canere discamus, quando omni consilio destituimur, Suppetet Deo consilium pro nobis: quando angustijs tenemur impliciti, quarum exitus non apparet: Deus viam nobis patefaciet. Târùm pareamus eius verbo, & omni nos periculo eximet. Deus præ omnibus hanc fiduciam requirit à nobis, vt eius mandatis obedientes, finem operum nostrorum & successum, eius prouidentia commendemus, in eaque acquiescamus. Verùm, vt mille timores se ante oculos nostros ingerant, vt nesciamus quò nos debeamus vertere: sequitur ne propterea irritam esse & abrogatam Dei voluntatem? Atqui, scimus eam perpetuò constare, etiam si cælum terræ misceatur. Verùm prudentia carnis nondam conquiescit. Obijcit enim aliud grande incommodum: quòd si se vellent omnes subducere ab idololatria, statim fidelibus nudarentur omnes regiones, in quibus Antichristus regnat. Secundo, non habituros locum, vbi pedem figant: cum omnes regiones, in quibus purè inuocatur Dominus, eorum capaces futura non sint.**

num esse timorem. Nam si quicumque illuminati sunt à Domino, unanimes & communi consensu, omnia potius relinquere & posthabere instituerent, quam se profanare in superstitionibus, noua aliqua ratione, quæ nos latet, ipsos adiuuaret. Nam aut corda Principum incitaret ad idololatriam repurgandam, & verum Dei cultum erigendum: aut inflecteret ad humanitatem & clementiam, ne tantam violentiam exercerent in fideles, neve eos ad istas pollutiones adigerent. Præterea, ne altius ingrediamur in hanc quæstionem, nego timendum esse, ne protinus omnes vasis collectis iter arripiant. Nunquam enim deerunt qui oculos velatos habeant, quominus cernant, quantis sint in sordibus. Erunt etiam semper alij, qui sic agnoscent miseriam cõditionis suæ, vt interea tamen quasi ligati, ab infirmitate carnis suæ teneantur. Alij autem sic erunt implicati & oppressi varijs sarcinis, vt etiam si velint, facultatem exeundi habituri non sint. Atqui, verisimile est, dicet quispiam, eos qui ampliore doctrina & constantiore zelo præditi sunt, qui denique ad alios ædificandos sunt aptiores, in primis exituros. Quid ergo fiet? inquirunt. Ad hoc respondeo: Si quisquam eorum qui huc illuc dispersi sunt, dimidium officij sui faceret, non fore vllum angulum mundi, qui non statim refertus esset luce veritatis. Hæc mali causa est, quòd in plerisque, & ferè in omnibus nihil est zeli nec cordis. Verùm, etiamsi ab aliquo loco exirent, quicumque illic non possunt cum pace conscientie viuere: an ideo extinctum illic esset semen Dei? Potius sperandum foret, Deum vnus loco, tres aut quatuor excitaturum. Breuiter, semper ridiculi erimus, aduersus Deum litigando.

Neque me latet quosdam esse, qui sibi iusti videantur, dum obijciunt, mihi esse perfacile, tam fortiter loqui extra teli iactum: verùm, si essem ipsorum loco, me nequaquam fore tam fortem. Respondeo, me nihil aliud proferre, quàm quod in animo habeo: meque ad sic docendum conscientia vrgeri. Impium ergo fore & blasphemum, si secus docerem. Quamobrem si degerem in aliquo loco, vbi idololatriam fugere sine periculo non liceret, confugerem ad preces: peteremque à Domino hanc constantiam, vt ipsius gloriam, quemadmodum par est, vitæ meæ preferrem. Nec dubito quin mihi esset affuturus. Cæterùm, non spectemus quid ego facturus essem: neque enim me iacto: sed tantùm ostendo, quid debeamus facere omnes, tam ego quàm alij. Quicumque ergo secus facit, reus est coram Domino: siue ego, siue alius. Sed quid in me respiciendo proficiunt? Si aliter viam quàm doceo, vix mihi: quia ore meo iam sum damnatus. Sed quid inde excusationis habent? Opus suum probet vnusquisque, inquit Paulus: & tunc laudem habebit in seipso, & non in alio. Hoc quidem vulgare est mundo, vt quisque aliorum peccata, clypei loco, ad sua regenda opponat: at non sic cum Deo agendum. Præterea, ne obieciare queant verba me dare, sed nullum exemplum extare, nihil exigo aliud ab ipsis, nisi vt per viam incedant, in qua nobis tot martyrum millia præeunt: virorum simul ac mulierum, pauperum ac diuitum. Hæc igitur doctrina, non speculatio est, quam in umbra otiosus fabricauerim: sed ea est doctrina, quam sancti Christi martyres inter media tormenta & seuos cruciatus serio meditati sunt: hæcque meditatione se confirmârunt ad terrorem carceris, equulei, ignis, crucis, gladij, & cuiusvis tormenti superandum. Nisi hanc cogitationem habuissent in cordibus insculptam, centies sibi satius esse mori, quàm adduci vt quicquam facerent gloriæ Dei contrarium, nunquam se ad mortem obtulissent, pro fidei confessione. Quin potius passi es-

ferent ad colenda idola se induci. Nobis autem non in hoc tantum narratur eorum constantia, ut laudetur à nobis: sed in exemplum proponitur, ne veritatem abnegemus, tam fortiter ab ipsis assertam: ne gloriam Dei aboleamus, aut polluamus, quam tanti fecerunt, ut pro ea ob signanda, non dubitauerint sanguinem fundere. Si euadere simulatione licet, cum instant nobis impij, ut ad idololatricam deslectamur: quorsum attinebat, ipsos tam atrocibus tormētis corpus suum exponere? Deū enim clam adorando, simulare poterant idolis se dare honorem, ut persecutoribus satisficerent. Verum, exemplo suo nos docuerant, ridiculum esse hunc pretextum, cum prætendunt homines, Deum se intus colere, veritatem eius coram hominibus prodendo, & eius honorem profanando. Et sanè, si diligenter expendamus, non leue nobis iudicium imminet: quod tam socordes simus & frigidi, præ ut fuit olim ardentissimus ille zelus in omnibus sanctis. Nam simulatque quispiam, alioqui rudis & imperitus, tenuem modò gustum Christianæ doctrinæ perceperat, sine difficultate libenter subibat periculum, pro fidei suæ confessione. Sic animati passim erant, ut viui excoiri mallent, quàm eo perducì, ut signum aliquod externæ idololatricæ ederent. Nos qui tam ampla cognitione sumus illustrati, frigidiores interea sumus glacie. Eamus nunc, & causam nostram tueamur. Sed quid aliud, quàm grauius iudicium cumulabimus, iram Dei in capita nostra duriorè pronocando? Hoc pro se quisque cum animo suo reputet. Porro, quemadmodum hæctenus aduersus eos disputavi, qui sui purgandi causa, veritatem Dei falsitate deprauant, aut pro extenuando suo vitio, maiestati Verbi eius derogant, mandatorum eius auctoritatem eleuant: aut vanos colores adfiscunt, quò sibi impunè & sine reprehensione peccare liceat: ita nunc tempus est, ut obiectioni occurram, quam multi piij viri & Dei timentes adducunt: Nunquid fideles omnes per Galliam, Flandriam, Angliam, & Italiam dispersos, qui multas superstitiones suscipere coguntur, pro damnatis & reiectis habeant? Antequam tamen respondeam ad hanc questionem, Deum testor me ad eò voluptatem nullam capere, miseros fratres meos qui tali seruitute premuntur, carpendo, & reprehendendo, ut potius communisci libeat rationem aliquam qua excusari possint: scd me tantum pronuntiare, quod conscientia mihi iniungit: quod denique cogor, velim, nolim: idque tamè in eorum salutem. Testor etiam, cum protuli quod sentio, me cum gemitu & suspirijs ipsos Deo commendare, ut aliquam illis leuationem afferat. Quò ad damnationem spectat, non mei consilij est, cum aliquod in ipsis vitium reprehendo simul eorū personas damnare. Nouit Dominus me ita de plurimis sentire, qui in Gallia habitant, me esse multò sanctiores. Agnosco præterea & satis reputo, plus eos laudis mereri, quòd in media abyssò impietatis in timore Dei se continent, quàm me, qui tot occasionibus non sollicitè ad malum: sed verbum Dei quotidie audio, & alijs annuatio, quo tanquam freno retinear. Fateor quoque, si quid peccent, facilius illis ignoscendum, quàm mihi. Itaque, tantum abest ut reiciam eos, & expungam è fratrum numero, ut in reliquis eos venerer coram Deo & hominibus, & excellentiore in Ecclesia Dei loco dignos esse iudicem, quàm ego sim. Faceffat igitur falsa hæc opinio, excludi illos à me è numero fidelium, è nomine Christiano deleri. Cum tamen habeam ipsos in pretio, non desino propterea, si quid animaduerto in ipsis vitij, reprehendere. Nam ut quis sit verè pius, non ideo tamen sequitur, omnia eius opera laude digna esse. Reperiant fortè in me alia vitia. Patior ut ea dimittant:

modò ne malevolentia hoc faciant, aut obloquendi libidine, vel quia mutua criminatione ulcisci se velint.

Rogabit quispiam, quale igitur consilium dem homini pio, qui in tali Aegyptio peregrinatur, aut captiuus tenetur in tali Babylone, ubi non conceditur purè adorare Deum: quin potius se attemperare cogitur ritibus vitiosis, & improbandis. Principiò consulere excundum esse, si posset: nam omnibus subductis, beatus est ille, qui procul abest à tantis abominationibus: cum difficillimum sit, illis tam vicinum esse, quin polluat. Consulere igitur ut in aliquem locum se reciperet, ubi non cogeretur se illis sordibus conspurcare, conuiuere ad blasphemias, tacitus audire & videre mille impietates: sed potius liberum esset, in cætu piorum edere fidei suæ professionem, puram Euangelij doctrinam audire, communicare fidelium precibus, sacramētis purè administratis frui. En quid iudicio meo factu sit optimū. Si quisquam nullam excundi rationem habet, tum consulam videre & experiri omnia: nunquid se abstinere ab omni idololatria possit, quò se purum & impollutū Deo conseruet. Deinde, domi suæ Deum adorare, precarique ut miseram Ecclesiam restituere in statum suum velit. De cætero, fideliter incumbere ad rudes adificandos, quoad eius fieri poterit. Si respondeat quispiam, non posse id fieri sine mortis periculo. Fateor: Sed Dei gloria, de qua nunc agitur, multò nobis pretiosior esse debet caduca hæc & fluxa vita, quæ, propriè loquendo, nihil quàm umbra est. Iam bonam partem audire mihi videor: Hei nobis! præferre quidem Dominum omnibus conueniret: sed non ea pollemus constantia & fortitudine. Aut, parentes habemus qui nos retinent: aut familijs sumus impliciti & onusti. Quid ergo faceremus? Respondeo: Cum infirmitatem suam sibi obstare agnoscant, quo minus consilium sequantur, quod constat maximè tutum & salutare esse: cum agnoscant se timore hominum à recta via defleciere, peccatum suum confiteantur coram Deo, cum gemitu & lachrymis sibi displiceant, se accusent, abstineant ab omni defensione. Vbi hoc fecerint, tamen admoneo ne malo suo indormiant ad suescendo, sed quotidie se sollicitent ad displicentiam, & mœrorem: quò veniam à Domino consequantur. Deinde, assidujs precibus Deum interpellent, ut cum redemptor sit captiuorum, eripere ipsos velit ex hoc labyrintho: aut Ecclesiam suam ubique repurgare, quò liceat honorem illi debitum exhibere. Tandem, ut vias omnes tentent ex hoc luto emergendi: & si qua illis facultas, vel opportunitas offeratur, eam ne recusent: sed arripiant potius, quò re ipsa restitutum faciant, se nequaquam per hypocrisin liberationem à Deo postulasse. Si omnes ita fideliter partibus suis defungerentur, certò persuasum habeo, quòd Dominus vim suam exereret ad omnes idololatrias è mundo exterminandas. Sed quia miseriam nostram non sentimus, neque afficimur ut par esset, quin potius tanquam obducio callo contemnimus, non mirum si Deus tam diu patiatur in sordibus nostris nos iacere. Et certè verendum est, ne si pergerimus ita esse stupidi, tabescere nos & putrescere in illis tandem sinat.

LIBELLI DE VITANDIS  
superstitionibus, finis.

## IOANNIS CALVINI EXCVSATIO

ad Nicodemitas: qui de nimio rigore eius conqueruntur.



*CITATUR hoc prouerbiū Solomonis, Meliorem esse correctionem a pertam, amore occulto: item, Correctionem amici bonam esse & fidelem: nemo est qui non assentiatur. Sed cūm ad praxim vētū est, nemo est qui se intellexisse ostēdat. Hoc ideo dico, quia antehac edidi opusculum, ubi ostendo fideles, qui inter Papiſtas versantur, non posse eorum superstitionibus communicare, quin Deum offendāt. Hęc doctrina perspicua est. Eam quoque Scripturę testimonijs & solidis rationibus sic probaui, vt refragari nullus queat. Quintian vna est ratio, quę totam causam vno verbo definit. Nam cūm Deus corpora creauerit, sicuti animas, cūm ea nutriat in hoc mundo, æquum est ipsa quoque eius honori seruire. Rursum, audimus Deum dignari nos hoc honore, vt non animas modò nostras, sed etiam corpora, templa sua vocet. Rogo igitur, num templum Dei profanare liceat. An non debeat eius nomini esse dicatum, ideoque conseruari in pura & impolluta sanctitate. Præterea, cūm corpus fidelis hominis destinatum sit ad Dei gloriam, ac beatę immortalitatis participes, Christi que corpori simile futurum sit: nimis indignum est, ipsum ad vllam pollutionem prostitui. Pollutio autem est, si ad idololatriam exponitur. In summa, Dei sumus vel in solidum, vel ex parte. Si toti ipsius sumus, glorificemus eum corpore & spiritu. Itaque, cum exigo vt homo fidelis ab externa idololatria se abſtineat, ac prohibeo ne in hominum gratiam ea se proſtar: simulet, quę coram Deo damnat: constat me nihil nisi æquissimum postulare.*

*Sunt tamen quidam, quibus nimium rigidus videar: quinetiam conqueruntur se nimium immaniter à me tractari. Si huius querimonie ratio queritur, hęc vna est, quòd ferre nō possunt vt eorum scabiem scalpā. Qua enim specie se excusabūt, ac si iniquè eos damnarem? Habent omnino hoc miserum subterfugium: quòd arcano cordis affectu, Deum adorant, quicquid præse ferant coram hominibus. Porro quid hoc est, nisi quòd inter Deum & Diabolum partiuertunt: vt animam alteri assignent, corpus alteri? Animam quidem integram Deo seruant: saltem si fides habetur eorum verbis: sed corpora sua exponere profanis inquinamentis, nulla illis est religio. Obsecro, an Deus tali mixtura contentus esse possit? Is qui pronuntiauit omne genu coram se flecti debere, omnem linguam confiteri debere nomini suo: patietur ne vt impunè genua homines coram idolis flectant? Proinde, sicut initio testatus sum, quòd ad doctrinam spectat, nihil est in ea difficultatis: si modò acquiescere veritati non recusemus. Probationes tam sunt: liquida, vt reclamare summę impudētia sit. Fit hoc tamen. Et qui faciunt, libenter persuaderent se nō sine optimis rationibus cōtēdere. Sed omnibus subductis, hęc eorū est præcipua ratio: Quòd eorū opinione nō est tā graue malū, quàm à me predicatur. Sed cur ita opinantur? Nēpe, quòd colores adſciscunt quibus vel tegant, vel imminuāt suum peccatū. At qui scire velim, quas proferre excusationes possint præter illas, quę à me plus satis sunt refutata. Cōcedāt ergo mihi propriè loqui. Ego magis apta similitudine vti nō possū, quàm si eos cū ijs conferā, qui cloacas repurgant. Nā sicut hi, cūm tota vita of*

*sue-*



sue facti sint ad mouendum fetorem, nullum amplius odorem percipiunt, quia sunt obstupesci, aliosque deridet qui nares obturât: ita isti nostri, postquã longa consuetudine obduruerunt in suis sordibus, quãlibet malè olentibus, putant se inter rosas iacere: eosque vident, qui fetore offendi se fatentur. Atque vt similitudinem ulterius ducam, quem admodum qui purgandis cloacis operam locant, cepis, allijs, alijsque grane olentibus cibis, tanquam antidotis se muniunt, quò fetorem vnum, alio propulsent: ita isti, ne idololatriæ suæ putidum odorem olfaciant, inebriant se quodãmodo putidis excusationibus, quæ sensum illis olfactus adimant. Verùm, hoc miserum est remedium, cum se obstupesciunt a groti, ne malum suum sentiant.

Nondum hîc de omnibus loquor, qui adhuc infirmitate sua in Babylonica seruitute detinentur: vbi se impuris superstitionibus polluunt. Multi enim sunt, qui in animis suis reputant, orêque confitentur suam miseriam, atque illic tenentur inuiti: gementes assidue, & à Deo veniam petentes. Ad eos tantum pertinet mea oratio, qui, vt euadant reprehensionem, subterfugia omnia captant: & contempri habent omnes monitiones, vel indignantur & excandescunt vsque ad apertas blasphemias. Quoniam mutuatur Nicodemi nomen, vt clypei vice nobis opponant, ac si eius imitatores forent, in præsens vocabo eos Nicodemitas, donec ostendero quantam iniuriam huic sancto viro faciant, cum in suum ordinem pertrahentes: & quod peius est, gloriantes eius exemplo. Verùm, ante omnia, optarim falsam opinionem ex eorum animis euulsam: nempe, quòd putant me, data opera, sibi bellum inferre, quò illis insultem, aut ipsos mordeam. En cur nullo modo vinci se sinant. Sed in eo longè falluntur. Possum enim coram Deo, sanctis que eius Angelis testificari, mihi non aliud esse propositum, nisi cultum Dei, quoad in me erit, promouere: vt illi purè seruiamus omnes. Nec tam sum inhumanus, dum eos in tali labyrintho video, quin potius ad misericordiam commouear, quàm delecter carpendo eos ac mordendo: aut etiam contemnendo, quò magis supra eos emineam. Vtinam plus mihi materia ad eos laudandos, quàm vituperandos daretur: neque enim hoc argumento læor. Secundo, non cogitant sibi mecum non esse negotium, sed cum Deo: cum quo litigare, est calcitrare aduersus stimulum. Quid ergo proficiunt, obloquendo me nimis esse asperum? Volunt ne à me benedici, cum à Deo damnentur? Quòd si illis indulgeam, quid proderit mea absolutio? Non est meum viuificare, quod Dominus morti adiudicat: nec sententiam ab eo latam mitigare, vt eius seueritatem corrigam. Mihi ergo valde dolet, quòd ita mordicus in me insiliunt, vt putent nihil aliud sibi agendum, quàm vt sint vno homine superiores: nec interea cogitant, se aduersus Deum impingere. Moneo igitur ipsos & obtestor, ne sibi amplius imponant, me pro accusatore deligendo: sed potius reputantes se nihil aduersus Deum profecturos, comparent se potius ad humilitatem: ac iudicem suum deprecantur, vt tergiuersationibus omisis, placidè fateantur peccatum suum. Quòd ad me pertinet, non possum, vt illis gratificer, album vocare nigrum.

Quoniam autem Nicodemitarum non vna est species, operæpretium hîc erit, in transcurso notare, quas eorum præcipuas species cognoscam. Primi sunt, qui vt se in hominum fauorem insnuent, profitentur se Evangelium annuntiare: & gustum aliquem porrigendo, populum alliciunt. Nam cum videant bonam mundi partem non posse amplius ferre, præ fastidio, monachorum inscitiam, & ludi-

brio habere illorum insulfitatem & ineptias: nullum melius compendium videne acquirendi fauoris, & opinionis sibi comparandæ, quàm homines hac illecebrâ inescando. Interea verò hunc scopum habent, vt Euangelio, tanquam lenocinio abutantur, vel ad acquirenda sacerdotia, vel ad implendos loculos. Itaque, postquam capita quadam sanæ doctrinæ proferendo, auditores suos inescârunt, sic postea suspensos tenent, & circumducunt per ambages, vt nunquam ad liquidam veritatem adducant. Certum est, non omnes posse æquo passu progredi ad auaritiã, vel ambitionem: quia alij alijs longiora crura habent, quibus præcurrant: sed qui pedum episcopale arripere non potest, ad prioratum aut parochiam aspirat. Sunt etiam monachi, quibus satis est bene saginari, & habere opimum questum: quia nihil melius obtinere possunt. Hunc finem cum spectent, fieri non potest quin me damnent, tanquam nimis austerum: ac de me conquerantur, quia viclum illis è manu rapiam. Quinetiam eorum nonnulli, hoc ipso non cõtenti, quò maiore in pretio habeantur, fingunt eorum se libros contemnere, vnde didicerunt quicquid habent: & sine quorum lectione, piscibus magis essent muti: nisi se omnibus ridiculos facere vellent, nugando & ineptiendo.

Possẽ exempla proferre: sed hoc dico, vt ipsos commonefaciam, ne aliquando traducere illos cogar. Hi sunt qui perpetuò adificationis verbum in ore habent, & vsque ad cõ sibi placent, vt opinentur sibi solis artem adificandi notam esse. Utinam sic defungerentur, vt nihil reprehensione dignum admitterent. Ego certè ipsis non inuiderem. Sed quid? Descendant in suas conscientias, & postea mihi bona fide respondeãt, quorsum Missas celebrent, in quibus sciunt abominandum esse sacrilegium: & ita alios inducant suo exemplo ad idololatriam. Quin potius respondeant Deo, non mihi, annon propositum habeant se adificare non in anima, sed in corpore. Quæret quispiam, numquid ita sentiam de vniuersis concionatoribus, qui inter Papistas propius alijs accedunt ad puram doctrinam: utcumque ex dimidio tantum doceant, ac multum desiderari possit in eorum doctrina. Absit, quin potius certò sum persuasus, quosdam ferri bono zelo: Deique honorem & salutem spectare, non suum commodum. At certum est eos qui sic excandesunt pro euenda sua idololatria, eamque sub umbra falsæ adificationis tegere conantur, rebus suis intentos esse, & sibi potius adificare domos, quàm Deo Ecclesiam. Quantum ad proximorum adificationem pertinet, notare deberent quod Paulus indicat: nempe, tam in bonum, quàm in malum adificari posse. Nam miserum populum suspensum tenendo, & in idololatria occupando, quid aliud quàm ipsum obdurant? Si in hoc maledicto edificio gloriantur, hanc gloriam illis concedo. En primum genus eorum, quibus ego non satisfacio: nempe, concionatores, qui cum exponere se morti deberent pro asserendo vero Dei cultu, & euertenda idololatria, Christum sibi coquum esse volunt ad culinam instruendam. Quòd ad alios spectat, qui recto affectu ducuntur, et si ipsos reprehendam in quo delinquant, scio potius agnituros culpam, quàm vt monitiones respuant, quas videbunt ex puro Dei verbo sumptas.

Sequitur secunda species: nempe, Protonotarij delicati: quibus nõ displicet habere Euãgelium, & de eo suauiter iocando, cum domicellis garrire: modò hoc ipsis non obstat, quominus viuãt pro animi sui voto. In eodẽ ordine collocabo molles aulicos, & domicellas, quæ nunquã nisi blãditijs assueuerũt: proinde nesciũt quid sit audire verbum

verbum asperius. Non miror si isti omnes aciem contra me instruant, & quasi conspici ratione facta, sacramentoque inter se coniuncti, me omnes vno ore damnent immodice austeritatis. Et sane iam hoc multo antea prouidi. Itaque, nunc mihi videor ipsos audire, sic loquentes: Facebat Calvinus: est enim plus a quo inhumanus. Quid enim? Si vellemus illi morem gerere, non tantum ad mendicitatem nos redigeret, sed duceret recta ad ignem. Aequumne est adeo nos precise urgeri? Si omnes optat esse sui similes, & inuidet nostrae quieti, quid hoc ad nos? Bene hic stamus: contentus ipse sit sua sorte: nos autem frui nostra commoditate sinat. Tandem concludunt, me non tenere mundi rationes. Cum mutuis assentationibus sibi mutuo blanditi sunt, putant se praclaram de me vltionem sumpsisse. Cedo: sed quid facient Domino, ad quem eos remitto, & ad cuius tribunal ipsos cito? Protonotarius quisquam ridere imaginem crucifixi poterit, cuius sumptibus deliciatur: est enim mortuum idolum. At Deus non patitur hoc modo rideri. Poterit aulicus histrionicos omnes ritus, quibus mundus placare Deum conatur, deridiculo etiam habere: nam cum idolorum sit cultus, quicquid sic pro sua libidine comminiscuntur homines, non est timendum ne ipsorum contemptu irascatur Deus. Sed cum de sacrosanctis Dei mandatis quaestio est, non est illic mouendum caput. Poterit domicella sacrificulum, quem antea horrebat, quod testem & conscium secretioris vitae habere cogeretur, nunc impunè contemnere. Nam a necessitate confitendi liberatam se nouit: sed coram Deo veniendum est nihilominus ad calculum. Interior ista animi confessio per Euangelium non aboletur. Imò cum antea rationes subduceremus cum sacrificio, cum Deo nunc supputanda sunt. Velim hoc saltem ab ipsis impetrare, ut pro eo quod obstinatis animis ad repellendas meas monitiones se comparant, cogitent sibi semel apparendum esse coram Deo: ut secundum hanc ipsam doctrinam, quam nunc propono, iudicentur. Quicquid sit, ego me amoperam ipsis ad blandiendum non locaui.

Tertius ordo ex ijs constat, qui religionem quodammodo in philosophiam conuertunt: aut certè non admodum serio tanguntur: sed quieti ac securi expectant, donec Ecclesia in tolerabilem statum reformetur: ut autem in eam rem incumbant, quia periculosum est, adduci nequeunt. Quidam etiam eorum ideas Platonicas concipiunt, de modo colendi Dei. Itaque bonam partem Papisticae superstitionum excusant: quia mundum talibus ineptijs carere non posse, imaginantur. Hic ordo ferè constat ex literatis. Non quod omnes literati sint tales: ego enim mallet, & certè praestaret scientias omnes exterminatas è mundo esse, quam ut studio gloriae Dei Christianos alienent. Sed multi literarum studiosi reperiuntur, qui in hac speculatione indormiunt, satis esse si Deum cognoscant: intelligant veram salutis viam: si secum intus domi meditentur, qualis debeat Ecclesiae status esse, ac ipsum Deo commendent: se verò interponere, aut suscipere huius rei curam, negligunt, tanquam rem superuacua: & ab officio suo alienam. Quinetiam ludibrio habent eos, quos vident hac sollicitudine affici: & zeli inconsiderati eos damnant.

Porro, cum libellum illum, de quo dixi, scriberem, mihi facile erat prouidere, apud tale genus hominum, nequaquam gratum fore. Quare nouum videri non debet, si accidat, quod animo praesumpseram. Eos tamen obtestor, si causarum sunt patroni, ne defensionem causa tam ruinosam suscipiant: ex qua nihil referre possint, nisi infamiam. Si iudices sunt, obtestor, ne cognitionem usurpent supra ver-

bum Domini, quæ illorum foro subiecta non est. Quin potius sibi diffidentes, à iudicando supersedeant: & cum reuerentia & timore sententiæ à Deo lata acquiescant. Si Medici sunt, ne emplastris & cataplasmatibus inutilibus malum tegant: quod curari nisi in lucem proferendo, non potest. Si Philosophi sunt, aut Dialectici, ne scientias quæ mundo dedit Deus, ut sint veritatis adminicula, ad fucandum mendacium conuertant: nec tam infirmam esse putent Dei veritatem, quæ inuicta vocatur: ut suis coloribus, aut picturis, vel cauillationum argutijs opprimere eam possint. Si theologiæ sunt studiosi, caueant ne scientes ac volentes incurrant in hanc horrendam maledictionem, quæ omnibus denuntiatur, qui dixerint bonum esse malum.

Quarta species sit ex mercatoribus, & plebeijs: qui commodè agentes in adiutur suis, inquietari nolunt. Itaque, quia non putant satis iustam mercedem habere suæ quietis, pro magistro se habere recusant. Constituunt autem se euasisse Dei iudicium, si consilium meum respuant. Quanquam istorum non tanta est multitudo, quia plus simplicitatis habent: ideòque non tam sunt instructi ad tergiversandum. Nihilominus nulla est in mundo viuendi cõditio, in qua non reperiantur aliqui Nicodemitæ, qui mihi indignentur, quòd ipsos præter modum urgeam. En ut seruos Dei comparatos esse oportet ad sustinendas deuorandasque hominum offensiones, dum fideliter vnumquemque admonere volunt. Neque abs re fertur communi prouerbio, hanc esse mercedem veritatis. Ego quidem hoc tantum agere fero, quòd video ita sibi addictos, ut nisi Deus per omnia illis obsequatur, statim aduersus eum fremant. Rursum, quòd ita malè erga Euangelium affectos video, quòd tamen sequi se profitentur, ut quoties suauem illis cantilenam non canit, extemplo parati sint ad eius abnegationem: nisi primo ingressu faciant, ab vno in alterum delabi promptum est. Nam si hodie obstinent animos, nec aurem Deo præbere sustineant, cras in alia causa similiter illi obstrepent: donec fastidio primum, deinde odio doctrinæ cõcepto, ad eius auditum horreant. At verò officium meum est, studere ut salutaris sit omnibus mea doctrina. Postquam hoc conatus sum, si non respondet studio euentus, acquiesco in Dei voluntate. Quantum ad Epicureos & Lucianicos, qui abutentes Euangelij titulo, ipsum pro fabula habent, hinc supersedeo quicquam dicere: nam apud eos locum monitionis non habent. Tantum in quatuor illis generibus includere eos volui, qui aliquam saltem scintillam timoris Dei habent, verbumque eius reuerentur: sed non eò usque profecerunt in schola Christi, ut sibi renūtiare, mundumque & propriam vitam pro honore Dei obliuisci didicerint.

Abijs ergo omnibus, qui tales sunt, quæro, quid cause habeant, cur me nimis rigidum arbitrentur, quia ipsis non permittam manifestis idololatrijs pollui, & eos ritus suscipere, quos ipsi coram Deo vitiosos esse & damnatos testes sunt. Hinc non de mea aut illorum opinione agitur. Ostendo quid in Scripturis reperiam: nec festinanter sententiam protuli: atque ad id nihil dico, nisi tam clarum ac perspicuum, ut nemo contradicere queat, qui Dei verbo palam aduersetur. Tantum enim ex ore Magistri loquor. Nam testimonia produco, quæ id penitus euincant. Si fas sibi esse putant probare quòd Deus damnauit, pulchris coloribus pingendo falluntur. Si persuadere Deo volunt, his falluntur. Dicit vnus eorum, Ut mihi detur edificandi opportunitas, Missus celebros, quanquam in illis cõtineri scio sacrilegium cum Christi blasphemia coniunctum. Ut demus finem eius rectum esse, anne ideo sequitur, quòd facit, esse rectum? Faciet quidem interdum Dominus, ut

vjs illicitis verbum suum promoueatur: vt peritus est artifex, qui ex malo bonum elicere nouit. Sequitur me tamen hoc illi probari: aut excusationem habere, cum factum est? Ego quidem lator, & Deo gratias ago, cum intelligo rimam aliquam apertam esse veritati: & concionatorem quempiam modico saltem gustu recte intelligentiæ populum imbuisse. Si audio quempiam vltius progressum in predicando Christi regno, duplex gaudium percipio. Interea, si quid est infirmitatis, hoc vitiosum reputare non desino. Porro, nunc ab ipsis quæro, sitne tolerabile vitium, & ad quod conuiueri debeat, cum is qui suggestum conscendit ad sustinendam Christi personam, ad populum eius nomine & auctoritate docendum, ad obeundum denique cœlestis legati munus, se abominationi consentire simulat, quæ palam repugnat cum præcipuo capite doctrinæ Euangelicæ? Proinde, quoties suam bonam intentionem mihi obijcient, statim excipiam, Nihil mali agendum esse, vt bonum inde proueniat.

Eò minus audienda est querela, qua simul omnes me grauant. Quid ergo, inquirunt? Cœdemusne patriam, & fortunis omnibus, vt in locum profugiamus nobis ignotum, aut nos in mortem exponemus? Colligantur in summam quæcunque ad hoc argumentum pertinent, & quæcunque ipsi colligere solent. Perinde sunt, ac si quis diceret: Quid? An non possum Deo adherere, & verbum eius sequi, quin persecutionem patiar? Si hac conditione Christiani esse volunt, pingendus erit nouus Christus. Respondebit quispiam ipforum: Si Deus persecutiones immitterat, patienter ferendas esse: sed quoad licet, esse fugiendas. In primis verò cauendum, ne eas temeritate nostra asciscamus. Hoc totum fateor. Sed cum hoc pacisci cum Deo volumus, ne quid persecutionis subeamus pro eius verbo: nonne hoc est Christum transfigurare, vt talem habeamus, qualis appetitur à carne nostra? Et quid aliud faciunt, qui hoc allegant, pro ingenti absurdo, se, quod præcipio, non posse præstare sine periculo moriis, aut rerum omnium suarum iactura? Si quid de capite meo confingo, pro nihilo ducatur. Verùm, si huc nos Deus vocat, vt impiorum rabiem pro nominis sui gloria in nos prouocemus, aut conferamus nos in aliquem locum, vbi purè ipsum adorare liceat: quàm irreuerenter cum ipso agimus ita responsando? Semel pronuntiauit Christus, omnes quibus pretiosa erunt animæ suæ in hoc mundo, eis perdituros. Cum ergo hac excusatione euadere conantur isti, imminere moriis periculum, si faciant quod ex Scripturis doceo: an non Christum cogere volunt ad sententiam suam retractandam? At natura repugnat, inquirunt. Quis ignorat? Sed vbi est virtus Domini, quæ extare in nobis debuerat? Si fideles nascente Ecclesia hoc dixissent, quid Christianismo factum esset? An non inter initia concidisset, instar abortiu? Quàm vereor ne luculenta ista cognitio veritatis, qua hodie nos donauit Deus, nobis in grauis iudicium cedat! Totæ Veterum Martyrum theologia, in his paucis capitibus inclusa erat: Vnum Deum esse adorandum, in ipso collocandam omnem fiduciam: Verum eius cultum in hoc constare, vt adoretur solus, inuocetur, & cum gratiarum actione agnoscat honorum omnium author, vita exigatur ad regulam verbi ipsius: item, nunquam a libi salutem esse & vitam, quàm in solo Christo. Neque verò tam profundam istarum rerum cognitionem habebant, vt subtiliter possent de singulis disputare: sed rudi simplicitate contenti erant. Cum hac tamen alacres currebant ad ignem: aut aliud supplicij genus. Quinetiam illuc infantes suos portabant matres. Nos

qui præ illis tam magni sumus magistri, tam disertè de quavis quaestione differere non uimus, non capimus quid sit Dei ueritati reddere testimonium, cum opus est: & Christianismum nostrum probare.

Sed hoc est aliquanto deterius, quòd quibusdam non sufficit tales querelas edere, ut à communi lege, quam suis omnibus imposuit Christus, se eximant: sed blasphemys se armant ad resistendum Deo. Blasphemias appello, cum pro sensu carnalis prudentiæ, hanc esse optimam promouendi Euangelij rationem sibi persuadent, communicare Papistarum idololatrijs, nec periculum ea causa subire. Si tali opinione occupati fuissent Apostoli, quid, quaeso, nobiscum actum esset? Obijciunt, paulatim esse progrediendum. Fatetur: addo etiam, incipiendum esse à fundamentis: & quia non possint uno die simul omnia confici, ordinem tenendum esse. Sed quale hoc est fundamentum, cum suo exemplo abominationem adificiant uerbo Dei tam contrariam: nempe, manifestam idololatriam? Alterum uerò quòd obtinent, obliqua etiam est blasphemia, præter id quòd hypocrisis & mendacio non caret. Inuiti, inquit, conuenemus ad multa, & multa facimus, quòd lucrificamus multos Domino. Hoc modo conseruatur Ecclesia & augetur, quæ secus agendo periret. Hunc cuncti honorem habent Deo, ut eum non putent conseruare Ecclesiam suam posse, nisi ipsorum simulatione adiuuetur, quam ubique tam fortiter reijcit? De Apostolis quoque, quàm honorificè sentium, cum aiunt confundi omnia & Ecclesiam destrui, si quis eorum confidentiam sequatur, qua uisi sunt in plantando Christi regno? Quòd si eos nihil pudeat imprudentiæ damnare Apostolos, quid tamen de successu dicent, quem ardenti eorum zelo & cōstantiā Dominus contulit? Tacitabuntne adificatam hæcenus sua opera decem hominum Ecclesiam, in vrbe aliqua aut pago, cum tam magna ista sua discretionē, & tam circumspecta sapientiā: cum totus mundus simplici nudaque Euangelij prædicatione ad Deum fuerit adductus? Deinde, appello ipsorum conscientias: nunquid ad hunc finem tendant, ac non potius ut læsionem fugiant cutis suæ? Certò certius est, colere in hunc, quem prætendunt, procul abesse ab eorum consilio. Sed hoc non moror: neq; enim meliorem in partem accipi poterit hæc defensio, quàm ut blasphemias istas contineat: nempe, medium, quòd ordinauit Deus ad Ecclesiam suam promouendam & tuendam, neque aptum, neque utile esse: uirtutem, quam hæcenus exeruit in Ecclesiæ conseruatione, esse collapsam: non fiducia uirtutis eius promouendam esse Euangelij ueritatem, sed carnalis prudentiæ auxilio.

Ab hac scaturigine manant, quascunque præterea adducunt cauillationes: nempe, quòd hanc gloriam dare non possunt Deo, ut illum sinentes gubernare rerum euentus, quòd feliciter eius directione succedant, sine controuersia exequatur quòd præcipit. Nec se hac sollicitudine torqueant, quid sequetur? quid eueniet? Sunt autem hæc eorum argumenta: Si fugere idololatriam uellent omnes p̄j, regiones, ubi nunc copiosum est Dei semen, statim deserta aridaque manerent. Respondeo, Dei esse officium huic periculo mederi. Respondeo secundo, discessum hominis sonantius aliquando, & efficacius docere, quàm si ore suo prædicaret. Respondeo tertio, me non postulare, ut quispiam patria cedat. Domini est terra. Tantum illum pura conscientia colamus, ubicumque erimus. Si hoc agentibus non dabitur amplius consistendi locus, commendantes nos eius tutelæ, migremus alio. Quarto, respondeo, stultè facere singulos, dum sic suscipiunt communem

omni-

omnium causam: scimus enim ad nos quoque pertinere, quod olim dictum fuit Petro: Quid alijs facturus sim, nihil ad te. Sequere me. Vnusquisque nostrum fateor, sollicitus de suis proximis esse debet: sed in hoc, vt mutuo nos adiuuemus, non vt occasionem remora alijs ab alijs sumamus. Respondeo denique, eos, dum hoc periculum prouident, perinde facere, ac si cogitarent quale vinum bibituri sint hinc ad mille annos: neque enim omnibus equali mensura gratias suas distribuit Deus, nec eadem ratione. Frustra ergo timent ne regiones tota Christianis nudentur: potius Euangelium centuplo magis propagaretur. Denique, si hoc posset ab illis impetrari, vt non amplius à maledicta carnis prudentia penderent, facile protinus inter nos conueniret.

Non est presentis instituti, omnia eorum hinc obiecta refellere: nam id, plus satis feci in opusculo de quo cõqueruntur: tantum attingere obiter volui, quid proficiant sic aduersus Deum obloquendo, vt supersedere potius discant, quam vt causam suam reddant peiorem. Præterea, admonitos velim, vt ab ista ingratitude desistant, quam suis exprobrationibus produnt: Cum tantam strenuitatem præferat Calvinus, cur non huc venit ipse, vt videamus qualiter se gerat? Facit idem, quod duces exercituum solent: qui in urbium oppugnationibus gregarios milites instigant ad irruendum, & excipiendos ictus: ipsi autem extra discrimen subsistunt. Hac ratione, fidelibus olim ludibrio fuissent cuncta Apostolorum exhortationes: cum eos incitabant ad ferendas continuas persecutiones pro Christi nomine. Hortabantur, ne vllam ob calamitatem frangerentur animus: vt læti & alacres, bonorum iacturam facerent: sustinerent æquo animo mundi opprobria: constanter ad mortem ipsam pergerent, postquam ita Domino visum esset. Poterant excipere fideles: Huc venite ipsi, & viam nobis monstrate. Dicit qui spiam, Apostolos non immunes fuisse à persecutionibus, atque hoc illis maiorem fiduciam præbuisse requirendi ab alijs, quod ipsi opere præstabant. Respondeo, sæpè hortari solitos fuisse ad patientiam & fortitudinem Ecclesijs, vnde ipsi periculi metu aufugerant. Obsecro, cum dicit Apostolus Hebræis, Nondum ad sanguinem vsque restitistis: nonne excipere poterant, Tibine dolet, an nobis inuides, quod deteriore non simus conditione, quam tu? Adeoque ne sim prolixior, quid Petro dici poterat, cum fidelibus ostenderet, hanc esse veram beatitudinem, pati pro Christi nomine?

At verò fideles, cum reuerentia, tales exhortationes amplectebantur. Quemadmodum hodie quoque faciunt, qui verè sunt p̃y: scientes hominem non aliter derisui habere sanctas monitiones ex verbo Dei sumptas, quam in suum exitium. Quòd ad me pertinet, non me iactabo multa perpeffum: sed vnum, verè asseram, per me non stetisse: quin etiam aliquoties me exposuisse periculo. Et quia me cum præfecto militari conferunt, cur tam maligni sunt, & inhumani, vt non satis habeant, si præstem in hoc spiritali bello aduersus Sathanam, quicquid à bono & fideli duce desyderari potest in terrena militia? Quanquam in eo quoque falluntur, quòd me tam procul à iactu telorum collocant. Nam etiam si mihi ad oculum non immineat hodie persecutio, quid tamen cras futurum sit, nescio. Quicquid sit, nimium sim stupidus, nisi me iam hac hora præparum, ne ex improviso circunueniar. Cum id venire oportuerit, spero hanc gratiam mihi non defuturam à Domino, vt nomen eius sanguine meo glorificem, quemadmodum nunc lingua &

calamo. Nec remissiore animo vitam profundam, quàm nunc verba facio. Ipsi vero suam in eo turpitudinem produnt, cum nihil habentes reliqui, ad probra & maledicentiam confugiunt.

Verùm, adhuc sibi videntur honestum operculum habere, quandiu sub pallio Nicodemi teguntur: quod simile faciunt pallio Virginis, quam Lutetia pictam aliquando vidi apud Carmelitas: memini enim illic latere Monachorum legionem, tanquam pullorum cateruam, sub alis gallinæ. In hunc modum isti tam late extendunt Nicodemi pallium, ut inde tegantur omnes: saltem opinione sua. Nam re vera cum quisque ad se oram unam traheret, sic distraxerunt huc & illuc, ut lacerauerint, non tantum in frustra, sed etiam in fila. Qualiter igitur sub eo delitescunt? dicet quispiam. Nempe, idem illis accidit, quod perdicibus: quæ se bene latitare putant, inuenta latebra ad caput occultandum. Proinde, hoc pallium Nicodemi, quo tegi se opinantur, non nisi falsa imaginatio est, qua se deludunt, ac si oculos clauderent, aut velo obducerent, ne possent ab alijs cerni. Quid enim habent cum Nicodemo simile? Quia venit ad Christum nocte, inquit: nec se professus est Christi discipulum. Fateor equidem Nicodemum, priusquam illustratus esset, latebras quæsisse: sed ex quo illi Sol iustitiæ illuxerat, nunquid se in suis latibus semper continuit? Quin potius videmus, qualem professionem ediderit: & quidem cum omnia desperatione plena essent. Cum, scilicet, Pilatum adiit unà cum Iosepho, ut Christi corpus ad sepulturam peteret. Obseruemus tempus. En Sacerdotes, Pharisei, & omnes veritatis hostes, tanquam victores triumphant. Ex aduerso, miseri Christiani consternati sunt, & prope attoniti, dum Magistrum & Redemptorem suum mortuum vident, & corpus eius in patibulo inter latrones suspensum.

Scribæ, Pharisei & Sacerdotes sunt in excubijs, ut obseruent, num quis ausit musitare: nec enim ipsis satis est, occisum esse Christum, nisi in totum deleatur eius memoria. Illa adhuc rabie, quam in eum exercuerant, inflammati sunt ad persequenda eius membra. Populus etiam tumultuabatur, ut certum esset Nicodemo, se non aliter profiteri posse discipulum aut studiosum Christi, quin omnium furorem in se concitaret. Proficitur nihilominus euidenter coram omnibus: probrum & infamiam non metuit: non refugit odium: tumultum non horret: persecutiones non reformidat. En quid sit Nicodemizare, si Nicodemum Christianum aspiciamus: non autem in illa ignorantia, qua detinebatur ante agnitionem Christum. Sed quid? Isti, quod fecit Nicodemus incredulitatis suæ tempore, imitari volunt. Exemplum autem, quod fide iam donatus prodidit, dissimulant ad se pertinere. Summa hæc sit: Nicodemus ignorantia adhuc detentus, noctu ad Christum venit. Postquam fide illuminatus fuit, palam & interdium ipsum confessus est: idque tempore magis formidoloso, quàm fuisset antea. Quamobrem, qui eius nomen pro integumento asciscunt, grauem illi faciunt iniuriam, & nihilo interea magis proficiunt, quàm si Christianæ fidei persecutor, Paulum in excusationem obtenderet. Neque hoc solum est specimen, quo Nicodemus, cum magno vitæ discrimine, se Christianum ostendit: iam enim tum cæpit periclitari pro Christo, cum in cœtu impiorum, contra omnes institit, ne inauditum damnarent. Non edebat quidem, fateor, tunc integram confessionem: hoc tamen ipsum aliquotusque progredi erat, cohibere furiosum impetum totius Synagogæ. Nunc in



cœtu aliquo tres aut quatuor erunt istorum Nicodemitarum, qui taciti sinent miserum Christianum crudeliter morti addici. Atque utinam nemo eorum damnationi subscriberet. Hæc ergo est vera nicodemizandi ratio, proficere de die in diem, & se animare temporis successu, ad dandam Deo gloriam. Fortè, vna in re illis concedi possit, similes esse Nicodemo: nempe, quòd ad eius imitationem Christum sepeliunt. Sed inter duas istas sepulturas magnum est discrimen. Corpus enim solum sepeliuit Nicodemus, & pretiosis aromatibus vnxit. Isti corpus simul & animam, diuinitatem & humanitatem, atque sine honore. Nicodemus sepeliuit mortuum: isti sub terram defodiunt, postquam resurrexit. Ergo, post hæc desinant opponere Nicodemum pro clypeo, quòd sibi licitum esse persuadeant, fidem suam dissimulare vsque ad idololatriæ simulationem: cum centuplo plus fortitudinis ostenderit vnus Nicodemus in morte Christi, quàm ipsi omnes post eius resurrectionem.

Iam finiendū tempus est. Credo autem, quicumque guttam habent sani iudicij, eos clarè perspicere nullam esse rationem, cur accuserim inij rigoris: quòd ea tantum à Christianis exigam, quæ Christus illis præcisè iniungit. Qui autem aures habent tam molliculas, vt me ferre nequeant: respondeo, duram non esse meam doctrinam, sed duriciem cordis ipsorum facere, vt talem iudicent. Si difficile factu est quod doceo, non sequitur propterea, quin officij nostri sit. Scio non esse cuiusque corrigere publicum regni statum: neque id requiro: sed tantum, vt se quisque reformet, à mali communionē abstinendo. Si res est ipsis molesta secundum carnem, nihil miror: sed si agnoscant verum esse quod dico, potius veritati pareant, quàm vt, phreneticorum more, medicum percutiant. Non oblector ipsorum mœnore. Si tamen eos ad tristitiam possem adducere, de qua Paulus loquitur: hoc est, quæ pœnitentiam in ipsis generet, non me pœnitebit: nam illis cedit in salutem. Si tristantur, vt fremant & resistant, doleo. Neque enim mihi cordi est ipsorum exitium: nec mihi vellem eius imputari causam: sed cum ipsi in causa sint, quid facerem?

Hactenus cum ijs locutus sum, qui aduersus Deum sapiunt, vt se eo inuito iustificent: nunc sermonem ad eos conuertam, qui inter Papiſtas agentes, cum timore & humilitate miseriam suam agnoscunt: & inuito manent inter illas abominationes, quas spectare coguntur. Satis reputo, quanto pere sint perplexi. Rursum scio, sic tractandas esse pauidas conscientias, ne conijciantur in desperationem. Atqui, videre licet ex opusculo, me non fuisse tam inhumanum, quin rationem talium habuerim, ad ipsos consolandos. Seruauī, fateor, temperamentum, quale Dominus mihi permittit: non autem quale appetit mundus: nempe, quòd illis non adulādo, hortatus sum ad preces & peccati sui confessionem: ad gemitum & lachrymas: hortatus, inquam, sum, vt Deo se commendent, & assidue ab ipso liberationem pascant ex hac seruitute, aut fortitudinem & constantiam: qua instructi, honorem eius præferant propriæ vitæ. Hortatus sum denique, vt se ipsos quotidie vrgeant, ad quærendum mali exitum. In hac sententia etiam numpersto, ac sic eos consolari cupio qui peccant, vt non indormiant suæ socordix: neq; se indurent aduersus Dominum. Et sanè non huc spectant Christianæ consolationes, vt animos sopiant, persuadendo ipsis malum esse bonum: sed vt coram Deo deiecti & confusi, mittantur ad vnicum remedium: nempe, vt veniam à Deo postulēt, &

liberationem à malo. Quibus hoc non satisfacit, querant alibi suum Balaam, qui benedicat, quod Deus maledixit. Hoc neque officij mei est, neque moris.

Hæc porrò ratio est, cur tanta vehementia in hoc argumentum insistam: quia non dubito, grauitèr hætenus à plerisque prouocatam fuisse iram Dei, quòd tam paruo æstimârint, adeoque pro ioco duxerint sacrum eius nomen polluere, idolatrijs se miscendo. Tam illud quidem non leue crimen est, idolatriam externam perpetrare: corpus nostrum, quod Dei templum est, ea fœditate inquinando, quam Scriptura non minus damnat, quàm scortationem. Hoc quoque non exiguum est erratum, transferre ad idolum, Dei gloriam. De externa reuerentia intelligo, quæ testimonium est spiritualis cultus. Hoc tantùm modo profitemur nos idolatriæ consentire. Nec vulgaris postremò culpa est, malum exemplum dare proximis, quo cæci in errore confirmantur: infirmi verò turbentur, vel offendantur. Verùm, quando ad hæc omnia mala adiicimus impudentiam, & tanquam putidæ meretrices, os fricamus & frontem, quasi nihil mali egerimus: hoc verò est Deo illudere: & tanquam data opera, illi indicare certamen, vel potius illum in nos ad vltionem armare, quem admodum etiam per Prophetam suum Iesaiam ostēdit: iureiurando denuntians, talem iniquitatem non remissum iri. Videmus vt David, cum fugitiuus è patria exularet inter Philistinios, nihil magis deplorauerit, quàm quòd priuatus esset facultate veniendi ad sacros cœtus, vt ibi precaretur inter fideles: Dei doctrinam audiret, & se confirmaret Sacramentorum vsu. Pre hoc vno, parui æstimabat se expulsus esse à regno, quod tamen habebat ex dono Dei: priuatum esse parentibus & amicis, vxore expoliatum. Neque enim ob has causas lamentatum fuisse legimus, sicuti quòd priuatus esset accessu Tēpli. Quamobrem, quicunque in regionibus degunt, vbi nulla extat Ecclesiæ facies, ad Deum ritè adorandum & inuocandum, ad audiendam eius doctrinam, ad recipienda eius Sacramenta, cum Dauide gemere deberent, se orbatos esse tantis donis, tamque necessarijs: nullo enim apertiore signo prodimus nos præfractos esse & contumaces Filio Dei, quàm cum ad eius flagella stupidi sumus. Hoc porrò flagellum, præ alijs omnibus horrore nobis esse debet, cum nobis adimit eas notas, quibus præsentiam suam testatur mundo. Hic autem extremus est rigor, cum huic captiuitati nos allicit, vt idola cogamur adorare. An non ergo nimis hic est Dei cōtemptus, non affici, & quodammodo ridere, cum signis eidentibus iratum se nobis declarat: adeoque multò acerbius, quàm si peste, bello & fame simul nos persequeretur?

Quamobrem, omnibus subductis, nõ possum, sicuti iam dixi, aliter statuere, quàm quòd talis socordia Deum prouocat, vt homines abijciat, & relinquat in tali exitio. Nam si vno consensu omnes diligenter reputarent suam miseriam, sibi que in eo displicerent, quòd Deum non glorificant pro vt meretur, veniam ab ipso deprecantes, poscentesque vt manus suæ potentiam ad eos eruendos velit exerere: exaudiret procul dubio eorum gemitus. Quòd si id pridem factum fuisset, iam apparuisset eius benedictio: neque enim recipienda eius gratiæ capaces sumus, donec premamur malis nostris. Aliud impedimentum, quo retardatur opus Domini, est in eorum ignauiâ & timiditate. Dandus erat hic honor Deo, ipsum vias inuenire posse regni sui promouendi, quæ sub sensum nostrum non cadunt, vt hac fiducia se paulò audacius impenderent, quisque pro facultate sua. Sed quid è contrarium fit? Antequam aggredi aut attentare quippiam ausint pro Dei honore, vna voce pro .

pronuntiant omnes, super sedendum esse: quia nihil sua opinione proficerent. Annon digni sunt à quibus suam benedictionem retrahat Deus: & quibus virtutem suam occulter, quando eum tam imbecillum inuaginantur? Quinetiam periculum est, ne Dominus in posterum Verbi sui cursum reflectat ab ipsis: ut steriles, aut destituti maneant. Hæc enim iusta esset ultio tanta timiditatis. Quòd si id nobis accidat, in nos certò conferenda erit culpa, cum nemo nostrum digitum ad mouere velit, ad promouendam Dei gloriam. Atque ideo hoc subterfugimus, quia diffidimus Dei ipsius virtuti, dum eam, quæ infinita est, captiuis sensibus nostri metimur. Proinde, se quisque Dei fiducia roborer, quòd se omnes ad operis partem pro virili accingant: nempe, ut cum Satana bellum gerendo, reonum Christi restituerentur. Ne concionatores tanta cautione inuigilent ad consulendum vitæ suæ, quanto zelo ardeant ad exequendum suum munus: & implendum quod pollicentur, consensu suggestu: quod tribunal est veritatis, vnde solus Christus audiendus est. Auditores doctrinæ efficaciam proferant: & eam propagare studeant, alij alijs in manum tradendo. De ceterò, cum Dauid professionem edere volens, pijs omnibus communem, negat se communicaturum idolorum sacrificijs, & nomina eorum sibi in ore fore negat: saltè qui ab hac puritate deflectunt, agnoscant suum delictum, ac continenter Deum precentur, tam pro venia impetranda, quam pro exitu. Nec quisquam subterfugiat, vel aures obturet, vel claudat oculos: quemadmodum multi se aliquid consecutos esse putant, dum abstinent ab auditu & lectione sanæ doctrinæ, ut cum Deo nunquam veniant ad calculum: nam omnibus, qui eius verbum audire non sustinebunt, quòd obiurgatione & minus effugiant, denuntio, manum eius sensuros: quæ multò durius ipsos urget, & multò amarius clamare coget, V&V&, idque in exitium: cum verbum in remedium proponatur hodie ad salutem.

Psal. 16.

Libelli ad Pseudonicodemos, finis.

CONSILIVM PHILIPPI MELANCTHONIS.

**N**on dubium est, omnes creaturas rationales obligatas esse ad primū præceptum: ut verum Deum, vero timore, & vera fide colant, & fugiant omnia idola Ethnica, Mathematica, heretica, & quauicunque sectarum porteta, pugnantia cum verbo Dei: in quo se verus Deus patefecit. Matth. iij, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Nec tantum interior cultus necessarius est, sed etiam externa significatio, seu confessio, seu professio. Matth. x, Qui negauerit me coram hominibus, negabo eum coram Patre caelesti. Negat autem, qui nunquam aperte confitetur, imò etiam perseuerat in testimonijs contrarijs veræ inuocationi: legit Missas, aut adorat panem, aut statuas. Quòd enim quid: dicunt, se non negare, sed interrogatos, dicturos esse quod sentiant, nec opus esse sine inuocatione periculum accersere: et si hæc vera sunt, tamen interea non sunt contraria faciendæ veræ inuocationi. Ut si quis captiuus ex Christianis, viues inter Turcas, tacitus apud se se Christum inuocaret, nec tamen externa professione suam fidem ostenderet, inno etiam interesset Turcicis sacris: haud dubie reus esset æternæ iræ Dei. Sed vbicumque sumus, siue inter Turcas, siue inter hæreticos, siue inter verè pios, interdum aliqua confessio necessaria est: & certè contraria veræ inuocationi non sunt faciendæ. Si quis igitur est sacrificulus aut monachus, & cogitur Missas celebrare, uruocatur, si intelligit se impiè facere, omittat eas Missas, nec agat contra conscientiam: nec potest inueniri excusatio vlla pia, cur liceat re-

HH

tinere eam cōsuetudinem. Idem dico de Lucis. Ea quæ norunt verè esse idolorum cultus, fugiant, iuxta illud: Fugite idola. Sunt autem manifesti cultus idolorum, inuocatio sanctorum, qui ex hac vita discesserunt: inuocatio ad certas statuas, adoratio panis in impijs Missis, & in circunge Statione.

Aliqui dissimulantes agnitam veritatem, confirmant scuitiam regū. Hi etiam magis peccant, quàm non fugientes idola. Propter has causas, tutissimum esset discedere ex locis, ubi defenduntur cultus idolorum. Sed dicat aliquis, non omnes posse in vno loco esse, nec posse discedere coniugem à viro, aut matrem à liberis. Hic respondeo. Duo sunt genera: alij sunt firmi, alij infirmi. Sed siue firmus est quispiam, siue infirmus, sciat mandatum Dei esse, vt fugiat idola, & ostendat aliquam confessionem. Et cum alius alio firmior sit, alius confessionem magis, alius minus illustrem ostendet. Ioannes Apostolus firmior erat Nicodemo: quanquam vterque erat imbecillus. Pia mater-familiās, habet causam non facilè discedendi à marito & à liberis: sed tamen ostendat confessionem, & fugiat idola, eaque in re proficiat, dicat quid sentiat, non accedat ad Missas, absit à pompis, in quibus circunge statur panis.

Hactenus dixi de rebus necessarijs. Sæpe autem Ecclesia habuit aliquis confusiones: vt Hierosolymæ, tempore Zachariæ, multum erat vitiosorū cultuum, & prauarum opinionū in templo: & tamen eò, vera Ecclesia etiā conueniebat, vt Zachariæ, Elizabeth, Maria. Tali tempore, hi qui sunt in suis Ecclesijs, apertè improbent errores, vt fecit Zachariæ: ritus autem bonos, aut adiaphoros seruare possunt.

Volo pios, firmos & infirmos, accedere ad baptismum infantum, in suis Ecclesijs, ubicunque sunt. Seruare etiā possunt ritus adiaphoros, vt interesse lectioni Psalmorum in vesperinis precibus, & alijs honestis congressibus, etsi aliquid vitij aliquibus admixtum est, quia in eo cœtu sunt adhuc aliqui electi, & sancti, vt pueri: & aliqui adulti rectè sentientes, sed infirmi, qui tamen sunt membra Christi, & sunt paulatim prouehendi.

Sed dicat aliquis, Si non accedam ad Missas, ad pompas publicas, cum gestatur sacramentum, xpiar ad supplicium. Ad id respondeo: Regulam, quæ docet quid sit faciendum, notam esse, sed aliud est loqui de regula, aliud de factò. Regula est, vt potius discedas ex illis locis, quàm venias ad supplicium: ac infirmis facilius est sustinere exilium: sed qui nec exilia, nec supplicia sustinere volunt, valde infirmi sunt. His, vt egrotis, non aliud dicere possunt, nisi vt imbecillitatem agnoscant, & deplorent, & paulatim vires confirment, & aliqua subinde illustriora testimonia confessionis edant. Scio rem difficilem esse, hæc exordia confessionis. Sed aut proficiendum est, aut expectandus interitus. Hic autem addo præmonitiones quatuor.

Prima, prius bene iaciantur fundamenta, doctrinā Euangelij rectè cognoscamus, ne falsa pro veris amplectamur, nec augeamus nobis errores, & alijs: nec pericula propter falsas opiniones suscipiamus: sed fugiamus Anabaptistarū furores, qui multos errores circumferunt. Negant peccatum originis, improbant baptismum infantum, corrumpunt doctrinam de iustitia fidei, damnant politias, magistratus, iudicia, distinctionem dominiorū, vera iuramenta, denique multi multis malis, & perniciosis opinionibus dementari se sinunt. Ideo sumus prudētes, & circumspecti, & vero iudicio, doctrinæ genus eligamus: & amplexi veris sententias, non abijciamus.

Secunda præmonitio: Non blandiamur ipsi nobis, nec prætexatur infirmitas simulationi. Multi in aulis vocāt se Nicodemos, & infirmos, cum sint præuaticatores, & similes Alcimi, cuius fit mentio in historia Machabæorum: confirmant scuitiā potentum, sua dif-

simu-

simulatione. Multi etiam sophisticas mitigationes quærunt, vt excusent cultus idolorum. Etiam si sacrificia in Misis non valent pro mortuis, inquit, valent tamen preces. Et posent exempla multa sophisticarum illarum excusationum recenser: sed ita ludere præstigijs sophismatum, est tentare Deum, & impiè abuti nomine Dei.

Tertia præmonitio: Priusquam periculo supplicij se homo exponat, cogitet de patientia, seu cōstantia. Multi *ἠραοὶ δὲ τοιοῦτο* initio audacter inchoāt mutationes, & postea cū pericula sunt propiora, fracti animis abiiciunt doctrinam: ac multi deinde fiunt prorsus Epicurei. Quando igitur homo tantum roboris habeat, vt possit confessionis periculum sibi accersere, non potest regulis describi: sed euentus ipse ostendet, an Spiritus sanctus confirmauerit animum. Nostrum est tamen rectè docere, non blandiri infirmitati. Et quanquam aliquantisper tempori venia danda est, præsertim in *ὡρίων*, in magnis causis, in metu publicæ discordiæ: tamen non sit dissimulatio perpetua. Primum decalogi præceptum, Non habebis Deos alienos, omnibus rebus alijs anteferendum est.

Quarta præmonitio: Fugienti in exilium cogitandum est etiam, quid sit Ecclesia, & cui cœtui velit se adiungere: quia non ita fugiendum est, vt postea viuas in solitudine, aut latebris, aut solus tuis quibusdā imaginationibus fruaris, aut fingas subinde nouas opiniones, sicut multi hoc tēpore vagantur, Schenlzfeldius, Campanus, & alij innumerabiles: qui omnibus Ecclesijs maledicunt, & totum ministerium Euangelicum contemunt, & suis quibusdam paradoxis in doctrina & in moribus, delectantur. Hæc exempla non imitemur: sed eligamus verum & certum doctrinæ genus, & palam Ecclesiæ alicui publicè nos adiungamus: amemus ministerium, & conspiciatur nostræ confessio in eo cœtu: simul vtamur Sacramentis non deprauatis, coniungamus nostram inuocationem cum Ecclesiæ inuocatione: sicut Christus peculiari promissione commendauit nobis studiū tuendæ congregationis publicæ: videlicet vt seruetur publicum ministerium, vt dicitur: Vbiunque duo aut tres erunt congregati in nomine meo, in medio eorū sum, & fient eis quæ petent, &c. Vult honestam frequentiam esse publicorum congressuum, & hanc vult à singulis adiuuari. Vult enim ministerium Euangelicum conspici, & audiri, quod nō fit in dissipatione. Idèō multa dicta Prophetica commendant nobis studiū inuendi publicos congressus. Vt Psal. ij, In conueniendo populos in vnū, & reges vt seruiant Domino. & Psal. c xxxv, Qui stas in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. & Psal. c l, Laus eius in Ecclesijs sanctorū. Hanc sententiam dextrè intellectam iudico esse piam. Nec tamē antefero meam sententiam aliorū piorum, & doctorū iudicij: & admonitus, si quid desideratur, corrigā. Die. xvij. Aprilis, quo Noha ante annos 3846 arcam ingressus est: quo ex cęlo Deus testatus est, se non deserere Ecclesiam suam cū magnis fluctibus quassabitur.

Philippus Melancthon.

## MARTINI BVCERI CONSILIVM.

**S**ententiæ hęc à domino Philippo scriptæ, in omnibus assentior. Opto quidem fratres, quos Babylonica tenet captiuitas, diligentissimè cauere, ne intempesti uè & petulanter vituperādo vulgatas ceremonias, opinionem impietatis apud electos Dei, quos lucrifacere Domino oportebat, incurrant: atque eò se inutiles reddant, qui illos Domino adducant. Opto vt illud inter fratres certum teneatur, Quæcunque Dei & Christi supersunt in vulgatis lectionibus, cōcionibus, & alijs Ecclesiasticis actio

nibus, ita vitari non posse, nec impietate ministrorum, nec irreligiosa humorum commentorum admixtione, nec superstitione abulentium: quin pii homines loquentem & agentem in illis Dominum audire & sentire queant, & ad incrementum pietatis illis uti. Ita scilicet, etiam post Christi necem vsi sunt ceremonijs Hierosolymitanis, vitiatas grauissima impietate, & administrantium eas, & vsurpantium: tum etiam contaminatione inuentionum humanarum. Cum autem simus ad hoc conditi & redempti, ut Deum & Patrem nostrum, per Dominum nostrum Iesum Christum ubique & in omnibus nostris inuocemus, confiteamur, & celebremus, summa religione, libertate, fiducia, nec ullam omittamus occasionem predicandi regni eius, adducendique ipsi, & ad gregem eius, oves quascunque ab ouili eius adhuc aberrant, necesse est, ut omnes Christiani, hoc summo studio curent & faciant, in sacris coetibus atque ceremonijs, hoc est, coram ipso Domino, & in ipsa inuocandi, confitendi, predicandi Dei & Seruatoris professione, atque gratiarum actione. Ad hoc enim ipsum conuenitur in sacris conuentibus: & ad hoc ipsum instituta sunt omnes ceremonie, quae instrumenta scilicet sunt: sicut commendandae & exhibendae nobis redemptionis, atque communionis Christi, ita etiam inuocandi, confitendi, & celebrandi Christi. Istud enim, Facite hoc ad meam commemorationem, ad omnia Sacramenta Christi pertinet. Id quia ista inuocatio, confessio, & celebratio Domini debet fieri ex toto corde, ex tota anima, & ex omni virili, ut Dominus solus est qui largitur, & facit nobis omne bonum, quius id facile cognoscit, verè credentium Christo esse, ita inuocare, confiteri, & predicare Christum Dominum, ut non solum ea quae ipsius sunt, agnoscamus, laudemus, & hominibus commendemus, sed etiam quae Antichristi sunt detegere, anathematizare, & homines ab illis reuocare studeamus. Sic intererant Apostoli ceremonijs vulgaris Hierosolymis quae supererant ex institutis diuinitus, eas ad Christum Dominum referebant, verumque vsus earum docebant: quae admixta erant humanitas, ea prodebant & damnabant. Dominum Iesum finem legis, & omnium lege traditorum, summo studio predicabant, & in templo, & in omni coetu hominum, domi, & ubicumque reperiebant, qui audire sustinerent. Utebantur quidem etiam dispensatione, & in doctrina, & in ceremonijs. Infirmabantur cum infirmis, iudicabant cum Iudaeis: sed ut electos Dei sensum & ordine ea, quae Christi sunt docerent, infirmos corroborarent, & sublatis humanis studijs, omnes in Christo pura & solida fide eius unum nouum hominem, & in via Dei perpetuo adolescentem, & ad mensuram plenae adultae aetatis Christi gratiascendem efficerent. Nihil dissimulabant, aut simulabant. Quae agebant cum in communibus rebus, tum in sacris, uero corde, & recto studio glorificandi Christum, & lucrifaciedi fratres, agebant. Tacebant quaedam in loco, sed ut ea commodius & efficacius docerent, quibus animos, & ad ea percipienda prepararet, quae adhuc continebant: propterea quod tradere cum fructu nondum poterant. Utebantur ceremonijs interdum Iudaicis, sed ut ab illis reuocarent qui eis utebantur superstitiosè. In confesso nunc est apud omnes ritè doctos fidem Christi, in Missis esse manifestam Christi negationem: non solum propter vulgaris persuasionem sacrificij, quod pro se communicantibus cum eo, praesentia tantum corporali, & largitione, sine poenitentia & fide Christi: sed etiam quod Christus ibi non predicatur, Sacramentum pro eo adoratur, & quicquid in sancta Coena instituit, peruertitur.

Eadem admittuntur in pompis & cultibus sacramentalibus, & reliquijs, imaginum, atque statuarum. Fugienda igitur haec sunt, detegenda, & anathematizanda, & homines ab illis reuocandi summo studio. Cui uero Dominus tantum roboris non dederit, is tamen ne desperet: sed nec securus in eo sit, suamque infirmitatem, ne prudentia, aut dispensationis

tionis colore conetur infucare. Naaman Syrus quidem adorauit in templo Rimon, sed Deū verum, quod indubiè non minus verbis quàm sacrificijs, quæ iam soli Domino faciebat, confessus est. Deum fratres infirmiores semper orent per Christum Dominum, vt ipse confitendi prædicandique sui animum fortem inspiret, viamque & rationem idoneam monstrat. Fortes infirmiores spiritu mansueti instaurent, & corroborent, non abijciant, aut frangāt. Si quem Deus ad asserendum regnum suum, siue in sacro ministerio, siue in priuata vita, ampliore dispensatione quàm hic descripta est, vocauerit, huic reget ipse Spiritus suo: cui precamur, vt ductum Spiritus sancti purè & feliciter sequatur. Dominus Iesus congreget ipse oves suas, & pascat, Amen.

Octauo Maij. M. D. XLV.

Martinus Bucerus.

PETRI MARTYRIS CONSILIVM.



Væ à dominis Philippo & Bucero scripta sunt, mihi quoque probantur: istaque solummodo adscribo, vt potius magis explicem, quàm vt illorum consilio adijciam. In primis, qui Baptismum infantibus suis in Ecclesijs Papiisticis petunt, aut in illis precibus inter sunt vesperinis & matutinis, cum ista ibi nõ perficiantur sine mortuorum inuocatione, aut suffragijs pro defunctis: eorum partes sunt, ita amplecti in istis Dei & Christi instituta, vt vitia ipsi detestentur, non modò secum in animo, sed pro opportunitate oblata, verbis ea patefaciant, idque potissimum eis, quos vt infirmos, vident se posse offendere suis illis actionibus. Vt verò Missæ intersint, & profanissima Coenæ Papiatarum, non debent adduci exemplo sanctorum Iudæorum ante Christi aduentum, qui ritibus & ceremonijs Hierosolymis intererant, cum nostra & illorum non sit omnino eadem ratio. Illis enim tunc iusserat Dominus, non solum vt illa facerent, sed vt in anno ter apparerent coram Domino: neque alibi quàm Hierosolymis sacrificare licuit. Modò, nos vbique possumus & Sacramenta percipere, & laudes offerre Deo. Neque nimis blandiantur sibi exemplo Naaman Syri: nam ibi nil aliud à Propheta petit, nisi vt Deus sibi velit ignoscere, quãdo in templo Rimon adorauerit. Ex eius postulatione nõ euincitur, id quod erat facturum, non esse peccatum: sed orat vt si id inciderit, remissionẽ precibus obtineat. Neque Propheta aliquid ei promisit in eo factò: solummodo respondit, Vade in pace. Quo responso abeuntem salutat, aut recipit se pro illo oraturum, non tamen illud ei licere affirmat. Postremò, dum sunt dispersi fratres in Babylonica captiuitate, videant vt aliquem, si fieri potest, inter se habeant sanctum conuentum. Apostoli enim Hierosolymis, etsi post necem Christi intererant quandoque in templo, Iudaicis ceremonijs: at tamẽ inter se Cœnã Dominicã habebant, & orationibus atque verbo Dei simul vacabãt.

Petrus Martyr.

Et hæc mihi probantur. M. Bucerus.

HH 3



Quoniam satis demonstrasse mihi videor Christiani hominis officium non facere, qui nullam fidei suæ confessionem edit tota vita: multò verò minus, qui idololatriæ simulatione se contaminat: totam illam disputationem hîc omitto. Hoc igitur constituto: queritur, nunquid homini pio migrandum sit potius è patria, & relinquenda sua vocatio, quàm ut Missis intersit, mortuorum exequias Papiſtarum more celebret, ac vsurpet vsitatas in Papatu ceremonias, cum verbo Dei pugnantibus. Respondeo, Non modò spirituales Dei cultû, sed externam quoque eius professionem, quia Dei gloria continetur, patriæ, cognatis, vitæ denique præferendam esse. Proinde, quicumque in ijs locis degunt, ubi Deo præstare nequeunt quæ necessariò exiguntur ab omnibus Christianis, sciant non minus sibi quàm Abrahamo hoc præcipi: Exi de terra tua, & de cognatione tua: nisi fortè ea animi virtute & fortitudine præditi sint, ut mortem obire non dubitent, quoties opus fuerit, potius quàm ut in hominum gratiam quicquam à sua professione alienum designent.

Sed obijcitur, Vocationem legitimam, cum à Deo sit, non temerè vlla de causa negligendam esse: sponte verò deserere nullo modo oportere. Respondeo, Christianum hominem suæ vocationi alligatum esse, dicitur usque ad aras. Quare, nisi liceat Deo reddere quod suum est, nihil est quod retinere nos debeat, vel possit. Aut enim Deus respicitur in vocatione, aut alius propositus est finis. Nisi prima habetur gloriæ Dei ratio, frustra nomen hoc ad excusationem obtenditur. Si primum locum obtinet, ut par est, eatenus nos vocationi astrictos meminerimus, ne à vero synceròque Dei cultu nos impediatur. Denique, sicut prior Tabula Legis ordine secundâ præcedit, ita omnia secundæ Tabulæ officia, ad illâ, tanquam ad normam, exigenda sunt. Summa autem prioris Tabulæ est, ut purum Dei cultum, puram adorationem, & inuocationem retineamus.

Constituo igitur, nihil tanti esse, ut eius causa debeat homo Christianus se profanare vllò inquinamento superstitionis, quo minuatur, aut violetur Dei cultus. Et si faciat, non posse excusari.

Porrò, cum in eo genere constituam Missas, mortuorum exequias, quales sunt in Papatu, preces omnes solennes, ubi sancti mortui inuocantur: qui me audiet, nunquam sibi permittet Missam audire, aut alijs eiusmodi pollutionibus interesse: neque sibi blandetur, quasi hoc liceat.

Quid si autem in commune bonum, & multorum adificationem magis expediat, quempiam modica, & quoad in se erit sobria simulatione multas utilitates redimere? Respondeo, nihil istorum esse, quod veram & necessariam cultus Dei professionem, & religionis testimonium præponderet. Deinde, non esse nostrum estimare, quid futurum sit vtilius: sed hoc tantum relinquere, ut agamus quod præscribit Dominus. Dei enim solius est gubernare euentus. Postremò, nullis circumstantijs illud mutari, quin debeamus nos spiritu & corpore seruare Deo impollutos.

Quid si graue & noxium offendiculum ex discessu oriatur? prouocetur impiorum seuitia? infirmis, labascèdi detur occasio? Respondeo, nobis hoc totum incertum esse. Nam Dominus ita moderari poterit, ut cedant omnia in contrarium. Et certè non tam inde quicquam mali timendum est, quàm multum boni sperandum. Quantaunque enim amentia excæcati sint impij, hoc ad vulnerandam eorum conscientiam, non leue cauterium erit,



erit, videre qui patriam, cognationem, & quicquid hominibus dulce esse solet, relinquere malint, quàm se idololatria polluere. Tanta animi magnitudo plus ad frangendam eorum contumaciam valebit, quàm ad furorem inflammandum. Infirmis potius accedet confirmationis materia: quàm vt titubare propterea aut vacillare debeant. Verùm vt certò hæc omnia pericula immineant, officium semper nostrum est, sequi absque controuersia & à vicijs, quò Dominus vocat, euentus autem regendos illi commendare. Tantùm sedulò precemur, vt in bonum eos finè dirigat.

Quæritur de ijs, qui miseros fratres pro Christi testimonio laborantes nihil inuare aut subleuare possunt. Locum enim si relinquunt, eos simul destitutos relinquunt. Respondeo: Nullum talibus posse dari melius consilium, quàm vt vitam suam periculo obijciant, pro afferenda Christi gloria: sin verò tantum non habent animi, nullum secundæ Tabulæ officium ab idololatria, & alijs inquinamentis superstitionum eos excusat.

In ipso quæstionis statu, & summa, non puto hoc meum responsum ab aliorum sententia discrepare. Si quidem D. Philippus, cui alij duo assentiuntur, vt cunque sigillatim non respondeat istis obiectionibus, dum tamen pretextus omnes vno verbo excludit, satis testatur, nihil sibi tanti esse, vt homini Christiano idololatriæ professionem, etiam obscuram, permittat.

### EPISTOLA CALVINI AD QVENDAM amicum.

**U**M haberem ad te literas, quas non longo post tempore missurus eram: alteræ tuæ superueniunt, quibus iterum mihi pro laboribus, rogatu tuo susceptis, agis gratias: ac simul petis, vt duas ibi quæstiones expediã, ne quid in meo responso desideretur. Quò de referendæ gratiæ vix parem esse prædicas, ego verò mihi abundè relatam esse arbitror, cùm meum qualecunque studium vobis ita probari audio. Sed venio ad tuæ rogata. Quæris priore loco, num homini Christiano, qui se ab omnibus superstitionum inquinamentis abstinet, liceat patriam relinquere, propterea quòd illic sacrorum conuentuum bono, magna ex parte priuetur. Non quæris an illi sit necesse: sed an liceat. Illa deliberatio longè difficilior esset: hæc magis expedita, modò vnum tollatur, ne us certæ vocationi sit al ligatus, quam deserere fuis non sit. Proinde, quò res sit liquidior: primò constituamus vitæ genus, à quo discedere sit liberum. Qui in tali ordine erit constitutus, is duas habet iustas causas cur discedat, si voluerit: Vt periculum anteuertat, vt in eum locum se recipiat, vbi libera Sacramentorum communicatione fruatur, & in publico piorum cœtu Deum inuocare possit. Sunt enim res magno æstimandæ, solennis fidei professio, sacrorum conuentuum vsus, purum Verbi & Sacramentorum ministerium. Nec expectare nos iubet Deus, dum præsens capiti nostro periculum immineat, nisi aliquod peculiare vinculum nos retineat, & quasi præcludat exitum. Summa sit: Licitum esse homini Christiano, qui modò alioqui liber sit in mutanda vocatione, præuenire impiorum rabiem, & tranquillio rem portum quærere, vbi Domino seruiat. Relicta autem patria, concedere in eum locum, vbi fidem suam purè & absque furo profiteatur, non modò licitum esse, sed etiam laudabile. Nam si hæc suspiria ex Spiritus directione esse agnoscimus: Quàm dilecta taberna-

Pfal. 34.  
Pial. 137.  
Pial. 43.

cula tua Domine virtutum! Item, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Item, Quando veniam & intrabo in sanctuarium Dei Iacob: qui Spiritu Dei regitur, is proculdubio, si quæ sit euadendi facultas, inde quamprimum euolare conabitur, vbi neque Deo canere permittitur, neque synceram fidei professionem edere. At si vocatio astrictum quempiam tenebit, decius mori satius fuerit, quam vt stationem suam sponte deserat: hoc est, presenti periculo non coactus. Quanquam ne periculum quidem semper excusat. Sed illud præuenire voluntario discessu, nunquam concederem. Nihil dum tamen inde certi constitui poterit, nisi definiamus quale sit vocationis genus, quod hominem Christianum astrictum teneat: tale esse pastoris officium extra controuersiam est. Qui enim Ecclesia gubernatione sponte cedit, non alio loco habendus est, quam militiæ defensor. Sed quoniam nulla est vocationis species tam libera, cui non annexum sit vinculum aliquod: distinguere inter gradus conuenit. Quanquam in omnibus tenenda est præcipue hæc regula: Vbi in conditione mutanda nulla est religio, liberum esse discessum. Scio quid hîc obijci soleat: Nimia esse timiditatis, fugam præcipere, antequam nobis molestiam faceffant impij: & inhumanum esse, antequam vlla maior vis cogat, eos destitutos relinquere, quibus profuturus sis, manendo: & bene agendi facultatem quasi proijcere. Sed vt vitium in timiditate esse confitear: nego tamen culpandum esse remedium. Qua responsione alterum etiam illud obiectum soluitur: prodesse enim fratribus quisque debet, sed pro facultate sibi data. Et sic quisque adducere alios studeat ad Dominum, vt formandæ ad Dei cultionem, propriæ vitæ primam habeat curam. Hîc singulis maturè videntum est, quantum ad excipiendas persecutiones roboris & constantiæ habituri sint, si quando in arenam tracti fuerint. Non sunt quidem fingenda temerè pericula, quæ procul absunt, aut certè nondum imminet. Sed qui quotidiana sæuitiæ exempla vident exerceri aduersus fideles, quibuscum similem habent causam, debent se ad perferendum quicquid acciderit, in tempore comparare, ne inopinatò opprimantur. Proinde, suæ cuique facultatis conscientia optima erit, meo iudicio, hac in re moderatrix. Qui se instructum hac animi magnitudine agnoscit, vt paratus sit sustinere quosuis impetus, ne se loco moueat. Qui autem imbecillitatis suæ conscius sibi diffidit, nec quicquam sibi polliceri audet, quin potius trepidat & euentum veretur: sibi potius is consulat, periculum præcauendo, quam præcoci, vt ita loquar, fortitudine se in exitium præcipitet: nam qui de infirmitate sua monitus, non fugit, cum Deum tentet, temeritatis suæ poenam, cum in rem præsentem ventum est, meritò luit. Quamobrem vnumquemque in se descendere iubeo, vt qui se apertæ confessioni nondum aptum esse videt, ab impiorum rabie, quantum potest se subducat. Hac causa, qui exilium voluntarium subierit, omni reprehensione caret. Secundam quæstionem in duo membra diuido: nam quæ tu putas vnius esse quæstionis, habent non paruum discrimen. Prius membrum est: Vtrum qui vitam priuatam degunt, aut funguntur eo munere, quod publicam Euangelij professionem non requirat, dum ab idololatria abstinent, consilij sui rationem obiuo cuique reddere teneant. Respondeo, me hîc perpetuam legem præfigere non audere: video enim Christum, cum ab improbus captiosè interrogaretur, interdum vel tacuisse, vel aliud dixisse, vt eorum insidias eluderet. Ita, si quis ambiguus figuris suspensos relinquat eos, qui ipsum adoriuntur, non damno. Quanquam nec semper debet

id fieri: nec nisi iusta de causa. Vnum excipio: ne huc spectet ambiguitas, vt consentire impietati videaris: nam vt claram Missæ detestationem exigere abs te non audeo, ita si Missæ te interfuisse, vel interfuturum simules, aut quoquomodo eius religione te implicari annuas, aut præteferas vel impietatis consensum, non dubito reprehendere ac damnare. Alterum membrum: An is qui ad tribunal impij iudicis tractus, cum nullius rei conuictus sit, confiteri simpliciter & clarè fidem suam debeat, vbi de ea rogatur: an satis habeat testari, se credere quod credit sancta Ecclesia: & in singulis capitibus ad hanc latebram confugere. Quòd si vltèrius vrgeatur, num prouocare illi fas sit ad publicos sacræ theologiæ professores: & eos quidem pios & doctos. Respondeo, si vniuersalis esset interrogatio, deliberari posse, quidnam expediat: nam nec Paulus coram Sacerdotibus primùm, deinde coram Proconsule disertis verbis, quid de religione sentiat, exponit: neque verò super sedet, quia studeat vitæ suæ parcere (nam ad mortem quasi deuoto animo ferebatur) sed quia non esse vtile iudicat. Christi diuersa est ratio. Tacet enim de multis coram Pilato, quia tribunal illud erat non agenda causa, sed audienda damnationis. Verùm, de necessario aliquo religionis capite dum rogamur, illic subtrahere periculosum: dicere autem, quo te impietatem approbare præteferas, prorsus indignum est Christiano peccatore. Non præscribo nominatim, quousque progrediaris: sed duo venire tibi in mentem volo: te illic, tanquam Dei manu sisti, ad cedendam fidei professionem: deinde sophisticen illi esse ex osam. Nunc videamus, suffugium illud, quorsum spectet. Quid de peccatorum remissione sentis? gratuitè amne, an satisfactionibus redimi? Quod sancta credit Ecclesia: nam si veram appelles, exprimere te cogent, de qua loquaris. Quorsum hoc totum? nisi vt illis gratificèris. Mea, inquires, nihil interest, modò euadam. Cupio infestissimos dimittere, modò ne gladium illis nimis aperta confessione, porrigam. Sed quis est hic Ecclesiæ prætextus? Nõnne ideo euadis, quia te in Ecclesiæ Romanæ seruitutem reductum esse putant? Quos porrò theologos intelligent, nisi suos: hoc est, omnium blasphemiarum architectos? Eorum te iudicio submittis, vt paratus sis subscribere omnibus eorum placitis, quæ omni impietate referta esse constat. Hoc si tibi semel permiseris, cur non eodem iure, frenum tibi magis laxes subinde ac magis, vt illis in speciem ad quæuis postulata annuas? Gratuitè est remissio peccatorum, an satisfactione constat? Sanè. Intus enim tibi canis, Christum satisfecisse. Credis Purgatorium? Quidni? Christi enim sanguine purgamur. Hoc posterius tacitum deuorabis. Audietur interim ex ore tuo aperta blasphemiam simulatio. Vbi illa promissio? Dabitur vobis illa hora, quid loquamini, &c. Audebimùs ne eiusmodi confessioni inscribere Spiritum sanctum authorem? Qualis porrò erit hic Dei martyr, qui impietati palam suffragabitur? Summa hæc sit: omnes obliquas responsiones, quibus impiorum furorem, tanquam veritatis abnegatione, placare studemus, alienas Christianis esse censeo: nam & Deus sophisticen, vt dixi, abominatur: nec multum interest, quibus verbis eiures fidei professionem, si tibi propositum est impijs & Christi hostibus significationem consensus dare.

ALTERA CALVINI EPISTOLA, AD  
amicum, N.



*V*m mihi ignotus sit is, cuius scriptum ad me misisti, & alijs potius de me quam mihi scribat: ineptè, meo iudicio, sim facturus, si illi non rogatus respondeam. Quod tamen postulas, facere non recuso: ut diluendis eius argumentis aliquid operæ insumam. Idque ea simplicitate futurum me spero, ut bonus vir non amplius mihi rhetoricam obijciat. Quanquam nescio quid illi in mentem venerit, ut hanc mihi notam aspergeret. Ego certè non videor causam illi dedisse: neque enim ita malè profeci in Christi schola, ut de tantis rebus, ostentandi ingenij causa, declamitem. Atque utinam ad legendum ipse eam religionem afferat, quam me scribendo adhibuisse, mihi probè coram Deo sum conscius. Possem aliquanto durius expostulare, sed abstineo. Tantùm velim sibi persuadeat, pluris mihi esse animas sacrosancto Christi sanguine redemptas, quam ut stylum, quasi per iocū, exerceam, ubi de earū vel salute, vel exitio tractatur. Si verūm est quod de eo prædicas: tandem inter nos bene conveniet: nam ubi regnat timor Dei, omnium disputationum recta erit conclusio.

Porro status quæstionis est, an Missus interesse, idololatriæ sit professio. Ego affirmo: ille negat: sed rem facit medianam. Neque verò ego solus sum in hac sententia: sed alij quoque tres, quos aliter sentire putat, mihi subscribunt. Ne tamen videar hominum auctoritatibus velle eum gravare: illis omisiss, quæramus de re ipsa. Quòd se & quosdam suos familiares abstinere à multis pollutionibus testatur, huc spectat, ut appareat, non omnia eos sibi permittere: neque usque adeo sibi blandiri, ut laxis habenis, ad omnia inquinamenta se prostituant. Fateor igitur, & libenter agnosco, eos tãto leuius peccare. Interea miror, qui excusare audeat, quod vulgari more, propinquorum exequias frequentant, ubi sacrificium pro expiandis mortuorum peccatis offertur. Si hæc non est manifesta Cœnæ Dominicæ profanatio: concedo me prorsus nihil intelligere. Eò cum accedunt, an non digitum palam tollunt, ad declinandum consensum? Atqui, timent ne inhumani videantur. Nimis iniqua merces, si humanitatem impietate in Deum non dubia redimant. Negant se accessuros, si putarent tantum subesse mali. Sed velim mihi respondeant, aut saltem hic qui loquitur patronus, omnium nomine: quorsum illæ exequiæ, quibus intersunt, nisi ad mortuum è Purgatorio redimendum? Cum verò accedunt ipsi, an non communibus omnium suffragijs sua quoque adiungere se velle, testantur? Reputent paulisper mecum, quales illic preces concipiantur, quales ritus vsurpentur, qualis sit tota actio: quo consilio in medium aliorum cœtum se ingerant. Si tam grauter olim animadvertit Deus in Corinthios, quòd minus reuerenter tractarent sacram Cœnam, quanto grauiorem pœnam meretur tam crassum eius ludibrium, dum ad mortuos transfertur? Negabunt se tantæ impietatis, vel auctores esse, vel approbatores. Quasi verò plus sit, duobus digitis subscribere, quam ad consensus significationem afferre totum corpus. At faciunt inuiti. Nihil hoc ad me. Saltè in præsentia nihil refert quo animo faciant: tantùm enim hoc disputo, impietatem hic committi, à qua fideles penitus abhorreere debeant.

De Missa quid sentiat, video: rem scilicet per se honestam ac sanctam esse:  
vitiosis

vitiōsis tamen quibusdam accessiōibus corruptam. Ne frustra litigemus: velim mihi Missam definiat. Ego quidem, cum de Missa loquor, actionem illam intelligo, quæ in locum Cœnæ Dominicæ subrogata est: ubi offertur Christus Patri in sacrificium: ubi panis pro Deo adoratur: ubi vnus seorsum vorat quod consecrauit: ubi solennibus verbis concipitur oratio, vt valeat sacrificium illud expiandis viuorum & mortuorum peccatis. Ex his, inquam, æstimanda est Missa, non autem ex fucis illis, quibus picta est, ad fascinandas hominum mentes. Quid enim, si colores furatus sit Sathan à Christo & Apostolis, ad tegendam abominationem, cuius ipse solus author erat & architectus? Ornet igitur quàm volet honorificis elogijs hic bonus vir, suam Missam, non tamen ita oculos mihi perstringet, vt prætextu contentus, corpus ipsum, vel substantiam, vt loquuntur, intueri definam. Porro, vt illi concedam, multas illic esse corruptelas, quæ à bonis initijs ortæ sint: nunquam id à me obtinebit, Missam esse Cœnam Domini, vitiatam extraneis quibusdam inquinamentis: pugnat enim modis omnibus cum Cœna Domini: vt nihil magis contrarium fingi queat. Nam si inde melior aut saltem tolerabilior illi videtur, quia abusus est Cœnæ Dominicæ: respondeat mihi, vnde omnia Gentium sacra, etiam Ægyptiorum, quibus nihil est absurdius, aut fœdus, manarint. An non ex legitimis sacrificijs, quæ à Deo ipso primi Patriarchæ acceperant? Nam cum initio purum vnus Dei cultum haberent filij Noath, posteris etiam quasi per manus traderunt: breui autem factum est, vt hi degenerarent à sanctis maiorum institutis. At maiori abominatione digna fuerunt sacra Gentilium, quod dijs alienis nominatim dicata erant. Quasi verò mortui qui à Papistis inuocantur, & quibus nominatim dicant suas Missas, non sint etiam Baalim. Quanquam, litem de hac re non moueo. Sacrificia quæ in Bethel fiebant, cuius nomen præferebant? An autem ideo minus erat inquinamenti in illorum communicatione? Si quis æqua trutina expendat, plus similitudinis habebat illa cum veris sacrificijs templi Hierosolymitani, quàm Missa cum Christi institutione. Cur ergo negabimus, hodie pollui, qui Missæ participant: si fatemur nemini piorum fas fuisse sacrificare in Bethel? Si fuci illi perstringunt nobis oculos, quod doxologia canitur, recitatur vna ex Epistolis Apostolorum lectio, altera ex Euangelijs, cogitemus non defuisse etiam profanis veterum idololatrarum sacris prætextus satis speciosos. Sed intuemdum semper, quod præcipuum est in vna quaque actione, & accessiōibus præferendum. Ita reperiemus, Missæ substantiam cum Christi instituto ex diametro pugnare. Certè vt moderatissimè de ipsa sentiamus & loquamur, non possumus aliter vocare, quàm adulterinam Cœnæ laruam.

Sed negat auctor eius scripti quod misisti, vllum impiæ professionis signum e-  
dere, qui Missæ intersunt. Obsecro, quid igitur eos ad Missam adeundam cogit? Si sua tantum, non aliorum causa illuc accedunt, bis peccare eos dico: si aliorum habet rationem, quorsum? An non vt hoc symbolo suam cum illis in religione consensionem probent? Tu destinato consilio ad eam actionem te aggregabis, quæ communis est omnibus impietatis professio, & immunis eris à pollutione? Tu, quasi dato pignore, in Missæ approbationem te obstringes, & nulla erit professio? Annon præstaret dare Domino gloriam, quàm ad eò manifestum delictum, parum verecundè defendere? Nam quod concludit, fas esse homini Christiano, Missæ interesse, modo ab omni approbandæ impietatis significatione abstineat, fortassis verum esse

concederem, si fieri id vltimo modo posset. Verum, rationem nunquam mihi expediet, neque inueniet ipse sibi. Faceffant ergo illæ de chimera disputationes.

De Cœnæ obseruatione breuiter respondeo: non esse nostri arbitrij symbola comminisci à Christi institutione aliena, quibus nos in memoria mortis ipsius exerceamus. Memoriam, inquam, mortis suæ voluit Dominus sacræ Cœnæ celebratione à nobis coli. Cum ab ea discedimus, quicquid agimus, profanum esse dico. Abstinentium itaque, meo iudicio, potius foret ab vsu Sacramenti, quam vel miscendum Sacramentum cum multis inquinamentis: vel loco Sacramenti vsurpanda inanis pompa. Panem, inquit, sumimus consecratum: vinum autem non consecratum. Principio, quis hoc diuortium facere permisit? Pars vna, tyrannide eripitur. Sed quis in altera parte Cœnam Domini restare illis reuelauit? Hoc tamen omitto. Panem dicunt esse consecratum. Quæro, quo ritu? Longè enim abest, à vera consecratione incantatio, qua vtuntur sacrifici. Ergo, aut sequantur atque obseruent quod præcepit Dominus, aut ne secus agendo in anibus titulis se ipsos deludant.

Restat, vt de argumentis aliquid dicamus in quibus fatiffactum sibi negat. Solutionem meam de Naaman Syro valde exagitat: quia dixerim me libenter veniam daturum, si quis edita simili professione, ciuilibus duntaxat officij causa, Missæ intersit. Dicit se & suos hoc idem quotidie testari: sed non palam, quia sit periculosum. Quid simile? cum Naaman in publico sit professus? Hic verò simplicitatem meam ridet, quòd imaginer innumeram turbam astitisse: cum verisimilius sit, seorsum cum Propheta locutum. Ego verò professionem eius non includo in illis paucis verbis: sed ex eo æstimandum censeo quod facturum se pollicetur: imo quod statim facit. Quorsum enim mulos duos terra onerat, nisi vt testatum faciat omnibus, se cultum habere sibi peculiarem, atque à reliquis separatam? Consideremus quo loco fuerit, quam sustinuerit personam: & fatebimur, tantam mutationem occultam non fuisse. Putamusne cum ad Regem suum reuersus foret, tacuisse de tam insigni miraculo? Ego certè non dubito, quin modum curationis magnificè prædicauerit. Sed coniecturis non est opus in re perspicua. Mulos onerat terra Chanaan, in qua Deum Israelis adoret: vt se ab aliorum deorum cultu abhorreere testetur. Sic enim sonant eius verba. Quid hac confessione apertius? Hoc faciant, qui eius exemplo se tuentur: & me habebunt clementiorè. Quanquam hic bonus vir pugnat ipse secum. Antè confessus fuerat, alienòrum deorum sacra tantæ abominationi habenda esse, vt ab accessu interdiceret pijs omnibus: nunc autem licitum esse contendit, quod antè profusus damnauerat: Nam aut nihil proficiunt, ad exemplum Naaman confugiendo: aut tam licebit quæuis Gentium sacrificia, quam Missam frequentare. Verum ea, quam attuli, responsione contentos fore spero, quicumque veritati cedere non recusabunt.

Quòd ad locum Barach spectat: suam sibi verisimilitudinem habeat. Nemi nisi tamen sano vnquam persuadebit, populum Dei in solennibus Babyloniorum pompis, in idolorum circungestationibus, permixtum idololatriæ fuisse, qui ad idolorum venerationem ex professo congregati erant. Neque verba tale quicquam subindicant. Videbitis, inquit, Babylonios illud agentes. Non dicit: Cum vos cogent: aut Cum metu accesseritis. Neque tamen ad eò nobis laborandū est de hoc testimonio, cum author sit incertus. Mihi satis est, quòd Prophetā audio clara voce illis concionantem: Fugite, fugite: immundum ne tetigeritis. Postremò, quid aliud est, corde

corde dicere unum Deum adorandum externo autem nutu, idoli cultum simulare, quàm in suum reatum, conscientiae testimonio subscribere? Simulat autem certe idoli cultum, qui data opera conuenit, ne abhorrere ab illo videatur.

In comparatione quam adducit, serpentis aenei, & similium impietatum, illi assentior: sed parum congruenter ad praesentem causam accommodat. Non exprimitur, quo loco fuerit serpens ille adoratus, neque id magnopere ad rem facit: verum siue in templo, siue alibi suffitum illi fecerint Israelitae, fallitur, qui putat Prophetas aut piorum aliquos affuisse, cum tanta abominatio perpetraretur. Varias, iussu Achab, altare extruxit in templo, ubi sacra Deo, Samariae fierent: sed neminem ex fidelibus legimus eiusmodi sacris interfuisse. Neque verò credibile est. In excelsis vulgò adorabant: sed mihi non est dubium, quin omnes veri Dei cultores religiosè à tali corruptela abstinerint. In hoc totum est situm, ne dum conuentus solennes aguntur idololatriæ, illuc te associes. Quamobrem superuacua sunt istæ querelæ: Nusquam ergo orare iam licebit: quia nullus angulus ab idololatria purus. Neque enim sic pollutum esse locum dicimus, ubi suas superstitiones peragunt impij, ut ibi orare sit nefas. Neque enim ubiuis orare prohibeo, modò ab omni earum actionum societate abstineas, quæ idololatriæ professionem continent. Cum autem sponte accedis, cum sponte interes, societatem te coire dico, si non plenam, at simulatam. Ipsa, inquam, circumstantia te conuictum tenet, ut frustra te à pollutione immunem esse iactes.

Quòd sibi clarius definiri postulat, quenam sit illa confessio & qualis, quam ab homine Christiano exigimus: ego verò quod in scripto meo posui, iterum confirmo: magisterio Spiritus id discendum esse magis, quàm certis regulis posse tradi. Nemo certè mutus in professione suæ fidei esse debet. Quò autem cuique amplior fidei mensura data est, eò luculentior sit eius confessio oportet. Sed maximam partem gubernat temporum ratio, & oblatae opportunitates. Quare ad Spiritum prudentia & iudicij semper confugiendum. Porro in rota superiori disputatione, quam edere confessionem debeat homo Christianus, non differui: sed cauenda vitia ostendi, quæ veræ confessioni repugnant. Faxit Dominus, ut non tam in captandis subterfugijs, quàm in voluntate eius inuestiganda, ingeniosi esse velimus. Ego qui tam rigidus esse videor nunquam sine acerbissimo doloris sensu de fratribus cogito, qui se durius à me tractari conueruntur: sed mihi ignoscant, si Christi iugum, ne tantillum quidem, laxare audeo.

Vale frater & amice dilectissime.

Genevæ, xiiij Calend. Iulij.

M. D. XLVI.

RESPONSVM PASTORVM TI-  
gurinae Ecclesiae.

CLARISSIMO VIRO, D. IOANNI CALVI-  
no, Geneuensis Ecclesiae fidei ministro, domino & fratri colendissimo  
suo,

S. D. Legimus librum tuum, Caluine, frater in Domino venerabilis & di-  
lecte, quem edidisti de vitandis superstitionibus. Placuit is non mihi quidem soli,  
sed omnibus apud nos pijs, non tam propter eruditionem excellentem, quam pro-  
pter religionis puritatem, & confessionis verae fidei sinceritatem fortiter assertam.  
Laudamus pietatem & integritatem tuam, precamurque ut pro bono opere be-  
nedicat tibi Dominus. Interim non ignoramus tibi contradici a pluribus, obijcien-  
tibus te solum in hac esse sententia. Ergo, ne ignorent & nos illa tua approbare,  
& tecum sentire, si quando recudetur a typographo libellus tuus, hunc nostrum ei  
coniungere poteris, quo idem tecum argumentum tractamus. Scripsimus eum in  
gratiam cuiusdam viri magni, pijs & docti, qui nostrum expetebat iudicium, Vale.  
Tiguri, xxx. Septemb. Anno. M. D. XLI X. Tuus H. Bullingerus.

AN LICEAT HOMINI CHRISTIANO SI-  
mulare assensum falsae doctrinae, & superstitionum, quas tamen animus  
damnat.



QVVM solutio quaestionum omnium, quae Christianam doctrinam &  
fidem & opera spectant, petenda sit e Scripturis sanctis, maxime id fa-  
cere conuenit in hac quaestione, in qua vel vrgens necessitas vel mise-  
ricordia praepostera in afflictos, magnam praebent occasionem excogi-  
tandi aut approbandi non pauca, quae repugnant diuinis institutis, & tamen sub  
specie tum prudentiae, tum iustitiae, tum modestiae, tum pietatis.

Præmonuit autem Deus in Scripturis sanctis per Apostolos simul & Pro-  
phetas, fore nouissimis temporibus, ut Ecclesiam Dei aggrediantur cum doctores  
falsi, qui prauis opinionibus & fictis signis atque miraculis plurimos seducant, tum  
violenti persecutores, qui minis & terroribus, & omni genere afflictionum, a via  
salutis impellant homines: aded ut etiam electi seducantur, si fieri possit.

Cæterum, ut Deus in Scripturis sanctis prædixit foedam Ecclesiae deforma-  
tionem, multis a religione vera desciscensibus, ita etiam monstrauit præfixum esse fi-  
nem extremae infelicitatis, non modò seductoribus, qui partim astu capiunt homi-  
nes, partim irrogando mala temporaria, vel eripiēdo bona, pertrahunt in religio-  
nis formam pugnantem cum diuinis placitis: sed etiā ijs, qui authores istos peruer-  
sos sectantur, & non potius Christum principem, qui salus est, lux, via, veritas  
& vita.

Quae quidem Dominus Deus, qui docet ac praecipit duntaxat utilia, non si-  
ne caussa toties & tam diligēter ingessit per diuinos homines, verum maximè boni  
caussa, quod ad homines vniuersos pertineat: nimirum ut admoniti homines, caueāt  
pericula



pericula & mala imminētia, & iudicare possint, & confirmentur in religione diuinitus tradita: aut si quis dolo impostorum, & violentia persecutionis fuerit præoccupatus, reuocetur in viam salutis.

Simul enim docet nos Dominus ac Deus noster, quibus modis ac rationibus possint ac debeant tāta mala & pericula vltimæ tēpestatis mundi superari: quāquē via homines ex omnibus procellis, quantumuis seuis & naufragium machinanti- bus, modò sese contineant intra nauem Ecclesiæ catholicæ, in portum sempiternæ beatitatis euehantur.

Præcipit nanque, ne homines supini stertant ac negligant salutem suam: ve- rùm leuatis capitibus, circumspiciant pericula maxima in quibus versantur. Præ- cipit diiudicare spiritus, num ex Deo sint: an Christum, an potius antichristum spirent. Vetat consortium infidelium, ne frustra moliantur sibi ducere iugum cum impijs, aut lucem tenebris vniere, aut Christū & Belial coniungere. Iubet sperare ac petere opē diuinam, ne deficiamus in tentatione, siquidem caro imbecillis est etiam cum spiritus promptus est. Requirit simplicem & apertam confessionem sui nomi- nis & veritatis, ac prorsus damnat non modò abnegationem, sed etiam dissimu- lationem Christianæ religionis. Imperat mordicus retinere illa, quæ nobis à Deo tradita in Scripturis sanctis cerò scimus. Dicat patientiā, qua homines posside- bunt animas suas: dicat perseuerantiā in finē vsque, quæ saluos efficiet. Hortatur luctari per angustam portam, & ingredi per arctam viam quæ ducit ad vitam: de- clinare autem spatiosam viam, & latam portam, quæ multos accipiunt & trans- mittunt ad æternum exitium. Denique, Deus imperat suis cultoribus, vt certent cōtra Sathanam, & omnes hostes ipsius: certantibus autē, pollicetur tum gratiā & opem suam, tum victoriā, tum præmia longè amplissima. Timidus verò, qui Christi partes deseruit, minatur iustus ac verax Deus æterna supplicia, nō secus quàm cani- bus, & porcis, & mēdacibus, & idololâtris, & homicidis, qui apertè flagitiosissimi sunt.

Etsi verò qui vis facile agnoscit hæc deprompta esse non ex humano com- mento, sed ex oraculis diuinæ Scripturæ, qui vel mediocriter in eis literis versatus est, non pigebit tamen locos aliquos indicare. Dominus Christus Matth. xxiiij. Marc. xij. Luc. xxi. nouissimi seculi faciem graphicè depingit, & pericula omnia ponit ob oculos, vt quæ vitari possint summa p̄de atque diligētia perdocet. Matth. x. cap. & Ioan. xv. xvi. cap. præmonet Apostolos atque ad cunctos suos discipu- los Christus, vt sese præparent ad certamina, & in sp̄ bonam erigit, etiā hostibus extrema tentatibus, & requirit confessionē minimè simulatā. Matth. xv. & Luc. vi. Scribas & Phariseos Israelitici populi magistros, quia malè interpretādo, Scri- pturas in alienum sensum torquebāt, vocat cæcos duces, & iubet eos cædere: siqui- dem cæcus dux & eum sequentes, abeunt in foveam perditionis. In reuelatione autē sua, quam Dominus Christus per Angelum Ioāni Apostolo dicauit, copiosè describit fata Ecclesiæ, & à capite quidē xi. vsque in finem libri certamina Chri- stianorum & hostium ita ob oculos ponit, vt simul a thietas suos egregiè instruat. Petrus Apostolus in Epistola posteriori, falsos doctores prædicit grassaturos in ecclesia Christi, & ita eos suis coloribus describit, vt latere non possint, nisi planè stupidos: nec tacet exitiū, quod eos & sectatores eorū manet: vt quæ declinari possit ingens istud malum falsæ religionis, edocet. Idē agit Paulus doctor Gentium, præ- fertim, ij. Thess. ij. & i. Timoth. iiij. & ij. Timoth. ij. iij. Idem grauitè deterrere

Corinthios à cōmunionē idolothitorum, etiam scientes idolum nihil esse. Iudas quoque Apostolus hoc argumentum versat. Danielis autem prophetias accommodatas esse nouissimis temporibus, ut Ecclesiæ filios instruant, confitentur p̄ij omnes, ut cap. vii. viij. xi. xij. Zacharias quoque vaticinijs suis erudit nos aduersum doctrinas pestiferas, ut cap. v. xi. xij. xij. xiiij.

Sunt autem exempla magna & illustria, quæ doctrinam hanc muniant. In veteri enim ecclesia, Prophetæ vsque ad eò non assensere doctrinis falsis, & ritibus iam receptis, & vulgò approbatis, ut oppugnarint etiam vsque ad vitæ periculum. Idem fecerunt sc̄uiente Antiocho, Eleazar, Mathathias, & multi alij. Apostoli quoque & Martyres & Confessores vitæ suæ dispendio testati sunt, magis obediendum esse Deo quàm hominibus.

Exempla plurima Confessorum & Martyrum suppeditat nobis Ecclesiastica historia, Eusebii in primis, ut Polycarpi li. iij. cap. xv. Blādinæ item mulieris sanctissimæ, & multorū aliorum, lib. v. cap. i. ij. iij. Item lib. vi. cap. xxxi. lib. viij. cap. ij. Exclamabant, ait, Martyres ad templa idolorum adducti, ac iam in tormentu, ingenti voce, & testabantur se non sacrificasse, sed esse Christianos: tali se gaudentes confessione decorari. Nonnulli etiam maiori fiducia neque immolasse, neque vnquam immolatuos esse testabantur: quibus tamen ab assistentibus militibus ora continuo atque oculi contundebantur ut tacerent, & violenter expellebantur tanquam acquieuisissent, &c. In eodem & sequenti lib. ix. innumera alia liberarum confessionum exempla exhibentur. Huc pertinet & exemplum militum Iuliani liberè cōfitentium Christi. Nam alij quidam vexillum Imperatorium, in quo pictæ erant Iouis, Mercurij, & Martis imagines, adorare ut moris erat, reuenerunt: alij verò donatiua, quæ per ignorantiam non sine superstitionis suspitione è manu Imperatoris acceperant, Imperatori restituebant, clamantes se esse Christianos, & in ea professione permanere: per ignorantiam autem quod fecerant, fecisse, adeòque manum solam paganam esse, conscientiam verò, nihil simul egisse. Locus extat in Trip. hist. lib. vi. cap. xxx.

Ex quibus omnibus perspicuum fit, homini Christiano minimè licere, ut doctrinas, aut fidem, aut actiones institutis Christi aduersantes, vel per simulationem approbet. xvij. Iunij. Anno. M. D. XLI X.

Pastores & lectores ministri Ecclesiæ Tigurina  
in Heluetia.

## ACTA SYNODI TRIDENTINAE.

## Cum antidoto Per Ioannem Calvinum.

IOANNES CALVINVS, PIO LECTORI.

**A**unt Catonem, cum de corrigendis sumptibus immodicis apud populum Ro. verba facturus esset, ita praesatum esse, multum sibi fore negotij, quia venter aures non haberet. Mihi vero, si ad restituendam pietatis doctrinam, repurgandamque Ecclesiae corruptelas hodie Romanenses hortarer, aliquanto plus esset difficultatis. Neque enim cum furdo ventre modo, sed etiam cum caeca ambitione pugnandum foret. Videmus enim quibuscumque rationibus victi fuerint, eos nihilominus stare obstinatos, quia de vita & honore sibi dimicandum iudicant. Proinde, non ero tam ineptus, ut eos ad sanam mentem reuocare frustra coner. De ijs loquor, quorum deploratam omnino contumaciam cernimus. Verum, potius alio me conuertam, ut agnoscat pijs omnes, quam scelestam sit ipsorum impietas. Cuius rei specimen, minime obscurum hic in actus Tridentini Concilij exhibeo: ubi interiores omnes suos sensus ita explicarunt, ut nemini dubium reliquerint, qualem habituri simus Ecclesiae statum, si eorum stetur arbitrio. Verum, quod melius id pateat, lectores primum rogatos velim & monitos, ut meum, De necessitate reformandae Ecclesiae, librum, percurrant: deinde conferendo assint, utram in partem debeant potius inclinare. Geneuae. I I I. Idus Novemb. M. D. XLVII.

ADMONITIO, ATQUE HORTATIO LEGATORUM sedis Apostolicae, ad Patres in Concilio Tridentino, lecta in prima Sessione.



**R**EVEREN. Patres, &c. Cum ipsa muneris nostri ratio, qui in hac sancta Synodo Praesidentium, & sedis Apostolicae Legatorum personam gerimus, hoc postulatura videatur, ut crescentibus negotijs, quae in hoc sacro confesso, ad Dei gloriam, & Ecclesiae utilitatem sunt expedienda, saepius apud vos cohortandi, & commonendi causa verba faciamus: tum vero in hac prima Sessione, quae felix (ut speramus) principium ipsi Concilio est datura, minime hoc a nobis praetermittendum duximus. Eo vero libentius hoc officio fungimur, quod cum vos vel hortamur ut ea faciatis quae digna tanto conuentu sint, vel a contrarijs dehortamur, nosmetipsos etiam hortamur ac dehortamur, qui in eadem quasi naui vobiscum sumus, ysdemque periculis, quibus vos, ysdem tempestatibus subijcitur: nosmetipsos inquam excitamus ad vigilandum, ne vel in scopulos incidamus, qui plurimi proculdubio in hoc cursu sese offerent, vel magnitudine negotiorum taquam fluctuum obrui nos negligentia nostra patiamur: verum, spe, & fide erecti, ad navigationem dirigamus, quod maxime portus salutis ad DEI gloriam in Christo IESU sese ostendet. Igitur, ut ab eo incipiamus, de quo maxime in hoc principio admonendi omnes sumus: unusquisque nostrum ante oculos sibi in primis proponere debet, quae sint, quae ab hoc sacro Concilio expectentur: ex quo quisque facile in-

relliget, quantum sibi oneris incumbat. Sunt verò eã (vt omnia summatim complectamur) quæ in bulla indictionis Concilij continentur: nempe, hæresum extirpation, disciplinæ ecclesiasticæ, & morum reformatio, ac tandem pax externa totius Ecclesiæ. Hæc ergo sunt, quæ nos curare, vel potius pro quibus assiduè orare, vt Dei benignitate fiant, oportet. Atque illud est, de quo ante omnia in ipso Concilij exordio omnes, & singulos, qui huc conuenimus, primùm autem nos ipsos, qui in tam sancto ministerio præsidemus, admonendos duximus, ne vnquam cogitemus, vel per singulos, qui hic adsunt, vel per vniuersum Concilium, etiamsi omnes Pastores ex vniuerso terrarum orbe huc coirent, tantis malis, quibus nunc grex Christi est oppressus, prouideri posse. Si enim putamus hoc à nobis perfici posse, aut ab alio, quàm ab ipso Christo, quem Deus Pater vnicum nobis Seruatorem, & Pastorem dedit, cui etiam omnem potestatem dedit, erramus sanè in fundamento omnium actionum nostrarum, & diuinam iram magis prouocabimus. Adiungimus enim ad superiora mala, quæ propterea nobis acciderunt, quòd ipsum fontem aquæ viuæ reliquimus, hoc alterum maximum peccatum, quòd nostra vel prudentia, vel potentia ipsidem malis mederi velimus: vt merito de nobis dicatur, quod Propheta, in persona Dei, veterem populum accusans, dicit: Duo mala fecit populus hic: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas non valentes continere aquas. Tales verò cisternæ sunt omnia consilia, quæ à nostra prudentia, non afflata spiritu diuino, proficiscuntur: quæ non modò populos in pietate, & obedientia, tanquam aquas in cisternis continere non valent: sed quò magis his artibus retinere eos laboramus, eò violentius tanquam torrentes à nobis defluunt, & discedunt, vt superiorum annorum experientia multis in locis satis nos docere potest, & nunc admonere, vnicam tantùm viam medendis his malis relictam, si nostra omnia remedia inutilia esse agnoscentes, & valere potius ad augenda, quàm ad tollenda mala: ad Christi potentiam, quem dexteram suam Deus Pater appellat, ad Christi sapientiam, qui est sapientia Patris, in omnibus nos, qui Patrum personam gerimus, fide & spe confugiamus, huius nos in omnibus ministros esse agnoscamus. Hic verò quaeritur (inquit Apostolus) inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Hoc autem nunc nobis agendum est, vt ministros nos in omnibus idoneos præbeamus. Erimus verò idonei, si nos ex nobis minimè idoneos esse iudicauerimus. Quis enim (inquit idem Apostolus) ad hæc idoneus? vt qui ne cogitare quidem aliquid ex nobis, quasi ex nobis, simus sufficientes. Verùm, hoc fateri non satis est nobis, hoc dicere potuit Apostolus, & per hanc portam ingredi ad obeundum munus suum, & in eo se ministrum fidelem, ac idoneum agnoscere: qui simul dicere potuit, de ministerio suo loquens: Nihil mihi cõscijs suis. Nobis verò, qui, si verum fateri volumus, aliter dicere nõ possumus, quin nobis cõscij simus in administrãdo munere nobis imposito, in plurimis defecisse: & horum etiam malorũ, ad quæ corrigenda vocamur, nõ minima ex parte causam extitisse: non satis est hîc fateri, ad tantum munus nos impares esse. Quid ergo nobis agendum, vt idonei hoc tẽpore, Christi ministri in Ecclesia instauranda esse possimus? Idem prorsus, quod Christus ipse Episcopus animarum nostrarum fecit, cum venit ad fundandam & formandam Ecclesiam suam. Idem sanè, Patres, faciendum erit nobis, quod ipsa sapientia Patris fecit, cum venit, vt multos filios in gloriam adduceret: id quod nobis item propositum nunc esse debet. Is enim cum oppressos peccatis omnes inuenisset,

set, omnia omnium peccata in seipsum transtulit, seque vnum ante Deum pro omnibus reum, & nocentem constituit, ac pœnam nobis debitam sustinuit, tanquam omnia flagitia, & omnia scelera, quæ nos commiseramus, ipse commisisset, cum tamen ab omni labe peccati purissimus esset: quippe qui peccatum non fecit, neque vnquam inuentus est dolus in ore eius. Quod verò Christus, pro immensa sua charitate erga Deum Patrem, & pro misericordia erga nostrum genus fecit, hoc nunc, vt ipsi faciamus, iustitia ipsa à nobis flagitat, vt omnium horum malorum, quibus grex Christi est oppressus, nos pastores coram tribunali misericordiæ Dei reos constituamus: atq; omnium peccata in nos ipsos non tam piè, quàm iustè transferentes, quia re vera horum malorum magna ex parte nos causa sumus, diuinam misericordiam per Iesum Christum imploremus. Quòd verò dicimus nos pastores his malis, quibus Ecclesia est oppressa, causam dedisse, si quis hoc acrius, & magis per exaggerationem quandam verborum, quàm verè dictum existimet, hoc quidem ipsa rerum experientia, quæ mentiri non potest, comprobabit. Respiciamus ergo paululum ad ipsa mala, quibus Ecclesia opprimitur, ac simul etiam ad nostra peccata. Sed quis hæc numerare valeat? quæ simul cum reliquis malis multitudine superant arenam maris, & vsque ad cœlum clamant. Circumscribamus ergo tantam multitudinem nostrorum malorum illis limitibus, quibus hoc Concilium, quod capitalibus malis medendis est vocatum, ea circumscripsit. Sunt verò illa tria, quæ supra commemorauimus, hæreses, lapsam morum disciplinam, & intestinum atque externum bellum. Hic ergo videamus, & consideremus, cum iam multis annis Ecclesia, his calamitatibus vexetur, vndenam ipsa originem habuerint, num illis nos quodammodo principium, num fomentum dederimus. Primum verò examine- mus initium hæresum, quæ hac nostra ætate passim pullulant: quibus si negare volumus nos principium dedisse, quia nullus hæreseos ipsi authores fuimus, tamen cum peruersæ de fide sententiæ, tanquam vepres quædam sint, & spinæ, quæ in agro Domini, qui nobis colendus commendatus est, orta sunt: etsi illæ quidem sua sponte, vt solent aliquando vitiosæ herba, pullulant: tamen qui non coluit, quem debuit agrum, qui non seminauit, qui pullulantes per se, non statim curam adhibuit vt extirparet, non minus quidem principium illis dedisse, dicendus est, quàm si ipsa seminauerit: præsertim cum hæc omnia à negligentia agricolæ ortum ducant, & incrementum habeant. Hic ergo se ipsos excutiant, qui sunt agricolæ in agro Domini, conscientiam suam interrogent, quomodo in eo colendo, quomodo in seminando se gesserint. Quod qui fecerint his præsertim temporibus, quibus paucissimi agro Domini colendo incumbunt, non multum (credimus) dubitabunt, num ad ipsos pullulantium passim in Ecclesia hæresum culpa pertineat. Hæc verò monendi tantum causa dicta satis sint de ijs, quæ ad primum caput pertinent. Veniamus ad secundum, quod lapsam morum disciplinam, & abusus (vt vocant) complectitur. Hic verò nihil attinet diu inuestigare, quinam tantorum malorum authores fuerint, cum præter nos ipsos, ne nominare quidem vllum alium authorem possimus. Quare, ad tertium accedamus, quòd impedimenta pacis Ecclesiæ in se continet: qualia sunt arma vel domestica, vel externa. Hæc enim iam pridem pacem Ecclesiæ perturbarunt, & adhuc perturbant: de quibus hoc tantum dicimus, si (quod Deus ipse certissimis signis ostendit) hæc arma flagella eius sunt, quibus nos affligit: quia duorum priorum capitum rei sumus, in quibus nos excusari non pos-

sumus: etiam horum armorum præcipuam nos causam esse, negare non possumus. Eiusmodi verò flagella, Deum ob eam causam immittere censemus, ut nos peccantes castiget: & peccata ipsa, quibus maiestatem eius maxime offendimus, nobis ante oculos ponat. Hic verò quisquis aliquando animaduertit, quibus modis Ecclesia armorum violentia vexata fuerit, secum ipse consideret, quoniam illa sunt, in quibus præcipue Ecclesia, propter ipsa arma, detrimentum patiatur. Nec verò hic refert, de quorum armis loquamur, siue de intestinis nostrorum Principum, siue de externis Turcarum armis, quæ superioribus annis nos magnis calamitatibus affecerunt: siue de eorum, qui ab obedientia suorum pastorum discesserunt, & ipsos à suis sedibus expulerunt. Hoc enim summam dicimus de omni genere armorum, si qui illa contra nos tractarunt, à suis Ecclesiis pastores fugarunt, ordines confuderunt, laicos autem in Episcoporum locum succederunt, Ecclesia bona diripuerunt, cursum verbi Dei impediuerunt. Hic, inquam, dicimus, nihil horum esse, quod in libro abusuam pastorum maxima illorum pars, qui hoc nomen sibi vendicant, per se factum esse, si legere libuerit, non scriptum a pertis inueniat. Nostram enim ambitionem, nostram auaritiam, nostras cupiditates, his omnibus malis, populum Dei prius affecisse statim inueniet, atque harum vi ab Ecclesiis pastores fugari, easque pabulo verbi priuari, bona Ecclesiarum, quæ sunt bona pauperum, ab illis tolli, indignis sacerdotia conferri, & illis, qui nihil à laicis, præterquam in vestis genere, ac ne in hoc quidem differunt, dari. Quid enim horum est, quod negare possumus per hos annos à nobis factum esse? Quare, si Turca, si hæretici hoc idem aduersus nos faciunt, quid hic aliud, quam flagitia nostra, & simul iustum Dei iudicium videmus? iudicium verò plenum misericordia: si enim pro meritis nos castigaret, iam pridem sicut Sodoma, & Gemorrha fuisset. Cur verò hæc nunc commemoramus? An ut vos confundamus? Absit. Sed magis vos, ceu patres & fratres charissimos, primum autem nosmet ipsos admoneamus, quo pacto hæc, quibus nunc affligimur flagella, & grauiora, quæ impendent, nisi resipiscamus, vitare possimus, ut effugiamus tremendum illud Dei iudicium, omnibus quidem non resipiscantibus tremendum, maxime verò illis, qui præsumunt. Iudicium enim graue, inquit Scriptura, his qui præsumunt fiet. Iudicium verò incipere nunc videmus à domo Dei. Dum enim nunc cūciuntur Sacerdotes, dum conculcantur ab hominibus: quid aliud hoc indicat, quam diuinum de nobis iudicium, quod prædixit Christus, cum diceret, Sacerdotes suos esse sal terræ: quòd si sal euauerit, ad nihil valere ultra, nisi ut cūciatur foras, & conculcetur ab hominibus? Hæc verò omnia, nos nunc patimur. Quòd si propter iustitiam, ut nostri maiores, beati nos quidem: at nunc iuste quidem, quia sal euauit: minime autem propter iustitiam patimur: in omnibus enim nostris afflictionibus videmus iudicium Dei. Atque utinam quidem illud videremus: hoc enim iuitium esset omnia Dei iudicia, & flagella effugiendi, atque in gratiam, & veram gloriam ingrediendi. Quæ res fecit, ut in his commemorandis acriores, & longiores fuerimus. Nisi enim hæc bene cognita, & perspecta fuerint, frustra intramus in Concilium, frustra inuocamus Spiritum sanctum, qui primum ingressum in animam hominis semper facere solet, per ipsius hominis condemnationem, ut condemnet mundum de peccato. Quare, nisi ille Spiritus nos apud nosmet ipsos primum condemnauerit, nondum illum ingressum esse ad nos affirmare possumus: ac ne ingressurum quidem,

sipec-

*si peccata nostra audire recusamus. Idem enim dicitur nobis, quod populo veteri per Prophetam Ezechielem est dictum, cum nōdum, agnitis suis sceleribus Deum per Prophetam interrogare vellent. Sic autem ait Propheta: Venerunt viri Israel ad interrogandum Dominum, & sederunt coram me. Hæc autem dicit Dominus: Nunquid ad interrogandum me, venistis? Vivo ego, dicit Dominus, quia non respondebo vobis. Sequitur autem: Si iudicas eos, abominationes patrum illorum ostende illis. In quibus verbis ostendit Deus, quare noluerit respondere illis, quia nondum scilicet abominationes suas, & patrum suorum audierant. Quare, cum idem Dei spiritus sit, qui tum dabat responsa, & quem nunc nos sedentes coram Domino inuocamus: quid nobis faciendum sit, vt propitia responsa habeamus, ex his videtis: & simul quàm necessariò nos, qui præsidemus in hoc sacro confesso, à detegendis nostris peccatis, sermonis exordium vobiscum duximus. Quia verò nonnullos nunc videmus, sua primùm peccata, & nostri ordinis grauer deflentes, atque Dei misericordiam omnibus votis implorantes: ideo quidem in maxima spe sumus, ad nos venisse, quem inuocamus Dei Spiritum: hoc verò maximum pignus diuinæ misericordiæ habemus: nempe, ipsam hanc inchoationem Concilij, in quo nunc conuenimus ad erigendam & instaurandam penè collapsam Ecclesiam, vt vetus populus, post diurnam captiuitatem apud externos, Reges redijt Hierosolymam ad instaurandum Templum. In illius verò populi statu, in illorum lata ad patriam profectio, & Templi instauratio, nostri quidem temporis, & nostri status, in hoc præsertim Concilio imaginem intueri possumus: & in Ducum eiusdem populi exemplo, vestrum, qui Duces estis populo Dei ad cœlestem patriam contendenti, officium videre. Quare omnes vos magnopere hortamur, vt sæpius ad memoriam reuocetis, quæ in Esdræ, quæ in Nehemiæ, quæ etiam in Danielis libris sunt scripta: in quibus consilia omnium Ducum populi explicantur, quæ hunc vnum semper scopum habuerunt, vt sua, & populi, atque patrum peccata confitentes, ad pœnitentiam, & implorationem diuinæ misericordiæ omnes excitarent. Quod cum populus faceret, tum quidem omnia illis feliciter successere. Eadem verò consilia nobis, si felicem successum, & exitum expectare volumus in instauranda Ecclesia, ob quam causam lati huc in spiritu conuenimus, sequenda erunt: atque eò quidem magis, quò etiam maiora nobis certamina impendent instauraturis Ecclesiam, quàm illis instauraturis Templum. Si enim illis multi, inominus id perficeretur, se opposuere: si multi etiam, cum opus impedire non possent, eos irriserunt: hoc quidem sic habetote, nobis nec irrisores defuturos, nec qui maximis viribus à cœpto opere nos deterreant, & auocent. Habebimus verò non modò colluctationem cum carne, & sanguine, sed cum spiritualibus nequitijis in cœlestibus. Verùm, his omnibus potentior est is, in cuius nomine, hoc opus sumus aggessi. Quare, in eo confidamus, ipsum precibus inuocemus, & ipse omnia perficiat. Quia verò hoc Concilium cum deliberantium, tum verò iudicantium speciem refert, in quo & deliberatur de ijs, quæ ad vniuersalis Ecclesiæ bonum pertinent, & etiam iudicatur tam de rebus, quàm de personis (sedemus enim tanquam iudicantes duodecim tribus Israel, quibus comprehenditur vniuersus populus Dei) idèo hic maximè locus videtur nos ipsos admonendi, vt caueamus ab his, quæ vel consultandi, vel iudicandi vim in nobis deprauare solent. Hæc verò sunt ipsæ animi passionnes, quæ idèo etiam perturbationes vocantur, quia reatum, & verum de rebus iu-*

dicium, & sensum perturbant, ac peruertunt: in quibus maximè illa sunt cauenda, quæ rectè monet Ethnicus ille in consilijs abijcienda, cum dicit: Omnes homines, qui de rebus duljjs consultant, ab ira, odio, amicitia, vacuos esse debere. Nam cum in hac omne genus hominum sit propensum, tum verò ÿ maximè, qui principibus seruiunt: tales enim vehementiores habent affectiones, facillimè autè ad gratiam loquuntur, vel ad odium: vt scilicet ipsos existiment Principes affectos esse, à quibus mercedem expectant. Cum verò de Principibus loquimur, tam de his, qui Ecclesiastici vocantur, quàm qui Seculares, loquimur: ac licet quidem nos Principes Christianos habere agnoscamus, & gaudeamus, id quod in veteri, & iam recens fundata Ecclesia patres nostri non habuerunt, tamen ante omnia nobis in hoc Concilio semper est animaduertendum, hunc non esse locum laudandi aliquè, nisi solum Deum in Christo Iesu, atque illum solum iustificandi, omne autem genus hominum condemnandi: primum verò nos ipsos, qui hæc loquimur, vt cum Daniele dicamus: Nobis confusio faciei, Regibus nostris, Principibus nostris, & Patribus nostris, qui peccauerunt: tibi autem, Domino Deo nostro, misericordia & propiciatio: quia recessimus à te, & non audiimus vocem Domini Dei nostri, vt ambularemus in Lege eius, quam posuit nobis per seruos suos Prophetas. Et omnis Israel præuaricati sunt Legem tuam, & declinauerunt, ne audirent vocem tuam, & stillauit super nos maledictio, & detestatio. Hic verò nunc locus esset, vt eiusdem Prophetæ exemplum sequentes, cuius verba modò recitauimus, non solum nostra, qui Sacerdotes sumus, sed populi, sed Principum, coram Deo & Ecclesia eius, peccata confiteremur, proque omnibus veniam imploraremus. Sic verò dicit Daniel: Cumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei. Nomine populi hoc loco omnium ordinum personas complectens, vt eius confessio, quam modò recitauimus, declarat. Quæ in re, quid nobis, qui pro salute vniuersæ Ecclesiæ tantis malis oppressæ, huc conuenimus, sciendum sit, satis indicare videtur: nimirum, vt nostra, & simul Principum, ac populi peccata flentes, confiteamur, id quod planè in spiritu mæroris satis nunc abundè facimus, ver! is verò vberius faceremus, si ipsi Principes adessent: qui suam nobiscum confessionem, & lachrymas coniungerent. Eiusmodi verò, quasi funiculus, peccatorum, vt Prophetæ loquuntur, Sacerdotum ac Principum, atque ipsius populi peccata sunt colligata: vt difficile sit de vnius ordinis peccatis inquirere, quin reliquorum simul ordinum peccata appareant. Sic verò omnes ordines vna orationis serie accusans, in veteri populo dicit Ezechiel, in persona Dei: Sacerdotes eius contempserunt Legem meam, & polluerunt sanctuaria mea: inter sacrum, & profanum non habuerunt distantiam. Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendam sanguinem, ad perdendas animas, & auarè sectanda lacra. Populi terræ calumniabantur calumniam. Hæc ille, quæ vtinam ad illa solum tempora pertinerent, ac non nostri quoque temporis imaginem referrent. Vtinam cum de corruptela morum Sacerdotum loquimur, huic maximam occasionem, maximam materiam, & authoritatem ipsos Principes, atque ipsum populum dedisse negare possemus. Sed reprimamus nunc verba vsque ad tempus magis opportunum, fontes autem communium lachrymarum aperiamus. Redeamus verò ad eos, quos cœpiimus admonendos, præsertim Episcopos, qui cum mandatis Principum huc venerunt. Sic verò illos admonemus, vt omni, qua possunt fide, & diligentia

suis



*suis Principibus seruiant: verum, vt Episcopus decet, sic illis seruiant, vt serui Dei, non vt serui hominum. Nolite, inquit Apostolus, serui hominum esse. Primum verò seruiant vni Regi Christo, cui Deus Pater omnem potestatem dedit: deinde verò, propter eum, omnibus, maximè autem Principibus: cui honorem, honorem: cui tributum, tributum. Hortamur autem, vt Principibus seruiant ad honorem, quemadmodum eorum mandata verbis ipsis præferunt: in quibus, nihil ferè, nisi honorificum, & ad publicam vtilitatem spectans, proponitur. Sic verò in summa seruiant, vt eorum officium in primis spectet ad honorem Dei, & vtilitatem huius Concilij, quod propter publicum bonum est conuocatum. Quare, vt ab hoc maximè dehortamur omnes, qui hinc sententias coram Deo, & Angelus eius, atque coram vniuersa Ecclesia sumus dicturi, ne ad gratiam hominis alicuius loquamur: sic etiam multò magis, ne ad odium cuiusquam sententiam proferamus, etiamsi contra nos aduersarij, vel inimici, & hostis personam gerat: denique, vt ab omni inter nos contentione absterneamus, maximè optamus, & in Domino hortamur. He enim sunt, quæ contristant, & repellunt, quem inuocauimus Spiritum sanctum, sine quo, nihil omnino facere poterimus, quod ad bonum & pacem Ecclesie cedat. Cùm enim, inquit Apostolus, sint inter vos contentiones, nonne homines estis, & secundum hominem ambulatis? Cùm verò Homines eos appellat, Spiritus Dei expertes intelligit. In omnibus autem, quæ ad reformationem Ecclesie pertinent, ob quam causam conuenimus, imitari nos oportet illum, qui eam primùm formauit, de quo ad ipsum opus ingrediente, sic in persona Dei Propheta loquitur: Ecce seruus meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ: dedi Spiritum meum super eum, iudicium Gentibus nuntiabit, non contendet, neque clamabit, arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet. Hunc verò Spiritum pacis, charitatis & mansuetudinis, cùm semper apud omnes, & cum omnibus ostendere debeamus: tum verò maximè in hoc sacro confesso, in quo conuenimus, vt per gratiam ipsius Spiritus, contentionibus, quæ nimis diu Ecclesiam vexarunt, finis tandem imponatur. Quare, ne ipsi vllam contentionis ansam alicui demus, qui pacificorum personam gerimus, maximè est cauendum. Hoc verò, & cetera omnia incommoda, & impedimenta pacis vnico modo euitabimus, atque ad optatum pacis portum perueniemus, si precibus ab humili & contrito corde profectus, ipsum Christi Spiritum, qui est pax nostra, inuocauerimus: vt in hoc Concilio præsideat, vt lucem cordibus nostris infundat: vtque nos in omnibus ad ipsius honorem, & veram Ecclesie vtilitatem regat & dirigat. Ad tales enim ipse dicit: Adhuc te loquente, Ecce adsum. Quare, vt huiusmodi orationibus assiduè incumbamus, quanta possumus charitate, vos in Domino hortamur, vt vno ore, atque vno spiritu Deum Patrem in Christo Iesu glorificemus, qui est Deus benedictus in secula, Amen.*



O C habet reuerentia in Ecclesia Christiana sacri Concilij nomen, ut  
 auditum, non imperitos modò protinus, sed graues etiam & sano iudi-  
 cio praditos homines commoueat. Et sanè, cum hoc ab initio curandis  
 Ecclesiae suae morbis vsitatum remedium adhibuerit Deus, ut conueni-  
 rent sibi & sancti Pastores, ac inuocato eius nomine, statuerent, quod Spiritus san-  
 ctus dictabat: meritò apud omnes pios in honore Concilia esse debent. Hoc interest  
 quòd vulgus hominum inmodica admiratione obstupescit, ut nihil postea iudicet.  
 Qui verò sunt saniores, sensim quidem & modestè, sed tamen inquirere sibi an-  
 tè permittunt, quàm planè assentiantur. Atque ita fieri conuenit: ne temerè nudis  
 hominum placitis, sed vni tantùm Deo subscribat fides. Sed reclamant, quibus cer-  
 tò persuasum est, aut qui saltem alijs persuadere volunt, Concilium, qualecunque  
 sit, modò ritè sit indictum, non posse errare: quia à Spiritu sancto regatur. Volunt  
 igitur, oraculi instar, absque controuersia recipi, quicquid inde prodierit. At  
 quantò Augustinus prudentior? qui pro singulari quidem sua modestia, non me-  
 diocrem Concilij honorem defert: illam tamen, quam dixi, moderationem, non  
 propterea retinere desinit. Nam aduersus Maximinum Arrianum scribens: Ne-  
 que ego Synodum Nicenam, inquit, nec tu Ariminensem debes, tanquam praedi-  
 caturus, afferre. Nec ego huius auctoritate, nec tui illius detinèris. Scripturarum  
 auctoritatibus, non quorumcunque proprijs, sed vtriusque communibus testibus, res  
 cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certet. Tantùm sibi & alijs liberta-  
 ris sanctus vir concedit, ut ne ad praedictum quidem valere Nicenum Concilium  
 velit, nisi causa veritate ex Scripturis bene perspecta.

Verùm, de prisca illis Concilijs sermonem longius producere, nihil opus est  
 in praesentia. De Tridentino enim Concilio agere instituit: quod illis longè est dis-  
 simile. Cum tot cernerentur in Ecclesia corruptelae: cum de religionis doctrina gra-  
 ues exorta essent contentiones, diu & ardentè multorum votis expetitum fuit  
 Concilium: qui scilicet hoc modo finem malis omnibus allatum iri sperabant. Im-  
 peritè id quidem: nam, ut hodie constitutus est rerum status, facile perspicunt,  
 quicumque vel mediocri prudentia sunt praditi, nullam malorum leuationem ab  
 ijs sperandam esse, quorum est, tum cogendi, tum habendi Concilij potestas. Sed quis  
 non apparebat alia melior ratio, plurimi non mali homines, qui consultum Eccle-  
 siae optabant, ex Concilio aliquid sibi pollicebantur. Itaque à multis desideratum,  
 tandem quasi communi Christiani orbis voce flagitatum fuit. Quibus autè de cau-  
 sis aliquandiu dilatum fuerit, perspicaciores agnoscunt. Nam quæ Ro. pontifex  
 in sua bulla causas præterdit, impudenter esse cõficias, quisquis non videt, plusquam  
 cæcus est. Quibus autem causis fuerit adductus, ut quisque posset moras necite-  
 ret: ipse quidem melius nouit: aliqua tamen ex parte conijcere possumus. Hoc ideo  
 factum putant nonnulli, ne tanquam vulgare quiddam, Concilium vilesceret tam  
 apud Principes, quàm apud plebeios, si tam facile statim fuisset impetratum. Solet  
 enim pretium rebus addere longa expectatio, modò ne tædium interueniat. Ego ta-  
 men aliam fuisse rationem iuauico. Tametsi enim Concilium quod daret, sciebat ni-  
 hil fore aliud, quàm conductitiã turbam suorum assèclarum, in qua ipse solus e-  
 mimeret, ea tamen est vis malæ conscientiae, ut trepidaret ad solam Concilij men-  
 tio-

tionem. Nam ad eò dissoluta & effræni libidine grassatur tyrannis Papatus, vt coercendam esse non dubitent, qui maximè eam in longum tempus saluam volunt. Ergo non abs re, tempus extrahendo, quamlibet potentia sua inminutionem refugere conatus est. Quod postea clarius etiamnum apparuit: quæcunque enim præter receptum morem in ordinando suo Concilio induxit, totidem sunt eius, quam notati, diffidentia argumenta. Atque, vt infinita alia omittam, quorsum tres legati, nisi vt eorum vnusquisque alijs esset æmulus, ne quid auderent? Neminem igitur inuenit in sua cohorte, in qua omnes habet sibi prorsus addictos, cui fideret.

Hoc priuatum fuit Papæ consilium. Aliud spectarunt, qui præsentem Ecclesiæ statum, qualiscunque sit, conuelli nolunt. Sic enim statuebant: quid vis experiri multò esse satius, quàm de rebus hodie controuersis vllam cognitionem suscipere. Cur ita? Partim, quia indignum illis videtur, quocunque foro disceptationem mouere de hominum placitis, quæ semel fidem obtinuerint: partim, quoniam eos magis delectat violenta possessio, quàm ingenuæ gubernationis species. Nam quotusquisque est eorum, qui Papatum ecclesiarum prætextu nunc tuentur, qui nõ cupiat ita oppressam esse Christiani populi libertatem, vt de corrigendis Ecclesiæ vitijs nemo hiscere audeat? vel non clamitet, superuacuum esse Concilium, adeò que atrocem fieri prioribus decretis iniuriam, nisi illis, sepulta omni Concilij mentione, stetur? Quid hoc, inquiunt, aliud est, quàm actum agere? Et quanta in posterum licentia dabitur omnia nouandi, & turbandi, nisi rebus semel iudicatis acquiescimus? Si oracula sunt Spiritus sancti, iam prius editæ definitiones, quis noua disceptationis profectus erit? Quorum omnium facilis est refutatio. Nam & questiones hodie agitantur, hæcenus nunquam ritè discussæ: & palàm est, cum doctrinam, tum verò vniuersam Papatus administrationem ita disidere à plerisque Concilijs veteribus, vt nihil magis aduersum fingi queat: & tam varijs tamque exitiabilibus morbis oppressa est Ecclesia, vt nullum vnquam magis necessarium fuerit habendi Concilij tempus: siquidem legitimum impetrari posse, spes esset. Apparet igitur, ne minimo quidem pietatis sensu tangi, sed miserabilem Ecclesiæ interitum securos ac propemodum hilares inspicere, qui sic loquuntur. Quòd autem rursus agitari nefas esse ducunt, de quibus semel pronuntiatum est, in eo nimis sunt inepti. Quid enim differet ab hominum decretis sacrosanctum Dei verbum? Quòd si auctoritates saltem ex melioribus illis seculis peterent, quæ & doctrina florebat, & pietate, essent fortassis vtcunque audiendi: sed eius generis sunt Concilia, quorum auctoritate nos obstringi volunt, in quibus nihil præter crassissimam inscitiam apparet, cum barbara ferocia coniunctam. Quòd quidem verissimè dictum esse, palàm suo loco fiet. En cur tam fastuosè superbiant, rebus indicatis.

Porrò, si hæcenus dubitatum fuit, quantum inter Concilium intersit, & Spiritus sancti tribunal, quod omni prouocatione exemptum est, illustre in Tridentino Concilio specimen, nobis ostensum fuit. Concilium errare non posse ideo contendunt: quia representet Ecclesiam. Quid autem, si hoc posterius negetur verum esse? Atqui, vt de eo statuatur, videndū, opinor, quibus hominibus constet. Adfunt fortè quadraginta aut circiter Episcopi. Neque enim numerum teneo, neq; etiam admodum curo, quia parum ad rem pertinet. Respondeant mihi bona fide patroni Conciliorum. Si quis ordine ipsis omnes recenscat: quotumquenque ex illis non contemnent? Imo, cum se illi ipsi venerandi patres mutuò aspiciant, fieri non

potest, quin eos sui pudeat. Nam & sibi noti sunt: & quale sit aliorum de se iudicium, non ignorant. Proinde, si remoueas Concilij nomen, nihil nisi quisquilias fuisse, quicquid illic Episcoporum fuit, totus Papatus fatebitur. Verum, sua alijs nationibus ornamenta libet intacta relinquere. Gallos tantum meos rogabo, ut, quam ipsi contulerunt, portionem iusto pretio astiment. Inter primaria Ecclesie membra, Gallie sanè regnum numerant. Illinc duo adfuerunt Episcopi, Nenerensis, & Claramontanus, ambo aequè indocti ac stupidi. Hic etiam posterior, non ita pridem tam ridiculus habitus, quam moriones: & tam libidinosus, ut, instar canis Venatici, impudicus omnes domos odorari solitus esset, donec in disciplinam Soseie cuiusdam famose apud Parisios mulieris, se tradidit: ex quo repente euasit sapiens. Si tam facile sapientes efficere queat Francisci Picari discipula, cuius magistrum cerebro penitus carere, fanaticis esse persimilem, nec procul à furioso distare, constat. Nam Aquensem Archiepiscopum inter Gallias vix numero. Agathensis autem, ut solent curiosi homines, tanquam otiosus spectator adfuit. Obsecro vos Galli mei, quis vestrum sibi persuadeat à Spiritu sancto profectum esse, quæ vel innumera talium hominum multitudo effatuuerit? Atqui, ne prima quidem theologia rudimenta duo isti, de quibus loquor, vnquam gustarunt. Quam igitur misera Christianæ Ecclesie conditio futura est, si pro oraculo habendum sit, quicquid ipsis ac paucis nihil melioribus placuerit? Et adhuc eò usque socordes sunt plurimi, ut cum audiunt publicari sacre Synodi placita, non cogitent eos esse auctores, quibus ne de minima quidem questione fidem sunt habituri. Nam si in mentem hoc illis veniret, protinus non sine stomacho abijcerent, scalcarèntque pedibus, quæ nunc inconsyderatè osculantur. Quid enim? an iudicio quicquam probant? Minimè. Sed calos perstringit Concilij reuerentia. At cuius est stultitiæ, quem asinum esse scias, sub leonis pelle, tanquam formidabilem vereri?

A iam subit, quid rursus obijci queat à parte aduersa: non solis Episcopis commissas esse decernendi partes. Intellego. Atque id est, quod maxime volebam: sunt enim garruli quidam & audaces monachi, quorum alij mitras, alij galeros aucupantur: omnes certè Romano pontifici suam loquacitatem venditant. Fingamus porò, eximios esse, & eruditione non vulgari theologos. Hoc tamen habeo, venerandis patribus, ex quorum nutu pendet tota religio, sophistas nescio quos verba præire, ut eorum dicta nobis deinde cantillent. Quo sum autem attinet, eos tam altum suggestum conscendere, ut tanquam semidei ex alto pronuntient quod illis ex inferiore subsellio præscriptum est? Vbi illa Ecclesie representatio, cui Spiritum sanctum alligant, si coguntur aliud precario mutuari, quod opus est, ne aut sileant, aut perperam loquantur? Vestrum est axioma. Qualiscunque sit coetus, cui nomen vniuersalis Concilij impositis, illic Spiritum sanctum præsidere, ut nihil inde manare queat, nisi cæleste ac diuinum. Interea famelicos, & venalis lingue monachos præfixis, quos spiritus iste vester, quem fingitis, auscultet. Atqui, longis & accuratis disputationibus agitant illi, quicquid à patribus est definiendum: nempe, ita audiui: stridulum nescio quid ipsos rixando, tanquam ranis Aristophanus, coaxare: inde confici præclara ista decreta, quæ deinde Spiritus sancti responsa iactantur. Quid enim dissimulanter agerem in re notissima? Certum est, nulli esse tam obscuram scholam quæ non præ se despiciat quicquid est Tridenti theologorum. Quid igitur? An eos, simul atque locum mutauerint, repentino afflari numine

puta-

putabimus, ac si Phebades Delphicam cortinam subiissent? Nuga. Nam si hodie Parisiensi Sorbonæ allatum foret, Tridentinos patres ab ipsius decretis, vel vno apiculo discrepare, statim, calefactis cerebris, ad prælium concurrerent magistri nostri: nec modò Concilij auctoritatem pro nihilo ducerent, sed vnumquemque nominatim lacerarent atrocissimis conuiuijs. Nunc si infulsissimis quibusque delinjs album calculum addiderint, scholæ omnes Gallicæ, Hispanicæ, Germanicæ, Italicæ certatim applaudent. Quanta ergo improbitatis est, orbi Christiano adorandum obrudere, quod ipsi intus nihili faciunt?

Agedum tamen, disputatores illos, qui cudendis placitis insudant, flagamus non tantum mirabili acumine, doctrinæque excellere, sed Angelos esse recensens à cælo delapsos. Tantum præterea absurdum aduersarijs ignoscimus, Concilium, quod immediato Spiritus afflatu regi fastuosè prædicant, à paucis hominibus emendicare, quod orbi vniuerso quasi diuinius allatum ingerat. At ne sic quidem vnciam fidei Tridentina Synodus obtinebit. Nihil enim illic, nisi ex vnius Romani pontificis nutu, statuitur. Quare, omittat in posterum istas ampullas: Non hominibus, sed Deo repugnare, qui Concilij placita respuit. Illos enim nihil esse, nisi organa: huic præsidem, qui mentes & linguas spiritu suo moderetur. Si ita esset, nimis in Spiritum sanctum contumeliosos esse ipsos dico, cuius reprehensorem faciunt Papam suum, dum ipsius arbitrio censuraque subiiciunt omnia. Ego de rebus vulgò tritis loquor. Simul atque compositum est decretum aliquod, Romanæ volitant cursores: veniam, pacemque exposcunt à pedibus idoli sui. Priuatus suus consultoribus exanimandum tradit sanctissimus pater, quod est allatum. Demunt illi, addunt, & mutant quod videtur. Redemunt cursores, Sessio indicitur. Recitat notarius, quod improbare nemo audeat. Asini auribus annuunt. En oraculum, quod religione totum mundum obstringat. Cur non aperte fatentur quod res est? Monachos decem aut viginti, quorum conductas habent operas, decreta consarcinare, Papam censorio stylo confodere, si quid non arridet, cætera comprobare: nihil aliud Concilio reliquum fieri, quàm promulgandi onus. Olim quod consultaerat Romanus Senatus, plebs scisciebat. Papa verò sciscendi iure minimè contentus, sibi præterea in Synodi consultis sumit corrigendum quicquid non adlubescit. Nimis quidè si pertè, si præsidere illic Spiritum sanctum putat. Nobis verò impunè (opinor) contemere licebit, quod à talibus magistris compositum, à tali Aristarcho correctum esse agnoscimus. Nam Synodi pronuntiatio, nihilo plus momenti habere debet, quàm auctionarium aliquod præconium.

Sed ne præfando sim longior, si Concilij alicuius placita, firmis verbi Dei testimonijs fretus, in controuersiam adducerem, iam mihi probasse videor, non esse causam, cur me vllius temeritatis daunent sani lectores. Nunc verò, quis mihi, nisi plusquam fatuus, succenseat, si asserenda veritatis necessitate coactus, simiam, quantum purpura ornatam, traducere non dabit a uero: ut simia, sicuti est, omnibus appareat? Iam abundè monstravi, Neptunios istos patres, nec tam formidabiles esse cum suo Tridento, quin verbo Dei intrepidè flagellare ipsos liceat: nec tam esse sacrosanctios, ut nefas sit eos attingere. Verum, ut video, ne id quidè agitur. Laruam enim hominum oculis opposuit Rom. pontifex, quæ neminem oculatim fallere queat. Ego sanè, cum ante annos decem passim fieret mentio Concilij: atque ita persuasum foret, Papam non posse iam amplius tergiversari, quin serio pecudes suas

cogeret: bullæque citatoriae iam volitarent: primum, indictiones ex bullis natas conijciebam paulatim in fumum abituras. Nam & alterius bullæ Mantuanae memoria, quæ sub Pij secundi Pontificatu, ex magno tumore statim euauerat. Verum, si tandem cogeretur aliquod Concilium, ita mecum repulabam, omnia facturum esse Rom. Pontificem, ut splendore aliquo non vulgari simplicium oculos perstringeret. Atque hæc cogitatio, ut verum fatear, me vehementer angebat. Minimè hoc dubium erat, quicumque sessum admitterentur ad sententiam dicendam, eos partim ambitione irretitos, partim excæcatos auaritia, partim rabie accensos, totidem infestos sanæ doctrinæ hostes fore, qui ad stabiliendam tyrannidem Papatus, arcana inter se coniuratione obligati, ad destruendum Christi regnum incumbere: paucissimos fore, non tam impio crudelique affectu, sed tamen nihil virile habentes ad resistendum. Itaque statuebam, mox, indicta causa, oppressum iri veritatem, sub tam iniquis iudicibus. Etenim ne hoc quidem sperandum erat, ut qui spiritam pius ac cordatus, vel morte sua, vnius horæ audientiam apud eos redimeret. Interea, multis imperitis, quanquam alioqui probis, imposuisset hic fucus: Ecclesie definitioni esse acquiescendum. Nunc habenda est Papa gratia, qui talem nobis instruxit pompam, quæ pueris quoque ipsis ludibrio futura sit. Nihil tamen aliud postulo à lectoribus, nisi, ut deposito in vtranque partem præiudicio, integri ad hanc disceptationem accedant. Quod ita demum fiet, si oculos à personis ad ipsius rei intuitum conuertant.

I N P R A E F A T I O N E M L E G A T O R V M, Q V A  
vsi sunt prima Sessione: aliæque Concilij proemia.



Enè habet. Tandem fatentur Romanenses, horrendam Ecclesie dissipationem, quam hodie boni omnes lugent, sibi magna ex parte ferri debere acceptam. Si quis non admittat astutus tam ingenuam confessionem audiatur: protinus aliquid bonæ spei concipiet. Exhortationes verò, quæ postea sequuntur, studium non vulgare præferunt instaurandæ Ecclesie. Tam verò pars illa, vbi non alium esse admonent, qui lapsis rebus subuenire queat, quam vnicum Pastorem Christum: hunc igitur implorandum esse vnum, huic auscultandum: feliciter cessura omnia, si actiones omnes moderetur, illisque præsideat: alia omnia consilia, alias artes nihil esse, quam rimosas cisternas, quæ diffuant: hominum prudentia nihil aliud, quam magis iram Dei prouocari, & augeri mala potius, quam sanari: pars, inquam, illa tota quantam pietatem spirat? Sed ex actis, quæ demde secuta sunt, has fuisse voces frustra in aerem iactatas, apparet. Imò non expectant ipsi, dum ex actis fiat iudicium. Nam in salutis doctrina, quæ ipsi impijs sceleratisque suis commentis totam adulterarunt, in Sacramentis, quæ penitus vitata, prostituunt ad fixam ac pudendam nundinationem, nihil inueniunt apud se corrigendum. Quantulum igitur opis perditis rebus offerunt? Et sanè non est quòd à Tridanticis, qui sub Neptuni auspicijs militant, quicumquam expectemus, nisi aqueum: vbi scilicet suscipienda est corrigendæ in melius Ecclesie cura. Nam si aduersus innoxios sit fauendum, & sancienda piorum sanguine impia sua tyrannis, toti mox erunt ignei. Quanquam Neptuni regnum hoc quoque redolet: albentes magno cum stri-

stridore spumas agere: sed quæ suo ipsarum tumore elisæ, mox flaccescant. Ergo simulac prima fronte sparserunt suos fumos, non dissimulanter ostendunt, quis futurus sit actionum suarum status, quod ad præcipuum caput attinet: nempe, ut impietates suas omnes mordicus retineant: nos, qui nihil quàm Christum regnare cupimus, puram Euangelij doctrinam asserentes, hæretici iudicemur. Sic enim prius quàm ad cognitionem ventum sit, pronuntiant hæreticos esse, quicumque contra receptam Ecclesiæ Romanæ doctrinam aliquid mouere hoc tēpore ausi sunt. Quid hoc est? Totus orbis Christianus Concilium expectabat, in quo iusta de rebus controuersis disputatione institueretur: isti se non alium in finem sedere profitentur, nisi ut damnent quicquid non adlubescit. Proinde, nemo iam vltro se fallit: quādo ex ipsorum ore audimus, non, inquirendi causa, celebrari hanc Concilij pōpam, sed tantum, ut stabiliatur qualecunque fuit illud doctrinæ genus, quo monachi & sophistæ orbem imbuerunt: maneat ritus omnes, quacunque superstitione obrepserint: omnes conscientiarū laquei arctiore nodo stringantur. Et adhuc erit quispiam tam stupidus, qui malorum leuationem à Concilio petendam censeat? Totam pietatis doctrinam impijs dogmatibus vitiatam esse conquerimur: totum Dei cultum fœdis ac pudendis superstitionibus vitiatum: puram Sacramentorum institutionem horrendis sacrilegijs mutatam esse: eorum vsus ad profanas uindinationes conuersum: miseræ animas, quæ regi Christi doctrina debuerant, crudeli seruitute teneri oppressas: nihil in Christiana Ecclesia spectari, nisi de forme ac fœdatum: Christi gratiam non modò iacere semiseputam, sed partim iaceratam in frustra, partim extinciam penitus esse. Quòd iustæ porro sint nostræ querimonie, iam tot annos, & libris editis, & quotidianis concionibus, palàm facimus: parati etiam sumus, vbicumque data fuerit loquendi copia, planum facere. Ea enim est causæ nostræ bonitas, ut lucè minimè reformidet. Ac multæ quidem sunt hominum myriades, qui us hoc iam certò persuasum est: ut non aliam inquisitionem desyderent. Sed tamen, ne sublatis dissidijs in sanctam concordiam iterum Christianus orbis coalescat, Synodus indicitur. An non discutiendæ prius erant controuersie, quàm sibi vel alijs præiudicarent? At nihil tale admittunt: quin potius, si quis pilum ex eorum institutis conuellerent, eum iam pro damnato habent.

En speciosa reformatio, cuius promissione hætenus mundum laclarūt: tot idololatria portenta, quibus deformata est Ecclesia Dei, tot superstitionum inquamamenta, tot sacrorum profanationes, tãtam errorū colluuiem non attingere: nihil minuere de tyrannico legum impiarum iugo, qui us illaqueatæ sunt miseræ conscientie: sed hæreticos iudicare, qui nouari aliquid cupiant. Vbi illa audientia, quam sibi multi nimium simplices pollicebantur? Quòd si qua eorum animos tãgeret religio, imo si quem omnino Deum esse putarent, an tanta securitate res tanti momēti, quasi per iocum, transilirent? Agitur Dei gloria, æternum Christi regnum, totius Ecclesiæ salus. Coguntur, ut aliquosque communibus Christiani populi votis morem gerant, Concilium habere. Præfatur tamen, ideo se venisse, ut spem emendationis prædicant. Tantundem enim valent eorum verba, ac si planè ac disertè negarent fore in posterum melius. Neque tamen sic agendo, quicumque alienum designant sua persona: nihil enim in pietatis euerfione, aut sacrorum corruptelis deplorant hodie boni omnes, cuius non illi, qui ad iudicandum sedent, culpam sustineant. Miramur ergo, si ipsi, dum rei aguntur, secundum se protinus, ut acla

causa, ferunt sententiam? Sed hoc plusquam absurdum est, iudicandi potestatem ijs permitti, quorum crimen in iudicium adducitur. Et tamen, quid aliud proficiunt, nisi ut agnoscant oculati omnes, scelerum eos minimè poenitere, dum pertinaciter defendunt quicquid in illis accusamus? Neque enim efficient, ut rata sit eorum impietas, quia sunt ipsi obstinati.

Quæret nunc quispiam: Quem igitur Concilij fructum ostentant? Nempe, ut compositis inter Principes Christianos bellis, tranquillâ reddant Ecclesiam. Nugæ. Quis enim nescit, Romanensis flabella esse concitandis bellorum motibus, quocunque eorum afflatus penetrauerit? Restat igitur, ut collapsam morum disciplinam, præsertim in suo clero, restituant. Quàm fideliter autem incubuerint in hanc partem, ex actis liquet. Viam enim illic patefaciunt, ut videbimus, qua liceat in posterum, quod semper licuit. Ne tamen nihil actum fuisse, quis putet tam sumptuoso apparatu, erit fortè in pileis, & calceis, reliquòque vestitu aliqua reformatio. Hunc in modum cum Deo & hominibus illudant, non pudet eos Prophetarum induere personas: ut tres Antichristi legatos dicas, tres esse illos intercessores, de quibus loquitur Ezechiel, qui ad iram Dei placandam, primi omnium se opponant. Commemorant humilem peccatorum confessionem: commemorant gemitus & lachrymas, poenitentia signa. Vix à risu abstinuisset puto, cum lector ab ipsis subornatus hæc recitaret. Quanquam dum histriones agere volunt, vox illis vna interim excidit, quæ mihi instar vaticinij cælestis videtur habenda. Quid enim prohibet, quominus, ut olim Caiphas, ita nunc quoque prophetent Christi hostes? Spiritum sanctum sibi non adesse affirmant, nisi se ipsi accusent: negant etiam ad futurum, quandiu recusabunt peccata sua audire. Oraculum accipio. Mentiantur quidem postea, se fletus videre, ut conuentum suum ornent. Sed cum res ipsa clamet, obstinatos sedere, id stabiliendum impietatis regnum, credamus eorum vaticinio nihil minus, quàm à Spiritu Dei ipsos gubernari. Et quis non videat arcano Dei impulsu, quasi adhibita quaestione, coactos fuisse præter animi sui affectum ad hanc confessionem? Testis ab ipsis aduocatur Ezechiel: qui Deum responsa daturum negat populo, nisi suas patrumque suorum abominationes prius agnouerint. Vbi talis apud ipsos agnitio? Si ceant igitur: aut fateantur se temerè cerebri sui fragmenta proferre. Quòd si nondum hoc omnibus persuadeo: meminerint saltem lectores, cum ad ipsam rerum tractationem ventum erit, iudicium ex ipsa veritate faciendum esse, an à Spiritu sancti afflatu prodierint ipsorum decreta. Antehac responsa Dei, sine exceptione, esse iactabant, quæcùmque Synodo placuissent: nunc verò hæc illis vocem, tanquam maleficis in eculo, Deus extorsit: hac nota discerni oportere, numquid suæ Synodo præsideat Dei spiritus, si suis patrumque abominationibus damnatis, ad veram resipiscentiam conuersi fuerint. Quisquis sponte falli non volet, ad hanc regulam examinet quæ postea sequentur decreta. Nisi luce clarius ostendero, nihilò plus in illis fuisse resipiscentiæ, quàm in Israelitarum pessimis, habent sanè quid postulant, Dei non hominum esse vocem. Ergo, ut libet, cum Efra, Nehemia, & reliquis populi veteris Ducibus, suam cateruam conferant, sua & populi peccata, cum spiritu mæroris, se satis abundè de flere, per os lectoris, dicant: sit, inquam, illis impunita hæc licentia, ut sanctis Dei ministris tam atrocem contumeliam inurant, illos cum impuro porcorum grege comparando: & siccis oculis, lachrymas suas impudenter iactent: quid enim ipsis non liceat? &

tamen



tamen lectoribus non eripient hanc libertatem, quominus ex re ipsa fiat aestimatio potius, quam ex verbis. Id vero perquam ridiculum, quod postquam se abunde in spiritu mæroris sua peccata deslere prædicauit, postea se & alios hortatur, ut lachrymarum fontes aperiant. Obliuio sum sane rhetorem fuisse oportet, qui hanc illis declamationem composuit. Et quid si ipsos ludibrio, ut digni sunt, exponere voluerit? Fieri quidem potest, sed rem nihil ad me pertinentem omitto.

Piget singula persequi, neque opus est: nam ita laudes exhortationibus permiscet, ut nihil sit in veris que nisi fictum, & simpliciter falsum. Quod Ecclesias nostras accusant, quia pastoribus expulsis, laicos in eorum locum substituerint, ordines confuderint, Ecclesiastica bona diripuerint, cursum verbi Dei impediuerint, propterea est ac expedita ad tales criminationes responsio. In initio, pastores nominant, quos fugatos esse conqueruntur. Quousque autem titulo hoc se venditabunt, qui, præter argentei pedi insigne, nihil pastorale habent? Ordinum confusio quam deplorant, nihil aliud est, quam modica disciplina restitutio. Sacrosanctos enim se haberi volunt, iure uictionis. Hoc priuilegio muniti, sua vitia attingi fas esse negant. Quare, modo liceant illis omnia, nihil erit non rite ordinatum. Si violatur sacer ordo, perinde confusa sunt omnia, eorum quidem iudicio, ac si cælum rueret. De bonorum direptione, ut inam nostris hominibus tam parata esset satisfactio coram Deo, quam ingenua veraque aduersus illos defensio nobis constat. Otiosis ventribus adæptas fuisse facultates, quas ingurgitabant, fateor. Videamus, an Ecclesie creptum quicquam fuerit. Cõstat certe à prædonibus fuisse occupatum, quod venerandi legati, Ecclesie nunc voce sua dedicant. Constat, non ad faciendam modò eorum ingluuiem fuisse insumptum, sed in scortationes, aleam, saltationes impudicas, & sumptus nihilò honestiores turpiter dilapidatum fuisse. Pauperes negligebantur. A scholarum magister potius aliquid emungebant, quam ut stipendijs eos iuuarent. Nunc vero sinodum tam pura est sanctiæque administratio, quam optandum esset, pýsiltem pastores aluntur, qui salutis doctrina pascant animas: aliquid in scholas impenditur: in pauperes erogatur plus decuplo, quam habere solerent: confertur etiam nonnulla portio in alios usum, nec profanos, nec reprehensioni obnoxios. En cur direptionis insimulent nostros homines. Sed quid de impedito verbi Dei cursu dicturus sum? Grauißimum est crimẽ. Proxius hæreo. Vos, ò nefarij, verã doctrinã extinctiores, sacrilegium, cuius rei cõstis coram Deo, & Angelis ipsius, totòque mundo, nobis audetis imputare? Neque tamen sic in tali cõtatu locutos esse miror: ubi nihil sciebant futurum plausibile, nisi quod nequiter dictum foret.

Sed enim accesserunt alij monitores, quibus curã fuit emendare, si quid vel omissum, vel peccatum fuerat à Legatis. Extant aliquot orationes à monachis habuẽ, quos credibile est veluti canales fuisse, quibus in ora patrum influxit spiritus sanctus. Vna etiam episcopi nescio cuius, qua nihil potest ineptius omnino fingi. Hæc porò omnium est summa: nos breuibus decretis obruendos esse: quia fixum manere oporteat, nihil in sua doctrina, antequam prodirent nostri, fuisse, nisi probum ac sincerum. Quia Dominum Iesaias murum, & antemurale Ierosolymæ fore promittit, Sotus quidam (quod nomen bardum, ac fatuum sonat lingua Gallica) duplex Ecclesia munimentum excogitat: ex diuinis & humanis legibus. Et in hoc tam stulto cõmento perinde exultat, ac si magnificum de nobis triumphum ageret. Egone, in exagitanda hac bestia, perderem operam, & tempus? Atqui, mihi plus satis

est, rem digito breuiter indicasse. Quia muro & Vallo muniuntur vrbes: Dominus se vnum pro vtroque fore denuntiat. Soti autem interpretatio vallum ad humanas leges transfert: nec aliter restitui posse Ecclesie ruinas docet, quam si interruptio à nobis facta sarcatur.

Alter quoque nomine Marinarius, ex culina Carmelitana fumos exhalat, nos libertatem Evangelicam omne genus corruptelis prætexere. Atque vt aliquid elegantiæ aspergeret suæ orationi, exclamat: O cœnum, ô labe. Tametsi nihil habeant frontis, negare tamen non audebunt, quin maior, apud se grassetur vitiorum licentia. Plus certè apud nos esse veræ castæque seueritatis, & arctioris disciplinae, testes sunt quotidianæ nostræ conciones. Et tamen hunc canē è cœno fœtidi claustris emersum, nihil pudet ita nobis oblatrare. Atqui, votis abrogatis, refracto cœlibatu, sacris precibus contēptis, calcatis ieiunijs, reiectis patrū institutionibus, arripimus occasionem peccandi, quasi vitæ ducem. Qualis igitur Apostolorum fuit vita? quibus ignotus fuit cœlibatus, pro quo dimicant Papistæ: sub quibus nulla fuit vquam votorum mentio: qui nullam in ciborum delectu necessitatem imposuerunt conscientijs: qui contenti ea regula, quam Dominus præscripserat, nullos vquam legum aut traditionum laqueos inycere tentarunt. Nihil enim in nobis calumniatur, cuius nõ idem nobiscum crimen sustineant Apostoli. Quæ votorum genera improbemus, ex scriptis nostris constat. Quantã spurcitiarum colluuiem orbi vniuerso intulerit eorū cœlibatus, quæ sancto coniugio mutatū cupimus, vtinã minus esset notum. Cœlibatum in iunioribus viduis vt olim Paulus reprehenderet, hoc argumento adductus fuit, quia quædam ad Sathanam defecerant. Hodie plus esse in claustris monachorum & monialium obscœnitatis, quàm in vllis lupanaribus, satis compertum est. Quocumque penetrant sacrifici, signum aliquod suæ impudicitæ impressum relinquunt. Quasi in hūc solum finē prohibiti sint à cœiugio, vt libidinem suam vbivis profundam. Et tot experimenta non tantum apud nos valebunt, vt illis cœlibatus necessitas remittatur? Christiana ieiunia, & sacras preces à nobis damnari, improbè mentitur. Sed ideo securè facit, quia sciebat tantò se maiori cum plausu faciurum, quanto petulantior, in nos debacchando, foret. Et interim bonus Evangelicæ libertatis vindex, eius fructus, solatia, delicias, & fomenta vocat quicquid seruilium est superstitionum in papatu. Miramur cur non cœlitum quoque necitar & ambrosiã appellauerit. Quid hac pecude facias? Paulus Christianæ libertatis partem in libera rerum indifferentiũ usurpatione positam esse docet: & quanquam externum vsu charitati subijcit, vt decet, conscientias tamē nullo vinculo patitur adstringi: ac sedulo admonet, cauendum esse iugum seruitutis, ne eo implicemur. Hic lepidus Veneris frater (nam ex mari ambo nomen habent) salutem fore negat libertatem, nisi in finibus ceremoniarum, legumque cumulis obruatur: tandem exclamat, probatas nos patrum sententias, sacramenta, sanctorum honores, & quicquid sacri est, execrari. His figmentis solebant antehac plebeculas rerum omnium inscius in nos inflammare: nunc iudicare promptum est, quam alij de alijs opinionem mutuò habeant, cum ex tam illiberali menti endi licentia, plausum captant in sacerrimo suo confesso. Quis in re, obsecro, minuius sanctorum honores, nisi quod idola fieri vetuimus? An hoc est honore sanctos afficere, ereptum Deo honorem in ipsos transferre, vt cum Deo promiscuè colantur? Id apud se fieri negabunt: quia latræ, & dulcæ vocabulis adhibetur discrimen. Egregia scilicet cauendæ ido-

lolaria ratio, cum duabus oculis prorsus similes cultus, tanquam equos in eodem stabulo longurys distinguunt: & interim sanctos indifferenter cum Deo coli permittunt. Quid passim in populo Israelitico dantur Prophetæ? nisi quod suffitum adoleat suis idolis, quod sacras epulas instruat, ornet donarijs, facella dicet, coram illis se prosternat? In his omnibus Israelitas superant Papistæ. Nam mortuis simulachris mortuorum, lapides ac cereos accendunt, suffitum aspergunt, solennibus epulis celebrant eorum memoriã, altaribus imponunt oblationibus prosequuntur, circumferunt humeris in pöpa, longas ad ea visenda peregrinationes suscipiunt, coram illis prostrati adorant, simul & orant. Quin etiam mulierculæ & idiotæ ferè omnes, in oratio Hugone, vel Lubino, non alia precandi forma vtuntur, quam quæ nobis tradita est à Filio Dei. Ita ligni truncus, erit illis cælestis Pater. Tam horrendis sacrilegijs a leò se nemo opponit, vt occinant sacrifici & monachi, Euge, euge. Et nobis magni criminis loco obicitur, quod sacrosanctum Dei cultum studuimus à tot profanationibus repurgare. Hinc nominamur sacrorum omnium hostes. Neque tamen quicquam nobis accidit noui: cum idem & Prophetæ, & Apostoli audierint. Alia conuitia non attingo, quæ ipsa rerum tractatione melius discutientur. Nisi quod vnum prætermitteri non debet: nos nihil moliri aliud, nisi vt veteris & Apostolicæ Ecclesiæ prætextu, carnalem veteris Adæ filiam, Satanæque sponsam erigamus: præ reformationis loco, Christianæ Reip. perturbationem, vitiorumque omnium licentiam ingeramus. Atque vt omnem defensionem nobis præcidat: hoc totum addit, euertu iam compertum esse. Qualem Ecclesiam votis optemus, Deus quidem præcipuè nouit, ac nobis testis est: sed plurima etiam documenta mundo abundè testatum faciunt. Non aliunde certè, quam ex doctrina, & ex re ipsa iudicium verius ac rectius fieri potest. Nostra cum illorum scriptis conferat quisquis volet: tum ad rei inspectionem oculos conuertat: nihil dico amplius, nisi mox planum fore, quam iustis de causis Ecclesiæ defleamus interitum, & collapsum eius statum restitui flagitemus: in præscribenda autem ratione, quam nihil admisceamus carnalis vel prudentiæ, vel studiij: sed nostros omnes sensus, nostra consilia, studia, conatus referamus ad veram & unicam regulam. Quid porò tota eorum hierarchia, quam fastuose prædicant, consentaneum vel affine habet Christi & Apostolorum gubernationi? Imò quid non penitus aduersum? Sed ignoscendum est Marinario, qui dum ora patrum Tridentinorum intuetur, admiratione tanti splendoris raptus, Christum se videre & audire putat. Ita nihil mirum, si turbidas spumas pro verbis, ecstasticus homo euomat. Vos, inquit, patres dei contemtor ecclesiastica dignitate præminentes, omni pue doctrina genere insignes, vos mundi lumina & decora, Christum videre videor super aquas ambulantem, eundemque audire dicentem: Confidite ego sum. Hæc causa est scilicet, cur in nos tam atrociter inuehatur, quia diuinum illum Synodi Tridentinæ splendorem, ad quem obstupescit, nihilo plura facimus, quam puerile aliquod ludicrum. Ego autem tam sordidam adulationem quibus verbis insecter? Quamquam vix, in Carmelitæ persona, insectatione digna est: quando iam pridem assuefactus est orbis, ne quid ingenuitatis in eiusmodi mendicabulis requirat.

Inflat deinde suam buccinam Ambrosius Catharinus, ex ordine Dominicanorum, vetus ille Lutheri antagonista: quem ego putabam ante annos viginti pulcore confisum, in obscuras latebras se abdidiisse. Tamen enim dedecore à Luthero, nouitio adhuc milite, prostratus fuerat, tam fuerat turpiter ordinum omnium consensu, exhibitatus,

ut prodire in hominum cōspectum, si saperet, nunquam debuerit. Nunc autē, ut video, bulla cōcilij publicata, quasi edicto iubilo excitatus, tanquā nouus homo, in lucē rursus prodit: idē tamen est qui prius erat. Ergo qui Catharini insulsiates aliquando legerunt, nescirent putridum illud cadauer adhuc spirare, nisi concionē in Synodo habitam legerēt, ubi Christi mater fidelissima eius sociā vocatur, & asidere fingitur eius throno, ut gratiā nobis impetret. Multi antehac, impudentie suae frāna laxarunt. Sed qui sociā Christi nominaret, dum fictitijs titulis volunt ornare sanctā virginem, inuentum puto neminem fuisse. Et vocem adeo sacrilegā in tali confessu prolata, & exceptam non paruo fauore, posteritas nunquam credidisset, nisi ab illis publicata fuisset oratio. Quid enim est Christum lacerare, si hoc non est? Proinde, quod à Deo nobis aduocatam fuisse datā cōmemorat, perinde loquitur, ac si quod de Christo prædicat apostoli, in illā dimidia ex parte cōpeteret. Et se audet Simeoni comparare hoc silicernium: cum ille venerādus senex, in vnicum Dei salutare, etiam nōdum reuelatum, toto animo intentus fuerit: huic autem Christus vnus sit ex turba aduocatorum. Postquam ordinē in cælo tam concinnum statuit, ad terrenam hierarchiā delabitur: & alienum esse à Christi corpore pronuntiat, quisquis recusat Paulo tertio subesse. Quid? Etiamne si inter impios tanquam Diabolus qui spiam, tenebit principatum? fieri inquit, aliter non potest, quin Christi sit vicarius, qui Rom. sedem occupat. Nondum pudet istos nugatores tam futilibus nanjs ludere, quas sciunt, ad radium vsque fuisse millies refutatis. Quo tempore adhuc Romæ erat Ecclesia & episcopatus, mentio primatus, qualem nunc sibi arrogāt Romanenses, nulla fuit. Vnius enim Christi est vniuersalis episcopatus, cuius partem in solidum singuli sibi pastores vindicant: ut est apud Cyprianum. Hæc verò appellatio si in hominem conferatur, Gregorius sacrilegam, & nefariam, & scelestam, prænūtiāque Antichristi fore, passim testatur. Quid? An à corpore resecti erant Africani, cum ne primi quidem aut summi episcopi titulum Romano concederent? An ab Ecclesie communionē se abdicabat Cyprianus, cum Stephanum Ro. Episcopum non modò cogebat in ordinem, ut se docilem suis collegis præberet: sed erroris, inscitie, & præfractæ obstinationis illum damna-  
bat? An faciēda à Christi grege discessionis auctor erat Hieronymus, cum superbia diuitiarum, vel paupertatis humilitate superiorem vel inferiorem episcopum fieri, negaret: siue Romanus esset, siue Eugubinus? Sed enim ut, nobis annuentibus, in tertium calum euehatur Ro. sedes: quā ridiculum est, Primatē episcoporū facere, qui episcopo non magis est similis, quā lupus agno? Parum est, nihil in eo cerni episcopale: verū cum sit professus Christi, & Ecclesie hostis, etiamne Christi vicarium agnoscerimus? Quanquam has disputationes longius protrahere, non est presentis instituti. Et ex scriptis nostris petere satius est, quæ ad hanc rem faciunt. Et ipsa Catharini verba nos admonent, diutius non esse hic immorandum. Nam simulatque peieravit, se minimè gratiam, adulando, aucupari, continuo subiicit: Sed ad rem. Quo verbo innuit, se extrarem euagatum, & abs re locutum esse. Ad rem verò ut nos reducat, nulla spes est, nisi prius ad sanam mentem redeat.

Si iconem ab vnguitus æstimare placet: iam habent lectores, quid de Tridentino cōcilio sentire debeāt. Nam credibile est ex monachis, qui affuerunt, hos, quibus potissimum datus est declamandi locus, habitos fuisse primarios, & quasi selectiū stantem. Eosquē ergo sciamus esse, ex quorum ingenio prodierunt decreta: qui

patribus

patribus cornuti diclarunt, quod tacito nutu, quasi muta personæ, approbarent. Quò recidimus? Vt pro diuinis oraculis habenda sint quæcunque talibus bestiis libuerit, obstrepera voce, in aliorum aures demurmurare? Quanquam non sum adeò verum ignarus, vt credam orationes, quæ istorum nomine editæ sunt, qualescunque sint, ab ipsis fuisse cõpositas. Habent enim suos iogodædalos, quibus suas irsulsitates, nerisum pueris moueant, aliquo verborum colore fucandas tradunt. Sed fingamus nihil esse, quod non industria sua lima uerint: id tamẽ in magno lucro ponendum est, tale extare specimẽ, in quo formidabilis illa Papatus sapientia appareat.

Nec verò prætereundus est episcopus nescio quis, Cornelius nomine, qui vt superiores omnes dignitate, ita & stultitia longè superat. Si quid aliàs graue esset, aut serium in actionibus Synodi, huic diceret attributas esse morionis partes in fabula: sed quia dubium non est, quin delectus fuerit hic vnus inter episcopos, in quo totus ordo sua decora ostentaret, nisi eos sui pigeat iam ac pudeat, vehemẽter me ipsorum miseret. Vnum est, quod illis perstringere queat oculos, quòd flosculos omnes vndique collegit: imò quicquid vnquam elegantia didicerat, sedulo in suam orationem inferciit, vt se pro diserto venditaret. Ac per me sanè licet, vt se putet disertissimum, suisque talis videatur. Ciceroni quidem valde familiaris fuisse oportet, ex quo tanta fiducia laceras sententiã mutuat: ex quibus suã orationem malè consarcinet. Verùm, vt scurrili more ludendo, emendicatam illam suam garrulitatem ad opprimendum Christi regnum contorqueat, & Scripturam pro libidine profanet, id verò nullo modo ferendum. Quoniam singula notare infiniti esset operus, gustum ex paucis capiant lectores. Postquam hilarius orator triplici gaudio perfudit auditorium, sibi & socijs gratulatur, quòd oculis iam videant, & manibus tangant beatam illam spem, quam multi videre cum cuperent, non potuerunt. Quod partim de priore Christi in mundum aduentu, partim de vltima reuelatione, quam adhuc expectamus, dictum est, quis pius sine stomacho audiat ab isto insano ad Tridentinã colluuiẽ transferri? Et ne quid ad impudentiã cumulum deesset, tertium membrum ex vndecimo ad Hebræos capite, de vltima fidelium perfectione assuit. Post hæc præludia, quid non sibi licitum putaret? Itaque non dubitat Christum nudare, vt eius spolijs Papam suum ornet. Papa, inquit, lux venit in mundum. Os sacrilegum, tunc sacrosancto illo elogio, quod non nisi in Filium Dei competebat, foetidum illud tuum monstrum commendabis? Si quem esse Deum crederes, annon ipse nefaria vocis sonitus te subito horrore perculisset, ac reddidisset attonitum? An si quis in præclara illa Synodo fuisset pietatis sensus, tanta non modò Scripturæ profanatio, sed in Filium Dei contumelia non omnes iracundia inflammasset? Et adhuc spiritum sanctum iactabunt præsidere, vbi Redemptor noster ita impunè illuditur? Quid enim illo honore magis Christo proprium? vt Euangelista nominatim Baptistam, vel potius sub eius nomine vniuerso mortales ipsos excludens, illi vni asserat. Illic autem clamat, Filium Dei lucem nostram è cælo apparuisse. Eiusmodi est sententia, quæ excitare pios omnes animos ad summam reuerentiam debeat. Excipitur autem à Synodo quasi ludicrũ aliquod dicerium. An satis, pro indignitate, exagitari posset tanta impietas? Sed bene est, quòd non multis verbis indigent lectores, vt eam suo pondere examinent. Quamobrẽ & reliqua omnia leuiter percurram. Cum in laudes Pauli tertij eripit, dicas eum ex pleno fonte haussisse quod profert: tantum est verborum profluuium.

Fortissimus, inquit, & optimus post hominum memoriam, quem gentium omnium lingua celebrabunt: de cuius laudibus nulla unquam aetas conticescet. Legerat hæc apud Ciceronem. Eleganter putauit dicta esse, ut sunt: modò aptè accommodentur. Sed quàm bene quadrent Paulo tertio, testes sint eorum conscientia, qui vel eius tyrannidi sunt addictissimi. Ineptus nimium sim, si singula encomia persequar quibus detonandis hic nugator guttur suum exercet. Postquam mirabili Dei providentia conseruatum fuisse dixit, ut fide, sapientia, potestate sua nos bearet, iubet venerandos patres, tripudiantium more, exclamare: *Viuat sanctissimus. Viuat œcumenicus. Viuat Apostolicus.* O bone patercule, quantò præstaret te sanum esse, quàm non mortuo solum, sed exitiali pestiferoque monstro occinere illud tuum, *Viuat!* Nam quòd postea cælo dignum prædicas, nescio an intelligas quòd omnes iudicant: terra esse indignum. Sed in eo vehementer errasti, quòd procul à cælo, debueras suam illi stationem assignare. De reliqua laudum congerie, quibus idolum suum onerat lepidus encomiastes, hoc tantum habeo quòd dicam. Vetus fortè proverbium audierat: Dulcis canit ilena, laus. Nò animaduertit, quorsum spectaret. Itaque, ut suavis orator videretur, totum se in laudes profudit. Inde transit ad Synodum: & ex tribus legatis unum facit cœlestem, Cardinalem scilicet à monte, quem omnes truculento ingenio, ferisque moribus esse norunt: secundum, Christianæ politia seuerum exactorem: qui utinam à suo cubiculo inciperet: tertium, Angelum: qui utinam ambitionem, præcipuam carnis partem, exuisset. Tandem illi Concilium est noua Ierusalem: & quid nò? Hoc scilicet profectum est graui illa obrestatione, qua vsi fuerat legati, ne quispiam laudaretur. Verum, illud per quàm facetum, quòd cum hæc omnia dicturus esset, indignationem suorum deprecatur. Nemo, inquit, vestrum mihi succenseat. Nam meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Immites sanè, & formidabiles esse bestias oportet, si tam blandis palpationibus irritantur. Quid enim facerent durius lacestræ? Postea, quasi placatis illis, securus exultat. *Venimus, vidimus, vicimus.* Potuit hoc quidem iactare Cæsar. Sed quàm ridiculi sunt isti pæanes in umbra vallis Tridentinæ, extra hostis conspectum? Velim enim scire quid viderint, ut vincerent. Periculum est, ne me calumniari excipiat: cum ratio mox sequatur, a pertis Concilij foribus, apertas esse fores cæli: nempe, nisi omnibus palam esset, quantum inter Concilium & cælum intersit. Sed homini deliro concedendum est, si extra metas vagatur. Proinde sibi gratulatur, restitutam esse Ecclesiam, quæ iam ad interitum inclinauerat, nisi noua lux Dei, & eius qui ad Deum proximè accedit, Pauli tertij oblata esset. Quid? etiàmne Angelis, etiàmne Prophetis, & Apostolis superior est Paulus? Video, quid sit. Legerat Ciceronem (quem paulò deterius imitatur, quàm hominem simia). populo Rom. sic aliquando fuisse adulatum. Tam bellum dicitur perdere noluit. Sed interim, quæ pia mens non talem blasphemiam excretur?

Quis Spiritum Synodo abesse neget, quem talibus stabellis videmus excitari? Quanquã episcopus, de sanctissimi Pauli & patrum clemetia, magnificè cõcionatur; prædicat enim Paulum sui oblitum, nostri memorem, nihil nisi humanum & paternum meditari. Atque hoc quidem sperabimus, ad eò māsuetum esse Pauli animum, ubi ipsum sui oblitum esse apparuerit. Fucus tamen iste aliquantò est tolerabilior, quàm crudele incitamentum rhetoris, non dico cuius (nomen enim, honoris causa, taceo) qui fortè veritus, ne scribendis sanguinarijs decretis parum audaces forent

fovent Tridentini, eos ad audendum hortatur: & simul atque iusserint, paratas fore carnificum manus promittit. Itane verò vt tu, qui nescius non es, indignis modis tractari innocios: & qui potius, si quem haberes conscientia sensum, caput tuum opponere debueras, acuere ad seuitiã non dubites, qui iam toti ardent immani ac belluina rabie? Adeone sensus õnes tuos profanauit aer Italicus, vt non cogites Filium Dei, cuius agitur causa, iustum aliquãdo fore iudicẽ? An oblitus es, quanti regnũ suũ faciat, quod Euangelij prædicatione continetur? An memoria non tenes, quã seuerũ se, vel imminutã Patris gloriã vindicem denuntiet? Quibus eloquentia picturis horribiles illas minas delebis, quibus aduersus perfidam simulationem fulminat? Quis tanta amentia te excæcauit, vt calcare pedibus sacrũ martyrum sanguinem non vercaris, quem sibi non frustra asserit esse pretiosum? Vna denique ista vox tibi horrorem nõ incutit? Væ qui mentiuntur lucem esse tenebras. Ego verò, Ies. 5. tua causa totus ex pauesco, dum formidabilem illam vltionem mente concipio, quæ te breui manet, nisi in viam redeas. Atq; ideo tibi non parco, vt Deus parcat: sed ita est profectò, meretricias tandem rhetorũ linguas fieri oportet, vbi semel meritoria esse cœperunt. Quòd si illi ad maledicendum sunt disertis, nos, ad reprimendam eorum virulentiam, mutos esse non conuenit. Turpis enim ignauia esset, dum martyrum memoriam (quam, vt inter pios benedicta esset, ore suo Dominus consecrauit) quibus possunt probris lacerant, nos dissimulando, id pati: perfidia verò nimis flagitiosa, dum æternam Dei veritatem (cuius defensio nobis tantopere commendatur) infamant, nos tacendo, velut eam proderet. Sed iam ad secundã Sessionis decretum, tanquam ad primum fabulæ actum veniamus.

DECRETVM PVBLICATVM IN SECVNDA SESSIONE sacri Concilij Tridentini, Die vij. Ianuarij. 1546.

**S**acrosancta Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea Presidentibus eiusdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, agnoscens cum beato Iacobo Apostolo, quòd omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, qui ijs, qui postulant à se sapientiã, dat omnibus affluenter, & nõ improperat eis, & simul sciens, quòd initium sapientiæ, timor Domini: statuit & decreuit omnes & singulos Christi fideles in ciuitate Tridentina congregatos, exhortandos esse, prout exhortatur: vt se à malis & peccatis hæcenus commissis emendare, ac de cæterò in timore Domini ambulare, & desideria carnis nõ perficere, orationibus instare, sapius confiteri, Eucharistiæ sacramentum sumere, Ecclesias frequentare, præcepta denique Dominica (quantũquisque poterit) adimplere, necnon quotidie pro pace Principum Christianorũ, ac vnitatem Ecclesiæ, priuatim orare velint. Episcopos verò, & quoscunque alios in ordine Sacerdotali constitutos, œcumenicum Concilium in ea ciuitate celebrantes, vt assiduè Dei laudibus incumbere, hostias, laudes & preces offerre, sacrificium Missæ quolibet saltem die Dominico (in quo Deus lucẽ condidit, & à mortuis resurrexit, ac Spiritũ sanctũ in discipulos infudit) peragere satagant: facientes sicut idem Spiritus sanctus, per Apostolum, præcepit, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro sanctissimo D. N. Papa, pro Imperatore, pro Regibus, & cæteris, qui in sublimitate constituti

sunt, ac pro hominibus: vt quietam, & tranquillam vitam agamus, pace fruamur, & fidei incrementum videamus. Præterea hortatur vt ieiuent, saltem singulis sextis ferijs, in memoriã passionis Domini, & eleemosynas pauperibus erogent. In Ecclesiã autem cathedrali, singulis quintis ferijs, celebretur Missa de Spiritu sancto, cum lætanijs, & alijs orationibus ad hoc institutis. In alijs verò Ecclesijs, eadem die dicantur, ad minus lætaniã, & orationes. Tempore autem, quo sacra peraguntur, colloquutiones, & confabulationes non fiant: sed ore & animo, celebranti adsistatur.

Et quoniam oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suæ bene præpositos, hortatur etiã, vt ante omnia, quilibet in mensa, seruet sobrietatem moderationemque ciborum. Demum, quum in eo loco sæpe ctiõsi sermones oriri soleant, vt in ipsorum Episcoporum mensis, diuinarum Scripturarum lectio admisceatur: familiares verò suos vnusquisque instruat & erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemii, & voluptatum amatores: vitia demum fugiant, & virtutes amplectantur, & in vestitu & cultu, & omnibus actibus, honestatem præ se ferant, sicut decet ministros Dei.

Ad hæc, cum huius sacrosancti Concilij præcipua cura, sollicitudo, & intentio sit, vt propulsatus hæresum tenebris (quæ per tot annos operuerunt terram) catholica veritatis lux (Iesu Christo, qui vera lux est annuente) candor, puritasque refulgeat: & ea quæ reformatione egent, reformentur: ipsa Synodus hortatur, omnes catholicos, hinc congregatos, & cõgregandos, atque eos præsertim, qui sacrarum literarum peritiam habent, vt sedula meditatione diligenter secũ ipsi cogitent quibus potissimum vñs & modis, ipsius Synodi intentio dirigi, & optatum effectum sortiri possit: quò maturius, & consultius damnari dammanda, & probanda probari queant: vt per totum orbem omnes vno ore, & eadem fidei confessione glorificent Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi.

In sententijs verò dicendis, iuxta Toletani Concilij statutum, in loco benedictionis confidentibus dominis sacerdotibus, nullus debeat aut immodestis vocibus perstreperere, aut tumultibus perturbare: nullus etiam falsis, vanisve aut obstinatis disceptationibus contendere: sed quicquid dicatur, mitissima verborum prolatione temperetur: vt nec audientes offendantur, nec recti iudicij acies perturbato animo inflectatur.

Insuper, ipsa sacra Synodus statuit, ac decreuit, quòd si forte contigerit aliquos debito in loco non residere, & sententiam etiam sub verbo Flacet proferre, congregationibus interesse, & alios quoscunque actus facere, Concilio durante: nulli propterea præiudicium generetur, nullique nouum ius acquiratur.

## IN DECRETVM SECVNDÆ SESSIONIS.



Via honorabile esse Concilij nomen sciunt: commendationem inde sibi accersunt apud bonos viros, quibus sunt ignoti: nam dum intumescunt ista ampulla sacrosancta, œcumenica, & vniuersalis Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata: perstringunt simplicium oculos. Verum, vt Christiana modesta est, Ecclesiæ auctoritatem vereri: ita & prudentiæ est circumspicere, ne fallaci prætextu nobis Satan illudat. Quanquam hinc non tam exacta pru-



prudētia opus est. Neq; enim, vel à prestigijs vel ab occultiore aliquo astu nobis cauendum est. Tantum aperiāmus oculos, & perspiciemus nihil esse quod tam splēdidis titulis obtendunt. Cum publicarent hoc decretū, viginti forte episcopi sedebant. En cur vniuersalem Synodum se appellent: nec eo contenti, quò magisterreāc ignaros, nomē Græcum vsurpant, quasi vox ignota vim habitura sit magicæ incantationis. Sed quid tamen valet œcumenica Synodus? Perinde ac si quis dicat, vndique Tridentū confluisse episcopos, quaquauer sum habitatur orbis. At si prouincialis foret Synodus, deberet eos pudere suæ paucitatis. Vnde autem, aut quo iure sacrosanctam hanc Synodū censebimus? Quousque tandem sibi ducent cum pueris esse negotium, vt crepitaculis risu digni maiestati sibi concilient? In Spiritu sancto ritē se esse congregatos, vnde nobis fidem facient, nisi forte ex bullari indictione? Quasi verò semper fascinatus hoc stupore teneant hominum mentes, Spiritum sanctū è cœlis elici, Papæ nutu. Quo tēpore habita sunt concilia, quibus ipsi primarium honorē deferre coguntur, nulla penes Rom. episcopum indictionis erat potestas. Sed eum Imperator cum reliquis, suo edicto conuenire iubebat. Hoc fuisse obseruatum, non in quatuor solum magnis concilijs, quæ vocant, sed etiam in plurimis alijs, vetusta acta, quæ adhuc supersunt, & omnes historiæ testantur. Ac ne causentur indictionē fuisse parū legitimā: id Leonis epistolis refellitur, quibus suppliciter petit à Theodosio, Valētiniano, & Marciano, Augustis, vt, pro Imperatoria potestate, locū, & diem episcopis edicant. Idē & Gregorius aliquanto post à Mauricio petijt.

Verum tres sedis Apostolicæ Legati Spiritum sanctū forsā attulerunt. Si ita est, non fuit Synodus Nicena ritē cōgregata: quæ Romanæ Ecclesiæ legatos in quartum locū reiecit. Quid de Aquileiensi dicendum, quæ cum in Italia celebraretur, essetque vniuersalis: nullā facit Rom. episcopi mentionem? Si non est ritē constitutus ordo, nisi præsideant Papæ legati, quid respondebunt Aphricani, qui duobus Bonifacij legatis Philippo, & Ascello postremū locum assignarunt, quòd presbyteri tantum essent, non ex ordine episcopali? Nunc Romanæ Ecclesiæ diaconus, modò rubro pilco sit insignis, altus eminebit super omnium episcoporum capita. Tamen si, quem quisque inter eos gradum obtineat, mea nihil refert: nec ea de causa illi molestus ero. — vin faciē patiar mitras à galeris vinci: modò ne Spiritum sanctum laruis nuper à se cōpositis alligent: vt vbicunq; cōspectus fuerit purpuræ fulgor, Synodus sit ritē cōgregata. Et tamen si hanc nobis legē imponunt: cur Synodus Basiliensis legitima, illorū iudicio, nō habetur? Quis ferat tantam impudentiā, vt Spiritum emittat homo, & quoties libuerit reuocet? Proinde vt vero argumento persuadeant, Spiritum Dei suum esse præsidem, in primis probēt necesse est, Christi nomine & auspicijs, se esse congregatos.

Atqui longē secus esse, acta clamitant: nam simul ac buccas ita inflarunt, primum nihil dignū proferunt tanto hiatu: deinde primo statim ingressi, quod sibi videntur habere optimum, ex crassissima superstitionum fæce hauriūt. Ac de priore quidem parte, quàm flaccidi sunt & emortui, omniq; Spiritus energia vacui in primo suo decreto, lectoribus iudicium relinquunt: quia nemo est mediocri intelligentia præditus, qui non per se animaduertat. Secundam attigisse sufficiet: quia ex breui indictione iudicium facere promptum erit. Episcopos, & sacerdotes concilium celebrantes, hoc est, seipsis, hortantur, ad peragendum, quolibet saltem Domino die Missæ sacrificiū. En præclaræ reformationis initia. Clamamus, missale sacrificiū,

nihil aliud esse, quàm impiam Cœnæ Dominicæ profanationem. Idque ex claris Domini verbis planum facimus. Neque enim sacrificandi partes nobis iniungit in sacra Cœna instituenda: sed ad participandum, quod ipse vnus & semel obrulit sacrificiū, nos inuitat: distributionem fieri præcipit: vtroque simbolo cōmunicare omnes pariter iubet. Neque enim obscura sunt verba: Accipite: distribuite inter vos: bibite ex hoc calice omnes. Quid simile inter eiusmodi actionem, quæ Domini mandato respondet, & Papalem Missam? vbi se Christū Patri offerre fingunt, ad expianda suo sacrificio mundi peccata: neque id solū, sed etiā ad impetrandam mortuis redemptionem: vbi nulla fit ad participationem inuitatio: sed potius vnus se à toto grege separat: quòd si quis fortè accedit, à dimidia parte arcetur. Olim cū minor esset populi frequentia, dicebat Chrysostomus: Frustra ergo astamus ad altare. Dicebat hoc, qui iam tamen assueuerat multis corruptelis. Quid diuturnus est Dominus, non corrupta modò, sed euersa prorsus sua institutione? Eant igitur, & magis magisque suo sacrilegio iram Dei iam plus satis concitatam, rursus de-integro inflamment. Secūdo hortantur, vt singulis saltem ferijs sextis, in passionis &c. memoriam. Hoccine est, quod de obseruatione dierum docet Paulus? Hoccine est quod deciborum delectu admonet, eadem ad Colossenses epistola? <sup>ἡ δὲ ἰσχυρὴ καὶ ἰσχυρὴ</sup> esse, hoc est, commentitium Dei cultum, qui vtcunque speciem habeat sapientiæ, quia tamen pendet ex hominum placitis, vnā cum cibis ipsis euanescit, qui vsu ipso pereūt. Vbi quæso, legerunt, Dominum talem commendasse mortis suæ memoriam? Quin potius moriendo, quicquid tale est, abrogauit. Quid ergo de preparationibus istis dicendum, quibus Spiritum sanctum elicere de cœlo volunt: nisi fatuus esse superstitiones, de quibus ad focum, sedentes cum lana & colu aniculæ fabulantur? His dein adiungunt litanias: hoc est, centones ex totidem blasphemijs confutos, quot verbis. Quo enim colore excusabunt, quòd cū de Christi intercessione illic altum sit silentium, aduocatorum sibi centurias, ex quibus volunt mortuis, deligunt? Quid hoc, vel cum Scripturæ doctrina, vel cum veteribus piorum institutis simile habet? vt præterito vno Dei & hominum mediatore, nominatim enumerent quos sibi finxerunt pro suo arbitrio: & tandem vniuersum sanctorum chorum, quasi vno fasciculo colligatum inuocēt? Vt discedere sibi permittant à pura Euangelij doctrina: certè quo tempore eò vsque inualuerat superstitio, vt rectam lineam tenere non possent sancti pastores, disertis tamen verbis prohibitum fuit in concilio Carthaginensi, ne sancti ad altare inuocarentur: & ne hanc vocem proferrent sacerdotes, Sancte Petre, vel Paule ora pro nobis. Qualis nunc ab his speranda reformatio, qui à corrupti seculi vitijs tantopere in peius degenerant?

PRIMUM DECRETVM PVBLICATVM IN TERTIA Sessione Tridentinæ Synodi, die Iouis, iij. Februarij. 1546.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Hæc sacrosanctia, œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, in ea præsidentibus eisdem tribus Apostolicæ sedis Legatis: magnitudinem rerum tractandarum considerans, præsertim earum, quæ duobus illis capitibus de extirpandis hæresibus, & moribus reformandis continentur, quorū causa præcipuè est congregata: agnoscēs autem,

autem, cum Apostolo, non esse sibi colluctationē aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spirituales nequitas in cœlestibus: cum eodem omnes & singulos in primis hortatur, ut confortentur in Domino, & in potentia virtutis eius, in omnibus scutū fidei, in quo possint omnia tela nequissimi ignea extinguere, atq; galē spei salutis accipiant, cū gladio spiritus, quod est verbū Dei. Itaq; ut hæc pia eius sollicitudo principii & progressum suum per Dei gratiam habeat, ante omnia statuit & decreuit, præmittendam esse confessionem fidei, patrū exempla in hoc sequuta, qui sacratoribus Cœcilijs hoc scutū contra omnes hæreses in principio suarū actionū opponere consueuere: quo solo aliquando, & infideles ad fidē traxerunt, hæreticos expugnarunt, & fideles confirmarunt. Quare Symbolum fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necnon conueniunt, ac fundamentum firmum & unicum contra quod portæ inferi nunquam præualebunt, & totidem verbis, quibus in omnibus Ecclesijs legitur, exprimendum esse censuit: quod quidem eiusmodi est:

C R E D O in vnum Deum Patrem omnipotentem, Factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, Lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero, Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis: & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine: Et Homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est, & resurrexit tertia die, secundum Scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris: Et iterum vēturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos: cuius Regni nō erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio, simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma, in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi, Amen.

Eadem Sacrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea præsidētib; eisdem tribus Apostolica sedis Legatis, intelligēs multos Prelatos, ex diuersis partibus accinctos esse itineri, nonnullos etiā in via esse, quō huc veniāt: cogitānsque omnia ab ipsa sacra Synodo decernenda, eō maioris apud omnes existimationis, & honoris videri posse, quō maiori fuerint, & pleniori patrū Cœcilio, & præsentia sancita, & corroborata: statuit & decreuit futuram Sessionem, post præsentem celebrandā esse die Iouis, quæ subsequetur Dominicam Latere proximē futuram. Interim tamen, non differri discussionem & examinationem eorum quæ ipsi Synodo discutienda & examinanda videbūtur.

### IN DECRETVM TERTIÆ SESSIONIS.



Icas, altum nescio quid velle excudere venerandos patres, cū de Spirituali armatura ex Paulo concionantur. Sed ex monte inflato, præter inanē fumū, nihil tandē prodit, quod saltē præsentī necessitati seruiat: nā fidei cōfessionī duntaxat subscribūt quæ in tēplis canitur. In initio Ianuarij primū decretum publicauerant: huius secundi publicationem differunt in Februariū.

Quid tam longa consultatione opus fuit in re liquida? An verò mensis vnus fuit hac inquisitio? Valde sedulos, & laboriosos in rebus arduis esse oportet, qui, vbi nihil est negotij, tandiu occupantur. Ergo, quasi non frustra tempus consumpserint, vbi dies aduenit, consedere duces, & vulgi stante corona, alta voce pronuntiant se credere, de quo nihil esse controuersæ, sciebant omnes. Hoc dicent ex ritu, institutóque veteri fuisse factum. Atqui, an nullius difficultatis ceremoniola menssem integrum requirebat? Nimis certè puerilis est hic fucus, dum sedet ad nihil dicendum, quò probent, se non fuisse otiosos. Sed qua grauitate pronuntiant? Symbolum, inquit, profiteamur nos credere, vt est in Missali. Vt eorum ineptias non exagitem, mirũ nisi eos sponte sui pudeat. Quò multos prelatos putabant ex varijs partibus accinctos esse itineri, eos fefellit opinio. Nam ad exiremiũ vix ad quadraginta fuerunt collecti. Quare illã existimationem, quam sperabant ex magno numero, perdiderũt. Tametsi, mea opinione, sibi sunt iniuri, dum paucitati suæ detrabant: nam tanti apud me est ipsorum authoritas, vt si quingentos præterea haberent sui similes, ne minimum quidem momentum accessurum sit ad pondus.

PRIMUM DECRETVM IIII. SESSIONIS  
viiij. Aprilis, 1546. cele' rata, Concilij, Tridentini.



Acrosancta, œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsentibus in ea eisdem tribus Apostolica sedis Legatis: hoc sibi perpetuò ante oculos proponens, vt sublatis erroribus, puritas ipsa Euangelij, in Ecclesia conseruetur, quod promissum antiè per Prophetas, in Scripturis sanctis Dominus noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore, primùm promulgauit: deinde per suos Apostolos, tanquã fontem omnis, & salutaris veritatis, & morum disciplinæ, omni creaturæ predicari iussit. Perspicieñsque hanc veritatem, & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos vsque peruenerunt, orthodoxorũ patrum exempla sequuta, omnes libros, tam veteris, quàm noui Testamenti, quũ vtriusque vnus Deus sit author, necnon traditiones ipsas, tum ad fidẽ, tum ad mores pertinentes, tanquam, vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia catholica conseruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia suscipit, & veneratur. Sacrorũ verò librorũ indicem, huic Decreto ascribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiantur. Sunt verò infra scripti, Testamenti veteris, quinque Moïsis, id est, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: Iosueh, Iudicum, Ruth, Quatuor Regũ, duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus qui dicitur, Ieremias, Thobias, Judith, Hester: Iob, Psalterium Dauidicum, centum quinquaginta Psalmorum, Parabole, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus: Esaias, Hieremias, cum Baruch, Ezechiel, Daniel: duodecim Prophetæ minores, id est, Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Habacuh, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorũ, primus & secundus. Testamenti noui, quatuor Euangelia: secundum Matthæum, Marcum, Lucã, Ioannem: Actus Apostolorũ à Luca Euangelista conscripti: Quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli:

*Apostoli: ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudæ Apostoli una: & Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverit, & in veteri vulgata Latina editione habetur pro sacris & Canonicis, non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, Anathema sit. Omnes itaque intelligant, quo ordine, & via ipsa Synodus post iactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, & quibus potissimum testimoniis, ac præsidij in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in Ecclesia moribus sit usura.*

*Secundum Decretum eiusdem quartæ Sessionis.*

**I**n super eadem sacrosancta Synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus quæ circumferuntur sacrarum librorum, quamnam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur, & quòd nemo illam reijcere quouis preteritu audiat, vel præsumat.

Præterea ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo suæ prudentiæ inimicus, in rebus fidei, & morum ad edificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam, ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiam si eiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrauenerint per ordinarios declarentur, & poenis à Iure statutis puniantur.

Sed & impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens, qui iam sine modo, hoc est putantes sibi licere quicquid libet, sine licentia superiorum Ecclesiasticorum, ipsos sacræ Scripturæ libros, & insuper annotationes, & expositiones quorūlibet indifferenter, sæpe iacito, sæpe etiam ementito prælo, & (quod grauius est) sine nomine authoris imprimunt. Alibi etiã impressos libros huiusmodi temerè venales habet: decernit & statuit ut posthac sacræ Scripturæ, potissimum verò hæc ipsa vetus, & vulgata editio quam emendatissimè imprimatur. Nulli que liceat imprimere, vel imprimi facere, quosuis libros de rebus sacris sine nomine authoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probati que fuerint ab ordinario, sub poena anathematis, & pecuniæ, in Canone Concilij nouissimi Lateranensis apposita. Et si regulares fuerint ultra examinationem, & probationem huiusmodi, licentiam quoque à suis superioribus impetrare teneantur, recogniti per eos libros, iuxta formam suarum ordinationum.

Qui autem scripto eos communicant, vel euulgant, nisi ante à examinati, probati que fuerint, eisdem poenis subiaceant, quibus impressores, & qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint authorem, pro authoribus habeantur. Ipsa verò huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti, vel impressi authentice appareat. Itaque totum, hoc est probatio, & examen gratis fiat: ut probanda probentur, & reprobanda improbanda.

Post hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque conuertuntur, & torquentur verba, & sententiæ sacræ Scripturæ ad scurrilia, scilicet fabulosa,

vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, & diabolicas incantationes, & diuinationes, sortes, libellos etiam fanosos: mandat, & præcipit ad tollendam huiusmodi irreuerentiam, & contemptum, & ne de cæterò quisquã, quomodolibet verba Scripturæ sacre ad hæc & similia audeat usurpare, vt omnes huius generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, iuris & arbitrij pœnis per Episcopos coërceantur.

Item, hæc sacrosancta Synodus statuit, & decreuit, proximam futurã Sessionem tenendam, & celebrandam esse feria quinta, post sacratissimum festum Pentecostes.

### IN QUARTAM SESSIONEM.



Etus est prouerbiũ: Romani sedendo vincunt. Hac fiducia, de generes isti, ac spurij Romanæ sedis, hoc est magnæ meretricis filij, ad vincendum se composuerunt, indicta tertia Sessione. Quid enim prohibet, quominus erecto trophæo, voti compotes abeant: si illis cõceditur quod vno decreto complexi sum? Quatuor autem sunt capita. Primò definiunt, in doctrina non solus Scripturis standũ esse, sed traditis etiam per manus placitis. Deinde, in cõficiendo Scripturæ catalogo, eadẽ libros omnes creta notant: & apocryphos vetant ex aliorum ordine submoueri. Tertio, repudiatis alijs quibuscunque interpretationibus, vulgatam solam retinent, ac iubent esse authenticam. Postremò, sibi in locis omnibus vel obscuris, vel dubijs, ius interpretationis vindicãt, absque prouocatione. Quatuor istis constitutis: quis neget esse debellatum? Itaque, superuacua magis ostentationis causa, postea disputarunt, quàm quòd ita necesse foret. Quicquid enim protulerint, si nulla Scripturæ autoritate fultum erit, inter traditiones numerabitur: quas nihilò minus fidei habere volunt, quàm Legem & Prophetas. Quid verò iam licebit improbare? cum nullum sit tam crassum aut anile delirium, quod non hoc prætextu defendant. Imo nulla est tam prodigiosa superstitio, cui non hunc, veluti Aiæ clypeum, applicent, quo muniatur. Adde, quòd sibi noua suffragia comparant, cum libros apocryphos autoritate dignantur. Ex secundo Machabeorum & purgatorium probabitur, & sanctorum intercessio. Ex Tobia, satisfactio, exorcismi: & quid non? Ab Ecclesiastico non pauca mutuabuntur. Vnde enim fecem melius haurirent? Quanquam non is sum, qui lectionem horum librorum velim prorsus improbare: sed fidem illis tribuere, quæ hæctenus nunquam habita fuit, quorsum attinebat, nisi vt ad colorandos suos errores adulterino fuce vterentur? Verum, quia sæpe ex Hebraica aut Græca veritate refellitur istorũ inscitia in citandis Scripturis, & temeritas cohibetur, adeoque retũditur Thrasonica inantia: huic quoque modo ingeniosè occurrunt, dum statuunt, vt sola ad fidem valeat vulgata translatio. Eant nunc qui multum operæ, temporisque consumpserunt in linguarum studio, vt genuinum Scripturæ sensum ex fontibus ipsis peterent. Saltem ne posthac Romanensibus molesti sint, hoc decreto abundè prouisum est. Nonne hoc est Græciam, totũque Orientem subigere? Vnum adhuc deerat: semper enim emergunt homines morosi, quibus satisfieri aliter nequit, nisi Scripturis probetur quod veritè in questione. Sunt alij nimium perspicaces, qui etiam in vulgata translatione arma reperiũt, quibus ad laceffendum Papatum instruuntur. Ne quid inde accipiant damni, optimum remedium excogitant, dum sibi legitimam adiudicant Scripturæ interpretationem. Quis iam malè prouidos existimet? qui vno capite huc perueniunt, vt quidiũ habeãt ex Scriptura probatum: & nullo Scripturæ testimonio quantumuis contrario urgantur. Nam si confessio probanda est: in promptu erit illud. Ostendite vos sacerdotibus. Si queratur, an ad mortuorum intercessionem confugiendum sit: statim illud

illud occurret: Ad aliquē sanctorum cōuertere. Item, Pro hac orabit ad te omnis sanctus. Nec purgatorium deſtituetur certo fundamento: quia ſcriptum eſt: Nō exhibit inde, donec ſoluerit vltimum quadrantem. Denique, licebit quidlibet ex quolibet facere. Cū ante-hac eiufmodi teſtimonia proferebant, iam erant pueris quoque ipſis ridiculi: nunc ius authenticæ interpretationis ſcrupulum omnem, ſi illis creditur, eximet. Quod autem tam clarum aut firmum teſtimonium illis contrā obijcietur, quod non cludit? Impunè enim quaticunque cauillo ſe expedient. Aduerſus contrarias rationes hīc oppoſitus erit murus abeneus: Tu quis es, qui Eccleſiæ interpretationi obſtrepis? Hoc ſcilicet eſt, quod vulgari pro uerbio inter ſe prædicant: Scripturam eſſe naſum cæreum: quia conuerti poſſit in omnes formas. Si eiufmodi poſtulata Mathematicis darētur, non modò ex cubito palmum facerent: ſed ſtadium euincerent cubito breuius, donec miſcerent cælum terræ.

Quid ergo cum hac victrice, & iam quaſi triumphali Seſſione nobis agendum eſt? nempe, vt ſtando diſcutiamus iſtos fumos. Quòd ad traditiones attinet: ſcio illarum non raram fieri mentionem à vetuſtis ſcriptoribus: ſed non eo conſilio, vt fides noſtra extra Scripturas excurrat, in quibus ipſam perpetuò includunt. Ritus tantum quosdam Apoſtolis referunt acceptos: quorum pars ab illis videtur habere originem: pars autem illis authoribus indigna eſt. Et tamen omnes quos attingūt, & numero pauci ſunt, & genere tolerabiles. Nunc verò quicquid Romanenſibus libuerit obrudere, id ex Apoſtolorum traditione fluxiſſe, credi volunt: adeoque nihil habent frontis, vt quæ non ita pridem inter ignorantie tenebras obreperunt, in illum ordinem, ſublato diſcrimine, referant. Ergo, vt illis demus, inſtituta quædā poſteris Apoſtolos Domini per manus tradidiſſe, quæ ſcriptis nūquā mandauerint: primum, hoc nihil ad fidei doctrinam: vt apiculum vnū inde eliciant: ſed tantum ad externos ritus, vel decoro, vel diſciplinæ ſeruientes: deinde probare neceſſe habebunt, traditionem eſſe Apoſtolicam, quancunque hoc titulo commendabunt. Proinde, non eſt quòd putent, hoc ſibi quicquam ſuffragari, vel ad tyrannidem legum ſuarum ſtabiliendam, quibus conſcientiis miſerè excarnificant: vel ad ſuas ſuperſtitiones obrependas, quas conſarcomatas eſſe ex vitioſis omnium ſeculorum gentiumque ritibus, conſtat. Præcipuè verò repudiandum illud, quòd doctrinæ certitudine ex ijs, quæ vocant *ἀγὰρ*, non minus quàm ex Scripturis pendere volunt. Tenendum enim ſemper eſt illud Auguſtini: Fidem ex Scripturis conſtitutam eſſe.

Lib. de ci-  
uit. Dei.  
19: c. 18,

De libris omnibus in Canonem promiſcuè receptis, non dicam aliud, niſi præter Eccleſiæ veteris conſenſum id fieri. Scitur enim quid Hieronymus ex communi maiorum ſententia referat. Et Ruffinus, etiā tanquam de re minimè controuerſa, cum Hieronymo pronuntiat, Eccleſiaſticū, Sapientiam Solomonis, Tobiam, Iudith, & Machabæorū hiftoriam, libros non Canonicos à patribus, ſed Eccleſiaſticos fuiſſe vocatos, qui ad populum quidem legerentur, ſed ad fidem dogmatum faciendam non valerent. Nec me tamen latet, idem quòd nunc Tridentini patres ſtatuerunt, in concilio Carthaginenſi tertio haberi. Quòd Auguſtinus quoque in libro de doctrina Chriſtiana ſecutus eſt. Sed cū varijs locis teſteretur Auguſtinus, non idem, ſua ætate ſenſiſſe omnes, relinquatur id ſanè in medio. Quòd ſi argumentis ex re ipſa ſumptis pugnandum ſit, præter phraſin ipſam, multa oſtendent debere inferiore loco ſubſidere, quæ Tridentini patres in altum extollunt. Vt alia omittam, quiſquis Machabæorum ſcripſit hiftoriam, in fine optat, vt bene & congruenter ſcripſerit: ſi minus, veniam deprecatur. Quantum, obſecro, à Spiritus ſancti maiestate aliena eſt hæc conſeſſio?

In translationibus, præter vnā vulgatam, damnandis, vt craſſior eſt inſcitia, ita

magis barbarum edictum. Sacra Dei oracula Moyses & Propheta lingua Hebraica, Apostoli Graeca prodiderunt. Ne quis mundi angulus expers esset tanti thesauri, accessit etiam donum interpretationis. Factum est: nescio quibus modis, certe nec iudicio nec recto delectu, ut ex interpretationibus diuersis una obtinuerit inter indoctos, saltem qui nulla linguarum notitia instructi, quaecumque ignorantia sua subsidium quærebant. Porro qui linguas tenent, hanc interpretationem deprehendunt infinitis erratis scaterere: idque apertissimis demonstratis nimbis planum faciunt. Patres de cernunt ex aduerso, etiam si ex fonte ipso purum liquorem proferant, etiamsi ex certa veritate falsum coarguant, minimè esse audientes. Nemo unquam sensu communi præditus, hoc bono priuare ausus est ecclesiam Dei. Veteres, quauis linguarum cognitione, ac præsertim Hebraica, destituerentur, ingenue tamen semper agnoscunt, nihil esse melius, quam ipsam consulere, ut inde verus germanusque sensus hauriatur. Ultra progreditur. Nemo est mediocri ingenio, qui vulgaram translationem cum aliquot alijs conferendo, non facile videat, multa feliciter in his esse restituta, quæ perperam in illa habebantur. Hic nos Synodus cogit ad perspicuam lucem cæcutire, ut sponte erremus. Quis putasset tam fore amentes, ut bonorum iudicia tam securè contemnerent, nec dubitarent omnibus se iniustos ac detestabiles reddere? Qui sciebant eos nihil vitale meditari, sic tamen persuaserunt: ut facum aliquem mundo facerent, negotium cudente noue translationis iuratis sibi hominibus daturos. Atqui, non fraudulenter agunt. Vitiouissima translatione non modo contentos esse nos iubent, sed eam, non aliter ac cœlitus delapsam, voluat adorari: & cum omnibus conspiciæ sint mœdæ, quicquid desiderari prohibent. En à quomodo arbitrio Ecclesie institutio pendeat. Locos perperam insulseque redditos notare, quàm longi esset operis? Aded nulla est integra pagina, ut vix tres sint continui versus, non insigni aliquo errore fedati. Sufficiat in specimen vnus Psalmorum liber: cuius pauca exempla obiter attingam: magis ut, proposito tenui gustu, inuitem lectores ad cognoscendum, quàm ut eos doceam. Psalmo secundo præclara est exhortatio: Osculamini filium. Pro qua vetus translatio habet: Apprehēdite disciplinam. Nihil simile. Illud cum verum esse constet, hoc cur potius authenticum habebitur? Vulgaris interpres habet: Filij hominum vsquequo graui corde? Cum verba Hebraica nihil simile contineant: sed, vsquequo gloria mea ad ignominiam? Vbi Dauid conqueritur succum suum conuersum fuisse in siccitates & stiuas, interpres supposuit: Conuersus sum in arumna mea, dum configitur spina. Item altero versu: In lupato & freno ora eorum, ad coercendum ne accedant ad te. Interpres verò sic: In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximāt ad te. Et quid intelligemus per lumbos impletos illusionibus? quod legitur Psalmo xxxviij: Quauquam imprudenter facio, qui syluam immensam ingrediatur. Proinde ad vnicum Psalmum me recipiam. Is erit sexagesimus octauus. Vbi Dauid inter alias Dei laudes hanc quoque recenset, quod vnicos habitare faciat in domo: hoc est, orbos & solitarios ditet familia. Interpres verò supponit, vnius moris. Sequitur: Rebelles autem in siticulofo loco. Pro quo interpres: Similiter eos qui exasperant: qui habitant in sepulchris. Postea ubi sensus optimè fluit in verbis Dauidis, interpres ænigmata inuoluit, vnde se nullus O Edipus expediat. Sic loquitur Dauid: Reges exercituum fugerunt, fugerunt: & habitatrices domus diuiserunt spolia: hoc est, mulieres quæ domi quiescebant. Interpres verò: Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus diuidere spolia. Paulo post: Et si dormistis inter medias ollas, Interpres vertit, medios cleros. Suspiciari montes coagulatos posuit, pro Inuidere montibus opimis. Vbi habet Hebraica veritas, Etiam defectores: ut inhabitet Dominus Deus: interpres mutat, Etiam non credentes inhabitare Dominum Deum. Item, cum ita

Psal. 4.  
Psal. 32.



sit ad verbum: Reducam ex Basam, reducam ex profundis maris: Interpres ex aduerso, Ex Basam conuertam, conuertam in profundum maris. Item, Ibi paruulus Benjamin dominator eorum. Interpres nescio quid cogitans, In mentis excessu. Dimidiam Psalmi partem, aut paulò plus recensui. Quæ tamen monstra hîc agnoscunt lectores? Quæquã, vt verum fatear, danda est venia Latino interpreti, qui Græcam translationẽ, qua potuit diligentia, expressit. Istos verò a simos quis ferat, dum interpretationis donum eripiunt Ecclesiæ: & hoc tanquam luto opposito, aditum præcludunt, ne ad puram Davidis intelligentiam accedat? Adde, quòd non ignorantiam modò lapsusque interpretum præferunt veræ aliorum cognitioni: sed nulla erit tam crassa hallucinatio, quæ non diuini oraculi vim habeat. Quale exemplum Psalmo cxxxij. extat. Nam, cum illic Dominus victum se populi sui benedicturum promittat, sacrificulus quispiam lusciosus duas literas coniunctim legens, c. & t. putauit scriptum esse vidum. Quia autem vox erat nullius significationis, interposita litera induxit nouam lectionem, quæ in toto papatu regnat. Nullum enim est Italia, Gallia, Hispania, Germania templum, vbi non magno clamore reboent: Viduam eius benedicens benedicam. Et tam sunt vel attentis, vel perspicaces, vt nemo tam ridiculam corruptelam animaduertit. Sed nihil mirum, si erepta nobis panis voce, nomen viduitatis inducant: cum in hoc sint toti, vt animas pane cælestis vitæ crudeliter viduet. Quid? Vulgatam noui Testamenti versionem authenticam facere, an eos non pudet? cum in omnium manibus versentur Valla, Fabri, & Erasmi scripta, quæ innumeros in ea locos vitiatos digito vel pueris demonstrant. Primo ad Rom. capite, interpres Christum nominat prædestinatum Dei filium. Laborant in ista voce explicanda, qui Græcam linguam non tenent: quia propriè, quæ nondum sunt, ea dicimus prædestinari. Porro, Christus filius est æternus Dei. At verò in Græca voce, nihil est difficultatis, quæ declaratum significat. Vnum exemplum produxi: in reliquis superuacuis esset labor. Summa sit: non aliter ratum hoc fore edictum, nisi efficiant Tridentini patres, vt mundus, apertis oculis, oblatam sibi lucem non cernat.

Venio ad ius interpretandi quod sibi arrogant, quoties de sensu dubitatur. Suum, inquam, esse aiunt, de Scripturæ sensu dare responsa, quibus acquiescere oporteat. Nam quicquid Ecclesiæ deferunt, sibi deferunt ipsi. Equidem fateor, sicuti nõ priuato hominum 1. Pier. 1. arbitrio allata est Scriptura, ita indignum esse, vt ad priuatum cuiusque sensum trahatur. Quinetiam si de obscuro loco ambigatur, quoniam sensu accipi debeat, nõ alia via meliore, ad veram intelligentiam posse perueniri, quàm si p̃j doctores, religiosa disceptatione, in commune inquirant. Atqui, non hoc agitur. Volunt enim tyrannico suo edicto, libertatem omnem ex Ecclesia tollere: sibi autem arrogare infinitam licentiam. Nam qualemcunque sua libidine sensum affixerint Scripturæ, eum mox amplecti necesse erit. Præter ipsos verò nemini fas erit, quicquam ex Scripturis probare. Atque vtinam præstandæ tantæ rei pareres forent. Sed boues, ephippia sibi vsurpant: vel potius a simi, lyram. Denique hoc moluntur, vt Scripturam in tenebris abditam reuerentur omnes, tanquam Cereris mysteria: nemo ad eius intelligentiam aspirare ausit. Nullus esset exitus, si exempla vndecunque colligerem, vnde palam fieret lectoribus, quàm iniquæ & non ferendæ seruitutis laquei hoc decreto neclantur. Ergo in vnius tantum Synodi exemplo, specimen ante oculos ponam. Circiter annum à Christo nato octingentesimum, habita est Synodus Nicena, quæ & euerfas sub Leone imagines restituit, & adorandis decreuit. Eam Synodum Papiستا, quia idololatriæ suffragatur, sanctam & legitimam esse ducunt. Proinde, secundum eorum axioma, in Scripturæ expositione errare non potuit. Atqui, si tales audiendi sint sacrorum interpretes (quod est dictu abominandum) præstabit Aegyptiorum religio Christiana.

*Ut simulachris ac picturis templa ritè ornari, ex Scripturis constaret, adducti sunt hi loci in medium: Creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam. Iosue duodecim erexit lapides. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio: vnde colligebant, super altaria collocãdas esse imagines. Item, Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: sicut audiimus, ita & vidimus. Domine, dilexi decorem domus tuæ. Ostende mihi faciem tuam, quia speciosa est. Ut adorationem stauerent, his testimonijs sunt abusi: Abraham populum terræ adorauit: Iacob erexit titulum, ac benedixit. Item, Adorauit summitatem virgæ filij sui Ioseph. Vultum tuum deprecabitur omnes diuites plebis. Adorate scabellum pedum eius. Mirabilis Deus in sanctis suis. Et ne quid deesset ad impudentiæ cumulum, at exuerunt ex alio Psalmo, Sanctus qui sunt in terra: idque ad imagines retulerunt. Scio vix credibilia fore quæ narro. Et ipse obstupui, cum legerem. Quinquam debent nobis iam pridem ad hæc quælibet absurda, occaluisse aures. Quòd si mihi colligendæ essent eorum interpretationes, pueris etiam ipsis ridendæ: nec hæc quidem omnes, sed quæ notabili aliqua insulsiatate excellunt, triplo quàm Scriptura ipsa longius conficiendum esset volumen. In summa, hoc voluit spiritus Tridentinus suo decreto, ne quid nobis significet Scriptura, nisi quod monachi somniando luserint. Quid enim per Ecclesiam aliud intelligunt? Nam ut confluant ex toto orbe Romanenses episcopi, hoc est quotquot sub vexillo, auspicijs quæ illius Antichristianæ sedis militant: quam tandem, collatis inter se capitibus interpretationem nobis constabunt? Bona pars vix grammaticæ elementa didicit. Hoc certe mihi negare non audebunt: vix centesimum quenque ex illis esse, qui integrum vnum Prophetarum librum, aut vnam Apostolorum epistolam, aut vnam Euangelij historiam legerit. Alijs enim curis magis sunt occupati, quàm ut vacet illis sacra legere. Superest, ut hoc sedi Apostolicæ priuilegium tribuant: atque sacrum illud os Pauli Fernesii de Scripturæ interpretatione rogandū esse, dicant. Alioqui, Ecclesiam nobis assignent, quæ sustinendo tanto oneri par futura meritò credatur. Nam quibuscumque sedem Romanam extolunt elogijs, nunquam sanis hominibus persuadebunt, vel Cephæ esse caput: vel pudicum sanctumque coniugium, carnalem esse vitam, quæ sit coram Deo maledicta. Quorum vtriusque Papalibus responsis est proditum. Clamabunt, totam Ecclesiæ auctoritatem labefactari, si is illi interpretandæ Scripturæ adimitur: atque ita ianuam patefieri lasciujs ingenijs, ut quouis perumpant. Imo solent hoc nobis crimen ad conflandam inuidiam, obijcere, nos ideo arrogare nobis Scripturæ interpretationem, ne quo freno cohibeatur nostra libido. De nobis quominus dicam quod res habet, impedit verecundia. Verissimè tamen licebit profiteri, nos, intelligendis Scripturis plus lucis attulisse, quàm omnes, qui ab exorto Papatu inter eos extiterunt, doctores. Neque hanc ipsi laudem detrahere nobis audent. Atqui, nemo interea est nostrum, qui non libenter suis lucubrationes Ecclesiæ iudicio submittat. Ergo Ecclesiæ auctoritatem, neque cõtemnimus, neque extenuamus: nec proteruis hominibus habenas laxamus, ut quiduis audeant. Vtinam verò Ecclesiam nobis ostenderent, qualem Scriptura ipsa depingit: facile de honore conueniret. Sed cum falsum Ecclesiæ titulum ementientes, eius expilatæ ac nudatæ spolia sibi rapiant, quid aliud possumus, quàm reclamare?*

PRIMUM DECRETUM QUINTAE  
 Sessionis, habitæ die XVII. Iunij, M. D. XLVI.  
 Concilij Tridentini.

**N**ostre fides nostra Catholica, sine qua impossibile est placere Deo, purgatis erroribus, in sua sinceritate integra, & illibata permaneat, & ne populus Christianus omni vento doctrinae circumferatur, quum serpens ille antiquus, humani generis perpetuus hostis, inter plurima mala, quibus Ecclesia Dei his nostris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali, eiusque remedio, non solum noua, sed etiam vetera dissidia excitauerit: Sacrosancta, œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus Apostolicae sedis Legatis, iam ad reuocandos errantes, & nutantes confirmandos, accedere volens, sacrarum Scripturarum, & sanctorum patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia, & ipsius Ecclesiae iudicium, & consensum sequuta, hæc de ipso peccato originali fatetur, statuit, ac declarat.

Si quis non confiteatur primum hominem Adam, quum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam præuicationis huiusmodi, iram & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli, totumque Adam, per illam præuicationis offensam secundum corpus, & animam, in deterius commutatum fuisse: Anathema sit.

Si quis Adæ præuicationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse: aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem, & poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod est mors animæ: Anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.

Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliauit in sanguine suo, factus nobis iustitia, sanctificatio & redemptio: aut negat ipsum Christi Iesu meritum per baptismi sacramentum, in forma Ecclesie ritè collatum, tam adultis quam paruulis applicari, Anathema sit. Quia non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Vnde illa vox: Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi: & illa, Quicumque baptizati estis, Christum induistis.

Si quis paruulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint à baptizatis parentibus orti: aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam, vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur: Anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, id quod dixit Apostolus: Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors

pertransiit, in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum Ecclesia catholica, ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, ex traditione Apostolorum, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione munderetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati, remitti negat: aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari: Anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis ijs, qui verè consepulti sunt cum Christo per baptismum, in mortem, qui non secundum carnem ambulant: sed veterem hominem exuentes, & nouum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet, quinimo qui legitime certauerit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit: sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, Anathema sit.

Declarat tamen, hæc ipsa sancta Synodus non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam, Dei genitricem: sed obseruandas esse constitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ quarti, sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas immouat.

#### Decretum secundum eiusdem Sessionis.

Eadem sacrosancta Synodus pijs summorum pontificum, & probatorum Conciliorum constitutionibus inherens, easque amplectens, & illis adiiciens, ne cœlestis illæ sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat: statuit & decreuit, quod in Ecclesijs illis, in quibus præbenda, aut præstimonium, seu aliud quouis nomine nuncupatum, stipendium, pro lectoribus sacre theologiæ deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primate, & alij locorum ordinarij, eos, qui præbendam, aut præstimonium, seu stipendium huiusmodi obtinent, ad ipsius sacre Scripturæ expositionem, & interpretationem, per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & alijs locorum ordinarijs eligendum, etiam per subtractionem fructuum cogant & compellant. De cætero verò præbenda, præstimonium, aut stipendium huiusmodi, non nisi personis idoneis, & qui per se ipsos id munus explicare possint conferantur: & aliter facta prouisio, nulla sit, & inualida.

In Ecclesijs autem Metropolitanis, vel Cathedralibus, si ciuitas insignis, vel populosa, ac etiam in Collegiatis, existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius Diocesis, si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla præbenda, aut præstimonium seu stipendium huiusmodi deputatum reperitur, præbenda, quomodocunque, præterquam ex causa reuocationis primò vacatura, ad eum usum ipso facto perpetuò constituta, & deputata intelligatur

relligatur. Et quatenus in ipsis Ecclesiis, nulla vel non sufficiens præbenda foret, Metropolitanus, vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficii ( eiusdem tamen debitis supportatis oneribus ) vel per contributionem beneficiarum suæ civitatis & Diocesis, vel aliâs, prout commodius fieri poterit, de capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacræ Scripturæ lectio habeatur: ita tamen, ut quæcumque aliæ lectiones vel consuetudine, vel quavis alia ratione institutæ propter id minimè prætermittantur.

Ecclesiæ verò, quarum annui proventus tenues fuerint, & ubi tam exigua est cleri & populi multitudo, ut Theologiæ lectio in eis commodè haberi non possit, saltem magistrum habeant, ab Episcopo, cum concilio capituli eligendum, qui clericos, aliosque scholares pauperes Grammaticam gratis doceat: ut deinceps ad ipsa sacræ Scripturæ studia, annuente Deo, transire possint. Ideoque illi magistro grammatices, vel alicuius simplicis beneficii fructus, quos tandiu percipiat, quandiu in docendo perseveraverit, assignentur: dum tamen beneficium ipsum, suo debito non fraudetur obsequio, vel ex capitulari, vel Episcopali mensa, condigna aliqua merces persolvatur: vel aliâs Episcopus ipse, aliquam rationem inerat suæ Ecclesiæ, & Diocesi accommodam, ne pia hæc utilis, atque fructuosa provisio, quovis quæsito colore negligatur.

In Monasterijs quoque Monachorum, ubi commodè fieri queat, etiam lectio sacræ Scripturæ habeatur: qua in re, si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc provideant, ut sedes Apostolica delegati eos ad id opportunis remedijs compellant.

In conveniendis verò aliorum regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacræ Scripturæ lectio, similiter habeatur: quæ lectio à capitulis generalibus, vel provincialibus assignetur dignioribus Magistris.

In gymnasijs etiam publicis, ubi tam honorifica, & cæterorum omnium maxime necessaria lectio hætenus instituta non fuerit, vel religiosissimorum Principum, ac Rerumpublicarum pietate & charitate, ad catholicæ fidei defensionem, & incrementum, sanæque doctrinæ conservationem, & propagationem instituantur. & ubi instituta foret, & negligetur, restituantur.

Et ne sub specie pietatis, impietas disseminetur, statuit eadem sancta Synodus, neminem ad huiusmodi lectionis officium, tam publicè quàm privatim admittendum esse, quia prius ab Episcopo loci, de vita, moribus & scientia examinatus & approbatus fuerit. Quod tamen de Lectoribus in claustris Monachorum non intelligatur.

Docentes verò ipsam sacram Scripturam, dum publicè in scholis docuerint, & scholares, qui in ipsis scholis student, privilegijs omnibus, de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum suorum in absentia, à iure communi concessis, plenè gaudeant, & fruantur.

Quia verò Christianæ Reipublicæ non minus necessaria est prædicatio Evangelij, quàm lectio, & hoc est præcipuum Episcoporum munus: statuit, & decrevit eadem sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos, teneri per seipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Iesu Christi Evangelium.

Si verò contigerit Episcopos & alios prædictos legitimo detineri impedimento, juxta formam generalis Concilij, viros idoneos assumere teneantur, ad huiusmodi prædicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districta subiaceat ultioni.

Archipresbyteri quoque, plebani, & quicumque parochiales, vel aliâs curam

animarum habentes, Ecclesias quocunque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis: docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum breuitate, & facilitate sermonis, vitia, quae eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam euadere, & caelestem gloriam consequi valeant. Id verò si quis eorum praestare negligat, etiamsi ab Episcopi iurisdictione quauis ratione exemptum se esse prætenderet: etiamsi Ecclesiae quouis modo exemptae dicerentur, aut alicui Monasterio, etiam extra Dioecesim existenti fors annexae vel unitae, modò re ipsa in Diocesi sint: prouida pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Itaque, ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio, muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur: ita ut etiam si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces persoluatur, donec principalis ipse resipiscens, officium suum impleat.

Si quae verò parochiales Ecclesiae reperiantur subiectae monasterijs, in nulla Diocesi existentibus, si Abbates, & regulares praelati in praedictis negligentes fuerint: à Metropolitanis in quorum prouincijs Dioeceses ipsae sitae sunt, tanquam quo ad hoc sedes Apostolicae delegatis compellantur. Neque huius decreti executionem consuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, siue recursus impedire valeat, quousque desuper à competenti iudice, qui summarie, & sola facti veritate inspecta procedat, cognitum, & decisum fuerit.

Regulares verò cuiuscunque ordinis, nisi à suis superioribus, de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia: etiam in Ecclesiis suorum ordinum praedicare non possint. Cum qua licentia personaliter se coram Episcopis praesentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant.

In Ecclesiis verò, quae suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam Episcopi, licentiam habere teneantur: sine qua in ipsis Ecclesiis, non suorum ordinum, nullo modo praedicare possint. Ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant.

Si verò (quod absit) praedicator errores, aut scandala disseminauerit in populum, etiam si in Monasterio, sui vel alterius ordinis praedicet: Episcopus ei praedicationem interdicit. Quòd si haereses praedicauerit, contra eum, secundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, etiamsi ipse praedicator generali vel speciali priuilegio exemptum se esse prætenderet: quo casu Episcopus auctoritate Apostolica, & tanquam sedis Apostolicae delegatus procedat. Curent autem Episcopi, ne quis praedicator, vel ex falsis informationibus, vel alijs calumniose vexetur, iustamve de eis conquerendi occasionem habeat.

Caueant praeterea Episcopi, ne aliquem vel eorum, qui cum sint nomine regulares, extra claustra tamen, & obedientiam religionum suarum viuant, vel presbyterorum secularium, nisi ipsis noti sint, & moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet priuilegiorum praetextu, in sua ciuitate vel Diocesi praedicare permittant, donec ab ipsis Episcopis super ea re, sancta sedes Apostolica consulatur, à qua, priuilegia huiusmodi, nisi tacita veritate, & expresso mendacio, ab indignis, extorqueri verisimile non est.

Quaestores verò eleemosynarij, qui etiã quaestuarij vulgò dicuntur, cuiuscunque conditionis existant, villo modo, nec per se, nec per alium, praedicare praesumant: & contra facientes ab Episcopis, & ordinarijs locorum, priuilegijs quibuscunque non obstantibus

ribus, opportunis remedijs omnino arceantur.

Item, hæc sacrosancta Synodus statuit & decernit primam futuram Sessionem tenendam, & celebrandam esse die Iovis, feria quinta, post festum sancti Iacobi Apostoli.

IN QUINTAE SESSIONIS DE-  
cretum prius.

**V** sit in hoc decreto aliquid, quod præfationi respondeat, prima quatuor capita ex veteri, probatæque Ecclesiæ doctrina mutuantur: de quibus scilicet nihil erat controuersia. Itaque malitiosè factum apparet, quòd se dissidia componere velle præstantur, quæ hoc tempore fuerint excitata. Quorsum, obsecro, attinebat, tot anathemata detonare? Nisi ut imperiti crederent aliquid subesse causæ, cum tamen nihil sit. In quinto capite, ubi iam aliquid suum afferunt, agere incipiunt suo more: hoc est, inculcare sophistarum suorum naxias, & pertinaciter tueri. Anathema esse iubent, si quis neget totum in baptismo tolli, quod propriam peccati rationem habet: sed tantùm radi, aut non imputari doceat. Astutè hic admiscet radendi verbum, quod odiosum esse norunt: nam & inde Augustinum grauabāt Pelagiani. Ergo valeant cum sua rasura. Nos totum peccati reatum verè tolli in baptismo, asserimus: ita ut quæ manent peccati reliquiæ, non imputentur. Quò res clarius pateat, in memoriam reuocent lectores, duplicem esse baptismi gratiam: nam & peccatorum remissio illic, & regeneratio nobis offertur. Remissionem plenam fieri docemus: regenerationem inchoari duntaxat, suosque tota vita facere progressus. Proinde manet verè peccatum in nobis, neque per baptismum statim vno die extinguitur: sed quia deletur reatus, imputatione nullum est. Nihil hac doctrina magis expeditum. Eam, cur Synodus anathemate damnet, videndum. Nihil, inquit venerandi patres, in renatis odit Deus. Vt hoc illis concedam: an propterea sequitur, nihil odio esse dignum? ac non potius ideo nihil odit, quia quod iure posset odisse, ignoscit? Nam testimonium Apostoli quod arripiunt, nobis planè suffragatur: Nihil esse damnationis ijs, qui sunt in Christo Iesu: quia fideles his verbis non eximunt à culpa, quasi puri sint, & omni peccato immunes, sed tantùm reatu liberat, eò quòd sub peccati onere gementes, hac consolatione falciantur, cuius antè meminerat, & de qua fusius postea disserit, ut mox videbimus. Ad dunt prætere, nihil esse quod eos ab ingressu cæli remoretur. Fateor, non tamè quòd nihil impediendi habeant: sed quia Christi innocentia vestitis, nihil noceat. Ipsi verò cornuti patres, longè aliam causam assignant. Quia scilicet veterem hominem exuentes, & induentes nouum, qui secundum Deum creatus est, puri sint ac innocij. Quis non eos præuicari dicat? Nam qui adhuc in actū sunt, nondum effectum habent. Non ergo caret aperta repugnantia, eos vocari puros & innocios, qui adhuc proficiunt in veteri homine exuendo. Quòd si præsentī tempore, loco præteriti, se abusos esse, respondeant: illos omittam. Fideles enim Paulus alloquitur, cum iubet, Ephesios veterem hominem exuere. Quo significat, non vnius diei esse tantùm hanc mutationem, qua ex carne in spiritum renouamur. Quid hæctenus in verbis Tridentinorum obseruarunt sani lectores, quòd minima ex parte eos iuuet: imo quòd non illis sit penitus aduersum?

Pergamus tamen in excutiendo eorum decreto. Negant, concupiscentiam vel fornicem peccati, quem fatentur manere in renatis, nocere posse non consensientibus, cum ad agonem relictus sit. Nempe, ideo non nocet, quia Deus virtutem suam in nostra infirmitate perficit. Sed si exercendæ tantùm virtutis cotem esse volunt: falso conqueritur Paulus

hoc solo nomine se esse miserum. Tametsi ineptè facio, qui ex voce miserie aduersus eos pugnam: cum nec concupiscentiæ, nec vitij, nec peccati nomina eos moueant. Si prauitas in voluntate non est peccatum, neque homo est animal. Si vitium coram Deo culpa caret, Sol non est lucidus. De peccato quid dicam? Cauillantur, hoc verbo abusum esse Paulum, quia peccati causa sit, & pœnâ. Quasi non palam reclamet contextus. Postquam enim peccati meminit, mox subiicit, Inuenio per legem volenti mihi facere bonum, adiacere malum. An hoc quoque illis improprie dictum videtur? Si verbi tantum esset quæstio: tamen nihil plus essent audiendi, quàm qui infantes negant proprie cum peccato nasci. Vtrique peccatum eodem modo interpretantur. Hoc interest, quod posteriores de originali peccato generaliter sic loquuntur. Isti autem venerandi patres, eandem rem contendunt à baptismo non amplius esse, quod prius erat, cum tamen eadem res maneat. Si causam suam meliorem esse volunt, in primis doceant oportet, ita conuerti rerum naturas, vt quod idem est, sibi sit dissimile. Sed ipsa rei consideratio certamen omne tollit. Negari enim, nisi impudenter, non potest, quin repugnantia aduersus legem Dei verè sit peccatum. Atqui, hoc de morbo in renatis hærente Apostolus prædicat. Sequitur ergo, suapte natura esse peccatum, tametsi non imputetur, ac proinde Christi gratia abolitus sit reatus. Si ista est vera iustitiæ regula, Deum ex toto corde diligere, ex tota mente, ex totis viribus, cor certè aliò inclinari non poterit, quin à iustitia declinet. Atqui, se impediri conqueritur Paulus, ne bonum, quod cupit, faciat. Perfectum, inquam, Dei amorem lex requirit: non præstamus. Currendum erat: nos claudicando lentè progredimur. Nihil in tali defectu reperiunt venerandi patres, cur peccatum censere debeant.

Eiusdem est improbitatis, quod declarant, Ecclesiam nunquam secus intellexisse. Atqui, Ambrosius, teste Augustino, disertè iniquitatem nominat. Quid ipse Augustinus? Multi sunt loci, ex quibus non obscura eius confessio apparet. Quemadmodum cum tradit libro secundo contra Iulianum, peccati legem in baptismo remitti, non finiri. Item, solutum esse reatum: ipsam manere. Item, mortuum esse peccatum, in reatu quo nos tenebat: sed mortuum quoque rebellare, donec sepultura perfectione sanetur. Item, homilia in Ioannem xli: *Quandiu viuus, peccatum necesse est esse in membris tuis. Saltem reuigilum illi auferatur: non fiat quod iubet. Cæterum ex multis locis vnum opponere sufficiet: qui videtur, data opera, ad refutandam eorum vanitatem, conscriptus. Nam libro aduersus Iulianum quinto, nominatim tres causas enumerat, cur peccatum vocetur, etiam in renatis. Verba sunt: Vt cæcitas cordis peccatum est, quo in Deum non creditur: & pœna peccati, qua superbum cor digna animaduersione punitur: & causa peccati, cum aliquid cæci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis, cui resistit bonus Spiritus, & peccatum est, quia illi inest inobediencia aduersus dominatum mentis: & pœna peccati, quia reddita est meritis inobediencia: & causa peccati, defectione consentientis, vel contagione nascentis. Significationem verbi, quam veteri Ecclesie fuisse incognitam Synodus declarat, primo loco hic poni à primario antiquitatis teste, nemo est qui non videat. Multum certè valebit Synodi definitio, si tenebras ex tam clara luce efficiat: atque ita fascinet hominum oculos, vt fluum se videre putent in arbore.*



IN SECUNDVM DECRETVM SESSIONIS  
quinta.

**P**rimùm scire velim, *quanam sint illa probata Concilia, quæ summis Pontificibus adiungunt: nam quo tempore legitima concilia, probæque nota habebantur: nemo vnus agnoscebatur summus Pontifex, ac ne primus quidem episcopus: nam id nominatim in Synodo Carthagenensi vetitum fuit. Proinde videmus, quæ tam specioso fuce hic pinguntur concilia, non alia esse, quàm sex aut septem adulterina, post extinctam sanæ doctrinæ lucem, post collapsam disciplinam habita, quibus meri asini & crassi boues interfuerunt: quæ nihil præferunt antiquæ dignitatis: sed Gothicam Romanæ sedis tyrannidem redolent. O exactam reformationem! Vt quæ ex putida corruptissimi seculi face collegit Synodus Lateranensis, & posterioribus concilijs in deterius etiãmmurata sunt, postliminio reuocentur! Quanquam hic erro: nam se, nescio quid, addituros profitentur. Ergo qualis ista sit accessio, ex decretis videndum.*

*Iubent, vt qui præbendas obtinent sacræ theologiæ lectoribus destinatas, docendi officium exerceant, vel per se, vel per alios, si minus erunt idonei. Indoctis itaque hominibus, & penitus ineptis locum, quem fraude, quem iniuria, quem sacrilegio, quem nulla iuris specie occuparunt, relinquit Synodus: modò vicarijs aliquantulam stipendij portionem erogent. Sed in posterum diligenter cauet, ne quis, nisi idoneus, admittatur. Quorum iudicio? Et quibus iniungerent has partes, nisi loci canonicis? Creabit ergo episcopus qualem voler lectorem. Quod erit tam morosum collegium, cui non sufficiat ille, qualiscunque fuerit? Verùm, si improbari contingat, lis orietur. Nisi plus quàm monstrum appareat, rata erit episcopi nominatio. Iam quis legendi ordo? quod tempus? quod auditorium? Quæ omnia prudenter tacent venerandi patres, vt simplicibus persuadeant aliquid se agere, cum nihil egerint. Quid enim? Nonne quod præscribunt, vsitatum est, vt singulis septimanis lectior, retinendæ possessionis causa, duos aut tres ex compotoribus inuitet ad inane lectionis spectaculum?*

*Secundo capite nouas lectiones instituunt. Vbi? In metropolitanis ecclesijs, aut episcopalibus: si tamen erit insignis ciuitas ac populosa. Quorsum ista addita est exceptio? Veriti sunt scilicet, ne frigeret auditorium: si minus celebris esset locus. Hoc verò perinde est, ac si nihil dicerent: sed volunt idem ius in oppidis insignibus seruari. Dicunt quidem: sed quam rationem expediunt? Vt vel episcopus stipendium ex simplici beneficio assignet: vel contribuat clerus diæceseos, vel à canonicis ineatur alia ratio. Istæ verò disjunctiue tantundem valent, ac si totidem seculis res protraheretur.*

*Simile est, quod de magistris subijciunt: nam vt sacerdotia in eum vsus conferantur, nunquam sperandum est. Multò verò minus, vt episcopi de mensa sua quicquam detrahant. Superest tertium, vt episcopus modum aliquem dispiciat. Atqui, priusquam inter eum & clerum de contributione lis finiatur, sepulta erit Tridentini Concilij memoria. Neque hoc ignorant boni decretistæ. Sed aliquid fingi oportuit, ne statim palam fieret, nihil esse actum.*

*Quartū caput si obiter legatur, non paruum terrorem monachis incutere queat, ne ad theologiam reuocentur. Sed duæ sunt illic exceptiones, quæ omni eos metu*

liberant: neque enim alibi lectiones ordinant, quam ubi erit commodum. Atqui, nullum est monasterium, quod non sit bonis omnibus studijs magis inhospitale, quam olim Cyclopium regio. In secunda verò tutius etiamnum quiescent. Mandatum enim datur episcopis, ut abbates compellant, si negligentes fuerint. Idque faciant, ut sedis Apostolica delegati. Ergo si quis episcopus molestiam abbati facisset: mox interueniet prouocatio. Romæ agetur causa. Quis exitus? Prius totam Scripturam monachi vorabunt, quam cogantur ad lectionem vnā audiendam.

Poriò, ne quod celebre gymnasium theologica lectione careat: Principes, ac Respublicas hortatur ad sumptus conferēdos. Quasi multū pōderis habitura sit perfunctoria hæc commendatio. Præferim cum satis constet, plus centuplo ingurgitari ab otiosis ventribus, quam quod in hunc usum sufficeret. Cur ergo inde potius sumi non præcipiunt: nisi quia cauent veluti data opera, ne quid fiat?

Quando eiusdem generis sunt reliqua, non est quod excutiendis talibus nanijs bonas horas malè perdam. Certum quidem est, eos, verba fundendo, voluisse tenebras offundere simplicibus, ut aliquid rei subesse crederent, donec experimento discerent, se fuisse delusos: quisquis autem vnciam habet sani iudicij, mecū agnoscet nihil esse, præter raucum verborū murmur, quod ne ipsi quidem exaudiri volūt.

## SEXTA SESSIO.



**C**VM hoc tempore non sine animarum iactura, & graui Ecclesiastica vnitatis detrimento, erronea quædam disseminata sit de iustificatione doctrina: ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, Ecclesiæ tranquillitatem, & animarum salutem, sacrosancta, & œcumenica Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea nomine Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. Pauli, diuina prouidentia Papæ, I I I. Reuerendiss. do. Io. Maria, Episcopo Prænestino, de monte: & Marcello tit. sanctæ Crucis, in Hierusalē, presbyteris Rom. Eccle. Cardin. & Apostolicis, de latere legatis: exponere intendit omnibus Christi fidelibus, verā sanāque doctrinā, ipsius iustificationis: quam sol iustitiæ Christus, fidei nostræ author, & consummator docuit, Apostoli tradiderunt, & catholica sancta Ecclesia, Spiritu sancto suggerente, perpetuò retinuit. Districte inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere quam præsentī decreto statuitur, & declaratur.

De imbecillitate naturæ, ac legis, ad iustificandos homines.

I I. Declarat sancta Synodus, ad iustificationis doctrinam propriè ac sincere intelligendam, oportere ut vnusquisque agnoscat, & fateatur, quòd cum omnes homines in præuaricatione Adæ, innocentiam perdidissent, facti immundi, &, ut Apostolus inquit, natura filij iræ: quemadmodum etiam in decreto de peccato originali exposuit: vsque adeò erant serui peccati, & sub potestate Diaboli, ac mortis, ut nō modò Gætes, per vim naturæ, sed nec Iudæi quidē, per ipsam etiam literam legis Moysi, inde liberati, aut surgere possent, tametsi in eis liberum arbitrium minimè extinctum esset, licet viribus attenuatum, & inclinatum.

De

## De dispensatione, &amp; ministerio aduentus Christi.

**III.** Quo factum est, ut cœlestis Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, Christum Iesum, Filium suum, & ante legem & legis tempore, multis sanctis Patribus declaratum, ac promissum, cum venit beata illa plenitudo temporum, ad homines miserit, ut & Iudæos, qui sub lege erant redimeret, & gentes quæ non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent: hunc proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, pro peccatis nostris: non solum autem pro nostris: sed etiam pro totius mundi.

## Qui per Christum iustificentur.

**IIII.** Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed hi duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur. Nam sicut re vera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione, per ipsum, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant: ita, nisi in Christo renascerentur, nunquam iustificarentur: cum ea renascentia per meritum passionis eius, gratia, qua iusti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio, Apostolus gratias nos semper agere hortatur Patri, qui nos dignos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, & eripuit nos de potestate tenebrarum, transiulitque in Regnum Filij dilectionis suæ. In quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum.

## Insinuatur descriptio iustificationis impij, &amp; modus eius in statu gratiæ.

**V.** Quibus verbis iustificationis impij descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam, Iesum Christum saluatorem nostrum: quæ quidem translatio post Euangelium promulgatum, sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest: sicut scriptum est: Nisi quis renatus, &c.

## De necessitate preparationis ad iustificationem in adultis, &amp; unde sit.

**VI.** Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis, à Dei per Christum Iesum gratia præueniente sumendum esse: hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum se, ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur: ita ut tangente Deo cor hominis, per Spiritum sanctum illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem ipsam percipiens: quippe qui & illam abijcere potest; neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram ipso, libera sua voluntate possit. Unde in sacris literis, cum dicitur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: libertatis nostræ admonemur. Cum verò respondeamus: Conuerte nos Domine, & ad te conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur.

VII. Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt. Atque illud in primis: à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu: & dum peccatores se esse intelligētēs, à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter cōcutiuntur, ad considerandā Dei misericordiā, se conuertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum, per Christum sibi propitium fore: illumque, tanquam omnis iustitiæ fontem, diligere incipiunt. Ac propterea mouentur aduersus peccata, per odium aliquod, & detestationem: hoc est, per eam pœnitentiā, quam ante baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata. De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum oportet credere, quia est: & quod inquentibus eum remunerator sit: & Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. & Timor Domini expellit peccatū. & Pœnitentiā agite. & Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi. & Accipietis remissionem peccatorum vestrorum, & donum Spiritus sancti. & Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare ea, quæcūque mādauī vobis. Deniq;: Preparate corda vestra Domino, &c.

### Quid sit iustificatio impij, & quæ eius causa.

VIII. Hanc præparationem, seu dispositionem, iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, ac renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum: vnde homo ex iniusto fit iustus, ex inimico fit amicus: vt sit hæres, secundum spem vitæ æternæ. Huius iustificationis causæ sunt: Finalis quidē, gloria Dei & Christi, ac vita æterna. Efficiens verò, misericors Deus, qui gratuito abluit & sanctificat, signans & vngens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ. Meritoria autē n. d. lectus vnigenitus Filius suus D. N. Iesus Christus, qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione, in ligno crucis, nobis iustificationē meruit, & pro nobis Deo Patri suscessit. Instrumentalis itē n. sacramentum baptismi, quod est sacramentū fidei, sine qua nulli vnquam contigit iustificatio. Demum vnica formalis causa, est iustitia Dei, non qua ipse iustus est: sed qua nos iustos facit: qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ: & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes vnusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam vnus cuiusque dispositionem & cooperationem. Quanquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Christi communicantur: id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctæ passionis merito, per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret: vnde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo, per Iesum Christum, cui inferitur, fidem, spem, & charitatem: nam fides nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit.

efficit. Qua ratione verissimè dicitur, fidem sine operibus mortuam, & otiosam fore: & in Christo Iesu, neque circumcisionem, neque præputium aliquid valere, sed fidem quæ per charitatem operatur. Hanc fidem ante baptisimi sacramentum, ex traditione Apostolorum, cathæcumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam æternam præstantem, quam sine spe, & charitate, fides præstare non potest. Unde statim verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi, serua mādāta. Itaque veram & Christianam iustitiam accipientes, eam, ceu primam stolam, pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam candidam, & immaculatam, iubentur statim renati conseruare, vt eam proferant ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam æternam.

Quomodo intelligatur impium, per fidem, & gratis iustificari.

IX. Cùm verò Apostolus dicat, iustificari hominem per fidem & gratis, eā verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit, & expressit, vt scilicet, per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum consortium peruenire. Gratis autem iustificari, ideo dicamur, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur: sic enim gratia iam non ex operibus: alioquin gratia, iam non esset gratia.

Contra inanem hæreticorum fiduciam.

X. Quauis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis, diuina misericordia, per Christum: nūmini tamen fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est: cùm apud hæreticos, & scismaticos possit esse. Imo nostra tempestate sua, & prædicetur, magna contra Ecclesiam catholicam contentione, hæc vana, & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos qui verè iustificati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuerè, se verè esse iustificatos, neminèque absolui à peccatis, ac iustificari, nisi eū qui certò credat se absolutū, ac iustificatum esse: atque hæc sola fide absolutiōe ac iustificatiōe perfici: quasi qui hoc non credit, de Dei promissione, deq; mortis ac resurrectionis Christi dubitet efficacia: nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, ac sacramentorū virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet dum suam propriā infirmitatem, ac indispōitionē respicit, de sua gratia formidare, ac timere potest: cū nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

De acceptæ iustificationis incremento.

XI. Sic ergo iustificati, & amici Dei, & domestici facti, euntes de virtute in virtutē renouantur, vt Apostolus inquit, de die, in diem: hoc est, mortificantes membra carnis suæ, & exhibentes ea arma iustitiæ Deo, in sanctificationem, per obseruatiā mandatorum Dei, & Ecclesiæ, in ipsa iustitia, per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus, cresunt: & magis ac magis iustificantur, sicut scriptum est: Qui iustus est, iustificetur adhuc: & iterum, Ne verearis vsque ad

mortem iustificari: & rursus, Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc verò iustitia incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis Domine, fidei, spei, & charitatis augmentum, &c.

De obseruatione mandatorum, deque illius necessitate, & possibilitate.

XII. Nemo autem quātumvis iustificatus, liberum se esse ab obseruatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa, & à patribus sub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini iustificato, ad obseruandum esse impossibilia: nam Deus impossibile non iubet, sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat ut possis: cuius mandata grauiam non sunt: cuius iugum suauis est, & onus leue. Qui enim Dei sunt, Christum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, seruant sermones eius: quod utique cum diuino adiutorio præstare possunt. Licet enim in hac mortali vita, quantumvis iusti & sancti, in leuia saltem, & quotidiana, quæ venialia dicuntur, peccata, quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti: nam iustorum illa vox est, & humilis & verax: Dimitte nobis debita nostra. Quo fit, ut iusti ipsi, eo magis se obligatos esse ad ambulandum in via iustitiæ sentire debeant, quò liberati à peccato, serui autem facti Deo, sobriè, iustè, & piè viuentes, proficere possint, per Christum Iesum, per quem habuerunt accessum in gratiam istam. Deus nanque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur. Itaque, nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola hæredem se esse constitutum, hæredita tèmque consecutarum: etsi Christo non compatiatur, ut & conglorificetur: nam & ipse Christus, cum esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ. Propterea, Apostolus ipse monet iustificatos, dicens: Nescitis, quòd hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium: sic currite, ut comprehendatis: ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Item, Princeps Apostolorum: Satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem faciatis, & electionem: hoc enim facientes, non peccabitis aliquando. Vnde constat eos religionis orthodoxæ doctrinæ aduersari, qui dicunt iustum in omni opere bono peccare, saltem venialiter: aut, quòd intolerabilius est, penas æternas mereri. Atque etiam eos, qui statuunt in omnibus operibus iustam peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & se ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur: etiam, ut scriptum est: Inclinaui cor meum, ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem. Et de Moïse dicat Apostolus, quòd aspiciebat in remunerationem.

Prædestinationis temerariam præsumptionem cauendam esse.

XIII. Nemo quoque, quandiu in hac mortalitate viuere, de arcano diuinæ prædestinationis mysterio usque adeò præsumere debet, ut certò statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum: quasi verum esset, quòd iustificatus, iam amplius peccare non possit, aut si peccauerit, certam sibi resipiscentiæ promittere debeat: nam sine speciali reuelatione scire non potest, quos Deus sibi elegerit.

## De perseverantia munere.

XIIII. Similiter de perseverantia munere, de quo scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, saluus erit: quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum qui stat, statuere, ut perseveranter stet: & cum qui cadit, restituere: nemo sibi certi aliquid, absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere: tamen qui se existimat stare, videat ne cadat, & cum timore, ac tremore, salutem suam operetur, in laboribus, in vigilijs & in eleemosynis, in orationibus, & in oblationibus, in ieiunijs & castitate. Formidare enim debent, scientes quod in spem gloriae, & nondum in gloria renati sunt: de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum Diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia, Apostolo obtemperent dicenti, Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem Spiritus facta carnis mortificaveritis, vivetis.

## De lapsis, &amp; eorum reparatione.

XV. Qui verò ab accepta iustificationis gratia, per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum excitante Deo, per poenitentiae sacramentum, merito Christi, amissam gratiam reparare procuraverint. Hic enim iustificationis modus est, lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam, aptè nuncuparunt patres. Etenim pro his qui post baptismum, in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum statuit poenitentiae, cum dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Unde dicendum est, Christiani hominis poenitentiam, post lapsum, multò aliam esse à baptismali, eamque contineri non modò cessatione à peccatis, & eorum detestatione, aut corde contrito & humiliato: verum etiam eorundem sacramentali confessione: saltem in voto, & suo tempore faciendam, & sacerdotali absolutione. Itemque satisfactione, per ieiunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitae exercitia, non quidem, pro poena aeterna, quae etiam sacramenti voto, unà cum culpa remittitur: sed poena temporali, quae, ut sacrae litterae docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiae Dei, quam acceperunt ingrati, Spiritum sanctum contristauerunt, & templum Dei violare non sunt veriti. De qua poenitentia scriptum est: Memor esto unde excideris: age poenitentiam, & prima opera fac. Et iterum: Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur. Et rursus: Poenitentiam agite, & facite fructus dignos poenitentiae.

Quolibet mortali peccato amitti gratiam, sed non fidem.

XVI. Aduersus etiam quorundam hominum callida ingenia, qui per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentum: afferendum est, non modò infidelitate, per quam etiam ipsa fides amittitur: sed etiam quocumque alio

mortali peccato, quauis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam, diuinæ Legis doctrinam defendendo, quæ à regno Dei, non solum infideles excludit, sed & fideles quoscunque, fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubito- res, fures, auaros, ebriosos, maledicos, rapaces, ceterosque omnes, qui lethalia com- mittunt peccata, à quibus cum diuinæ gratiæ adiumento abstinere possunt, & pro quibus à Christi gratia separantur.

*De fructu iustificationis: hoc est, de merito bonorum operum,  
deque ipsius meriti ratione.*

XVII. Hac igitur ratione, iustificatis hominibus, siue gratiã acceptam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba: *Abundate in omni opere bono, scientes, quòd labor uester non est inanis in Domino: non enim iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis, & dilectionis, quam ostendistis in nomine eius. & Nolite amittere confidentiã vestram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo benè operantibus vsque in finẽ, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquã gratia filijs Dei, per Christũ Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces, ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorũ operibus, & meritis fideliter reddenda: hæc est enim corona iustitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositam sibi esse aitbat Apostolus, à iusto iudice sibi reddendã, non solum autem sibi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Cùm enim ille ipse Christus Iesus, tanquam caput in mēbra, & tanquã vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutẽ insuat, quæ virtus bona eorũ opera antecedit, comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & merito- ria esse possent: nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendũ est, quominus plenè illis quidẽ operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi, pro huius vitæ statu satisfacere, & vitã æternam suo etiã tẽpore, si tamen in gratia decesserint, consequendam verè promeruisse cẽseantur. Cùm Christus saluator noster dicat: Si quis biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitã æternam. Ita neque propria nostra iustitia, tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur aut repudiatur iustitia Dei: quæ enim iustitia nostra dicitur, quia per eam, inhxerentem nobis, iustificamur: illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur, per Christi meritum. Neque verò illud omittendum est, quòd licet bonis operibus in sacris literis vsque ad eò tribuatur, ut etiam qui vni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum: & Apostolus testetur, id quod in præsentem est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloria pondus operari in nobis. A'sit tamen, ut Christianus homo in seipso, vel confidat, vel gloriatur, & non in Domino: cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes, vnusquisque, sicut misericordiam, & bonitatem, ita seueritatem & iudicium, ante oculos habere debet: neque seipsum aliquis, etiam si nihil sibi conscius fuerit, iudicare: quoniam omnium hominum vita, non humano iudicio examinanda & iudicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vniciquæ à*

*Deo,*



Deo, sicut scriptum est: *Reddet unicuique secundum opera sua.*

Post hanc catholicam, de iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, iustificari non poterit: placuit sanctæ Synodo, hos Canones subiungere, ut omnes sciant, non solum quid tenere & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant.

## CANONES.

I. Si quis dixerit, *Hominem, suis operibus, quæ vel per humanam naturam vires, vel per Legis doctrinam fiunt, absque diuina per Christum gratia, posse iustificari: Anathema sit.*

II. Si quis dixerit, *Ad hoc solum diuinam per Christum Iesum gratiam dari, ut facilius homo iuste viuere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium, sine gratia, utcumque, sed ægrè tamen, & difficulter possit: Anathema sit.*

III. Si quis dixerit, *Sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia comparetur: Anathema sit.*

IIII. Si quis dixerit, *Liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo, Deo excitanti & vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat atque præparet, neque posse dissentire: sed velut inanime quoddam, nihil omnino agere, merèque passiuè se habere: Anathema sit.*

V. Si quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum, & extinctum esse dixerit: aut rem esse de titulo solo, imò titulum sine re, figmentum dicitur à Sathana inuectum in Ecclesiam: *Anathema sit.*

VI. Si quis dixerit, *Non esse in hominis potestate, vias suas malas facere: sed mala opera ita ut bona, Deum operari, non permissiuè solum, sed etiam propriè, & per se: ad eò ut sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli: Anathema sit.*

VII. Si quis dixerit, *Opera alia, quæ ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri: aut quantum vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum grauius peccare: Anathema sit.*

VIII. Si quis dixerit, *Gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel à peccatis abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere: Anathema sit.*

IX. Si quis dixerit, *Sola fide iustificari impium, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu preparari atque disponi: Anath. sit.*

X. Si quis dixerit, *Homines, sine Christi iustitia, per quam nobis meruit iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse: Anathema sit.*

XI. Si quis dixerit, *Hominem iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffunditur, atque illis inhaeret: aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei: Anathema sit.*

XII. Si quis dixerit, *Iustificationem, nihil aliud esse, quam fiduciam*

diuinæ misericordiæ, peccata remittentis per Christum, vel eam fiduciam solam esse, quæ iustificamur: *Anathema sit.*

XIII. Si quis dixerit, Homini cuilibet, ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certò, & absque ulla hæsitacione propriæ infirmitatis, & indispositionis, peccata sibi remissa: *Anathema sit.*

XIIII. Si quis dixerit, Hominem absolui à peccatis, aut iustificari ex eo, quòd se absolui, aut iustificari certò credat: aut neminem esse iustificatum verè, nisi qui credit se esse iustificatum, & à sola fide absolutionem, & iustificationem perfici: *Anathema sit.*

XV. Si quis dixerit, Hominem renatum, vel iustificatum teneri ex fide, ad credendum se certò esse in numero prædestinatorum: *Anathema sit.*

XVI. Si quis dixerit, Illud magnum perseuerantiæ donum, se certò habiturum, absoluta & infallibili certitudine: nisi hoc ex speciali reuelacione didicerit, *Anathema sit.*

XVII. Si quis iustificationis gratiam, non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit: reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote diuina potestate prædestinatos ad malum: *Anathema sit.*

XVIII. Si quis dixerit, Dei præcepta, homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia: *Anathema sit.*

XIX. Si quis dixerit, Nihil præceptum esse in Euangelio, præter fidem, cetera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera: aut decem præcepta, nihil pertinere ad Christianos: *Anathema sit.*

XX. Si quis hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum dixerit, non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ: sed tantum ad credendum, quasi verò Euangelium sit nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione obseruationis mandatorum: *Anathema sit.*

XXI. Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse redemptorem, cui fidant, non item ut Legislatorem, cui obediant: *Anathema sit.*

XXII. Si quis dixerit, Iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum Dei auxilio non posse: *Anathema sit.*

XXIII. Si quis hominem semel iustificatum, dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, vel peccat, nunquam verè fuisse iustificatum, aut posse tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex Spiritus Dei priuilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesiæ: *Anathema sit.*

XXIIII. Si quis dixerit, Acceptam iustitiam non conseruari, atque etiam non augeri coram Deo, per bona opera: sed opera ipsa, fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, non etiam ipsius augendæ causam: *Anath. sit.*

XXV. Si quis in quolibet bono opere iustum, saltem venialiter peccare dixerit, aut, quòd intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id, non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem: *Anathema sit.*

XXVI. Si quis dixerit, Iustos non debere, pro bonis operibus, quæ in Deo fuerunt facta, expectare, & sperare æternam retributionem à Deo, per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & diuina manda-

ta, custodiendo vsque in finem perseuerauit: Anathema sit.

XXVII. Si quis dixerit, Nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis: aut nullo alio, quantumuis graui & enormi, præterquam infidelitatis peccato. semel acceptam gratiam amitti: Anathema sit.

XXVIII. Si quis dixerit, Amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti: aut fidem, quæ remanet, non esse verã fidem, licet non sit viua: aut cum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum: Anathema sit.

XXIX. Si quis dixerit, Eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere: aut posse quidem, sed sola fide, amissam iustitiam recuperare, sine sacramento pœnitentiæ: & prout sancta Romana & vniuersalis Ecclesia, à Christo Domino, & eius Apostolis edocta, hucusque professã est, seruaui, & docuit: Anathema sit.

XXX. Si quis, post acceptam iustificationis gratiam, cuiuslibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, aut reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluenda, vel in hoc seculo, vel in futuro, in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit: Anathema sit.

XXXI. Si quis dixerit, Iustificatum peccare, dum intuetur æternæ mercedis operatur benè: Anathema sit.

XXXII. Si quis dixerit, Hominis iustificati bona opera, ita esse dona Dei, vt non sint etiã bona ipsius iustificati merita: aut ipsum iustificatũ bonis operibus, quæ ab eo, per Dei gratiã, & Iesu Christi meritũ, cuius viuũ mēbrum est, sũnt, nõ ve: è mereri augmentũ gratiæ in vitã æternã, & ipsius vitæ æternæ, sitamen in gratia decesserint consecutionem, atque gloriæ etiam augmentum: Anathema sit.

XXXIII. Si quis dixerit, Hanc doctrinam catholicam, de iustificatione, à sancta Synodo, hoc præsentis Decreto expressã, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Iesu Christi Domini nostri derogari, & non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique, ac Christi Iesu gloriam illustrari: Anathema sit.

#### IN SEXTAM SESSIONEM.

**D**octrina de hominis iustificatione, facilis esset explicatu, nisi falsæ opinionones, quibus præoccupati sunt hominum animi, tenebras clare luci obducerent. Hæc autem præcipua obscuritatis causa, quod ægerimè adducimur, vt vni Deo in solidum relinquamus iustitiæ gloriam. Cupimus enim semper aliquid esse: & quæ nostrã stultitia est, etiam nobis videmur. Eiusmodi superbia, sicut ab initio ingenita fuit hominibus, ita Sathana ianuam aperuit, ad eos multis impijs, prauisq; persuasionibus imbuendos, quibus scum hodie nobis luctandum est. Et extiterunt seculis omnibus Sophistæ, qui in extolenda hominum iustitia, quod sciebant fore plausibile, stylum exercerent. Posteaquam singulari Dei beneficio factum est, vt communi veteris Ecclesiæ consensu, Pelagij impietate: repudiaretur, non tam proteruè amplius de hominum meritis garrire auct. sunt: mediam tamen viam excogitarunt, vt in homine iustificando, neque totum Deo, neque nihil darent.

Hæc moderatio est, quam tenent venerandi patres, ad errores corrigendos, quos de iustificatione hominis, nostrã ætate exortos esse dicunt. Sic quidem

præfantur, ut initio, nihil spirent præter Christum: sed cum ad rem ventum est, multum abest, quin illi relinquunt, quod suum est. Imò, nihil tandem aliud continet eorum definitio, quàm tritum illud scholarum dogma: Partim gratia Dei, partim operibus proprijs iustificari homines: ut aliquanto se magis verecundos ostendant, quàm fuerit Pelagius. Quod ex re ipsa iudicare, promptum erit.

Nam capite secundo, ubi de peccato originali differunt, liberum arbitrium pronuntiant viribus fuisse attenuatum, & inclinatum, non tamen extinctum. De nomine non litigabo: sed cum libertatem minimè extinctam fuisse contendunt, hoc sanè intelligunt, aliquid restare facultatis humanæ voluntati, ad bonum eligendum. Vbi enim non est interitus, illic saltem aliqua est vitæ portio. Tollunt deinde omnem ambiguitatem, cum attenuatum dicunt & inclinatum. Ergo, si illis credimus, debilitauit nos peccatum originale, ut voluntatis nostræ vitium non prauitas sit, sed infirmitas. Nam si praua omnino voluntas esset, non inclinata modò esset sanitas & attenuata, sed perditæ, donec noua fieret. Atqui, hoc posterius Rom. 3. vbi que Scriptura docet. Ut innumera testimonia omittam, Paulus cum de natura humani generis concionatur, non infirmitatis damnat liberum arbitrium, sed omnes esse inutiles pronuntiat, auersos à Deo, & tyrannidi peccati addictos: ita, 2. Cor. 3. ut idoneos esse neget ad quicquam boni cogitandum. Neque tamen interea negamus, quin maneat homini voluntas, sed mala. Nam lapsus Adæ, non sustulit voluntatem: sed ex libera, seruam fecit, ut non modò ad peccandum sit procliuus, sed peccato obnoxia. Quæ de re, paulò post rursus dicendum erit.

Tertium & quartum caput non attingo. Circa finem quinti capituli, translationem in statum gratiæ fieri negant, sine baptismo, aut eius voto. Quæso, an non præstitisset dicere: verbo & sacramentis communicari nobis Christum: vel, si ita loqui magis placebat, applicari, quàm solius baptismi facere mentionem? Verùm, infantes à regno Dei arcere libuit, qui antè erepti sunt ex hac vita, quàm offerri ad baptismum potuerint. Quasi verò de nihilo dictum sit, eos nasci sanctos, qui ex fidelibus nascuntur. Imò, quo iure ad baptismum eos admittimus, nisi quòd promissionis sunt hæredes? Nisi enim iam antè ad eos pertineret vitæ promissio, baptismum profanaret, quisquis illis daret. Quòd si Deus in regnum suum eos adoptauit, quanta iniuria fit promissioni, quasi per se ad eorum salutem non sufficiat? Inualuit contraria opinio, fateor: sed iniquum est, hominum errore, quantum diuturno, obrui Dei veritatem. Inclusa est infantium salus in promissione, qua Deus fidelibus testatur, se fore illis Gen. 17. & semini eorum in Deum. Hac ratione sibi nasci pronuntiabat, qui ex Abraham ducebant originem. Huius promissionis beneficio recipiuntur ad baptismum, quia censentur Ecclesiæ membra. Non à baptismo igitur initium habet eorum salus, sed quæ iam in verbo fundata erat, baptismo ob signatur. At obtrudunt definitionis architecti illam sententiam: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Primum, Ioan. 3. si aqua Baptismum illis significat: quis eis concedet, simul etiã significare baptismi percipiendi votum? At si dicam, alium esse loci sensum, ac quosdam ex veteribus secutus, Aquæ nomen, pro Mortificatione accipiam: non erunt, opinor, tam infesti, ut me propterea hæreticum iudicent. Ego tamen epitheti vice additum interpretor, ut vim naturamque Spiritus exprimeret: neque enim efficient, ut magis hic aqua sumatur pro baptismo, quàm alibi ignis pro quouis sacramento, cum dicitur: In Matt. 3. Spiritu sancto & igni. En cur sibi summum ius interpretanda Scripturæ & surpæt.

Sexto capite afferunt, gratia Dei nos præparari ad percipiendam iustitiam: sed huic gratiæ partes assignant excitandi, & adiuuandi: vt ipsi liberè cooperemur. Nempe, putidas narias hîc audimus, quas in scholis deblaterare Sophista solent. Ego autem quæro, si ne idem excitare voluntatem, & adiuuare per se infirmam: an cor nouum formare in homine, vt velit. Respondeant ergo, an cor nouum creare, ex corde lapideo facere cor carneum (quorum vtrunque Scriptura testatur Deum in nobis facere) nihil aliud sit, quàm supplere quod deest infirmæ volûtati. Quòd si minus eos mouent illa testimonia: respondeant, an qui efficit in nobis velle, simpliciter voluntatem adiuuet. Paulus totum Deo vendicat: isti nihil ei, præter adminiculum, acceptum ferunt. Sed in quo hominẽ Deo socium adiungunt? Quia gratiam Dei, quam repudiare posset, liberè recipit, & Spiritu sancti illuminationem. Quantum ex Dei virtute detrahunt, quæ à Propheta describitur? Dabo, inquit, legem meã in corda vestra, faciãque, vt in præceptis meis ambuletis. Sed hoc est scilicet, quod alicubi ab Augustino traditum est: Laborant, inquit, homines, vt inueniant in nostra voluntate, quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo: & quid inueniri possit, ignoro. At verò, vt alibi tradit: Si relinqueretur homini sua voluntas, vt in adiutorio Dei maneret, si veller: nec Deus etiam efficeret ipsum velle: inter tot ac tantas tentationes, infirmitate sua voluntas succumberet. Ideo subuentum est infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur: & ideo, quanuis infirma, non deficeret. Excudunt autem Neptunij patres in noua officina, quod Augustino fuit ignotum: nõ esse ex Deo gratiæ receptionẽ: quia libero volûtatis propriæ motu, Deo vocanti assentiamur. At repugnat Scriptura, quæ Deum authorem facit bonæ volûtatis. Aliud est, moueri à Deo voluntatem vt obsequatur, si libeat: aliud autẽ, formari vt bona sit. Porrò nõ se facturũ promittit Deus, vt possimus bene velle: sed vt bene velimus: imo vltra progreditur, cum dicit, Faciam vt ambuletis. Quod diligenter ab Augustino annotatum est. Atque idem Paulus affirmat, cum docet Deum esse, qui & velle efficit in nobis, & perficere, pro suo beneplacito. In eo hallucinãtur, quòd motũ nobis offerri somniant, qui mediã electionẽ nobis relinquat: nihil autem de efficacia illa cogitãt, qua cor hominis renouatur, vt ex prauo fiat rectum. Hæc verò efficax Spiritu sancti operatio ab Iere. cap. 3. describitur, cum ita loquitur in persona Dei: Ponam timorẽ nominis mei in cordibus eorum, ne declinent à mandatis meis. Denique in eo falluntur, quòd nullũ obseruant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miseriæ nostræ subuenit, & primã, quæ Adæ data fuerat, discrimẽ: quod diligenter Augustinus exponit. Per mediatorem Christum, inquit, ex malis Deus facit deinceps in æternum bonos. Istam gratiam nõ habuit primus homo, qua nunquam velleret esse malus. Tale quippe erat adiutorium, quod desereret cum velleret: & in quo permaneret, si velleret: non quo fieret, vt velleret. Sed potentior est gratia in secundo Adam, qua fit etiam, vt velimus: tantũque velimus, ac tanto ardore diligamus, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincamus. Paulò post: Est in nobis, per hanc Dei gratiam, in bono recipiendo & perseueranter tenendo, nõ solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus. Quanquam longius est argumentum, quàm vt tam breuiter expediri queat: non tamen vereor, ne mea, quamlibet breuis admonitio non sufficiat apud sanos lectores refellendis eorum commentis. At Scripturam sibi quoque suffragari obten-

Eze. 11. 36  
Psal. 51.  
Philip. 3.

Iere. 31.  
Eze. 36.  
Heb. 8. 10  
Lib. de peccat. merit. & remis. 2.

Decorrep  
& gratia.

Lib. ad Ro  
ni. 2. ca. 8.

**Ierc. 31.** dant. Nam cum dicitur, *Conuerte me Domine, & conuertar: ex eo colligunt, praeueniri homines Dei gratia. Rursum ex his verbis, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: liberi arbitrij vim eliciunt. Scio alicubi Augustinum hac distinctione uti: sed longè diuerso sensu. Disertè enim restatur, utque plurimis locis, gratiam Dei sic operari in nobis, ut ex nolentibus volentes faciat: vnde etiam*

**Lib. ad Bonifa. 2. cap. 8.** concludit, nihil hominem boni facere, quod Deus in ipso non faciat. Quid ergo, inquires, sibi vult Augustinus, cum de libertate voluntatis loquitur? Nempe, quod

**Lib. 2. de bono oper. cap. 13. Lib. 2. ca. 23. de Gra & lib. arb.** toties repetit: non cogi homines inuitos Dei gratia, sed voluntarios regi, ut sponte parant ac sequantur: ideo tamen, quia eorum voluntas ex mala, versa sit in bonam. Vnde illud: Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle. Nos operamur, sed Deus efficit & operari. Itè, Bonum, quod non tenemus nisi propria voluntate, nõ tamè tenebimus, nisi operetur in nobis & velle. Itè, Certum est, nos velle cum volumus: sed ille facit ut velimus. Certum est, nos facere cum facimus: sed ille facit ut faciamus, præbèdo vires efficacissimas voluntati. Hac sit summa: Perperam eos facere, qui sic inter Deum & nos partiuntur, ut obedientiam piæ voluntatis, quæ Dei gratiæ assentitur, ad nos transcribant: cum proprium sit ipsius Dei opus.

Sed insistunt Prophetæ verbis: quòd conuersionem à nobis exigendo, liberum arbitrium compellet: quod frustra faceret, eorum quidem opinione, nisi aliud quod esset liberum arbitrium. Fateor sanè, absurdas fore eiusmodi locutiones, nisi esset aliqua in homine voluntas. Non tamen propterea concedo, liberam obsequenti facultatem inde posse colligi. Valde enim nouitios esse oportet venerandos istos patres, si ex præceptis æstimant quid valeat homo: cum ideo potius requirat à nobis Deus, quod supra vires nostras est, ut imbecillitatis nostræ conuicti, superbiam omnem exuamus. Meminerimus ergo, aliud esse voluntatem in homine, aliud liberam boni ac mali electionem. Sublata enim post lapsum primi hominis eligendi libertate, sola voluntas relicta est, quæ sub peccati tyrannide captiua vsque adeò tenetur, ut non nisi ad malum feratur.

Porò, ne longius hic immoremur, dico apertè pugnare quod hic pronuntiant

**Ioan. 3.** Tridcentini patres, cum illa Christi sententia: *Quisquis audit à Patre meo, venit ad me. Nam ut prudenter animaduertit Augustinus: inde sequitur, nullum à Deo audire & discere, quin simul in Christum credat: motumque Spiritus sancti sic esse efficacem, ut fidem semper gignat. Constituunt autem hoc in hominis optione, ut*

**De præd. Sanct. lib. 1. ca. 8.** Dei inspirationi, si velit, auscultet. Hæc nullo modo inter se conciliari possunt: omnes qui à Deo didicerint, Christo credere, & non aliter valere ratamque esse Dei inspirationem, nisi homines ex seipsis assentiantur. Prioris sententiæ auctoritatem habemus Filium Dei, qui secum minimè dissidet. Secundam ergo, quæ prorsus contraria est, cui acceptam feremus, nisi patri mendacij?

Post quæ septimo capite, de modo præparationis, ita frigidè tractarunt, ut quæuis non prorsus insipidum Papiæ merito tantæ insulsi atis padere debeat, tandè, capite octauo, ubi ad ipsam definitionem ventum est, in primis hoc cauèr, ne sola fide consistere videatur hominis iustificatio. Quæstio est verbi, quid sit iustificatio. Negat solè esse remissionem peccatorum, sed renouationem & sanctificationem simul contineri voluit. Nihil hoc verum sit, videamus. Verba Pauli sunt capite ad Ro. 4, *Dauid beatitudinem hominis dicit, cui Deus imputat iustitiam sine operibus: Beati, quorum remissa sunt iniquitates. Si ex hac Dauidis sententia Paulus gratuita iustitia de-*

*fini-*

*fnitionem ritè elicit: sequitur, in remissione peccatorum esse positam. Sic enim interpretatur Paulus, iustum à Davide nuncupari, cui Deus iustitiam imputat, non imputando peccata. Sic & idem Apostolus, non adducto alterius testimonio, alibi loquitur: Erat Deus in Christo, mundum sibi reconcilians, non imputando hominibus peccata. Deinde, continuò post adijcit: Eum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, vt essemus iustitia Dei in illo. Quid apertius requiras, quàm nos coram Deo iustos censerì, quia Christi sacrificio expiata sint peccata nostra, ne amplius sub reatu nos teneant? Nec locus est vulgari cauillo, de iustificationis initio, ipsum agere: nam vtroque loco tractat, non qualiter incipiant iusti esse, qui fuerant hactenus infideles: sed quomodo iustitiam, quam semel consecuti sunt, retineant toto vitæ cursu. David enim de se loquitur, postquam inter filios Dei fuerat coopertus. Et Paulus asserit, hanc esse perpetuam legationem, quæ in Ecclesia quotidie auditur. In eundem quoque sensum ad Rom. 10, Moyses iustitiam legis describit, quòd qui fecerit ea, viuet in ipsis. Fidei autem iustitia sic dicit: Qui crediderit, &c. Videmus ideo legis iustitiæ opponi fidei iustitiam, quòd operibus minimè constet, sicut illa. Idem sibi volunt verba, quibus Lucas apud Antiochenos ipsum esse usum refert: Per hunc vobis annuntiatu'r remissio peccatorum: & ab omnibus, à quibus non potuistis iustificari in lege Moysi, in hoc omnis qui credit, iustificatur. Nam & remissioni peccatorum iustificatio, velut interpretationis loco, subiicitur, & absolutionem proculdubio significat: & legis operibus detrahatur, vt sit gratuita, & fide percipi dicitur. Quid? iustificatio publicani, Luca 17. quid aliud sonat, quàm iustitiæ imputationem, dum gratis acceptus est Deo? Et quoniam de verbi proprietate lis est: cum Christus à Paulo iustitia, & sanctificatio nostra predicatur, certè inter hac duo statuitur discrimen, quod Tridentini patres confundunt. Nam si duplex est gratia, quòd nos Christus iustificat, & sanctificat: iustitia vitæ inuouationem sub se non complectitur. Nec aliter potest exponi illud ad Rom. 8. Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quàm de gratuita acceptione.*

*Nollem de verbo litigare, nisi inde totus causæ status pendèret. Verùm, cum tunc iustificari hominem tradunt, cum in obedientiam Dei reformatur: totum illud Pauli argumentum eueriunt: Si ex lege est iustitia, exmanita est fides, & abolita promissio. Intelligit enim, neminem inuentum iri inter homines, in quo salutis promissio compleatur, si innocentia conditione sit implicita: & ruituram mox esse fidem, si operibus fulciatur. Quod ideo verum est, quia quandiurespicimus quales sumus, necesse est nos coram Deo trepidare: tantum abest, vt certa & inconcussa vitæ æternæ fiducia nobis constet. De regeneratis loquor. Quantum enim abest à iustitia, quæ in hac vita inchoatur vitæ noui as?*

*Neque tamen interea negandum est, quin perpetuò coniunctæ sint ac col. & reat duæ istæ res: sanctificatio & iustificatio: sed perperam inde infertur, vnã ac eandem esse. Exempli gratia: Solis lumen, etsi nunquam separatur à calore, nq̄ tamen calor existimandus est. Nemòque tam rudis inuenitur, qui non vnũ ab altero distinguat. Fatemur ergo, simulatque iustificatur quispiam, necessariò inuouationem quoque sequi. Neque verò de eo ambigitur, an sanctificet Christus necne, quoscumque iustificat. Hoc enim esset lacerare Euangelium, adeòque Christum ipsum disscerpere, si quis iustitiam, quam fide consequimur, separare velit à penitentiâ. Sed*

rota nostra disceptatio est, de causa iustificationis. Hanc Tridentini patres duplicem esse fingunt: ac si partim remissione peccatorum, partim spiritali regeneratione iusti essemus. Vel, ut alijs verbis exprimam quod sentiunt: ac si partim imputatione, partim qualitate, iustitia nostra constaret. Ego autem unicam & simplicem esse assero, quæ tota continetur gratuita Dei acceptance. Eam præterea extra nos constituo: quia in solo Christo iusti sumus. Proferant si quod habent ex Scriptura testimonium, ut persuadeant quod docet. Ego cum totam habeam Scripturam mihi suffragantem, hac una ratione nunc contentus ero: quod cum mentio fit iustitiæ operum, eam Lex & Euangelium in perfecta legis obedientia constituunt. Ea cum nusquam appareat, nihil aliud faciunt reliqui, nisi ut confugiamus ad solum Christum: ut in ipso iusti censeamur, quod in nobis non sumus. An mihi locum unum proferent, qui inchoatam nouitatem pro iustitia apud Deum probari testetur, vel in totum, vel ex parte? Quod si auctoritate destituuntur, cur non liceat repudiare quod hinc obrudunt figmentum, de partiali iustitia?

Porrò, quàm friuola sit & nugatoria causarum partitio, quæ ab illis cõmemoratur, super se deo dicere: nisi quod taceri hoc nec debet, nec potest, nimis esse absurdum, quod causa instrumentalis nominatur solus baptismus. Quid igitur fiet Euãgelio? Anne postremo quidẽ angulo hærebit? Sed baptismus est fidei sacramentum. Quis negat? Vbi tamen omnia dicia fuerint: hinc nihilominus obtinebo, nihil esse aliud, quàm Euangelij appendicem. Præpostero igitur ordine primas illi deferunt: ac perinde omnino faciunt, ac si quis instrumentalem ædificij causam diceret esse trullæ manubrium. Sanè quisquis, posthabito Euangelio, baptismum inter salutis causas numerat, eo ipso, quid sit baptismus, aut quid valeat, quodnam sit eius officium, aut quis usus, nescire se prodit. Quid in causa formali præterea desyderem, canone. 10. dicendum erit: tantum hinc attingam, quod presenti loco conuenit. Iterum enim affirmant, nos verè iustos esse, non tantum reputari. Ego contra, tamen si concedo, nunquam recipi nos in Dei gratiam, quin simul nos regeneret in vitæ sanctitatem: falsum tamẽ esse cõtendo, vllum iustitiæ partem in qualitate sitam esse, vel habitum, qui in nobis resideat: sed gratuita acceptance, nos esse iustos. Nã cum docet Apostolus, propter vnus obedientiã iustos constitui multos: satis, nisi fallor, ostendit, mutuari nos aliundè iustitiam, cuius in nobis indigemus. Et primo ad Ephesios capite, cum dicit, nos prædestinatos esse in adoptionem filiorum Dei, ut grati essemus in Filio, summã iustitiæ nostræ cõplectitur. Quãtulacũque enim portio in opera nostra conferatur, eatenus vacillabit fides, & salus nostra hoc modo tota periclitabitur. Ergo cum Apostolo discamus, iustitiam nostram, quæ ex Lege est, tanquam noxium impedimentum, abijcere, ut illam obtineamus, quæ ex fide est Iesu Christi. Quæ autem sit, iam antè abundè demonstraui: & vno verbo Paulus, tertio capite ad Galatas, indicat: cum negat, iustitiam legis cum iustitia fidei congruere, quia in operibus sita sit.

Sed quid facias istis bestijs? Nam, postquam multas iustificationis causas recensuerunt, obliui de causa iustificationis sibi esse traçiendum, iustitiæ partem operibus constare hinc colligunt, quod nemo absque spiritu regenerationis per Christum Deo reconcilietur. At quàm crassa est ista hallucinatio? Perinde enim id valet, ac si dicerent: Remissio peccatorum diuelli à pœnitentia non potest. Ergo hæc est pars illius. Hoc vnicum est controuersiæ caput: quomodo iusti censeamur coram Deo:



Deo: ubi fides nostra, qua sola iustitiam percipimus, eam quærere debeat. Vt millies repetant, non posse nos aliter merito passionis Christi communicare, quin simul regeneremur eius Spiritu, non tamen efficient quominus illud fixum maneat: ideo propitium nobis esse Deum, quia Christi morte placatus nobis fuerit: ideo nos reputari iustos coram ipso, quia illo sacrificio, expiate fuerint nostræ iniquitates. *Habemus, inquit Paulus, propitiationem per fidem in sanguine Christi. Denique, ubi de causa quæritur: quorsum attinet, accidens inseparabile obrudi? Desinant ergo istis ineptijs ludere, vel cauillis ineptire: Accipit homo fidem, simul & spem, & charitatem: non igitur sola fides iustificat. Nam si nobis & oculi, simul & aures, & pedes, & manus conferuntur, non propterea tamen aut pedibus nos audire, aut manibus ambulare, aut palpare oculis, dicendum est. De Pauli testimonio perperam adducto, alibi dicitur.*

Sequitur putida illius distinctionis approbatio: de fide informi, & formata. *Pudet quidem venerandos patres voces istas usurpare: sed cum balbutiunt, non vni-ri sola fide hominem Christo, nisi spes quoque, & charitas accedant, fidem certè somniant charitate vacuam, quæ à Sophistis vulgò informis vocatur: quo insignem suam inscitiam produnt. Nam si verum est quod docet Paulus, Christum habitare in cordibus nostris per fidem: nihilo magis fidem à charitate separabunt, quàm Christum à Spiritu suo. Si fide purificatur corda, quemadmodum Petrus affirmat: si quicumque credunt, habent vitam æternam, quod tories pronuntiat Christus: si fide obtinetur æternæ vitæ hæreditas, lógè aliud est fides, quàm mortua nescio quæ persuasio. Vt nos Christi membra fide effici, negant. Quanto melius Augustinus, qui fidem appellat animæ vitam, sicut anima, vita est corpus? Quanquã non tam Augustinus hic citandus author est, quàm Paulus, qui fatetur se fide Christi viuere. Ignoscendus fortè esset illis hic error, quia non aliter de fide garrunt, quàm de fabulosis insulis (quis enim eorum vnquam, vel summis labris gustauit, quid esset fides?) nisi miserum orbem eadem secum ignorantia in exitium traherent. Nos autem meminerimus, fidei naturam à Christo à stimadã esse: quia quod nobis offert Deus in Christo, non nisi fide recipimus. Proinde, quicquid nobis est Christus, id ad fidem transfertur, quæ nos compotes & Christi, & omnium eius bonorum facit. Neque aliter verum esset illud Ioannus, fidem nostram esse victoriam, qua mundus vincitur: nisi nos in Christum insereret, qui solus est mundi victor. Ac eorum stuporem animaduertere operæpretium est, quòd dum citant illum Pauli locum, Fides quæ per charitatem operatur: non cogitant se hoc quasi gladio iugulari. Nam si fructus est, ac effectus fidei, charitas: quis nõ videt informem illam fidem quam fabricarunt, inane esse figmentum? Erit enim perquam absurdum, si filia matrem interimat. Quanquam monendi sunt lectores, locum illum in tempestiue adduci, cum de iustificatione agitur. Quandoquidem illic non disputat Paulus, quid ad hominem iustificandum valeant fides, aut charitas: sed quæ sit Christiana perfectio. Quemadmodum cum alibi scribit: Si quis in Christo, noua creatura.*

Longum esset ac molestum singula notare: sed hoc magis insigne est, quàm vt prætermi debeat. Subiiciunt, cathecumenis fidem ab Ecclesia petentibus responsum dari: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Vt eorum cathecumenis, si iam dura illis conditio imponitur. Quid enim aliud, quàm æterna illis maledictio indicitur? Si quidem, agnoscunt cum Paulo, maledictos esse omnes, qui legi sunt obnoxij. At

Rom. 3.

Eph. 3.

Acto. 15.

Ioan. 3. 5.

6. 10. 20.

Rom. 4.

In c. 10a.

11.

Gal. 2.

2. Ioan. 5.

Ioan. 16.

Gal. 5.

2. Cor. 5.

Matt. 19.

Gal. 3.

*Christum habent authorem. Utinam obseruaret, quorsum ita locutus fuerit. Quod iudicari non potest, nisi ex contextu, & personæ ratione. Interrogauerat ille, cui respondet Christus: Quid facere oportet, ut habeam vitam æternam? Certè quisquis vitam operibus vult promereri, regulam habet sibi à lege præscriptam: hæc f. c. & viues. Sed considerandus est, qui à Paulo indicatur finis: ut vires suas expertus homo, vel potius impotentia suæ conuictus, deposita superbia, nudus ad Christum confugiat. Neque enim locum habet fidei iustitia, donec compertum habuerimus, frustra nobis salutem ex lege promitti. Quod enim impossibile erat legi, quandoquidem in carne nostra infirma erat: Deus per Filiū suum præstitit, peccata nostra per sacrificium mortis eius expiando, ut iustitia sua impleatur in nobis. Adèd autem præposterum sunt Tridentini patres, ut cum Moysi officium sit, nos ad Christum manu ducere, ipsi nos à Christi gratia, ad Moysen traducant.*

*Ac ne parum sint in prædicandis hominum viribus liberales, iterum in hoc capite repetunt, spiritum Dei agere in nobis, secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem. Qualem, obsecro, dispositionem inueniet spiritus Dei in cordibus lapideis? An non pudet eos dispositionem fingere, ubi spiritus ipse vbiq; in Scripturis pronuntiat, omnia esse contraria? Nam hoc gratiæ initium est, ut ex nolentibus ad eòque repugnãtib; faciat volentes. Ut fides, tam in suis exordijs, quàm incrementis, ad ultimamque vsque perfectionem, Dei sit donum: & gratia Dei electio sit suscipiendæ gratiæ preparatio, ut ait Augustinus. Et clara sūt Pauli verba: Deum nos benedicere, omni benedictione spiritali, quemadmodum nos elegit in Christo, secundum placitum voluntatis suæ. Quibus certè nos cohibet, ne in tanto beneficio gratiæ Dei, placito gloriemur voluntatis nostræ, inquit idem Augustinus. Itãne? ut quod Deo acceptum referre homo deberet, id illi quasi meritum opponat? Nam vnde prima dispositio, nisi quia sumus Christi oues? Quis porò sibi tantum ausit sumere, ut se ouem faciat? Itaque Lucas cum de efficaci vocatione loquitur, credidisse eos docet, non qui à seipsis erant dispositi, sed qui ad vitam erant præordinati. Et Paulus, vnde reclusit dispositio exprimit, cum docet, præparata esse à Deo bona operã, in quibus ambulemus. Porius itaque Augustinum aulamus, qui longè aliter docet, quàm isti blaterones. Post casum hominis, inquit, non nisi ad gratiam suam pertinere voluit Deus, ut homo accedat ad eum: neque nisi ad gratiam suam pertinere voluit, ut homo non recedat ab eo. Ipse enim est, qui se daturum cor promittit, ut intelligamus, & aures, ut audiamus. Quamobrem sola est eius gratia, quæ nos discernit: quemadmodum Paulus admonet.*

*Atque ut eiusdem Augustini verbis concludam: Voluntas humana, non libertate gratiam consequitur, sed gratia libertatem: & ut perseueret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem,*

*Capite non, dum aliquam dare student modestæ significationem, impudentiam suam magis produnt. Quoniam in promptu erat Scripturæ doctrina eorum placitis repugnans, ut hanc suspicionem auertant, primum quid sit, fide iustificari hominem, exponunt: nempe, quòd fides salutis sit initium, & fundamentum iustificationis. Quasi hac solutione essent expediti, mox ad alteram transuolant: gratis nos iustificari ideo Apostolum docere, quia quæcunque iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam non promerentur. Quæso, si in re seria versari se putaret, an adèd leuiter, quasi oscitantes, perfungerentur? Omitto, quòd hominum iudicia*

nihil

nihil veriti sunt: quasi sacrosancto hoc decreto omnium oculos confodissent: Fides iustificat, quoniam inchoat iustitiam. Primò, hoc commentum sensus communis respuit. Quid enim magis puerile, quàm totum effectum velle restringere ad solum actum inchoandi? Sed inspiciamus paulisper, nunquid Pauli verba patiantur tam facile se peruertere. Evangelium, inquit, potentia Dei est, in salutem omni credenti: quia in eo reuelatur Dei iustitia ex fide, in fidem. Quis non videt principium & finem pariter hinc designari? Alioqui dicendum erat, Ex fide in opera: siquidè perficerent quod fides inchoat. Eòdem facit Habacuc testimonium: Iustus ex fide victurus est: quod improprie dictum foret, nisi vitam perpetuaret fides. In Abrahæ persona, relucet præcipuum iustificationis speculum. Audiamus ergo, quo tempore fides illi ad iustitiam imputata fuisse prædicatur. Non erat certè nouitius: sed relicta patria, iam annos complures Dominum secutus erat: ut esset non vulgare sanctitatis, omniumque virtutum exemplar. Nos ergo aditum illi ad iustitiam patefacit fides, ut aliudè postea iustificatio compleatur. Et tandem concludit Paulus, nos stare in ea gratia, quam fide consecuti sumus. Quantum distat fixa & immota statio, à momentaneo transitu: tantum à Pauli sensu, distant in suo isto dogmate. Omnes Scripturæ locos colligere, & longum esset, & superuacuum. Satis quidem superque ex his paucis liquere arbitror, non minus iustitiæ complementum, quàm initium, fidei tribuendum esse.

Secundum membrum est, gratuitam ideo iustificationem vocari à Paulo, quia nullum meritum præcedat. Quid ergo? cum idem Paulus clamat, excludi omnem carnis gloriationem lege fidei, an ad antea acta vitæ duntaxat merita respicit, ac non potius admonet, nihil esse, quo gloriantur homines, vsque ad vitæ finem, qui fide iusti sunt? Nam cum ex Dauidè asserit imputari, absque operibus, iustitiam, perpetuū fidelium statum declarat. Quemadmodum & Dauid, se, ac reliquos omnes Dei filios, non in vnam diem, sed tota vita, peccatorum remissione beatos esse exclamat. Nec de vnius momenti iustificatione loquitur apud Lucā Petrus, cum dicit: Per gratiam Iesu Christi credimus nos esse saluos, quemadmodum & Patres nostri. Ille enim erat quæstionis status: an exigenda foret à gentibus legis observatio. Id fieri debere negat: quòd non alia sit salus in Christiana Ecclesia, quàm per Christi gratiam: nec alia vnquam fuerit. Et meritò. Nec enim aliter firma erit promissio, nisi ex Dei gratia pèdeat, ac fide nitatur, inquit Paulus: An illic etiam de præcedentibus meritis agi, garrient? Imo selectissimis quibusque salutis fiduciam posse constare negat, nisi recumbat in Christi gratiam. Fidem igitur abolet, qui non retinet hanc vnicam iustitiam vsque ad mortem. Iustificamur gratis, inquit, quòd nulla opera, quæ iustificationem præcedant, ipsam promerentur. Atqui, dum Paulus Abrahæ materiã adimit gloriandi, cò quòd fides sit illi imputata ad iustitiã, probationis loco mox subiicit: vbi sunt opera, illic debitum præmium rependi: fidei autem quòd datur, gratuitū esse. Notemus de sancto patriarcha verba fieri. Negat Paulus, quo tempore mundo renuntiauerat, ut se totum Dei obsequio addiceret, vllis operibus fuisse iustum. Si excipiant adulterini isti patres, tunc demum cœpisse iustificari: aperte refellitur hoc cauillum, sacræ Historiæ contextu. Multis enim annis se exercuerat in quotidiana Dei invocatione, & Dei vacationem costanter secutus erat, in qua vitæ æternæ promissio, continebatur. Nonne ergo ter cæci iudicandi sunt, qui gratuitã Dei iustitiam non vident, nisi in ipso vestibulo regnare autem

in ipso edificio putant operum merita? Verum attendere conuenit, qualem tam crasse impietati fucum inducant. Hoc quippe modo satisfactum pronuntiant Apostoli sententia: Si ex gratia, ergo non ex operibus. Atqui Paulus, quod salua sunt reliqua, & ab aeterni exitij periculo mirabiliter a Deo conseruantur usque in finem, id acceptum refert Dei gratiae, Multum igitur abest, quin ad tantulam portionem, hoc est, ad solum principium, restringat.

Absurdum quidem illud delirium: sed hoc etiamnum aliquantò crassius, quod eorum opinione, nihil omnium, quae iustificationem praecedunt, ipsam promeretur: siue fides, siue opera. Quae nobis hic opera comminiscuntur iustificatione priora? Cuius hoc erit ordinis, ut radicem fructus tempore praecedat? In summa: ut intelligant pii lectores quantum ad doctrinae correctionem profectum sit, monachi reuerendis patribus, quorum partes erant auribus annuere, veterem hanc dictarunt cantilenam: bona opera, quae iustificationem praecedunt, non meritoria esse aeternae salutis sed praeparatoria duntaxat. Atqui, si quae opera fidem anteuertent, ipsa quoque venient in calculum. Sed ideo nullum meritum, quia nulli sunt opera. Nam si opera sua querant homines, mala duntaxat inuenient. Posteris vix persuadetur, tantum fuisse stuporis in Papatu, ut iustificationi vllum opus praeponebant, etiam si negarent esse tanti boni meritorium. Quid enim ab homine prodibit, donec Spiritu Dei fuerit regeneritus? Longè diuersa est Pauli ratiocinatio. Ephesios admonet, cap. 2. ut se meminerint gratia saluatos esse, non ex seipsis, neque ex proprijs operibus. Probatione sulicit, non qua lymphati isti patres vtuntur, opera, quae praecedunt, nulla sufficere: sed quam ego adduxi, non alijs operibus nos esse praeditos, nisi quae Deus praeparauit: quia sumus illius factura, ad sanctam & piam vitam creati. Fides porro iustificationem ita praecedit, ut tamen Dei respectu sequatur. Quamquam de fide quod dicunt, tunc fortassis locum haberet, si fides ipsa, quae nos in possessionem iustitiae mittit, a nobis esset. Verum, cum ipsa quoque, gratuitum sit Dei donum: superuacua est ista, quam ponunt, exceptio. Quamquam Scripsit hanc dubitationem alia ratione tollit, dum fidem opponit operibus: ne inter merita censeatur. Neque enim quicquam nostrum affert fides ad Deum: sed quod vltro nobis offert Deus, recipit. Hinc fit, ut fides, quamuis imperfecta, perfectam nihilominus iustitiam possideat: quia non alium, quam gratuitae Dei bonitatis, respectum habet.

Capite decimo, in vanam, ut ipsi quidem iactant, haereticorum fiduciam inueniuntur. Ea autem est, secundum eorum definitionem, dum certo statuimus nobis remissa esse peccata: in eaque certitudine acquiescimus. Verum, si haereticos facit talis certitudo: ubi erit foelicitas, quam David praedicat? Imo, ubi erit pax illa, de qua Paulus concionatur quinto ad Romanos capite, si alibi quam in sola Dei beneuolentia acquiescimus? Vnde porro Deum habemus propitium, nisi quia non intrat nobiscum in iudicium? Fatentur nunquam, nisi gratis, remitti peccata propter Christum: sed hoc in suspensio relinquunt, quibus & quando remittantur, dum omnes conscientias tranquilla fiducia spoliant. Vbi igitur audacia illa, de qua alibi dicit Paulus, & accessus cum fiducia ad Patrem per fidem Christi? Non contentus fiducia nomine, audacia nos instruit: quae certè plus quicquam est, quam certitudo. Quid etiam quod certitudinis vocem aliquoties vsurpat? Neque alibi eam fundat, quam in sola gratuita DEI amoris persuasione. Imò

omnem

omnem veram Dei inuocationem isti evertunt, cum piorum animos trepidatione suspendunt, quæ sola nobis ianuam præcludit. Qui hæsitat, inquit Iacobus, Iaco. 1. similis est fluctui maris, qui à vento circumfertur. Non ergo existiment tales, se quicquam impetraturos à Domino. Sed qui vult exorare, nihil hæsitet. Notanda est antithesis inter fidem, & hæsitationem: vnde colligere promptum est, fidem destrui, simul ac tollitur certitudo.

Sed quò melius tota eorum theologia patefiat lectoribus, expendant, quæ in eodem capite sequuntur verba. Sed neque illud afferendum, oportere eos qui verè iustificati sunt, absque dubitatione apud se ipsos statuere, se esse iustificatos. Si ita est: videant quæ ratione conciliari queat ~~illud~~ cum dubitatione. Illam enim Paulus fidei perpetuam facit comitem. Taceo quòd instar axiomatis hic ponunt, quod Paulus pro ingenti absurdo ducit. Si ex lege est hæreditas, inquit, exinanita est fides. Fidei nullam fore certitudinem argumentatur, si operibus nitatur salus hominum. Non dubitat hoc pro absurdisimo in medium proferre. Et meritò. Cùm mox, abolitam quoque esse promissionem, inde colligat. Pudet autem me quasi de re ambigua contendere, cum ijs qui se Christianos appellant. Clara est Scripturæ doctrina: Scimus, inquit Ioannes, nos esse filios Dei. Et postea, vnde hæc scientia nascatur, exponit: nempe, ex Spiritu quem dedit nobis. Sicut & Paulus admonet, non mundi spiritum nos accepisse: sed Spiritum qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Alibi etiam expressius: Non accepimus iterum spiritum seruitutis in timorem: sed adoptionis Spiritum, in quo clamamus Abba, Pater. Hinc accessus ille cum fiducia & audacia, cuius paulò antè meminimus. Et sanè totam fidei naturam ignorant, qui eam dubitatione miscent. Si dubitaret Paulus: non auderet morti & inferis insultare, quem admodum facit Rom. octauo, vbi se tam certum esse iactat de amore Dei, vt nihil eum ab ista persuasionem dimouere queat. Non auderet, capite quinto, gloriari super spe gloria Dei. Quod ex eius verbis liquidò apparet. Causam enim assignat: quod charitas Dei in corda nostra diffusa sit, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Quo significat, conscientiam nostram, testimonio Spiritus sancti acquiescentem, intrepidè apud Deum de spe æternæ salutis gloriari. Sed non mirum est, si hæc, quam Spiritus Dei piorum cordibus obsignat, certitudo, sophistis ignota est. Sic enim fore prænuntiavit Christus: Mundus eum non cognoscet: sed vos soli apud quos manet. Non mirum est, eos, qui abiecto fidei fundamento, in opera potius recumbunt, huc & illuc vacillare. Verissimum enim est illud Augustini: Quia non secundum merita nostra, sed secundum eius gratiam firma est promissio: nemo debet cum trepidatione prædicare, de quo non potest dubitare.

Videntur tamen quibuslibet obiectis ingeniosè occurrere, cum de Christi gratia generale persuasionem commendant. Prohibent, ne quis dubitet de efficacia mortis Christi. Sed vbinam locari voluit? In aere: vt confusa tantum sit imaginatio. Nemini enim permittunt sibi gratiam, firma certitudine fidei, applicare. Quasi de nihilo destinentur nobis istæ promissiones: Ecce Rex tuus venit. Vos hæredes estis promissionis. Complacuit Patri in te. Iustitia Dei in omnes & super omnes qui credunt. Sanè si concedant, fide nos percipere quod Deus offert: non ita mihi, & alijs proponitur Christus, vt tantum credamus Abraham fuisse redemptorem: sed vt quisque sibi propriam, quæ ab ipso parta est, salutem faciat. Et cuius

obsecro, improbitatis est id asserere: Nemo scire fidei certitudine potest, se gratiam Dei consecutum? Paulus & Ioannes inter Dei filios non agnoscunt, nisi qui id sciunt. De qua scientia id interpretabimur, nisi quam Spiritus sancti magisterio didicerint? Præclare enim Bernardus: Fide hic nobis subuenire necesse est: hic oportet succurrere veritatē: ut quod de nobis latet in corde Patris, per Spiritum reueletur: & Spiritus persuadeat cordibus nostris, quod filij Dei simus. Persuadeat autem, vocando & iustificando gratis per fidem. Quod si Paulus, dum Corinthios hortatur ut semetipsos probent sintne in fide, omnes reprobos pronuntiat, qui Christum non cognoscunt in se habitantem: ego cur verear bis reprobos pronuntiare, qui tale examen à tota Ecclesia procul arcent, ac de gratia Dei nihil certi reliquum faciunt?

Serm. 5.  
in dedic.  
temp.

2. Cor. 13:

Lib. De  
ciuit. Dei  
19. c. 27.

Lib ad  
Bonif. 3.  
c. 5.

Galat. 3.  
Iaco. 2.

Capite vndecimo, vbi incrementa iustitiæ describunt, non modò gratuitam iustitiæ imputationem confundunt cum operū meritis, sed illam propemodū exterminant. Verba sunt: Crescere fideles in iustitia bonis operibus per obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ; magisque inde iustificari. Saltem si hac Augustini exceptione vteretur: Iustitiam fidelium, quandiu degunt in mundo, magis peccatorum remissione constare, quàm perfectione virtutum. Tametsi sine illa quidem operum iustitia, quam contempnim nominat, nitendum vlla ex parte docet. Vnam enim piorum omnium, qui sub carnis infirmitate gemunt, spem esse hanc prædicat, quòd mediatorem habent Iesum Christum, qui sit pro peccatis eorum exoratio. Contra Tridentini patres, vel emptiij potius monachi, qui tanquam Latini tibicines, quaecumque volunt carmen illis componunt: modis omnibus discipulos suos auocantes à gratiæ intuitu, falsa operum fiducia excæcant. Libenter sanè confitemur, quotidiano bonorum operum profectu crescere debere fideles: bonaque eorum opera, quibus ornati sunt à Deo, interdum iustitiæ titulo insigniri. Verum, cum hæc tota operum dignatio non ex alio fonte manet, quàm gratiæ acceptionis: quàm absurdum foret, hanc ab illa labefactari? Cur non reminiscuntur, quod pueri in scholis didicerunt: non pugnare quod subordinatur? Dico gratuita imputatione fieri, ut coram Deo iusti censeamur; dico, inde quoque alterum beneficium prouenire, ut Iustitiæ nomen habeant opera, quæ procul alioqui à iustitiæ veritate abessent. Denique, non proprio merito, sed fide sola, tam personam, quàm opera iustificari affirmo: & ex personæ iustificatione hanc operum, tanquam ex causa effectum, pendere. Ergo & ordine ita præcedat, & gradu ita superemineat necesse est vnica fidei iustitia, ne quid eam vel præuertat, vel obscuret. Proinde iniquissima est calumnia, gratuita iustitiæ meritoriam nescio quam substituere: ut semel nos gratis Deus momento vno iustificet: nos autem tota vita legis obseruatione, iustitiam ipsi nobis comparemus. De obseruatione mandatorum Dei, hoc mihi velint nolint fatebuntur: multum à perfectio eius complemento distare omnes mortales. Nunc mihi respondeant: an qualiscumque eius pars, iustitia sit, aut pars iustitiæ. Posterius hoc strenuè asserent. Verum repugnat Scriptura, quæ hunc honorem, nisi perfectæ obedientiæ, nequaquam tribuit: Qui fecerit hæc, viuet in ipsis. Maledictus autem qui non compleuerit omnia. Item, Qui defecerit in vno, factus est omnium reus. Nemo est qui non agnoscat, etiam me tacete, maledictioni subijci nos omnes, quandiu in legis obseruatione claudicamus: proinde aliunde mutandam esse iustitiam, quando quidem operibus ablata est. Demandatis Ecclesiæ

quæ permiscet, alibi dicendum erit. Obiter tamen moniti sint lectores, nullum hîc omitti impietatis genus. Quis enim sacrilegium hoc excuset, quòd suis etiam inuentis iustificandi vim arrogare non dubitant? Id ne Pelagius quidem vnquam tentauit. Impianempe persuasione fascinare miseros homines conatus est, quasi diuina legis obseruatione, iustitiam acquirere sibi ipsi possent: humanis verò legibus tantum deferre, nunquam illi venit in mentē. Est enim execrabilis in Deum blasphemia, ubi eò temeritatis prorumpit quisquam mortalium, vt suis traditionibus vitæ aeternæ mercedem assignet.

Sed quò me vertam? Loquitur enim sacra Synodus, quæ errare in Scripturæ interpretatione non potest. Habet autem Scripturæ testimonia: primùm ex Ecclesiastico: Ne verearis vsque ad mortem iustificari. Vna, opinor, ratio est, qua me expediam. Locum inspiciant lectores, & à bonis patribus impudenter corruptum fuisse inuenient. Dicit enim scriptor ille: Ne verèris, hoc est, prohibearis vsque ad mortem. Quanquam potius vertendum erat, Ne differas: nam Græcum verbum est *μᾶλλον*. Inuehitur enim aduersus eorum fœcordiam, qui suam ad Deum conuersionem procrastinant. Quod de initio dictum est, religiosi patres ad progressum, non tantùm crassa inscitia, sed aperta etiam malitia falsò referunt. In loco Iacobi plus aliquanto coloris habent. Verùm, quisquis scripta nostra legit, satis intelligit, nihil etiam illis Iacobum suffragari. Iustificationem quippe non pro causa iustitiæ, sed pro approbatione tantùm accipit. Quod ex contextu planè liquet. Plusquam ridiculum verò est, quòd inde hominem colligunt iustificari bonis operibus: quoniam Ecclesia sibi fidei, spei, & charitatis augmentum precatur. Quis istis crepitaculis non terreatur, nisi qui planè puer non est?

Capite duodecimo, vetus illud anathema renouât: ne quis Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum impossibilia dicat. De voce Impossibilis litigare, nihil attinet: mihi abundè sufficit: sufficere etiam debet pijs omnibus, ac minimè contentiosis: neminem extitisse vnquam, qui legi Dei satisfecerit: nec vllum posse inueniri. Quid enim? An Spiritum sanctum arguamus mendaciæ, qui vniuersos non vnus tantùm seculi homines, transgressionis reos peragit: sed quotquot vsque in finem mundi futuri sunt? Non est homo super terram, inquit Solomo, qui non peccet. Dixerat autem Dauid, Non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens. Si possibile est aliquem inueniri, qui legem impleat, retractet Spiritus sanctus hæc oracula. Sed absit, vt diabolica hominum superbia aeternū veritatis authorē faciat mendacem. Quinetiam euanesceret illud Pauli argumentum. Scriptum est: Maledictus omnis qui non permanferit in omnibus quæ scripta sunt. Ergo quicumque sunt sub Lege, maledictioni sunt obnoxij. Promptum enim erit excipere: Legem posse impleri. Sed Apostolus pro confesso principio sumit, quod anathemate isti damnant. Itaque alibi, cum seruitutem deplorat, qua ipse cum sanctis omnibus premebatur, non aliud remedium tandem inuenit, nisi vt liberetur à corpore. Vexabant etiam Augustinum hac calumnia Pelagiani. Fatetur Deum, si velit, posse quidem homines ad tantam perfectionem euehere: sed neque fecisse vnquam, nec facturum: quia aliter Scripturæ doceant. Ego autem vltèrius progredior: ac impossibile esse assero, quod Scripturæ nunquam futurum pronuntiant. Quæquam si de locutione agitur: ea quoque expressa est à Petro, Acto. 15. cum legem iugum appellat, quod nullus patrum ferre potuerit. Fallitur enim qui putat, ad ceremonias tantùm

Iaco. 7.

1. Reg. 8.  
Psal. 143.

Galat. 3.

Rou. 7.

hoc spectare. Quid enim tam arduum continebant ceremonia, ut omnes humana vires sub earum onere deficerent? Sed proculdubio significat, impares fuisse ab initio vniuersos mortales legis obseruationi, hodièque esse: ideo nihil restare, nisi ut confugiamus ad Christi gratiam, quæ, soluto legis iugo, sub libera custodia quodammodo nos continet. Ac notandum, de regeneratis ipsam loqui: ne cauillentur Tridentini patres, de carnis infirmitate id esse dictum, ubi abest auxilium Spiritus. Prophetas enim, & patriarchas, & pios reges, ut cunque Dei Spiritu adiuuarentur, ferendo legis iugo pares fuisse negat: nec ambigè pronuntiat, impossibilem fuisse legis obseruationem.

1. Ioan. 5. At, Scripturam ipsi quoque ex aduerso testem producunt. Nam Ioannes mandata eius non esse grauiam tradit. Fateor: modò ne illam, de peccatorum remissione doctrinam, excludas, quam omnibus mādatus præponit. Nam, si graue non sit legem præstare, homines mihi complures absque peccato reperies, qui Deum faciant mendacem: quod ab eodem Ioanne traditur. Sed a simi isti non considerant, inde pendere facilitatem, de qua Ioannes loquitur, quòd sancti paratum habent remedium, quo defectus suos suppliant: dum scilicet ad veniã confugiunt. Hinc etiã fit, ut suaue sit Christi iugum, & onus eius leue: quòd sanctis alacritatè faciat sua libertas, dum se nò amplius sub lege esse agnoscunt. Nam & hunc tanquã optimũ exhortationis stimulam illis adiuuat Paulus. Et Dauid idè docet: Apud te est propitiatio, ut timearis. Illam mihi veniã spem tolle: & minimum legis mandatum onus erit Aethna grauius. Verùm, quid hoc ad otiosos monachos, qui ne minimo quidè digito unquam attigerunt mandatorum obseruationem, de cuius facilitate tam audaciter garrunt? Imò suum Epicurismum apertè produnt, vel hoc vno dogmate.
- Rom. 7. Quid enim? Ecce eximius ille Apostolus se captiuum teneri gemit, quominus legi, ut par est, obsequatur: morbumque incurabilem esse clamat, donec morte sanetur. Isti robusti doctores suauiter ridet: frustra que talis querimonias fundi canunt, cum leue sit Christi onus. Subijciunt postea: Christum diligunt sui discipuli. Qui autem diligunt eum, seruant eius sermonem. Hoc totum verum est. Sed ubi Christi perfectus amor? Vbi inquam amor ille ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus? Nempe ubi caro non concupiscit aduersus spiritum. Ergo nequaquam in hoc mundo. Christum itaque serio & sincero cordis affectu diligunt sui discipuli: & pro mensura dilectionis sermonem eius seruant. Sed hoc quantum est, præ illa tam exacta perfectione, cui nihil omnino desit?

Nunc attendat sani lectores, quam benè cohæreant patrum dicta. Vbi legem à fidelibus impleri posse, fortiter asseruerunt, fatètur etiam sanctissimos saltem in leuia & quotidiana peccata interdù cadere. Primum quæro, an vllum sit omnino quamlibet leue peccatum, quod nò legis obseruantia repugnet. Quæ enim vitiosa cogitatio obreperet in hominis animum, si totus Dei amore occupetur? Non autem satisficit legi, nisi cum diligitur Deus ex toto corde. At non propterea desinunt esse iusti: fateor. Sed vnde id, nisi quia beati sunt, quibus non imputantur peccata? Quòd si iustos operibus esse volunt, ut hac fiducia nitantur eorù conscientia apud Deum: primum fidem euertunt, & iniuriam faciunt gratia Dei minimè ferendã. Deinde, nihil asserunt, quod impiam ipsorum persuasionem iuuet, de possibili legis obseruatione. Nam si pro nihilo ducant leuiore, quos vocant, lapsus: insonat horribilis illa supremi iudicis sententia: qui vnum ex minimis istis mandatis contemp-



psferit, minimus vocabitur in regno cœlorum. Quanquam scire velim, quæ vocent saltem leuia peccata: (sic enim extenuandi gratia loquuntur:) & cur potius quandoque dicant iustos in ea cadere, quàm assidue, vel identidem. Vix enim momentum præterit, quo non cōtrahamus nouum aliquem reatum. Leuia peccata illis sunt omne genus concupiscentiæ, quæ nos ad quæuis mala sollicitant: tentationes item omne genus, quæ nos vsque ad Dei blasphemias impellunt. Quicquid sit: in manifesta contradiciōne hîc tenentur.

Quæcunque postea continentur in eodem capite, nihilo plus causæ præsentis seruiunt, quàm si quis ex pedum ingressu probare velit, manus non palpare. Aliquot ad piam vitam exhortationes colligunt. Quid tandem inde extorquebunt, nisi quod centuplo melius, & longè alia energia, tum ex scriptis, tum ex concionibus nostris, tum ex quotidianis etiam sermonibus disci potest, non ad immunditiam nos esse vocatos, sed ad sanctificationem: apparuisse Dei misericordiam, vt, abnegatis carnis cupiditatibus, piè & sanctè viuamus in seculo: nos cum Christo resurrexisse, vt cœlestia cogitemus. At magnum quiddam videntur sibi effecisse, dum colligunt, frustra gloriari cœlesti hereditate, qui passionum Christi confortes esse nolunt. At nos id ipsum quærere melius iudicent lectores. Vnum tamen interest, quòd nos, dum communicandum esse docemus passionibus Christi, vt ad societatem perueniamus beatæ resurrectionis, non separamus Christum à seipso. Isti, quod nullo modo sequitur, perperam inferunt: nos patiēdo mereri vitam æternam: & in eo sitam esse iustitiæ nostræ partem, ne sola Dei gratia nitamur.

1. The. 4.  
1. Tit. 2.  
Colo. 3.

Rom. 8.  
1. Tim. 2.

Verum, improbius etiamnum ludunt in sua consequentia: nam inde colligunt, inimicos esse religionis Christianæ, qui iustos tradunt in omni bono opere, saltem venialiter peccare. Scire velim, ex qua dialectica tales consequentias didicerint. Sic currite, vt præmium apprehendatis. Ergo in bonis sanctorum operibus, nihil est reprehensione dignum. Nonne ter bestias esse oportet, quibus bestia ista persuadebunt, à Spiritu sancto proficisci tales nãnas? Verum, hac quoque insulsi- tate præterita, rem ipsam videamus. Concedant, necesse est, opera ex interiore potius animi affectu, vnde manant, & ex fine quo spectant, æstimanda esse, quàm ex larua externa, quæ hominibus apparet: cor enim intuetur Deus, vt Samuëli dictum est: & oculi eius veritatem respiciunt, vt monet Ieremias. Nunquã autem perfecto nos Dei amore ferri aq; ad obsequendum eius iustitiæ, plus satis cõstat. Varijs enim cupiditatibus retrahimur à cursu, vt vix ambulemus, cum summa contentiōne festinare Deus præcipiat: vixq; teporè afferamus, pro summo ardore. Quòd si defectũ hunc, præ hypocrisi, non sentimus, Deus tamen cernit & iudicat: in cuius conspectu ne stellæ quidem liquida sunt, nec sol lucidus. Deniq; septimũ caput ad Rom. controuersiam istã dirimit: vbi in sua piorumque omnium persona, fitetur Paulus, se à perfectione distare, etiã cum optima est voluntas. Quare, blandiatur sibi homo, vt libet: si tamen in iudiciũ Dei, vel præstantissimũ opus, quod vnquam fuerit, vocetur, nãno aliquo reperietur deformatum. Atqui, Deo probatur. Quis negat? Tantũ contendimus, fieri non posse, vt absque venia placeat. Quid autem est, quod Deus ignoscat, nisi peccatum? Inde simul conficitur, non esse tantopere exagitandos, qui dixerunt, quamlibet bona opera, si exacto rigore censeantur, æterna potius damnatione, quàm vitæ præmio digna esse: vbi enim peccatum, quamlibet nobis exiguum videatur, illic nemo sanus mortis esse materiam negabit. Fit

1. Cor. 10.

Cap. 5.

Iob. 4.

tamen immensa Dei misericordia, ut in cœlo mercedem habeant, quæ non modo nihil tale merebantur, sed mortis æternæ præmium habitura erant, nisi per Christum absterfa esset immundities, qua alioqui scœdata erant. Porro, quàm inepta sit argumentatio, quæ ex nomine Mercedis, dignitas, aut meritum elicitur, multis locis docui. Nec obscura est ratio: cum retributio ipsa, quam sophistæ in merito fundatam volunt, à gratuita acceptione pendeat.

Capite decimo tertio, si tantum quod præfert titulus agerent, me quoque haberent subscriptorem. Sed quia se temeraria præsumptioni velle occurrere professi, huc toto studio incumbunt, ut totam suæ electionis fiduciam ex piorum animis deleant, hic repugnare illis cogor: quia Scriptura palam repugnat. Quorsum enim Paulus, primo ad Ephesios capite, tam prolixè de æternæ Dei electione concionatur, nisi ut persuasum habeant, ea se cooptatos esse in vitam æternam? Nec sanè cõiecturis opus est: sæpius enim ita concludit: debere ita Ephesios habere in animis suis constitutum: se vocatos esse, & Euangelij factos participes: quemadmodum, antequam mundus conderetur, in Christo electi fuerat. Capite item ad Rom. octauo, nominatim electionis doctrinam cum fidei certitudine coniungit. Fateor equidem, & sedulo nos omnes docemus, nihil esse magis perniciosum, quàm in arcanum Dei consilium inquirere, ut inde electionis nostræ notitiam petamus: adeoque hanc esse voraginem, quæ nos in exitium absorbeat. Sed cum æternæ nostræ adoptionis speculum nobis in Christo proponat cœlestis pater: nemo quid nobis per Christum datum sit, verè tenet, nisi qui secum certò statuit, se illi à Patre datum esse, ne pereat. Quid enim? An de nihilo hæc dicuntur? Patrem, qui nos in Filij sui tutelam ac fidem tradidit, maiorem esse omnibus? Nec passurum esse Filium, ut quicquam pe-  
 10a. 6. c. reat? Imò, ideo dicuntur, ut quicumque sunt filij Dei, tali saluis suæ freti custode, inter media pericula tutos se esse non dubitent: imò, periculis infinitis obsessi, suam salutem extra periculū esse confidant, quia in manu Dei sit. Sed enim quos Deus elegerit, nisi ex speciali reuelatione, sciri posse, negant. Concedo. Atque ideo dicit Paulus, non spiritum nos huius mundi accepisse, sed Spiritum, qui ex Deo est: ut sciamus quæ à Deo nobis donata sint. Donum autem alibi interpretatur adoptionem, quæ censetur inter eius filios: quam adeò vult nobis certam esse, ut clara voce de ipsa gloriemur. Caterum, quid per specialem reuelationem designent, non me latet.  
 1. Cor. 7. Ego autem eam voco, quæ filios suos peculiariter dignatur Pater cœlestis. Nec eam, qualem prædico, ex me ipso comminiscor. Nota enim sunt Pauli verba: Nobis, inquit, quæ abscondita sunt humanis sensibus, reuelauit Deus, per Spiritum suum, qui etiam Dei profundissima scrutatur. Item: Quis mentem Domini cognouit? Aut, quis consiliarius eius fuit? Nos verò mentem Christi tenemus.

Videmus ergo in summa, ut venerandis patribus nihil aliud sit temeraria damnataque præsumptio, nisi sancta reuelata nobis per Christum nostræ adoptionis fiducia, ad quam ubique suos Deus animat.

Prohibent capite decimo quarto, ne quis perseverandi cõstantiam sibi, absoluta certitudine, ex Deo polliceatur: tamen si firmissimam de illa spem in Deo collocari, non improbant. Sed nobis primùm ostendant, quoniam cæmèro coagmentari queant res tantopere inter se dissidentes, firmissima spes, & suspensa expectatio. Nam certè, qui ita expectat vitam æternam, ut absoluta certitudine non nitatur, cum varijs dubitationibus circumagi oportet. Talem spei naturam, nequaquam describitur.

scribit Paulus: cum se certò persuasum esse cōmemorat, neq; vita, neq; morte, neq; presentibus, neq; futuris dissolutum iri charitatem, qua ipsum complectitur Deus Rom. 8. in Christo. Hoc non diceret, nisi vltimum vitæ finem superaret spei Christianæ certitudo. Et quid promissiones sonant? Non modò pronuntiat Spiritus, iustum fide Aba. 2. sua viuere, sed victurum esse. Huc ergo spes se extendat oportet. Quod etiam demonstrat Paulus, cum hoc illi tribuit, quòd per patientiam expectet, quæ adhuc sunt abscondita. Atqui, spem non tollunt, sed absolutam certitudinem. Quid? an dubiæ opinionis, vel coniecturæ vox est, cum tam intrepidè assueverat Paulus, repositã sibi 2. Tim. 4. esse coronam iustitiæ? An aliquid est cōditionale in istis verbis, dum nobis datam adoptionis nostræ arram prædicat, vt Deum audeamus, alta voce, Patrem clamare? Confugiunt ad illud, quod iam ipsis excussi, friuolum cauillum: id ex speciali reuelatione Paulum habuisse. At nihil sibi tam speciale arrogat, quod non cunctis fidelibus secum faciat cōmune: cum tam audacter morti simul ac vitæ, presentibus ac futuris insultat, suo pariter & omnium nomine. Nec sibi vni priuatim vindicat Ioannes scientiam illam, qua gloriatur, cum dicit: Scimus, nos similes futuros Deo: 1. Ioan. 3. Rom. 5. 2. Cor. 5. quia videbimus eum sicuti est. Atque idem Paulus, cum dicit: Gloriamur super spe gloriæ Dei. Item: Scimus, cum terrenum hoc tabernaculum ceciderit, nobis domicilium in cælo paratum esse.

Fucum faciunt ex eo quod habetur vndecimo ad Rom. capite: Qui stat, videat ne cadat. Cuius duplex est solutio: nam neque aliud quàm carnis arrogãtiam illic cohibet Paulus, quæ cum spei certitudine nihil commune habet: neq; solos compellat fideles: sed quicumque ex Gentibus Christo nomen dederant: inter quos permulti esse poterant inani confidentia turgidi. Nam quæ illic ponitur Iudæorũ cum Gentibus comparatio, non ad solos electos restringitur: sed omnes comprehendit, qui titulo tenus ad Ecclesiam pertinebant. Ego tamen vnica illa responsione contentus ero, quia abundè sufficit: non præcipi nobis timorem, qui vel tantillum minuat de fidei aut spei certitudine: sed tantum qui nos in Dei timore sollicitos contineat. At nondum in gloria renati sunt, sed duntaxat in spem gloriæ: & multum adhuc pugna restat: nempe, si inde colligerent, excutiendum igitur esse torporem, nec securitati indulgendum, nemo sanus non illis subscriberet: sed cum, hoc quasi ariete, spei nostræ firmitudinem concutere moliantur, cum nos ad formidinem impellunt: minimè verò id ferendum est: nam quòd exceptionẽ addunt ad Pauli sententiam, tunc demum à Deo perfectum iri in nobis opus salutis, quod inchoauit, si non defuerimus eius gratiæ, nimis inscitè faciunt: quia non obseruant, hanc quoque esse partem gratiæ, quòd Deus nobis adest, ne gratiæ suæ desimus. Neque tamen occasionem dare socordiæ debet hæc doctrina: tantum agnoscant homines, quid Deo acceptum referre, & quid ab eo expectare debeant.

Optarem multa præterire, si liceret sine præuaricationis nota: sed quid facerem? Vix vnus est versus, qui non aliquo notabili errore conspersus sit: & qui dissimulationem non ferat. Capite decimo quinto, vbi de reparatione post lapsum tractant, aptam esse pœnitentiæ definitionem asserunt, quòd dicit Hieronymus, esse secundam tabulam à naufragio. Si dictum Hieronymi vellem exagitare: rogarem, cur non & tertiam & quartam appellauerit. Quotus enim quisque est, qui non nisi vnum naufragium tota vita faciat? Imò, quis vnquam repertus est, quem non ex quotidianis naufragijs eripuerit Dei gratia? Sed cū Hieronymo nihil est mihi

negotij in presentia. Tridentini patres non de pœnitentia tractant, sed de pœnitentia Sacramento, quod à Christo institutum fingunt. Vbinam? Quia dixit: Accipite Spiritum sanctum. Quorum remisit peccata, remissa erunt. Primum, si Christus hac auctoritate donauit Apostolos, estne propterea sacramenti institutio? Vbi symbolum? vbi forma? Deinde, quis ignorat, munus illic fuisse Apostolis iniunctum, quo erga extraneos fungerentur? O patrū aures bene patulas, quas tam insulsæ deliri monachi ineptiæ præterfluere nullo obstaculo potuerint! Christus testimonium, quod de peccatorum remissione Apostoli reddituri erant mūdo, confirmat. Ea porrò legatio est, quæ per Euangelium defertur: & quidē in Ecclesiam nondum cooptatis. Blatero qui spiam, ex monachis qui Concilium regunt, cū nunquam locum fortè inspexisset, certè nunquam expendisset, commentum suum recitauit, præscribi illic formulam, qua in statū gratiæ restituerentur, qui post baptismum lapsi erant. Patres ad se quipedem vsque auriti, annuerunt. Locus tamen ipse clamat, impudenter se aliò fuisse detortum, quàm oportuit. Inde inferunt, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum, longè aliam esse à baptismali. Quasi vnā tantum speciem attingat Christus: ac non potius idem, quod Lucæ xxiiij. doceat, prædicandam in suo nomine esse pœnitentiam & remissionem peccatorum.

Utrā se proripiunt: constare hanc, de qua nugantur, pœnitentiam, non tantum contritione cordis, sed oris confessione, & operum satisfactione. Quanquam ne parum clementes appareant, rigorem legis suæ mitigant, dum confitendi voto se placari sinunt. Quid longam hic disputationem ordiar? De remissione peccatorum agitur: quæ salutis est scientia. Eam nobis gratuitam promittit Deus, in Christi sanguine: de auriculari confessione verbum nullum facit. Noui isti legislatores confitendi formulæ alligant, præter Dei mandatum: & satisfactione redimi asservunt. Quid miseris conscientijs reliquum fiet, si discedere cogintur à Dei verbo, vt in hominum placitis acquiescant? Cupio salutis meæ fieri certior. Via mihi simplex in verbo Dei monstratur, quæ me in solidam, tranquillamq; tanti boni possessionem rectè inducat. Nihil dicam amplius. Homines sunt, qui iniiciunt manum, ac confitendi necessitate me obstringunt, qua me soluit Christus. Satisfaciendi onus mihi imponunt, vt à me ipso afferam, quod à suo vnus sanguine petendū, ostendit Christus. An mihi diu ambigendum est, quidnam facere expediat? Imò verò faceat omnis consultatio, vbi ab vnico salutis authore abducimur. Millies licet crepent, syllaba nulla reperietur, vbi Christus in aurem hominis confiteri peccata iubeat. Quæcunque de peccatorum remissione extant promissiones, ne tenuissimā quidem eius rei mentionem faciunt. Apostolis fuit ea lex prorsus incognita. In tota Ecclesia Orientali, nullus vnquam propemodum vsus fuit. Imò, vbique gentium diutius mille annis libera fuit observatio: donec Innocentius tertius, cum paucis corruptis bestijs, laqueum hunc populo Christiano induit, quem Tridentini patres adstringunt. Quod dico, satis superque testatum est veteribus historijs. Testimonijs referti sunt nostri libri. Atque horum nihil ignorant, qui Concilio dicarūt præclaram hanc formulam: & tamen tam sunt impudentes, vt persuadere vno verbo velint, clausam esse salutis ianuam, nisi fictitiæ confessionis clauē aperiatur. At verò, quis tantum eis licentiæ concedat, vt qua velint conditione imposta, Christi promissiones restringant: adeoq; claudant quod ille aperit? Non disputo in presentia, quàm crudelis sit tarquendis ac excrucians cōscientijs carnificina, lex illa

Innocentij, quam iterum promulgant: quàm multos in desperationem egerit precipites: quale ad alios sopiendos, hypocriseos condimentum fuerit: quot ex ea flagitiorum monstra scaturierint. Quinetiam, fingamus quod ipsi falso iactant, nonnihil inde utilitatis manare: totum hoc tamen nihil ad rem faciet. Quæstio enim vertitur: quomodo in Dei gratiam restituantur, qui ab ea exciderunt. Scriptura ubique modum ostendit, confessionem non attingit: quæ longo post tempore in humanis cerebris excusa est. Cuius audacia est, ad spem veniæ obtinendæ aditum præcludere, nisi accedat eiusmodi confessio, quam præscribere libuerit? De pœnitentia habetur sermo. Eius totam vim ac naturam tam frequenter, tam copiosè, tam apertè depingit in Lege, in Prophetis, in Euangelio Spiritus sanctus, ut nulum sit doctrinæ caput luculentius explicatum. De confessione, qualem isti fingunt, altum ubique silentium. Quis ergo credet negantibus veram esse pœnitentiã, cui non adiuncta sit illa appendix: imò, nisi eam sub se contineat? Hæc mihi duo abundè sufficiunt: quòd pœnitentiã prorsus aliam confingunt, quàm quæ nobis in Scriptura commendatur: & impetranda peccatorum remissioni conditionem statuunt, quæ nos solutos esse voluit, penes quem vnum remittendi est potestas. Hoc verò posterius, perinde valet, ac si Deum vetarent salutem promittere, nisi ex suo permissu: vel saltem illi se opponerent ne fidem salutis, quam dedit, præstare audeat. Neque enim aliter illi permittunt peccatorum facere veniam, quàm si religione, qua nos ipsi obstringunt, exoluti fuerimus.

Quòd ad satisfactiones spectat, subtiliter distinguere sibi videntur, cum fecem corradunt ex putridis sophistarum commentis: non æternas quidem pœnas scilicet, sed temporales satisfactionibus pensandas esse. Quis sophistis nesuebat ita garrire? Quanquam dum pœnam æternam, vna cum culpa, nobis confessione remitti fingunt, vel confitendi voto: quid aliud sibi volunt, quàm nos opere promereri, quod gratuitò se daturum promittit Deus? Sed nunc videndum quid valeat distinctio. Prophetæ sanè, cum gratuitam peccatorum remissionem commemorant, ferè referunt ad alterum illum finem, placatum fore Deum, ne amplius vindicet populi scelera, vel flagellus suis persequatur. Quisquis in Scripturæ lectione mediocriter versatus est, verissimè esse agnoscat, quod dico: mitigari, laxari finiri deniq; pœnas, quibus digni eramus: quia nobis Deus ignoscit, non merito aliquo nostro, tanquam compensatione placatus, sed sola prouocatus sua misericordia. Exilium Babylonicum pœna temporalis erat. Quòd septuaginta annis terminatur, cum longè magis diuturnum promeriti essent Israelitæ, id gratuita suæ clementiæ acceptum vult ferri Deus. Ac passim hic fructus commemoratur gratuita reconciliationis, quòd cessant flagella, quæ se inflicturum Deus minatus erat. Pœnæ certè temporalis relaxationem his verbis promittit Deus: Nō propter vos faciam, sed propter nomen meum. Et Iesaias, cum admonet satisfactionem, aut pretium pacis nostræ impositū fuisse Christo, non ab æterna modò pœna nos fuisse eius beneficio liberatos, sed ideo pœnas omnes, quibus solet peccata nostra vlcersi Dominus, aut castigare, ipsum subiisse nostra causa: ut quantumuis indigni, etiam præsentis vitæ bonis fruamur. At fideles nihilominus Deus etiamnum castigat. Fateor. Sed quomodo? An ut pœnas sumendo, sibi ac iudicio suo exoluat quod debetur? Minime: sed ut incusso iræ suæ terrore, eos humiliet: afficiat serio resipiscentiæ affectu, in posterum cautiore reddat. At remedia sunt, quibus easdem pœnas auerant: nempe, cum ipsi sponte præ-

Iesa. 48.  
53.

occupant, non est cur eos Deus quasi violenter trahat. Quorsum enim ferula, nisi  
 1. Cor. 11. cum deest voluntaria correctio? Proinde docet Apostolus, non iudicatum iri à Do-  
 mino, qui seipos iudicauerint. Sed quàm praposterum est, satisfactiones inde eli-  
 cere? Deprecati sunt pterique fidelium Dei flagella, quibus se fecerant obnoxios.  
 1. Reg. 21. Quinetiam Achab, vbi se vltro humiliat, mitiorem sentit Dei manum: sed ipse  
 quoque deprecationes, quibus vsi sunt sancti, locupletissimæ sunt testes gratuite  
 satisfactionis. Atqui, nihil afferunt, quod non testimonijs probent: sic enim docet  
 2. Cor. 7. Paulus: Tristitia, quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem, non pœniten-  
 dam efficit. Quid? An ad satisfactiones nos hîc reuocat Paulus? Nullum enim ver-  
 bum audio. Satis quidem improbè nobis illudunt. Improbius tamen quod sequitur:  
 Luc. 3. de eadem pœnitentia intelligendam esse Ioannis concionem: Pœnitentiam agi-  
 te: & facite fructus pœnitentiæ dignos. Sed enim quos compellabat Ioannes his  
 verbis? N'onne qui se ad Baptismum offerebant, nondum Christi fide imbuti? Pau-  
 lum absimile est, nec tamen minus absonum, quod citant ex Apocalypsi, cap. ij.  
 Memor esto vnde excideris: & primum opera fac: cum prima opera, vel priora il-  
 lic legantur. Hortatur scriptor Ephesios, vt ad pristinum vitæ statum redeant.  
 Qua fronte hoc ad satisfactiones trahetur? Cum tam proteruè albi nomen nigro  
 imponerent, putabântne fore oculos suæ nequitix aestimatores? Dixit aliquando  
 Iysander legatis in sociorû cœtu imperiosius locutis, quàm par esset: opus illis esse  
 ciuitate, quæ morigeram se illis præberet. Istis verò magistris opus esset bonum ar-  
 mento: si auditorium habere velint, cui persuadeant quod volunt. Nunc se imme-  
 diatè regi à Spiritu sancto iacent: cum in deprauandis Scripturæ testimonijs pal-  
 lam sint falsarij.

Vt summam colligamus: cum assidua debeat esse inter fideles pœnitentiæ  
 meditatio: rarum nescio quid esse imaginantur sancti patres. Cum Scriptura pœ-  
 nitentiam pronuntiet totius hominis esse innouationem: cum fontem ipsum desi-  
 gnet, timorem ex vero diuini iudicij sensu conceptum: partes enumeret, abnega-  
 tionem nostri, quæ constat peccati odio, nostræque prauitatis displicentia: & vi-  
 tæ nouitatem, aut regenerationem Spiritus, quæ nihil aliud est, quàm diuinæ in  
 homine imaginis instauratio: effectus sedulo notet, totamque eius naturam expli-  
 catè definiat: nihil afferunt venerandi patres, præter dilutas naniæ, quibus sub  
 Papatu adulterata fuit pœnitentiæ doctrina. Quæ ab Ecclesiasticis doctoribus de  
 externa disciplina dicta sunt, quæ ad solennem pœnitentiæ professionem specta-  
 bat: ea imperitè ad spiritualem renouationem detorquent, de qua sermonem insti-  
 tuerant. Ne longior sum in singulis recensendis: si quis præclaram eorum lucubrationem  
 cum scriptis nostris conferat: conuersam ab illis lucem fuisse in tenebras, in-  
 ueniet ac fatebitur.

Hactenus dedi operam, ne quid accusatorû continerent meæ censuræ. Atq;  
 id animaduertent a qui lectores, nihil me, nisi coactum, reprehendere. Sed nulla est  
 sententia, quæ non mihi plus extorqueat, quàm vellem. Qualis est, quæ habetur ca-  
 pite decimo sexto: Non infidelitate modò, sed quolibet peccato mortali, amitti ius-  
 tificationis gratiam. Si intelligerent, eijci nos à tanti boni possessione per malam  
 conscientiam, minimè pugnarem: nempe, quoad nos attinet. Tamen si enim non  
 abiicit nos Deus: mala tamen conscientia eiusmodi inter nos & ipsum dissi-  
 dij causa est, vt vinifica illa, & iustificatrice paterni erga nos eius amoris noti-  
 tia

ria minime fruamur. Sed in eo primum sunt præposteri, quòd nullum peccatum, nisi crassum & palpabile, mortale agnoscunt: cum pleraque interiora grauius, ad interitum usque, animos vulnerent: deinde quòd bonam conscientiam non intelligunt indiuiduam esse fidei comitem. Alioqui, quomodo staret illud, Fide purificari corda? Item, Bonæ conscientia responsionem esse ex fide resurrectionis. Item, Christum fide habitare in cordibus nostris. Item, Victoriam esse nostram, qua mundum vincimus. Item, Scutum esse repellendis Diaboli insultibus. Item, Fide nos in virtute Dei custodiri in salutem. Non ergo dubium est, quin sepulta sit, obrutaque fides in homine, simul atque victus est tentatione aliqua, vt à timore Dei discedat. Non enim magis Spiritus sanctificationis à fide, quàm Christus ipse separari potest. Neque tamen assero, cum excidimus à timore Domini, prorsus extingui in nobis fidem. Sed quemadmodum prauis concupiscentijs optrimitur Dei timor, ita hæc suffocari dico, vt vim suam nihilo plus, ad tempus, exerat, quàm si quodammodo esset intermortua. Astute scilicet cuniculum effodeve moluntur sancti patres, in quo dogma illud suum impium occultent: non sola fide nos iustificari. Sed quia hac non succedit, alia adorantur via.

Ephe. 3.  
1. Ioan. 5.  
1. Petr. 5.  
Ephe. 6.  
1. Petr. 1.

Supre est postremum caput, de merito bonorum operum. Nihil porro inter nos controuersia est, quin exhortandi sint ad bona opera fideles, & proposita etiam mercede stimulandi. Quid igitur? Primum, quòd vitam æternam faciunt mercedem, in eo ab illis dissentio: neque enim si in vita æterna Deus opera remuneratur, inde protinus conficiunt, vitam ipsam esse, quæ in ea reperatur, mercedem. Quin potius hæreditatem esse, vbique Scriptura clamat, quæ non alio, quàm gratuita adoptionis iure, nobis obuenit. Sed maior est in eo contradicenda materia, cum eos affirmare non pudet, nihil deesse fidei libus, quominus legi Dei, pro huius quidem vitæ statu, satisfecisse, & vitam æternam promeruisse censeantur. Vbi ergo erit illa beatitudo quæ à Dauide prædicatur, Psal. xxxij. sine qua sumus omnes ter miseri? Væ autem miseris istis, qui non intelligunt, eum qui proximè ad perfectionem accessit, non ad dimidium usque iter progressum esse. Nam verissimum esse illud Augustini sentiunt, quicumque exercitatum habent conscientiam: Sanctorum iustitiam in hac vita remissione peccatorum consistare magis, quàm perfectione virtutum. Verius etiam num illud alterum quod iam citavi quandiu sub carnis infirmitate genuit, vnicam illis solum reliquam esse, quòd mediatorem habent Christum, per quem Deo reconciliantur. Sed non mirum est, crassulos monachos, qui nullum vnquam certamen conscientie experti, nunc etiam vel ambitione inebriati, vel crapula, suo tantum idolo ventilare se cupiunt, de legis perfectione ita garrere. Eadem securitate cælum promercale exponunt, ipsi interea in præsentem mercede, cui inhiant, occupati. Frustra enim pulchris istis, quos postea inducunt, coloribus, oculos non prorsus hebetes tentant perstringere: dum prohibent, ne quis operibus vel gloriatur, vel confidat: quoniam sint Dei dona. Siquidem vt omittam, quòd humanis viribus maiori ex parte prius arrogarunt, quæ dona esse Dei nunc færentur: tria sunt in eorum decreto, quæ ferri non debent, errata. Nam etsi obiter attingunt, Christi merito bona priorum opera esse meritoria: quod tamen in primis necesse erat, prætereunt: nullum esse opus, quod non infectum sit labe aliqua, nisi Christi sanguine abluatur. Quin potius falsam operibus dignitatem affingunt, vt sine venia placeant. Speciosum quidem est quod obtendunt: fluere omnia à Spiritu Christi. Sed ubi absoluta Spiritus sancti virtus reperietur? Annon ad mensuram, vnicuique distribuitur? Debebant ergo obseruare, semper aliquid nostræ fecis admixtum, quod puritatem illam inficiat. Cum autem deformat coram Deo quicquid à nobis operum prodit, quæ

Lib. de ci  
uit. Dei  
19. c. 7.  
Lib. ad  
Bon. 3. c. 9

1. Cor. 12.

nobis inheret vitiositas: vnum superest, vt gratuita acceptione, gratiam, quam non habent à seipsis, recuperent. Id fit, dum in æstimationem non veniunt ipsa: sed suum à Christo pretium mutuuntur, & quasi emendant.

*Iaco. 2.* Hæc iam nimis crassa impiæque hallucinatio: non agnoscere, hoc solo demum nomine acceptum esse Deo quicquid operum à nobis prodit, cum paterna indulgentia, quicquid vitiosum est, ignoscitur. Altera autem ferè similis: quòd non reputant, si quid etiam opere vno sumus promeriti, totum id quantumcumque sit, contraria transgressione perire: Qui deliquerit in vno, factus est omnium reus. Quam tibi promittis mercedem, vbi nihil, quam mortis æternæ reatus indicitur? Faciunt itaque perperam, dum ad vnicum hoc remedium non confugiunt, vt liberali fauore dignetur Deus, si quid in nobis est boni, mala, quæ longè & numero & pondere superant, non imputando. Tertius verò error longè deterrimus: quòd salutis fiduciam ab operum intuitu suspendant. Verbo quidem vno prohibent, ne nobis fidamus: sed cum rursus in opera iubent intueri, vt eatenus nobis certa sit spes salutis, quantum illic reperiemus sperandi materiam? nonne totam in nobis fiduciam apertè locant? Itaque & clausulam adiungunt tali doctrinæ congruentem: dubio euentum militandum esse in hac vita: donec vnicuique Deus secundum eius opera rependat. Quo totam fidei nostræ gloriationem evertunt: vel vt Pauli verbo vtar, fidem exinaniant ipsam. At Paulus iustificatum se negat: etiam si nihil sibi sit confectus. Fateor, ideòque vt stabilis constet, ac tranquilla iustitiæ possessio, posthabita operum mentione, iudicem nostrum deprecari conuenit, vt ne in iudicium intret nobiscum. Hic enim vnicus securitatis nostræ portus est, quòd iudicis personam Deus exiit, vt se nobis Patrem exhibeat.

Rom. 4.  
1. Cor. 4.  
Psal. 143.

Psal. 10.

Nec tamen pudet istos porcos, territandis simplicibus seuam denuntiationem intonare: neminem iustitiæ compotem futurum, qui non firmiter teneat quod præscribunt. Quid? An noua iustificationis ratio nuper exorta est: ac non potius sicut vna est salus, ita eadem omnes ad ipsam peruenimus via? Quid ergo Prophetis & Apostolis fiet, qui operum talibus magister non dederunt? Proinde Tridentina schola valere iussa, eam teneamus fixam fidem, quam ex Christi Spiritu nobis Prophetæ & Apostoli tradiderunt, scientes vnde didicerimus. Caterum, ne cui obscurum foret, venerandos patres, ex eorum esse numero, quorum os maledictione plenum esse clamat David: totidem ferè, quot ipsi sunt homines, anathemata truculentis buccis desumpunt, quibus honorificum, & plausibile imponit Canonum nomina. Et tamen ne malignè agere videar, quasi eius, quam hæctenus seruauimus, moderationis sim oblitus, tribus primis libenter subscribo. Reliquis breues censuras attexam.

### CANONVM ANTIDOTVM.

In i. Canonem, ij. & iij. Amen.

In iij.

*Philipp. 2.* Dictum est supra, quomodo liberum arbitrium Deo assentiatur vocanti, & excitanti. Obsequimur certè Deo volentes: sed voluntate, quam in nobis formauit. Qui ergo motum aliquem libero arbitrio proprium tribuunt, & separatim à Dei gratia, nihil aliud quam Spiritum sanctum discerpunt. Neque verò Paulus volendi facultatem nobis dari, sed velle ipsum in nobis effici prædicat: vt non aliunde, quam à Deo sit assensus, vel obsequium rectæ voluntatis. Intus agit, corda tenet, corda mouet, eosque voluntatibus eorum, quas in illis operatus est, trahit: inquit Augu. lib. de correptione & gratia. cap. xiiij. Et qualis erit cordis ferrei à seipso præparatio, donec mirabili conuersione carneum esse cœperit?



cœperit? Quod solidum esse Dei opus, testatur Propheta. Dissentiet quidem à Deo hominis voluntas, quandiu erit contraria: verum si in obedientiam composita fuerit, iam sublatum est dissentendi periculum. Atqui eam esse diuinæ gratiæ efficaciam, ut subacta omni repugnantia, ex inuitis nos faciat obsequentes, non ipsi sumus authores: sed Dominus per Prophetam: cum se facturum promittit, ut in præceptis suis ambulemus. Item Christus, cum dicit: Quisquis audivit à Patre meo, venit ad me. Ioan. 6.

In v.

De verbo ne moueamus rixam. Sed quia per liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quæ sit in vtranque partem libera & soluta, titulum sine re esse, qui affirmant, Christum habent authorem, cum dicit, liberos fore, quos Filius liberauerit: alios esse seruos peccati. Libertas certè, & seruitus, contraria sunt. Quòd ad ipsam vocem attinet, audiant Augustinum: qui liberam hominis voluntatem esse negat, quandiu vincitibus & vincientibus cupiditatibus subdita est. Alibi autem sic loquitur: Victa vitio, in quod cecidit voluntate, caret libertate natura. Item, Libero arbitrio malè usus homo, & se perdidit, & ipsum. Item, Magnas homo liberi arbitrij vires, cum conderetur, accepit: sed peccando amisit. Non attendunt stulti homines, in liberi arbitrij nomine sonare libertatem. Si autem serui sunt peccati: quid se de libero arbitrio iactant? A quo enim quis denuctus est, huic & seruus addictus est. Quinetiam alibi palam nomen ipsum ridet. Liberum, inquit, arbitrium, sed non liberatum. Liberum iustitiæ, seruum peccati. Quid ergo tantopere succensent miseros homines admonentibus suæ seruitutis, ut ad liberatorem confugere discant? Epi. 144. ad Anast. Homi. 53. in Ioan. De perfect. iusti. Lib. de ver. Apo. Ser. 3. De Spiri. & lit. c. 30. De corr. & gratia. c. 13.

In vi.

Ego cum à paradoxis abhorream, libenter etiam hoc repudio, tam proprium esse Dei opus Iudæ proditorem, quam Pauli vocationem. Sed permissiue tantum agere Deum in malis, cui persuadeant, nisi qui totam Scripturæ doctrinam ignorat? Magis enim urgent sententiæ, quæ reprobos testantur sanctificatos esse ad opus Dei exequendum: esse eius relictia, gladios & secures, quæ manu eius regantur: excitari eius sibilo, conuenire ad peragenda quæ Dei manus & consilium decreuit, Christum à Iudæis definito eius cõsilio interceptum, quam ut permissiõnis suffugio eludiqueat. Melius ergo Augustinus: qui citatis Scripturæ locis, ubi & Pater Filium tradidisse dicitur, & Christus seipsum, mox subiicit: quid ergo fecit Iudæ, nisi peccatum? Nec verò iure reprehendetur quod alibi scribit, operari Deum in cordibus hominum, ad inclinandum eorum voluntates, quocumque voluerit: siue ad bona, pro sua misericordia: siue ad mala, pro meritis eorum: idque iudicio suo interdum aperto, interdum occulto, semper autem iusto. Siquidem addatur exceptio, quam continuo adhibet: malitiam non ipsius esse opus. Quemadmodum & paulò antè posuerat: Non iubendo præcipere impijs, ubi obedientia laudetur: sed voluntatem proprio vitio malum, occulto iustoque iudicio, in hoc vel illud maleficium inclinare. Nihil enim hîc audimus quod non ijsdem prope verbis, Scriptura doceat. Nam & inclinandi & vertendi, obdurandi, & incitandi, & agendi verba illic exprimuntur. Ies. 10. 17. Iere. 1. Ezech. 17. 37. Psal. 17. Act. 2. 4. De ver. Domi. Ser. 63. De grat. & libe. 22. cap. 21. cap. 20.

In vij.

Certè arbor mala non potest nisi malos fructus producere. Quis autem, nisi perditus, neget, nos malis esse arbores, donec insiti in Christum simus? Ergo si quis bonus fructus in homine laudatur, in fide quærat radix, ut Augustinus admonet. Deinde toties clamat Deus, se non morari externas larvas: sed fidem cordis inspicere: & nominatim per Ieremiam. Qualis autem erit cordis mundities, aut veritas, quod non nisi fide purificari docet Petrus? Ergo præclare Augustinus ad Bonifacium: Religio nostra iustos ab iniustis Mat. 7. In psal. 31 Ser. 1. Iere. 5. Ato. 15. Lib. 3. c. 5.

non operum, sed ipsa fidei lege discernit, sine qua, quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. Ad hoc, ideo peccant infideles, quicquid agant, quòd facta sua non ad legitimum finem referunt. Quæ de re copiose disputat idem scriptor, libro aduersus Iulianum iij. Vnde & eleganter alibi erroneum vocat illorum cursum, in quo ut quisque magis est strenuus, longius à meta recedit: ideoque fit miserior. Ac tandem concludit, melius esse in via claudicare, quàm extra viam currere. Et quid plura volumus? Apostolus anathematizet, qui negat, absque fide posse quempiam placere Deo. Christum & Paulum anathematizet, qui omnes infideles mortuos esse pronuntiant: ac per Euangelium à morte suscitari.

præfati in  
psal. 31.  
Heb. 11.  
Ioan. 5.  
Eph. 2.

In viii.

Respondeo: Amen. Nec cuiquam id puto unquam in mentem venisse. Qualis enim ab illis describitur, veram poenitentiam continet, ac cum fide est coniunctus. Sed de seruili illa gehennæ formidine, quæ aliquosque cohibet infideles, ne tam furioso præcipiti que impeturuant in maleficia, idem sentimus cum Augustino, cuius verba sunt: Et quis coram Deo innocens inuenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahis quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri: sed ideo non, facit, quia impune non potest fieri. Nam quantum in ipso est, mallet non esse iustitiam, peccata prohibentem, atque punientem. Et utique, si mallet non esse iustitiam, quis dubitauerit, quòd eam, si posset, auferret? Ac per hoc, quomodo iustus est, iustitiæ talis inimicus, ut eam, si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel iudicantem ferat? Inimicus ergo iustitiæ est, qui poenæ timore non peccat. Et sanè, ubi non aliud est profectus, quàm ut peccator terrore cohibitus fremat aduersus Deum, quis peccatum tali contumacia auferi neget?

Ad Anast  
Epi. 144.

In ix.

Hic canon minimè est canonicus: quia rerum inter se pugnantium complexionem continet. Fide enim iustificari hominem imaginantur, nullo suæ voluntatis motu. Quasi verò non corde credatur ad iustitiam. Hoc inter eos & nos interest, quòd motum sibi persuadent oriri ab ipso homine: nos autem voluntariam fidem ideo asserimus, quòd voluntates nostras Deus ad se trahat. Adde, quòd hominem sola fide iustificari cum dicimus, fidem non fingimus charitate vacuam: sed ipsam solam iustificationis causam esse intelligimus.

In x.

Si pondus haberent hæc anathemata, non leuem simplicitatis suæ poenam daturi essent, quicumque in sophistica non sunt exercitati. Prius in suis placitis, unicam formalem iustificationis nostræ causam esse asserbant, iustitiam Dei: nunc anathematizant, qui formaliter nos Christi obedientia iustos esse dicunt. Sed alio sensu. Video equidem, vel saltem subolfacio. Sed quotusquisque ambiguitate non fallitur? Quamquam fieri potest, ut quam fortè alicubi legerint sententiam, non intellectam audacter damnent: nam sicut impiè dicitur, nobis Christi iustitiam, exemplar duntaxat vel typum esse: ita si quis formaliter, hoc est, non qualitate, sed imputatione iustos esse doceat: ut significet in prædicamento relationis sit à esse nostram iustitiam, nihil in eo erit reprehensione dignum: atqui ad verumque sensum extenditur aduerbium, Formaliter.

In xi.

Hoc semper lectoribus testatum esse volo, quoties in hac quæstione nominamus solam fidem, non mortuam à nobis fingi, & quæ per charitatem non operatur: sed ipsam statui unicam iustificationis causam. Fides ergo sola est quæ iustificet: fides tamen quæ iustificat, non est sola. Quemadmodum Solus calor, solus est qui terram calefaciat: non tamen idem in Sole est solus, quia perpetuò coniunctus est cum splendore. Quare totam regenerationis

Galat. 5.  
Rom. 3.

rationis gratiam non separamus à fide: sed vim iustificandi, ac facultatem fidei in solidum, ut necesse est, vindicamus. Neque verò tam nos, quàm Paulum anathematizant Patres Tridenticolarum, cuius ea est definitio: iustitiam hominis constare peccatorum remissione. Verba sunt capite ad Rom. quarto. Beati hominem dicit David, cui Deus acceptam fert <sup>psal. 32.</sup> iustitiam, sine operibus: Beati, quorum remissa sunt iniquitates. Videmus, ut beatitudo, & iustitia, idem Paulo significant. Vbi verò utranque, nisi in sola peccatorum remissione, collocat? Idem sibi volunt quæ tradit capite secundæ ad Corinthios quinto: Erat Deus in Christo mundum sibi reconcilians, non imputando hominibus peccata. Nam mox quomodo ad nos perueniat illa reconciliatio, subiicit: Legatione, inquit, fungimur, quasi Christi nomine obsecrantes. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut simus iustitia Dei in illo. En ut Christi sacrificio reconciliati Deo, simul etiã iusti, & quidẽ in ipso censeamur. Quid tamen vnum atque alterum locum cito, cum passim hanc doctrinam Prophetæ & Apostoli nobis occinant? Porro, operæpretium est notare, quàm dextrè ipsi Scripturam accommodent. Charitatem negant oportere excludi, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in corda nostra. Et iam secundò hoc testimonium ita deprauant. At Paulum non de nos- <sup>Rom. 5.</sup> tra ipsorum charitate illic, sed de paterno Dei erga nos favore loqui, contextus indicat: nam consolationem in rebus omnibus aduersis hanc proponit, quòd Spiritus nobis suggerat diuinæ erga nos benevolentia testimonium. Porci isti in contrariam partem detorquet, non pude fieri nos sperando, quia Deum diligamus. Et simul ac gutture insonuerint suos ructus, instar oraculorum haberi volunt. Eiusdem est notæ, quòd ex gratia iustificante habitum faciunt: Dei fauorem esse negant. At verò plusquam clara sunt Scripturæ verba in contrariã partem: nam Paulus cum dicit imputari credentibus mercedem non secundum <sup>Rom. 4.</sup> debitum, sed secundum gratiam: item, hereditatem esse ex fide, ut sit secundum gratiam: quis aliter exponet, obsecro, quàm de gratuito favore? Et quid aliud propositum gratiæ significat? In primis verò illustris est locus Ephe. i. capite, ubi docet, Patrem nos sibi reddidisse gratiosos in Filio, verbum ex verbo deducens.

## In xij.

Non placet venerandis patribus, fidem iustificationem esse fiduciam, qua misericordiam Dei peccata propter Christum remittentis amplectimur. At placet Spiritui sancto, qui per os Pauli sic loquitur: Nos gratis iustificatos esse Dei gratia, per redemptionem <sup>Rom. 3.</sup> quæ est in Christo: quem Deus propitiationem constituit, per fidem, quæ est in sanguine eius, in remissionem præcedentium delictorum. Nec aliter potest exponi quòd dicit post- <sup>Rom. 5.</sup> ea: nos fide iustificatos pacem habere cum Deo. Vnde enim id, nisi quòd tunc demum tranquillæ sunt conscientia, dum in misericordia Dei acquiescunt? Quòd etiam discretè contínuò post exprimit, addita ratione, quòd charitas Dei in corda nostra diffusa sit per Spiritum sanctum, qui scilicet nobis gratuita adoptionis testis est: nec id modò, sed etiam arræ & si- <sup>2. Cor. 5.</sup> gillum. Item alibi: In Christo habemus securitatem & aditum cum fiducia, quæ est per <sup>Ephe. 3.</sup> fidem eius. Eadem ratione Euangelium ideo appellat Doctrinam fidei, potius quàm Legem. Porro alibi Euangelium prædicat legationem esse reconciliationis. <sup>Rom. 10.</sup> <sup>2. Cor. 5.</sup>

## In xij.

Id sibi tamẽ vult Paulus, cum exinanita fide, abolitã esse promissionem concludit. Id <sup>Rom. 4.</sup> sibi vult vocabulum *παρρησια*, quo aliquoties idem utitur. Proinde non aliter censet ritè illuminari oculos mentis nostræ, nisi cernamus quæ sit spes nostræ hereditatis. Et ex testi- <sup>Ephe. 1.</sup> monijs superioribus satis constat, non esse rectam fidem, nisi cum audemus, tranquillis ani- <sup>Super cã</sup> mis, nos in conspectum Dei sistere: nã, ut præclare Bernardus, Si turbetur conscientia, nõ <sup>16.</sup>

Cap. 3.

perturbabitur, vulnerū Domini memor. Illic enim tuta firmāque infirmis requies, & securitas. Quod ipsum sonant Zachariæ verba: Descendet quisque in vitem suam, sub ficu sua habitabit securè, cum remissa fuerit terræ iniquitas.

In xiiij.

Non video quorsum idem bis damment: nisi quòd timebāt, ne cassum esset prius fulmen. Atqui, nihil plus aduersus tam liquidam Dei veritatem proficient, centies fulminādo. Dicit Christus: Fili, confide: remittuntur tibi peccata tua. Hanc sententiam abominantur cornuti patres, si quis absolutionem doceat, fide sola perfici. Quamquam meminisse debet pius lector, non excludi à nobis pœnitentiam, quæ omnino necessaria est: sed de causa obtinendæ absolutionis cum quæritur, solam fidem nominari. Et meritò: Quomodo enim verè Deum timere incipiet, nisi qui iam sibi propitium esse, persuasus fuerit? Vnde autem persuasio, nisi ex absolutionis fiducia?

In xv.

Ephē. 1.

Verum est quidem: noxiam esse, ideòque fugiendam nimis scrupulosam huius rei inquisitionem. Idque sedulò docemus. Sed ea scientia prædestinationis, quam nobis commēdat Paulus, nec saxum Neptuni tridentem, nec omnes AEoli flatus, nec Cyclopum fragores, nec vllas tempestatum procellas formidat. Vult enim hoc scire, ac pro certò habere Ephesios, se participes factos cœlestis gratiæ in Christo, quemadmodum electi in ipso fuerant ante mundi creationem. Sic ergo suæ electionis certos esse cōuenit vniuersos fideles, vt illam in Christo, tanquam in speculo, intueri discant. Neque verò de nihilo Christus suos hac consolatione animat, ex ijs qui sibi dati sunt à Patre, periturum neminem. Et quid aliud, amabò, est certa prædestinationis nostræ cognitio, quàm illud adoptionis testimonium, quod pijs omnibus commune facit Scriptura?

Rom. 8.

In xvi.

Ne sepius eadem repetere cogar: nihil aliud hîc damnant, quàm quod certis Spiritus sancti oraculis proditum esse, prius ostendi.

In xvij.

Acto. 13.

Verba Lucæ sunt: Crediderunt omnes qui præordinati erant ad vitam. Vnde in vno auditorio tale extiterit discrimen, vt alij crediderint, alij perstiterint in sua obstinatione, Rom. 8. indicat: similiter Paulus eos vocari asserit, quos antè elegit Deus. Annon etiam vocantur reprobi? Sed non efficaciter. Hoc enim intere est in Dei vocatione, quòd omnes promiscuè inuitat verbo suo: electos autem solos intus docet. Quemadmodū ait Christus: Quicquid Iohan. 6. mihi dedit Pater, ad me veniet. Denique, regenerationis spiritū non dari, nisi electis, quis quis ignorat, nescio quid in Scripturis teneat.

In xvij.

Si perfectæ esset regeneratio in hac vita, possibilis esset legis obseruatio. Sed cum fideles, quandiu hîc viuunt, medio ex stadio ad metam aspicient, magnisque difficultatibus anhelent: vbi reperietur, quam isti somniant, obedientiæ perfectio? Sed non mirum est, de rebus ignotis tam audacter eos garrere: Dulce enim bellum inexpertis.

In xix.

Amen.

In xx.

Sicuti nemo sanus, Dei iugum à fidelium humeris excutiet, quasi non debeant mandata eius seruare: ita sciendum est, à mandatorum obseruatione nequaquam pendere salutis fiduciam. Stat enim semper illud Pauli, in eo differre à lege Euanglium, quia non sub conditione

ditione operum, sicut illa: sed ex fide vitam promittat. Quid enim illa antithesi clarus? Legus iustitia talis est: Qui fecerit hæc, viuet in ipsis. At quæ ex fide est iustitia, sic habet: Qui crediderit, &c. Eodem & alter ille locus spectat: Si ex Lege esset hæreditas, exinanita esset fides, & abolita promissio. Ergo ex fide est, ut secundum gratiam, firma sit promissio omni credenti. De legibus Ecclesiæ ipsi viderint: nos vnicum agnoscimus legislatorem, cuius est tradere vitæ regulam, sicuti ab eo vitam habemus.

Rom. 10.

Rom. 4.

In xxi.

Neque hoc quisquam dicit. Sua igitur ipsorum figmenta anathematizant patres: nisi forte ideo succenseant, quod Christum negamus legislatorem, qui nouas aliquas leges orbi tradiderit. Quod ipsi stultè imaginantur: neque enim vanæ erat illa Moysi testificatio, Legem quam tulerat, viam esse vitæ & mortis. Item: Hæc est via: ambulate in ea. Nec frustra, quoties de vera & solida iustitiæ perfectione disserunt Propheta & Apostoli, ad legem ipsam nos reuocant. Nec frustra respondit Christus Pharisæo: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Proinde cum legem infirmitatis Paulus in simulat, vitium non constituit in eius doctrina, quominus salutem nobis conferat: sed in carne nostra, Rom. septimo capite, & octauo.

Deut. 30.

Mat. 19.

Luc. 18.

In xxij.

Amen.

In xxij.

Qui hominem semel iustificatum peccare posse negant, eos damnamus: qui item verè iustificatos esse negant, quibus labi contingit: similiter eos, qui etiam à minimis peccatis abstinere posse asserunt hominem Dei Spiritu regeneratū. Sunt enim hæc fanaticorum deliria, qui vel Diabolica arrogantia dementant, vel hypocrisi fascinant hominum mentes, vel in præcipitum desperationis eas adducere moluntur. De speciali Virginis Mariæ priuilegio, cum cœlesti diploma protulerint, credemus quod iactant: nam Ecclesiam quid appellant, nisi concilium Claromontanum? Ecclesiæ certè membrum erat Augustinus: qui tametsi, in olienda inuidiæ causa, mauult alicubi de Beata Virgine silere: passim tamen, sine eius exceptione, totum Adæ genus peccato inuoluit. Quinetiam prope disertis verbis eam in peccatorum ordinem aggregat, cum ad Marcellinū scribens, multum eos errare tradit, qui vlli sanctorum, præterquam vni Christo, necessariam fuisse hanc deprecationem negant: Remitte nobis debita nostra: minimeque eos placere sanctis quos laudant. Membra Ecclesiæ erant Chrysostomus & Ambrosius, qui ambitione tentam fuisse suspicantur. Quæ omnia non alium in finem commemoro, quàm vt intelligent lectores, nullum esse tam nugatorium figmentum, quod inter fidei dogmata ab istis asinis non censeatur.

In xxiiij.

Quin bona piorum opera mercede prosequatur Deus, priorésque gratias alijs nouis & ampliori bus cumulet, non negamus. Opera autem quisquis augendæ iustificationis causam esse asserit, ille nec quid nomen iustificationis valeat, nec quid sit causa, tenet. Tum nos cenferi iustos, cum accepti sumus Deo, iam antè probatum est. Hinc quoque mutuantur opera quicquid habent gratiæ.

In xxv.

Rectè Solomon, cum admonet, homini rectas videri vias suas, at Deum corda

Pro. 16.

ponderare. Vnde enim fit, vt hanc execrationem cornuti asini fundant, nisi quòd perversa opinionis suæ trutina, non Dei ponderibus examinant? Dei iudicio nihil est syncerum nec probum, nisi quod ex perfecto eius amore manat. Si nunquam eò vsque reformatur in hac vita cor hominis, quin multo viuis laboret, quin distrahatur cupiditatibus varijs, quin sæpe mundi illecebris titilletur: aliquid inde inquinamenti semper trahant opera, necesse est. Nullum ergo opus quod non sit peccatum, nisi ex gratuita æstimatione pretium acquirat.

In xxvi.

Nihil mirum, tam esse audaces, qui nullo vnquam serio diuini iudicij affectu tacti fuerunt. Expectent sanè pro bonis operibus vitam æternam: modò, authore Pauli, nos eam ex Dei gratia speremus. At gratiam sic loquendo, non evertunt. Tametsi dimidia ex parte relinquunt gratiæ nomen: quando tamen, in querenda salutis causa, ad opera circumspectant conscientia, si trepidatione vacillant, vae illis: quia fidei certitudine exciderunt: si quid certi sibi audent polliceri, vae iterum: quia diabolica arrogantia sunt inflati. Maneat ergo illud Pauli, non ex lege esse hereditatem, sed ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni credenti.

Rom. 4.

In xxvij.

Quemadmodum peccatum quoduis, quoniam Dei lege damnatum est, mortale esse fatemur, & sentimus: ita ex infidelitate manare omnia, vel saltem ex fidei defectu, Spiritus sanctus docet. Mors sanè æterna est Dei maledictio, quæ adulteris, & furibus, & periuris denuntiatur: at, vbicunque regnabit fides, iram Dei, peccatis omnibus expulsis, nõ secus auertet, ac si quis ignem extingueret, subducto ligno.

In xxvij.

Semen aliquod fidei manere in homine, licet suffocatum, etiam inter grauissimos lapsus, non nego. Id quantulumcunque est, particulam fateor esse vere fidei: addo etiam, viam: quando aliter non posset ex ea oriri fructus. Verum quoniam non appareret ad tempus, nec se visitatus signis exeret, perinde habetur ac que emortua, quoad sensum nostrum. Sed nihil tale in mentem venit patribus, aut eorum dilatatoribus monachis. Tantùm in sulsum illud, de fide informi & formata, suum dogma volebant stabilire. Hinc illud, quòd vera esse fidem contendunt, quæ tamen sit mortua. Quasi verò anima vita possit esse fides: quemadmodum eam, ex perpetua Scripturæ doctrina, eleganter ipsam nuncupat Augustinus: quæ ipsa viua non sit. Idem valet, quòd Christianos esse contendunt, qui nihil habent charitatis. Ita vt anathema pronuntient, si quis secus sentiat. Nempe ergo Spiritum sanctum anathematizant, qui falsam Christianismi professionem deridet, ac pro nihilo ducit. Paulus Israelitas esse negabat, qui non essent veri Abraham filij. Verum quoque Christianismum definiit, cum deponitur verus homo: & abijs, qui pie non viuunt, Deum abnegari pronuntiat.

In xxix.

Prius membrum, vnà cum authore eius Nouato, nos quoque execramur. Quòd ad secundum attinet, si non recipiuntur in gratiam lapsi, nisi per pœnitentiæ sacramentum: quid Petro fiet, cui postiam horribilem casum defuit, quod plusquam necessariò exigunt, remedium? Imo quid fiet tot hominum myriadibus, quibus, per aliquot secula, ignota fuit auricularis ista confessio, quam nunc ianuam salutis esse fingunt? Nam quòd Christi & Apostolorum magisterio gloriantur, hac in

parte

parte nimis impudenter faciunt: cum de confessione ante annos quadringentos, legem nullam extitisse, etiam ex eorum historijs constet. Ergo si tam improbis figmentis fidem haberi velint, non modò omnia vetustatis monumenta ex hominũ memoria exterminent, necesse erit: sed vt hominibus etiam iudicium mentemque adimant.

In xxx.

Culpa remissa, poenae reatum manere volunt. Atqui, remissa culpa fructum hunc ubiq; Scriptura cõmemorat, quòd flagella sua remouet Deus: ac ira sua, vltionisq; oblitus, nos benedicit. Et cum Dauid beatos esse clamat, quibus non imputat Deus peccata, non solam profectò culpae remissionem designat: sed de poena loquitur potissimum. Et quis, obsecro, finis erit aut modus, si de peccatis hominum poenas exigere incipiat Deus: quae & numero sunt infinita, & pondere tam grauias, vt centesima pars ad profundissimos vsque inferos nos deprimat? Facile quidem est Patribus, Diabolica securitate ebrijs, temporales vocare poenas: quibus peccatum ferè nullum est, nisi quis hominem occiderit: quibus scortatio vix leuiculi est erratum: quibus foedissima libidines, virtutis sunt exercitia, quae in laude ponunt: qui nullum occultum conscientiae vulnus pilo aestimant. At nobis, qui post longum examen, quasi obruti & confusi, in hanc demum vocem cum Dauide erumpere cogimur: Delicta quis intelliget? non tam explicata est solutio. Neque tamen negamus, quin, data culpae venia, nos interdum Deus castiget: sed vt moneat & corrigat, non vt vindicet. Profanum ergo figmentum est, quòd putant Dei iudicio poenas exolui. Adde, quòd neque aequali omnes modo puniuntur: nec quantum quisque deliquit: sed prout quenque ferulis opus habere Deus indicat, vt in posterum tali disciplina eruditus, melius sapiat. Caterum, hinc demonstrant Patres, quàm stre nui sint architecti, qui verbulo vno labyrinthum ex mille labyrinthis compositum absolunt. Immensum sanè gurgitem esse oportet, quo omnes animas absorberi tradunt: nos quidem vniuersas mundi opes videmus exhauriri. In eius constructionem, saltem paulò plus operæ insumere debuerant. Purgatorij nulla prorsus in tota Scriptura fit mentio. Atqui, teste Augustino, vbi res naturaliter obscura modulum nostrum vincit, & aperte Scriptura non subuenit, temerè hinc aliquid definire humana coniectura praesumit. Quid ergo hic statuendum, quàm temerè facere istos nebulones, dum ex suo capite fabricare audent, quòd nullum habet in verbo Dei fundamentum? Nisi forte instar vaticinij accipi volunt suum de purgatorio commentum, quia à ventriloquis procedit. Nullum enim est, quòd ad referendos eorum ventres aequè valeat. Quid autem, quòd stare nequit purgatorij quòd fabricarunt, quin tota Scriptura veritas destruat? Longa esset eius rei demonstratio: sed in scriptis nostris luculenta extat. Denique, satisfactiõibus euersis, ruere simul purgatorium necesse est.

Epist. 157.  
ad Optatum.

In xxxi.

Qui verè iustificatus est, non negliget, fateor, mercedem sibi repositam: sed ea, tanquam optimo stimulo, ad bene agendi studium incitabitur. Attamen hunc solum respectum non habebit: nam cum ingenuam à filijs suis obedientiam requirat Deus, seruire eiusmodi obsequium non repudiabit modò, sed procul etiam reijciet. Ideòque longè alium piè sanctèque viuendi scopum, Spiritus sanctus, cum in Scripturis passim, tum per os Pauli nobis praefigit, primo ad Ephe. cap.

In xxxij.

Quo iure, aut quo sensu nostra vocentur, quæ in nobis efficit Christi Spiritus bona opera, breuiter Augustinus docet, cum similitudinem ex oratione Domini adducit: ubi panem, quem petimus nobis donari, nostrum simul, non alio quam donationis titulo, nuncupamus. Itaque, ut alibi docet idem scriptor: dona Christi nemo amplectetur, nisi sua merita oblitus. Rationem aliquoties reddit: quia nihil aliud est quod dicitur meritum, quam gratuitum Dei donum. Nos ergo crepare sinamus Patres istos, meritum à gratia separando, perperam lacerantes quod verè vnum est. Quid porro mereantur opera, qui ex superioribus censuris nostris didicerit, non magno opere præsentem anathematis crepitum exhorrescet.

In xxxiiij.

Ingeniosa verò cautio: ne quis videat, quod vident omnes. Parum abest, quin & Dei gloriam, & simul Christi gratiam exinaniant. Et interim dira execratione sanciant, ne quis aliqua ex parte vtrique derogari putet. Perinde ac si quis hominem interficiat, medio foro, sub omnium conspectu, & eadem omnibus conspiciam, prohibeat tamen veram credi. Porro hic suo pte se indicio produunt sorices, cum anathematis terrorem alijs incutiunt, ne impietatem cernere ausint, cuius ipsi sibi conscij erant.

### SEPTIMA SESSIO.



Ad consummationem salutaris de iustificatione doctrinae, quæ in præcedenti proxima Sessione, vno omnium Patrum consensu promulgata fuit, consentaneum visum est, de sanctissimis Ecclesie Sacramentis agere, per quæ omnis vera iustitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur. Propterea, sacrosancta, œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, eisdem præsentibus Apostolica sedis Legatis, ad errores eliminandos, & extirpandos hæreses, quæ circa sanctissima ipsa Sacramenta, hac nostra tempestate, tum de damnatis olim à Patribus nostris hæresibus suscitatae, tum etiam de nouo adiuuentæ sunt, quæ catholicae Ecclesie puritati, & animarum saluti magno opere officiant: sanctarum Scripturarum doctrina, Apostolicis traditionibus, atque aliorum Conciliorum: & Patrum consensui inherendo, hos præsentibus Canones statuendos, & decernendos censuit, reliquos qui supersunt, ad cœpti operis perfectionem, deinceps, diuino Spiritu adiuuante, editura.

### DE SACRAMENTIS IN GENERE.

I. Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Domino nostro Iesu Christo instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vñctionem, Ordinem, & Matrimonium: aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè sacramentum: Anathema sit.

II. Si quis dixerit, Ea ipsa nouæ legis sacramenta, à sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi: Anathema sit.

III. Si quis dixerit, Hæc septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nullo ratione aliud sit alio dignius: Anathema sit.

IIII.



**IIII.** Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam adipisci iustificationis, cum omnia singulis necessaria non sint. Anathema sit.

**V.** Si quis dixerit, Hæc sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse. Anathema sit.

**VI.** Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel iustitiæ: & notæ quedam Christianæ professionis, quibus apud homines discernantur fideles ab infidelibus. Anath. sit.

**VII.** Si quis dixerit, Non dari gratiam per huiusmodi sacramenta, semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, et si ritè ea suscipiantur: sed aliquando, & aliquibus. Anathema sit.

**VIII.** Si quis dixerit, Per ipsa nouæ legis sacramenta, ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere. Anathema sit.

**IX.** Si quis dixerit, In tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterè in anima: hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt. Anathema sit.

**X.** Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem. Anathema sit.

**XI.** Si quis dixerit, In ministris, dum sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia. Anathema sit.

**XII.** Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent seruauerit, non conficere aut non conferre sacramentum. Anathema sit.

**XIII.** Si quis dixerit, Receptos & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solenni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse. Anathema sit.

#### DE BAPTISMO.

**I.** Si quis dixerit, Baptisum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi. Anathema sit.

**II.** Si quis dixerit, Aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi: atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorsit. Anathema sit.

**III.** Si quis dixerit, In Ecclesiâ Romana (quæ omnium Ecclesiarum mater est, & magistra) non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam. Anathema sit.

**IIII.** Si quis dixerit, Baptisum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, nõ esse verum Baptisum. Anathema sit.

**V.** Si quis dixerit, Baptisum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem. Anathema sit.

**VI.** Si quis dixerit, Baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere. Anathema sit.

VII. Si quis dixerit, Baptizatos per baptismum ipsum, solius tantum fidei debitores fieri, non autem vniuersæ legis Christi seruandæ: Anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, Baptizatos, liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea obseruare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint: Anathema sit.

IX. Si quis dixerit, Ita reuocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in baptismo ipso iam factæ, irrita esse intelligat, quasi per ea fidei, quam professi sunt, detrahatur, & ipsi Baptismo: Anathema sit.

X. Si quis dixerit, Peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione & fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri: Anathema sit.

XI. Si quis dixerit, Verum, & ritè collatum Baptismum iterandum esse illi qui apud infideles fidem Christi negauerit, cum ad pœnitentiam conuertitur: Anathema sit.

XII. Si quis dixerit, Neminem esse baptizandum, nisi ea ætate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo: Anathema sit.

XIII. Si quis dixerit, Paruulos, eò quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles cõputandos nõ esse, ac propterea cum ad annos discretionis peruenerint, esse rebaptizandos: aut præstare omitti eorum baptisma, quàm eos sine actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ: Anathema sit.

XIIII. Si quis dixerit, Huiusmodi paruulos baptizatos, cum adoleuerint interrogandos esse, an ratum habere velint quod Patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistia, aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant: Anathema sit.

#### DE CONFIRMATIONE.

I. Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potius verum ac proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quàm catechesin quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesiâ exponebant: Anathema sit.

II. Si quis dixerit, Iniurios esse Spiritui sancto, eos qui in sacramento confirmationis, crismati virtutem aliquam tribuunt: Anathema sit.

III. Si quis dixerit, Sanctæ confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem sacerdotem: Anathema sit.

**E**adem sacrosancta Synodus eisdem præsidentibus & Legatis, inceptum resistentiæ & reformationis negotium, ad Dei laudem, & Christianæ religionis incrementum prosequi intendens: ut sequitur statuendum censuit, salua semper in omnibus sedis Apostolicæ auctoritate.

Ad cathedralium Ecclesiarum regimen, nullus nisi ex legitimo matrimonio natus, & ætate matura, grauitate morum, literarumque scientia, iuxta constitutionem Alexandri III. quæ incipit: Cum in cunctis: in Concilio Lateranensi promulgatam, prædictus, assumatur.

Nemo quacunque etiam dignitate, gradu, aut præeminètia præfulgens, plures

*Metropolitanas, seu cathedrales Ecclesias, in titulum siue commendam, aut quouis alio nomine, contra sacrorum Canonum instituta recipere, aut simul retinere presumat: cum valde foelix sit ille censendus, cui vnā Ecclesiam benè ac fructuosè, & cum animarum sibi commissarum salute, regere contigerit. Qui autem plures Ecclesias, contra præsentis Decreti tenorem nunc detinent, vna quam maluerint retenta, reliqua infra sex menses. si ad liberam sedis Apostolicæ dispositionem perueiant, aliàs infra annum dimittere teneantur. Alioqui Ecclesiæ ipsæ, vltima obtenta duntaxat excepta, eo ipso vacare censeantur.*

*Inferiora beneficia, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, atque per se ipsos curam ipsam exercere valeant, iuxta constitutionem Alexandri I I I, in Lateranensi, quæ incipit, Quia nonnulli: & aliam Gregorij X, in generali Lugdunensi Concilio, quæ incipit, Licet canon, editam, conferantur. Aliter autem facta collatio, siue prouisio, omnino irritetur, & ordinarius collator pœnas constitutionis Concilij generalis, quæ incipit: Graue nimis, se nouerit incursum.*

*Quicumque de cætero plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia Ecclesiastica, siue per viam vnionis ad vitam, siue commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine & titulo, contra formam sacrorum Canonum, & præsertim constitutionis Innocentij I I I, quæ incipit, De multa: recipere, ac simul retinere, præsumperit: beneficijs ipsis, iuxta ipsius Cõstitutionis dispositionem ipso iure, etiam præsentis Canonis vigore priuatus existat.*

*Ordinarij locorum quoscunque plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia Ecclesiastica obtinentes, dispensationes suas exhibere compellant, & aliàs procedant iuxta constitutionem Gregorij X, in generali Lugdunensi Concilio, quæ incipit, Ordinarij: quam eadem sacrosancta Synodus innouandam censet, & innouat. Addens in super, quod ipsi Ordinarij, etiam per idoneorū Vicariorū deputationem, & congruam portionis fructuum assignationem, omnino prouideant, vt animarum cura nullatenus negligatur, & beneficia ipsa, debitis obsequijs minimè defraudentur, appellationibus, priuilegijs, & exemptionibus quibuscunque, etiam cum iudicium speciali deputatione, & illorum inhibitionibus, in præmissis nemini suffragantibus. Vniones perpetuæ, à X L. annis citra factæ, examinari ab ordinarijs, tanquam à s. de Apostolica delegatis, possint: & quæ per subreptionem, vel obreptionem obtenta fuerint, irritæ declarentur. Illæ verò quæ à dicto tempore citra concessæ nondum in toto, vel in parte sortitæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cuiusvis instantiam fieri: nisi eas ex legitimis, aut aliàs rationabilibus causis, coram loci ordinario, vocatis quorum interest, verificandis, factas fuisse cõstituerit: per subreptionem obtenta præsumantur: ac propterea, nisi aliter à sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.*

*Beneficia Ecclesiastica curata, quæ cathedralibus collegiatis, seu alijs Ecclesijs, vel Monasterijs, beneficijs, seu Collegijs, aut pijs locis, quibuscunque perpetuò vnita, & annexa reperiuntur: ab ordinarijs locorum, annis singulis visitentur, qui sollicitè prouidere procurent, vt per idoneos Vicarios perpetuos, nisi ipsis ordinarijs pro bono Ecclesiarum regimine, aliter expedire videbitur, ab eis, cum tertie partis fructuum, aut maiori vel minori, arbitrio ipsorum ordinariorum, portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter*

exerceantur: appellationibus, priuilegijs, exemptionibus, etiam cum iudicum deputatione, & illarum inhibitionibus quibuscunque, in præmissis minimè suffragantibus.

Locorum Ordinarij Ecclesiarum quasunque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, & opportunis iuris remedijs providere, ut quæ reparatione indigent reparentur, & cura animarum, si qua illis immineat, alijsque debitis obsequijs minimè defraudentur. Appellationibus, priuilegijs, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præscriptis, iudicum deputationibus, vel illorum inhibitionibus, penitus exclusis.

Ad maiores Ecclesias promoti, munus consecrationis infra tempus à iure statutum suscipiant, & prorogationes, ultra sex menses concessæ nulli suffragentur.

Non liceat capitulis Ecclesiarum, sede vacante, infra annum, à die vacationis ordinandi licentiam, aut literas dimissorias, seu reuerendas (ut aliqui vocant) tam ex iuris communis dispositione, quàm etiam cuiusvis priuilegijs, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficij Ecclesiastici recepti, siue recipiendi, occasione, articulus non fuerit, concedere. Si secus fiat, capitulum contraueniens, Ecclesiastico subiaceat interdictio, & sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti, nullo priuilegio clericali, præsertim in criminalibus gaudeant: in maioribus ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, sint ipso iure suspensi.

Facultates de promouendo à quocunque, non suffragentur: nisi habentibus legitimam causam, ob quam à proprijs Episcopis ordinari non possint, in literis exprimendam: & tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua Diocesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti primo examine.

Facultates de non promouendo, præterquam in casibus à iure expressis concessæ, ad annum tantùm suffragentur.

Præsentati, seu electi, vel nominati quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam: sedis Apostolicæ nuntijs, ad quæuis beneficia Ecclesiastica non instituuntur, neque confirmantur, neque admittantur, etiam prætextu cuiusvis priuilegijs, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ: nisi fuerint prius à locorum ordinarijs idonei reperti, & nullius appellationis remedio se tueri possint, quominus examen subire teneantur: præsentatis tamen electis, seu nominatis ab Vniuersitatibus, seu Collegijs generalium studiorum exceptis.

In exemptorum causis, Constitutio Innocentijs III. quæ incipit, Volentes, in generali Concilio Lugdunensi edita, seruetur: quam eadem sacrosancta Synodus innouandam censuit, & innouat. Addendo insuper, quòd in civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum clerici seculares, aut regulares extra monasteria degentes quomodolibet exempti: etiam si certum iudicem à sede Apostolica deputatùm in partibus habeant. In alijs verò si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum ordinarijs, tanquam in hoc ab ipsa Sede delegatis, conueniri, & iure medio ad soluendum debitum cogi, & compelli possint: priuilegijs, exemptionibus, conseruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus aduersus præmissa nequaquam valituris.

Curent Ordinarij, ut Hospitalia quasunque, à suis administratoribus, quocunque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter & diligenter gubernentur: Constitutionis Concilij Viennensis, quæ incipit, Quia contingit  
forma

forma seruata. Quam quidem Constitutionem eadem sancta Synodus innouandam induxit, & innouat cum derogationibus, in ea contentis.

## IN SEPTIMAM SESSIONEM.

**Q**uam sit in qualicumque certamine sudandum, vbi mala causa agitur, proxima Sessione experti erant venerandi patres. Ergo, ne se nimium fatigarent secundo conflictu, ad illud suum compendium maluerunt redire, vt fulminatione rem transigerent. Et sanè dictatorio ipsorum stylo indignum erat, rationis reddēda subire molestiam. Quid ergo? Nempe, aëra sonant Corybantes, & clangorem suum ingeminant. Expauescite pueri. Quisquis autem scintilla virilis animi præditus erit, contemptis nihili crepitaculis, quid tandem contineant eorum placita, in trepidus, animoque composito, inquiret. Ego quam insulsis absurditatibus scateant, digito me ostensurum, profiteor.

In primum Canonem.

Volunt, septem à Christo instituta esse sacramenta. Cur ergo non ipsum iubebant instituire? Nobis cur succenseant, nihil est causæ. Septenarius numerus, quem sub anathemate sanciunt, non modò à Scriptura nullum habet testimonium, sed ne ab illo quidem probato authore. Parum est: ex sacramentis quæ numerant, alia ostendimus fuisse temporaria, vt est infirmorum vnctio: alia falso ita vocitari, vt est matrimonium. Planæ & firmæ sunt rationes, quibus ideuincimus. Quid enim? An dono sanationum pollere se iactabunt? Si eius doni symbolum est vnctio, nonne simia sunt, dum eam absque re vsurpant? Deinde, quam in hac cerimonia est promissio, quæ quidem ad nos pertinet? Si gratia spirituali, & externo signo constat sacramentum, quidnam tale in poenitentia reperient? Matrimonium verò cur hoc nomine censeant, non alia ratio est, quam crassa monachorum inscitia: qui Ephes. 5. cum, in epistola ad Ephesios, sacramentum legerent, pro mysterio, & quidem de arcana Christi & Ecclesiæ coniunctione, ad matrimonium transtulerunt. Harum omnium rerum demonstrationes in scriptis nostris luculentæ extant & copiosæ, quas boni patres vna anathematis vobula repellunt. Id est absque certamine vincere: aut potius absque victoria triumphare.

In ij.

Quando Sacramentorum vtriusque testamenti idem est author, eadem promissiones, eadem veritas, & idem in Christo complementum: meritò dicimus, externis signis inter se differre, in illis autem rebus, quas commemorauimus, vel summatim in re ipsa conuenire. Sunt enim doctrinæ appendices. Atqui, doctrinæ eadem substantia. Sequitur ergo, id quoque in sacramenta competere. Fortè non intelligerent lectores, quorsum hoc fulmen iaculentur patres Tridentini, nisi breuiter eos admoneam. Vulgare est apud Sophistas dogma: Sacramenta legis Mosaicæ figurasse gratiam, nostra verò exhibere. Nos autem Deum asserimus semper in suis promissis fuisse veracem: nec quicquam figurasse ab initio, quod non patribus re ipsa exhiberit: nam sub Moise constabat circumcisionis veritas. Et tunc eandem fuisse escam spirituales, qua participabant, eundemque potum spirituales, testis est Paulus. 1. Cor. 10. Quid habent quod respodeant, nisi aliter in scholis tradi? P. auis verbis artingo, quæ ex scriptis nostris fuse discunt lectores, si volent. Summa hæc sit: ex Dei verbo, non Romanensium placitis, discendū esse, quid vel discriminis, vel similitudinis inter se

habeant sacramenta. Neque tamen interea negamus, quin vberior sub Christi regno percipiatur gratia. Atque ideo solemus duplicem notare differentiam: quòd sacramenta nostra non procul Christum, tanquam absentem indicent, sed quasi digito ostendant exhibitum. Deinde, quòd pro ampliore reuelationis modo, si etiam gratiæ communicatio vberior.

In iij.

Mat. 26.  
& 28.

Matt. 21.

Quis non malit Neptunium sustinere fulmen, quàm æquare Christi institutis hominum inuenta? Baptismum legimus à Christo cõmendatum: similiter & sacram Coenæ. De alijs, nihil tale. Imo multis post seculis fuisse incognitum, quod isti tradunt. Atqui, obscuri non est, quorsum spectet, ac quidnam valeat illa Christi interrogatio: Baptismus Ioannis estne ex cælo, an ab hominibus? Significat enim, non aliter fore legitimum, nisi à Deo sit profectus. Proinde tutò constituamus, authore Christo, nihil esse periculi, si repudiemus quæcunque à sola hominum auctoritate fluxerunt. Parem tamen omnibus dignitatem arrogare non contenti, Confirmationis suæ chrisma præferunt Christi baptismi. Nam quòd aliud alio faciunt dignius, non ideo est, quòd velint ad inferiorem gradum deducere, quæ ex Scriptura non habent testimonium: sed illas execrandas blasphemias renouant, quas prius euomuit concilium Aurelianense: Baptismo fieri nos duntaxat semichristianos, Confirmatione perfici: & quæ in eundem sensum illic habentur.

In iiij.

Facile patiar, vt quæ nobis Christus dedit salutis adiumenta, eorum vsus neceffarius dicatur: quando scilicet datur facultas. Quanquam semper admonendi sunt fideles, non aliam esse cuiusvis sacramenti necessitatem, quàm instrumentalis causæ, cui nequaquam alliganda est Dei virtus. Vocem sanè illam nemo pius est qui non toto pectore exhorreat: res esse superfluas. Sed hic boni patres, pro sua crassitie, non animaduertunt, quicquid nobis gratiæ per sacramenta confertur, nihilominus fidei imputandum. Qui enim à sacramentis fidem separat, perinde facit, ac si animam à corpore tolleret. Ergo quemadmodum Euangelij doctrinam non excludimus, cum dicimus, nos sola fide, Christi gratiam adipisci: ita nec sacramenta, quorum eadem est ratio, cum Euangelij sint sigilla. Quicquid præterea hic attexunt, hauserunt ex lutosis ranarum suarum paludibus.

In v.

Fatemur non alendæ tantum, sed augendæ quoque fidei destinata esse sacramenta. Sed aliud sibi volunt cornutiæ bestię. Fingunt enim subesse vim magicam sacramentis, quæ sit extra fidem efficax. Quo errore tollitur, quæ inter fidem & sacramenta in Scripturis perpetua statuitur relatio. Hoc vt clarius intelligant lectores, semper memoria repetendum est, sacramenta nihil quàm instrumentales esse conferendæ nobis gratiæ causas, quæ tunc demum profunt, suumque effectum habent, cum fidei seruiunt.

In vi.

Scoriam hinc, vt sunt præposteri, argento miscent. Quare à nobis adhibenda est distinctio. Ac primùm quidem, si qui sint qui negent sacramentis contineri gratiam quam figurant, illos improbamus. Sed dum adiungunt cornuti patres, per ipsa nobis conferri gratiam non ponentibus obicem, totam sacramentorum vim peruertunt. Semper enim ad vetus illud Sophistarum delirium relabuntur: etiam infideles, gratiam, quæ in sacramentis offertur, percipere: modò ne oppositis alijs obicibus, eam repellat.

Quasi

Quasi verò non ipsa per se satis magnum obstaculum sit, infidelitas. Teneamus ergo, non aliter nos oblat a in sacramentis gratia potiri, quam si fide simus capaces. Quod sequitur cōtinuò post, perquam vel malitiosè, vel insulsè attexuerūt. Quasi, inquit externa tantum sint signa. Imo perinde loquuntur, ac si inter hæc duo nihil esset medium. Nos verò, sicuti monachale illud commentum repudiamus, aliter prodesse sacramenta, quam per fidem: ita libenter cum signis ipsis coniūgimus veram rei exhibitionem: vt nullus eorum extra fidem sit effectus, & tamen non inania sint, nudaque gratiæ procul remota signa.

In viij.

Primò definiendum erat, quid sit ritè suscipere sacramenta: nam porci isti præterita fide, ac posthabita poenitentia, non illa quidem ceremoniali, quam magnificè prædicant, sed interiore cordis, qua totus homo ad Deum cōuertitur: in simulata nescio qua deuotione, vt loquuntur, situm esse putant, vt ritè quis sacramenta recipiat. Quòd si de legitima dispositione hominis constaret, nihil amplius de efficacia restaret controuersia. Quis enim ritè vt decet, accedentibus, exhiberi dubitat quam illic Deus promittit gratiam? Proinde quisquis de puro Sacramentorum vsu mediocriter fuerit edoctus, insulsè eos distinguere agnosceret, cum ex parte Dei gratiam dari asserunt: nam qualiscunque sit hominis indignitas, manere Deum semper veracem oportet. Nihil ergo, ex parte quidem Dei, Sacramentorum efficacia vel decedit, vel derogatur, quamlibet indigna ipsorum profanatione. Quo ad malam hominum conscientiam spectat: sed tantum perit effectus, vel saltem intercidit, quominus ad nos perueniat.

In viij.

Hic verò non modò clarius, sed etiam crassius impietatem suam detegunt. Commentum de opere operato, & recens est, & ab indoctis monachis excusum, qui de Sacramentorum natura nihil vnquam didicerant: nam in sacramentis propriè solus Deus agit: quia nihil illuc homines suum afferunt, sed accedunt, oblatam sibi gratiam recepturi. Ita in baptismo Deus nos Filij sui sanguine abluit, suoque spiritu nos regenerat. In Cæna carne sanguinéque Christi nos pascit. Quam sibi operis partem absque sacrilegio homines vendicabunt, vbi totum gratiæ esse apparet? Nam quòd hominibus commissa est administratio, id Dei operationi non magis derogat, quam manus artificii: quando per eos agit vnus Deus, efficitque omnia. Pecudes autem istæ, taceo quòd in gratuitis Dei donis reperiunt aliquod hominis meritum, sed fingunt nos, nihil agendo, Deum promereri, nobisque reddere obnoxium: nec eo contenti, monstra verborum euomunt, quibus hoc extorqueant Deo, ne solus in sacramentis agere censeatur. Hinc sequitur necessariò quod adiiciunt: non sola fide gratiam percipi. Nam si cōceditur illis quod postulant, opere operato comparari gratiam in sacramentis: separatur à fide pars meriti, vt per se valeat sacramenti vsus, ad salutem. Atqui, si de sacramentis idem quod de verbo prædicandum est, nihil prodesse, nisi fide percepta, testis est Apostolus.

Ebr. 4.

In ix.

Quod de caractere indebili fabulantur, ex eadem prodijt officina: nam verteribus hoc totum ignotum fuit: & magis cōsentaneum est incantationibus magicis, quam sanæ Euāgelij doctrinæ. Eadè ergo facilitate repudiabitur, qua excogitatum fuit. Baptismū non esse iterandū, satis inter pios constat. Quod verū erat de bapti-

smo, temerè postea ad suam cõfirmationẽ, & ordines transtulerunt. Quæsita est inter curiosos homines ratio. Ne nihil dicerent, characterem hunc fictitium adumbrarunt. Nunc si quis tam futili non assentiantur figmento, anathema illi denuntiatur.

In x.

1. Cor. 14.  
Mat. 23.  
Ebr. 5.

Nemo sanus Christianos omnes in Verbi, sacramentorumque administratione pares facit: non solum quia decenter, & ordine geri omnia in Ecclesia decet: sed etiam quod singulari Christi mandato, ad eam rem ordinantur ministri. Ergo cum peculiaris requiratur vocatio, nemo, nisi vocatus, honorem sibi usurpet. Porro, munus baptizandi ubi mulierculis iniunctum reperient, quemadmodum illis permittunt?

In xi.

Parui se facere anathemata sua ostendunt, in quibus fundedis adeo sunt prodigi. Quod de intentione consecrandi garriunt, à sophistis nulla probabili ratione fuit proditum. Hoc, quantum non tolerabile, leuius tamen foret, nisi funditus euerteret quicquid ex sacramentis solidæ consolationis habent fideles, & Dei veritatem suspenderet ab hominis arbitrio: Nam si necessaria est ministri intentio, nemo est nostrum, qui certam Baptismi sui fidem facere sibi ausit: qui certa fiducia ad sacram Cœnã accedat. Baptizatus sum: si ita sacerdoti libuit, cuius fides mihi nihilomagis quàm Aethiopiæ cuiuspiam comperta est. Vt mihi in sacra Cœna constet Christi promissio, id in hominis mihi ignoti nutu positum est. Qualis erit fides, quæ pendeat à secreta alterius voluntate? Et adhuc sua anathemata, hoc est, suos crepitus nobis minari porci isti non verentur, nisi mox subscribamus talibus blasphemijs. Ego verò sacrosanctæ Christi institutioni tantum de fero, ut si Epicureus quispiam, intus totam actionem subsannans, mihi Cœnam ex Christi mandato, & secundum regulam ab eo datam, ritumque legitimo administret, non dubitem panem & calicem illius manu porrecta, vera mihi esse corporis & sanguinis Christi pignota. Putidas istas nanius piget excutere, ubi dicunt: saltem faciendi quod facit Ecclesia. Nempe magistrorum suorum dictata recinunt. Sed quis oculatus non videt, perinde hoc valere, ac si præciperent vno verbo, quæcunque vnquam somniarunt in suis lustris monachi, vel sophistæ in suis rixis blaterarunt, quantumuis insulsa sint & absurda, rata nihilominus, firmaque haberi?

In xij.

Amen.

In xij.

Quos vocent receptos & approbatos Ecclesiæ catholice ritus, nemini obscurum est. Proinde hac cautione, quicquid superstitionum puris Domini institutis hominum proteruia inductum fuit, stabiliunt. Simplex est, & genuinus baptismi ritus, simplex & Cœnæ administratio, si respicimus quod Dominus præcepit. At verò, quot & quàm varijs quàm discoloribus additamētis obruta est hæc simplicitas? Dicet, si quid sit nimium, rescindi oportere: sed non nisi ex sua sententia. Verum, quæ nobis ipsi spem faciunt, dum anathemata sua bacchico furore exuflant, si quis ceremoniole vnius omissionem licitam faciat? Conqueruntur, vel saltem gemunt p̄ omnes, pluris in baptismo fieri crisma, cereum, salis saporem, spiritum denique, quàm aquæ lauacrum, quo tota constat baptismi perfectio. Cœnã non modò talibus inquinamentis vitiatam esse deplorant: sed conuersam in adulterinum nescio quod spectaculum. Secundum patres Tridentinos, nihil erit tam prodigiosum, quod non inter probatos Ecclesiæ

catho-



cathelicæ ritus locum habeat. Augustinus iam suo tempore conquerebatur, onerari Iudaica seruitute Ecclesiam, cum vix decima pars rituum obtinisset, quorum observatio nunc seuerius requiritur, quam vllius diuinæ aut humanæ legis. Deliberant Tridentini, quidnam factu opus sit. Nulla spe leuationis ostensa, diras & execrationes omnibus intendant, qui non ad vnguem se vsitatis præscriptis dederint.

## DE BAPTISMO.

In i. Canonem.

Magnum piaculum scilicet: vbi eadem est doctrina, eadem gratia offertur, idem seruatur ritus, similitudinem illic statuere. Si quid in tribus istis diuersum habuerit Christi baptisus ab Ioannis, vicisse eos fateor. Sin verò vtrique communia sunt omnia, frustrabilem suam eructant: quia nemo erit compositæ mentis, qui terreatur. Quod si putassent cerandum esse ratione, longè fuissent moderati res.

In ij.

Cur de priore parte moueant questionem, nescio: nisi forte hac vna in re sapere velint friuolas Sorbonistarum argutias cohibendo. At quod aduersus omnes fulminant, secum in loci vnius expositione non sentientes, in eo nimis sunt iracundi. Præsertim cum ex Ioan. 3. veteribus nonnullos citare liceat, qui metaphoricè verba illa accipiunt: Nisi quis ex aqua & spiritu renatus fuerit. Sed quemadmodum initio dixi, execrationes ex locuplete penu, non mirum est, si liberaliter depromant.

In iij.

Cur non hinc potius sumebant exordium, cum hoc iacto fundamento, quiduis superstruere liceat? Nam si verum est quicquid docent: quid adhuc pugnamus? Atqui scripta nostra luculentè testantur, totam, quæ apud ipsos obtinet, de baptismo doctrinam, partim mutilam esse, partim vitiosam. Nunc cum refellere argumenta nostra nequeant, frustra sepelire se putant, vno anathematis fulgetro. Quod autem Romam omnium Ecclesiarum matrem ac magistram fistuose prædicant: cuius est impudentiæ? Græcæ & Orientales Ecclesias in Christo genuit, à quibus ipsa potius genita fuit? Quale illius magisteriū peruenire ad alias Ecclesias potuit, quæ longè doctiores habebant Episcopos? Vt reuoluant omnium seculorum exempla, quem omnino ex toto catalogo, parem vel Cypriano, vel Ambrosio, vel Augustino proferent?

In iiij.

Quid facere intēdat minister, nostra parum refert: modò actio ipsa genuinæ Christi institutioni respondeat, tum in doctrina, tum in ritu. Nobis ergo sufficiat, quod, in nomē Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizati sumus: qualiscūque vel impietas, vel ignorantia eorum fuerit, qui baptismum nobis administrarunt: solus enim Christus est, qui verè & propriè, per manum cuiuslibet hominis, baptizat.

In v.

Ne circumueniantur impetiti: inter liberum, & necessariū, medius est aliquis gradus. Qualiter hoc posterius vocabulū accipiunt Romanenses. Nam & nos baptismi vsum necessariū confitemur: ne cui liceat vel negligentia, vel contemptu, ipsum omittere. At que hoc modo nequaquā liberū facimus. Nec fideles modò seuerè astringimus ad eius obseruationē: sed ordinariū quoque Dei instrumentū asserimus, ad nos lauādos & renouādos, ad salutē denique nobis comunicandam. Hoc tantum excipimus, ne manus Dei instrumēto sit

alligata: quin possit per se hominum salutem perficere. Nam ubi deest baptismi facultas, abundè valet sola Dei promissio. Verùm, hac de re, in superiore sessionem aliquid dictum est.

In vi.

Paradoxum, quod damnant, nos quoque repudiamus, vel hanc unam ob causam, quòd fidei vitam extinguit.

In vij.

Si intelligerent, quid sit lex Christi, de reliquo non difficulter conueniret: sed ut de Christi lege solent loqui, hoc vno capite demonstrant, quàm procul absint à vera baptismi notitia. Neque tamen ignoro, quid eos se fellerit. Nam, quemadmodum circumcisione, ad seruandam Moisis legem obligari hominem docet Paulus: ita & in baptismo, quoad legem Christi, similem obligationem statuunt. Atque hæc quidem comparatio apta foret, nisi in primo, ut aiunt, limine impingerent: nam vehementer errant, dum existimant Paulum de vero circumcisionis usu, ac non potius de abusu, illic differere. Nam si implenda legis fuerunt debitores, quicumque fuerunt circumcisi: sequitur, maledictioni fuisse obnoxios. Atqui, longè aliter docet idem Paulus, cum circumcisionem sigillum appellat iustitiæ fidei. Qui autem opus esse meritorium simebant, ijs etiam erat professio seruandæ legis. Nobis quid hodie baptismus? Tametsi chirographum est mutua inter nos & Deum obligationis, hoc tamen habet præcipuum, ut de gratuita peccatorum remissione, perpetuæque adoptionis gratia nos certiores reddat. Quod cum Tridentina affirmatione aquè pugnat, atque liberatio contraria est seruituti.

In viij.

Vnus est legislator, inquit Iacobus, qui potest seruare & perdere. Vbi falsum hoc esse demonstrauerint, non recusabimus, quin suis nos legibus adstringant. Sed quædiu hoc constabit, Deum regendus verbo suo piorum conscientias sumpsisse, atque hoc sibi imperium ubique vindicare: statuere rutò simul licebit, non esse sanctam ecclesiam, quæ illaqueare conscientias tentabit alijs legibus.

In ix.

Principiò illud constituendum erat, quænam sint vota legitima. Quo posito: nihil aut parum restaret controuersie. Nunc autem vota, quorum laqueis induuntur, vel potius strangulantur miseræ animæ, non modò superstitione plena sunt, sed etiam à recta Christianæ vitæ regula prorsus dissident. Quare ut ratum sit votum aliquod, ad baptismi professionem exigi oportet. Quod si fiat: nullum ex votis in Papatu hodie vsuatis non erit irritum.

In x.

Qui sola baptismi recordatione deleri peccata tradunt, nõ nudam ipsam aut frigidam intelligunt, sed cū fide ac pœnitentia coniunctam. Qualis est prima quoque baptismi cognitio. Neque enim tantum in mentem nobis venire debet aquæ aspersio: sed potius spiritalis veritas, quæ bonæ conscientie fiduciam parit ex Christi resurrectione: quæ admodum loquitur Petrus. Eiusmodi, inquã, recordatio, non venialia modo peccata facit, sed prorsus obliterat: nam quoties de peccatorum remissione quæritur, ad baptismum confugiendum est, ut inde petamus eius confirmationem. Quemadmodum enim quotidianis Euangelij promissionibus nos sibi Deus reconciliat, ita huius, quæ quotidie reperitur usque ad vitæ finem, reconciliationis fidem & certitudinem baptismo nobis obsignat. Semel quidem sumus baptisati: sed est perpetuæ veniæ, & gratiæ in Christo propitiationis testimonium. Quid venerandi patres? Ex tritis sophistarum rhapsodijs, baptismi promissiones in præteritum tempus restringunt: simul atque peccauerit quisquam, sepulta baptismi memoria, iubent in fictitio pœnitentiæ sacramento acquiescere.

quiescere. Quasi verò non ipse baptismus propriū esset pœnitentiæ sacramentum. Et adhuc iactabunt, penes se sanam de baptismo esse doctrinam: cum totam eius vim momentanea & euanda gratiæ promissione includant.

Proximis tribus capitibus nō inuitus subscribo. In quarto eatenus illis assentior, vt lectores interea monitos velim, quanto anathematū profluuio disfluxerint. Quod improbant, alicubi Erasmo excidit: parum consideratè, fortassis. Nō nego. Quòd si tamē ingenuus adsit interpres, correctū aliquid in verbis cupiet: hominē iudicabit non satis in Ecclesiæ gubernatione exercitatum. Ad anathematū quidē terrores, nemo æquus, & moderatus profiliet.

## DE CONFIRMATIONE.

In primum Canonem.

Quia bisulcum est hoc anathema: ne priore sulco feriar, maturè ex eorum numero me nequaquam esse profiteor, qui otiosam Confirmationis ceremoniam esse putant, qualis sub papatu Romano obseruatur: vt pote, qui eam inter maximè exitiales Satanz præstigias numerem. Meminerimus, nusquam in Scriptura nobis commendari quod fingunt sacramentum, neque hoc nomine, neque hoc ritu, neque hac significatione. Nunc quibus figmentum suum eligijs ornent, audiamus. Sub nomine Meltiadis Papæ pronuntiant, Spiritum in Baptismo dari ad innocentiam: in Confirmatione, augmentum ad gratiam. Baptisimum sufficere statim morituris, sed Confirmatione armari victuros, vt agones sustinere valeant. Ita dimidia pars efficaciz à Baptismo truncatur: quasi de nihilo dictum sit, crucifigi veterem hominem in Baptismo, vt in vitæ nouitate ambulemus. Addunt præterea, quanquam neutrum ex his duobus sine altero perfici possit: Confirmationem tamen maiori veneratione colendam esse, quàm Baptisimum. Extat etiam decretum Aurelianensis Concilij: neminem debere existimari Christianum, qui non Episcopali vnctione fuerit chrismatum. Digna enim sunt eorum verba, quæ pueris quoque propinentur in ludibrium. Multum ab otiosa ceremonia differt sacrilegium, tam execrandis blasphemijs refertum. De secundo membro quid aliud dicam, nisi eos parum æstimare, quanti sua anathemata valeant: quibus euendus ita sunt faciles, vt putent ex albo nigrum protinus fieri debere? Verum ita res habet, quæ vulgi admiratione, vel potius quo stupore mysteria sua hæcenus spectari viderunt, eodem quoque exceptum iri putarunt quicquid balbutirent. Hinc tanta confidentia. Neque enim vnquam vel crassissimi subulci iudicio permittere ausi fuissent suas insultates, nisi Concilij laruam sperassent oppositam fore omnium oculis.

De conse-  
cra. dist. 5.

Rom. 6. 1

In ij.

Quæstio est: an ab hominum arbitrio nouam & arcanam Spiritus virtutē oleum accipiat, simul atque illis placuerit vocari Chrisma. Olei enim qui faciat mentionem, nemo est ex veteribus, imo nec ex media illa ætate, quæ iam multis vitijs abundabat. Crepent igitur licet, nihil proficient negando, se in Spiritum Dei esse contumeliosos, eius virtutem dum ad putidum oleum transferunt.

In iij.

Et certè digni sunt cornuti infulati que asini tali prærogatiua. Quid enim agerent, quando ad obviandum munus Episcopale nihilo sunt aptiores, quàm ad canendum porci? Nec verò illis inuideo: modo in suis cauponis, extra Dei Ecclesiam eiusmodi inquinamenta tractent. Sed vnde, quæso, probabunt, Episcopis magis quàm reliquis sacerdotibus conuenire has partes, nisi quia incertis authoribus ita placuit? Nam si ex Scriptura petatur

Acto. 9. ratio, nullum illic est, omnium confessione, presbyteri & Episcopi discrimen. Deinde manuum impositionem iubetur Paulus ab Anania recipere, qui vnus erat ex discipulis. Si illis Confirmatio, est manuum impositio: cur Deum non accusant violati ordinis, adeoque profanati mysterij, quò presbyterum promiscuè Episcopo miscet? Denique vel Dei lege sancitum est quod volunt, vel hum. uno placito. Si Dei lex est: cur eam violare non verentur? Nam presbyteris extra ordinem cõcedunt ius confirmandi. Pro humano autem placito ita fulminantes, cui formidinem incutient?

IN CANONES QUI POSTEA SE-  
quuntur, de residentia.

Interdum mirari subit, quò fiat, vt in tanta Euangelij luce non secus sint insulsi, atque olim in densissimis tenebris solebunt. Sed mox ad Dei admirabile iudicium cogitationem meam refero, quo certum est eos excusari & obstupesceri, non modò, vt nihil viderent, nec sentiant: sed etiam vt abiecto pudore, sua dedecora non dissimulantes iactent. Quia proventus Ecclesie, qui pastoribus ad victum destinati erant, pridem cæperunt esse otiosorum hominum redditus: & qui aluntur Ecclesie sumptu, nihil sibi oneris impositum esse cogitant: ad tantum flagitium se corrigendum accingi profitentur. Cùm ad rem ventum est: non nihil videntur dicere. Est istud, fateor, in tanta vitiorum exundatione, magni aestimandum: ab vno homine non teneri duos Episcopatus. Et reliqua similia, ad coercendam, quæ hodie grassatur, licentiam composita. Tametsi multum abest quicquid tentant reformationis, non dico à prisca illa & austriore disciplina, quæ ante annos mille viguit: sed à tolerabili aliquo pie & non profane gubernationis statu. Episcopum longius dimidio anno abesse à sua diocesi vetant. Satis liberalis missio, vt quotannis sex mensium vacationem habeant, qui dies & noctes continenter excubare, pro gregis sui custodia, debuerant. Additur tamen etiamnum exceptio: nisi iustam absentie excusationem habeant. Et quando illa deerit? Sed tamen, vt quod hic præscribitur exactissimè seruet: quo profectu id facturi sunt, nisi fortè, ne aliò pecuniam, quæ illis ex redditu conficitur, totam transferant. Si vrbes amant, habebunt sua palatia, vbi procul ab omni strepitu bibent, ludent, dormient, pro more: sine rura magis ipsos oblectabunt, in suis prætorijs & arcibus suaves habebunt recessus. Ita suo munere perfuncti erunt, nihil agendo. Hæc certè erit vera residentia.

Quantum ad parochias, sua scholis priuilegia confirmant: vt studij pretextus excuset absentiam. Itane? Vt interea dum adulescens & nouus tyro pastorem agere discit, nihilominus lac gregis exugat, qui carebit pastore? Demus hoc esse tolerabile. Quis tamen nescit, scholarum priuilegijs solos ignauos homines & culinarios frui? Ita fiet, vt perpetuò cogantur miseræ Ecclesie alere duos lupos: vnum domi, alterum foris. Quò dispensationes de non promouendo ultra annum, valere posthac nolunt, id verò non nisi à datarijs suggestum fuisse olfacio. Quanta enim fiet quæstus accessio, si quotannis noua prorogatio emenda erit? Denique, vnum hoc illis fuisse curæ videtur, vt qualemcumque iuris speciem haberent, in confusa rerum omnium perturbatione.

Verum etiam si ad vnguem formata essent præscripta, non est tamen quòd spe melioris status sibi boni gratulentur. Prius enim quàm legem vllam proferant, omnes simul abrogant vno verbo: vel saltem rationem demonstrant, quo possint momento abrogari. Præstantur enim ex ijs quæ dicturi sunt, nihil fore impedimento, quo minus salua maneat sedis Apostolicæ authoritas. Nunc secum quisque reputet, quibus illa finibus terminetur,  
vel

vel quousque pateat. Nonne tantum in vel et eiusmodi praefatio, ac si Papae licitum esse in-berent quod libuerit? Quale, obsecro, malis remedium afferunt, sic agendo? Neque enim eorum quae corrigenda suscipiunt, quicquam haecenus usitatum fuit, tanquam communi iure permissum: sed quod leges prohibebant, dispensationibus effectum est, ut impune fieret. Itaque nunquam iactantur, se regulam ipsam tenere: sed quia legibus soluti erant, licitum putarunt, quod per se legitimum alioqui non erat. Nunc cauent Neptunij patres, ne sit in posterum melius: cum diserte excipiunt, ne quid minuat ex Romanae curiae potentia: nam ut mille iam neccitantur legum nodi, xertius est Alexandriensis, qui simul omnes rescindat. An poterant magis aperte illudere orbi Christiano? Quid dico illudere? An contumelia maiore insultare poterant bonorum expectationi, cum ita praescis, barbaroque fastu, tan effrenatae Papae tyrannidi modum se imposituros negant? Vt cumque iam ad omnia mala occaluerint, qui sub Papatu degunt, diceret tamen hac una in parte scrupulosis oblitos, quod non modo liberos gemitus, sed altos clamores passim edunt: dispensationibus perditam esse Ecclesiam. Conuersi sunt omnium oculi in venerandos patres, quasi seueri animos: quae censores, ad cohibendam eiusmodi libidinem, sedeant. Sesquiannum meditati, tandem pronuntiant, sibi placere veterem disciplinam, modo sedi Apostolicae ius dispensandi, quale fuit, maneat. Hoc est dicere: ut catenus ratae sint leges, ne gratuita sit libertas, sed pretio redimatur. Et ne verecundia impeditus, parum audacter exerceat Papa hanc potestatem, titulum vniuersalis Episcopi, quem Gregorius nefarium, sacrilegum, scelerosum, praenuntiumque Antichristi appellat, subinde illi confirmat, dum Episcopis nihil aliud relinquit, quam ut sint ipsius vicarij. Vbi nunc illa, quam Hieronymus praedicat, aequalitas, dum Romanum Episcopum comparat Eugubino? Vbi illa Cypriani sententia, vnum esse Christi Episcopatum, cuius a singulis in solidum pars tenetur? Scribit Bernardus, communem suo tempore fuisse quae inoniam, truncari & mutilari Ecclesiam, quod Romanus Episcopus, omnium potestatem, ad se trahendo, ordines confunderet. Vt medeatur huic malo sacra Synodus, iubet Episcopos esse Papae vicarios.

Hierony.  
ad. Euagr  
Cypri. de  
simplicit.  
pracla.  
Bernard.  
de confy.  
ad Euge.  
lib. 3.

Ego, in exagitanda illorum impudentia, non plus sumam opera. Sed cum nemo non videat, esse plusquam deploratos: quisquis sapiet, non amplius morabitur eorum decreta, ut inde fidem habeat suspensam. Effset quidem maxime optandum, dissensiones, quibus hodie turbatur Ecclesia, pie Synodi auctoritate componi: verum, ut res habent, nondum id sperare licet. Proinde, cum horrendum in modum dissipatae sint Ecclesiae, nec ulla spes colligenda dispersionis ab hominibus atpareat: singulis nihil est melius, quam ad vexillum proferre, quod nobis filius Dei proponit. Hic non est quod alij alios expectent. Vt quisque emicantem Scripturae lucem animaduertit, eò mox sequatur. Quod autem ad vniuersum Ecclesiae corpus attinet: eius curam Domino commendemus. Non sumus interea resides, nec securi: pro se quisque satagat: conferamus quicquid in nobis est consilij, studij, facultatum denique, ad instaurandas Ecclesiae ruinas. Sed in rebus tam desperatis, sustentet nos, a quo animet ista promissio: quia nemo prodit ex hominibus, qui has, virili & heroico animo, partes suscipiat fore, ut Dominus sua iustitia armatus, brachioque suo instructus, omnia solus peragat.

Iesa. 59.

I E S A. V I I I.

Loquimini sermonem, & non stabit.

F I N I S.

VERA CHRISTIANAE PACI-  
FICATIONIS, ET ECCLE-  
siae reformandae ratio.

Hil. de  
Conci.



Peciosum quidem nomen est pacis (inquit Hilarius) & pulchra opinio unitatis. Sed quis ambigat, eam solam unitam Ecclesiae pacem esse, quae Christi est? Digna profecto sententia, quae nobis in mentem veniat, quoties de constituenda inter Christianos pace concordiaque agitur: ac praesertim ubi quaeritur in doctrina consensus. Nam quia à dissidijs pijs & moderati homines abhorrent, contentiones verò & certamina detestantur, fieri vix potest, quin plausibilis sit primo auditu, quaecumque de illis sedandis habetur oratio. Et quis, nisi humanitatis expers, si pacificandae Ecclesiae vera & seria fiat mentio, non libèter aurem animimque accommodet? Nemo enim est, vel modico duntaxat pietatis sensu praeditus, quem non excruciet, ac mœrore conficiat fœda hæc, horrendaque corporis Christi laceratio. At verò, cum astuti homines hoc se prætextu non raro insinuent, dum adulterare volunt sinceram Christi doctrinam, quis neget prudenter circumspectum esse, qualis pax nobis afferatur? nam sicuti ubique nobis pacem in primis commendat Christus, ita Evangelij sui veritatem unicum esse illius vinculum docet. Proinde, non est cur nobis fucum faciant Concordiae nominæ, qui à sincera Evangelij professione abducere nos tentant. Quid ergo? Optanda quidem est pax, summòque studio quaerenda: sed potius quam redimatur vlla pietatis iactura, caelum terræ, si ita opus est, misceatur.

Neque verò hic mihi vel cum Turcis, ac Iudæis disputatio est, qui nomen Christi cuperent penitus extinctum: vel cum crassioribus Papistis, qui apertam veræ doctrinæ abiegationem à nobis flagitant: sed cum fucata nescio cuius pacificationis architectis, qui nobis ita dimidium relinquunt Christum, ut nullam interea doctrinæ ipsius partem vel non observent, vel non aliqua mendacij labe aspergant. Atque hoc deformandæ pietatis artificium, Reformationis titulo, si Deo placet, venditant. Itæne, ut cum nos furtim abducant à pacis auctore, fucum nobis faciant, pacem frustra pollicendo?

Quarquam simulando nunquam tantum proficiunt, quin pateant ipsorum consilia. Sperant proculdubio, si Ecclesiae, quæ puriorem Christi doctrinam amplexæ sunt, semel declinauerint, passæque fuerint aliqua ex parte se corrumpi, facile, quod reliquum erit boni, mox perdituras. Nec sanè opinione falluntur. Hæc enim & iustissima & ordinaria est Dei ultio: ut qui sacrosanctam suam veritatem, scientes ac volentes sinunt mendacij inquinari, tãti boni possessione in totum exuantur: neque enim res est adeò vulgaris, ut vel minima eius diminutione, quod pretiosissimum ducitur inter homines, redimi debeat. Equidem scio impios & profanos homines, non ex Dei iudicio æstimare quid futurum sit, sed causam nescientes de euentu rectè iudicant.

Atqui, mirum est, quosdam esse tam leues, ne dicam mente alienatos, qui fidem talium hominum dictis habeant. Neque verò me lætet quid cogitent: si paululum nunc cesserint, maiores demde progressus, oblata occasione, se facturos. Sed vnde subito illa, quam sibi promittunt, occasio emerget? Video nunc eos à via recedere. Proinde, nihil minus sperandum, quam ut errando ad scopum perveniant: quin potius timendum est, ne

Deus

Deus dimidium hoc, quod retinent, inferendo, tam perfide, utior defectibus appareat. Verum qualemcunque sibi spem fingant, nimium tamen, ac plius nimio sibi permittunt, cum de eterna & immutabili Dei veritate paciscuntur, quousque valere debeat. Modo quod precipuum est, in creat saluum, inquirunt, aliorum tolerabilis erit iactura. Hoc verò perinde dicunt, ac si Christus eorum arbitrio se diuidendum tradidisset. Est aliquid, fateor, cum integra pietatis instauratio obtineri primo statim die nequit, precipua saltem capita consequi modo quod adhuc deest, persequi non desinamus. Verum, ubi integram Euangelij sui doctrinam nobis fruendam dedit Filius Dei, eam ex pacto lacerare, ut partem aliquam nobis seruemus, quam indignum sacrilegium est?

Sed hoc est, scilicet: cum subeunda est vitæ dimicatio, pauci quid sit Christi causam defendere, nouerunt. Quinetiam eò usque progreditur istorum impudentia, ut sibi in animo esse negent, temerè Deum tentare. Quasi verò in discrimen se proijciant non necessarium qui extrema quæque experiri maluit, quam à vitæ doctrina vel minimum vnguem deslectat. Vbi ergo sunt magnifica illæ voces, quas paulò ante gladijs accincti edebant? Qui sit, ut illis temeritas esse incipiat tuendæ veritatis constantia, simul ac moriendum esse vident, potius quam ab earecedatur? Nos verò, Paulinæ exhortationis memores, Christo eiusque Euangelij gloriam dare pergamus, siue per vitam, siue per mortem. Quicquid autem accidat, constitutum hoc cum animis nostris habeamus, nullas auribus condiciones patris admittere, quæ puræ Dei veritati hominum figmenta permisceant. Maneat, inquam, illud fixum, audiendam ab omnibus esse solam pastoris vocem: alienorum cauendam esse, ac respuendam.

Hinc colligere promptum est, quænam sit in picandis dissidijs ineunda ratio. Nisi enim nos terrentur hominum offensa, & quasi oculos perstringerent: imo nisi quidam, dum nimium cauti esse volunt, excutirent in clarissima luce, facile, quæ necessaria sunt ad conseruandum Ecclesie statum, doctrinæ capita, inter nos conueniret. Sed quia rectum iudicium, nisi ex re ipsa, fieri nequit, opera pretium mihi videor facturum, si ea ipsa, in quibus nihil remitti potest, breuiter recessam. Scio multis tritam esse hanc vocem: de cæteris non esse pertinacius litigandum, modo salua maneant gratuita iustificationis doctrina. Qui sic loquuntur, neque totum, neque nihil dicunt. Fateor equidem, nunquam nobis constare solidam salutis nostræ noticiam, quin totam ferè summam Christi inæ doctrinæ secum trahat. Sed primum, in Christianæ doctrinæ summa, Dei cultum (in quo eius honor vertitur) non modò posthaberi saluti hominum, sed silentio præteriri, perquam iniquum erat, ut postea iterum attingam. Deinde multum interest, verbone vno dumtaxat proferas, fide nos iustificari, an rem totam deserte explicatam proponas. Quòd si in rebus quoque minutis, sedulo obuiare omnes solent controuersus, quæ oriri ex verborum obscuritate possent, cur non in re maximi momenti eadem saltem, si non maior, adhibebitur cautio?

Promde, quòd probent isti homines, sibi cura esse, ut hanc doctrinæ partem de gratuita iustificatione saluam retineant, primo statuendum est, quid per se valeat homo. Nam hoc ordine primum est, cum inter hominis naturam & Dei gratiam discernimus, videre quidam illa proprium habeat. Hic, Mediatores nescio qui exoriuntur, qui ut flexilonguis ambagibus aduersarios placentes, interimant piæ animas, arbitrij libertatem homini relinquunt, licet infirmam ac læsam. Scilicet de alieno sunt liberales, cum ad hominem transferunt, quod proprium erat Dei gratiæ. Fatendum est sanè, homini restare voluntatem, etiam dum captiuus tenetur sub peccati & Sathaniæ tyrannide: sed qui se putant satisfacturos, cum superbum libertatis nomen infirmæ potentis epitheto defunctorie

temperant? Cùm verò modum adipiscendæ iustificationis describunt, Deum non agere cum homine decent, quasi cum trunco: Non enim trahere, nisi volentem. Quis negat? Sed hoc quæritur, unde ista humana voluntati docilitas, ut se Deo obsequentem præbeat: cùm natura prorsus contumax sit & immovigera. Annon hoc est in limine impingere: cùm hinc extenuant hominis miseriam, hinc diuine gratiæ auxilium obscurant? Aut ergo vera iustificationis ratio nobis minimè constabit, aut hinc faciendum erit exordium: cæcæ esse hominis mentem, donec à Dei spiritu illuminetur: voluntatem malo esse addictam, totamque ad malum ferri ac rapi, donec ab eodem corrigatur: nec aliunde nasci voluntariam gratiæ receptionem, nisi quòd Deus cor ex lapideo, carneum formans, ad se nos reflectit, qui prius eramus auersi.

Cùm autem ad ipsam verbi definitionem venit, hic verò cauendum est, ne operum respectus admisceatur gratiæ reconciliationi, quæ tota in remissione peccatorum posita est. Et si enim nunquam reconciliamur Deo, quin simul donemur inherente iustitia: distinguunt tamen debent, quæ separari nequeunt. Atque hoc secundum est in hac quæstione mētrūm: definitam habere rationē, quia nos Deus iustificat. Dicimus itaque, nos fide iustificari, quia nobis imputatur Christi iustitia. Si quis ex aduerso obijciat, non aliter nos fieri participes Christi iustitiæ, quàm dum eius Spiritu in obedientiam legis renouamur: hoc quidē factū est sed in regeneratione, qualiscunque sit, negamus constituendam esse iustitiam. Neque id facimus vel litigandi studio, vel quia nihil, quod minus nobis placeat, velimus prætermisissimum. Urget nos causa maximè necessaria. Agitur enim conscientie tranquillitas: sine qua nos omnes miserimos esse oportet, imo iam ferè perditos. Quæritur, inquam, vbi nam tutò acquiescant conscientie, cùm de salute nostra agitur. Si inquietudine agitantur vel hæsitant, Paulus exinanitam esse fidem docet. Id autem necessariò accidere pronūtiat, quandiu in legem respiciunt. Quid igitur? Ut nobis salus constet, simul necesse est certam constare iustitiæ fiduciam. Huius quantulacunque pars in operibus fuerit reposita, tanquam parum solido fundamento suffulta, nutabit. Restat igitur, ut in solam peccatorum veniam recumbat. Plana res est, non aliter nos posse in Dei iudicium intrepidus venire, quàm si certò persuasi simus, eum nobis esse Patrem: quod fieri nequit, quin iusti coram eo censeamur. Adeoque præclusus est nobis omnis ad ipsum aditus, nisi paterna eius beneuolentiæ freti, ut Patrem non dubitauerit inuocemus. Quòd si nulla est nec salus, nec Dei inuocatio, sine tranquilla certaque conscientie fiducia: rursus autem nusquam acquiescere conscientia potest, nisi in certa iustitia: quis dubitet totam hominis iustitiam, cui inniti debet, gratiæ peccatorum remissione contineri? Fucum itaque faciunt Meditatores, qui iustitiam inherentem concurrere fingunt cum Christi merito, cùm de iustificando homine disputatio est instituta. Eiusmodi concursus horribilem conflictum pariat necesse est, donec operum prorsus oblitus, abiectaque eorum mentione, non iustitiæ modo partem, sed totam ipsam in solidum à Christo mutuemur.

Negant Deum terreni iudicis more agere nobiscum, ut absoluat tantum non etiam vera iustitia donet. Fateor. Sed cùm duplex simul gratia nobis à Christo conferatur, ad quid utraque valeat, sedulo considerandum est. Nunc quæritur, unde fiat, ut Deo simus accepti. Si opera cum gratuita iustitiæ imputatione misceantur, altera mox emerget quæstio, quousque in conciliando Dei fauore illa valeant: an hæc præcipuas obtineat partes, an quasi inferius sit adminiculum. In hūc modum si distrahat salus fiducia, nihil poterit quàm vacillare. Quid hoc aliud est, quàm subuertere ab imo fundamentū? Itaque, meritò Paulus fidei iustitiæ in peccatorū remissione simpliciter includit, docens eā à Dauide describi, cùm

Roma. 4,

beatissimo



beatum hominem pronuntiat, cui non imputantur peccata. Et certè beatitudo illa, cuius Dominus meminit, ex iustitia manat. Sequitur ergo, nos eò esse iustos, qui nobis peccata non imputantur. Vnde & hanc salutis scientiam nuncupat in cantico suo Zacharius, ubi de peccatorum remissione sumus edocti. In summa, meminerimus, non hic simpliciter de iustitia Dei erga nos gratia esse disputationem: sed de causa nostræ, cum ipso, reconciliationis, quæ nisi unica statuitur, nulla est. Neque enim Scriptura, partem duntaxat nostræ iustitiæ mutuari à Christo iubet, ut suppleat quod operibus nostris deest: sed partem restatur. Apostolus, ipsum nobis factum esse iustitiam. Et alibi, nos in ipso iustos esse apud Deum: quia non imputentur nobis amplius peccata.

Commendanda quidem eorum, quæ à Christo percipimus, bonorum tum amplitudo, tum varietas: neque ad unam speciem eius officium vimque restringi decet. Nec verò, cum homines dicimus gratis iustificari Christi beneficio, tacenda est regenerationis gratia: quin potius cauendum, ne à nobis separentur, quæ perpetuò Dominus coniungit. Quæ ergo? Doceantur homines, fieri non posse ut iusti censeantur Christi merito, quin renouentur eius Spiritu in sanctâ vitam: frustrâque gratuita Dei adoptione gloriari omnes, in quibus Spiritus regenerationis nò habitat. Denique, nullos à Deo recipi in gratiam, qui non iusti quoque verè fiant. Sed distinctione opus est, ne ex duobus domis alterum alieni quid deroget. Ita sibi necessariam esse sentiât regenerationem filij Dei, ut plenam nihilominus sibi iustitiam in Christo constare sciant. Ita se intelligant ad vitæ sanctitatem bonorumque operum studium creatos & ordinatos, ut in unum Christi meritum, toto animi sui sensu, recumbant. Ita fruantur, quæ donati sunt, vitæ iustitiæ, ut ea tamen diffusi, non aliam quàm obedientiæ Christi fiduciam, in Dei iudicium afferant.

Atque, ut remoueantur ambages, necesse est ita in summo gradu collocari, quàm fide obtinemus iustitiam, & quæ gratis nobis accepta fertur: ut quoties ad Dei tribunal vocantur conscientie, ipsa secula emineat. Ita fiet, ut operum iustitiæ, qualiscunque esse in nobis potest, in ordinem suum coacta, illi minimè, veluti ad conflictum, opponatur. Et sanè æquum est, cum hæc ab illa pendeat, ita subordinari, ut totam illi possessionem in hominis salute relinquat. Nec dubium est, quin Paulus, ubi disputat de hominis iustificatione, in hoc vno capite verferetur, quomodo Deum sibi propitiuum esse stituat. Hic non ad qualitatem nobis infusam nos reuocat, sed præterita operum mentione, quærendam extra nos iustitiam esse docet. Alii qui nunquam stabit illa, quam tanto opere ubique vrgent, fidei certitudo. Multo minus illa inter fidei & operum iustitiam antithesis, quam affert decimo ad Romanos capite. Ergo, nisi ludere in re tam seria lubet, quod nimis periculosum foret, retinenda est verbi proprietates, quæ rei cognitionem secum trahit. Nam si rem nobis concederent, qui hanc doctrinam partem inuoluunt suis commentis, ego certamen de verbo facile remitterè. Sed qui duas inter se iustitias committunt, quia hoc moluntur, ne gratuita sit in solidum hominis iustitia, nequaquam ferendi sunt.

Obuiandum etiam est eorum calumniæ: dum Iacobum obtendunt, & alios similes locos colligunt in Scripturis, ubi verbum Iustificandi aliter capitur: ut suum inde concursum stabiliant. Neque enim intelligit Iacobus, hominem vel minima ex parte sibi apud Deum acquirere iustitiam operum meritis: sed de iustitiæ tantum approbatione tractat. Quis autem negat, factis unumquenque suis probare qualis sit? Sed longè aliud est, hominibus facere affectus tui fidem, quàm salutem coram Deo promereri. Proinde, ne ex diuersa vocis significatione fucus nobis fiat, semper notanda est relatio vel ad Deum, vel ad homines. Porro, non negamus, iustos nominari Dei filios, aut à vitæ sanctitate, aut à pura cōscientia:

*Sed quia nullum opus, si appendatur in Dei trutina, reperietur nisi mancum, & sordibus etiam inquinatum: inde constituimus, hanc iustitiæ appellationem ubi operibus tribuitur, in gratuita venia fundatam esse. Ergo ideo iusti sunt operibus fideles, quia nullo operum merito aut respectu iusti: cum operum iustitia ex fidei iustitia pendeat. Hinc etiam apparet, quid de operum mercede sit sentiendum. Non est certè in Domino piorum labor, cui & varia quotidie præmia in mundo rependuntur, & summum in cælis repositum est. Sed longè falluntur, qui putant quicquam mercedis bonis operibus, quasi debitum, rependi: semper enim huc redeundum: sicuti nullam esse iustitiam Deus pronuntiat, nisi in perfecta legis obedientia, ita, nihil homines promereri, nisi omnia legis mandata in solidum præstent. Quisquis enim vel in vno apice defecerit, eum manet æterna maledictio, si iure cum ipso agatur. Quare, promissiones vniuersas, quæ pactum legis implendæ continent, non dubitat Paulus irritas facere, donec gratuita promissionis beneficio mitigatus fuerit ille rigor. Promissionem gratuitam accipio, non qualiter multi solent: quia cum nos & nostra omnia debeamus Deo, ipse vtrò & liberaliter operibus, quæ iure suo exigere à nobis poterat, mercedem promiserit: sed quia mercedem ex voluntaria potius fauoris sui dignatione, quàm ex propria eorum dignitate assignat. Nam illa quauis liberalis promissio, quæ pacto legis implendæ annexa est, per se nihil nos iuuat: quia nemo, qui officio suo satisfaciât, vquam reperietur. Proinde, nouæ iterum promissionis subsidio opus est: ut scilicet ideo præmium habeant opera, quia cum venia placent. Ita fit, ut non fraudentur spe mercedis fideles, qui illis stimulus esse debet ad bonorum operum studium: neque tamen rursus vel peruersa fiducia insulentur, neque efferantur inani gloria. Hæc vera est mercedis ratio: non ut operum merito aut dignitati ex æquo respondeat, sed ut gratuita eorum acceptione nitatur.*

*Ad hæc minime ferendum, ut fides ipsa, quæ causa est iustitiæ, falsa interpretatione non obscuretur modò, sed etiam adulteretur. Quod faciunt, qui eam verè stare fingunt absque charitate. Vetus est sophistarum commentum, Fidem quæ sit informis, veram nihilominus esse: accessione verò charitatis formari. Porro inde natus est error, quòd fidem esse putant nudam frigidamque notitiam, quæ Deum esse veracem confuse apprehendat. Nos de vocibus non litigamus, sed cum in hac quæstione vertatur salus hominum, nimis periculosa est ambiguitas, quæ totam doctrinam tenebris inuoluat. Sicuti nos gratis iustificat Deus, Christi obedientiam nobis imputando: ita tanti beneficii non nisi sola fide compotes efficiamur. Sicuti peccata nostra expiuit filius Dei, mortis suæ sacrificio, Patrisque iræ placata, adoptionis gratiam nobis acquisiuit, nuncque iustitia sua nos donat: ita non nisi fide ipsum induimus, ut simus bonorum eius participes. Nunc si nesciamus quid sit fides, quis nobis ad salutem adipiscendam aditus patebit? Qui autem obliquis suis moderationibus pacem hodie redimunt à Papis, fidem veram, quæ Christianos ab infidelibus discernit, fatentur charitate posse esse vacuam. Perinde ergo faciunt, ac si quis vinum in dolio inclusum commendet, epistomium verò abscindat, ne cui liceat inde haurire.*

*Iam satis patere arbitror, quantum opere referat, ut salua maneat de iustificatione doctrina, habere certam fidei definitionem. Et certè, quænam sit partim ex iustificationis effectu licet colligere. Iustificat enim, quia facit ut Christum induamus, ut habitet in nobis, ut simus eius membra. Quæ cum Filio Dei nos vnum facit, an sine eius Spiritu esse potest? Id verò non minus est absurdum, quàm si quis asserat, animam carere vita, quæ ipsa corpus inspirat, quæ motum illi dat & sensum, quæ ipseus denique vita est. Si quis hoc vnum teneat, fide Christum possideri, in illa distinctione fidei formatæ & informis non amplius hæsitabit. Fides, inquam, firma est conscientie certitudo, quæ Christi-*

Christum amplectitur, qualis nobis per Euangelium offertur. Atqui, nonne unum est ex precipuis donis quæ nobis confert vitæ nouitas? Unde & in sanctificationem nobis datus esse dicitur. Fides, animæ est resurrectio, quemadmodum Christus pronuntiat his verbis: *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet. Quomodo igitur mortua esset, cum sit uiuifica?* Fides diuinæ adoptionis est testimonium. Quomodo autem filij Dei, nisi qui Spiritu eius reguntur? Fides, nobis aditum ad Deum patefacit. Quomodo id fieret sine bona conscientia?

Ut hæc vel non sunt, vel taceantur: tamen ut pax in unitate fidei nobis constet, prius de fidei nomine inter nos conuenire necesse est. Sed quia iam presatus sum, mihi in presentia sufficere, si demonstrarem quàm procul à retinenda iustificatione absint, qui dum hostes veritatis placare student, medium excogitant doctrinæ genus, quod neque cælum neque terram attingit: in hoc argumento me contineo. Ergo quantum ad obtinendam coram Deo iustitiam spectat, hæc quinque de fide necessariò tenenda esse dico. Primum, inlubiam esse persuasionem, qua uerbum à Prophetis & Apostolis allatum, tanquam ueritatem à Deo profectam, suscipimus. Deinde hæc in uerbo Dei propriè intueri gratuitas promissiones, Christumque præsertim earum pignus & fundamentum: ut in paterno Dei fauore acquiescentes, salutis æternæ fiduciam concipere audeamus. Tertio, non esse hanc nudam notitiam, quæ in mente uolitet, sed uiuum quoque affectum secum trahere, qui cordi insideat. Quarto, non ex humanæ mentis perspicacia eandem hanc nasci, vel ex proprio cordis motu, sed esse singulare Spiritus sancti opus, cuius est, tum mentes illuminare, tum obsequare corda. Postremò, non omnes promiscuè hanc Spiritus efficaciam sentire, sed qui ad uitam sunt ordinati. Quod ordine primum posuimus, quia in cõfesso est apud omnes, probatione nulla indiget. In secundo etiam probando, non tam sedulo colligenda sunt testimonia, quàm admonendus lector, ut quæ passim occurrunt in Scripturis, expendat. Sunt enim propè innumera. Et breuitati studendum est. Paulus cum à lege discernit Euangelium, fidei doctrinam appellat. Et alibi, reuelari in ipso Dei iustitiam docet ex fide in fidem. Item, Ideo inquit, ex fide, ut secundum gratiam: quò firma sit promissio. Eòdem pertinet quod scribit, Euangelium in obedientiam fidei prædicari. Et ubi Euangelium non ex lege, sed ex promissione esse docet: continuò post concludit, ut promissio ex fide detur. Quibus uerbis aperte notatur mutua inter fidem & gratuitas Dei promissiones relatiò. Hinc iam conficitur, fidem in Christo solo quiescere: ut pote in quo omnes Dei promissiones sunt, Etiam & Amen. Ita enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit: ut quisquis in eum credit, non pereat. Quæ sententia non frustra toties repetitur. Quare alibi Paulus, cum lucem Euangelij commendat, dicit illic resfulgere Dei gloriam in facie Christi. Nec temerè, cum de fide meminit Scriptura, quasi expositionis uice additur, In Christum. Significat enim hæc particula, quod latius docetur tertio capite ad Romanos: Christum esse propositum reconciliatorem, ut per fidem, intercedente ipsius sanguine, gratis iustificemur Dei gratia. Quod ipsum deinde pluribus locis confirmat. Idem sibi uult quod ad Galat. scribit, non nisi in uño semine, hoc est Christo, stabilitas fuisse promissiones. Eadem uariatione, tam ad Eph. quàm ad Philip. fidem interpretatur, cognitionem Filij Dei: in qua etiam totam sapientiam piorum includit: quemadmodum alibi negat, quicquam sibi aliud esse eximum: & se Iesum Christum prædicasse gloriatur, tanquam in quo consistat Euangelij summa.

Porrò ex fide gigni diuini in nos amoris fiduciam, uel unus locus abundè testatur,

Ioan. 11.

Rom. 10.  
Rom. 1.  
Gal. 3.  
Rom. 4.  
Rom. 11.  
& 10.  
Gal. 4.2. Cor. 1.  
Ioan. 3.

2. Cor. 5.

Gala. 3.  
Eph. 4.  
Philip. 3.  
1. Cor. 2.

quinto ad Roma. cap. ubi docet Paulus tranquillās nobis esse conscientias, ut audeamus de spe vitæ æternæ gloriari. Et prius dixerat, nos ex fide esse hæredes, ne vacillemus trepidi & dubij. Vnde constat requiri firmam certitudinem. In eundem modum ad Ephesios scribit, nos per Christum habere audaciam & aditum ad Patrem cum fiducia, quæ est per fidem eius. Nec Ioannes opinari nos dicit, sed scire, quod filij Dei simus: tamen si nondum appareat. Hoc ergo qui non tenet, fidei naturam prorsus ignorat. Hoc autem posito, liquet fidem cum serio affectu semper coniunctam esse. Alioqui, non iuberet nos Paulus radices agere in Christo & superstrui fide, nec ipsa haberet nomen obedientie: multò minus victoria nostra aduersus mundum diceretur. Et sanè, cum Paulus scribit, corde, ad iustitiam credi, non eam in cerebro locat: sed penitus defixam esse significat in hominis anima. Eloquia illa, quæ prius commemoravi, nunc omitto: quod sit vita animæ, quod per eam Christus in nobis habitet, quod nobis ad discende salutis sit causa, ac similia: quæ tamen simplici notitiæ nequaquam conuenirent. Atque hoc est quod alibi intelligit Paulus, cum dicit, nos faciem Dei in Euangelij speculo intuentes, in ipsam transformari ex gloria in gloriam. Vita enim & efficax sit oportet cognitio, quæ ita nos in imaginem Dei transformet.

Iam fidem diuinæ illuminationis opus esse, tot testimonijs Scriptura confirmat, quoties cæcitatatis damnat humanam mentem. Sed quoniam nimis longum esset, locos omnes colligere: paucos tantum annotabo, qui se primi offerent. Aliud nihil agit Paulus primo & secundo capite Epistolæ ad Corinthios prioris, nisi ut hebetem esse & nihili omnem humani ingenij perspicaciam in Dei mysterijs, ostendat. Qui ergo ad ea penetrant, non ex voluntate hominis aut carnis, sed ex Deo nati sunt. Neque enim caro & sanguis reuelant, sed Pater qui in cælis est. Quare rogat Paulus Deum, ut Ephesus aperiat mentis oculos, detque illis Spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem sui, ut comprehendere queant, quæ sit sua vocatio. Et merito: siquidem, ut postea subiicit, dilectio Christi ad quem vocamur, omnem cognitionem supereminet. Vnde sequitur, quod alibi affirmat, nobis dari ut credamus: nec posse homines quicquam accipere, nisi illis è cælo datum fuerit: neminem ad Christum venire, nisi trahatur à Patre. Ad hæc, si excutiamus cor humanum, reperiemus non modò ad diffidentiam propensum esse, sed toto naturæ instinctu illuc ferri. Quare, iterum hic nobis subueniat Dei Spiritus, necesse est: sitque nobis & arrabo & sigillum. Hic est, qui nobis os aperit, ut audeamus absque metu, Deum Patrem inuocare, qui sanguine Christi animas nostras irrigat, qui vitam nobis facit eius gratiam, qui Dei charitate corda nostra perfundit, ut intrepidè gloriemur, nos esse eius filios, qui denique nos ducit in omnem veritatem: idque ut sciamus, quæ nobis à Deo donata sunt.

Quod ultimo loco posui, sumptum est ex Luca, qui Pauli doctrinæ credidisse narrat, quotquot ad vitam erant præordinati. Et sanè, cum omnes promiscuè externa prædicatione inuitet Deus: hoc solo electos suos discernit à reprobis, quod hos cæcutire in luce sinens, illos nouis oculis donat, quibus cernant, & corda in obedientiam verbi sui inclinat. Proinde efficaci vocatione arcanam suam electionem patefacit. Vocat nos, inquit Paulus, quemadmodum in Filio suo elegit ante creatum mundum. Item, Illius opus sumus, creati in Christo ad bona opera, quæ præparauit, ut in illis ambulemus. Hoc ideo notandum est, quia, ut plus æquo superbi sunt homines, ad se rapiunt quod erat vni Deo adscribendum. Cui præpostera arrogantia gratuitam suam adoptionem opponit Deus, quæ ipsa sibi causa est ad nos vocandos: adeoque sola nos discernit. Nunquam certè præuenitur à nobis Deus, sed quærit oues errantes ac perditas. Porrò efficacia vocationis, cuius memini, sic accipi debet, quod non tantum nobis offertur Dei gratia, sed ad eam amplexandam voluntas quoque nostra

nostra formatur. Nam inter electos & reprobos id interest, quod cum utrosque alloquatur Deus voce hominis, illos peculiariter Spiritu suo intus docet. Comune, inquam, utrisque est hominis ministerium, sed interior Spiritus gratia, specialis est electis. Quod pertinet Christi sententia: Quicumque à Patre audiuit ac didicit, venit ad me.

Ioan. 6.

Nisi hæc extra controuersiam posita fuerint: licet auium more subinde garriamus, nos fide iustificari, iustificationem ipsam nunquam tenebimus. Nihil autem melius est, furtim subduci ab unico salutis fundamento, quam palam excuti. Verum, sunt etiam alia, in quibus laruati Mediatores hanc doctrinam partem malitiosè subuertunt, quam velle se tueri verbo profitentur. Peccatorum confessionem obtinendæ veniæ necessariam esse fingunt. Cui autem confiteri nos iubent? Non Deo: sed sacerdotibus. Nónne plusquam impudenter obtenditur nomen gratuita iustificationis, cum hæc conscientijs imponitur necessitas? Ut liberæ sint conscientiæ à metu æternæ mortis, ipsam quoque Dei legem abrogari oportet, ne maledictione eas obstringat. Quid nunc si nouarum legum laqueis induuntur, quæ fortius eas adstringant? Scriptura nos iustificari testatur, non quia impleamus legem, sed quia recumbamus in Christi sacrificium, quo expiata sunt peccata. Non ergo legis obseruatio, sed transgressionum venia nos iustificat. Nunc cum ipsa peccatorum remissio quæ à vinculis omnibus nos soluit, conditioni illigatur, nõnne tota conscientijs excutitur salutis certitudo? Peccatorum remissionem nobis prouidit: sed hac lege, si in aurem sacerdotis confessi fuerimus. Quid hoc, quæso, aliud est, quam humanæ legi subicere diuinæ Legis absolutiorem, & ipsi ut ita loquar, manumissionis vindictæ seruitutem imponere? Sic enim statuunt eiusmodi legislatores, ne peccatorum remissio, quæ nos liberat, ipsa sit libera.

Præterea atrocem Deo iniuriam faciunt, qui tantum arrogant hominibus, ut ipsorum arbitrio remittantur peccata. Præsertim cum hoc vni sibi tam seuerè vindicet apud <sup>Esa. 43.</sup> Prophetam: Ego sum, ego sum, inquit, qui deleo iniquitates tuas. Quid autem? an Deus ipse cum beneficium istud nobis offert, confitendi legem imponit? An Christus ipse, cuius maximè proprium est hoc officium & mandatum, tale quidquam prescribit, peccata remittendo? Nusquam hoc legitur. Nunc cum insurgunt homines, manumque iniiciunt Christo ad restringendam eius gratiam, nõnne plusquam sacrilega audacia est? Et nos, si tantum iuris permittimus hominibus, ut reconciliandæ inter nos & Deum gratiæ ipsi sint arbitri ad leges dictandas, nõnne Christi beneficium, tali ingratitude repudiamus? Hoc certè, nisi impudenter, negari non potest. Confugimus miseri omnes nos, ut necesse est, ad peccatorum veniam, tanquam ad unicum salutis asylum. Certa nobis via à Filio Dei monstratur. Certa ratio traditur tanti boni potiendi. Hic se interponit mortalis homo, aditumque præcludere aude: ianuam ostendit à se obseratam, nec aperiri, nisi confessionis clauæ, patitur. Hanc in se tyrannidem qui suscipiunt, statuuntne Christum unicum iustitiæ authorem, ac non potius honoris partem illi ereptam aliò transcribunt? Et ubi gratuita iustitia, si hoc modo redimitur?

Porro, quoniam hæctenus expertæ sunt piæ animæ, quàm dira esset carnificina, cum ad eiusmodi confessionem adigebantur: ut minore doloris sensu eas interimitant falsi Mediatores, mediam viam excogitant. Dicunt enim, neque nimis laxandam confessionem, neque rursus nimis stringendam. Videtur certè aliquid profectum, cum ex illa enumeratione aliquid remittitur. Nuxæ scilicet: nam si statuimus non absolui coram Deo, nisi qui sacerdoti sua peccata confessi fuerint: cui inde apiculum detrachere fas erit? Nónne semper periclitabimur, ne si quid à nobis prætermisissimum est, in iudicium Deus reuocet? Hæc demum pax est conscientiæ, sine qua nulla est salus, cum indubia est absolutiōnis fides. Si confiteri

prius quempiam necesse est quàm absoluat, quousque urgeat hæc necessitas, non est in hominis arbitrio definire. Ita nihil præter assiduam inquietudinem, lentumque tormentum, & perplexas ambages relinquitur, quæ animam nihilominus conscient, quàm si aperitè iugularetur. Contenti sunt Mediatores, si recensentur peccata, quæ diligenter cogitanti, & sese excutienti in mentem veniunt. Quid hoc est aliud, quàm venenum gutta mellis illinere, ut primo gustu minus sentiatur? Nam si quid iustæ diligentia vel minimum defuerit, hic hærebit peccator. Imò labefactabitur tota promissio: & tandem abyssus abyssum trahet. Si hæc est salutis scientia, tranquillo animo in peccatorum veniam recumbere: quisquis hunc laqueum sponte induet, sciens ac volens salutem suam proijcit.

Quod autem huic impiè tyrannidi prætexitur Christi auctoritas, non minore fit impudentia, quàm malitia. Antehac Sorbonicis theologastris propter crassam inscitiam poterat ignosci, cum Scripturam perperam corrumpent. Nunc in tanta luce non eadem valere debet excusatio. Obtinent mediatores, ligandi & soluendi potestatem Apostolis esse datã. Addunt postea, exerceri non posse, nisi intelligat qui ea fungitur, retinerene, an soluere debeat. Inde enumerationem conficiunt. Quid tam puerile obiectum, toties à nobis refutatum, nunc de-integro excutiam? Cum instruuntur ligandi & soluendi potestate Apostoli, hoc elogio vim & fructum Euangelij commẽdari, certum est. Magnopere enim refert, ut ratam esse coram Deo absolutionem sciamus, quæ nobis nuntiatur ore hominis. Meminerimus, homines esse mortales, qui nos ab æternæ mortis reatu exemptos esse restantur. Tantæ rei testimonio, ne Angeli quidem pares forent. Quid ergo nobis fieret, nisi suam auctoritatem interponeret ipse Filius Dei, ad sancendam mandati sui fidem? Ipsa porro mandati executio, omnem hac de re dubitationem tollit. Neque enim audiendis confessionibus, sed prædicando Euangelio, ligandi soluendique munus exercuerunt Apostoli. Quinetiam palam est melioribus seculis, quibus floruit religio, vel lignorum fuisse confitentium, vel non ita communiter receptum fuisse. Certè extra controversiam est, totos mille annos & supra, hæc lege solutas fuisse Ecclesias, quam novi Mediatores quasi perpetuã, & unã cum Euangelio natam, obtrudunt. Quod si necessaria est, quam fingunt cognitio, ut peccata remittere nequeat, nisi qui audiuit: temeritatis dammandi sunt, non modò præstantissimi quique veteris Ecclesiæ pastores, sed Apostoli ipsi, adeoque omnium Magister & Dominus, qui omnes, cum morem confitendi nescirẽt, ligare tamen & soluere ausi sunt.

Scio eiusmodi homines, ubi species aliqua utilitatis se ostendit, quidvis sibi iubendum permittere. Atque hæc ratio est, cur tantopere confessionem urgeant, quia mundum volunt sibi obnoxium facere, ut obsequentem habeant. Multis ergo nominibus confitentium utilissimum esse contendunt. Nempe, si reputamus, quid priuatim ipsis expediat. Cum tamen omnia dixerunt, nihil afferunt magis speciosum, quàm quòd impios cogunt semel quotannis erubescere. Scilicet, multum profectum est, cum apud nos plus hominum valet pudor, quàm Dei & Angelorum reuerentia. Et tamen hoc ipsum esse falsissimum vixus, qui optimus est magister, docet. Eò enim maiore peccandi proteruita lasciuunt, quia se fore saluos confidunt, simul ac in aurem sacrifici quicquid intus eos grauat, exonerauerint. Perinde ac si Dei tribunal effugerent, iudicium hominibus deferendo. Denique non secus ac ebriosi, vomendo ad nouam crapulam se comparant. Quid autem ex aduerso nobis promptum esset obijcere? An non ex hac lerna innumeras malorum species prodire notum est? Verum, ut demus esse verum quod postulãnt, nihil tanti esse debet, ut in seruitutem redigantur conscientie, prostituantur Christi gratia, opprimatur fides. Ut maximè, inquam, expediat, cogi ad confitenda sua peccata homines, fucum tamen facere, quasi res sit ad salu-

tem necessaria, neque fas est, neque expedit. Stringi enim talium legum vinculis conscientia nequeunt, quin strangulentur. Ergo omnibus illis abruptis, discamus solus gratiæ misericordiae promissionibus, omnes sensus habere deuinctos.

Similiter, cum de spiritali conscientia foro agitur, nulla satisfactionum fiat mentio. Vnica enim est Christi satisfactio, quæ non culpæ tantum æternæque mortis reatu nos eximit: sed temporalibus quoque poenis redimendus est pretium. Arridet quidem, prima specie, illa distinctio: poenam æternam gratis remitti Christi beneficio: temporales autem, nostris satisfactionibus: sed re propius inspecta, protinus euanescit. Reclamant primum omnes Prophetæ, qui Dei misericordiae, poenarum relaxationem ubique assignant. Quod Deus gratis condonat, certum est, nullis operibus nos promereri. Atqui, dum ita Deum loquentem inducit Propheta: Propter me faciam, non propter vos: de remittenda temporali poena sermo habetur. Imo quoties ferè ad petendam gratuitam veniam confugiunt, externas calamitates deprecantur, ut sunt iræ Dei indicia. Et cum nos recipit Deus in gratiam, simul finem malis se imposturum promittit. Denique, sicuti culpam poena sequitur, tanquam fructus arborem: ita culpa remissa, tanquam excisa radice, poena quoque extinguitur. Verum est quidem hoc optimum esse remedium, ne iudicentur homines à Deo, si seipsos iudicent: quem admodum testatur Paulus. Id tamen perinde accipi non debet, ac si mutua compensatione ipsum placarent. Sed cum hoc unum agat Deus nos puniendo, ut ad poenitentiam cogat, non mirum est, si poenæ dicatur occurrere peccator, qui sponte se corrigit. Verbis enim nos inuitat prius cœlestis Pater, quam manu feriat. Si voluntaria in nobis conuersio apparet, obtinuit quod volebat. Illic iam cessat puniendi materia. Denique, sicut in futurum tempus reficiunt, quæ piis infliguntur poenæ: ita qui eas auertere cupit, non est quod sudeat satisfactioe aliqua, quod deliquit, expungere: sed se quibuscumque potest modis cum ad humilitatem, tum ad veram resipiscentiam erudiens, sui ipse peccati ultor sit homo: ne Deum experiatur ultorem. Qui Deum sibi vult parcere, ipse sibi ne parcat, nec indulgeat. Qui erigi vult à Deo, seipse humiliet. Sed hoc totum nihil ad mutuam compensationem: nam qui in hunc modum de se poenas sumunt, quod præueniant Dei iudicium, constituunt sibi nihilominus in Christi sacrificio non modo culpæ expiationem: sed poenarum etiam, quas cumque meriti sunt, veniam. Satisfactiones porro, quarum usus est in Ecclesia, cum ad exemplum magis pertineant, pars sunt ordinis politici, non autem spiritalis iustitiæ subsidia.

Huic doctrinæ, qui vel tantillum derogant, nunquam tam speciosos habebunt pretextus, quin saltem palam fiat, exitiales ipsos tendere insidias hominum salutis: quas si cauere negligimus, frustra posthac gememus salutem amissam, quam ipsi sponte prodiderimus Sathans, et eius ministris. Cauendum itaque, ne illæ nos denulceant Sivenum voces. Hoc parum est: Hoc commoda interpretatione mitigabitur: Hoc facile latebit: Hoc admittetur non magno periculo. Potius audiamus monentem Christum: Ambulate dum lucem habetis. Nam si quas patimur claræ luci nubeculas opponi, citius quam putemus, obruent nos tenebræ. Vnica est ianua, qua ingredi nos in vitam æternam oportet: vnica est via, qua ad eam peruenitur. Minimè ab his deflexus, proclius est in mortem error. Huc accedit, quod obliquis velut cuniculis simul impetitur Christi gloria, quam ita coniunctam esse cum salute nostra voluit, ut alteri qui detrahit, utrumque violet. Ergo in asserenda gratiæ iustificationis doctrina, non tantum quam sit nobis chara nostra salus: sed etiam, quam pretiosa Christi gloria, specimen edendum est. Vnde apparet, quam detestandum interitum nobis moliantur perfidi Mediatores, qui suis fucis huc nos inducunt, ut non minus in Filium Dei simus ingrati, quam propria salutis proditores.

Ezech. 10.  
6.

1. Cor. 11.

Atque ut demus, relinquitur istud nobis integrum, iustificari sola fide hominem: qui tamen nihil præterea relinquunt, quo tandem loco habendum censent cultum Dei? Estne illud res tam frivola, ut pacem Ecclesiae morari non debeat? Atqui, hominum & Angelorum salutem præferendam esse dico. Proinde, qui non tantum posthabito, sed etiam relicto Dei cultu, et erit illud caput duntaxat urgent, quid sit vera religio nondum didicerunt. Si quis obijciat, præcipuam divini cultus partem fide, eiusque exercitijs contineri, ego id quidem fateor: sed disputare, quomodo salutem adipiscantur homines, quomodo autem ritè colatur Deus, tace- re nimis est præposterum. Adde, quòd huius rei cognitio propria explanatione desiderat: cuius duo potissimum sunt membra. Primum enim statuendum est, spirituale esse Dei cul- tum, ne in externis vel ceremonijs, vel alijs quibuslibet rebus, reponatur: deinde non esse legitimum, nisi ad eius, cui præstatur, voluntatem sit ei positus, tanquam ad suam regulam. Utunque plusquam necessarium est: nam ut nihil quam terram & carnem sapiamus, ita Deum metimur nostro ingenio. Unde fit, ut semper magis arrideant externæ pœpæ, quæ nihili sunt coram Deo, quam interior cordis veritas, quam sola probat ac requirit. Rursus, nota est inge- nij nostri lascivia, quæ hic maximè exultat, ubi nihil prorsus audendum erat. Quoslibet cultus, & alios subinde atque alios cõminisci, homines sibi permittunt. Neque hoc est secu- li vnius vitium. Usque ab exordio mundi, ita licenter mundus cū Deo ludit. Ipse autem cla- mat, nihil sibi plius esse, quam obedientiã. Itaque omnes cultus, præter mandatum suum confusos, non modo tanquam irritos respuit, sed planè damnat. Quid re testimonijs utar in re tam aperta? cùm proverbiales inter Christianos esse debeant eiusmodi sententiæ.

Quòd prius membrum, quasi superuacuum secum è omittunt, fac si Mediatores, ut ne verbulo quidem attingat, spirituale esse Dei cultum: quid aliud quam latebras queritant ad fillendam? Si negamus tamen id esse tolerabile. Quòd autem in operibus per se bonis nume- rant, quæ spontè suscipiuntur absque Dei mandato, in eo totam piè rectèque vivendi regu- lam pervertunt. Vbi enim erit illud, Frustra me colunt, docentes præcepta hominũ, si vagari suo arbitrio extra Dei legem, hominibus liceat? Ac è impudentiã erumpunt, ut dicant à Spi- ritu sancto discrepare, qui non probant supererogationis opera. Cur istud? An quoniã eius- modi opera apud Iesum cõmendat Spiritus, cùm hoc solo titulo damnat quæcumque pul- cherrimam atque speciem habent, quòd ea Deus non requirit è manibus nostris? Video quid obijciat: ut omnia vendamus, ut perpetuam colamus virginitatè, ut gratuitam prædi- cationis operam impendamus Ecclesiae, non præcipi quidem à Domino, placere nihilominus. Atqui, respondet, etiã si quis hæc omnia simul, & unguè manura præster, nihil ultra præsta- re, quam quod lex continet. Illic enim iubemur Deum ex toto corde diligere. Quis hominum hæc metã suã perfectione superet? Si excipiant, nulli tamè de operibus ipsis speciale ex- tate mandati: ad hoc quoque facilis est responsio. Neque enim hæc omnibus cõveniret. Ne- que ritè suscipiuntur in eum finem, quasi per se valeant, aut quasi ita coli Deus velit. Si quis nulla necessitate inductus, vendat quæcumque habet, abiecta familie sue cura, quasi veditio per se sit virtus, nōnne stultitiæ merito dånabitur? Neque enim omnes promiscuè alloquitur Christus, cùm dicit: Vade, & vende omnia: sed eum qui se falso tota legè pe. sanctũ putans, inani fiducia tingebat. Ut eum ostendat Christus, procul adhuc à tanta perfectione abesse: vitium, in quo sibi blandiebatur, attingit: quòd scilicet opibus suis nimium addictus esset. Unde patet, tale venditionis genus sub legè mandatis contineri. Idè & de virginitate sentiendum. Videre enim quisque debet quid sibi datum sit, ne quis in continentia laboras, dum coclibat et non appetit, cum Deo luctetur. Deinde, qui continentie dono præditus est, placere sibi non debet cum suo coclibatu, quasi genus vivendi colat alijs perfectius. Neque enim virginitas,

quæse



quasi per se virtus sit, laudatur: sed dum refertur in suum finem: ut liberius, auocamentis omnibus soluti, studia nostra & curas omnes conferamus in Dei obsequium. Et cur stipendio abstinuit Paulus, nisi ut obviam iret pseudoapostolorum malitiae, qui ideo nihil poscebant, ut insaniam crearent eius ministerio, vel saltem auctoritati detraherent? Quid autem obsecro, praeter officij sui modum supererogavit minister, dum nihil praetermittit, quod ad Ecclesiae utilitatem futurum videt? Non potuit aliter facere Paulus, quin se & Apostolatuum suum improborum ludibrio exponeret. Quid ergo fecit, primum quod non debuerit: deinde quod non esset ex Dei praescripto?

Iactant etiam exemplum Davidis, qui coram arca saltavit. Verum, quid hoc ad compositos cultus stabilendos? Nam si novum quæpiam cultum erigere in animo habuit David, quis eius temeritatem excuset, cum rem tam seuerè à Domino prohibita aggressus sit. Lex certè illa communis erat omnium: ne facerent quod singulis placeret: sed tantum quod Dominus praeceperat. Si quid ergo ad mandatum de suo addidit David, perperam ausus est plusquam licebat. Si fateamur peccasse: quid imitatores iuvat peruersum exemplum? Ego verò non concedo, hoc animo saltasse Davidem, ut cultum sibi non mandatum Deo exhiberet. Satis scitur, ceremonias ita pietatis fuisse exercitia, ut non tam ex se, quam ex fine aestimarentur. Quid ergo sibi aliud voluit illa Davidis saltatio, nisi ut arcam Domini magnificè in locum caelitus illi destinatum & consecratum deduceret? Quamquam non dubium est, quin peculiari Spiritus instinctu huc adductus fuerit: quod in extraordinarijs sanctorum factis semper obseruandum est. Deut. 12.

Verum, ne quis calumnietur, nos in rebus externis nimium esse morosos, qui adeo praecipè tollamus omnem libertatem: hinc te statum velim pijs lectoribus, me non de ceremonijs litigare, quæ de cetero tantum & ordini seruiunt: vel etiam symbola sunt & incitamenta eius, quam Deo deferimus, reuerentiae. Nobis enim de operibus disputatio est, quæ per se Deo placere fingunt Mediatores, & quibus eum ritè coli affirmant. Nam cum illis de operum iustitia, adeoque meritorijs operibus sermo est, eiusmodi figmenta obtrudunt, quæ ad Dei legem hominum arbitrio adduntur. Quis autem non videt hoc modo ista nonnulla quæ à Paulo dantur, Dei mandatis opponi? Certè, si verum dicerent, falsum esset illud Christi: Frustra Deum coli hominum mandatis. Nego igitur, legitimum esse alium Dei cultum, quam qui ad eius voluntatem exigitur: nam is solus rationalis à Paulo vocatur hac de causa, quòd ubi sapere plusquam oportet, homines volunt, à ratione viæque aberrant. De operibus autem medijs, quorum libera est electio, alibi erit opportunior dicendi locus: tantum ostendere volui, si absque Dei mandato suscepta à nobis opera, in partem divini cultus, spiritualisque iustitiae obrepant, quod in religione praecipuum est, everti. Rom. 12.

Quoniam in tradenda reformationis formula, postquam de iustificatione egerunt Mediatores, ad Ecclesiam descendunt: videndum quatenus eorum placitis acquiescere pio homini liceat, qui nolit à veritate discedere. Quas ponunt dignoscendæ Ecclesiae notas, ego quoque libenter recipio, puram doctrinam, rectum Sacramentorum usum, & sanctam, quæ independet, unitatè. Sed quod addunt de cõtina Episcoporum successione, quis nõ animaduertat captiose ab illis dici? Non abs re cõtendimus, ita seculis aliquot laceratam & dissipatam fuisse Dei Ecclesiam, ut destituta fuerit veris pastoribus. Cõtendimus nihil minus quam pastores fuisse, qui hunc honoris titulum sibi arrogarunt. Isti, non modò lupos censeri volunt pastores, sed Ecclesiam alibi quam apud eos querendam esse negant. Nos certè nõ negamus semper fuisse Dei Ecclesiam in mundo. Audimus enim quid de perpetuo Christi semine Deus promittat. Hoc etiam modo non negamus, quin ab exordio Evangelij cõtina usque

ad nos fuerit Ecclesie successio: quæ ad modum certò persuasi sumus, ad finem vsque mundi fore: sed non concedimus, ita affixam esse externis lauis, vt penes Episcopos vel fuerit antehac vel posthac futura sit. Et vnde, quæso, id necessarium esse probat: Nulla vsquã inuenietur promissio. Quia potius, dum Petrus admonet, falsos doctores in Ecclesia Christiana fore, sicuti in populo veteri fuerunt: & Paulus sessurus in templo Dei Antichristum pronuntiat, non extraneos hostes designat, qui violenta irruptione ad exiguum tempus, turbent Ecclesiam: de ordinaria quam vocant, presulum administratione loquuntur: ne quis tranquillum ac florentem regnum Christi situm somniaret. Ergo, si penes Apostolorum successores residet Ecclesia, eos quaramus successores, qui traditam ab illis doctrinam posteris fideliter per manus tradiderint.

Scio, vt continuam hæc successionem commendent Irenæus, Origenes, Augustinus & alii quidam ex veteribus. Sed merum succum faciunt, qui eiusmodi testimonio, tyrannidem Papatus, quæ nihil commune habet cum antiqua Ecclesie forma, defendere conantur. Irenæo & Origeni negotium erat cum improbis nebulonibus, qui, cum prodigiosos errores proferrent in medium, eos sibi diuinitus reuelatos esse iactabant. Huius mendacii facilis erat refutatio, quod adhuc superstitibus erant multi, qui familiares Apostolorum discipulis fuerant. Recens erat eius doctrine memoria, quæ Apostoli tradiderat. Ipsi quodammodo parietes adhuc eorum vocibus personabant. Miramur, si illi sancti viri, testes citauerint Ecclesiam, quæ & ab ipsis Apostolis instituta fuerit, & eorum institutione, sine controversia, retinuerat. Pugnabat Augustinus contra Donatistas, qui furiosa superbia inflati, solos se Ecclesiam habere gloriabantur, cum tamen nihil esset causa, cur ab aliis disiderent. O iucii illi Augustinus, quas illi repudiabant Ecclesiam, & à quibus discessionem fecerant, continua serie ab ipsis Apostolis fluxisse. Optimo id quidem iure: cum esset in recepta semel doctrina persistisse, Donatistæ agnoscerent. At longe diuersa est nostra ratio. Successores enim Apostolorum fuisse negamus, qui ab eorum fide, doctrinaque descuerint. Perfido si isti Medatores, qui tenetras miscet cum luce, quam dissimilis sit antiquo Ecclesie regimini, vel potius contraria præfens dissipatio, non ignorat. Cuius ergo impudentiæ est, ad opprimendam Ecclesiam, nomen Ecclesie ipsius obtinere? Vtina vero ad hunc vsque diem steterit illa, quam mentiuntur, successio. Apud nos certe non difficulter inueniret, quæ meretur, reuerentiã. Sit, inquam, Petri successor, Papa, si Apostoli fungatur officio. Sed in quo sita est successio, nisi in perpetuitate doctrine? Si autem ab his corrupta est, imo extrinseca & alienata Apostolorum doctrina, qui eorum haberi voluit successores: quis non stultam eorum iactantiam derideat? Eodem nempe argumento probare nihil licet, tyrannicos omnes optimos fuisse libertatis vindices: quonia à re publica ad eorum monarchiam continuus fuerit transitus. Nunc an ita sit, ex re fiat æstimatio. Sed hoc ipsum ne fiat, ex professo cauent Medatores, qui ex honore, quem personis deferunt, præiudicium fieri volunt de doctrina.

Vt locum hunc breuiter concludam: Ecclesiam Dei querimus. Fatemur omnes, sic propagatam fuisse ab initio, vt continuo secularium ordine ad nos vsque durauerit, & hodie diffusa sit per totum orbem. Res est altera quæstio: Sitne personis alligata. Nos quam periculosum sit hoc futuri, tamen si videmus, volumus tantum deo esse solliciti, vt caueamus in posterum. Sed cum sibi vsurpent nomen Ecclesie, qui eam funditus, quantum in se erat, perdididerunt, cuius socordie fuerit, saltem presentati malo non reclamare? Iam suo tempore dicebat Hilarius, Ecclesia non potius delitescere in cauernis, quam in primariis sedibus eminere. Quæ ad tam horrendam, quæ vbiq; hodie grassatur, vastitatem deplorandam querimoniam sufficit? Aliunde igitur, quam ex hominum titulis, petenda erit Ecclesie cognitio. Et frustra in eius inuestigatione circumimus, cum vltro se nobis verissima ratio offerat. Quis enim nostrum, vt hominem agnoscat, eius calceos vel pedes intuebitur? An non in faciem potius rectè conuicimus oculos?

*Cur ergo in consideranda Ecclesia, non ab ipso capite incipimus, præsertim cum cõ nos Christus ipse renocet? Vbi erit cadaver, inquit, illuc congregabitur aquila. Quare si in certâ Ecclesia unitatem coalescere libet: in veritatem Christi tantum consentiamus.*

Mat. 24.

Cum ad Ecclesiæ autoritatẽ ventum est, quibuscunque fucis imperitorũ oculos ludant Mediatores, huc tandem recidunt, vt pro verbo Dei, sola valeat hominũ libido. Nota est illa triplex cantilena: Esse penes Ecclesiã, discernere veras Scripturas ab adulterinis: Eãdem habere ius interpretandi: Eius traditionem oraculorum vim habere. His iactis fundamentis, palam est, ereptum Deo imperium, ad lituos & insulas transferri. Qualescumque sit eorum caterua, qui modò episcopali titulo sint ornati, Ecclesiam constituit. Porro, immensum est quod illis licebit, si arbitrio suo interpretentur Scripturam, si fidei articulos fabricent, leges imponant conscientijs. Quid igitur Deo fiet reliquum? Hæc plusquam manifesta est regni Christi, sanæ doctrinæ, salutis nostræ proditio. Et nos discordias alere, pacẽque impedire ac turbare clamabunt, nisi protinus assentiamur? Quin proprium Ecclesiæ officium sit, Scripturas veras à supposititijs discernere, non nego: nempe, quia obedienter amplectitur, quicquid Dei est, & oves audiunt vocem pastoris, alienorũ vocem non admittunt. Sed Ecclesiæ iudicio submittere sacrosancta Dei oracula, vt quasi precario suã inter homines autoritatẽ obtineant, sacrilega est impietas: nam cum super Apostolorũ & Prophetarum doctrinã, teste Paulo, fundata sit Ecclesia, perinde isti loquuntur, ac si garriverint matrẽ à filia esse genitã. Notum est præterea, quid capiet Hinc ille, aiunt, Canon &c. Primum quaero, quo ipsum tẽpore editũ fuisse putet: nam in Niceno concilio nulla eius mentio. Et tamen illic satis validis contra Arr.ũ instructi armis erãt sancti Patres, cum Scripturas in manu haberet. Deinde, quid Legi, librisque Prophetis fiet, si tandem pependit eorum autoritas, nec aliquid potest duo tandem annorum millia, ex quo Lex lata fuerat, decerneretur? Nam Machabæorum libros, Tobiam, eiusdemque farina alia, quoniam in vulgari eorum canone continentur, pro legitimis haberi volunt. At de ipso Canone, quem adẽ superciliosè nobis obtrudunt, inter se non consentiunt veteres Scriptores. Suis ergo fruantur Mediatores, vt libet, modò nobis liberum sit ea repudiare, quæ diuinitus non esse prodita, sani omnes, saltem vbi moniti fuerint, inducibunt.

L. hebr. 1.

Sequitur ius interpretandi, quod vt Mediatores conficta à se Ecclesiæ afferant, adducunt Petri testimonium: non esse priuata interpretationis prophetiã: quia non à seipsis locuti sint Propheta, sed à Spiritu Dei impulsu. Sed hac consequentiã apud intelligentes parum proficient. Admonet Petrus, nihilo nũc magis humani ingenij perspicacia intelligi posse Prophetias, quàm olim consulari potuerint. Hortatur ergo, vt quẽadmodum diuinitus sunt allata, ita genuinũ earum sensum postulemus à Dei Spiritu nobis patefieri. Nihil ambitioni, nihil arrogantia esse dandũ. Sed an inde consequitur, ius interpretandi rediisse ad paucos? Obtrudunt etiam, promissum esse Ecclesiæ Spiritũ, à quo ducatur in omnem veritatem: & qui suggerat, quæcumque docuit Christus. Atqui, cum eripiant interea Ecclesiæ, quod illi à Christo datum est, annon detegenda est eorũ fallacia? Domo interpretationis instruit Spiritus Domini quos visum est, in cõmunem Ecclesiæ adificationem. Huius doni vim & vsum non supprimunt tantum, sed in nihilum redigunt, qui solis episcopis potestate faciunt alius dicendi, quod necessarium sequantur. Saepè accidit, vt genuina Scripturæ intelligentia destituti sint episcopi. Ergo qui nos ad tenenda eorum præscripta cogunt, furiosos armat gladio, quo Scripturam totã miserè conscindant. Denique, quisquis Scripturæ sensum, episcoporũ subicit arbitrio, intercepta eius anima, nihil præter mortuũ corpus relinquit. Extrahendus enim nolis est anguis, quẽ sub hoc dumtaxat Mediatores occultat: nempe hoc volũt, vt nihil tam sit firmũ & perspicuũ in

Scripturis, quod nō vno verbo eludere prōptū sit, siquidē cornutis bestijs minus adlubescat.

Tertiam partē Ecclesiastica potestatis locant Mediatores in sanctiēdis, tam dogmatibus, quā legibus. Atque priorē illam speciem, Traditiones vocant: quas si quis cōuellat, eorum sententia, negat Ecclesiam fundamentum esse veritatis. Hac captione irretiuntur miseræ animæ, ne quam omnino superstitionem reijcere audeant, quæ modo longi temporis usu inualuerit. Plausibile quidem exēplum adducunt in baptismo paruulorum: sed cū nulum sit tam crassum aut puerile cōmentum, quod non Traditionis nomine vēdi retur in papatu, omni superstitionū genere vltro se implicat, quisquis ab hac captione sibi nō cauet. Tametsi, ne hoc quidem illis concedo, ex Ecclesiæ traditione fluxisse pædobaptismum, quæ certō constat, in ipsa Dei institutione esse fundatum, & à circumcissione habere suam originem. Parū enim haberet firmamētī, si hominū tantum arbitrio staret. Adeoque hæc tenenda est vniuersalis regula, non esse legitimum Sacramentum, nisi quod à Deo est, non ab hominibus. Sed vt ad præsentem causam reuertar: non modò cerei paschalis benedictionem, aquæ exorcismum, & similes nugæ, quæ numero sunt infinitæ: sed missandi ritum, & impios omnes eiusdem formæ cultus, vna, vt aiunt, fidelia de albant, cū illis Traditionū imponunt nomen. Vt quicquid longi temporis præscriptione defenditur, quasi extra controuersiam positum, inter ipsa Dei mandata emineat. Et hic se nemo opponet? Imo subeunda potius nubes turbata pacis infamia, quā vt perfida dissimulatione prodamus tam necessariā Dei veritatem, quæ hic alioqui periclitatur.

Leges non alias vnquam tulit vera Christi Ecclesia, nisi quæ ad retinendum ordinem, ad fouendā concordiam, ad tuendam disciplinā, facerent. Tales nemo sobrius non fatebitur, & iure ferri, & ab omnibus pijs seruandas esse. Nec verò de eo cōtendimus. Sed duobus malis subuenire necesse est, si volumus saluā esse Ecclesiā. Quod hodie nihilo leuiora & aequè multa & varia legū onera imposita sunt Christianis, quā olim sustinebāt Iudæi, id esse præter Christi institutū, nemo dubitat. Qui enim Dei leges abrogauit, vt nos à seruitute laxaret, nouis profectò hominū legibus nos premi noluit. Factū est tamē. Nec tantum liberale illud regimē ablatum, sed quasi in dirā carnificinam coactæ sunt animæ. Saltē fieri nequit, quin assiduè torqueantur. Nam & quædā apertè cum præscripta à Deo regula pugnant, & quarūdam observatio impossibilis. Tam procul absunt à leuanda hac tyrānide, qui habens tenent, vt tantum de ea stabilieda cogitent. Et nunc Moderatores nostri, opposita Ecclesiæ autoritate, impiorū libidini obsequuntur. Alterius quoque mali non minus necessaria est correctio. Leges, quas sub Ecclesiæ nomine cōmendant tyrāni, spirituales vocāt: vt quæ regēdis cōscientijs sunt destinatæ. Huius mali appēdix est illa, cuius memini, superstitio: quod earum observationem ad cultum Dei pertinere, fingunt. At Deus sibi vni spirituale regimē, verboque suo vindicat: vt intactæ ab hominibus cōscientiæ in solū eius nutū respicere discant. Vnus legislator, inquit Iacobus, qui saluare potest ac perdere. Et Paulus seuerè admonet, ne se hominibus addicāt, qui Christi beneficio sūt manumissi. Et alibi Colossenses obiurgat, quod decretis teneantur. Quid ad hæc Mediatores? Nulla remedij facta mentione, simpliciter, vt hæcenus, parendi necessitate nos obstringunt. At qui, tantundē abrogatur imperio Dei, quantum hominibus tribuitur. Valeat ergo præuaricatrix ista obedientia, quæ Dei frēnum abrumpit, vt nos hominum laqueis strangulet.

Iam quòd toti Ecclesiæ præficiūt Rom. Pōtificem, cū per se nō est tolerabile, tum verò acrius refutandū, quia prerogatiuum esse Petro cōcessam, fingūt. Mādat Petro Christus, vt pascat oues suas. Quid? Alijs non mandat? Sed non frustra hunc nomine compellat Christus. Quasi non constet, illic ter repetito oues pascendi iussu, eum restitui in honorem

honorem Apostolatus, unde ter Christū abnegando, exciderat. Nomen autem ouium, quae fronte, quae so, vniuersam Ecclesiam interpretatur? Eodem nempe argumento dicā, minus, quod Christus illi contulerat, alijs resignasse, quos ad pascendum Christi gregem hortatur. 1. Lot. 5.  
 Gubernare, secundum istos, debuit Petrus totam Ecclesiam, quia illi dictum fuerat, *Pasce oues meas*. Ergo si alijs idē faciendū iure scribit: aut in eos transfert ius sibi commissum, vel ex aquo cum illis participat. Nimum verò proteruē Scripturis ludunt, cum totā Ecclesiam fingunt in nomine ouium comprehendī. Ipse quidem pastor fuit ouium Christi, sed quibus operam suam impendit, & quam late se extendere potuit eius ministerium. Nam si cum plenitudine potestatis, ut garrunt Mediatores, praesse debuit Ecclesiis omnibus, inique Paulus agebat, superiorem illi gradum negando. Et quis unquam fundo audiuit, Petrum quicquam sibi in alienas Ecclesias vendicasse? Quin potius cum ab Ecclesia mittitur, obtemperat, tanquam vnus quilibet ex confessu. Fuit inter alios eximius, nō nego, & pro excellentia donorum, quibus pollebat, illi honor deferrebat, ut primas teneret, quoties erant congregati. Sed aliud longē est, orbi vniuerso praesse, quam praesidere in exiguo hominum coetu.

Sed fingimus, datū fuisse Petro, quod vnum iactant. Quis tamen concedet, patrimonium fuisse donatū, quod in haeredes transmitteret? Successoribus idem, inquit, quod acceperat, ius reliquit. Ergo Sathanā esse oportet, quisquis est Petri successor: quoniam hoc elogio insignitus fuit. Vbi nam sit vlla successionis mentio? Paulus cum de tota Ecclesiae administratione ex professo differit, neque vnum constituit caput, neque primatū hereditarium facit. Et tamen illic totus est in cōmendanda vnitāte. Postquam autem cōmemorauit vniū Deum Patrem, vnum Christū, vnum Spiritum, vniū corpus Ecclesiae, vniā fidem, vniū bā. Eph. 4.  
 priusmodum conseruanda vnitatis describit: qui i vnicuique Pastorū distributa sit gratia secundum mensuram, qua donati sunt à Christo. Vbi plenitudo potestatis, cum singulos ad certum modum reuocet? Cur non vnum Papam mox subiecit, quo nihil ad praesentem causam erat commodius, si quidem ita res tulisset?

Demus praeterea, sancitam in Petro fuisse primatus in Ecclesia perpetuitatē: cur tamen Romae potius sedes primatus, quam alibi collocabitur? Causam allegat, quia fuerit Petri sedes. Perinde ac si quis in deserto constituat praecipuam Ecclesiae Iudaeae sedem: quia illic Moyses summus omnium Propheta, & Aaron primus sacerdos, usque ad mortem, munere suo defuncti sunt: sed valeat haec ratio. Quid Antiochia? Romā praeseruit: quia illic mortuus sit Petrus. At probabiles sunt cōiecturae, unde colligere licet, fabulosum esse, quod de Romano Petri episcopatu tradūt. Cōplures priuatos salutat Paulus, cum scribit ad Romanā Ecclesiam. Trienio post, illuc vinculus adducitur. Exceptū à fratribus fuisse refert Lucas. Iterū nulla Petri mentio. Scribit Paulus ex carcere varias epistolas. Nomina quorūdam, etiā ignobilium, exprimit. Petro nullus inter eos locus. Si illic fuisset, nō caruisset insigni cōtūneli & tale silentiū. Iam cum sibi neminē adfuisse in prima sua defensione conueritur, an nō turpem nimis perfidiae notā Petro inureret, si tūc fuisset vrbis pastor? Itē, dū alibi omnes, quos secū habet, perstringit, quis credat in hoc numero fuisse Petrum? Et tamē illud ferē totū est tempus, quod Romanae illius sessioni assignat. Verūm, ut istam questionem nō moueamus: si ideo primatum obtinet Roma, quia fuerit vltima Petri sedes, cur salicē Antiochia secundum locum inter Patriarchias non tenuit? Cur Iacobus & Ioānes, qui cum Petro videbantur colimae esse, non proximā sedibus suis dignationem, acquirere potuerunt? Quam praeposterā fuit distributionis ratio, cum Alexandriam sedem Marci, qui tantū vnus erat ex discipulis, Epheso & Ierosolymae praetererunt? Verūm Apostolos inter se conferre desino: ipse eaim dominus omnium ac magister, ad cuius fulgorem euanescit omnium

dignitas, ubi summi sacerdotii munus, & docendo & moriendo, nisi Ierosolyma obiit? Ergo Ierosolyma Christi sedes nulla erit, & Roma ad se honorem rapiet? Huc accedit, quod d Petri Apostolatus Iudaeus fuit peculiaris, teste Paulo: ideoque proprie ad nos non spectat. Quare Iudeos, quorum res agitur, sinamus de hac successione litigare.

Eodem pudore Cyprianum aduocant testem in hac causa: nempe is est qui tyrannice superbia dicitur episcopos, si in collegas quicquam imperii sibi usurpent. Vnum quidem episcopatum nobis commendat: sed Christi, cuius partem in solidum, ut loquitur, quisque episcoporum tenet. At schismata ex summi pontificis contemptu orta esse, alicubi tradit. En eorum ingenitas. Quod de sacerdotio Leuitico scribit Cyprianus, ad Papatum rapiunt. Nam si pro schismaticis haberet Cyprianus, quicunque pontifici Romano subesse renuunt, quo loco habendus ipse foret, qui aduersus Stephanum tam liberè inuehitur, non inscitix modo & arrogantiae ipsum accusans, sed perinde ipsi cogens in ordinem, ac si vnus esset ex gregariis? Quare, desinant hic Dei & hominum testimonio tam impudenter abuti. At vtile, inquit, remedium est, tollendis dissidiis, si vnus emineat, cui cogantur omnes parere. De hoc itaque liberè Ecclesiae consultationem relinquunt, nec fingunt verbo Dei praescriptum esse, quod statui ex usu debet. Quamquam haec quoque vtilitas falso ab ipsis praetextitur. Praesertim ubi ista, quam iactant, plenitudo potestatis licentiose exultat, quae nihilo minus potest à tyrannide seungi, quàm ignis à calore suo. Et, ne hic diutius hæreã, si plena in Christianum orbem potestas, nihil aliud est, quàm episcopatus vniuersalis, hæc Gregorius, ut n. scripserit & sacrilegã, & soli Antichristo congruentem, ubique detestatur. Cui de Papatu fides habenda potius quàm ipsi Papae? Nunc sibi, ut volet, blandiatur Rom. pontifex hoc imperio, quod illi adulatoribus tribuunt: sed apud sanos nihil aliud proficiet, nisi ut Antichristum se ostendat.

Nunc, ut alia omnia remittam, si Romanum pontificem volunt totius Ecclesiae caput agnoscere, primo loco dent nobis verum episcopum, necesse est. Quis enim inter episcopos eminebit, nisi vnus, & quidẽ eximius in ordine episcoporum? Et ipsi quoque, dum Papatum ornare volunt, subinde in ore habent, Petri successionem, & Christi vices. Porro, quem Christi vicarium dicere audebunt Mediatore, qui profligata Christi veritate, extincta luce Euangelii, salute hominum euerfa, corrupto & profanato Dei cultu, calcatis atque laceratis omnibus sacris eius institutis, dissipato Ecclesiae ordine, barbarum in morem dominatur? Quid simile, obsecro, habet cum Christo Papa, ut eius vices personamque sustineat? quid habet commune eius dominatio cum ministerio Petri, ut censeatur eius successor? Ergo, ut inter nos conueniat de primatu, inde faciendum erit exordium, ut episcopum verè praestet, cui primas in Ecclesia deferamus: nam qui hoc statuit vnitatis vinculum: qualis qualis sit Romanus episcopus, totum illi orbem subesse debere, non aliter hoc consequetur, quàm impiam à Christo defectionem excitando.

In sacramentis hinc boni & qui Pacificatores moderationem adhibent, ut septenarius numerus, qui temerè indoctorum hominum confictus audacia, stulta mundi credulitate obrepit, quasi sacer, retineatur. Subinde obtestandi sunt mihi lectores, ut causa, quae tractatur, magnitudinem pondusque reperiunt. Sacramenta instituit Christus, ut sint non modò symbola veræ religionis, quae filios Dei à profanis hominibus discernant, sed testimonia quoque diuinae erga nos gratiae, adeoque pignora. In baptismo nobis & remissio peccatorum, & regenerationis Spiritus offertur. In sacra Coena inuitamur ad fruendam Christi vitam, vnã cum bonis omnibus. Quale nunc temperamentum erit, si his misceantur hominum fragmenta? Obtendunt quidem, Deum esse omnium authorem. Sed hæc postea quaestio expedietur. Nunc tantum dico, nimium nos fore socordes, si natus in hominum cerebris qualescunque ceremonias

niis talibus mysterijs patimur equari, in quibus salutis nostræ summa continetur. Cum ro-  
gat Christus, ex cœlone, an ab hominibus sit locus baptismi, non aliter legimus rati-  
que nobis esse debere significat, quàm si cœlitus fuerit institutum. Eadem in sacramentis o-  
mnibus valet ratio. Et sanè cum profiteantur isli Mediatores, sacramenta non testari nobis  
modò, sed etiam exhibere, quæ supra hominum captum sunt ac siculi sitè nimium perverfos  
fore palam est, illa si subijciant hominù arbitrio. Sacramenta duo à Christo nobis esse com-  
mendata, extra controuersiam est. De quinque ergo reliquis videmus quid sit sentiendum.

Prius tamen quàm huc progrediar, in baptismo breuiter adnotare operæ pretiù est,  
melius potuisse omitti quod de precisa eius necessitate cœmemorant. Præterquàm enim quòd  
externis signis perperâ alligatur anime salus, iniuria sit non leuis promissioni, ac si minus ad  
prestandam quàm offert, salutem, nisi aliunde adiuta sufficeret. Sane ita ideo nascitur ex fi-  
delibus progenies, quòd adhu vtero inclusi, ipsorum liberi, antequam vitam si spiritù hauri-  
ant, cooptati tamen sunt in fœdus vitæ æternæ. Nec sanè alio iure per baptismum aggre-  
gantur in Ecclesiam, nisi quia ad corpus Christi iam antè pertinebant, quàm in lacum ede-  
rentur. Alienos enim ad baptismum qui admittit, ipsum profanat. Nunc ergo, qui ita neces-  
sarium statuunt baptismù, ut à spe salutis excludant, nisi qui eo tincti fuerint, tum in Deum  
sunt cõtumeliosi, tum se quoque ipsos implica it magna absurditate. Nam à Christo alienos  
sacra Christi nota insignire, quòd fuis esset? Baptismù ergo precedit adoptionis gratia, necesse  
est: quæ non dimidiæ tantum salutis causa est, sed eam ipsam salutem in secludam affert,  
quæ baptismò demòdò sanctitur. Hinc, ut error alius ex alio scaturire solet, baptizandi manus  
quod solus Ecclesiæ ministris peculiari modo mandauit Christus, non ad vniù modò què liber ex  
plebe, sed ad mulierculas etiam delegant. Taceo quòd de forma baptismi disputantes, post-  
habita mysterij explicatione, quasi parè ad rem faceret, in rudè verborù pronuntiationem  
insistunt: ac si Christus cum Apostolos in nomè Patris & Filij, & Spiritus sancti baptizare  
iussit, magicè nescio quod charmen dictasset: ac non potius summatim indicare vel iussit,  
vnde & tota vis baptismi fluat, & cuius nomine iussuque admittis tractur, & cuius fide mu-  
tatur, & quorsum referri debeat.

Ceremonias omnes, quibus purum Christi baptismù posteritas partim vitiauit, par-  
tim obfuscauit, illibatas manere iubet: imò etiã restitui, sicubi sint abrogatæ. Hæc autè quid  
aliud est, quàm cœnensis hominù inquinamentis cœlestè Filij Dei laucrum inficere? Sim-  
plex aquæ symbolù nobis mandauit Christus. Eo, ut par erat, cõtenti fuerunt Apostoli. Non  
eadè apud successores valuit sobrietas. Arrisit enim oleù & cereus, & similes nugæ. De-  
num obrepfit, quæ solet, peruersa superstitio: ut chrisma ab hominibus additù, plus quàm  
aqua ore Christi consecrata, fieret. Aquam verò ipsam nouè & sumptuosè ritù, quasi aliàs  
profana esset, oportuit cõsecrari. Denique, ipsa baptizandi actio ex tam varijs & multis par-  
tibus cõsarcinata est, ut aquæ symbolù, quod solù debuerat illic cminere, sub megno cumu-  
lateat. Causantur superstitiõnum gisstri, hæc addit amèia orando baptismò seruù e. verum  
res ipsa clamat, obscurari potius purã eius administrationè. Aliqua igitur, scilicet correctione  
opus erat. Eã Mediatores ad eò nò admittit, ut disertè caucã, ne quid nouetur. Deum hic c  
reustitit, ut quæ nò superuacua modò, sed etiã inutilia sunt, tolerentur. Quid autè, si qua ab-  
surdæ & ridiculæ, parvumque congruètia cù mysterij dignitate reperiantur? Atqui, eiusmodi  
esse si utrum fateri cogemur, quo summa paruulorù labra irriuant. Sicut Christus attingit os  
muri, cui sermonem restituere volebat. Quàm preposteræ est emulatio, cum idem is par-  
uulis tentant! An sic decebat commemorari Christi miracula? Indubium hæc, quòd vade  
vel quãdo emergerit nescitur, nullum certè grauem auctorem habet, pertinaciter eum do-

ferunt, nonne aperte huc se tendere ostendunt, ne qua lucis scintilla nobis inueniat?

In tractanda Cœna, transsubstantiationis cōmentum reuocant: cui reclamare coguntur, quicumque verum Cœnæ usum sibi perire nolunt. Hæc habent propriū Sacramenta, ut pro humani ingenij modulo, quod spirituale est, in visibili signo conspiciendi præbeant. Hæc porò Cœnæ spiritualis est veritas, carnem Christi esse cibum, & sanguinem eius potum, quibus animæ nostræ pascuntur. Huic, nisi signū respondeat, sublata est Sacramenti ratio. Panē ergo nobis porrigi & vinū necesse est, ex quibus discamus quod hic nobis Christus figurat. Iam si inane est panis simulachrum, quod cernimus, quid nobis testabitur, nisi inanē carnis Christi umbram? Specie panis esse fingunt, quæ oculos ludat. Quò nos tandem hæc imago perducet? Proinde, ut verum animæ pastum hic fideles agnoscant, signū illis sisti oportet, quod corpori pascendo cōueniat. Denique, hoc in Sacramētis agitur, ut signi relique signatæ analogia & affinitas, quidam sit veluti transitus à sensu corporis ad animæ intelligentiam. Quid nunc boni Moderatores? Quòd te panē gustare putas & vinū, falleris: desit enim panis esse qui erat, nec quicquid restat, nisi spectrū. Cuius ergo rei tibi symbolum erit? Quò res melius pateat, similitudinem mutuemur ex baptismo. Si quis aquam esse neget, qua illic abluimur, annon protinus euanescet tota baptismi veritas? Quis enim sibi persuadeat, lacrum se habere regenerationis, si in signo nihil tale inueniat? Ergo ut fructuosum sit nobis Sacramentum hoc nobis nunquam patiamur excuti, quod etiam compluribus & firmis Scripturæ testimonijs comprobatur: Panē qui frangitur inter nos, esse corporis Christi *κελευσεν*, similiter & vinum, sanguinis.

Accedit ad perspicuam Scripturæ doctrinā, veteris Ecclesiæ consensus. Nihil certius est, quàm hoc deliriū, cum plus sexcentis annis nemini venisset in mentem, à reuosis sophistis subitò, quasi abortiuū aliquem fetum, prodijisse: & tamē sic obtinuerat illa, quam dixi, de signi cū re signatæ analogia, persuasio, ut initio explosum fuerit. Fluxerūt deinde complures anni, quibus creuit barbaries, & unā cum bonarū omnium artium studio purior religio obsoleuit. Hoc verò fuit opportunum Sathanae tēpus, quo reiectitium hoc dogma de intro inueheret. Et tamen extiterunt, seculis ferè omnibus sani homines, qui saltē displicere sibi non dissimularent, idque non libera modò voce, sed scriptis quoque facerent testatū. Sed demus sanè errorem esse longa vetustate cōfirmatū, nos tamen religione constriictos tenent verba Christi, ne illis hominum placitis, quæ nos inde abducant, subscribere audeamus. Iubet Christus panem accipere & edere. Hæc omnium maximè seria actio est. Promissio additur, quæ aliter stare nequeat, nisi panem verè edamus. Retinenda est enim semper illa quā notauimus, similitudo. Sicuti pane & vino alitur corpus, ita cibum animæ esse Christi carnem, & sanguinem eius, potum. Nos itaque Christi mandato obtemperantes, promissionem quoque simul amplectimur, non dubitantes quin arcana Spiritus sui virtute intus efficiat in nobis, quod panis oculis significat. Boni isti viri, qui pacificatorum personas induunt, fictitiam *κατασκευασιν*, cuius nusquam in Scripturis sit mentio, tanto supercilio asserunt, ac si centum oracula ad eam comprobendam cœlitus allata essent.

Negamus fas nobis esse, discedere à certis Christi verbis. Quid est causa, cur in hanc, quam Christo deferimus, reuerentiā, ad eò atrociter saniant, ut hoc solo crimine nos habeant pro hæreticis? Nam simplici & usitata dīnatione non contenti, calūniantur vocari à nobis in dubiū Christi omnipotentiam, ipsūque insimulari vanitatis: quasi verò hic de Christi potētia disputetur, ac nō potius ex eius verbo querēda sit mysterij veritas. Rerum omnium conuersionem fieri posse à Christo, nos quoque faremur. Verum si quis inde cœlum colligat, cōuersum esse in terrā, ridiculus erit virtutis diuinæ estimator, qui naturæ ordinem



ab illo forum & constitutum, monstra sibi fingendo, reuellat. Ita in hac quaestione, quaerendo quidam non possit Christus, frustra se fatigant, cum hac vna cognitio sensus omnes nostros in se continere debeat, quidnam velit. Voluntas autem eius non alibi quam in verbo quaerenda. Nunc syllabam vnam proferant, quae testis sit huius, quam iactant conuersionis. At qui, nulli usquam reperietur. Non inuis ergo inutilis est calumnia, quod nos cum Christi potentia in certamen, quod nullum est, committunt. Vanitatis porro Christum à nobis argui quam in probè mentiuntur? Pronuntiat Christus se corpus & sanguinem suum dare, panem ac vinum porrigendo: hoc totum recipimus, nec verò dubitamus, quin sua constet promissioni fides, quae certè cōstare nequit, quin res exhibeatur ipsa. Sed hoc est scilicet, nihili praesens portentis aestimant quicquid & ore Christi prodium est, & solam mysterij vim explicat, & totum, in quo acquiescit fides, spirituales gratiae effectum continet. Hic ut plurimas absurditates non enuumerem, vel magis errorum prodigia, quae ista transsubstantiatio peperit: quis omnino pius, & ritè eruditus in Christi schola, non eam vel hoc nomine detestetur? Quod cum proprium hoc habeat Coena Christi, ut in caelum nos attollat: simulac animis nostris in se deuit hac persuasio, conuersum esse in corpus Christi panem, deorsum mentes in terram flectit, quae in caelum assurgere debuerant. Ad se nos Christus inuitat. Quia tam altè conscendere non possumus: manum ipse praebet, & quae idonea nobis adiuuicula esse nouit, his nos iuuat, argue atollit in caelum usque: ut scitissimi in se loquantur, qui Sacramenta scalis comparant. Ita fingimus, quod isti velint: non esse panem qui spectatur in sacra mensa, sed diuisum esse Christum: quis non in terra, ubi se Christo potiri putat, defixus haereat, non mente minus quam corpore? Ita fiet, ut singulum, quod singulos corporis sensus exercere, ad mentem supra caelos erigendam, debuerat, hanc corporis sensibus alligatam retineat sub mundi et mentis. Neque alii d' hic dico, quam quod mundo accidisse notum est. Quotus erim quisque reperietur in Populo, qui non ad externi signi intuitum sic obstupescat, ut Christum in caelesti gloria quaerendum esse obliuiscatur?

Hinc tam crasso stupori annexa est deterior etiã nimium superstitio. Vbi enim adoratur Christus, nisi in pane? Atqui, si apud nos valeret Scripturae auctoritas, ita magnificè celebrandum erat de caelesti ipsius gloria, ut nihil carnale aut terrenum de ipso sentire nobis permitteremus. Si leue ducimus vitium, praeposteram Christi adorationem, coram Deo certè & Angelis execrabile sacrilegium censeri non desinet. Habenda est tamen Moderato-ribus gratia, quod tacitum minime reliquerunt quid sentirent. Poterant enim tacendo fallere. Sed cum merito Christum in Sacramento adorari asserit, his verbis admonemur, quid nobis sit praestandum, si subscribimus eorum decretis. Fateor certè, Christum, ubicumque sumus, esse adorandum. In Coena verò, cum se nobis seruandum offerat, ritè aliter recipi nequit, quam si adoretur. Sed hoc quaeritur: Sursumne, an deorsum respiciat nostra adoratio. Porro cum nihil illi nisi caelitus geratur, etiam si in terra fiat: si velimus cum fructu ad participandam veniam nos comparare, altius terris & mundo exerēde sunt mentes. Deinde, cum in caelesti gloria resideat Christus, quisquis aliò se conuertit, eius adorandi causa, ab ipso discedit. Et quid illa valebit antiqua praesensio, ut sursum corda tollantur, quam hodiè que in suis missis cantillat Papiſta: si cultus noster in terra haeret? Sed ita necesse est omnibus accidere, qui semel labyrinthum sunt ingressi, ut in nouos magisque perplexos subinde flexus se proijciant. Proinde, Christum adoraturi, ut oportet, terrenam omnem de ipso cogitationem exuamus. Ita fiet, ut Coenam celebrantes, ad remus quidem ipsum quasi praesentem: sed animis in caelum sublatis, quò nos fides vocat, non in panem defixis: quod est non minus à recta fidei regula, quam à gloriosa Christi maiestate alienum.

Iam quod peracta Coena manere nihilominus aiunt Christi corpus, quantum panis consecratus seruetur: id addi oportuit, ut sibi in errore constarent. Quod enim transuolaret Christi corpus, si in locum panis semel subisset? Verum, qualem ijs religiosem dicimus esse, qui tam puerile in ceteris assentiantur: Nisi quod potius simulant? Quis enim, nisi plane à Diable fascinatus, plus appetet in Sacramento, quam quod continent promissiones? Nunc expeadamus Christi verba. Certè non panem alloquimur, ut fieri corpus suum iubeat. Panis ergo non sibi, neque in se corpus est: sed nobis, quatenus nobis in situale symbolum offertur. Deinde cum inter se coherent mandatum & promissio: nostrum non est diuellere, quæ Filius Dei coniunxit. Quid autem ille? Priusquam nobis corpus & sanguinem suum promittat, iubet accipere, edere & bibere. Tollatur nunc communicatio quam præcipit: quæ amplius locum habebit: quæ annexa est promissio? Corpus, inquam, suum nobis Christus porrigit, sed edendum: sanguinem suum propinat, sed bibendum. Ita ergo vis consecrationis ad nos dirigitur, non ad panem aut vinum: & quidem ad nos, mandato Christi obtemperantes. Hæc religio melius ex simili patefiet. Paulus, Man cibum fuisse si iritualem restatur, & aqua ex petra profluentem similiter eundem cum nostro, si iritualem cibum. Clara verba sunt, sub diuersis licet signis eiusdem patres illos Christi fuisse nobiscum participes. Quis autem fando audiuit, lagenam Manæ, quæ seruata fuit, à pijs fuisse adorata? Imo cum furioso propè impetu ad omne genus idololatricæ proieccti essent Iudæi, nemini hoc venit unquam in mentem. Quid si aliquid inter edendum casu didicisset, an pedibus calcatum fuisse Christi corpus? Quid, cum putrescebat quod ultra iustam mensuram collatum fuerat, in vitium accidebat Christi corpori? Si quis egra illa se redire lauisset, in infectus fuisse Christi sanguis? Quod terræ venis hauriebatur, quod potest in iumentis (nam aliunde nulla erat aquatio) quid erat præter aquam? Vilemus ergo, signis nisi ille subesse, nisi eorum respectu, ad quos significati pertinet. Atque hoc simili referatur etiam quod de adoratione garrunt. Nam cum petram fuisse Christum testetur Petrus: non tamen ad id stupidi erant Iudæi, ut se coram ipsa prosternerent. Verum ad causam, quæ nunc in manibus est, redeo. Volunt Mediatore consecratione facta, emanare semper extra Coenæ usum, Christi corpus. Certè si quid valere debent coniectura, cum primam Coenam celebravit Christus cum Apostolis, probabile est aliqua panis fragmenta superfuisse: nec legimus eum qui postremus calicem accepit, totum ebibisse. Iudæi enim sunt ex calice bibere omnes non exaurire. Ita factum esset, ut sanguis Christi remerè à quolibet obuiò sorberetur. Quid, cum panis vnus frangeretur in prima Ecclesia: an dicent reliquias in arculam fuisse conditas? Nòdum scilicet innotuerat hæc noua sapienti, quæ magica incantatione panem mutari solet. Nos ergo Christi ipsius verbis inhaerentes, nihil magis corpus eius agnoscamus per panem nobis exhibitum, quam Dei gratiam extra eius promissiones. Neque enim corpus se dare pronuntiat, quod in cibario inclusum, seruetur, sed quod distribuatur inter fideles.

Calicis usus, quoniam ab eo, nisi à grè, prohiberi nequeat, qui hæc tenus assueverunt, quæ si per veniam ab illis conceditur: eaque lege, ut consuetudinem sub vna parte communicandi longo tempore vsitata, non reprehendant: de inde tandem fruuntur hoc priuilegio, donec concilij decreto quid sibi agendum sit, intelligant. Quid autem stabile erit in religione, si ita hominum arbitrio abroganda subiicimus, quæ Filius Dei statuit? Clauus est mandatum: Bibite ex hoc omnes. Puerili cauillo effugiunt, solus Apostolus ita locutum esse Christum, quos iam secerat sacerdotes. Quasi non omnibus regulam præscribat. Quid enim? An peculiare sacerdotibus Sacramentum instituit, ac non toti potius Ecclesia? Ac Paulus quidem, si quid distributionis aliqui esset, ad tollit, dum se Corinthijs, tam viris quam mulieribus, testatur quod à Domino acceperat, tradidisse: nempe, ut indifferenter omnes bibant. Quæren-

disne

dūne erit melior interpretēs? Atque hunc cōmunicandi morē, ut erat à Domino traditus, plus quā septingentis annis in Ecclesia vsitatum fuisse notum est. Quinetiam extat edictū Gelasii, quo ex cōmunicatur, qui à calice abstinētes, partem alteram sumunt. Arceantur, inquit, ab integris, aut integra percipiāt: quia eiusdem mysterij diuisio, sine magno sacrilegio ad eos peruenire non potest. Eo deinde sacrilegij, quod tātopere Gelasius detestatur, pro rūpere homines ausi sunt, nō superstitiosa modo abstinētia, sed tyrannica prohibitione. Hanc diabolicā audaciā quis pius non vehementer horreat? Qui in eius defensione obiēdi solent colores, nihil quā malum duplicāt. Cū aliqua sanguinis interdū gutta effunderetur, huic periculo fuisse obuiandū causantur. Ita, si illis creditur, quod ab æterna Dei sapiētia non fuerat prouisum, soli animaduertunt: quod temerē ab illa vitium admissum erat, ab ipsis corrigi oportuit. Verūm huic periculo iam antē occurrimus, falsam magici exorcismi opinionē diluendo. Et tamē etiā si instaret mille pericula, fuis tamen esse nego, aliquid in perpetuo & inuiolabili Christi edicto mutari. Allegāt, totū sub pane Christum percipi: quia non diuidatur. Huius quoque cauilli facilis est refutatio. Sic enim in se integer est Christus, ut pro fidei tamen nostræ modulo, se nobis cōmunicet. Non frustra, certē sub pane corpus suū, sub vino sanguinem suum nobis offert: se enim hoc modo vitā in solidum nostrā esse testatur, quæ cibo & potu constat. Non ut partē vitæ modo, sed totā in se vitam nostrā queramus, iubet Christus. Ad eā rē quia nos adiuuētō aliquo indigere nouit, cibi ac potus symbola nobis proponit: ac panē quidem porrigendo, carnem suam pro cibo nobis fore pronuntiat: calicē addit, ut in suo sanguine potum nos spirituale habere significet. Nunc cū se interponunt homines, & alterā partē nobis abūde sufficere iactāt, quia diuidi Christus nequeat: an in tā aperta mysterij euerfione sunt audiendi? Et sanē itā agendo, Christum quoad in se est, discernunt, dum sacras corporis & sanguinis ipsius tesseras, quas indiuiduo nexu cōiunxerat, separare non verentur. Totum, inquit, Christū qui sub panis specie habet, eo cōtentus esse debet. Atqui, cū sub symbolis duobus, corpus nobis & sanguinem suum separatim cōmunicet: tunc demum cōtenti erimus si totum habeamus quod ipse dedit. Nā ad dimidium restringere, qui hominibus permittit, primum tantundem Christo derogat: deinde mysterium lacerando, ut eius se priuat ac fructū. Ac fortiter repudianda sunt ista quorundam astutorum hominum voces: quis res sit externa, non esse magnopere diligētia aduē. Nam cū pro adoratione idoli sui tot trucidant innoxios homines, vnde ista repentē oritur tantæ facilitatis mentio? Nos verō in vindicanda sanguinis, quo redempti sumus, tessera, sanguini nostro, si opus fuerit nō parcamus.

Ut Confirmationem pro Sacramento vendiderit, nihil differre simulant à manu impositione, qua vsos fuisse Apostolos refert Lucas. Quod si verum est: quī sibi licuisse ostendunt, promiscuē nulloque delectu vulgare, quod certus dūtaxat hominibus destinatum erat? Neque enim Apostolos legimus manus omnibus imposuisse, sed hoc symbolum adhibuisse, tantum distribuendis Spiritus sancti donis: quæ omnium fuisse cōmunia, ne isti quidē dicunt. Iam hoc ergo erit dissimile, quod Sacramētum, quo non nisi certos homines dignati sunt. Apostoli, peræquē omnibus, noui Mediatōres exponunt. Iam cū fateatur Chrisma superadditum, cū sola manu impositione in vsu fuisset Apostolis: cui se persuasuros existimant, tantum fuisse hominibus concessum, ut quam ipsis libuerit gratiam Spiritus signare, exhiberēt? Postquam septem numerarunt Sacramēta, vnum quodque ipsorum tradunt in nobis efficere quod figurat. Ergo si hominibus licuit, Sacramētum sine verbo Dei prodere, subiectum fuit eorum arbitrio, quod sibi vni Deus vendicat. Repugnat prætere ipsa quoque Sacramēti definitio. Neque enim mihi negabunt, Sacramētum hunc propositum esse finem, ut quasi sigillum nobis sint, ad sciendū in animis nostris Dei promissiones. Quorsum ergo Sacramēti vsus, si nulla est promissio quā ob signet? Nulla autem reperitur, quam suæ confirmati-

tionem aptare queant. In Sacramentis quaeritur diuini erga nos fauoris testimonium, cuius rei Deus ipse solus idoneus est testis. Quid tale adfert Confirmatio? Denique, quemadmodum probam monetae ab adulterina, forma publica discernitur: ita ubique non cernam in sculptum Dei verbum, illic Sacramentum falso iactari, securè excipiam. Aud. o, quid ex aduerso proferant Moderatores: quascunque enim habemus de Spiritus gratia promissiones, huc accommodant. Sed hanc licentiam nimis proteruè sibi usurpant, ut quod Deus simpliciter promittit, restringant ad suas qualescunque ceremonias. Simplex est, nullòque signo implicitum, quod audio ex ore Christi, Spiritum fidelibus perpetuò adfuturum. Isti in oleo, quasi in theca Spiritum se inclusum habere fingunt, & sua vnctione depromi. Et interea quas ita deprauant promissiones, fundamenti loco sumunt, ne videantur sine ratione loqui.

At, cum ita credat Ecclesia: nos autem illam negare columnam esse veritatis, si aliter sentimus. Atrox crimen, siquidem verum esset. Sed cum nomen Ecclesiae non minus improbè, quàm audacter metiantur, quid aliud quàm velut oppressæ veritati insultant? Ac quò melius barbaram suam ferociam prodant, commentum illud de septiformi gratia toties explosum, fidem Ecclesiae appellant, de qua fas non sit dubitare. Iesaias sex enumerat Spiritus dona, quibus praedictum fore Christum docet. Septimum nescio quomodo in vulgari translatione additum fuit. Quasi sublimè aliquod subesset mysterium, septiformis gratia inde excusata fuit. Sed primo ex errore natus est septenarius numerus. Deinde, ut hoc taceam: cuius erit & iudicium, ad septem effectus, quasi in angustum cogere Spiritum Dei: cum alibi veritatis & sanctificationis gratia, praecum, ad pium Spiritus perinde nominetur, ut hic sex epithetis oratus est à Propheta? Si tanta est seculi nostri vel ingratitude, vel excitas, ut iniquis praesudicij cause nostræ bonitas obruatur: at cerè, maior in posteris erit aequitas, ut agnoscat quàm importuè in oves Christi innocias grassati sunt isti lupi, qui sibi Pastorem nomen arrogunt. Nihil est tamen absurdum, nihil tam deformè, quod non hac via fidei dealberit: Ecclesia, quæ optima est diuinae voluntatis interpretis, ita sentit. Ita cum suis Episcopis confirmandi ius assignant, id cõprobatum esse adsumunt totius Ecclesiae cõsensum: nepe, si eiusmodi cõsensu & stimandus est eorum libidine. Sed hoc etiã indignius, quòd iactare non verentur Apostolorum praxim. Tres dumtaxat cum sint leci apud Lucã, ubi narrat hac ceremonia distributum esse Spiritum: non minus ipsi Paulo manus ab Anania: fuisse impositas testatur, quæ alijs à Petro, Ioannã & Paulo. Quæ Ananiae Episcopatu dabunt, ne alieni arripuisse manus dicatur? Et tamen hereticos esse nos clamant, nisi tam conuictis mendacijs assentiamur. Quinetiam dum gregarios sacerdotes in necessitate substituunt Episcopis (qua de re extat in eorum canonibus Gregorij Epistola) illam, cuius obtentu nobis illudunt, Apostolorum praxim, ostendunt sibi nequaquam esse pro lege.

Acto. 9.  
Act. 8. 19.

c. pertin.  
dist.  
95.

At maximum tamen impetio seruanda est. Nam si credibile non est, ea nisi Christi mandato, ipsos fuisse Apostolos, nobis instar legis est eorum observatio. Huic alteri quoque annexum est, inane symbolum non fuisse. Pro Sacramento igitur habendum esse cõficitur. Ego verò vtrunque istum fateor. Sed quod minime praterendum erat, non cõsiderantes Mediatore nostri, cuius rei scilicet fuerit Sacramentum, ex tẽporali imperitè perpetuò faciunt. Gratias Spiritus, quæ tunc conferebantur per manu impositionem, aliquãtò post cõferri desuisse, notum est. Siue hoc mandati ingratitude factum fuerit, siue quia satis iam centu ferè annorum miraculis illustrata erat Euãgelij doctrina: nihil ad presentem causam refert. Ablatum certe nobis fuisse quod illo ritu indicabant Apostoli, omnes videt. Quorsum ergo, ubi fuit veritas accepit, signu prorogabitur? Si quis hodie morè incubandi mortuis conetur inducere, quia & Helius & Paulus suscitandus mortuis hoc symbolu non temerè adhibuerint,

buerint, quis non statim repudiet tam præposteram imitationem? Sacramentum itaque Apostolis fuisse, nõ negamus: sed quod, re sublata, abrogatum sit. Quare, si eius retineri vsus volunt Mediatores, rem signatam prius nobis restituant. Et si autem fateor, cum cessassent miracula, retentam nihilominus in veteri Ecclesia consuetudinem manus imponendi, non est tamen cur hoc præiudicio grauemur, nisi proferatur certa Dei autoritas. Deinde, causam longè à veterum causa separatam agunt Mediatores. Nam cum fateatur Augustinus, nihil nisi solenne precationis esse symbolum: frustra eorum umbra tegere se conantur, à quibus tam procul absunt. Nos quoque eiusmodi ritum vbique restitutum meritò optaremus, quo offerantur Deo pueri, post editam fidei suæ confessionem. Atque hæc esset non indecora catechismi approbatio. Sed quamlibet tum pia, tum utilia sint hominum instituta, longè tamen infra Sacramentorum gloriam subsidunt, necesse est, quæ diuinitus sunt nobis tradita, & fœdus æternæ salutis habent in se comprehensum.

Iam verò recipi vnctio non potest, sine illis appendicibus, quas meritò exhorreere p̄ omnes debent. Quid enim minus ferendum, quàm præferri Confirmationem Baptismo, vique dignius Sacramentum & maiori colendum veneratione? Hæc quidem tam tetras blasphemias callidè dissimulant Mediatores: sed cum oleum necessariò comitentur: quid capiant tali silentio, nisi vt nos sine sensu iugulet? Vnctio, secundum eos, ab Ecclesia prodijt. At eadem est Ecclesia, si ipsis creditur, quæ meretricios illos fucos induxit, eius oranda causa. Si assentiamur: annon meritò exprobrabit nobis Christus, irrita nos facere Dei mandata propter hominum traditiones? Quale verò Dei mandatum spernetur? Baptismus, lauacrum regenerationis, quo Christum induimus: Baptismus, testimoniū adoptionis nostræ, ingressus in regnum Dei, ablutio in Christi sanguine, nouæ & æternæ vitæ exordiū, oleo in hominū torculari expresso cedit. Et nos Christiani iudicabimur, si non silentio tantum nostro, sed aperta suffragatione, locum dabimus tam iniquæ cõparationi? Decreuit etiam Concilium Aurelianense, confirmandos esse omnes qui baptizati fuerint, vt pleni Christiani inueniantur: quoniam Christi nos esse negat, nisi qui oleo Episcopali inuncti fuerint. Hoc esse Ecclesiæ decretum, pro confesso sumunt Mediatores. Quid ergo & Apostolis & Martyribus vniuersis fiet, qui nunquam oleati fuerunt? Imo quid nobis fiet, si alium quàm ipsi habuerint, Christianismum appetimus? Neque enim tam in illos cõtumeliosum est, quàm nobis exitiale hoc dogma, quod nos ab eorum societate auellit. Aliam quoque diabolicam sententiã, quam euomit Concilium, nominatim confirmant Mediatores: tamen si paulò verecundius loquuntur. Sed quid refert, cum in eundem vtrique finem spectent? Hæc summa est: nos in Baptismo regenerari ad vitam: Confirmatione ad pugnam instrui. Hoc autem quid aliud est, quàm spoliare Baptismum dimidia virtutis suæ parte? Nam si illic induimus Christum, si in similitudinem mortis eius inferimur, vt carni mundoque mortui, resurgamus in vitæ nouitatem, quæ perpetuò duret: quis non videt Mediatores ad commentitiam suam vnctionem transferre, quod sub Baptismo continebatur? Nostrum ergo est, vitam potius nostram centies oppondere, quàm vt Baptismum nostrum ita lacerari, taciti ac dissimulantes sinamus.

Sacramentum Pœnitentiæ iam aliqua ex parte excussimus, de confessione differendo. Tantum in præsentia hoc attingam, atrocem fieri iniuriam Deo, cum Sacramenti nomen absolutioni, qualem necessariam esse fingunt, imponitur. Omitto quòd ita perniciosus laqueus iniicitur conscientijs, cum ad obtinendam peccatorum remissionem confitendi præscribitur necessitas. Hoc iam alibi dictum est. Sed quòd hominis cum Deo reconciliationem obsignari absolutionis ceremonia volunt, hoc nimis arroganter ab hominibus fieri dico. Vnde enim tanta licentia, vt signum fabricent suo arbitratu, quod mox pignus sancienda salutis esse iubeat? Deus peccatorum remissionem nobis promittit: de ceremonia, nullum verbum. Isti ad sa-

cerdotem nos ablegant, qui manus agitati me nobis testetur peccata esse remissa. Quasi penes eos sit, mortis Christi virtutem suis placitis affigere. Ergo quanti estimamus peccatorum remissione, tam seridè contendere nos decet, ne à ritu humanitus inuento suspèdatur eius fides.

Vnctiōe, quā sanandis ægrotis adhibuerūt Apostoli, sicut fatemur fuisse Sacramētum, ita negamus ad nos pertinere: quia pro ratione gratiæ cui seruebat, temporale fuit. Donū sanationis non fuisse perpetuū, omnes norūt. Est enim ex eorum genere, quibus nouā Euangeliij prædicationē illustrari Deus voluit, donec fidem in mūdo acquireret. Itaque paulò post fuisse ablatum, ex veteribus historijs colligere licet. Testimonijs vii supernaculū foret in re notissima, adeoque cōfessa. Quid ergo sibi volunt Mediatōres? Donū quod olei symbolo notabāt. Apostoli, si vltra eorum ætate durasse obtendāt, turpissimæ impuditiæ conuincantur. Vulgare autē proverbium est. Accessorium sequi naturā principalis. Cōstituo igitur, ex quo res ablata est, nō frustra modo retineri signum, sed nimis petulantè ludi in re seria: vt veri sint Apostolorum imitatores, dono sanationis præditos esse oportet. Nunc cum illo carētes, signū nil ilminus vsurpēt, nihil sunt quā sumis. At Iacobus frater Domini nō testimonio solum hęc vnctiōe, sed promulgatione quoque sua celebrat. Nam hic heterica vehementia perquā tumultus insurgūt. Ego verò Iacobi verbis suffragiū meū libenter addo. Sed hoc illi consilium nego fuisse, vt quod effcax esse nouerat representāda Dei gratiæ symbolum, ad frigidam emulatiōe prostituere. Certum est autem, vnctōres huius temporis nihil magis eius gratiæ, de qua loquitur Iacobus, esse ministros, quā rex olim fuerit histrio, qui personā Agamēnonis agebat in scena. Contēni gratiam causantur, quā hic Christus porrigit. Sed quanam est illa. Quos vngebāt Apostoli, teste Marco, simul sanabāt. Nunc verò nulli nisi morituri vnuntur: vt parum absit, quin profanata vnctio censeatur, si quis ex morbo conualescat. Atque hanc cautionem repetunt Moderatores: ne oleum affertur, nisi cum iustat mortis periculum. Verū, mihi res pōdeant: cum hoc ægrotantibus leuamen indifferenter Iacobus assignet: qua fiducia ipsum rest, ingunt ad periculosos lethalesque morbos? Si tantū illis est Iacobi autoritas, cur non dubitant ab ea discedere? Vt tamē illis impunita sit hęc licentiā, qua fronte Iacobum obijciunt, cuius maxime verbis labefactatur quod stabilire volunt? Leuatum enim iri ægrotum testatur ille. Nunc quorsus quisque oleo sanitatem recuperat? Vix centesimus quisque ab vnctione viuūt. Imo ne hoc quidem agūt, vt medeātur ægritudinī, sed tantum vt pinguiōres ad se pulchrum mittant. Et nos adhuc crudelitatis accusant, quia solatiū tam eximium laborantibus negamus? Quasi verò vnus sit aliquālo visus, qui opis quicquā indē sensisset. Omitto quot præterea inceptijs referta sit histronica hęc vnctio: imo quot impijs superstitionibus turgat: quia satis est in præsentia, eorū vanitatē mōstrasse.

Manuum impressio, qua in suum munus consecrātur ministri, quin sacramentum vocetur, non pugno. Sed hanc appellatiōem trahi ad septem, quos vocant, ordines, vt hęc nunc receptum fuit in papatu, & Mediatoribus placet nequaquam rationi consentaneum esse dico. Quinetiam quod de sacerdotio affirmant, nugatoriuū est: eius scilicet honorem ac potestatem cōferri omnibus, quos ordināt episcopi. Principiō satis notū est, quorsum ordinentur in Papatu: nēpe sacrificiū causa. Hoc enim: habet solenne inaugurationis carmē: potestatem illis dari, placabiles offerendi Deo hostias. Atqui, nihil sibi tale à Christo fuisse mādātum, ostendit. Quanguam enim huius rei tractatio in primum locū melius differretur: vno tamen verbo sacerdotium, quod fingunt, euertere promptum est. Nā quos nullo Dei iussu præficiūt episcopi ad offerēda sacrificia, ijs Spiritum sanctū quo iure elicient? Nego totum sacerdotiū Papale diuinæ vocationi imitti. Ceremoniam ergo, qua ordinātur, quemodo sacramēti nomine dignaret? Ad hęc, dum iterum nobis perpetuam successiōe insinuat fucosi Mediatōres:

viciſſimè

vicissim obuiandum est rursus eorum aſſuetudine: nam & legitimos cenſeri presbyteros volunt, quicumque à cornutis Episcopis sunt creati: & omnes excludunt à ministerio, nisi qui fuerint eorum manu ordinati. Quanquam in priore quidem longè maius prædicant: nam inde ac sinouas facerent creaturas, fingunt indelebilem characterem ab Episcopi benedictione imprimi. Et quidem operæ pretium est notare quis sit ritus imprimendi huius characteris. Quia flatu significauit Christus Spiritum, quo Apostolos donabat, quasi Spiritum sanctum efflarent ex gutture, Christi exemplum, more suo, hoc est, præposterè amulantur. Mutuantur & ex lege Mosai- ca, aliud: nempe vt digitos inungat. Sed quis ipsos docuit in usum reuocare, quæ suo aduentu Christus abrogauerat? Hac in re, non modò præcepto destituuntur: sed ne verustatis quidem patrociniū, nisi falso, obtendere queunt. Est enim vtrunque nouitium inuentum, quod purioribus seculis ignotum fuit. Si ius sacerdotij, quo glori- antur, in perpetua ab Apostolis successione fundatum est: ipsa primū origo in- uestigetur. Præcipua inter eorum ceremonias ea est, quam dixi: cuius auctores esse Apostolos nego. Ab ipso igitur initio cessat, vel vt propriè loquar, longè ab initio quod iactant, distat eorum sacerdotium. Verū vt ad fontem perueniant: quoties tamē multis in locis interrupta fuit successio? Quam multis Ecclesus hæreticos præ- fuisse, eorum historiæ narrant? Tota ferè Germania his, ante nostram ætatem à se- de Romana discessionem fecit, semel cum diuortium facere cum vxoribus cogeren- tur presbyteri: iterum cum Gregorius septimus, Henrico quarto Imperatori infe- stus, Germanos fulminando, vellent ab ipso diuellere. Omittam recentiora exempla quæ per se expendēt sani lectores. Quis enim rerum mediocriter peritus ignorat, vt tres Antipapæ suis factionibus Ecclesiam distraxerint? Ex duobus saltē neuter fuit qui nō plures ordinauerit Episcopos: à quibus rursus creati presbyteri. Vbi cōtinua successio? Verū his omisus, Ioannā papissam transiliat oportet, si continuare suam ab Apostolis seriem volunt. Si excutiantur vetusti annales, multas reperiemus pri- marias sedes ab hæreticis fuisse occupatas. Tot interruptiones dissimulando, nihil proficiūt. Vt ad propinquiora tēpora redā, donec Basiliense Conciliū probauerint nō legitimū fuisse, semper obtrinebo, neminē esse in toto clero Papali nō schismaticum. Omnes enim ab Eugenio ducunt originem: quem synodus non modò abdicauerat Pa- patu, sed cum sua vniuersa seclia, hæreseos dānauerat ac schismaticis. Scio quid respon- dere soleant. Quod enim illis vnicum restat asylum: fortiter synodi illius auctori- tatem repudiant. Sed cum habuerit quascumque ipsi legitima synodi præscribunt notas, quanti valere debeat ista reiectio, p̄y lectiores æstiment.

Atq; vt nihil horū esset, nego sub toto Papatu vnū esse verè Episcopū: nisi for- tē titulo & insignibus in tāta rei probatione cōtenti sumus. Nō dico nūc, cuiusmodi sint insignia, quibus sibi reuerentiam cōciliant: norūt tamē p̄y omnes, profanus esse laruas: quarū aspectū obstupescerēt Apostoli, si viuerent. Fingamus tamē, si veritas subesset, alioqui cōuenire, an tamē ex inani spectaculo Episcopos iudicabimus? Ni- hil enim præterea episcopale habēt, nisi quod pauci suggestū interdiū conscendunt: vt, vna atq; altera habita cōcione, velut defamēli, toto anno aliud agāt. Alios arceat infcitia: bona pars nescio quid sua dignitate inferius esse putāt, verba ad populū fa- cere. Quanquā vix centesimus quisq; reperietur, qui possit docēdi munus obire, quin se ludibrio exponat. Fingamus tamen, silendo & nihil agēdo successores esse Apo- stolorū, quotus quisq; est eorū, qui presbyteros sua manu creare dignetur? Nōne putida mendicabula, vt plurimū, in has partes subrogāt? Deus bone, quò recidimus?

Si tantum ludibrium in Ecclesia valere debeat, ut qui voto perpetuae paupertatis obstrictus, mendicando ac fallendo corraserit aureos trecentos, bullamque hoc pretio mercatus fuerit, quae eum Aſcalonitae episcopum nominet, subito emergat. Apostolorum successor, qui passim crederis presbyteris locet operam, ne intercidat Ecclesiae successio? Si hanc tam foedam sacri ordinis confusionem intueantur Apostoli, quid in ea suam agnoscent?

Quid, si ad canonicas electiones eos reuocem? Nec iam loquor de Christi regnula, quae tamen una sufficere nobis deberet. Tantum quaero, siue iustus is habendus veri episcopi successor, qui aut per vim obrusus, aut per simoniam inductus fuerit, aut profano more emerferit ad episcopatum. Hoc posito, de electione Papae sui, mihi respiciant, num affine quicquam habeat, non dico veteri & nimis rigidae formae, sed Nicolai praescripto, quod Gratianus refert. En Nicolaus, qui iam immenso interuallo a pura ratione descuerat, eligendi modum tradit, qui utcumque tolerabilis esse queat. Si summo iure agatur, tunc quoque interrupta erat series. Quid autem hodie sit? Nihil dicam, nisi quod omnes norunt: nihilo magis Cardinales in eligendo Papa respicere, quid illud Nicolai decretum praecipiat, quam Diaboli in suis inferis tumultuantes, loquentem e caelo Deum audiunt. Quid de episcopis uniuersis sentiendum? Verba sunt Leonis Ro. episcopi: Qui omnibus praesse debet, ab omnibus eligatur. Nam, qui nisi probatus & cognitus assumitur, per vim intruditur. Ac quoties eius rei facit mentionem, negat verum esse episcopum, nisi qui a clero electus, & a plebe expetitus fuerit. Nec aliter pluribus locis Gregorius. Si haec sententia locum habet: praedones se fateantur esse oportet, quicumque hodie vocantur in Papatu episcopi. Nemo enim quantumvis impudens, se a populo expetitum fuisse dicit. Quod ad clerum spectat, iam pridem inualuerat haec antiqui moris corruptela, ut soli otiosi ventres, qui se canonicos appellat, suffragia venderent. Nunc Regum esse beneficia ceperunt episcopatus. Huc accedit manifesta simoniae foeditas. Qua enim commendatione, ut plurimum, nunc ad honorem peruenitur? Ego sane longa recitatione adeo non delector, ut tam flagitiosa Christiani nominis probra vel attingere pigeat. Bene tamen habet, quod me tacente, res loquitur, nihil ab ordine Apostolorum magis discrepare, quam talem grassandi licentiam, qua hodie Episcopatus occupantur. Cum Apostolus disputat, qualiter secundum ordinem Melchizedec constitutus sit pontifex Filius Dei, diligenter similitudinem persequitur, sine qua non constaret illa a Davide posita comparatio. Nisi velint singulari quodam nouoque privilegio se extollere supra Filium Dei, ostendant quomodo ad rationem Apostolicam compositi sint hodierni episcopatus. Nepe inter hos & illam optime conueniet si quis qui plebem commissam tota vita nunquam videt, si puer decennis, si leno, si aleo, si venator, in omni nequitia exercitati, omnis & pietatis & liberalis doctrinae expertes, Apostolorum personam sustineant.

Aliud etiam nunc exoritur maius certamen: nam si eos cõstet infensissimos esse eius doctrinae hostes, quam Apostoli non modo prodiderunt, sed proprio etiam sanguine obſignarunt: si omnia eorum consilia, conatus omnes, totumque institutum huc tendere palam fiat, ut quod summis laboribus constituerunt Apostoli, ex professo euertat: quid amplius volumus? Detur modò nobis audientia, facile ostendemus, vix ullam esse sanam doctrinae partem, quam non suis corruptelis infecerint. Hoc quidem obtinebimus: purum Dei cultum impijs superstitionibus ipsos cõtaminasse: infinitis erroribus implicuisse tum fidei, tum poenitentiae doctrinam: Christi virtutem ac gratiam non obscurasse tantum varijs tenebris, sed propemodum extinxisse: adulterasse indignis modis

sacra-

Dist. 23. c.  
In nomi-  
ne.  
Dist. 79.  
c. si quis  
Apostoli-  
cae.  
Epist. 90.  
Epist. 87.  
& alibi.



sacramēta. Id iam totos triginta ānos egerūt Christi serui. In eodē hodie cursu per-  
gimus. Nihil dico, cuius libri nostri nō sint luculenti testes. Boni viri vbi se plus-  
quā conuictos, & lethaliter confossos vident, negāt Apostolorū successoribus exhi-  
bendā esse molestiam. Atqui, huius rei cognitio ex doctrinæ discussione petenda e-  
rat. Ad eā vtrō ipsos, freti bonæ causæ fiducia, pro uocamus. Ne respondeant. præ-  
iudiciū de hoc ipso fieri volunt, quod in quæstionem vocatur. Itāne? Ut qui omnia  
Apostolis habent contraria, sola tēporis continuatione se eorū tenēre locum, vicēsq;  
agere probent? Atqui eodē colore, qui homine iugulato, in eius domū inuclauerit,  
se illius iactabit esse vicarium. Multo plus à ratione illa gubernandi, quam nobis A-  
postoli cōmendant, distat Papatus, quā à libero ac bene cōposito libertatis statu  
tyrannis, quanuis seua & truculenta. Quis iam tyrannū ferat, Cōsularis aut alterius  
legitimi magistratus, quē ipse sustulerit, nomine gloriantem? Nihilo autem minor  
est istorum impudentia, qui postquam sanctum illud regimen cum Christi iussu, tum  
Apostolorū vsu constitutum, labefecerunt, eius tamen successionem suæ tyrannidi  
obtendunt. Nam ut maximè continua fuerit temporis series, si tamen interciderit  
Apostolatus: quod lacerato Dei cultu, sepulto Christi officio, extincta doctrinæ lu-  
ce, pollutis sacramentis necesse est: quā manere potest successio? Nisi fortē, quōd si-  
cuti mortuo heres succedit: ita isti pietatis interitu partā sibi dominationem putant.  
Sed cum totam gubernandi rationem penitus mutauerint, magis profundum est in-  
ter eos & Apostolos chasma, quā ut vlla iuris communicatio intercedat. Atque  
ut locum hunc vno verbo claudam, nego esse successionem, cuius rei nulla est origo.  
Nego item sacrificandi munus, quod in suo sacerdotio præcipuum numerant, vn-  
quam fluxisse ab Apostolis. Quare alios iam quærant ordinis sui auctores.

Quod autem, eodem prætextu, os occludunt pijs omnibus, qui Ecclesiæ instau-  
rationi student, quasi ad docendi munus ritè non sint vocati: eo nihil assequuntur,  
nisi ut totus mundus intelligat, non aliter stare eorum tyrannidem posse, quā ve-  
ritate oppressa. Verum est quidem, in Ecclesia bene ordinata, nullos ad publicum  
docendi munus esse admittendos, nisi qui per ordinarios pastores vocati fuerint.  
Sed quid hoc ad Papatum? Nisi ad Antichristum Christi potestas transferatur?  
Dederunt Apostoli operam, ut par erat, propagandæ ad posteros Ecclesiæ. In hunc  
finem, creatos populi suffragijs pastores ordinarunt. Postea, vna cum doctrinæ pu-  
ritate, iusta eligendi ratio obsoleuit. An nemo erit iustus Christi minister, nisi qui  
per corruptelam obrepserit? Successionem, quam sibi tanto supercilio arrogat, iam  
illis eripui. Meminerimus præterea, cum sacrificos sua inauguratione creent, non  
pastores, illigari sacrilegio, quicumque illorū ordinari manu, sustinent. Nemo igitur  
poterit, nisi malo detestandōq; auspicio, ad promouendū Christi regnum accedere?  
Imo, inquiunt, vtcunq; pessum eant omnia, nemo, nisi vocatus, accedat. Iā sum præfa-  
tus nihil esse controuersæ, quin vbiunque incolumis, aut saltē tolerabilis est Ec-  
clesiæ status, expectanda sit ordinaria vocatio. Sed an propterea lex Deo imposi-  
ta est, quin extra ordinem, qui collapsam dirutamque Ecclesiam restituant, Prophe-  
tas ipse excitet suo spiritu, ac alios ministros? Sed enim, inquiunt, id accidere nun-  
quam patietur Ecclesiæ perpetuitas. Ego sanè concedo, fieri nunquam posse, ut Ec-  
clesia intercideret. At cum ad pastores referunt, quod de perpetua Ecclesiæ duratio-  
ne promittitur, in eo vehementer errant. Neque enim si desint pastores, ideo pro-  
tinus desinit Ecclesia. Tunc quidem, fateor, verè & stat & floret, cum in vnum

Eze. 34.  
Iere. 3.  
& 33.

ouile colliguntur oues: quod nisi pastorum opera fieri nequit. Sed experientia docet, interdum dissipatus etiam oues seruari arcana Dei virtute. Latet, inquam, interdum Ecclesia, fugitque hominum oculos, ut frustra externum in ea regimen aut principatus quispiam requiratur. Itaque abrupta episcoporum successione, stat nihilominus Ecclesia perpetuitas. Si nondum intelligunt, de nihilo se proteruire, quæro ubi nam legerint, oportere ad finem usque mundi, cōtinua serie alios succedere alijs episcopos. At nos legimus, cum olim sacerdotum partim inscitia & ignauia, partim perfidia & scelere, vitiatum esset Dei cultus, inculta iaceret sacrorum administratio, peruersa esset pia doctrina, Ecclesia propè cōcidisset, extraordinario Dei afflatu suscitatos fuisse Prophetas, qui res perditas restituerent. Quid obstabit, quominus idem nunc quoque præstet? Et sanè, ita necesse fuit. Nec verò minus ad nos, quam ad veterem populum quod habetur apud Ezechielem & Ieremiam, pertinet: Deum, ut improborum pastorum nequitiam ulciscatur, illis depulsis, probos daturum ac fideles, qui secundum eius voluntatem pascant. Tametsi enim tales quotidie dat per hominum vocationem: singulare tamen est donandi genus, cum cessante hominum opera, solus ipse constituit quos & necessarios esse, & hominum iudicio præteriri videt. Iam si quod in nos vibrant telum, quispiam in ipsos retorqueat, quo se clypeo defendent? Suggestus ferè omnes apud ipsos occupant monachi, vel conductitij alij rabulæ, qui declamitare, rixando in suis Sorbonis, didicerunt. Quæ est omnium istorum vocatio? Certè non aliam proferent, nisi quod cum muti essent episcopi, cum toto sacerdotum suorum grege, alienos in locum suum subrogarunt. Sed cum noua sit ista substitutio, saltem plus oclingentis demum annis post etate Apostolorum nata: desinant horum nomine tam impudenter abuti. Qui nobis hoc tempore facere prætulerunt, ut à diurno errore in viam rediremus, sanctos Dei Prophetas fuisse, testatur præclarum, quod ediderunt, & verè diuinum ministerij sui specimen. Ad hoc beneficium Ecclesie præstandum nunquam vocati fuissent à lupis, qui vorandi perdendi que rabie ardebant. Ergo ad sanandum malum incurabile, præsertim cum vilitate remedia deficerent, Dei ipsius manu ad opem ferendam emitte oportuit: quos libenter totus mundus impedisset. Nunc idem lupi, qui ouile obsidebant, nos iniussu suo queruntur esse ingressos, turbatumque à nobis fuisse ordinem clamant: quia non expectato suo mandato, succurrere miseris ouibus quisque nostrum, ut par erat, pro sua virili studuerit. Cæterum, ex quo res in meliorem paulò statum nostris laboribus sunt restituta, sanctius longè apud nos, quam in toto papatu, colitur manuum impositio.

Venio nunc ad ordines reliquos, in quibus recensendis vulgarè consuetudinè sequitur nostri Moderatores, ac singulis nomē sacramenti aptat. Minus hinc ero prolixus, quàm meretur rei indignitas. Nam breuibus ostendere promptum est, quàm impudenter à nobis postulent, ut sacramenta esse fateamur. Taceo, quòd in toto papatu ordinatur diaconi, & inferiores: non qui officium exerceant, sed quicumque presbyterij honore ambiunt: ad quem gradatim cōscendere iubent ipsorum canones. Et si inuenta est expedita trāsiliendi ratio. Vno enim die minores omnes tituli in vnum hominem congeruntur. Denique nullæ ab histrionibus tam ludicræ fabulæ aguntur, quàm spectare in illa ordinandi pompa licet. His stagitij quasi nondum opportuna esset correctio, conuenient boni Moderatores. Ego autem, ut hæc taceam, ferendum esse nego, ut sacramenti nomen ad actiones nescio quas transferatur, ad quas nulla pertinet Dei promissio. Nam ut quispiam templi foribus præficiatur ad fugandos canes,

quid

quid opus est fingere sacramentum? Exorcistarum verò, *quanam est hodie opera?* Nam quod in alijs solent, hìc ne simulant quidem. Et tamen malè de Ecclesia mere-ri pronuntiat, quisquis eiusmodi ordines vel spernit, vel tollit. Sed qui persuadeat, reuerenter esse excipiendum, cuius ne inanem quidem umbram fallèdis oculis osten- tant? Umbratiles enim & nihili exorcismos soli in Papatu sacrifici peragunt. Acoluthos creant: hoc est pedissequos. Tantane est in Episcopo comitando maiestas, ut excudendum fuerit spirituale mysterium? Certè nihil eos pudet, cum sacramenti no- men prostituunt ad tales nugas. Ac notandum est, hanc inter nos questionè verti. Neque enim digladiamur de Acoluthis & Ostiarijs, expediátne eos habere necne. Sint sanè hæc vtilia rudimenta exercendæ eorū adulescentiæ, qui ad Ecclesiæ regi- men aspirat. Tamen si nihil tale visitur in Papatu, & si quid olim fuit boni, iam pri- dem in desuetudinem abiit. Verum ut illis demus quod de vtilitate postulant: nimia tamen audaciæ, ne dicam sacrilegijs, fuit ementiri nomen illud, quod non nisi cœli- tus institutus diuinæ gratiæ symbolus cõuenit. Quam profanationem si audacter Lu- tianici homines, redimendæ paci gratiæ, se approbare simulant: quotquot serio Dei timore praditi sunt, eos retinebit conscientia, ne assentiantur.

Vltimum illis sacramentum est Matrimonium: idque, ut aiunt, ob Christi gra- tiam, quæ ei nunquã deest. Verum hæc ratio ad quoduis honestum & Deo proba- tum viuendi genus extenditur. Ergo sacramentum erit agricultura, pecuaria, & artes omnes, aut quæ ingenuæ vocantur, aut mæchanicæ: quarum nulla est, quam Deus sua benedictione non dignetur. Videmus ergo quàm pueriliter ineptiant. Sed additur altera ratio probabilior: quia cum sacra spiritualique societate, quam ha- bet Christus cum Ecclesia, confertur matrimonium. Quasi verò non & pastori, & agno, & leoni, & soli, & lapidi comparatur Christus ipse: & Deus bellicoso prin- cipi, & procellæ, & flammæ ardenti? An totidem igitur erunt sacramenta, quot occurrunt in Scripturis similitudines? Atqui hoc modo furtum in ordine sacramen- torum censebitur, quia legimus, furi similem fore diem Domini. Multum itaque abest, quin sacramentum nobis conficiat nuda similitudo. Nec verò in eo hallucina- ti sunt primi huius commentii authores. Sed cum apud Paulum, vbi de matrimonio differit, in clausula legissent Sacramenti nomen, inconsideratè arreptum, fingendo nouo dogmati sufficere putarunt. Nec interea venit illis in mentem, Paulum illic my- sterij nomine simpliciter commendare inestimabilem istam gratiam, qua nos profe- quitur Filius Dei, cum in suum corpus inserit. Ergo ut eius admirationem excitet, magnum exclamat arcanum esse. Id enim sonat Mysterij nomen, quod posuit: cuius loco vetus interpres, ut aliàs quoq; in eadè epistola, transtulit Sacramenti. sed mi- nimè cogitãs quod indocti homines postea somniarunt. Ex hac tam crassa ignorãtia natus error nimis impudèter a Moderatoribus defenditur. Verum, quò magis videmus nasutos homines securè illudere Dei verbo, ut Antichristis adulentur: eo maior reli- gio cõstringere animos nostros debet, ne qua tãta impietatis societate nos illigemus.

Hinc, ut error errorè secum trahit, colligunt, nec solui cõiugij vinculum, adulteriij causa: nec audiendos esse, qui ratam esse fidem negant, quam sibi absque parentum consensu, adulescentes ac puellæ mutuo dederint. Primum, quod dicunt, ex falsa & peruersa verborum Christi interpretatione fluxit. Nam cum affirmat mœchari- eum, qui repudiatam ducit, subaudienda est exceptio quam p̄suerat: nempe, nisi ob adulteriũ. Et sanè, frustra de mulieribus adulteris cõcionatus esset, quarũ diuortio

sequebatur capitalis poena, apud Iudæos. Quòd si non magno periculo errarent, dum ita peruertunt Christi verba, ignosci forsàn vnicunque ipsis pisset: verum, hic salus virorũ agitur, qui adulteris vxores è contubernio suo pellunt. Illis æqui Moderatores imperant perpetuũ cœlibatum. Quid si vxore indigeant? Sine remedio scilicet, æstua bit tota vita: vt animæ exitio pœnã luant alieni sceleris. Ita vir Christianus, aut fouere adulteria, probrãq; vorare impudicæ vxoris cogetur, aut crudeliter addicetur perpetuæ inquietudini, siquidem incontinentiæ morbo laborabit. Cùm miseris conscientijs tam malè consulant: an nostro assensu inhumanam eorum tyrannidem adiuuabimus? De sponsalibus, quæ temerè ab adolescentulis contrahuntur, hoc tantum dicam: verbo negari posse, quod verbo asserunt Moderatores. Quis enim rata esse debere illis reuelauit? Parentum auctoritatem requiri, ipsa quoque natura dicitur: idque & iure gentium obseruatum semper est, & Scripturæ testimonio comprobatur. At sacramenti, inquit, dignitas, præferenda est iuri patrio. Vt sacramenti nomine abuti illis permittam: plusquam absurdum est, in sacramenti honore poni, cùm perperam & inordinatè aliquid geritur: nam quò plus habet dignitatis coniugium, eò maiore & modestia & religione suspiciendum erat. Quòd si honor est sacramenti talis indulgentia: cur in sacerdotum & monialium coniugio non sunt perinde faciles? At obstat votum. Nempe quemadmodum hic obstat ius nature: quod perfringere non dubitant.

Quòd vnicum esse Christi sacrificium agnoscut, quo expiata sunt peccata, & reconciliati homines Deo, vtinam in eo perstarent. Sed paulò post ostendunt, non aliud sibi fuisse consiliũ ita præfando, quàm vt speciosum missæ suæ colorẽ induceret, quò illius vnici sacrificij applicatio censeatur. Caterum, quibuscumque eã fucus ornent: nunquãtamen efficiet, quin filijs Dei omnibus detestabilis sit meretricia eius fœditas. Verum, vt certo ordine progrediamur: ab illo generali capite in itinẽ sumendum est, vbi sacrificia, vnici illius applicatoria esse docent, cordis humiliationes, & pietatis causa susceptas carnis afflictiones, & quæ sunt eius generis. Quæ ista est vel incogitantia, vel obliuio, vel stupiditas, vt fidei sacrificium prætereant? cuius ament præcipuè in hac applicatione sunt partes? Parũ dico: neque enim aliter quàm in fide, vim mortis Christi percipimus. Alia verò sic fidem comitantur, vt sint quasi appendices, & ab ea mutantur quicquid habent. Fidẽ certè eximium esse sacrificium, ex Paulo constat. Idem docet, ea nobis reconciliationem applicari cum Deo, quam nobis morte sua Christus peperit. Accuratam eius rei tractationem cùm se persequi Mediatore præferat, qui fit vt prorsus sileat de fide? Nã ea propriè sola est, quæ omnia pietatis exercitia sanctificat. Deinde à quo didicerunt, carnis afflictionibus, quas modicè prodesse testatur Paulus, partam morte Filij Dei gratiam nobis applicari? Adminicula sunt fateor, quæ nos ad quærdam in Christo peccatorũ remissionem manuducunt: sed stultè inde colligitur, per ea nobis applicari Christi sacrificium, quasi ieiunijs, aut alia quauis externa carnis afflictione ad: pif amur salutem. Audio quid Dauid dicat: sacrificium scilicet Deo gratũ esse, contritum cor, & humiliatũ: sed eo nobis applicari quod Christus, id nos Deo reconciliandos, obtulit sacrificium, neque ipse, neque vllus vel Prophetarum, vel Apostolorũ docet. Tantum abest, vt hoc honoris mereantur externa opera, quæ longè inferiore loco subsidunt.

Fateor tamen Mediatore alio post loco, quasi experge factos tandẽ fidei recordari. Sed qualẽ tunc quoq; fidẽ nobis fabricant? Quæ in missæ sacrificiũ intueatur.

Proinde

Proinde meritò eam cū deuotione copulant: quando execratione diuinus est, qui auersus à Christi morte, huc vel illuc salutē queritans, circumspectat. At sacrificiū missæ à Christi morte pendet. Hoc verò iam expendimus. Christus, inquit, ut corpus suū fidelibus edendum obtulit, ita eius offerendi mandatum dedit Apostolis, quos instituebat nouæ legis sacerdotes. O putidam eorum: & λὰ? ἐβάαυ, quos ego noui esse huius insulsæ farraginis opifices! Vbi enim præcipitur oblatio? Respondent, vbi dicitur: Hoc facite. Cùm ante annos viginti Clithoueus & similes bestię sacrificium ex hoc verbo elicerent, versumque in eam rem citarent Vigilij, Cùm faciam vitula pro frugibus: nemo erat med. ocri iudicio præditus, qui non videret argumenti leuitatem: gnoscatur tamen eorum stultitia, quia balbutiebant de rebus ignotis. Nunc autem mente captos esse oportet, qui in tāã luce vomere tales ineptias non dubitant, quas & se cum intus vident ipsi, & alijs non ignorant ridiculas fore. Sed tamen, quasi res sit consideratione digna, animos aduertamus. Facere, verbum pontificale esse dicunt. Fateor. Sed quò idiomate loquutum esse Christum putant? nū que tamen hīc cardo vertitur. Faciendi enim verbum, vbi de sacrificijs agitur, interdum Hebræi vsurpant. Tantum nunc disputamus, quo sensu Christus dixerit: Hoc facite in memoriam mei. Nondum hunc soluit Paulus optimus interpret, hæc duo simul contexens: Hoc facite, quotiescū que biberitis. Quid enim agerent aliud discipuli, quàm quod suo exemplo præmonstrauerat Magister ipse? Imo, quis non videt, referri hoc ad superiorem sermonem, vbi iussu fuerant accipere, & inter se communicare? Quamquam audita Pauli interpretatione, frustra de re indubia litigamus. Quòd si nondum acquiescunt, quia dictum id fuerit Apostolis, quos fuisse sacrificos imaginantur, respondeant mihi velim, quòsnam alloquebatur Paulus, cū eadem verba repereret. Nōne postquam toti Corinthiorum Ecclesiæ, viris promiscuè ac mulieribus, se tradidisse præfatus est, quòd à Domino acceperat: hoc ipsis faciendum mandauit? An ita contumeliose lacerare Christi verba sibi permitterent, nisi Epicureo contemptu inflati, de spectu haberent omne numen?

Simile est quòd iactant, priusquam sub panis specie porrigeret corpus suum Christus discipulis, obtulisse Patri. Vndè enim id esse factum diuinant? Res sanè digna erat, cuius fieret aliqua mentio. Atqui, sic rexitur ab Euangelistis historia: quòd acceperit panem, fregit, ac dedit. Quo igitur ore, quòd nusquam inuenitur, nulliūque habet colorem, sic affirmant? Si omnes adducerent coniecturæ: causæ tamen magnitudo non permetteret, quicquam inde statui. Verum, cū ab omni verisimilitudine abhorreat quòd nugantur, quis non fortiter respuet? Nē gant alicui scire illud, quòd Christus sacerdos sit secundum ordinem Melchizedec. Scio non eo: primū nunc impingere ad hunc lapidem. Verum, si rem, ommissis hominibus considerare libet, id vanitate ipsi esse vanius, mox constabit. Narrat Moyses, obtulisse Melchizedec Abrahæ panem & vinum. Qui sacræ oblationem & mysticam illic piscantur, intelligūt obtulisse Deo. Atqui, simul ac meminit illic Moyses, ipsum venisse Abrahæ obuiam, subiicit, obtulisse, vel attulisse panem & vinum. Cū verò membrum quòd mox sequitur, causæ redditionem esse putant, nihil aliud quàm duplicant errorē. Adducit quidem Moyses: Et erat Sacerdos Dei altissimi. Sed hoc ad ius benedictionis pertinet: ut sciamus, ex officio personæque sacerdotali, Melchizedec Abrahæ benedixisse. Hactenus nullum cernitur in Melchizedec panis sacrificium. Sed accedit validius argumentum, quòd Apostolus, dum singula propè scrupulose excutit, in quibus conueniat hæc similitudo, nihil tale attingit. Nomen & sedem regni, regnum & sacerdotium diligenter notat: deinde quòd tanquam à seipso ortus, nullam habeat genealogiam, quæ quidem sit scriptis prodita, quòd Abraham illi, tanquā præstantiori minor decimas obtulerit. Denique,

quod iure sacerdotis benedixerit *Abrahæ*. Si quod fuisset in pane mysterium, nihil ad causam, quæ illic tractatur, aptius adduci poterat. Oblivione certè non præterijt Spiritus sanctus. Quis sit ergo ut sileat? Nempe, quia intempestivè ingerere noluit. Quanquam mirum est, eos querere in pane figuram, qui panem in corpus verum antè esse dicunt, quàm offeratur. Quomodo secundum eos respondebit figura veritas, si nullus in sacra Coena est panis? Sed hoc nobis in præsentia sufficiat: nihil illis suffragari panem à *Melchizedec* oblatum, quia rem à Spiritu sancto minime animadversam comminiscuntur.

Arripiunt & tritam istam *Malachia* sententiam: In omni loco offeretur nomini meo, inter gentes, oblatio munda. Quasi verò non aliud sit quàm missæ sacrificium. Atqui, si locos omnes novi Testamenti recenseamus, qui de sacrificio tractant, nusquam invenitur missa. Annon oblatio munda est, cum per Evangelium consecramur Deo? cum se quisque nostrum carnis mortificatione illi offert? cum vitulos labiorum immolamus, ut inquit alter Propheta? Cur ergo posthabitis sacrificijs omnibus, quæ nobis Scriptura commendat, ad solam missam, de qua nullum usquam verbulum, se convertunt, nisi quia in omnibus sunt præposterè? Caterùm, cum sanis omnibus cõstet simpliciter, more prophetico, designari hinc sub sacrificij nomine, Dei cultum: quid de nihilo argutari prodest? Mos hic Prophetis perquam familiaris est, ut sicut illis somnia & visiones, Deinotitiã significant: ita tẽplũ, altare, suffitius, & sacrificia accipiant pro cultu Dei. Hinc autem nata istec loquendi ratio, quod doctrinam suo seculo accommodabant, quo scimus involutum talibus ceremonijs fuisse Dei cultum. Denique, eiusmodi locutiones, cum legis pædagogiam sapiant, elicienda nobis inde spiritalis veritas, quæ sola ad nos pertinet. Iam satis superque apparet calumni os citari *Malachiam*, quasi de missa vaticinetur, cum nihil minus cogitaverit.

Nec veterum sententias moror, quæ ad obruendã veritatem huc congeriunt Moderatores. Solenne est nebulonibus istis, quicquid vitiosum in patribus legitur, corrudere: ac si quis solam auro neglecto scoriã: & abiectis granis, quisquiliis studiose legeret. Cum ergo obijciunt locum *Malachia* sic ab *Irenæo* exponi: oblationem *Melchizedec* sic tractari ab *Athanasio*, *Ambrosio*, *Augustino* & *Arnobio*, breviter responsum sit: eosdem illos scriptores alibi quoque Panem interpretari Christi corpus: sed ita ridiculè, ut dissentire nos cogat ratio & veritas. Nã inducit *Ieremias* impios qui aduersus eos conspirauerat, ita loquentes: Mittamus lignum in panem eius. Perinde hoc valere notum est, ac si dixisset: Stringulemus eum pane suo, vel aliquid simile. Veteres hoc ad Christum trahunt: & allegoricè ut dixi, Panem interpretatur, Corpus, quod ligno fuit affixum. Desinant ergo boni Moderatores veterum sententijs pugnare in mala causa. Iam antè ostendi, quo sensu dicatur *Melchizedec* obtulisse panem: res clara est: deinde silentium Apostoli vice probationis esse nobis debet: qui nunquam prætermisisset quod tam appositè dicitur erat, siquidem potuisset verè dici. Nõ est ergo quod vel *Ambrosium*, vel alium quempiam ex tota veterum cohorte acutius vidisse putemus, quàm ipsum Apostolum: nisi tantum illis perspicaciam tribuere libet, ut mysterium cognouerint, quod Spiritum Dei per os Apostoli loquentem fugit.

Cum omnibus in causis colenda est ingenuitas, tum verò cum de religione agitur, callidè aut etiam dissimulanter agere, fas non est. Aduersarij nostri, quoniam nos Dei verbo armatos vident, hinc inde capiunt quæ possunt testimonia, multaque suis cauillis deprauant, ut obiecto antiquitatis fumo, diuinæ veritatis lucem obscurent. Interea quantum ab antiquitate ipsi dissideant, nolunt inquiri. Palam tamen est. Cuius rei in missæ sacrificio illustre specimè habemus. Ut vulgares *Sorbonistæ* omittam, Mediatores nostri pro tuendo missæ sacrificio, & vetustum loquendi usum, & sacrificandi ritum prætexunt. Vtriusque illis

illis concedo: veteres non modò sacrificij voce abusos esse, sed etiam ceremonia. Verùm, si reputemus, quantum à veterum corrupte la distet, quæ nunc ab ipsis fucatur impietas, immensum est ferè intervallum. Quæcunque erant quod agebant veteres, sacrificij memoriã esse interpretantur. Isti Antiquarii (vt haberi volunt) memoria non contenti, applicationem inculcant, vt paulò post videbimus. Et si autem puri ab impia superstitione, quæ postea inualuit, fuerunt veteres: non tamen prorsus excusandi sunt: quatenus scilicet ipsos apparet, à puro & genuino Christi instituto deflexisse. Nam cum in hunc finem celebranda sit Cœna, vt sacrificio Christi communicemus: eò non contenti, oblationem quoque addiderunt. Hoc auctarium vitiosum fuisse dico: partim quia beneficium, Christi morte nobis præstitum, obscurat: partim quia alienum est à sacræ Cœnæ natura. Officium Christi fuit, se Deo offerre. Iam non aliæ nobis restant partes, quàm vt vescamur. Qui in sola receptione non acquiescit, sed appetit sacrificij imaginem, minus quàm par erat tribuit & morti, qua defunctus est Christus, & Cœnæ mysterio, quod in mortis suæ memoriã reliquit. Nunc vt millies clament vel Papiste, vel alij Papistis nõ multum dissimiles, oblatum olim fuisse panem, veteres ita solutos facere, nõ nouam esse consuetudinem: toties excipere nobis licebit, Christi mandatum, inuiolabilem esse regulam, quæ nulla hominum consuetudine, nulla præscriptione temporum, nullis nouis placitis conuelli aut refigi debeat.

Respondi quod videbatur, de patrum autoritate. Itaque, cum Mediatores concludunt, Ecclesiam secundum Scripturæ sanctorumque patrum testimonia, duo sacrificia agnosce: in altero mentiuntur, in altero errant, plus hominum placitis, aut opinioni, quàm debeat, tribuendo. Scripturam enim, quæ tota vbique illis reclamatione, falso prætexunt, adeoque turpiter lacerant, vt ne pueris quidem, qui dant, acat moniti fuerint, fucum sint facturi. Cerè, plusquàm apertè refutauit eorum nequitiam. Quò ad veteres spectat, non est quòd in eorum gratiam ab æterna & inflexibili Dei veritate recedamus. Proinde incruentum illud sacrificium, quòd commenti sunt homines, sibi habeant, quibus non satisficit Dei sapientia. Simplex & minime ambigua Scripturæ doctrina est, sacrificio quo reconciliari Deo homines oportebat, semel defunctum esse Christum: eius sacrificij vim esse æternam, fructumque quotidie à nobis percipi. Vt autem eo fruamur, institutam esse ab eodem Dei Filio sacram Cœnam, in qua corpus suum semel immolatum nobis in cibum porrigit, quo vescamur. Hoc modo vici illius sacrificij virtutem applicari nobis, vt eius fiamus participes. Vbi totam Scripturam reuolueris, nihil aliud reperies, quàm pascha nostrum immolatum esse. Sacerdotem vnicum semel ingressum esse in Sancta, vt oblatione vnica, mundi peccata expiaret. Nobis nihil aliud præcipi, quàm vt epulemur. Cuius nunc ergo audaciæ erit, hominem mortalem se ingerere, vt sacerdotio sibi nunquam mandato, fungatur, vt incruentum sacrificium, quòd nusquam requirit Deus, offerat? Proinde, alibi secundum illud sacrificium locent Mediatores, quàm in Ecclesia. A nobis vt agnoscat, nunquam efficient, donec alium esse idoneum sacrificij autorem persuaserint, quàm Filium Dei: qui Sacerdos est in æternum constitutus, nullo vel successore, vel collega. Quicquid præter eius auctoritatem additam, tibi obrepit in sacram Cœnam, hominum vel cupiditate nimia, vel facilitate, ad huius auctoritatis normam corrigantur. Ita enim faciendum admonet Paulus, & hoc volunt eius verba cum dicit: Accepi à Domino quòd & tradidi vobis. Oblationem porrò, quæ ab ignoto fonte manauit, sceleratè & nequiter Christo acceptam referunt Mediatores.

Video quid dicturi sint, qui miscere Christum cum Belial parati sunt, modò qualemcunque pacem redimant. Nam & hominum noui ingenia, & dicerijs pridem assueui. Immodicè nos scilicet morositate arguent, qui de voce vna, & externo ritu contentionem

nona nece *Sariam* moueamus. Nec verò mirum est, nos hoc nomine ab illis accusari: loquuntur eam ut sentiant. Sed cum nobis melius sentire datum sit, confiteri etiam oportet, quod corde credidi *mus*. *Hic* enim legem *p̄is* omnibus fert *Spiritus Dei*: Credidi, propterea loquar. Cum nuper mihi à bonis viris narratum esset, cornutum quendam, ex fœtido *Papalium* *Episcoporum* *gr̄ḡ*, caprum, qui iam pridem medius inter cœlum & inferos volitat, ita solere loqui. Nullam sibi videri causam, cur fucatam hanc moderationis formulam amplecti recusaremus, respondi quod de *Alexandro* *historici* referunt: Me, si essem eius loco, non recusa urum. Illum verò, si mihi esset similis, idem facturum, quod nunc me facere miratur. Nam eiusmodi homines, qui Christum abnegando tot annos sunt exercitati, simplicitatem nostram probro vertere cur miremur, cum subsannare Deum ipsum non dubitent? At nobis tanti esse debent cœlestis *Magistri* decreta, ut pro ijs ad extremum dimicare non dubitemus. Nec quicquam putemus libertati nostræ subiectum, de quo nobis quid fieri vellet, præcepit. Sed hic de re nobis, non de verbo tantum acritu, certamen est cum *Mediatoribus*. Tradunt enim, comprehendendi in missæ sacrificio veritatem earum rerum, quæ vetusta omnia sacrificia figurabant: eandem hinc esse corporis & sanguinis Christi hostiam, quæ in cruce mactata fuit. Unde apparet, unico Christi sacrificio, secundarium hoc subrogari, quo illi us efficacia ad nos perueniat. Ego autem breuiter respondeo: quæcunque vnquam in usu fuerunt sacrificia, ad hunc, veluti *lydium lapidem*, probanda esse, ut proba censeatur: à Deo habeant, an ab hominibus originem. Præterquam enim quòd in Christum respicere debebat, Deum quoque authorem esse oportuit. Itaque, quantum in speciem nihil ut parum differre videatur à sacrificijs piorum, quæ à gentibus oblata legimus, hæc tamen non dabitur tanquam adulterina damnare: illa autem pronuntiare sancta & legitima. Vide porrò hoc discrimen, nisi ex illa duplici nota, finis, & mandati? Nunc igitur ut micam veritatis in sacrificio missæ contineri probent *Mediatores*, Dei mandatum in primis necesse est proferri, quale nullum extat. Unde audacter constituimus, nihil quàm inane esse figmentum.

Quòd succum tam & dilucidum *Canon* interpretationem attexi volunt, fateor non esse de nihilo. Sed quis glossis inuenient, quibus teguntur adeò crassæ absurditates? Principiò, certum est, pugnantia illic contineri, contrariæque esse malè consutos ab indoctis artificibus. Dicunt se Deo offerre de eius donis & datis hostiam puram, panem sanctum vite æternæ. Quæ verba sonant, constare ex pane Christi corpus. Emolliant ut volent, hæc verborum æperitatem: perspiciunt tamen oculati homines, quam precationem veteris Ecclesia de communibus oblationibus concipere solebat, consarcinatores missæ canonicæ ad corpus Christi inscitè transtulisse. *Elemosynæ* quas conferebant fideles, tanquam Deo sacræ, altari imponebantur. Deum populi nomine, orabat sacerdos, ut eas gratis haberet. Barbari homines qui postea secuti sunt, vel antiqui moris ignari, vel aliud quàm imaginarium suum sacrificium nescientes, temerè addiderunt, corpus & sanguinem. Hæc inscitiam melius patefacit, quòd paulò post attexunt: Per quem hæc omnia semper bona creas: sanctificas, benedicis. Certè hæc oratio vtrunque torqueatur, Sacramento aptari nequit. Quæ sunt igitur bona, quæ Deus quotidie nobis creat, nisi quæ quisque piorum ex suis facultatibus confert in usum pauperum? Hinc enim fuisse olim oblationes consecrandi formulam, ex *Arausiani* Concilij decreto apparet: Offerimus tibi Domine, quæ de manu tua suscepimus. Quibus obsecro glossis se extricabunt, quin hic turpissimæ hallucinationis conuicti teneantur? Leuicula sunt ista: nec alium in finem à me attinguntur nisi ut omnes intelligant nullas esse tam putidas ineptias, quas non peruicaciter defendant



pendant histriones isti, qui Mediatorum personam induerunt.

Nunc pergamus ad magis seria. Corpus & sanguinem Filij Dei missarius sacerdos in sacrificium se offerre dicit. Actio est prorsus diuina, ad quam nemo, nisi coelitus vocatus, ingerere se debet. Nam cum de legitimo sacerdotio disputat Apostolus, nulli tantum honorem concedit, nisi cui Deus contulerit. Ut ipsum quoque Christum dicat oportuisse Patris vocatione institui. Si perperam ac præter ius & fas sibi honorem usurpat, qui sacerdotio fungitur non vocatus à Deo, nunc ostendant sacrifici missales, quo Dei mandato Christum offerre ausint. Tota Apostoli disputatio in Epistola ad Hebræos à septimi capitis initio, ad finē vsque decimi, in duobus his cardinibus versatur: Christū vnum fuisse idoneū qui se offerret: deinde vnica oblatione perfunctū, quæ perpetuò vigeat. Hæc sibi habere videntur bellissimā argutiam, qua effugiant, dum idē se hodie offerre sacrificiū iactāt, quod semel Christus obtulit: non nouū aut diuersum introducere. Sed cum Scriptura, & soli Christo vindicet offerēdi munus, & semel testetur obtulisse, nihil illo cauillo identitatis, vt ita loquar, proficiunt: nam interea ad se rapiunt, quod solus est Christi: & quod semel peractum fuit, quotidie millies iterant. Addit canon, id fieri pro redemptione animarum. At reclamat Apostolus, qui tradit Christum in cælos ascendisse, æternam redemptionem parta. Si oblatum in cruce sacrificium, æternam redemptionem peperit: mentiuntur certè, qui se hodie adhuc sacrificare redimendi causa, profitentur. Hic commoda interpretatione nobis satisfieri, hoc est, oculos perstringi volunt Mediatores. Fatebuntur vno Christi sacrificio redemptos esse: sed hoc modo nobis illius gratiam applicari. Sed hunc fucum iam antè satis absterpsi: imo ad viuum eraditur vno Apostoli verbo, cum Legis sacrificia negat parua fuisse tollendis peccatis, quia sæpius repeterentur: & nos hac nota discernit à patribus, quod apud illos quotannis fieret peccatorum commemoratio. Certè & nos assidue peccata nostra confiteri decet, nec aliter ea deprecari possumus, quàm sacrificij recordatione. Itaque non aliter intelligi locus ille potest, quàm hoc constituto discrimine, quod tunc quidem ad testandam peccatorum expiationem, visibile sacrificium adhibebatur: hodie nõ item, ex quo veritas ipsa signorum fuit exhibita. Denique, qui offerri hodie Christum fingunt pro animarum salute, morte eius expiata fuisse peccata, Deumque hominibus reconciliatum fuisse negant. An verò nos huic blasphemie subscriberemus, quæ proprium mortis Christi munus ad humanam actionem transcribit? Tunc verò nos meruò Christus tanquam perfidos ac foedifragos, tanti beneficij participatione abdicet, si vnico æternoque suo sacrificio eiusmodi adminicula quæ nunquam vel instituit, vel probauit, subrogari taciti sumamus. Quàm verò congruenter postea rogatur Deus in canone, vt hostiam carnis ac sanguinis Christi gratiã habeat, sicut Abelis Abrahamæque sacrificia, iubeatque per manus Angeli perferri in sublime altare suum. En pietas, cum vix eodem Filium Dei honore dignantur, quo pecudes. Quid enim precantur? Vt Patri Christus instar arietis illius, quem immolauit Abraham, placeat. Saltem in eo minimè canonicus est Canon, quod vmbra, veritatis regulam facit: gratiam, qua pollet Christi sacrificium, ad eam quæ pecuarijs victimis suberat, exigendo. Cæterum, obtendant quicquid libuerit. Sed nos qua conscientia in tam foedam Christi contumeliam, vt ferè posthabeatur brutis animalibus, consentiemus? Non est præterea auctarium istud negligendum, si nihil in canone mutetur, orandi pro Papa nostro Paulo tertio, nobis necessitatem iniungi. Ergone, dum apparemus in Dei conspectum, vbi cor se totum quodammodo effundere debet, patrem nominemus eum, qui omnium filiorum Dei crudelissimus est carnifex? Eum fateamur esse pastorem, qui ad macclandas & vorandas Christi oues, princeps est latronum ac luporum? Eĩ

primum in Ecclesia locum assignemus, qui non ab ea tantum est alienus, sed infestissimus quoque est eius hostis? Sibi verò talem habeant patrem: Istelebius, simileſque apostata, quò impiæ suæ defectionis reſtem quoque faciunt Deum: sicuti eam turpiter apud homines flagitioseque profiteri non verentur. Nobis verò centum potius oppetendæ sunt mortes, quàm ut in sui flagitij societatem nos trahant.

Tandem, ne quid in missæ ceremonijs mutetur, cauent Mediatores: quia omnes ad id quod illic agitur, valde sunt appositæ. Si de puerili ludicro sermo esset, verè fortassis illud diceretur: at cum sacra Christi Cœna nihilo plus habent affinitatis, quàm sus aut canis cum Dei altari. Cum in omni religionis actione relucere debeat cœlestis quædam maiestas, tum verò in Cœnæ celebratione, vbi Dominus ad arcanam carnis & sanguinis sui participationem nos inuitat. Quid porrò grauitatis cõtineant missales ritus, ex ea parte quam hîc recitabo, gustum capient lectores. Ac omisso, quem vocant Introitu, aliisque infinitis nugis, solius canonis gesticulationes attingam: Iunctis manibus se inclinet sacerdos ante altare, postea in dextra parte osculetur: hîc faciat tres cruces: eleuet manus ac expandat, iunctis manibus memoretur viuorum: parum flectat genua: extendat manus super hostiam: faciat quinque cruces: iungat manus sursum: tergat manus ad corporale: eleuet hostiam, deinde calicem. Illis repositis, extendat brachia quasi de se crucem faciens: retrahat brachia, & faciat super totum sacrificium tres cruces, quartam super corpus, quintam super calicem: ponat manus super sacrificium, & oculos sursum erigat: inclinet se ad altare manibus cancelatis: osculetur altare: figret se signo crucis: iunctis manibus memoriam habeat mortuorum, percutiat pectus suum semel vel re.: faciat tres cruces: discooperiat calicem: de pane faciat tres cruces super ipsum, deinde duas inter se & calicem: ostendat manu dextra hostiam, cooperto calice expandat manus: tangat patena pedem calicis, medium, summitatem: ad os suum & oculos admoreat. De hostia tres faciat partes: sed vnâ alijs maiorem: de minima parte faciat tres cruces, deinde ponat in calicem: reliquis osculetur. Excipient res esse medias, quæ vni indifferens sit vsus Christianis. Cur ergo quicquam omitti vetant? Verum ut hoc subtriceam: quàm indignum est histriõnem plus habere centuplo in scena grauitatis, quàm in faciendis Dei & hominum fœdere habeat sacerdos? Nimium profectò sibi licentia in rebus externis sumunt, si pro nihilo ducunt cœleste Cœnæ mysteriũ tan indecoris gesticulationibus deformari: à quibus exagitandis ideo abstineo, quia tam fœda Christiani nominis ludibria meminisse piget. Isti verò nebulones, ut suur prostituti pudoris, etiam summarum absurditatum minimam correctionem respuunt. Vnde apparet, nihil eos aliud captare, quàm ut breui iterum, quicquid lucis nostro tempore affulsit, extinctum pereat. Hîc porrò impudentiæ cumulus est, quòd missæ hodiernæ ritum ab Augustino perspicuè monstrari iactant. Citatur quidem ab illis Epistola ad Paulinum, quæ est ordine, quinquagesima nona. Ego autem, ut perspicuè appareat quàm improbam mentiendi licentiam sibi indulgeant, ex lectione ipsa fieri iudicium patiar.

Sequuntur genera duo mortuorum memoria, quæ ut antiquitus fuerunt culta, ita nunc retineri volunt Mediatores. Mos antiquus fuit, inter sacræ Cœnæ celebrationem, Apostolos primariosque Martyres & maxime vulgò notos nominare, ut talibus exemplis excitaretur omnium fides. Secundo loco recitabant eorum nomina, qui recens mortui, specimen suæ pietatis ad extremum ediderant: ut ita solemne haberent suæ perseverantiæ testimonium. Hæc omnia cum ad Christianæ vnitatis commendationem valerent, vniisque stimulos adderent ad imitandam mortuorum fidem, & nulla subesset adhuc supersticio: nos minimè improbanus, ut nihil opus fuerit testimoniorum congerie, quam Mediatores

diatores, ostentationis potius, quam doctrinae causa, coaceruant. Paulò post obrepfit utrobique corruptela. Nam & usu receptum fuit, ut se Martyrum precibus iuari Ecclesia peteret, suasque vicissim preces interponeret pro impetrando meritis refrigerio, qui in fide Christi decesserant. Ità duplex tam Martyrum, quam aliorum memoria, inducta fuit. Nec verò dissimulo, quin à multis seculis obtinuerit utraque superstitio. Sed in religione, cuius vnicum est fundamentum aeterna Christi veritas, non multum valere debet annorum numerus. Iam de priore videamus. Non recitari tantum honoris causa nomina Martyrum, atque ut pro eorum pietate gratias agamus Deo, Mediatores iubent: sed, ut eorum precibus etiam iuuemur. Ego autem tali commemoratione, quasi profano inquinamento, pollui dico sacram Christi Coenam. Nam cum omnis Dei inuocatio pura & religiosa esse debet: tum verò mysterium hoc cum celebratur, reuerentiam inuocandi Dei, eius conspectui augeri decet. Porro, Deum ritè orari negat Paulus, donec edocti simus eius verbo. Vnde constat non esse legitimam orandi formam, nisi qua sit in verbo Dei fundata. Nunc ostendant, ubi nos doceat Spiritus, vllius vel Propheta, vel Apostoli, vel Martyris patrocinium Deo opponere. Hoc principium semper teneamus, Nos non rectè orare, nisi praesente Dei verbo. Si ergo sanctorum intercessionem, Rom. 10. quam non didicit, illi ingerimus, profana nostra oratio est.

Audiamus quid contra, Mediatores. Rationi consentaneum esse dicunt, ut pro nobis orent sancti, qui Deo extra mundum viuunt: teneri enim ipsos Iacobi praeepto: Orate pro inuicem, alij pro alijs. Atqui, haecenus putaueram, Epistolam hanc viuus scriptam esse, non mortuis. Hoc certè acumine neminem ferient, nisi valde obtusum. Eos hortatur Iacobus, qui non doctrina modò, sed fratrum quoque precibus, sub carnis infirmitate laborantes indigent. In quo numero non sunt iam Apostoli aut Martyres suis certaminibus perfuncti: cursum enim fidelium, morte absolui Paulus testatur. Sed par est, eos nostris malis condolere. Vnde etiam & pro nobis apud Deum intercedere, sequitur: quia nec voluntas illis deest, nec facultas. Respondeo, nimis curiosè facere eos, qui de mortuorum statu diuinant, quod 1. Tim. 4. nullo Scripturae testimonio proditum est. Temerè verò facere eos, qui affirmant. Rogandi sunt Moderatores nostri, vnde illis reuelatum fuerit, viuorum necessitatibus conscios esse, quos ab eorum societate mors separauit. Verba Pauli sunt apud Lucam, Dauidem cum aetati suae seruiisset, esse mortuum. Quibus subindicat, non ministrare nunc à morte sua posteris. Quin regni Dei complementum expetant, quicumque sunt ex Christi corpore, non nego: sed illis affectus tribuere nostris similes, quasi omnia cernant quae in mundo geruntur, temerarium est, nisi claris Scripturae testimonijs monstratur. Acto. 13. 1

Sed hoc quoque urgent Moderatores. Oniam enim adducunt & Ieremiam, qui mortui pro salute populi protendunt ad Deum manus. Id Iudam Machabaeum somniasse narrat, fateor, secundus Machabaeorum liber: sed quantum fidei mereatur Iudae somnium, vnde, quae so, statuemus? Veniam deprecatur historiae illius scriptor, si quid, hominum more, minus commodè scribendo, deliquerit. Detur ergo illi, quam petit, venia: modò ne quem secum errare cogat. Nobis autem quatiacunque hominum scripta discernere liceat à ceris Dei oraculis. Scire tamen velim, cur non Onia & Ieremiae patrocinium, quod sibi ex Scriptura notum esse iactant, potius commendent Moderatores, quam Petri, vel Pauli, de quo nihil tale

proditum est. Atqui, post habitus Prophetis, recentiores tantum patronos appetit & in ore habent. De Angelis, pro diuersa officij ratione, aliter sentiendū est. Illis mādāta est piorum cura & custodia: sollicitos ergo de salute nostra esse oportet, vt Deo pareant: nec aliud quā inuēlam sibi functionem exercent, pro nobis orādo. At has dum peculiariter Angelis partes assignat Scriptura, piorum an imas, quae in Domino quiescunt, ab eorum ordine segregat. Et sanē si earū ministerio ad curandā salutē nostrā vteretur Deus, nihilo de his magis Scriptura, quā de Angelis taceret. Angelos suos omnes pro piorum tutela excubare, Deus pronuntiat. Quorsum id, nisi vt maiore fiducia instruantur? Tantundē de sanctis spiritibus dicē dum erat, si vera esset cōparatio. Nunc quod tacetur, pro nihilo ducendum est: praesertim vbi de re agitur in primis cognitu vtili. Atq; vt demus pro nobis orare Apostolos & Martyres, implorandum tamen esse eorum patrocinium, perperā inde colligitur. Audit seruus Abraham, ad futurum sibi Angelū: sed vbi opus est Angeli praesentia, ad eum se minimē cōuertit. Videt minister Elisei ingentes Angelorum copias, ad opē sibi ac magistro ferendam armatus esse: eorum tamen suffragatione, Deum inuocans, non nititur. Iterum, memoria repetāt p̄ lectores, quod prius dixi, hanc nobis omnibus orandi legē esse imposita, ne quid nisi ex Dei verbo. Qui autē alios ex caelo intercessores, praeter Christum, sibi aduocant, extra verbum Dei vagantur: quare & recte orādi metas transilire eos dico: nam quē ex locis quibusdam fucum Mediatores faciunt, refellere nullo negotio proptum est. Nomen suum à posteris suis inuocari voluit Iacob, inquit. Quod sequutus Moyses his verbis orat: Memento Domine seruatorum tuorum Abraham, Isaac & Iacob. Sic & in Psalmo orant fideles Deum, vt recordetur Dauid. Respondeo, non obscurum esse, quid in benedictione Ephraim & Manasse inuocatio significet: neque enim aliud voluit Iacob, quā vt diuini foederis gratia ad nepotes suos, iure hereditario perueniret. Promissa erat salus eius semini, promissionem Deus in manus Abraham, Isaac & ipsius Iacob deposuerat. Hoc ergo petit, vt inter sancti populi tribus censeantur. Nec verò ad hominum personas respicit Moyses, cum nomina Abraham, Isaac & Iacob in medium adducit: sed vt se alióque in promissionis fide confirmet, causam commemorat, cur ipsis oporteat praestari. Ac si diceret: Domine, nō alia quā promissionis tuae fiducia ad te accedimus: quia nos sumus populus ille, cuius te fore Deum Abraham, Isaac & Iacob patribus nostris es pollicitus. Non est ergo quod nobis oculos perstrictum iri sperent Mediatores, tam euanidis nugis spargendo.

Venio ad sanctorum merita, quibus etiam preces nostras subniti volunt. Est quidem hoc aliquid, quod superbam de illis iactantiam mitigant: hoc tamen minimē ferendum est, quod ex Dei liberalitate Christi; gratia prodesse ea nobis dicunt, tam ad protectionem, quā gratiae impetrationem. Nusquam hoc illis tribuit verbum Dei. Prosequitur, fateor, gratia suam Dominus erga homines in millesimam vsque generationem, sicuti promisit: sed stultē hinc inferunt Mediatores, redundare in filios patrum merita. Quin potius hīc quidā est diuinae misericordiae cumulus, vt modis omnibus exundet, quod postquam salutarem manum gratuito porrexit patribus, eam ad posteros quoque extendit. Minimam huius laudis partem à Dei bonitate traducere ad hominum merita, impia & sacrilega est malignitatis. Nec eiusmodi errori suffragatur, quod de Dauide obtendunt Moderatores, in eius scilicet gratia, Deum populi saepius misertum esse. Quia enim cum Dauide sancitum erat

erat fœdus in totius populi salutem: hac, ut ita dicam, qualitate induendus est, si probè volumus intelligere, cur eius rationem potius in seruando populo, quàm Ezechia aut Iosia Deus habuerit. Si perfidis Scripturæ corruptoribus hæc non sapiunt, nihil mirum: sunt tamen ad quassandas diruendâsque omnes inferorum machinæ valida. Quanquam semper tenendum est illud quod antè posui, fundamentum: non aliam esse piè, rectèque precandi rationem, nisi quæ ad diuinæ voluntatis præscriptum exigitur. Tota autem Scriptura non alium Deo Mediatorem proponere iubet, quàm solum Christum: nec alterius vel patrocinio, vel meritis subniti docet, ut certâ fiducia nos ad Dei tribunal sistamus. Atque ita reperiemus, quisquis alios sibi patronos vel intercessores quæritat, non esse huius patrocinio cõtentum. Sollicitè ergo cauendum, ne plures aditus captando, ianuam illam nobis claudamus, qua sola accessus ad Deum patet.

Centies, si fieri queat, moriamur potius, quàm ut nostro consensu in sacrosanctam Christi Cœnam irrumpat talis profanatio. Nihilo etiam magis concedendum est, quòd festis diebus coli mortuos volunt, ut suis nos meritis associent, suâque iuuent intercessione apud Deum. En Christiana reformatio, cuius spem faciunt imperitis. Si festos dies quædam veluti inuitamenta esse dicerent, ad colendâ virtutum memoriam, quæ nos ad imitationè provocet, aliquis sanè esset color: sed cultum institui ex dierum obseruatione, id quod faciunt, nimis deforme est. Negabunt scio, hoc sibi esse consilium: sed ex re ipsa iudicium fiat. In vnaquaque parochia festum patroni diem celebrandum præcipiunt: nec eo contenti, vocant singulares patronos, quibus hic honor deferatur: cum satis constet, non aliter hæcenus habitos esse patronos, quàm deos tutelares: an non auribus nostris insonare debet vox illa prophetica? Secundum numerum vrbium tuarum sunt dii tui. Quàm igitur fœda erit nostra ingratitude, si relicto vitæ fonte, tales nobis fodiamus cisternas? Si solos Prophetas & Apostolos eueherent ad hunc honorem, acriter intercedere deceret, ne ex sanctis Dei ministris idola fierent: nunc ad hanc impietatem accedit nimis insulsa absurditas: quibuslibet enim patronis suos dies festos assignât. Multa porro sunt templa Catharinæ dicata, vel Christophoro, vel alijs fœtibus nominibus. Catharinæ aut Christophori precibus, ut iuuetur plebs huius loci, à Domino postulabit. Itane cum Deo ludetur, ut qui nulli vnquam fuerunt, obtrudantur ad Deum exorandum patroni? Talibus monstris qui fomenta suppeditant, gustumne aliquem vnquam habuisse credendi sunt seriæ synceræque Dei inuocationis? Omitto Dominicum & similes carnifices. Omitto Medardum, Lubinum, & similes eius bestias. Quis enim finis esset, si singulas labyrinthi ambages excutere vellem, in quem nos Mediatores pellunt? Sed v&bis ac ter eorum perfidia, qui se tam facile proijciunt in voluntarium interitum, quem centum mortibus, si centum haberent vitas, propulsare debuerant.

Supere est alter ordo mortuorum, quorum mentionem in Cœna fieri volunt: ut detur illis locus refrigerij, lucis & pacis. Non nego hanc fuisse vetustissimam consuetudinem: & quoniam magna est vis consuetudinis, aut potius regnum, adeo eiusmodi preces fateor Chrysostomo, Epiphanio, Augustino, & similibus probatas fuisse, quòd à maioribus quasi per manus, traditæ essent. Et si non existimo, multò ante eorum ætatem, quos nominaui, obrepfisse in vsum. Sed quod breui tempore utcunque inualuerat, nimia facilitate, sine ratione aut iudicio, secuti sunt. Verùm,

Hom. in  
Ioan. 49.

quia Augustinum Moderatoribus libuit citare testem : audiant quantum ipse idem alibi in contrariam sententiam magis inclinet . Recepti sunt in pace, inquit, sancti Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, boni fideles. Omnes tamen adhuc in fine recepturi sunt, quod promisit Deus. Promissa enim est carnis etiã resurrectionis, mortis consumptio, vita æterna, cum Angelis. Hoc omnes simul accepturi sumus. Nam requiem, quæ continuò post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque, cum moritur . Si vna omnibus est requies: non minus pro quouis ex grege fidelium superuacuis erit orare, quàm pro Isaiâ vel Paulo. Atqui, hoc posterius fieri debere, Augustinus ubique negat. Superest igitur, vt quiete sua, ultra quam nihil nunc melius optari illis potest, sinamus eos frui: nec Dei nomine in precibus non legitimis, abutamur. Traditionem Apostolicam Mediatores esse voluit: idque Dionysii testimonio probant . Porro, in recitandis eius verbis Apostolorum nomen ita furtim interferunt, vt videatur ab ipso positum. Atqui, diuinos illic duces nominat, quos subinde vocat magistros . Deinde, quasi oculos mundo confixerint, epitheto Areopagita ornant suum Dionysium . De Areopagita Eusebius aliquoties meminit: quem Atheniensis Ecclesiâ primũ fuisse Episcopum dicit: atq; ita traditum à Dionysio Alexandrino, refert . Sed quicquam ab eo literis mandatum, non dicit: quod certè, si fuisset verum, nõ erat ommissurus. Hieronymus verò, in scriptoribus Ecclesiasticis, duos numerat Dionysios: Corinthiũ vnum, qui sub Marco Antonino Vero, & L. Commodo floruerit: alterum Origenis discipulum, qui Alexandrinus Episcopus fuerit, sub Galieni imperio . Sed inter eorum scripta, quæ diligenter recenset, cœlestis vel ecclesiastica Hierarchiæ, mentio nulla . Quoties ergo citantur libri isti, sciamus ignoti esse scriptoris, & non adedò antiqui, quod & stylus ipse, & argumentum clarè demonstrat . At Chrysostomus Apostolis fert acceptum: nempe, vt alia permulta, quæ cum vulgò recepta essent, tamen ignota erant originis. Damascenum qui legerunt, si vnicam habent vnciam sani iudicij, non multum eius auctoritati deferret. Quis nescit puellis infantibus, cum adhuc à nutricis mamma penderet, veteres Eucharistiã dare solitos? Atq; hunc morem proculdubio se ex traditione Apostolica habere putabant. Hoc Cyprianus, Chrysostomo & Augustino aliquãto antiquior, dixisset. Perversum tamen fuisse morem, & à Christi institutione alienũ, testatur hæc Pauli sententiã: Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Deniq; posterior ætas non immeritò correxit. Quid igitur ex falso traditionis nomine fucũ isti faciunt Moderatores, cum in simili causa satis ostendat, quod voluit esse sacrosanctũ, sibi pluma esse leuius? Sed quorsum hinc diuinare attinet? Extat Apostolorũ scripta, quæ copiosè & apertè quicquid in doctrina pietatis erat cognitu necessarium, complectuntur. Quin & de mortuis interdum ex professo loquuntur. Pro ipsis orare, nusquã precipiunt. Cum Thessalonicenses hortatur Paulus, vt luctum in morte suorum tēperarent, consolationes adhibet, quas sciebat ad hanc rem maximè appositas. Precũ nullus sermo, qui maximè fuisset opportunus, si pro mortuis precari liceret. Ad Corinthios scribens, argumenta omnia colligit, quibus animas probet à morte esse superstites. Hoc nondum adducit, quod fuisset alioqui validissimum: Ecclesiã pro mortuis non frustra orare. Pro quibus ordinarias preces velit in Ecclesia concipi, Timotheum admonet. De mortuis illic quoq; silentium. Quòd si precibus nostris hodie indigent mortui, maior sub Lege fuit earũ necessitas. Atqui, Scriptura, cum & luctum,

Etum, & sepulturam, & alia quadam in speciem minuta accuratè referat, verbum de precibus nullum facit. Cui, obsecro, credibile erit, Spiritum sanctum quod precipuum erat, obliuisci, dum leuioribus insistit? Hinc sinè hominibus non contentiosis liquebit, rem fuisse Propheis & Apostolis incognitam.

Sed enim Scripturam quoque opponunt Mediatores: quia præcipiat Apostolus, orare alios pro alijs. Si quis esset apud eos Dei timor, si qua valeret religio, si quis vigeret conscientie sensus, poenam certè horrerent, quam impijs Scripturæ sacræ corruptoribus cogimur imprecari, & quas proculdubio aliquando Deus expectet. Ut vicissim oremus alijs pro alijs, Iacobus nos monet, cum antè præcepisset de mutua confessione. Si cõprehendit in hoc ordine mortuos, resurgant oportet, ac confiteantur nobis peccata sua: alterum enim cum altero coniungit. Ego verò Iacobi verba nullo aptius in eos retorqueo: quando eos solos, qui cõmuniter laborant, iubet inter se cõmunicare mutuas preces: mortuos esse omittendos, qui iam suis laboribus sunt perfuncti. Iacobus, inquam, non alios precibus nostris commendat, quàm qui versantur adhuc in presentis vitæ certaminibus. Contrà, Scriptura beatos pronuntiat, qui sunt in Domino mortui, eò quòd iam requiescant à laboribus suis. Si ita est, quid illis opitulari queat nostræ preces? Et tamen magnè in fratres crudelitatis, & detestandæ in Dominum temeritatis dånare non verentur Mediatores, si quis ab orationum nostrarum consortio mortuos excludat. Imo crudelitatis Deum accusent potius, qui cum identidem nos tam sollicitè ad orandum pro fratribus hortetur, hanc doctrinam semper ad viuos restringit. Res certè ad eò leuis non erat, miseris animas, quæ ad opem flagitantiam mutæ sunt, subleuare, ut præteriri debuerit. Cur ne verbo quidem usquam attingitur? Præsertim, cum toties, tamque diligenter, tam copiosè, tam luculentè concionentur Prophetæ omnes, Apostoli, Christus denique ipse, de officijs charitatis: cur hoc supprimunt, quod inter alia postremum non erat? Iam quæ nostra est in Domino temeritas? Regulam orandi certam tradit. Eam tenemus: nec fas esse putamus, inde vel vnguem vnum deflectere. At Dominus, inquit, nequaquam mortuos à viuis separare præcipit. Imo hoc præcepti vice nobis esse debet, quòd cum vbique viuos nominatim exprimat, mortuos segregat ex eorum numero: deinde, cum finitam eorum militiam testatur, non amplius habere auxilio nostro opus, significat. Nusquam prohibet Deus, ne pro Angelis oremus. An eum detestabimur, qui orandum negabit? Pro Apostolis non esse orandum, nec pro Martyribus fatentur ipsi quoque Mediatores. Atqui, nusquam legitur prohiberi. Cur in reliquis mortuis tam erit detestanda nostra temeritas? Ipsi verò in Spiritum sanctum palàm sunt contumeliosi, quem obliuionis in re tam necessaria insimulant. Atque hinc simul apparet, quanta sit eorum moderatio, qui suas detestationes tam futiliter in nos euincunt.

Est tamen: valeat Ecclesiæ veteris cõsuetudo, ut sacerdos in Cænæ celebratione, mortuos Deo commendet: an ideo debent vigilia, inniuersaria & similes nugæ retineri? Sic autè placet Mediatoribus. Obsecro, si qua eos cura instauranda & interpretatis, & Ecclesiæ tangeret, ex tanta superstitionum sylua, quibus sciant mortuales, ut loquantur, vigilia, nihil omnino refecarent? Imo, si quid haberent ingenui pudoris, an non verbo saltè attingerent, corrigenda esse quadam, quæ nimis insulsa absurditate quæuis mediocriter intelligentè offendunt? Fædè illic discerpitur Scriptura. Misceatur incomposita sententiarum, hinc inde temerè congestarum, far-

rigo. Denique, quicquid illic fit ac dicitur, crassa est Scriptura corruptela. Hoc totum non modò dissimulant Mediatores, sed etiam calculo suo absoluunt. Sed audienda est præclara eorum ratio: Quàm immane esset, inquiunt, mortuorū suppressi memoriam, ac si animæ vnà cum corporibus interirent. Ergo quatuor annorum millibus ante Christi aduentum, & deinceps plus mille annis, qui tunc nondum erant nata vigilia, nulla fuit de animæ immortalitate fides. Nam certè, si huic blasphemiam subscribimus, omnes qui à mundi exordio fuerunt Patriarchæ, quicunque sub Lege vixerunt Prophetæ, pij Reges & alij, Christus, Apostoli, vniuersi Martyres, Epicurei erunt: quia nullis vigilijs animas vindicarunt ab interitu.

In carniū abstinentia videntur sibi optimè corrigere quicquid hætenus superstitionum fuit: cum tēperantiæ causa non abominationis, eam suscipi docent. Si in solo esu carniū omnes essent delicia, concedi fortè posset quod iactant: sed quis nescit, in diuitum culinīs, tunc multò lautiores instrui epulas, cum à carnibus abstinetur? Pauperibus certè, qui larido aut bubula tenuiter viuunt, nihil opus est, carnis edomādæ causa, carnem prohiberi. Diuitibus solis lex ista necessaria est, quæ ad frugalitatem eos reuocet. Atqui, vt dictum est, nihil minus est prohibitio carniū, quàm luxuriæ sumptuumque restrictio: tunc enim maximè fumant culinæ: tunc immodici apparatus exundant. Deniq; nunquā minus sunt in victu tēperantes, quàm cum à carnibus abstinent. Bis ergo ridiculi sunt Mediatores, qui frugalitatem ita constituunt in abstinentia carnis, ac si nulla essent præter carnem voluptuosa edulia: ita carni domandæ salubre esse remediū fingunt, ac si nō suauioribus ferculis feria sexta, quàm secunda, mensæ refertæ essent. Hinc certè plusquàm absurdū esse patet, hoc nomine carnes discernere à reliquis cibis: quasi sublato illarū usu, cohibita sit luxuriæ victus, & inuenta macerandæ carnis ratio: cum potius ipsa ciborū varietas nouum sit saturis, edendi irritamentū. Verum, vt hoc aliqua ex parte verum sit: supersticiosa tamen esse dierum obseruatio non desinit. Excusant Mediatores, olim ab Ecclesia veteri interdictum fuisse carniū esum sexta feria & Sabbatho, vt homines tali abstinentia præparati, sanctius ad sacram mensam accederent. Imò certum est ex veteribus historijs, olim nihil tale fuisse iniunctum. Ieiunium, quod Romæ Sabbatho colebant, tanquam rem insuetam, refert Eusebius. Carnis quidem abstinentia paulatim se priuata quorundam superstitione insinuauit: ac primò quidem occupauit diem Veneris, hinc ad Sabbathum se extendit, donec ex consuetudine lex demum nata est, quæ inuitos quoque obstringeret.

Sed quia hoc argumentum copiosè tractare, nō est præsentis instituti: quatuor vitia, quæ in hac prohibitione continentur, breuiter notare sufficiet. Primum iniuria fit Deo, cum simpliciter, etiā ad certos dies, esus carniū interdicitur. Carnes nō minus quàm olera, & pisces, & poma Deus in usum nostrum destinauit. Hæc creauit omnia, vt cum gratiarū actione vescamur. Liberum, inquam, omnium usum, modò sobrius sit & frugalis, promiscuè nobis permisit. Surgunt postea homines, qui hac nos libertate priuant: ne liceat, quod Deus licere voluit. Meminerimus, totum genus vetari, in quo multæ sunt species, procul à delicijs luxuriæque remotæ: vt non alio nomine displiceant, nisi quia carnis nomen habent. Deinde, superstitione non caret talis dierum notatio. Honore se Christi mortem prosequi existimant, & sepulturam, qui carnem biduo illo non gustant. Eodem coluntur honore & festi dies: nec Deo tantum, sed Apostolis aut Martyribus dicati. Si meritò repre-



reprehenduntur, qui inter diem & diem discernunt: carnis abstinentiam certis diebus alligare, quis superstitiosum esse non videt? Tametsi quadragesimam non exprimunt: cum tamen sine exceptione consueta ieiunia, noua sanctione confirmant, ea quoque in integrum restituitur. Quo autem commendari titulo præcipue solet, nisi imitationis Christi? At si ea est imitatio: cur quotannis repetitur, cum semel tota vita tale ieiunium Christus suscepit? Deinde, si exemplum hoc est, quod sequi debeamus, eadem fuit in Moise & Helia ratio. Cur ergo tot sancti Reges & Propheta imitationem neglexerunt? Tota certe vetus Ecclesia non paruo reatu tenebitur. Cur etiam Dominus ipse, cum adhuc in terris ageret, sui exempli nullam inter discipulos haberi rationem passus est? Excusat enim eos, quod non ieiuent. Piget in re tam liquida verba perdere. Nec verò Mediatores ipsos fugit, pueriliter errare eos, qui primi quadragesimale Christi ieiunium æmulari se putarunt, cum abstinentia qualicumque defungerentur. Quantū enim hoc à dierum quadraginta inedia differebat? Ad hoc, quale temperantiæ exemplum, vbi nec fames est, nec cibi appetitus? Multum enim fallitur, qui Christum tunc luctatum cum fame esse putat, cum edendi necessitate exemptus fuerit. Ieiunium illud non suscepit Christus, nisi post annum vite tricesimum. Suscepit, cum iam auspiciari vellet susceptum à Patre munus. Suscepit, vt Euangelio non minus acquireret fidei, quam lex prius obtinuerat. Denique, singulare fuit diuinæ virtutis specimen, quod & in ipso edi, & quo ipsum ab alijs distingui oportuit. Contrarium errorem fouere, vt nihil aliud sit mali, Christiana sinceritati minimè est consentaneum.

Venio ad tertium vitium, quod priora duo superat. Nam & hoc modo conscientijs laqueus iniicitur, & libertas eripitur, non tantum à Domino concessa, sed etiam parta Christi sanguine. Serio nos Paulus admonet, ne seruitutis iugum subeamus, renuntiantes libertati, ad quam sumus vocati. Ea verò non tentatur solum, sed labefactatur tota, cum nobis lex spiritualis imponitur, quæ conscientias liget. Nam quod ciuilem cautionem inserunt Mediatores, Ideo à carnibus interdum arcendos esse homines, ne pecora fortè assiduo esu cõsumant: in eo se vel pueris faciunt plusquam ridiculos. Scilicet cum hominibus Deus permisit, vt carne quouis tempore vescerentur, parum consideratè fecit, hoc periculum non præcauendo. Et optimè generi pecuario consuluerunt, qui post quatuor annorum milia cohibuerunt priorem vescendi licentiam. Mirum est autem tam stupidos interea fuisse homines, vt animalium diminutionem non senserint, quæ eos ad quærendum celerius remedium cogeret: præsertim cum magnam copiam sacrificijs absumerent. Sed hoc in præsentia non agitur. Legem enim nõ poluicam, sed spiritualem confirmant, qua necessitas imponitur conscientijs. Hoc nullo modo ferendum esse dico, vt imperium vsurpent homines in animas: vt quod Dominus liberum reliquit, illicitum faciant.

Quartum vitium est, in falsa cultus Dei opinione. Nam quicquid prætexant Mediatores, quæcunque obseruatio quasi necessaria, commendatur, continuo censetur ad cultum Dei pertinere. Cuius rei non est quod longius petamus exemplum. Quis enim non putat religionis partem esse, carniū abstinentiam? Atque hæc ratio est, cur per hypocrisum mentiri & fallere Paulus dicat eos, qui ciborum prohibitionem nouam pietatis formam inducunt. Nam cum in cibo & potu non esse regnum Dei alibi doceat, iure hypocrisios damnat tales de rebus externis sanctio-

Rom. 14.

1. Tim. 4.  
Rom. 14.

nes. Sola, inquam, est interior cordis veritas, quam per se Dominus requirit. Quae-  
 cunque verò accedunt exercitia, ea tenus probanda sunt, quatenus ipsi veritati ser-  
 uiunt, aut tanquam vtilia incitamenta, aut tanquam professionis notes, vt fides  
 apud homines nostram testemur. Nec tamen interea recydimus, quae ad ordinis di-  
 sciplinaeque conseruationem faciunt. Sed vbi laqueo induuntur conscientiae, & re-  
 ligione obstringuntur, in quibus rebus Deus solutus esse voluerat, fortiter recla-  
 mandum est: ne & cultus Dei vitietur commentis hominum, & mortalis homo, qui  
 Iaco. 4. legi subiectus esse debuerat, vnicui Legislatoris tribunal occupet, vnde conscientijs  
 Col. 2. imperet, in quibus solus Christus regnare debuerat. Denique, audimus quid Paulus  
 dicat: Si mortui sumus elementis huius mundi per Christum, indignum esse vt tali-  
 bus decretis deuinciamur: Ne esitaueris, ne gustaueris, ne tetigeris. Atque vbi se-  
 mel inualuit illa superstitio, vt sibi quispiam nefus esse putet carne vesci, eam  
 protinus sequitur in alijs damnandis audacia: quae cum zeli titulo splendeat, sacrile-  
 gio tamen affinis est. Postremò, nunquam ferè abest praeposterà illa, de qua con-  
 queritur Christus, in animum, imò nihili traditionum admiratio, vt in earum grati-  
 am irrita fiant mandata Dei.

Sacerdotibus sit coniugij venia, qualis in ordine militari est, causaria missio.  
 Siquidem ne qui grauiores motus existant, ministros, qui iam coniugio sunt impli-  
 citi, subito diuortio non audent ab vxoribus diuellere: restringunt tamen hanc  
 suam indulgentiam ad tempus generalis Concilij. Haec duo sunt diligenter obser-  
 uanda: non permitti coniugium ministris, quia probeur: sed tantum seditionum me-  
 tu: deinde nihil statui, donec Concilium definerit. Rationem hanc cur minus placeat  
 1. Cor. 7. sacerdotum coniugium, allegant: quia teste Paulo, qui caelebs est, melius &  
 solutiore animo curat ea quae sunt Domini. Audio quid dicat Paulus. Sed an pro-  
 pterea pastores ac ministros Ecclesiae cogit ad celibatum? Imo ne hortatur quidè:  
 nisi quatenus sibi quisque expedire agnosceret. Cuperet Mediatores, multos inueniri  
 clericos, qui veram castitatem in celibatu colerent. Id optandum esse fateor: sed  
 cum aliud experientia doceat, quid prodest frustra cum necessitate luctari? Vide-  
 mus quo tempore floruit summa inter Christianos sanctitas, ministris Ecclesiae non  
 fuisse inditum celibatum. Apostolos certum est, cum stationem nusquam fixam  
 haberent, maluisse vxores suas circumducere, quam vt eas dimitterent à suo concu-  
 bernio. Sic enim narrat Paulus. Nec audiendum est puerile illud cauillam, mari-  
 tos suos ideo secutas esse, vt publico Ecclesiae sumptu simul viuerent. Quid enim?  
 Annon poterant ali ex publico, nisi communi mensa vescerentur? Idem Paulus,  
 1. Timo. 3. cum imaginem veri Episcopi numeris omnibus absolutam pingit, dotèsq; enume-  
 Tit. 1. rat quibus excellere maximè debeat, celibatus nullam facit mentionem. Hoc pa-  
 rum est. Nominatim eligendos esse admonet, qui singulis vxoribus contenti, fidem  
 conjugale pudicè colant: honesti sunt patres-familias: liberos suos instituant in timo-  
 re Domini. Hanc esse veram ac solidam Episcopi perfectionem, cuius Paulus exem-  
 plar praescribit, negari non potest. Quisquis ergo dicit esse aliquid Ecclesiae ministris  
 putat, nisi calibes viuant, aliud sibi habeat Ecclesiae regimè, quam quod nobis Filius  
 Dei commendauit. Atque vt minus dubitationis esset, disertè alibi pronuntiat  
 Spiritus Dei, Honorabile esse in omnibus coniugium. Quem locum citando nequi-  
 ter deprauant Mediatores. Praetereunt enim id quod praecipuum erat orationis  
 membrum, nempe, In omnibus. Quid enim noui protulisset Apostolus, si simplici-  
 ter

rer dixisset, coniugium probro carere? Nōdum enim talis, vel inter Iudæos, vel inter Gentes superstitione emerferat, quæ illud ignominia notaret. Sed cum fortè cælibatū morosi quidam homines, tanquam sanctius per se vitæ genus, immodicè extollerent: cum horribilem Dei ultionem scortatoribus & adulteris denuntiaret, simul incontinentiæ remedium proponit, ut suam quisque uxorem habeat. Ne verò coniugium aspernaretur quisquam, testatur esse in omnibus honorabile. Quo significat, neminem esse tanta virtutum excellentia præditum, quem non deceat: nec ab ulla functione quantumvis præclara esse alienum. Vnde igitur hæc nova sanctitas? Reperemus profec̄o à Montano, Encratitis, & similibus esse ortam. Damnati quidem illi fuerunt iam olim: hoc tamen obtinuit Sathan ut damnatis hominum personis, impius error dimidia ex parte probaretur. Paulatim deinde crevit superstitione, ut matrimonio sacerdotibus interdiceret quidam vellent. Idque fuisse in Nicæna synodo agitatum refert Sozomenus: sed tunc intercessit Paphnutius martyr, qui, cum ipse thori conjugalis expers esset, dixit tamen, castitatem quoque esse, cum uxore propria concubitum. Nunc verò nostri Mediatores, ne videantur coniugio nimium iniqui, tolerandos esse admonent ministros, qui adduci non poterunt, ut quas habent uxores, repudient. Quanquam sedulo rursus cauent, ne ipsorum causam probare videantur, dum hoc illis concedi volunt, ne si præter modum urgeantur, multum moveant. Hoc modo concubina Islebio conceditur, ne ab ea violenter auulsus, ad arma conclamet. Dignus certè qui, cum sit inanis gloriæ cupidissimus, tale probum sustineat. Sed miror nullum adeò esse pudorem Moderatoribus, ut solvere non dubitent sacram coniugij fidem, nisi periculum à grauiore motu esset. Atque hîc breuiter quod prius attigi, repetere iterum cogor. Nam cum hunc honorem deferri Sacramento velint, ut contractum temerè inter adulescentes coniugium nihilominus ratum maneat, etsi præter ius & fas initum fuerit: quæ ista est desultoria leuitas, ut cum de sacerdotibus agitur, Sacramento nihil habeant honoris? Nos verò dum audimus ex ore Pauli, diabolicum esse commentum, coniugij prohibitionem: his Diabolos intrepidè vocemus, qui, ut hanc tyrannidem defendant, coniugium Dei nomine consecratum profanare conantur.

Triper.  
hitt. lib. 1.  
cap. 14.

Quanquam, ne sint nimium liberales, addunt, expectandum esse Concilij decretum. Quid si igitur pronuntiet Concilium, rata se non habere ministrorum coniugia, an hominum arbitrio protinus fas erit separari quos Deus coniunxit? Hoc sanè modo hominum iudicij Dei institutum, quod meritò inuiolabile debebat esse, subiiciunt: nisi Prophetas, Apostolos, præcipuumque sanctorum Pastorum florem expungere velint è numero seruorum Dei, sacerdotum coniugium probari à Deo & benedici, non negabunt. Nunc stat Dei sententia, ut relictis, si opus est parentibus, maritus & uxor duo sint in carnem unam. Quibus verbis significat Moses sanctum adeò præ alijs esse hoc fœdus, ut arctissimo etiam eius cõiunctionis vinculo præferatur, quæ prima est in natura. Cuius ergo audaciæ est, quod tam seuerè à Deo sancitum est, pro nihilo ducere? Prætereà ubi cælibatum imperauerint, quis continentiam dabit, nisi palam Christo & Paulo reclamare volent? Singulare esse continentie donum, adeoque rarum, & paucissimis commune, fateri cogentur. Eo quicumque non sunt præditi, coniugij remedium si respuunt, cum Deo pugnando, nihil proficient. Nam ut maximè arceatur externa intemperies, interior tamen libidinum astus in corde feruebit. Hinc misera conscientie inquietudo, quæ homi-

nem non patietur quicquam tranquillo animo, & quemadmodum loquitur Paulus, ex fide aggredi. Ita fiet, ut tale mox pullulet clericorum semen, quale nobis iam ante multos annos protulit impurus hic calibatus. Proinde nunquam volentes patiamur injici Ecclesiae laqueum, qui non solum à ministerio arceat pios & aliqui maxime idoneos viros, qui puram mentis & corporis castitatem in sancto coniugio colent: sed foeda foetidaque scortatorum colluvie totum sacerdotij ordinem inquinet.

Quòd ad ceremonias pertinet, cum propè infinita sit earum congeries, & bona pars stultis absurdisque superstitionibus sit referta, eas dum Mediatores volunt servari, correctionem leuiter vno verbo attingunt. Quanquam penitus tacuisse praestabat, quàm adeò friuola corrigendi simulatione defungi. Arcanas operationes, quas suis benedictionibus subesse imaginantur, Deo non rebus ipsis tribuendas esse, admonent. Quasi verò non hic semper fons omnium superstitionum fuerit, Dei nomine abuti! Si fides eorum dictis habetur, lustralem aquam nõ per se, sed Dei virtute valere censebimus ad dæmones abigendos, propulsandumque quoduis noxæ genus. Nominatur hic quidem Dei virtus, sed in aqua guttulam conclusa. Mille alia eiusdem farinae praetereo: quia hinc satis licebit aestimare, quale à nostris Mediatoribus veneni temperamentum misceatur. Sequitur alio loco: ne superstitiosi ad imagines concursus fiant. Atqui, eo ipso cursitandi licentiam idololatriæ permittunt: quia si abesse superstitionem excipiant, in definitione hærebimus. Quasi verò in quouis concursu non sit aperta conuictiæque superstitio, quosdam vitij notando, alios obliquè ab omni vitij nota liberant. En quo sinceritatis studio agantur. Crucibus & vexillis docent non esse exhibendum latriæ cultum. Quid hoc sibi vult? Ut fiat quod antehac factum est. Nam Papiſtus hæc exceptio commune veluti pharmacum est ad peruersos omnes cultus excusandos, dum latriam verbo tantum excludūt. Plusquam futile hoc quidem cauillum est, cultum fingere sine cultu. Neque enim aliud Græcis sonat Latriæ nomen, quàm Latinis Cultus. Itaque qui latriam se deferre simulachris negant, quæ adorant religionis causa, perinde loquuntur, ac si <sup>ἀνθρώπων</sup> esse hominem negarent, & <sup>ζῴον</sup> animal. Iam animaduertere licet, qualem in vna vocula fucum nobis faciant boni viri: quia modò Græca cultus appellatio remoueat, nec simulachrorum improbant cultum, & imaginicolas blandè fouent. Denique, nulla illis idololatria displicet, modò ne latria vocetur.

Qualiscunque subeunda sit nobis tam apud imperitos quàm apud improbos, vel inuidia, vel infamia, talibus imposturis acriter resistendum est. Nihil enim chara erit existimatio, quæ tam perfidiosi silentij pretio redimetur. Quanquam non famæ hic tantum, sed vitæ quoque iaciura in fracto animo facienda est. Interea non metuo, ne qui verè p̄i sunt, & Dei veritatem quo decebat studio amplexi, eadem constãtia retinent, nimium à me vehementer exagitari putent scelestam hanc impietatum farraginem: quæ eò de testabilior est, quòd cum fucose moderationis titulo venditur, totam Dei gloriam, vna cum Christi gratia, & hominum salute, pessundat.

IT A Q V E, cum mihi nuper allatum esset antidotum Roberti Cenalis, ad postulata quæ vocat de Interim, initio valdè miratus sum, quis hominem malis probandis natum nouus genius impulisset, ut stylum aduersus impias istas blasphemias stringeret: quarum debuerat patronus se, ex more, profiteri. Est hic Robertus, de

quo loquor, vetulus Sorbonæ theologaster, & episcopus Abrincensis. Cogitabam equidem homines minus sani cerebri, senio non deliros reddi tantum, sed aliquanto etiam morosiores. Sciebam præterea, quàm magistræ sit Sorbonicis doctoribus supercilium, imo quàm truculenta pertinacia: ut qui non nisi flammis & carnificum manu, pugnare soleant. Sed cum ex aduerso, libellum, quem refutandum susceperat, viderem tot scatere corruptelis, ex tot præstigijs esse conflatum, nihil relinquere purum aut integrum in pietatis doctrina, multiplices claræ luci tenebras obducere, partim æquare diuinis legibus, partim etiam præferre hominum placita, continere denique totam ferè Papatu instauracionem: non videbatur consentaneum, ut tam infesto eum impetu aggredieretur Cenalis, vnus ex animosis Papa satellitibus. Si non erat omni ex parte plausibilis, causa tamen non erat tantopere stomachandi. Cùm inter varias suspiciones hasitare, librum cursim euoluo. Hinc agnosco miserum senecionem, dum materiam pugnandi venatur, in umbra sua verberanda multum sumpsisse molestia. Habet hoc præ suis gregalibus eximium, quòd in poetarum lectione versatus est. Ex qua saltem hoc profecit, ut non modò orationem farciat multis carminibus, sed etiam scribendo in hemistichia subinde prorumpat: nec dubito, quin sibi vehementer placeat eiusmodi tinnitu. Nisi enim oblectaretur, non tam anxie in eo elaboraret. Habebat, quantum suspicari licet, collectos eiusmodi flosculos, quos nisi maturè emitteret, videbat perituros: secum verò perire nolebat. Et cum suam gloriam multi cupidè in sepulchrum ferant, homo minimè scilicet gloriosus, eam apud viuos relinquere maluit. Nam cum scribendi argumentum nullum inueniret, finxit sibi furfuraceum nescio quod monstrum, cui nomen de Interim imposuit: in quo profligando, vires suas omnes experiretur. Nam quæ Protestantium esse postulata nugatur, vel finxit ipse sibi, vel nasutus quispiam per ludibrium illi obrusit. Cæterum siue vtrò sibi accesserit hoc certamen, siue alius stulta eius credulitate abusus, bilem illi acuerit, serò non minus quàm miserè, contra larvam pugnando, sudat. Admonitus quidem postea familiariter ab amico, Interim illud, quod impugnat, nunquam à Pro. estatibus prodijisse, sed à cauponario aliquo scurra, ut plurim. & eiusmodi geræ quotidie volitant, animi gratia fuisse compositum: suam, in credendo, leuitatem simul ac socordiam videri maluit, quàm laborem tam bene collocatum perdere. Quisquis enim sensu communi erit præditus, primo statim gustu animaduertet, postulata quæ recitat, ab omni veri specie abhorrere. Vnde colligere promptum erit, bonum seniculum umbræ suæ frustra irasci. Sed hoc Sorbonico Doctori & Episcopo minimè ignoscendum est, ut nugus à nescio quibus confictus exagitando, orbem temerè conturbet. Nisi forsan excipiat, quasi priuilegio quodam licere, & Episcopus ineptire, & Sorbonicus desipere, quia bonæ parti iam pridem vsitatum est.

Porrò, librum Episcopalem excutere tametsi non est præsentis instituti: facere tamen nequeo, quin ex eo pauca delibem. Citantur illic graues authores, quorum & pondere obruantur, & splendore exinguantur, & maiestate cœcidant omnes hæretici: Iuo Carnotensis, Speculator, Abbas Panormitanus, Isidorus, Thomas Aquinas, Bonifacius Papa, Nicolaus, & similes. Quid ni? Cùm ex æptujs Speculatoris responsis oracula faciat. Quis tam benè instructio athletæ victoriam non despondeat? Ipse verò, non expectato aliorum plausu, festiuis subinde acclamationibus triumphū sibi canit. Atque ut Areopagū suū compleat, Cochleum etiam il-

lis adiungit: qui cum omnes cochleas hebetudine superet, quanto scilicet in saeculi praestare deceat foeminis, vocatur hic sagacissimus spirituum discretor. Digni sane ambo, qui mutuam sibi praconium commodent: nam par morionum ex tota Gallia & Germania deligi aptius vix poterat. Quibus autem de rebus litigat Cenalis? Negat ferendum esse, ut Ecclesiae facultates à Protestantibus retineantur. Quid ergo? Vultne legitimum in usum conferri? Imo nec pauperum haberi rationem, nec scholis consuli patitur. Spoliatorum modò restitutionem urget: ut sacerdotum ac monachorum ventres saginentur. Quanto itaque subulcus melior fuisset, quàm Episcopus, qui tantam porcorum curam habet? Multa transilio de quibus sine aduersario contendit. Tale est, quod prohibet legatum mitti, qui veniam abiurationis faciat Protestantibus. Atqui, per omnes bonos, quibus solis in sensus est Cenalis, licet Romano legato domi quiescere. Vnum est caput in quo impotenter furit, cum tractat de sacerdotum coniugio. Postquam enim omnia eloquentiae suae fulmina vibrauit, hoc est enomuit quæcumque ab homine proteruo & insano excogitari poterant conuitia: tandem ad arma conclamat: ut sanguine potius operiatur terra, quàm ut tantum in fas, sicuti ipse quidem interpretatur, aspiciat. Sed quid sit ut sacerdotum coniugia tanto pere quasi in cestuosa sacri legis, impura, disdigama & obscæna detestetur? Respondet: quia iubemur spiritu ambulare, ne carnis desiderijs obsequamur. Atqui, dictum illud Pauli, ad Christianos omnes, sine exceptione, pertinet. Videmus ergo ut sanctum coniugium hic canis sacrilego latratu infamet. Nam si calibes esse nos oportet, ut spiritu ambulemus, quis dubitet profligandum esse ex Ecclesia coniugium? Hanc quidem blasphemiam ex Sircio Papa suo didicit. Sed quæ tanta ipsos rabies agit, ut palam Montano, Encratis, & Manichæis subscribant.

Exclamat Cenalis, magnam esse improbitatem, magnum flagitium, immane sacrilegium, si in sacrarium legum diuinarum, luxus & carnales trahantur deliciae. Cur igitur luxum & delicias domus suae grassari ita patitur: nisi forte quod illinc diuinae leges exulant? Sed quis hominem mente esse alienatum non videt, ut sanctio coniugio ita petulenter maledicere non vereatur? Quid enim? An Patriarcharum tabernacula, ædesque Prophetarum, ac piorum Regum, profana quadam luxu receptacula fuisse dicet? An in Apostolorum domibus nihil nisi luxuriosum reperiet? Quæ vnquam cælestis philosophiæ puriora fuerunt sacraria? Atqui, eos fuisse coniugatos legimus. Quinetiam id inter summas eorum laudes Spiritus Dei numerat, quod pie & in casta disciplina familias suas educarent. Exclamat vursus: Quis furor, quod de delirij, carnalibus curis ac desiderijs eos immergere, qui non nisi puritatem colere debent? Omitto quod diabolica amentia percitus, subinde coniugij honorem sceleratè deformat. Sed hoc cuius est furoris, furiosos & deliros vocare, qui in ordine sacerdotali coniugium probant? Cum certum sit, annis plus trecentis in tota Ecclesia fuisse probatum. Paulus cum ad exquisitissimam amussim præscribit quales oporteat esse Episcopos, nominatim coniugatos laudat. Neque enim dicit, qui fuerint: sed præsentem statum commemorat. Quo cum sibi putat esse negotium, cum in Dei Spiritum Pauli ore loquentem foetida sua maledicta eruât? Idem Paulus testis est Apostolos, quas habebat uxores non modò retinuisse in suo contubernio, sed huc & illuc circumduxisse. Tota Ecclesia, cum in perfectionis suae flore esset, ne & Deo coniugij auctori, & Prophetis Apostolisque iniuriam faceret, pastores suos

suos maritos habuit & patres-familias. Cùm ducētis ferè pòst annis fanatici homines cælibatum imperare vellent sacerdotibus, sanctus martyr Paphnutius, qui ad extremam senectutem cælebs vixerat, acriter intercessit: suaque autoritate perfecit, vt Synodus Nicena liberum sacerdotibus, vt prius fuerat, coniugium relinqueret. Nunc phreneticus iste, cornuum quæ in mitra gestat, fiducia, quasi Solem cadere è cælo videat, ad tantum prodigium obstupescit. Et tam execrandæ in Spiritum blasphemix excipiuntur magno cum plausu. Pergit deinde fœtidæ suas voces ructando. Nam, vt se Ouidium legisse probet, quod profanus ille de impudico amore dicit, detorquet ad sanctum coniugium, Non bene, inquit, conueniunt, nec in vna sede morantur, delicia maritales, & mens in Deum erecta. Ergo secundum hanc pecudem, neque Prophetæ, neque sancti patres, neque Apostoli, neque infiniti martyres vnquam animos in cælum sustulerunt. Ergo Moyses, cui præ alijs datum est coram & quasi facie ad faciem Deum videre, mente in terram curuata, nihil vnquam cælestis gratiæ gustauit. Eiusdem ferè etiam nota est, quod eos viam Balaam sequi dicit, qui sacerdotibus coniugium permittunt. Quasi honestum priusque coniugium in casto Dei timore auspiciari, & Madiantica scorta populo Dei miscere, pelliciendis ad idololatriam animis, nihil inter se differant. Nicolaitas præterea vocat sacerdotes omnes coniugatos: quasi qui in ducenda vna uxore, varijs ac profusis libidinibus, quæ passim hodie in toto Papatu grassantur, remedium quaerit, promiscue uxores vulget ac prostituat. Sed negat hic bonus doctor, necessarium esse corrigendæ incontinentiæ remedium, quod Paulus ex Spiritu Dei iniungit. Contendit enim posse, quicumque volunt, vstionis morbo eximi: quia scriptum sit, Omnia possum in eo qui me confirmat. Sed non considerat ex aduerso, Christum his solis esse adiutorem, qui vocationi suæ obtemperant. Ergo vt victricem illam Christi potentiam in omnibus experiamur, pendere nos ex Dei mandato necesse est: ne quis sibi plus sumere ausit, quam ab illo conceditur. Quid autem Paulus ad hæc? Aperit pronuntiat, non omnibus communiter dari continendi facultatem: eos verò omnes, qui incontinentiæ vitio laborant, ne vrantur, ad coniugium se conferre iubet. Quid etiam Christus ipse? Cùm Apostoli audita cælibatus laude, beatum viuendi genus esse dicerent, negat omnes esse eius capaces: quo significat non alios esse idoneos, nisi qui peculiariter à Deo vocentur. Atque hinc satis apparet, nihil minus quam Ecclesiasticas esse leges, quæ à coniugio arcent quos illic nominatim Spiritus Dei inuitat. Certè Apollonius vetustissimus scriptor, teste Eusebio, Montano exprobrat, quod matrimonia primus soluerit, & primus soluenda docuerit. Cuius se discipulos ostendunt, qui nec contrahi volunt coniugia secundum Dei institutum, & quæ sic contracta erant, rata negant esse. Porro, ne insanire absque ratione videatur Cænalis terram mox incolarum multitudine obrutam iri admonet, nisi cælibatu nimia soboles cohibeatur. Perinde hinc loquitur subtilis doctor, ac si cælibatus & continentix nullum esset discrimen. Atqui, omnes norunt propagando hominum generi nullum esse magis fecundum semen, quam sacerdotale. Eò enim prorupit indomita omnium ferè monachorum sacerdotumque Papalium libido, vt castissimus merito censeatur, qui domestico scorto contentus est. Quare, ne terram repleant, non à coniugio prohibendit tantum, sed penitus castrandi erunt. Alioqui, fieri non desinet, quod pridem esse factum norunt omnes: vt pro legitimis duobus, cogatur terra tres alere spurios. Quòd nisi Cænalis totum capitis sui acumen in mitra episcopali haberet, nunquam ita se propinasset vel pueris ridendum. Quid enim obsecro risu dignius, quam cum emissarios tauros pinguius in otio & vsque ad saginam pasci iubet, ne soboles noua succrescat? Verum hoc maioris etiamnum amentix est, quòd cum benedictionem suam Dominus vocet humani generis propagationem, Cænalis

quasi infelicem strumam scalpello rescari præcipit: & quasi fortuito gignerentur liberi, timet ne supra iustum modum excrescat numerus. Sed digna est sacrilega talium hominum superbia, quæ se in extremas quasque absurditates præcipiet. Nam si tot non struosis nefandarum scortationum exemplis sancti coniugij contemptum vultus est Deus: quanto grauiore supplicio digni sunt contumeliosi isti insultus, quibus bacchatur importunè hoc animal? Cæterum, vt nomini suo respondeat Cenalis, iterum ad culinã reuoluitur. Nam si homini solitario vix tria, inquit, sacerdotia sufficiunt, quomodo numerosæ familiæ vnum sat erit? Nisi plusquã recors esset, annon cogitaret in promptu esse responsum: non modò optimi fundum esse parsimoniã, cui magis patres-familias assuescunt: sed istis solitarijs, quos iactat, multò semper amplius esse sodalitiũ? Frugaliter cum uxore & liberis viuet maritus, vt extenui quoque redita aliquid superfit: at sacrifici Papales, priusquam meretrices spurios, lenones ac lenas expleuerint, multò vberiores absumpti erunt prouentus, quàm qui multis honestis familijs pares fuissent. Quid profusos luxus enumerem, in quos quicquid vnde cunque rapere possint vel radere, tanquam in gurgites inexhaustos proijciunt: vt videantur tantum ad perdendam pecuniam ingeniosi? Nam quò magis abundant, totum ferè orbem immergunt suis corruptelis. Porro, vt se tribeneficiarijs suis vendidet, vertiginosos appellat, qui vnum singulis sacerdotium assignant. Certè, ô bone pater, aut ebrium, aut bene saturum fuisse te oportet, cum tanta vertigine percitum tibi cerebrum fuit, vt ordinem hunc improbare auderes, quem audacissimi quoque & improbißimi non modò fateri coguntur esse rationi consentaneum, sed tanquam à natura dictatum, seruari præcipiunt.

Postquam scelestus hic nebulo, quicquid vnquam in sua Sorbona haurire potuit blasphemiarum, in Deum euomuit: demum, sublatis cornibus, Thraonicam iactantiam efflat: se in arenam descendere paratum, vel si ad sanguinem vsque pugandum sit. Equidem, vt est homo sanguinarius, non dubito, si trucidandi essent omnes Dei serui, fundendisque innocuis virorum pariter ac mulierum sanguis, quin se libenter ante signum præbeat: suo autem parcere didicit. Cæterum, cum hunc Cyclopem videamus, non minus rigida pertinacia ad oppugnandam veritatem insistere, quàm rabioso aduersus eam odio flagrat, plusquam turpes flagitiosique sumus, si in confessione synceræ fidei minus ostendimus constantiæ. Atque, vt ad reformationis adulterinæ fucum reuertar: cum perspicuum sit, totam illic sanæ doctrinæ sinceritatem corrumpi, quisquis eo sibi oculos illini smet, quomodo se Christianum probabit? Video equidem, quæ pericula omnibus proposita sunt, qui ingenuè Christum confiteri volent: quanta apud imperitos inuidia urgeantur: quanta in futurum tempus infamia eos maneat. Sed iam ante admonui, nihil tanti esse, vt deslectamus ab ea doctrina, in qua & Dei gloria, & totius mundi salus continetur. Nam quoscunque hinc inde prætextus sibi conquirant, qui ad excusandã suã mollitiẽ plus hodie sunt ingeniosi, quàm par esset, nimis tamen indignum est, maiorem à nobis propriæ famæ rationem haberi, quàm Dei gloriæ: magis nos à stultis & temerarijs hominum opinionibus perdere, quàm in Christum respicere vnicum cœli terræque iudicem, adeoque in Angelos & sanctos omnes, qui eius sententiæ subscribunt: beatam illam immortalitatem, quæ nobis promissa est, ac in cœlis reposita, mundo & huic caducæ vitæ à nobis posthaberi. Iam tempus postulat, vt fidem nostram, quam antehac lingua & atramento sumus confessi, sanguine quoque nostro obfirmemus. Iam pridem si ritè profecissemus in Christi schola, debuerramus in hac meditatione esse exercitati. Hoc enim primum veluti tyrociniũ est, quo suos erudit: vt seipfos abnegantes, tollentisque crucem suam, ad mortem indefesso cursu properent. Nunc perinde noui sumus ad subeunda pro Euangelij testimoniis pericula,



pericula, ac si nullum unquam Filius Dei hac de re, quam assidue inculcat, verbum fecisset. Cum olim Caius Caligula statuam suam Hierosolymis in templo collocari mandasset, Iudæi undique quasi apum examina, non ut vi & manu impedirent tale sacrilegium, sed ut ceruices suas gladijs opponerent, pro vindicanda templi maiestate, concursum ad Præsidem fecerunt. Neque subitus ille animorum impetus fuit, qui statim resideret: sed quoties de templi profanatione agebatur, innumera propè tam mulierum quàm virorum turba, sui oblita, alacriter se ad mortem offerebat: ut non nisi per stragem corporum suorum via idolo pateret. Et nos non lapideum iam templum, in quo Deus inuocetur, habentes, sed Filium Dei, in quo tota Patris maiestas habitat, silentes ipsum patiemur adeò turpiter violari? Idolum enim erigitur, non quod externam sacrarij speciem deformat, sed quod totam Ecclesie sanctitatem inquinat ac peruertat: quod labefactet totum Dei cultum, nihil in religione nostra impollutum relinquat. Si ad propiora tempora descendimus: quot martyrum milia, aduersus presentissimos mortis terrores inuicta fortitudine perstiterunt? Quid de terroribus loquor? An non morte ipsa intrepidè restati sunt, aliam se vitam & querere, & certò sperare? At tunc quidem simul, utque exigua lucis scintilla hominibus emicuerat, totum cor inflammabat tanto cælestis vitæ desiderio, ut vitam hanc facillè, mortemque contemnerent. Nunc cum plenus intelligentiæ fulgor nobis illuceat, nihil ferè cordis apparet. Et salutem speramus ex Euangelio, pro cuius veritate asserenda, nemo vult periclitari? Itaque, hæc plusquam perfida ignauia, quam anni vnus experimentum prodidit, documentum est nimis luculentum nostre ingratitude: ut iam non amplius querenda sit ratio, cur in tot vrbibus, atque prouincijs puritas Christianismi concidat. Cur enim inæstimabili Dei beneficio diutius fruuntur, qui pro nihilo ipsum duxerunt? Hæc ideo dico, ut quicumque aliquo pietatis sensu tanguntur, quasi extenta Dei manu, ad mortem se vocari meminerint. Ac ne animi deficient, beatus multò sibi esse non dubitent, laboranti, perculsaque Ecclesie se vltro adiungere socios, quàm nimium sibi cauendo, priuata que tranquillitati consulendo, sortem appetere à filijs Dei se gregatam. Dicebat ille, cum mors esset præ oculus, se nihilominus senectutis fiducia esse liberum: etiam vbi non erat tam necessaria libertas. An apud nos pro gloria Christi patrocinio minus futura vitæ valebit æternitas, quàm apud illum presentis vitæ breuitas valuit? Pudeat nos quoties illam mulieris vocem audimus quæ inducitur ab ethnico poeta: *Utsque ad æonem mori miserum est: si in re standæ fide nostra, vbi discrimen aliquod se ostendit, suspensi hæsitamus. Ego verò, ut mihi satis conscius sum meæ imbecillitatis, ita Dei subsidio fretus, re ipsa, cum usus postulabit, me ostensurum confido, quàm serio crediderim ac credam, beatos esse, qui in Domino moriuntur.*

Libelli de vera Ecclesie reformandæ  
ratione, Finit.

APPENDIX LIBELLI DE VERA ECCLESIA  
 reformanda ratione, in qua refutat Ioannes Caluinus censuram  
 quandam typographi ignoti, de paruulorum san-  
 ctificatione, & muliebri baptismo.



**A**NNVS iam ferè præterijt, ex quo mihi indicatum fuerat, libel-  
 lum meum De vera genuinæque Ecclesiæ reformatione, qui ex ty-  
 pographi nostri officina, primùm iussu meo prodijt, fuisse rursus  
 in Germania excusum. Atqui, nunc demum, serius quàm oportuit,  
 admonitus fui corruptum esse & mutilum illud Germanicum ex-  
 emplar: neque id modò, sed additam simul censuram fuisse, in qua  
 atrociter proscindor. Quando typographus nomen suum subticet,  
 cum quo exposulem, non habeo. Neque id etiam multum referre arbitror. Quispiã forte  
 bene potus, vini aut ceruisiæ suæ fumos in me exhalauit. Fieri etiã potest, ut aliquis turbu-  
 lento cerebro, etiã ieiunus, impetũ in me fecerit. Verũ, hominẽ, quisquis tandẽ est, omitto.  
 De re si agitur, hæc certè indignitas est non ferèda, quẽ ego fideliter ac seriò in opus ali-  
 quod incubui, librariũ ignotũ arbitrato suo cõscindere quicquid nõ arridet, ac scriptũ lacerũ  
 pro integro venditare. Quinquã ne cui priuatam causam agere videar, ab hac quoque que-  
 rimoniam supersedeo. Tantum quod totius Ecclesiæ interesse arbitror, quia dissimulare fas  
 non est, breuiter attingã. Hoc citra arrogantia notam, mihi, ut spero, per bonos omnes lice-  
 bit gloriari, labores meos Ecclesiæ Dei mediocriter esse utiles. Nunc si prauis & impij do-  
 gmatibus maculam illis aspergi patiar, multum de fructu, quẽ inde colligere poterãt filij Dei,  
 imminutum iri video. Tacendo, itaque, minorem, quàm par erit, publicæ utilitatis rationem  
 à me haberi ostendã: præsertim ubi in grege Domini numerãtur qui me traducũt. Professos  
 enim hostes parũ moror, à quibus hæreticũ me vocitari necesse est, si Christianus haberi ve-  
 lim. Fateor quidẽ, hoc quasi fatale esse Christi seruis, ut bene agẽdo malè audiãt. Neque ve-  
 rò mihi recusanda est hæc cõditio, ut cũ P.ulo per infamiã & bonã famã progrediar. At quo-  
 ties locus & facultas datur, nõ est negligenda bonæ causæ defensio. Deinde quũ mihi probè  
 cõstet, sanã esse, & ex puro Dei verbo sumptã doctrinã quæ oppugnatur, mihi eius patrociniũ  
 deserere, quũ à me semel tradita fuerit, iã nõ est integruũ. Hac enim lege, doctrinæ suæ  
 ministros Dominus nos cõstituit, ut nõ minus eã cõstãter tueri iubeat, quã fideliter tradere.

In libello meo ita ad verbũ locutus erã: In baptismo, breuiter à notare operæpretiũ  
 est, melius potuisse omitti, quod de præcisa eius necessitate commemorant. Præterquã enim  
 quòd externis signis perperã alligatur animæ salus, iniuria fit non leuis promissioni: ac si mi-  
 nus ad præstandã, quã offert, salutẽ, nisi aliunde adiuta, sufficeret. Sancta ideo nascitur ex  
 fidelibus progines, quòd adhuc utero inclusi ipsorũ liberi, antequã vitale spiritũ hauriant,  
 cooptati tamen sunt in focdus vitæ æternæ. Nec sanè alio iure per baptismũ aggregantur in  
 Ecclesiam, nisi quia ad corpus Christi iam antè pertinebant, quàm in lucem ederẽtur. Ali-  
 enos enim ad baptismũ qui admittit, ipsum profumat. Nũc ergo qui ita necessariũ statuũt ba-  
 ptismũ, ut à spe salutis excludãt, nisi qui eo tincti fuerint, iũ in Deũ sunt cõtumeliosi, iũ se  
 quoque ipsos implicãt magna absurditate. Nã à Christo alienos sacra Christi nota insigni-  
 re, quòd fas esset? Baptismũ ergo præcedat adoptionis gratia necesse est, quæ nõ dimidiã tantũ  
 salutis causa est, sed eã ipsam salutẽ in solidũ affert, quæ deinde in baptismo sancitur. Hinc,  
 ut error alius ex alio scaturire solet, baptizãdi munus, quòd solis Ecclesiæ ministris peculia-  
 riter mãdauit Christus, nõ ad vnũ modò quẽlibet ex plebe, sed ad muliercalas etiã delatãt.

Hinc

Hunc locū sic exagitat laruatus censor, vt crassum Pelagij errorē à me renouari pronuntiet. Ipse verò nimis crassus, qui lucē à tenebris non distinguit. Pelagius superuacuum infantibus baptismū putabat, quia eos fingebat à peccato immunes. Imo nulla illi propriē de pædobaptismo disputatio erat. Sed quum ad probādū originale peccatū obijcerēt sancti Patres Ecclesiæ cōsuetudinē in pueris baptizādīs, atque inde colligerēt, omnes Adā posteros reatum aternæ mortis ex utero secum afferre: hoc extremum homini præfractō asyllum fuit, non indigere baptismo infantes, quia sine peccato nascātur. Quid obsecro Pelagij errori in meis verbis affine reperietur? An ego à peccati reatu eximo pueros? An illorum salutē in originali, vt loquūtur, iustitia, & naturæ integritate colloco? An illos gratuita Dei misericordia in Ecclesiā recipi nego? An nō ubique ipsis quoque remissionē peccatorum esse necessariā cōcedo, eamque baptismo obsignari profiteor? Iam satis cōstare arbitror, quāta sit censoris inscitia, qui Pelagij errorē, in tam diuerso loquendi genere se deprehendisse iactat. Certē vel Augustini scripta nunquam attigit, vel non tantum habuit iudiciū, vt quænam esset Pelagij opinio animaduerteret. Ego tamen potius existimo, ab homine antiquitatis imperito, veteris hæretici nomen ex vulgari fama auditum crepari.

Neque in eo minus peccat, quod non obseruato quæstionis statu, temerē argumenta sua in ventum spargit. Si quis pædobaptismum acriter, & validis rationibus hoc tēpore defendit, ego certē vnus sum ex numero. Nec de causa aut fine cōtrouersia est, quin ideo baptizētur, vt insiti in Christi corpus, liberētur ab aeterno interitu peccati, quod illis natura in genitum est, remissionē obtineāt, induātur gratuita iustitia. Huius rei luculētum mihi testimonium reddit mea Institutio, Catechismus, Solēnis formula, quam ego in quotidianum Ecclesiæ nostræ vsum cōposui. Quæ igitur in re dissensio est? Nēpe quod præcisa necessitas, quā vulgō nimium vrgent, à me improbat: Puerum, si morte repentina abreptus, offerri per tempus ad baptismum nō potuerit, arcēdum propterea à regno Dei nō cōcedo. Vim baptismi nō extenuo: nō obscuro legitimum ipsius vsum: tantum animæ salutem alligari signo nō patior, quin Dei promissio sufficiat. Liberi enim fidelium iam antequā gignātur, adoptati sunt à Domino, quum dixit: Ero Deus vester, & seminis vestri. Hac promissione contineri infantium salutē, certo certius est. Cui verò illa nō sufficit, is Deo atrocē facit iniuriam: neque enim veracē ipsum agnoscit, quū seruādi efficaciam detrahit eius verbo. Et Christi respōsum cōtrouersia hac de re dirimit. Nā si verē colligit, Abraham à morte esse superstite, quia is qui viuorum nō mortuorū Deus est, se Deū Abraham pronuntiat: eadē ratione conficitur, genuinos Abraham filios, etiam prius quā nascātur, vitæ aternæ esse hæredes, quādo in eodē ipsos gradu collocat Dei promissio. Meminerint ergo lectores, non hīc disputari, an baptizari infantes necesse sit, nec vocari in dubium, an baptismo inserantur in Christi corpus, an illis sit Lauacrum regenerationis, an peccatorum veniam obsignet: sed tantum de præcisa necessitate moueri quæstionem. Meminerint, quo argumēto cōtendam, eos sine baptismo salutem posse cōsequi: nempe quia per se satis efficax sit promissio, quæ adhuc in utero inclusis vitam assignat. Huc pertinet, quod Paulus sanctos, honoris causa, eos nominat: significans ipsos à communi hominum semine, iure fœderis segregari.

Alterū argumentū adduco: Quod externis signis minimē alligāda sit animæ salus. Quid enim Christi sanguini residuū fiet, si in aqua viā spirituale includimus? Addo præterea: Ideo baptizari infantes, quia domestici sunt Ecclesiæ. Hoc enim iure nititur pædobaptismus, quod iā Deus suos agnoscit, qui nostro ministerio illi offeruntur. Vnde & suos olim vocabat, quicumque ex Israele ducebant originem. Ac meritō sancta enim erat progenies, vt Paulus docet, Rom. 11.

*Hæc omnia dissimulatis censor, primum hac ratione contrâ insurgit: quòd non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis aut viri, sed ex Deo nascamur in spiritualem vitam: quòd non nisi caro ex carne descendat: quòd omnes nascamur filij iræ. Quasi verò negem, maledictum natura esse totum Adæ genus, adeoque infantes ipsos, antequam in lucem prodeant, mortis æternæ reatu teneri implicitos. Sed in eo nimirum fallitur, quòd inter vitium naturale, & remediū aliunde proueniens, nō discernit. Nec verò nouam solutionē nunc ex tempore cōmisor: sed referam dūtaxat, quod ante annos quatuor à me proditū est. Sic enim in septimū caput prioris ad Corinthios epistolæ loquor: Qui conueniet hæc sententiā, sanctos esse priorū liberos, cum eo quod alibi tradit: Omnes esse natura filios iræ? Item cū sententiā Davidis: Ecce in peccato cōceptus sum? Respondeo, vniuersalem esse propagationē peccati & damnationis in semine Adæ: omnes igitur ad vnum sub hac maledictione includi, siue ex fidelibus, siue ex impijs descendant. Neque enim spiritu, sed carne, liberos suos generant fideles. AEqualis itaque est in omnibus naturæ conditio, vt sint tam peccato quàm æternæ morti obnoxij. Quòd autē liberis fidelium speciale priuilegiū tribuit Apostolus, id fluit ex beneficio fœderis: quo superueniente, deletur natura maledictio: & Deo per gratiā cōsecratur, qui natura profani erāt. Sic ego illic ad verbū. Institutio quoque nostra pleniorē eius rei explicationē cōtinet: sic enim alicubi loquor: Cū scriptū sit, nos omnes esse natura filios iræ, ac in peccato conceptos, cui dānatio adheret: è natura nostra demigremus oportet, antequam in regnū Dei aditus nobis pateat. Et quid dici clarius potest, quàm carnē & sanguinē regnū Dei possidere nō posse? Aboleatur ergo quicquid nostrū est, tum possessionē hanc cernemus. Inde colligo, regeneratione opus habere infantes. Sed hanc ex promissione gratiā illis prouenire contēdo: baptisimū verò, sigilli instar sequi. Denique hoc passim inculco, supernaturale esse priuilegium, quòd à reatu eximuntur. Quanquam censori hæc solutio ignota esse non debebat: cum ex Augustino eam sumpserim.*

*Quòd Ioannes Baptista ab utero sanctificatus est, inter alia quæ illic narratur miracula, referendū esse dicit. Assentior: neque ego hoc testimonio in presenti causa vsus sum. Alibi cōtra Anabaptistas adduco: ex quorū numero, tametsi hunc non puto esse, tamen, vt incōsiderati homines solent, se in malam suspitionē temerē projicit. Porro quasi duos iam profligauerit errores, postquā temerē effutiuit Pelagij nomē, & ex Paulo recitauit, omnes esse natura filios iræ, ad tertium errorē se descendere profutetur. Quisnā verò hic error? Quòd baptisimū, si alienis cōferatur, profanari dico. Atqui, si cōsori negotiū foret cū Anabaptista, eandē mecū rationē adduceret, iure conferri baptisimū pueris, quos Deus in fœdus suū adoptauit. Quid ergo absurdi in re prorsus confessā inuenit? Excipit scilicet, nos quoque fuisse alienos & ex gentibus peccatores: fuisse tamē baptizatos Christi mandato: qui non sanctos tantum vel sanctorum filios, sed omnes gētes baptizari iussit. Certè hic bonus pater, securè, vt video, in umbra vini aut ceruisiæ philosophari solitus, eandē confidentiā longius spargere voluit. Sed expedere debuerat, quo sensu profanari baptisimū dicā, si alienos promiscuè ac domesticos ad eū admittimus. Et verò id ex Christi mādato quod citat, euincere prōptū est. Christus omnes iubet baptizari, inquit. An nō prius vult Euangelij prædicari? Hunc enim ordinem commendat Apostolis, vt doceāt ac baptizent. Ergo Euangelij doctrina, qui prius alieni erāt, inseruntur in Ecclesiā. Ita Paulus docet, quum Iudæi, qui naturales rami sanctæ radicis erāt, defraçti fuerint, Gētes tanquā syluestres oleastros, fuisse in illorū locū insitas. Quomodo hoc? Nempe per Euangelium. Absurdè ergo censor noster, qui mēbrum vnum decerpit: imo, quæ à Christo coniuncta erant, diuellit ac lacerat. Quare, breuiter respōdeo: vocari quidē ad baptisimū, Christi voce, alienos: sed prius Euāgelij prædicatione cooptari*

optari in familiam. Ita antè domesticus erat Abraham, quàm circumcisionis signum accepit. Quòd ad minores natu attinet, quia illos etiam comprehendit Deus in fœdere, non alieni iam reputantur, sed gratis sunt hæredes. Quemadmodum & ex Petri cõdione discimus. Quid autè hac de re prius tradiderim, testis est mea Institutio, ubi ad verbum sic habetur: Cur in Abrahamo fidem circumcissio sequitur, in Isaac filio omnem intelligentiam præcedit? Quoniam eum, qui adulta demum ætate in fœderis societatem recipitur, à quo fuerat hæctenus alienus, eius cõditiones antea perdiscere æquum est: infantem verò ex eo progenitum non item, qui hæreditario iure, secundum promissionis formulam, iam à matris utero, in fœdere contineatur. Aut, quòd res clarius ac brevius indicetur, si fidelium liberi citra intelligentiæ adminiculum, fœderis sunt participes, non est cur ob id à signo arceantur, quia in fœderis stipulationem iurare nequeunt. Qui verò infidelis est, impijs ortus parentibus, donec per fidem Deo uniat, à fœderis communione extraneus censetur. Itaque, nihil mirum si nec signo communicet, cuius significatio in eo fallax mansue foret. Non alio: sicut hæc refero, nisi ut cuius appareat censoris confidentiam ex mera inscitia proficisci, quia mentem meam non sit affecutus. Hinc refellitur alterum obiectum: Christus sanis opus nõ esse medico dixit. Fateor sanè: & ideo non aliter quàm eius gratia, restitui sanitatè doceo, tam paruulus quàm adultis. Sed qui in aqua sola querunt medicinam, quid ipsi Christo, quid eius sanguini, quid Euãgelio, quid Spiritus virtuti faciunt reliquum? Porro non alia de re mecum litigat censor, nisi quia restituendus in vitam paruulus, ubi mors subita baptismi facultatem illis aufert, remedium in promissione, quam proprio sanguine Christus sancivit, efficax plenèque esse doceo: ille autem salutis spem præcidit, nisi ab externo elemento petatur. Quærit an Iudæo vel Turcæ negandus sit baptismus, si eum postulent. Hic nemo non videt, quàm crassè hallucinetur, qui alienos fingit, quibus fidem assignat. Quid autem secum ipse deliret, nihil moror. Verum stultè hoc argumento me aggreditur, qui ubique doceo, fide eos omnes, qui alienissimi fuerant, in Dei familiam & Christi corpus coalescere. Neque tamen id obstat, quominus per baptismum quoque in Ecclesiam solenni ritu aggregentur: quò magis rata sit eorum insitio, dum sigillum in eius confirmationem accedit.

De Paptistarum liberè expedita est responsio. Quòd iure eos baptizari pro confesso assumit, libenter illi concedo: sed falso existimat, extraneos ideo à me cõseri, quia neque ex patre sancto geniti, neque ex sancta matre nati fuerint. Neque enim propterea sanctorum filij esse desinunt, quum longius ducenda sit originis series. Neque enim in vno gradu consistit Deus, sed vitæ promissionem in mille generationes diffundit. Ita Paulus, dum ex radice sancta ramos esse sanctos colligit, & cõspersionem in primitijs consecrari docet, qualis unicuique fuerit pater, non reputat: sed omnes agnoscit sanctos, qui ex Abraham & reliquis patribus fuerant progeniti. Quærit an non pius fieri possit impij hominis filius. Et mox exclamat, nihil hoc errore crassius fingi posse. Ego verò sine exclamatione placidè ipsum moneo ne posthac in tantum feruorem, nulla causa incitatus, prorumpat: nam de eo ineptè certamen mouet, quod verum esse omnes fatentur.

Quòd profanari baptismum dico, si alienis conferatur, perinde valere existimat, ac si quis ægrotum non esse curadum diceret, quia ægrotus est. Tametsi aliquid haberet coloris hæc similitudo apud imperitos, breuiter tamen ostendere promptum

est. quàm sit intempestiva. Domesticos enim appello, non qui sani sunt, ut Christo non indigeant, sed qui in se mortui, vitam in eo querant. Sicuti per alienos non intelligendi sunt, quicunque alienati sunt à Deo per peccatum, sed quos à regno suo aditu arcet, ut nostrum ministeriū se ad eos usque non extendat. Tales verò sunt omnes, quibus non destinatur baptismus. Christi mandato: sed hæc omnia ex uno ignorantia fonte manant, quòd nunquam intellexit censor, qui immundi sunt natura, eodem factem beneficio sanctos esse: qui exulant à regno Dei ob peccatum, iure adoptionis proprioque esse Deo, qui æterna morti obnoxij sunt, imò, penitus in Adā mortui, benedictionem ex hoc verbo consequi, *Ero seminis tui Deus: ut vita cælestis sint hæredes.* Denique nunquam expendit quale inter Christianorum & Turcarum liberos esset discrimen. Accedit etiam altera perinde crassa natura, efficacique baptismi ignorantiam, si hoc illi modò in mentem venisset, baptismum, Verbi esse appendicem, hæc ipsum de quo litigat, vidisset sequi non esse signi capaces, nisi qui iam Verbo sanctificati fuerint.

Ex eodem principio fuit & istud deliriū, quòd mulieres facit baptismi admittendas in casu, ut vocat necessitatis: me verò, qui hanc alieni muneri illicitam esse & iurisdictione dico, recto errare cælo superciliosè pronuntiat. Hæc verò non grauis licentia hominis censura est, sed barbara hominis mechanicæ licentia, ad eò superbè hominem non malè de Ecclesia meritum damnare. Toto cælo errare Caluimium, ignotus & sine nomine Typographus censet. Quantū pondera habitura est gigantis huius auctoritas, nullis rationibus suffulta? Caterum, quia vetus ac tritum proverbium est apud imperitos, communiem errorem haberi: iuris loco: hæc autem opinio temerè concepta sub tenebris Papatus ita obtinuit, ut vix hodie ex multorum animis reuelli queat: quàm si uela sit & absurda, paucis verbis ostendā. Mulieri ius munusque baptizandi ordinariū non competere fatentur omnes: necessitatem excusant, si imminuat mortis periculum. Sed inde hoc persuasum habent, nisi quia libet ita credere. Nec verò me fugit, necessitatem, quam fingunt, ex Christi verbis solere colligi: *Qui quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, nō intrabit in regnum Dei.* Nempe similia, cum errore ducti, infantibus panem Eucharistia & calicem ingerbant: quia scriptum est: *Nisi carnem filij hominis comederitis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in uobis.* At qui, hodie ne Papisæ quidem, quamlibet cæci sint, ad hunc secundum fidem impingunt. In baptismo nescio qui factum sit, ut absolutam necessitatem conueniant. Quamquam hoc absurdum, quòd cum in adultis aliquam adhibeant moderationem, scilicet infantibus se inexorabiles præbent. Adultæ ætatis hominem sine baptismo saluū fieri posse concedunt, modò votum adsit. Cur ergo infantem recens natum pia parentum vota eximere à reatu non poterunt? Caterum, Christi uerba alienum trahunt, quàm intelligi debeant. Primum, totam ferè illam cencionem allegoricam esse constat. Verum, ut illud omittam, si quis integro iudicio locum hunc expendat, nullam fieri baptismi mentionem, facile animaduertet. Sed hoc mali est, quòd qui temerè arripiunt uocè aqua, præsumpta opinione delusi, nihil per se iudicant. Porro, mihi non aliud significat aqua & spiritus, quàm spiritus & ignis: nam ut hic posteriore loco nomen Ignis vice epiteti ponitur: ita priore illo aquam uocari spiritum, quia uim officiumque aqua habet. Alij spiritum & aquam, ut iubilata clementia, terra opponunt. Et quidam ex ueteribus aquam interpretantur, carnis mortificationem. Hæc cum cerè utrunque magis tolerabile, quàm simbolo allegare hominis salutem.

Non

Non agitur hîc de necessaria baptisimi obseruatione: nam infantes baptizandos esse inter nos conuenit: vt libera non sit signi omisio. Sed vbi filiû libenter parentes ad baptismum offerrent, si morte præripitur, an desperandi sit eius salus, quæstio est. Qui perditos esse volunt omnes, quibus aqua tingi non contigit, nimis malignè sentiunt de Christi regno: sub quo restrictiorem Dei gratiam esse fingunt, quàm olim sub lege fuerit. Quia fas tunc non erat ante octauû diem circumcidere, si quis puer triduo post natalem suum mortuus esset, nulla erat noxa: siquidem fœdus & promissio, illi in ius adoptionis satis erat. Nunc cum dies prescriptus non sit baptisimo, qui nec contemptu, nec negligentia signum præteribit, plusquam absurdû est Dei beneficio fraudari, quo Iudæi sub Lege potiebantur. Alioqui, venisse Christum non adimplendus, sed abolendus promissiones dicemus, quando promissio quæ antè ad salutem conferendam per se valebat, nunc absque signi adminiculo rata non erit. Sed aliter plerique ex vetustis Ecclesiæ scriptoribus senserunt. Atqui, simul notare operapretium est, quatenus suæ sententiæ deferrî voluerint. Id Augustinus Epist. xxvij. ad Hierony. paucis verbis dilucidè explicat. Contra Cypriani opinionem, inquit, qui fortè non vidit quod videndû erat, sentiat quisque quod volet. Tantùm contra manifestissimâ Apostoli fidem non sentiat, qui dicit omnes in condemnationem nasci: contra Ecclesiæ fundatissimû morem non sentiat, quæ propter animæ periculum ad baptismum currit. Ego verò omnes in Adam mori fateor, nec paruulos minus quàm adultos opus habere Christi redèptione. Nec receptum morem Ecclesiæ improbo, vt ad baptismum currat. Tantùm in eo falli Augustinum dico, quòd periculum statuens, spem vitæ præcidit infantibus, quos Dominus suos esse pronuntiat, & quibus baptismus non competeret, nisi iam in Ecclesiæ societatem, Dei promissione vocarentur. Quæ igitur, dicit quispiam currendi ratio? Nempe hæc opinor satis legitima, vt quam Dominus salutem verbo suo promittit, in corpore filij obsignatam, & quasi insculptam cernat parens: vt filij ablutionem in Christo quærens, se morti et proximum cum toto suo semine profiteatur: ne tesseram, quæ confirmandæ fidei data est, videatur negligere. Denique, vt Christianorû in signe filius in sepulchrû ferat. Illa autem periculi opinio, quia priuatum fuit commentum, securè repudiari potest: qui manifestus Scripturæ testimonijs, quæ prius citauimus, contraria est, factessere delictum est medio. Quòd si cui Augustini sententiâ peruicaciter tueri placet, omnes sibi dånandos meminerit, quibus nõ licuerit per etatē fieri Cœnæ Domini participes: nam in eod. in vtrunque ordine locuti: vt non minus perÿsse censeat, qui Cœnæ Dominicæ participatione caruit, quàm qui baptismum non accepit. libr. De merit. & remiss. peccat. i. cap. xxiiij. & ad Bonifac. Epist. cvi.

Neque tamen dicit Augustinus, adductiam eiusmodi periculo Ecclesiam fuisse, vt baptizandi licentiam mulieribus permetteret: nam in extremo etiam periculo ad templum properare solitos dicit, vt publico ministerio vterentur. Vnde sequitur, nullo Ecclesiæ vsu aut more fuisse receptum, vt priuatim sibi quispiam munus arriperet. Alibi quoque dicit, matres in templum currere, vt filiorum saluti consulant. Nusquam ea dicit. m. nu sua remediû adhibere. Ex eo etiam quod tradit lib. ij. contra epistolâ Parmen. cap. xij. cõiungere licet, omnino muliebrè baptismum illa etate fuisse incognitum. Si laicus, inquit, necessitate compulsus, baptismum dederit, nescio an qui quam piè dixerit esse repetendum: nulla enim cogere necessitate si fiat, alieni muneris vjurpatio est. Si autem necessitas vrgeat, aut nullum aut veniale

delictum est. Debuerat certè potius de muliere mouere quaestionem, si ullum tale exemplum tunc extitisset. Quum de solis viris dubitat, nemo certè non videt, nihil de mulieribus venisse in mentem, quia res erat prorsus inaudita. Adhuc in viris ipsi dubius hæsit, nec eos prorsus excusare audet à veniali peccato. Sed omnem dubitationem apertius tollit Carthaginensis concilij decretum, vbi sine exceptione prohibentur mulieres à baptisimi ministerio. Quare ne amplius dicat Typographus me toto errare cælo, cuius pedem in stabili fultura tam bene fixum esse videt. Hac ratione Tertullianus, Non permittitur mulieri, inquit, in Ecclesia loqui: sed nec docere, nec tingere, nec offerre: ne ullius virilis, nedum sacerdotalis officij sortem sibi vindicet. Qui locus mendosè quidem legitur. Sed nemini mediocriter erudito dubium erit, quin hæc Tertulliani sit sententia. Nec verò prætereundum est, quod apud Epiphanium habetur: nam libro contra hæreses, i, Marcioni exprobrat, quòd mulieribus det baptizandi licentiam: idque inter ludibria numerat, quibus plenam fuisse sectam dicit. Libro autem secundo de Phrygiis & Priscillianis loquens, irridet eorum amentiam, quòd mulieres faciant Episcopos, quia in Christo non sit mas aut fœmina. Neque verò me latet, quid dicturus sit censor, multum scilicet inter communem vsum interesse, & extraordinarium remedium, cum vrget vltima necessitas. Sed quum nulla ab Epiphanio necessitas excepta sit, vbi ludibrium esse pronuntiat, dare fœminis baptizandi licentiam, probè mihi colligere videor, corruptelam hanc ita ab eo dånari, vt nullo prætextu sit excusabilis. Ita libro tertio, quòd hoc, ne sancta quidem Christi matri fuisse permissum docet, nec vllã restrictionem addit, quis non videt muliebrem baptismum generaliter ab ipso improbari? Denique summa impudentia est, vetustatis patrocinium hîc obtendere: quando aperitè constat non nisi cū barbarâ totius Christianismi confusione inoleuisse hunc abusum.

Citatur ex aduerso Sephora exemplum: in quo nonnulli plus iusto sibi placentes, ἀλάτιον suam produnt. Primum, vel ipsis concedentibus, circūcisionis & baptisimi dissimilis est ratio. Neque enim vetus illud symbolum ita absolutè necessarium fuisse tradunt. Deinde quòd placatus fuit Domini angelus, inde perperam colligi dico, probatū Deo fuisse quod egit Sephora. Alioqui dicemus placuisse illi cultum, què perfunctoriè exhibeant Samaritæ incolæ, illuc ab Assyrijs traditi. Reg. xvij. Tertiò fuit illud facinus singulare, quod in exemplum malè trahitur. Adhæc, nusquam sacerdotibus speciale circuncidendi mandatum legimus datum esse. Aperta autè sunt Christi verba: Ite, docete omnes gentes, ac baptizate. Certe eosdem constituit & Euangelij præcones, & baptisimi ministros. Si nemo honorem sibi rite in Ecclesia vsurpat, recte Apostolo, nisi qui vocatus est, vt Aaron: quisquis sine legitima vocatione baptizat, eum temerè inuolare in alienã functionem dico. Quid enim? quum ne Dei quidè Filius se ingerere voluerit: an sibi nescio quis terræ filius se publicum tanti mysterij dispensatorem nulla auctoritate creabit? In rebus etiam minutissimis, vt in cibo & potu, quicquid dubia conscientia aggredimur & audemus, Paulus apertè peccatum esse clamat. Porrò in muliebri baptismo quæ fidei certitudo esse potest, quum tradita à Christo regula violetur? Nam quod Euangelij sui ministri munus iniungit, mulieres ad se rapiunt. Respondeat mihi censor, an homini fas sit diuellere, quæ Dominus coniungit? A Christo enim hæc coniuuncta esse ostendo, Euangelij prædicationem, & baptizandi ministerium. Os ergo contra disertam Spiritus prohibitionem, mulieribus aperiat, qui alteri, quod inde sequitur, illu



illis vult licere. Sed mirari satis nequeo tam hebetes esse, qui hunc colorem obtendant, vt non perspiciant nihil minus Sephore fuisse propositum, quàm vt Deo ministerium præstaret. Fremens & indignabunda præputium in terram proijcit. Marito sic conuertiatur, vt Deum ipsum crudeliatu in simulet. Nec me later, quid hoc loco fabulentur Iudæi. Res tamen clara est: fœminam impotentia animi ardentem, Deo & marito obstrepere, quòd filij sanguinẽ ipsa fundere cogitur. Deniq; ne sermonem longius protraham, breuiter ostendam sensu communi esse destitutos, qui regulam ex factio Sephore petendam contendunt. Præsente marito, circumcidit filium. Et quisnam est vir ille? Moyses primarius Dei Propheta, quo nullus vnquam maior in Israële surrexit. Respondeant mihi gynecobaptistæ, an fœmina daturi sint coram Episcopo baptizandi licentiam. Certè, pudorem illis incutiet tantum portentum. Neque frontem Typographi adeo perfrictam esse puto, quin ipsum e-bria censure & pudeat, vbi euigilauerit.

Interea sobrios lectores obtestor, vt qualem ego religionem tractandus Dei oraculus affero, i; si quoque modestiam legendis scriptis meis adhibeant. Sanè mihi testis est conscientia, reuerenter, & qua decet humilitate, tanquam in Dei & angelorum conspectu, alijs tradere, quod mihi à Spiritu Christi datum est: nec tam quod mihi adlubescit, sequi, quàm mentem meam in Dei obsequium addicere. Me verò procul abesse ab eorum numero, quos ad captandam dogmatum nouitatem, ambitio sollicitat, tota vita me & ratio testatur. Et in libris meis, vt opinor, nulla ostentatio: simplex autem edificandi studium vbiq; eminet.

APPENDICIS LIBELLI DE VERA REFORMANDA Ecclesiæ ratione, Finis.

ADMONITIO IOANNIS CALVINI

aduersus Astrologiam, quam iudiciariam vocat: aliasque præterea curiositates nonnullas, quæ hodie per vniuersum ferè orbem grassantur.

E Gallico sermone in Latinum conuersa.

CLARISSIMO ET ORNATISSIMO VIRO LAURENTIO Normandio, Franciscus Viliarius, S. D.

**L**ETSI quibus in rebus Christianæ religionis & Reipublicæ commodis seruire possim, eæ res, quàm sint tenues atque exiguæ, intelligo: tamẽ quod possim, quoniam animo pleno studij atque beneuolentiæ id facio, spero fore, vt homines, nisi qui erunt peragrestes, meum hoc studium in meliorem partem accipiant. Scripserat hunc libellum Calvinus: (confecerat dicere potius debui: quod enim verè affirmare possim, nunquã eius scribendi causa calamum in manus sumpsit, sed eum mihi, quoad per occupationes licuit, dictauit.) Confecerat

igitur hunc libellum Calvinus, non magnum quidem illum, sed certè aureolum, sermone Gallico, nostrorum hominum vtilitati seorsum inferuens: quorum animos inanissima illa, & vt verè appellatur, malefica fatidicorum curiositate titillari intelligebat. Quod enim optimi & nobilissimi medici faciunt, non contentus morbum ab ijs depulisse, quæ res etiam è morbo recreatis, atque cõualescentibus nocitura videantur, earum illos commonefacere instituit. Etenim sic se res habet, vt bene habentibus, non minus vtilis cautio atque prouisio, quàm agrotis curatio necessaria sit. Cùm autem eam ipsam cautionem omnibus vtilem, plerisque cerè valdè necessariam iudicarem, quibus esset incognita nostra lingua: quoniam per omnes fere gentes ea, quam dixi, curiositas, quasi morbus quidam atque contagio peruasisset, visum est faciendum esse, vt alijs quoque nationibus exteris, à quibus & multas & magnas vtilitates recipimus, vicissim aliquid è nostris opibus impertiremus. Hunc igitur libellum Latinæ linguæ mandare institui: vt quoniam ea lingua quasi quidam est interpres omnium fere nationum & gentium, aliæ quoque nationes ab ipsa, quasi ab interprete, quid hic libellus loqueretur, intelligerent. Quæ cùm ita sint, & hunc laborem non alio animo susceperim, nisi vt pijs, & Dei timentibus hominibus inferuirem, etsi eum pertenuem & perexiguum esse sentio: me tamen confido non modò nullam, vt dixi, inuidiam habiturum, sed etiam gratiam aliquam ab ijs, qui non omnino ingrati futuri sunt, initurum. Tibi verò, clarissime & ornatissime Normandi, quoniam hoc nostrum officium voluptati fuisse animaduerti, nactus occasione, quæ mei erga te singularis animi significationem aliquam ederem, volui equidem illud ipsum in tuo tam illustri, & apud omnes bonos gratioso nomine apparere. Accipies igitur à me hoc munusculum, leuidentis & illud quidem, & crasso filo, vt dicitur: nec personæ tuæ magnopere conuiciens: verum ita accipies, vt cùm in eo mei erga te amoris ac potius obseruantia momentum extare voluerim, propensam huius mei animi voluntatem complectare, rei nullam aut certè non exactam in eas æstimationem. Vale. viij.

Cal. Mart.

### ADMONITIO IOANNIS CALVINI ADVERSVS Astrologiam, quam Iudiciariam vocant.



**D**IVVS Paulus de re nos admonet magnopere quidem necessaria: sed quæ tamen à perpauca animaduersa, ac notata est: Nempe, quibus curæ nihil est, quemadmodum cum synccera conscientia versentur, eos à fide deflectere, atque aberrare. Nam innuit eos, qui suas conscientias polluunt, sese totos prauitati mancipantes, non modò indignos esse qui in pura Dei notitia contineantur, verum etiam promereri, vt cecitate affecti horribili, varijs erroribus & falsis opinionibus traducantur. Mirũ est autem quòd tam leuem cogitationem eius rei suscipiamus: cùm quidè illius tot documenta quotidie nolis versentur ob oculos. Constat enim Deum, quibus gustum aliquem suæ veritatis impertierat, ijs nunquam eam adimere, nisi cùm indignè illam susceperint:

eaque adeò ad vanam ambitionem, aut alias affectiones carnis abusi sint. Enimvero cum ij, qui pecunias possident, adeò sint in ijs asseruandis vigilantes, atque industrij, æquum erat inæstimabilem hunc Euangelij thesaurum, quando eo nos Deus ditauit, in bona conscientia quasi includi: quæ ut ita dicam, vera est arca, cui tanquam fide & sanctæ custodiæ committi debeat, ne à Sathana nobis eripiat. Verùm, quid contrà fit? Magna pars hominum vititur verbo Dei, quasi parato argumento, quo se det in sermonem, in circulis & congregationibus quotidianis. Alij ducuntur ambitione: alij sua sectantur commoda: quinetiam quidam eo ad lenocinium abutuntur, ut inde sibi aditum in consuetudinem muliercularum comparent. Plerique quamobrem eius notitiam affectent, ne satis quidem perspectum & constitutum habent: nisi quòd eos pudet, quum alios intelligentes videant, se propter inscitiam parumpendi. Vt sit, omnes propemodum, aut plerique sanè omnium, hanc salutis doctrinam trahunt ad nescio quam profanam philosophiam. Quod certè tam immane sacrilegium, Deus ferre nullo modo potest. Est enim eius verbum sacratius, quàm ut eo ad hunc modum abuti liceat. Viniuum illud esse oportet, eiúsque vis atque efficacitatis, ut in ipsa etiam corda permanet, excussurū existimatur: umque quicquid inest in homine, ipsa & que adeò ossum medullis, ut inquit Apostolus. Si ad ludū & oblectamētum rapiatur, an putemus Deū toleraturum esse, ut vis illius ita conuellatur, & vana, ac prorsus inanis existimetur? Munus eius est, hominem arguere (sicuti Paulus scribit) ut seipse condemnare discat: & sese abijciendo, gloriā Deo tribuere. Si ad iactationem & inanē gloriā rapiatur, nonne hac peruersitas grauissimum aliquod supplicium promeretur? Id nos debuit ad imaginē Dei renouare: corrigens & emendans id quod è nostro in nobis est. Si quis ab eo ipso quasi authore, occasione arripiat suis flagitijs indormiendi, atque in ijs adhærescendi: nonne æquum est, Deum animaduertere non in hunc modò tantum abusum, quo scilicet cibus in venenū conuersus est, verùm in hoc etiam tantum sacrilegium: cum bene beatæque viuendiregula, ad vitiorum scelerumque omnium licentiam abutimur? Nec verò valde operæpretiū est, istorum vitam subtiliter explicare, qui se profitentur veritatē Euangelij notam perspectamque habere: nam, ut semel dicam, illud sanè constat: qui resipuisse & sese ad bonā frugem, ut dicitur, recepisse debuerant, pleròsque deteriores euasisse: ceteros, in instituto, tanquam in luto adhærescere, certè quamminimū emendationis apparere. Paulus de resipiscentia commemorans, & emendatione, quam in Christianorū moribus esse decet, de que his fructibus, quos ex noua eorum vita profundi atque enitere oportet, ex quo scilicet ad imaginem Filij Dei renouati ac restituti sunt: Qui furabatur, inquit, posthac nefuretur. Quo dicto, percommodè significat, quòd, si prius de via aberrauerimus, simul atque Dominus nostri misertus, voluntatem nobis suam patefecit, continuo relicto instituto cursu, remigrandum esse: & habenas, ut ita dicam, reflectendas. Atqui, qui se hodie Christianos profitentur, ij sibi quasi religione soluti permittūt, aliorum saltē esse similes: ut, qui prius luxuria disfluere consueuerāt, nullum suæ turpitudinis finem faciant. Ioci, ludorum cōmissiones, omnia oblectamentorum genera, blasphemiz, flagrant & vigent non minus, quàm vnquam antea. Iacturæ, sumptibus infinitis & superuacuis, pompæ, magnificentiæ querūtur excusationes: indifferentia nominantur: cum tamen ea nemo non videat, superbiz duntaxat, & ambitioni, atque vanitati seruire. Quid? quòd singuli ordines suum sibi seorsum ab alijs Euangelium habent, prout cuiusque arbitratu fingitur? ut iam non minus dispar ac dissimile sit Euangelium aulicorum, ab eo quod magistratum est, aut aduocatorum, aut mercatorum, quàm nummi inter se differant, figura impressi varia, planèque disparili: nisi quòd eorum vnumquodque vnā eandēque persimile habet notam: è mundo enim sunt omnia, ac terrena:

in quo nihil habent omnino cum Christo commune, qui nos inde reuocare nititur.

Itaque non iniustam, sed debitam poenam meritamque persoluunt, qui Euangelij doctrinam ita dedecorant: cum ignominijs omnibus obruuntur, & à Deo, ad cuiusque despectum ac ludibrium exponuntur: quandoquidem occasione sanctissimi illius nominis blasphemandi præbuerunt. Par est præterea, ut eos non modo stupore, verum etiam immanitate Deus opprimat, & mentem illis ac rationem adimat, postquam illa uti sapientia comode ac ratione non potuerunt, quam etiam Angeli ac spiritus coelestes admirantur. Atque hinc scilicet tot leues opiniones, ac potius delirationes, quasi à fonte deriuantur: quæ quantum ne umbram quidem ullam probabilitatis ostendant, ita tamen excipiuntur, atque etiam approbantur, quasi edita è caelo oracula. Denique, cum arrogantia sit vera radix omnium haesum, uagiarum errantiumque opinionum, commentitiorum & impiorum dogmatum, nemini mirum uideri debet, cum Deus eos in tot errores turbulentos labi sinat, qui veram regulam non retinuerunt, qua in obedientia veritatis constanter permanerent: sese scilicet sub illius metu ac reuerentia submittentem. At enim cum hæc sit quædam huius ætatis labes & macula, hodiæque, si unquam antea, vel maxime grassatur, nos quidem illius fructus uerberimos nunc uidemus. Itaque, quotquot nunc errores ubique grassantur, totidem sunt supplicia hominum pernicitatis: qui sacrosancto Dei verbo abusi sunt. Quos, quia non est in animo persequi atque enumerare singulos, quippe qui sunt innumerabiles, exemplum unum retulisse contentus ero.

Inuasis iam inde ab antiquis temporibus, animos hominum, quasi tabes quædam & contagio, stulta quædam curiositas ex caeli & stellarum situ prædicendi quid cuique euenturum, & quo quisque fato natus esset: indeque consilium exquirendi. Quam quidem diabolicam esse superstitionem nos deinceps, adiuuante Deo, probabimus. Et sanè una omnium uoce & consensu tanquam humano generi exitialis, iam pridem explosa & repudiata est: nunc uero ita renouatur, ut multi, qui se arbitrantur ingenio præstare cæteris, eamque ad eum apud homines existimationem habuere, ea prope superstitione fascinentur. Quod si Deus nobis Euangelij sui puritatem nostra hac ætate non illustrasset, cum tamen humaniores literas excitauit, quæ sunt ad vitam moderandam peruitiles: & commodis hominum seruitutes, simul illius gloriæ seruire possunt, merito certè, & optimo iure illorum ingratitude in uisceretur, qui solidis & firmis rebus minime contenti, in aere (ut dicitur) peruagari gestiunt. Iam uero, postquam utrunque nobis largitus est, id est, & artes & disciplinas redintegravit, præsertim autem puram doctrinam suam coelestis cognitionem nobis restituit, quæ nos ad eum perducit, atque in sublimia & admiranda illius mysteria introducitur: si qui eo usu, cui esse potuissent, postposito, maluit huc & illuc errore uagari, quam intra cancellos consistere, nonne poenam altero tanto grauiorem promerentur? Id quod etiam usu uenit: cum quidam ad eum de mente & sanitate deiectioni sunt, ut omne studium omnemque operam ad imposturam inanisissimam applicent: in qua laboriosissime miserrimèque, sine ullo tamen fructu, se cruciant. Scio quibus titulis mentiatur huic tam stolidæ superstitioni colorem. Nemo negat, scientiam Astrologiæ in primis esse nobilem: honorèque summo dignissimam. Itaque quasi quodam pallio, ita se isto titulo operiunt: se namque Mathematicos nominant: quo uerbo uel significatur, qui sunt artium liberalium professores. Hoc quidem nihil sanè noui: eorum enim authores ac magistri iam pridem ut alios in fraudem atque in errorem impellerent, idem ipsum obtendebant. Sed nos, cum ipsis (quod auiunt) oculis iudicauerimus, istam illorum delirationem, nullo, neque Astrologiæ, neque ullius artis subsidio fundatam, atque constitutam esse, nihil erit quæ obrem quisquam istis laruis obstupefcatur: nisi si pueros fortasse perterreant.

terreant. Quinetiam homines mediocri quaedam eruditione præditi, meo isto admonitu magis gnoscere ad sibi cauendum ac providendum non indigebunt. Ita noster hic libellus ad rudis potius, atque illiteratos pertinebit: qui cum veram & germanam Astrologiam ab ista sortilegorum superstitione discernere nequeant, facile in errorem induci possint. Hoc igitur primo loco videamus, quatenus Astrologia vera progrediatur: quæ planè aliud nihil est, quàm ordinis naturalis cognitio, eiusque dispositionis, quam Deus in stellis & syderibus ordinandis adhibuit: vnde cuiusque officium & natura, describi possit & ad suum finem usumque reduci. Perस्पiciuum est, quod scribit Moses: Solem ac Lunam conditam esse à Domino, quibus & dies, & noctes, menses, anni & tempora gubernarentur. Quibus verbis, quæcumque ad agriculturam & Reipublicæ gerendam rationem atque prudentiam attinent, complectitur. Eorum autem, ipsum etiam vulgus, nonnulla primoribus (ut aiunt) labris degustat. Sed Astrologia scientia, præter effectum, causas etiam ipsas demonstrat. Exempli causa: Nemo tam idiota est, ac rerum omnium rudis, qui non videat, æstate dies esse longiores, quàm hyeme: gelidam esse hyemem, æstatem verò calidam: sed non tamen usque eò progreditur, ut quamobrem aut quomodo id fiat, diiudicet. Defectiones Solis & Lunæ, unicuique nota sunt: sed earum causæ obscuræ ac reconditæ, nisi ex arte & doctrinâ perdiscantur. Nihil opus est magistro, qui doceat stellas cœlo inhaerescere: sed non est cuiusvis, earum motus, cõuersiones, occursum, interstitionesque notare. Hoc enim rarum ac singularem peritiam desiderat. Astrologia igitur hic usus est, stellarum scilicet cursus ac progressionem quâ temporis, quâ ordinis & sui describendi causa notare. Temporis quidem, ut quo quæque stella spatio, ipsumque adeò cœlum cõuersionem suam compleat, cognoscatur. Situs verò ad iudicandum quanto inuicem intervallo dissideant: ad motus re-ctos, atque obliquos, ac penè contrarios discernendos: indeque notandum, cur potius Sol à nobis hyeme quàm æstate longius distet: cur æstate diutius apud nos comoretur, quàm hyeme: circa quod signum orbis eius, qui Græcè *Ἰνδιανός* dicitur, singulis mensibus versetur: quos habeat cum cæteris syderibus occursum: quamobrem Luna ortum aut obitum accessu aut recessu Solis accipiat: quæ causa sit Solis & Lunæ defectionum: ut, etiam ipsa graduum & monietorum interualla dimetri possis. His quasi iactis fundamentis, sequuntur deinde effectus, quos hic quidem in terris videmus: sed Astrologiæ beneficio, causam suam atque originem supra nos habere cognoscimus: neque id tantum, postquam elapsi sunt: verum ita, ut nullò antè prospici, atque provideri possint. Nemo non videt pluuias, grandines, niues: nemo ventorum strepitus non audit: sed nemo, nisi qui adiutus est Astrologia, causas eorum in natura esse positas intelligit: quæ ipsa, ut diximus, natura, etiam in posterum coniciendi facultatem aliquam suppeditat: tamen si nulla certa aut perpetua regula tradi possit. Sed nos de ordinario atque usitato cursu loquimur: cui nihil quicquam extrinsecus accidens officit. Hic autem totius eius disputationis cædo vertitur, de qua nos deinceps explicare conabimur. Nam isti adulterini Astrologi, enuntiationem illam sumunt, quæ proculdubio vera est ac fixa: nempe, Omnia terrena corpora, & ut generatim loquamur, omnia inferiora corpora cum astrorum cursu cognationem quandam habere: atque inde qualitatem aliquam ducere. Verum illi hoc enuntiatum perperam accommodant: nam Astrologia naturalis hæc quidem inferiora corpora à Luna affici inde monstrabit, quòd ostris & conchylis contingat, ut cum Luna crescant pariter, pariterque decrescant: item que osiū medullis Lunæ plenum ac tenuè lumen moderetur. Ab eadem quoque vera Astrologiæ scientia mediciducunt quod habent iudicii, ad sanguinis detractionem, potiones, pillulas, & alia eiusmodi in tempore adhibenda. Itaque fatendum est, humanorum corporum habitudi-

ni, non nihil esse cum syderibus cognationis. Hæc igitur omnia, ut modò dixi, Astrologia naturali comprehenduntur. Sed quidam impostores, qui artis prætextu ulterius progredi voluerunt, aliam quandam speciem commenti sunt: quam Iudicariam appellant. Ea autem duabus maxime in rebus posita est: primum ut non modò naturam hominum, & corporum habitudinem notam ac perspectam habeant: verum etiam quid cuique euenturum sit, & quid quisque in vita aut acturus sit, aut passurus, cognoscant: præterea quos exitus habitura sint ea consilia, quæ homines inter se contrahentes, ineunt: & ut semel dicã, de rotius mundi statu iudicent. Nos, quæ ad cuiusque, ex natali die, habitudinem constitutionemque attinent, initio videamus. Quemadmodum autem nullus est tam absurdus error, & impudens, quin aliquem veritatis colorem mutuetur, ita hercle fateor, quod ad corporis constitutionem attinet, præsertim verò ad affectus, qui corporis qualitati participant, eos quadam ex parte ab astris pendere, aut certè consensum, & ut Græci appellant, *συνάτη* quandam cum illis habere: veluti cum quis ad bilem atram propensior dicitur, quàm ad pituitam: aut contrà: quanquam etiam in hoc genere pleraque diligenter obseruanda sunt. Mathematici nostri, quibuscum nobis nunc res est, iudicium ex nascendi tempore faciunt. Ego contrà affirmo, generandi tempus potius spectandum esse, quod plerumque ignotum est: neque enim perpetuò pariendi certum ac definitum tempus præscriptum est. Teruiuentur quantum volent: certè vi rationis fateri cogentur, astra non tantum in nascèdi, quantum in generandi tempus, ad certam scilicet homini qualitatem informandam valere: cuius etiam rei quotidianus vsus documento est. Præclarè namque Persius, cum vno eodémque tēporis puncto natos, dissimiles & naturas & vitas & casus habere significaret,

Geminos (ait) Horoscope varo                      Producis genio.

Hoc enim identidem etiam in geminis fratribus vsuuenit: quorum alter alterius non minus dispar, ac dissimilis erit, quàm si diuersissimo cœli ac stellarum statu natus esset. Mihi, quod, ad iudicandum etiam ex ipso nascendi tempore, statuendumque de cuiusquam hominis natura, præter quàm quòd singulos eius horæ gradus, in qua natus est, diligenter notatos atque descriptos oportuit, necesse esset Genethliacum (Chaldæi Latine dicimus) manu astrolabium suum tenere: neque enim horologio fidere satis tutum est. Atqui, sic se rem habere constat, ut si per pauca temporis momenta aberres, magna fiat cœli & stellarum inclinatio. Verum, ut maxime iudicandum sit ex generandi vel nascendi tempore, illud tamen mihi velim respōdeant. Nonne sexus, alias omnes animalis qualitates longè latèque superat? Atqui, vno eodémque temporis articulo, in vno eodémque vtero concipientur mas & fœmina: eodémque momento alia marem pariet, alia fœminam. Vnde ista igitur varietas in eo quod est potissimum, nisi quòd astrorum non est tanta vis, quantam isti perhibent? Quòd si etiam adhibenda esset cōparatio, certo certius est, semen parentis vtriusque, vim afficiendi longè maiorem habere, quàm omnia sydera: & tamen id ipsum sæpenuvero fallere nemo non videt: potest enim constitutio esse dissimilis. Ponamus igitur homines duos natura longè inter se differentes: quibus etiam vxores sunt æquè dissimili natura: eodem, ab vtrisque, temporis puncto conceptos, eodem susceptos esse liberos: sanè vsuuenire videbimus, ut liberi, parentum constitutione potius afficiantur, quàm villo syderum affectu, qui tamen vtrisque par similisque contigit. Eiusque rei ratio ita perspicua est, ut nemo, qui sit modò sincero iudicio, contrà existimet. Quid igitur dicendum de ea videtur affectione, atque, ut illi loquuntur, influentia, quæ ab orbibus illis cœlestibus permanat in homines? Fateor secundum ea quæ superius attigi, astrorum esse aliquem cōcentum, qui habitudines informet: easque præsertim, quæ sunt corporis propria: sed eam esse causam præcipuam

cipuam, hoc verò inficior. Quinetiam affirmo feminis, unde factus nascitur, vim esse multò maiorem, quàm causurum naturalium, quas inferiores appellant. Dico præterea, nullo fundamento niti Astrologos, dum ex partus potius, quàm ex cõceptionis tempore, iudicium faciunt. Atqui, conceptionis tempus ignorant: ex quo efficitur, nihil eos certi, nihil explorati iudicare posse. Addo etiam illud, Deum in plerosque singulari quodam favore efficacè esse: etiam in ipsorum natura informanda: ut iam vis astrorum nihil ad eam pertineat: aut certè ita demersa, latens, obscurata sit, ut hominibus apparere non possit. Hactenus de ijs quæ ad propensionem naturalem attingit. Quòd si ad ea beneficia veniamus, quæ Deus filijs suis impertitur, cum eos Spiritu suo reformat, idèoque immutat, ut meritò noui homines nominentur: quid ad hæc astrorum omnium aspectus pertinebit? hæccine Deus æternæ electionis suæ fundamenta posuit? Si Chaldaei nostri affirmant, sicere saltem ijs uti, quasi causis inferioribus & proximis: nimis hæc profectò frigida & ignaua cauillatio est. Videmus enim Deum de-industria nos ad istiusmodi cogitatione reuocare, cum eos voluit secundos in lucem ingredi, quos præferre de creauerat: quemadmodum in Iacob exemplum habemus. Ecquid enim causæ est, cur Esau, quem repudiare cõstituerat, prior in lucem est eductus, nisi quòd Deus, naturæ cõmuncem atque vsitatum ordinem infringens, alius meritis nostras erigere voluit: eo nos admonens, debere nostros oculos in sclã illius voluntatè intentos & infixos esse: neque ad alias vllas causas inquirendas, deflectendos. Quò obrem hoc vnũ fixum in animis nostris teneamus, in eoque vestigia premamus, Deũ ita homines uocatione sua reformare, ut planè noui fiant. Disertè scriptum est de Saule, quòd cum Dominus vult ad regnum suscipiendũ illum præparare, eũ planè alium atque antea fuerit redditurus est. Certè, hoc ille ex cœli ac stellarum situ non consequitur: sed in ipso Deus est efficax præter naturæ ordinè: & præterquam quod humana ratione atque intelligentia cõprehendi potest. Si hoc in eo efficit, quem ad temporalem administrationem elegerat, qualem in ijs futurum existimamus, quos sibi filios & hæredes regni cœlestis adoptauit? Enimuerò, vniuersam mundi fabricam rerũque naturam, longo intervallo superet necesse est. Et certè sic se res habet, ut quisquis negat regenerationem, Dei opus esse, vniuersam rerum naturam exsuperans, ijs non modò se profanum esse demonstret, sed religionem Christianam planè repudiet atque aspènetur. Itaque, vim astrorum inter ea cõtinere debemus, quæ cum ad res humanas, tum verò ad corpus, & primã naturæ propensionem attinent: atque id excludere, quòd Deus singulari favore alijs atque alijs, nullis vtens ordinarijs adminiculis, impertit: præsertim autem emendationem illam, quam in electis suis perficit: Spiritu suo eos reuocans.

Verum, hæc adulterina & fallax Astrologia, non contenta morũ & valetudinis hominum constitutionem informasse, suum etiam imperiũ latius extendit. Quid enim cuique in vita euenturum: præterea quando & quomodo quisque sit moriturus, diumat. In quo mediussidus præter meram temeritatem quid aliud sit, non video. Rationis enim & iudicij planè nihil est: nam ut maximè possint sydera, qualitates quasdam in hominibus informare: non tamen efficiunt, ut postea vel hoc vel illud aliunde illis eueniat. Itaque Chaldaeus, et si hominem esse industriũ, & ad rem attentum iudicare valeat, minimè tamen haviolari poterit, hereditatem ei aliquam esse obuenturã: quippe cùm euenta huiusmodi in alterius, non ipsius, arbitrio ac voluntate posita sint. Atque hæc scilicet ipsa causa est, quam obrem iam olim vulgò dictum est, istos personatos Astrologos auribus implendis, exhaustis verò oculis esse idoneos: nimirum, qui antè prosperos euentus prædicetes, curiosos ventro pascunt, eosque pro suo arbitratu emungunt, postquam semel eos præstigijs suis inescarunt. Prædicent igitur, quot uxores aliquis habiturus est. Quid? etiã in illius natalitio sydere id

Aul. Gel.

quod uxoris illius primæ syderis natalitium est, reperiunt: ut quis vitæ terminus illi futurus est, intelligant? Nulla igitur scemine propria natalitia sydera possidebunt: siquidem virorum syderibus sunt obnoxia. Denique, privati cuiusque hominis horoscopus iudicium ac notationem vniuersi status alicuius regionis comprehenderet: cum quidem isti se profiteantur posse prædicere, num in coniugio fortunatus aliquis futurus est: nū aduersa aut prospera fortuna peregrinaturus: quæ discrimina subiturus: vtrum morbo an gladio obiturus. Videmus nunc quot cum hominibus negotia nobis contrahenda sint. Nisi si illorū omnium & fortunas & volūtales in manu, ut dicitur, habeāt, quibus ad suū arbitriū libidinēque moderetur, ecquid tandem nobis de iis polliceri possint? Est igitur id, quod modò dixi, sanè verissimū, ita scilicet illos de homine iudicare nō posse, sicuti profitētur, quin illius natalitiū syderis, sit illis speculū, in quo eos omnes, quibuscū verfabitur, contēplentur. *Æ*stimetur nunc adhibita ratione atque iudicio, num hoc fieri vllō modo possit: aut si sit vlla in ea re similitudo veri.

Concludo igitur, omnes istos, qui tantū sibi sumunt, ut ex natalitio cuiusque sydere, quid cuique euenturum sit, iactent se posse animaduertere, meros esse impostores, prestigiatōres, planos: quippe cum aliunde permānent causæ. Ne sim lōgus, si omnia persequar exempla, quæ commemorari possint, vnum hoc solum attingam. Sex penumero vno prælio ceciderunt hominū sexaginta millia. Non persequor maiores clades: quod satis crebrò contigit, id commemoro. Quæro, num iis omnibus, quos ita mors eadem copulauit, vnum horoscopus, vnum idēque astrum assignari debeat. Si respondēant, id quod rarius est, minisque sæpe accidit, non debere de communibus artis cuiusdam præceptis derogare, id quidem iam esset subterfugium minimè audiendum: nos enim de communitus & peruagatis rebus loquimur. Tradunt historiæ, viginti prælis trecenta millia hominum in Hispania cecidisse. Ut nihil ex aliis perscrutemur: cui tandem dubium est, quin ii, qui ad istum modum è vita vni omnes excesserunt, dissimiliter affecto cælo in eam ingressi sint? Verum hoc illud est: in tanta turba ac multitudine, Capricornus, Aries, Taurus, ita se inuicem cornibus feriunt, ut omnia confundantur ac perturbentur. Aquarius aque tantam vim effundit, ut eluionem immittat. Virgo, suam virginitatem violat. Cancer retrorsum graditur. Leo, cauda sua tam insidiosè percutit, ut animaduerti nequeat. Gemini, ad eò inter se immiscentur, ut in vnum euadant. Sagittarius, ex insidiis iclus infligit. Libra, fallax est & iniqua. Pisces, ita se in aquam immergunt, ut prorsus non appareant.

Quoniam etiam nostri homines non contenti, ad natalem vsque diem maiores pennas nido extendisse, ut ille dixit: iudicium præterea, vel potius diuinationem, de omnibus consiliis atque institutis vsurpant. Exempli causa: Si cui in patria negotium est, vnde nunc ducentis abest, trecentisve milliaribus: veniet Astrologus qui de cælo seruet, atque animaduertat, quo temporis momento commodissimum erit iter ingredi: nimirum, ut quindecim post diebus, reperiatur eos quibuscum illi negotium est, probè affectos: quo tempore, is cæli ac stellarum positus, qui secunda omnia illi promittebat, inclinatus erit. Obsecro, si quæ vis in syderibus inesset, quæ ad hominum vsque consilia atque instituta pertineret, nonne in iis solis consideratio versari deberet, quæ tum regnant ac dominantur, cum negotium conficitur? Quæ tandem ista dementia est, si merces quasdam, ab eo qui trans mare negotiationem exercet, empturus sum, affirmare sidera quæ profectiois meæ tempore dominantur, felicem successum mihi polliceri: quæ verò dum expeditur negotium, principatum obtinent, eorum vim esse nullam? Ac mihi quidem profectio eius historiæ in mentem venit, quam de Cardinali Farnesi commemorant: qui cum nescio quò legatus profectioem pararet, astrorum interpreter appositus, qui cæli ac stellarum significationem expiscaretur, si quando videlicet,

prospe-



prosperam illius legationi fortunam portenderent. Ipse interea prandium imperat, discumbit, nec mora, ecce tibi ex transuerso Astrologus, ex templo iubet hominem si bonis auspicijs legationem obire cuperet, properè in equum ascendere. Quæso, si paululo tardius discessisset, pransus liberè & solutè, & vesperi ad idem hospitium quo constituerat, peruenisset, ecquid tandem ea re vel adiuventi vel incommodi retulisset? Quis non videt huius primam ac præcipuam habendam esse rationem, ut quomodo affecto cælo, compositis que sideribus res transigitur, intelligatur? nos enim, quasi fidem istis aliquam adhiberi oporteat, ita loquimur. Sed hoc quicquid est, meras esse nugas & mendacia, planè perspicuum est. Audiui qui de nonnullis fanaticis narrarent: quòd in mulum ascendere, nisi bona venia ab astris impetrata non audeant: finge talem esse quempiam è supremæ cuiusdam curiæ senatoribus. Sunt horæ certæ atque constitutæ, quibus unà omnes conueniant. Ac sunt fortasse viginti numero iudices, quos eadem lex & regula subiectos tenet: sed astrorum affectio alijs atque alijs longè dissimilis: nihilominus, omnes pariter lex euocat, quid tū fieri oportebit? si Astrologiæ regula sequenda est, tantum abest ut vlla vngquam controuersia possit dari, ut ne tres quidem iudices ad vllam causam audiendam conuenire possint. Aut igitur astra muerenda sunt, ut alio quoquo modo in consensum concentumque reducantur: aut omnis politia, Reipublicæ gerendæ ratio planè rescindenda est. Atqui, hunc ordinem à Deo probari constat, cum tempus certum ac statutum est, quo exerceantur iudicia, eius verbum in concione audiatur, Sacramenta recipiantur, nulla cæli ac stellarum situs habita ratione. Si animus in stellarum cursu occupatus, ordinem à Deo constitutum negligit, & sese quisque aliò atque aliò seorsum recipit, vulgarem & communem hominum consuetudinem assernans, nōnne à se ipse Deus dissentiet. Quo tandem loco stabit illa immensa, & infinita sapientia, quæ omnia tam ornate & concinnè quasi dimensa disposuit: si nulla ex parte mos illis geri potest, quin simul ab eo ordine recedatur, quem in natura constituit? Enimverò in hoc genus hominum ridiculum illud aptissimè torquetur, quo ab ancilla sua Philosophus quidam olim delusus est, qui cum & mentem & oculos in cæli plagas maiorem in modum intentos haberet, neque quod ante pedes esset, animaduertere: falso impresso vestigio, prolapsus, in foueam incidit: tum illa ridens, Sane, inquit: nihil enim vilius, quam ea, quæ propius ad nos pertinent, animaduertere. Neque verò hunc iocum velim in doctos & peritos Astrologos torquere: quorum nulla satis magna laus tribui labori potest, quem ut nobis cælorum arcana describerent, quatenus id seruire Dei gloriæ, & nobis vsui esse possèt, studiose susceperunt. Istos verò speculatores, venatorésque non naturæ, ut ille dixit: sed inaniu somniorum, qui sibi nubes propemodum peruagari videntur, neque tamen quò Deus illos euocet, aspiciunt, nullamque suarum habent partium rationem: ab eo cursu deflectunt, quem illis Dominus præscripsit, quid proximis suis præstare deceat, quod officiū cultumque tribuere, nullam curam, nullam cogitationem suscipiunt: nōnne ratio postulat ut Deus probis omnibus afficiat, & non modò pedibus impingere, verum etiam ad extremum ipsa ceruice præcipites ferri patiatur?

Postquam vnumquengue nostrum iurisdictioni suæ astronomicæ Chaldei subiecerunt, idem sibi imperium in vniuersum mundi statum arrogant. Fateor autem equidem, secundum ea quæ superius à nobis explicata sunt, quatenus corporum terrestrium cognatio & quasi concentus atque consensus, quam, ut dixi, Græci *συντάξις* appellant, cum cælo intercedit, causas quasdam earum rerum, quæ in terris accidunt, ex astris notari posse. Quem admodum enim vis cælestis sæpenumero procellas, turbines, ceterasque tempestates inducit, præterea imbres assiduos: cōsequitur etiam, ut sterilitatem, pestilentiam, elunionem, belua-

rum denique repentinas multitudines inuehat. Quatenus igitur consensus ille distantium rerum quasque necessitudo quædam apparebit, non repugno equidem, quin ab orbibus illis coelestibus causa & origo euentorum quæ in terris videntur, exquiratur. Causam autem appello, non perfectam ac principalem, sed adiuuantem & proximam, quasque adminiculum Dei voluntati subiectum: & quo tanquam præparatione utitur ad opus suum absolendum, prout æterno suo consilio decreuit. Vt sit, non omnino negandum est, quæ quædam conuenientia interdum existat inter pestilentiam, quam hic videmus, & cœli ac stellarum affectum: qui Astrologiæ beneficio cognoscitur. Quanquam multum abest, ut hoc sit perpetuum. Etenim, cum tres varij generis poenarum optiones Dauidi factæ sunt, & pestem optauit, nemo eius rei causam astris assignauerit. Ad hæc, cum tanta fames fuit in Syria & in Iudæa Eliæ temporibus, tam longa præterea siccitas, stultissimum esset quærere, num essent ad eam rem affecta sydera, quippe cum hoc singulare quoddam atque extraordinarium prodigium fuerit. Neque verò exemplum hoc quasi rarum atque insolens existimandum est. Deus enim generationi loquitur apud Moysen, affirmans omnes mortaliū res aduersas in thesauris suis esse reconditas. Quo significat, eas res iusto eius iudicio in homines immitti, tanquam scelerum ac flagitiorum vindices: quasque, si homines suis fraudibus iram illius non prouocarent, quasi in arca inclusas & reconditas contineret. Et sanè vix vlla alia extat in Prophetis doctrina peruagatur, quam qua minatur se & cœlum & terram quasi arca reconditum esse. Cum igitur earum rerum causam nostris fraudibus assignet, omnis astrorum affectus excludendus est. Iam verò quod ad bella pertinet, multò etiam magis ineptum est, causam in astris exquirere, cur ea eueiant: quippe, quæ ipsa etiam flagella Dei sunt, quibus homini peccata, quæ non pendunt ab astris, coerceat. Cum Dominus Abrahamo polliceretur fore, ut ei is posteri Canicie regioni dimitteretur, Nondum, ait, venit dies. Non tribuit causam syderibus, quasi nondum ad eam rem probè affectis. Quam ergò aliam offert? per fidem & iniquitatem Amorrhœorum nondum ad cumulū peruenisse. Itaque sicuti tum arboris fructus decerpitur, cum assecutus est maturitatem, ita certe nostra flagitia diuinis supplicijs maturitatem afferunt. Nunc videmus num astra causa sint impietatis & flagitiorum hominum. Fuisse quidem iam olim fanatici nonnulli, qui hoc animis & cogitatione finxerunt. Sed hæc deliratio merè ab omnibus explisa, ac repudiata est: & pro commento Diabolico habitata, quod omnes Christiani respicere ac detestari debeant: quippe quæ neque admitti neque approbari possit, quia vniuersa Scriptura sacra deleatur, Deus blasphemetur, hominibus denique ad omne nequitiam habere remittatur. Itaque, hoc ego quasi conclusum ac probatum sumo, quod mihi res manifesta dat, Dei contemptum & mores corruptos ac deprauatos, quibus regio aliqua infecta est, nihil quicquam cum syderibus habere rationis. Quæ cum ita sint, non est tribuenda syderibus causa diuinarum ultionum, quæ ob eas res eueniunt. Sed ad ea fortasse dixerit aliquis: Quidni Deus causis istis adiuuantibus & medijs in rerum natura positis, utatur ad hominum vltiscenda scelera? Id quod equidem non inficior: verum eone sequitur, ex naturæ ordine statò atque perpetuo illa contingere, prout ad ea sydera parata sunt? Imò verò, quando Dominus mare rubrum & Iordanem exsiccare iussit, etsi eo vento qui ad eam rem erat in primis idoneus uti vellet, non tamen is ventus vi quadam astrorum comotus traditur: sed à Deo ex-tempore excitatus: tametsi ego certè assentior, cum, cum illi videtur, syderum vim ac naturam ad suum comòdum vsinque applicare. Tantum dico, nec famem, nec pestes, nec bella, ideo vngquam accidere, quia sydera ad eam rem affecta sunt: nisi cum Dominus iram suam in hominū improbitatem exerere iussit. Contra, bonorum omnium copiam atque vbertatem, salutem, integritatemque valetudinis, pacem,

Concordiam, nihilomagis ab astrovū affectu perm. mare: sed beneficio Dei, bonaque eius pace contingere: siue ille nos ad pœnitentiam & meliorem frugem ista lenitate atque indulgentia inuitet: siue amorem & benevolentiam suam erga nos, dum illius iustitiam colimus, à nobis degustari velit. Denique, donec isti fucati Astrologi docuerint nos ad Dei obedientiam aut cõumaciam aduersus eum, syderibus impelli, statuo ea neque aduersarum, neque prosperarum rerum, quæ nobis eueniūt, causas esse. Alterum enim alterius esse consequens nemo non videt. Quòd si cupiam omnia, quæ huic argumento conueniunt, exempla persequi, profectò neque modus, neque finis erit ullus: & certè unicuique per facile est, ea per se animadvertere. Quamobrem, discamus ad Dei promissa & minus, tanquam ad anchoram consistere, quæ cum cœli ac stellarum situ nihil habentes rationis, docent nos, non debere nostros animos in ijs esse occupatos.

Atque hæc ipsa causa est, scilicet, quamobrem Deus apud Prophetam suum Esaiã, Aegyptios & Chaldaeos deridet, quæ duæ gentes in eius artis peritiã alias omnes longè latè que superarunt: illis viminum exprobrans, quòd quamuis instructi ac periti, exitium tamen illud, quod eis imminerebat, prouidere non possent: utpote quod ex naturali astrovum cursu non emanaret, sed ex arcano eius consilio. Neque responderi potest, eos tantùm ab eo perstringi, qui se falso Astrologiæ peritiã veditarent. Nam in artem ipsam disertè ac nominatim inuehitur, apertissimè pronuntians, eius quicquid est, nil nisi meram esse vanitatem, siquidem Aegypti regnum alloquens, Vbi nunc, ait, sapientes illi tui? prænuntiant tibi tandem atque presagiant quid in te decreuerit exercituum Dominus. Si vlla vsquam extabat Astrologiæ peritiã, extabat proculdubio in his populis: atqui, Prophetã omnibus quasi indicto bello illudic, qui in ea versabantur: negans eorum esse prouidere quid sit euenturum, sicuti se facturos profitebantur. Sed enim magis disertis significantibusque verbis vititur, cum Babylonem compellat. Discruciasisti (inquit) te multitudinem consiliorum tuorum. Accedat nunc isti tui astrovum interpretes, de cœlo seruent: scrutentur ac describant stellas: & quæ tibi euentura sunt, prænuntient. Ecce stipulæ cõsimiles fient, ardorè que flammæ confligebunt. Chaldaeorum gens, si quæ inquam alia, fuit illa quidem Astrologiæ scientia clare in primis, & nobilis: itaque quicumque sese in istam curiositatem immerferunt, nomen ab ijs mutuati sunt. Atqui, quemadmodum eos Deus damnet & improbet, nos quidem videmus: disertè enim testatur, inclinationes & ruinas imperiorum, ex astris intelligi non posse: ac profitetur, eorum se arrogantiam seuerè & grauitè vlturum, qui hoc ipsum attentare non dubitauerint. His etiam de causis, apud eundem Prophetam affirmat, se hariolorum & coniectorum signa delere, magos ad furorem adigere, sapientes de mente ac sanitate deturbare, denique scientiam illorum infatuare. Non eos temeritatis arguit, qui eius disciplinæ rudes atque imperiti sunt: sed omnia fundamenta, omnes enuntiationes, & ut illi appellant, axiomata funditus euertit: nimirum, illam astrovū considerationem, de qua alio quodam loco commemorat. Quamobrem, Daniel, cum instituisset regis Nabuchadnezer somnium interpretari, in quo Astrologi omnes ne gry quidè quod respõderent excogitare poterāt: non profitetur se alijs magis peritum, aut intelligentem artis, ceteros acumine ingenij & perspicacia superare, sed tanquam res contrarias, illorum scientiam, & arcanam Spiritus Dei significationem opponit. Astrologi, inquit, & coniectores non potuerunt enuntiare tibi mysterium. Est enim Dei, qui in cœlis habitat, res occultas & reconditas patefacere. Ne multa, dubitari certè non potest, quin vniuersa hæc Astrologiæ pars, quæ in coniectura & diuinatione versatur, quàmque isti iudiciariã nomināt, non modò vana atque ad nullam rem vtilis à Deo iudicetur, verum etiam quasi illius honori detrahens, & sibi aliquid in eius maiestatem arrogans, condemnetur ac reprobetur.

Quæ circa, siquidem in illius populum ascribi volumus, audiamus id, cuius apud Hicremiam Prophetam suum nos admonet: nimirum, ne simus Ethnicis similes, qui cæli signa perterriti sunt. Nec me latet per fugium, quod à nonnullis queritur: non ita scilicet esse timenda sydera, quasi quædam illorum esset in homines dominatio, ac principatus: tamen si quædam sit subditiua & tanquam subministra potestas, cuius moderandæ ac regendæ, Deus quasi quædam habenas perpetuò teneat. Nam sine vlla dubitatione, Propheta nos ad Dei providentiam reuocare, eoque animos nostros ab inani sollicitudine dimouere conatur, quæ sese Ethnicis miserandum in modum exercuciabant. Israelitas enim alloquitur, quorum animi, ut se ad istas nugæ adiungerent, Chældæorum & Ægyptiorum exemplo titillabatur. Roget aliquis nostros Genethliacos, unde tandem tota eorum disciplina originem duxerit, quibus mitijs, à quibus authoribus profecta sit: negare profecto non possunt, quin Babylon seminarium quoddam illius, & fons, atque origo fuerit: & quicquid illis hodie superest, id omnia quasi riuulos quosdam ab ipso capite ductos, utque accersitos permanisse. Cum igitur Dominus semel populum suum commonuerit, ne istorum auctores ac magistros sequeretur, rectene faciemus, cum istis fidem adhibebimus?

Profecto, ut nihil aliud sit incommodi, quam quod aduersarum & prosperarum rerum causam syderibus eorumque affectibus assignantes, nostris oculis quasi caliginem offundimus, quæ à cogitatione providentiæ Dei nos arceat: hoc tamen vnum satis superque declarat, rem esse pestiferam, & velis, ut dicatur, remisque fugiendam. Verum hoc etiam accedit mali, quod homines in stellis occupati, & ut quidam appositè dixit, ἀποβῆταί τῶν τιμῶν de sinu in se descendere, & in mores suos suamque vitam inquirere & agnoscere se omnium malorum ferrentem in semetipsis ferre: suamque flagitia esse quasi fomitem, quo ira Dei accedatur: unde bella, fames, pestilentia, grandines, yedines, pruina, cæteraque huiusmodi omnia eueniunt. Præterea, qui prosperitates secundasque res ex astrorum prædictionibus expectant, & ex eorum promissis pendent spem fiduciamque suam omnem à Deo reuocant, signiores redduntur ad eum implorandum, ac si iam id quod expectant, assecuti essent. Nec sum nescius quid, ut hæc cauillentur, altercari soleant. Citant Ptolomæi dictum, quod astrorum significatio-nes non sunt Prætorum edicta: utpote, quæ imperio Dei subiecta sint. Sed hoc quicquid est, inita subductaque ratione, profecto aliud nihil est, quam diuerticula & flexiones querere. Nam si aduersæ res omnes, quas nobis sydera minantur, ex naturæ cursu deducuntur, fieri non potest quin simul in opinionem veniamus, flagitia nostra, causam igitur illarum non esse. Mitto illud absurdum, inter seque confligens, quod in eorum verbis apparet: nimirum, eum ordinem quem Deus ita constituit, ut constans & perpetuus esset, causis interuenientibus inuersum atque immutatum iri: perinde quasi Deus sibi ipse repugnaret. Mihi hoc satis est, si modo Propheta mentem teneamus, quæ huc tantum spectat, ut tanquam res contrarias cõparet rationem illam, & respectum astrorum, quo ducuntur Ethnicis: sibi que persuadent, conditionem suam omnemque totius vitæ suæ statim inde pendere: ac notitiam, qua fideles niti debent, quod scilicet in manu Dei sint, quodque illum sincera conscientia colentes, apud eum gratiosi futuri sunt: eiusque singulari fauore ac benedictione fruituri: tum autem, omnes quibus afficiuntur calamitates & ærumnas, totidem esse in eorum delicta castigationes.

Sed nostris quidem hominibus (Chældæos dico, siue, ut vocantur, Genethliacos) vehementer probabilis illa videtur horum argumentorum dissolutio, cum aiunt, stellas à Propheta, signa nominari. Inde enim effici putant, earum igitur munus in significando consistere. Cuius rei argumentum ac testimonium illud citant, quod capite Geneseos primo scriptum est, eis ob eam causam esse à Deo conditas. Verum enim verò, ut hoc Signorum vocabulum

etiā atque etiā ebulliant, ut omnis istius altercationis firmamentum in eo collocent, quid tandem ad id respondebunt, quod apud Esaiam scriptum est? Dominum omnia hauriorum signa deleturum esse, ac funditus eversurum. Non dubium est, quin eo loco de Astrologis loquatur. Itaque, ut maximè hoc illis demus, neque valde repugnemus, quin signa quaedam ac notas habeant, sed quis tamen Deus evertat ac deleat: quid tum inde effecerint? Ceterum, nimis illa profectò impudens cavillatio est, cum aiunt Icremiam eo ipso oblique quodammodo fateri astrorum quandam esse significationem, quòd ea appelleret Signa. Quis enim nescit, satis vulgatam esse in vitijs reprehendis illam loquendi formam ac figuram: cum ijs utimur verbis ac vocabulis, quibus illi uti inter se solent, quos reprehendere volumus? Scriptura sæpenumero vocat Idola, Deos Gentium. Si quis inde probare vellet idola esse deos, quis non eius rideret amentiam? Hoc igitur perspicuum est, Prophetam commonefacere Iudæos, ne vel turberentur, vel arguantur ob eam Gentium inanis opinionem, quòd stellæ, vel hoc vel illud significent. Sicuti ne nos quidem errores istos hodie reprehendere possumus, nisi si hominum animos in istis significationibus dicamus non esse occupandos. Quod autem ad Mosis verba pertinet, ea profectò dum ad suam istam insulsissimam opinionem rapere ac trahere nituntur, foedissimè flagitiosissimèque dilaniant.

Deus cõdidit stellis, ut sint in signa. Quis negat? Sed in quarum rerum signa nota adum est. Atqui, nemo qui modò sano iudicio sit præditus, nõ intelligit, Mosem hoc ipsum attingere ac notare quod superius de vero & legitimo usu Astrologiæ explicauimus. Si stellæ ideo signa sint, ut nobis serendi tempus, & sanguinis detrahendi, medicinam adhibendi, abscondendi ligna, demonstrent: non tamen eas inde sequitur esse signa, quæ declarent, an vestem novam induere debeamus, negotiari potius Lunæ quàm Martis die, aut Veneris, multaque huiusmodi, quæ nullam cum astris rationem, nullam convenientiam habent. Quemadmodum igitur signa quidè naturalia non negamus, ita hercle præstigias & veneficia ista, quæ diabolus hariolorum operi & ministerio commentus est, omni contentione detestamur.

Quamobrem, nimis profectò impudens atque inuerecunda illa calumnia est, qua nos onerant, dum persuadere nituntur, ordinem à Deo constitutum à nobis everti, cum significandi facultatem astris adimimus: tum verò vel maximè, quòd tam vtilem ac præclarā disciplinam damnamus. Atqui, vno verbo tota ista callida & veteratoria ratio illis excutitur: si modò naturalem Astrologiam ab illa mentita & adulterina, quam nobis Sortilegi pepererunt, distinguamus. Dubium nemini est, quin cognitio illius certi & constantis cursus orbium cœlestium, præterea vis eorum & facultatis, ac si quid est eiusmodi, non solum magnam afferat hominibus utilitatem, verum etiā exsusciet animos, ad augustè magnificèque de Deo sentiendum: eumque propter admirabilem sapientiam quæ in eo genere apparet, honore omni prosequendū. Et si enim nulli adeò rudes sunt, atque à natura tam male informati, quin cum oculos in cælum sustulerint, tantumque ornatum mundi, tantam varietatem, pulchritudinemque rerum cœlestium aspexerint, non vberissimum atque amplissimum argumentum habeant, Deo gloriam & cultum debitum tribuendi: eos tamen qui studium suum in occultis & reconditis naturæ mysterijs indagandis applicarunt, quæ ipsa non ita sunt omnibus expedita, par est multò ad eam rem acriores esse magisque incitatos. Ceterum, inter usum moderatum, ac legitimum, & abusum multum interest. Si quis in laudando vino, ebrietatē etiā laudare vellet, nõne in illum omnes insurgent, quoniam impiè & nefariè Dei munera pollueret? Atqui, idem isti faciunt, qui vtilis & probata cuiusdam artis nomen mutuantur, aut potius suffurantur, ut tam aniles delirationes veritati eius artis, quam profitentur, planè contrarias, inuolucris & quasi velis quibusdam

obtenfant. Et sanè calliditatem istam ab initio anteuerti: testatus me non modo eam artem quæ ab ipso naturali ordine profecta est, non repudiare, verum etiam in pretio habere, & quasi singulare Dei beneficium, in maxima laude ponere. Ob eamque causam, si quando isti nostri Generhliaci suas nobis nugas ebulliant, arcemque (vt dicitur) ex cloaca faciant: propterea quòd sancta & magnifica quædam res est ac salutaris operum Dei contemplatio, cautionem quisque diligenter adhibeat, vt ad rem, & eos cancellos quibus res circumscrip̃ta est, eos reuocet: nec abduci se extra oleam (vt aiunt) illorum ambagibus ac diuerticulis patiat̃ur. Idem enim prorsus faciunt, quod Alchumistæ: qui se longis præfationibus de temperamentis elementorum, de eo cõsensu & conuenientia quam habet̃ inter se, ac similibus rebus, quæ sunt verissimæ & rationi consentaneæ, insinuant. Sed post lōgos & verbosos circuitus, tãdè quam solè venabantur prædã auferunt: & curiosi, nil nisi verba dant. In summa, cùm cæli Dei gloriam nobis enarrare debeat, & hanc mundi fabricam tanquam speculũ esse oporteat, in quo illius omnipotentiam atque infinitam sapientiam contempler̃ur: discamus, vt inde nostram commodum comparemus, intra cancellos contineri: nec modò huc, modò illuc in varios opinionum errores vagari, quæ nos ab eo subducant atque remoueant.

Sed nostri Mathematici, dum omnes latebras persequuntur, illud etiam obijciunt, quòd Iosephus, Moses, & Daniel in Ægyptiorum schola instituti sunt: quòdque hoc ad eorum laudem & commendationem scriptum est, non autem quasi malum ac turpe recensetur. Quibus ego, quòd quidem ad Iosephum pertinet, illud res̃pondeo, eum se quidem coniectorem simulare: sed tamen longè aliter se rem habere: hoc enim aliud nihil esse (sicuti vnicuique perspicuum est) quàm simulationem tantisper temporis causa accommodatam, dum se fratres suos celare vult. Cæterum, cùm famem Ægypto venturã prædicit, an coniecturam ex astris sumit? imò verò, mirabiliter oraculo Dei admonetur. Atqui, Ægyptij nullus cæli plagas non perscrutantur: nullus nõ expiscantur, vt quid sidera significent hariolari possint: & tamen eam famem non modo non comprehendere animo, sed ne suspitione quidem illi possunt attingere: eaque adeò improuiso præter omnium expectationem oppressi fuissent. Ne multa, Deminus eius fanis admonet Pharaonem in sermibus: Iosephus illi quòd sibi à Deo cõmissum est, enuntiat. Quid est in hoc genere vniuerso, quòd eos iuuat, qui hoc, tanquã clypeum, nobis opponũt? Iam, vt ad Mosẽ veniamus, memoriæ quidẽ traditum est, illum in Ægyptiorum sapientia vniuersa institutum esse: sed hocine de superstitionibus intelligitur? Ego verò inter fœdissimas ac stultissimas eorum superstitiones eam numero curiositatem, qua inducti, ex astris hariolari gestiebant. Verũm, vt dubitationem omnem penitus tollamus, videamus num Moses in omnibus suis consilijs atque propositis, ista disciplina vsus est. Cùm Israeliticum populum reducturus esset, quæro, an astrorũ auspicijs eã prouinciam suscepit: an isleem mare rubrũ transgressus sit. Denuque, in omni eo genere, quòd illius opera & ministerio Deus perfecit, quæro, num artis istius placita vnaquam secutus sit. Imo verò ex ore Domini perpetuò pendeat: ad cuius normã ac regulam & se & sua omnia dirigeat: nihil aliud spectans, nisi promissionem in redemptionis tempus collatam: nihil aggrediens, nisi quatenus illi Dei oraculo præscriptum esset. Daniel autẽ disciplina quidem Chaldæorum instructus est. quòd verò nosse quicquam præter naturalem Astrologiam affectavit, id nusquam legimus. Denique, dubitari non potest, quin Deus tam sæpe de hariolis mentionẽ faciens, Ægyptiorũ & Chaldæorum superstitionẽ apertissimè dãnare voluerit: cuius quasi quædam contagione Israeliticus populus infici contaminarique poterat. Itaque, nostri Generhliaci, cùm disciplinæ suæ cõmendandæ causa, istam antiquitatem obijciunt, aliud certè nihil proficiunt, quàm quòd inde perficitur, eorũ artem, eam ipsam curiositatem esse,

quam Deus maiorem in modum improbat: & qua Ecclesie suæ seuerissimè grauis-  
simèque interdixit. Vt cunque sit, illud certè satis constat, pios & sanctos Patriar-  
chas, magna ab istis affici iniuria, cum eos falso in suum numerū ascribere conātur.

Inuant se præterea verbis Christi, cum ait fore signa in cælo, quæ diem  
aduētus sui postremi prænuntient. Enimuerò nobis genus hoc hominū ex iure manus  
confertum vocandum est: qui tam temerè in alienas possessiones irruerint. Nā quòd  
quidem ad Scripturæ sacræ studium attinet, profectò noui hospites nihil dum in hac  
regione quæsiuerunt. Nisi si fortasse fistibus etiam expellendi sunt, quòd illotis pe-  
ditibus in hoc tantum sacrarium ingressi sint. Porro, tantum abest, ut is locus eorum  
amenità suffragetur, ut etiam in eos ipsos retorqueri possit. Etenim Dominus no-  
ster Iesus Christus non agit eo loco de vlla syderum affectione, quæ ex naturæ sta-  
ro & ordinario cursu eueniat: imo verò de euentu quodam extraordinario, cuius  
prorsus nihil est simile, & cum illo conueniens. Quin ipsi quoque Prophetæ, cum  
ira Dei quàm horribilis & formidolosa futura sit, exprimere conantur, hoc i-  
psum dicendi genus usurpant: Solem scilicet obscuratum iri, Lunamque nullum lu-  
men habituram: id quod non ad eum tamen euenisse modum satis constat, ut ocu-  
lis, ut dicitur, appareret, quoties Deus Ecclesiam suam castigauit. Tamen si hoc ex-  
tremo tempore, quod rebus vniuersis tanquam fastigium imponet, signa quedam  
& portenta de quibus ibi commemorat, ex motibus & respectu astrorum intelli-  
gi non posse constat: quippe quæ Deus propriè & peculiaritèr ad eam rem accommo-  
daturus est: præterea, quæ motum atque ordinem illum communem immutabunt, in  
quo nostri Chalædi fingunt se artis suæ robur ac firmamentum omne collocare.  
Idem etiam de stella dicendum est, quæ Magos ex Oriente duxit. Valde enim  
ridiculi sunt & inepti, qui naturæ ordini tribuunt, quod Scriptura in prodigio  
atque inusitato quodam ac mirabili casu posuit. An cum artis istius doctrina con-  
sentaneum esse affirmabunt, stellam obortam perrexisse versus Iudæam, inde rectà  
in Hierosolymam, ibidem euanuisse, mox se rursus eduxisse, traiecissee in Bethlehem,  
& postremo supra domum quandam, indicandæ illius causa, constrissee? quòdque  
etiam amplius quiddam est, tanquam dimenso itinere ex eorum hominum, quibus  
quasi facem præferebat, aquis spatijs & partibus procedere? Quamlibet scrutentur  
cælos, quamlibet omnes syderum cursus, motus, traiectiones obseruent, nihil pro-  
fectò reperient, præter stellas certis in fixis sedibus: & sydera cælo inherentia. Hæc  
igitur supra naturam esse necesse est, ac proinde supra vniuersam Astrologiæ sci-  
entiam. Iam verò, quid est absurdius, quàm singulare priuilegium ad legem  
generalem extendere? Quis istam eorum impudentiam non videat, atque e-  
tiam derideat, cum argumentationem concludunt isto modo? Deus extra naturam  
usitatum ordinem mirabiliter stellam induxit, quæ Magis Filium suum adoraturis  
præluceret: cique progressionem ad eorum rationem moderatus est, quæ neque  
vniuersis cælorum motibus, neque stellarum cursibus conueniret. Ex quo efficitur,  
stellis ac syderibus notari, quæ cuiusque conduio & fortuna futura sit: eorumque  
vi atque affectione vitam cuiusque vniuersam gubernari. Non est opus vllò acumi-  
ne ingenij ad hanc tantam refellendam amentiam. Quæ etiam ut aliud nihil sit  
argumenti, nemo tamen nō videt quàm ea fundamenta firma sint, quibus innitun-

tur. Verum, ut eò magis impietas quæ hic, tanquam venenum in serpentis cauda, delitefcit, ab omnibus cognoscatur, commodissimum est vnumquenque bonum admonere, nullo eos pudore ac verecundia teneri, quin omnem religionem Christianam, non minus quàm humana corpora, stellarum ac syderum imperio subijciant: ac rationem adducant, quæ sit, ut Mahometi Alcoranus maius atque amplius imperium habeat, quàm Euangelium Filij Dei: alterum enim benignius, alterum iniquius affecto cælo procedere. Quæ tandem ista verborum est immanitas? Euangelium, sceptrum Dei est, quo nobis imperat atque dominatur: illius dextræ virtus atq; potentia, quam ad salutem omnium fidelium porrigit, ut Paulus scribit: illius constans & perpetua veritas, cui se omnes Angeli ac spiritus cœlestes humiliter debent submittere: Spiritus sanctus illud promouet, amplificat, nervos illi ac robur subministrat, victoriam aduersus omnem & Sathanæ & omnium mortalium contumaciam ei tribuit. Et isti fanatici affirmabunt, nescio quod orbis signiferi sigillū, & vim & autoritatē illi tribuere. Atqui, Mahometi seclia, quæ admodū ex Scriptura intelligi potest, iustissima Dei ultio est, quæ genus humanū propter ingratitude suam plechitur. Isti tamen reclamant, atque affirmant, ita affectis syderibus promoueri. Quid verbis opus est? Tangere manu propemodum istorum impietatē videmur. Quid enim est clarius, quàm eos omnes, qui tales ac tantas deliraciones defendunt, de Deo & religione nihilo magis cogitare, quàm ipsas pecudes ac belluas, omni diritate atque immanitate efferatas?

Sed isti, quasi canes famelici, ut quiduis carpant ac vellicent, ad Solis & Lunæ defecciones, easque stellas quas Græci Cometæ, Latini Cincinnatæ vocant, confugiunt. Affirmant igitur, quod si quæ in illis insit significatio, idem etiam de cæteris syderibus existimari potest. Ego verò quod quidē ad defecciones attinet, respondeo, nullā in ijs inesse significationē, si modò naturales sunt: id est, naturæ ordini perpetuo atq; vsuato consentaneæ, nisi fortè eorum, quæ ab illis generantur: ventorum scilicet, ac pluuiarū, & turbinum, cæterarūmq; tepestatum: quæ admodum iam antè dictum à nobis est. Sed posse ab illis earum rerum coniecturam duci, quæ vel regnis, vel imperijs, adeo que priuatis quibusque hominibus euenturæ sunt, hoc verò arbitrari, hominum est pueriliter atque imperitè iudicium. Scitè enim Pericles quamquam nō Philosophi sed Imperatoris officio fungens: cum, vnà cum exercitu, nauim instructam atque ornatam ascendisset, subitoque Luna Soli obiecta radios eius & lumen obscurasset, & Nauarchus cæterique Athenienses omnes summo timore cōmouerentur, pallio suo Nauarchi caput obuoluit: quæsiuitque ab eo, num id rarum illi ac prodigiosum videretur: quod cum negasset: Quid tu igitur? inquit. An putas quicquam inter hoc & illud interesse, nisi quod maius quiddā est pallio, quod nunc tenebras offundit? Simile quiddam in Romanorū exercitu de Lunæ defectione proditum est. Nam C. Sulpitius Gallus, Trib. militum, ne quis ea re quasi auspicio malo perterreretur, Consul permissu ad concionem militibus vocatis, pronuntiavit, nocte proximā, hora secunda, vsque ad quartam horam noctis, Lunā defeclurā esse: quod cum euenit, Macedones, ut triste prodigiū, occasum regni perniciemque genis portendens, commouit. Alia præterea commemorare possem penè innumeralibilia: quibus intelligi debet, veram Astrologiā eam superstitionē tollere, quæ iam isti planè deliri atque amentes homines reducere conantur. Quod autem ad eas attinet defecciones, quæ contra communem naturæ ordinem mirabiliter eueniunt,

curus-



cuiusmodi extitit illa Solis defectio, quæ sub mortem Domini nostri Iesu Christi contigit: in ijs fateor equidem non deesse quandam, eamque magnam significationem: sed tantum abest ut cum nostris hariolis faciat, ut potius illis os obturer. Nam si quiddam inusitatum atque extraordinarium mirabiliter accidere necesse est, ut quaedam insit significatio, quo tandem modo talem vim ac facultatem in communi atque usitato ordine reperient? Similiter ferè de Cometis sentiendum est: tamen si non idem planè. Verùm, vicunque se res habeat, illæ certè nihil aliud sunt, quàm ardores quidam, qui nõ statis tēporibus, sed prout Deo visum est, procreantur. In quo ipso clarè perspicitur, quantū inter Cometas & stellis intersit: quippe cūm Cometa causis interueniētibus procreentur. Neque tamē ideo assentior, significationē illarū ratam ac certā esse: id quod etiam vsus frequēs sæp. numero docuit. Nā si Cometes apparuit, & post aliquantum temporis princeps aliquis excedat è vita, affirmabunt ei diem à Cometa dictum esse: sin nullius primarij viri obitus consequatur, tacent, sine vlla notatione dimittunt. Quod etsi proculdubio ita se habeat, non tamen equidem inficior, quin Deus, cūm marum suam porrigit ut iudicium ali quod memorabile statuatur hominibus, id nobis aliquanto antiè per Cometas prænuntiet. Verùm hoc cine eorum opinioni suffragatur, qui & homines, & hominum conditionem pendere ab astrorum affectibus existimant?

Reliquum est ut ad ea exempla respondeam, quæ nobis obijciunt: quæ ipsa sanè videntur exacti. artis illorum cōfirmationem præferre. Est autē ex ijs ipsis vniuers quoddam singulare, & ad cuius narrationem multorum animi propemodum obstupescunt: nimirum eius Ascleptarionis mathematici, qui Domitianum aliquanto antiè interfectum iri nuntiauit. Cūm enim Domitianus vehementer in illum offensus, eum ad se accersitum interrogaret, quis ipsum maneret exitus: respondit, ut breui post tempore discerperetur à canibus. Domitianus extēpiò rogum accendi, cremari hominem & accuratissimè sepelire insit. Interea, ecce repentina tēpestate diruto funere, semiustum cadauer canes dilaniant. Aliquanto post Domitianus interficitur. Quod autem de Iulio Casare & Spurina mathematico commemorant, non ita prorsus mirabile videri posset: sed tamen non multò minus. Nam cūm Casarem immolantem Spurina monuisset, ut caueret periculū, quod non vltra idus Martias proferretur: Idusque tamen sine vlla noxa aduenissent, ob eamque causam à Casare videretur. Atqui, inquit, venerūt illa quidē, sed tamen nõ præterierunt. Itaque eo ipso die Casar in Senatu interfectus est. Ita, nostri Chaldæi sese arbitrātur sine vlla cuiusquā dissensione causam suā obtinuisse: ac proinde dubitari nõ posse, quin eorum disciplina magnopere certa sit. Verū, ego libenter ab eorum quopiā quæserim, an eo ipso die, eoque ipso tēporis momento, quo Iulius Casar natus est, alium præterea nullū existimant, aut Romæ, aut in tota Italia natū esse. Profecio verisimile est fuisse nõ paucos, qui eadem cæli affectione primum spiritū duxerint, ac simul in vitā ingressi sint, quod ipsum etiam de Domitiano dicimus. Verū, eone omnes vno die eodēque mortis genere extincti sunt? Imo verò, quæadmodum eadē natalitia sydera nõ omnes peperere Casares, ita hercle non idē mortis genus omnibus inuenerūt. Ex quibus certè manifestò constat, nullā neque rationis, neque veritatis speciem istis Chaldeorum prædictis cōtineri. Nam si quid in ijs verum ac certum inesset, id est, vlla artis ratione constarent, non dubium est, quin in omnes quæ valerent. Atqui triginta aut plus eo vno eodēque astro nascetur: cūm tamē alius

anno etatis vicesimo, alius quinquagesimo morietur: alium febris extinguet, alius in praelio occidet. Præterea singuli suam habent vitæ distinctam ab alijs conditionem. Quid? si sua cuique essent sydera natalitia, ex quibus quid cuique euenturū esset, posset intelligi, visque aliqua inesset in cœli ac stellarum situs ratione, nonne parem omnibus ac similem vitæ mortisque conditionem afferret? Eodémque prorsus modo per facile est id quod de Augusto citant, refellere: qui cum audisset ex Theogene, sydere suo natalitio sibi Romanum imperium portendi, tantam mox facti fiduciam habuit, ut thema suum vulgauerit: numumque argenteum nota syderis Capricorni, quo natus est, percusserit. Cui tandem dubium est, quin eodem astro innumeri abiecta cōtemptaque fortuna nati sint, quorum alius subulci, alius armētorum pastoris officium, & tamen similiter affecto cœlo fecerit? Enimvero si cœli ac stellarum affectus, omnibus qui eodem quo Augustus temporis puncto nati sunt, Romanum imperium impertisset, parua, me hercle, eius imperij portio ad Augustum peruenisset. Quamobrem illud equidem affirmare non dubito, ista Chaldæorum aliorumque coniectorum prædicta, nulla recta ratione, nulla artis cuiusquam scientia constituisse: ob eamque causam,

- incerta hæc si quis postulet

Ratione certa facere, nihilo plus acturum,

Quam si det operam ut cum ratione insaniat.

Quod si obijciant, ex euentis tamen veritatem apparere: responsio parata est. Non enim ideo sequitur, artem esse legitimam ac probandam. Atqui nos id vnum contendimus, impiam scilicet atque improbatam esse hanc totam à Deo curiositatem: non autem querimus, an harioli casu aliquo & fortuna, vera interdum prædixerint. Etsi enim quodcumque à Sathana profectum est, nil nisi merum mendaciū est, meræque præstigiæ: Deus tamē nonnunquam impostores permittit vera dicere: si quādo videlicet impiorū perfidiam vltaisci statuit isto modo. Atque ut horū vtriusque exemplum in illa Samuclis pythoniſſa sumamus, id quod Sauli ab ea prædictū est, omnino illud quidem euenit. Eōne igitur illam affirmabimus certam ac ratione constantem scientiam calluisse, qua futura prædiceret? minimè verò. Deus enim iusto iudicio Sathanam in regem impium inuadere, eumque fallere permisit: quādo quidem id rex fuerat promeritus. Absurdum est igitur propterea existimare, Christianis ea uti licere ratione, quod vera pythoniſſa nuntiauerit. Neque enim Deus ad hūc modum vult ea nos rescire, quorū nos certiores fieri nostra interest. Atque huius quidem certam ac generalem regulam habemus, Deuterono. capite 13. vbi si quis Propheta quidpiam prædixerit, idque tandem euenit, eōque nos velit ad cultum deorum alienorum abducere, grauitè affirmat, eum prophetam non esse audiendum: quoniam Deus tentat nos & explorat, num eum ex animo diligamus. Nos verbum hoc diligenter notemus, momentōque suo ponderemus, quod quemuis prætextum, quamuis veri speciem ex res habeant quæ sunt Deo contrariæ, quāsque ipse verbo suo improbat, atque repudiat: ij tamen qui cum sincera conscientia verſantur, ab illis abstinere poterunt: solos enim infideles atque hypocritas in fraudem inducent: quoniam quidem (ut Paulus scribit) æquissimum est, eos qui lucem sequi noluerunt, in tetrīs tenebris & caligine versari. Denique, tantundem ea, quæ istis mathematicis vera dixisse contigit, æstimo, quantum ea falsa prodigia, quibus Pharaonis Magi cum Mose decertarunt: & quibus Christus prædixit fore, ut

humanum genus in errorem impellatur.

Iam, quemadmodum horribiles quidam sunt mæandri, & quibus exitus inueniri nō potest, stultitiæ & superstitiones quibus sese homines implicant, posteaquam semel curiositati suæ fræna laxarunt, multi futiles & leuiculi qui animum ad Astrologicam diuinationem applicarunt, sese multò profundius immergunt: nimirum, in omne diuinationis genus. Neque enim vllæ sunt Sathanæ præstigiæ, quæ illis non arrideant, posteaquã semel vnus cuiusdam illecebris & lenocinio allecti sunt. Quòque suam diabolicam superstitionem probabiliorem reddant, nomen Solomonis quasi velũ quoddã ei obtendunt: ac si Solomō sortilegus fuisset. Atqui, mentione quidem facit Scriptura cognitionis eius quum de reconditissimâ naturæ mysterijs habuit: sed eum tamen neque diuinantem, neque hariolum appellat. Et sanè, nota est omnibus ac perspecta generalis condemnatio, quam in eos omnes Moses pronuntiat, qui se harum rerũ studio immiscent. Præsertim Deute. capite decimo octauo, vbi inquit: Ne quis inueniatur inter vos diuinã qui diuinet, neque dierum obseruã, neque augur, nec magus, nec incãtator qui incãtet, nec consulens pytho-nem, nec sortilegus, nec mortuos interrogans. Abominatur enim Dominus quicumque ista facit: & ob hæc ipsa flagitia delcuit populos qui hanc regionẽ incolebant. Meminerimus semper eius doctrinæ quam superius attigimus: nempe, cum Deus Ægyptios damnauit, eo ipso populum suum ab omnibus eorum moribus atque institutis reuocare: ac proinde Astrologiã omnem iudiciariam cõdemnare, quæ verè atque legitima scientiæ terminos egreditur, cum ad istam diuinãdi rationẽ traducitur: omnemque ad eò magiã, quatenus hoc vocabulo reconditarũ rerũ cognitio cõprehenditur, quæ per incantationes, aut spectra, aut alia generis eiusdẽ exquiritur. Obseruemus etiam, Deũ non contentum vno nomine illos appellasse, quoniam hominum ingenia, quasi in lubrico versentur, facile in omnia vanitatum genera labi possunt: vt omnem subterfugendi occasionem tolleret, singulas species enumerare atque recensere, quæ per id tẽporis notæ erant: quin etiã quibusdam vt i verbis, quæ in honore & pretio habebãtur: veluti Chosseni, quo significantur vates: & nonnumquam ad Prophetas transfertur, qui ea vaniuntur quæ adhuc occulta & obscura sunt. Itẽ Hober, quod à cõiungendo deducitur: Is, inquit, qui cõnectit aut cõciliat coniunctiones: Astrologos proculdubio significã, qui transfuersa & obliqua sidera in coniunctionem reducant, vt quasi sibi inuicem annuant. Item, Iidoni, quod Sci-entes & intelligentes significat: quemadmodum videmus ita nugas istas ab ijs prædicari, quasi alia præterea nulla scientia vsquam exeret. Interea videmus quid de ijs Dominus pronũtiet, & quam horribiles pœnas minetur, quæ certè ijs omnibus debet horrore incutere, qui eũ ex animo metuũt. Quòd si omne diuinãdi genus ita reijciatur, quid de ijs sentiendũ est, qui pythones de rebus occultis cõsulant? Hoc enim nemo nō videt sortilegiũ esse manifestissimũ. Atqui, nōnulli ad eò sunt (vt diximus) impudẽs, vt suos orbes aliãque præterea incãtationes Solomoni acceptas ferre nō vereãtur. Quinetiam affirmant, cum Spirituũ partes sint ministrare fidelibus, non esse improbandum, si quis vt sibi inferuiant, eos adiuret. Verum, quã tandẽ fide freti, ministeriũ ab ijs sperant, cum id contra manifestã Dei voluntatẽ exigant? Etenim tãtum abest, vt nobis istis vt i arcanis adiurationibus liceat, quibus Angelos in colloquium nostrum eliciamus, vt in superstitione nefaria ponendum sit, si quis eos quoquo modo inuocet. Præterea, quis illis Diabolos mancipauit aut locauit,

ut eorum ministerijs utantur? Nam filij quidem Dei eos habet pro capitalibus hostibus, eosque fugere atque auersari debent: nedum aliquam cum ijs consuetudinē affectare. Itaque qui imperare illis volent, profectō ad extremum intelligent se leonem (ut dicitur) tondere, id est, dominis suis illudere. Hoc igitur secundum ea quae Dominus pronuntiat, concludamus, omnem diuinationem immane & execrandū esse sacrilegium: quippe, cum quoad facere potest grauissimē, contumaciam aduersus verbum suum condemnans, eam quā diuinationi, quā idololatriæ comparet.

Quocirca non sine grauissimis iustissimisque causis, ciuiles leges Mathematicos tam valde & tam saepe condemnant. Extat autem ea de re Constantij & Iuliani ad populum constitutio in Codice, his verbis: Nemo haruspicem consulat, aut mathematicum, nemo hariolum. Augurum & vatum praua confessio conticescat. Chaldaei ac magi, & ceteri, quos Maleficos ob facinorū magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuō diuinandi curiositas. Etenim supplicio capitis ferietur, gladio vltore prostratus, quicūque nostris iussis obsequiū denegauerit. Verba haec illorū sunt ōnia. Neque ij audiendi sunt qui haec ideo cōstitutā esse affirmant, vel quia impostores arte abusi sunt, vel quia odiosum fuit imperitis Magorū nomē. Nō fuit Vlpianus imperitus aut rerum ignarus, qui disertē respōdit, boni & innocentis viri officio eum fungi, qui cum arbiter familiae heriscūdae inuenerit in hereditate libros improbatæ lectionis, magicos forte vel similes (his enim ipsis verbis utitur) eos corrūpat. Sed quid haec nos testimonia persequimur? Extat ipsius Dei lex, quam tāquam iudex Israeliticae politicae statuit, ut & huius criminis authores, & omnes ei crimini affines, extremo supplicio damnetur. Quāquam, ut fingamus rē esse ab hominibus permissam, cum eam Deus adedē detestetur, quā ista tandē amentia est, velle cum religione Christiāna eam coniungere? quasi quis cum luce tenebras conciliet. Et certē mirum est, quōd Ephesi, qui prius ad istas inanisimas curiositates animū adiunxerant, simulatque ad Christi religionem adducti sunt, libros omnes suos exusserūt, quemadmodum Lucas in Actis testatur: nunc verō quidam sunt adedē peruersi ac praeposteri, ut Christi cognitio nihil illis aliud prodesse videatur, quā ut illorum desyderij igniculum accendat ad omnes futiles vanitates vndique conquirendas. Hoc certē nimis ingens discrimen est: cum alij simulatque doctrinam Euangelij degustarunt, omnes diuinationes repudiant, in quibus totius ferē vitae suae tempus contriuerant: alij ob eam ipsam causam quōd veritatem Dei cognouerint, quasi quodam stimulo ad hoc ipsum studium incitantur: quanuis quid illud sit nunquam antea audierant: cum ij de quibus Lucas commemorat, libros combusserint, quorum pretium denariū quinquaginta millium aestimaretur: isti verō inanisima quadam opinione quam animo finxerūt, infatuati, omnes suas opes in hoc studium impendant. Quinetiam obseruandū est, quōd Lucas non dicit artes quasdam impias & diabolicas fuisse, sed eas *magicae* nominat: quo vanae & futiles curiositates significantur: tamen si erant illae quidem omnino improbae, atque vitiosae: sed ut omnem illis tergiuersandi occasionē rescinderet, qui diuerticula tantū & flexiones quaerunt: ut nostri Mathematici, qui eō Simone Mago magistro atque authore suo deteriores sunt, quōd is potētiam Christi animaduertens, ita propemodum obstupescit, ut praeter illa suā omnē artē floccifaciat, & quāuis adedē miser sit ac perditus, ut Spiritus sancti gratiā velit pecuniā cōparare, agnoscat tamē potentiā Filij Dei eā omnē scientiā obscurare, ac penitus obrue

re, qua sese antea pradiū existimabat. Isti à Deo illuminati, ut veritatē illius agnoscant, oculos deflectunt, & in funestissimas tenebras conijciunt: maluntque in suis mendacijs caligare, quàm frui luce cœlesti, in qua & vita & salus omnis nostra posita est. Ecquid igitur aduersus tanta mala remediū? nimirum, si eam sobrietatem quam nobis diuus Paulus commendat, adhibeamus tanquam frænum, quo in sincera Dei obedientia teneamur. Quod ut fiat, studiosè quisque det operam, ut hunc inæstimabilem Euangelij thesaurum in bona conscientia, quasi in sancta & fida custodia conseruet. Non enim dubium est, quin tumor Domini, quam optima munitio sit, quæ nos aduersus omnes errores tueatur. Itaque teneamus omnes hæc vniuersalem regulam, ut & corpora & animas nostras sanctificemus Deo: eumque ex animo colamus. Deinde, videat quisque quam provinciã suscepit, quam spartam nactus sit, ut eam, quoad eius facere poterit, exornet. Homines literati ad optima & vtilissima studia animum adiungant, futiles & inanes curiositates, quæ ad nullam aliam rem sunt vtilis, quàm ut stultorum ingenia detineant, fugiant atque auersentur. Tenues & cui amplissimæ fortunæ sunt, ignari & eruditione præditi cogitēt nos non ad res inutiles esse natos: sed totius nostræ industria, operæ & laboris hunc finem esse, ut & nos & alios in timore Dei edificemus. Et sanè, si quis paulò attentius consideret id quod res est: quales tandem isti sunt, qui hanc erraticam Astrologiam nobis afferunt? nisi vel homines temerarij, vel summa futilitate, atque leuitate præditi, vel otiosi, qui neque quam secentur voluptatem, neque qua de re in circulis & conuiujs garriant, satis norunt: cuiusmodi sunt Prothonotarij quidam delicati, affectatores muliercularum: alijsque præterea urbani, mundi, elegantes, aulici: non quò scientiam vllam eius affectu sint (si modò in re tam stolidi, & futili vlla scientia est) nam illis satis est eam primoribus labris gustasse, & extremis, ut dicitur, digitis attigisse: tamen si multos interea fraudibus suis incautos irretiant. Ob eamque causam admonui superius, in rebus solidis consistendum esse: nam qui in primis inducet animum Deum timere, eiuſque voluntatem explorare, seipſe quàm maximè ad ea quæ nobis Scriptura tradita sunt, exercens. secundo loco, animum ad ea quæ ad suum officium pertinent adiunget, ut certè ad res frugiferas & vtilis atque salutare: nullum vacuum tempus habeat in aerem auolandi, ut passim per nubes uagetur, neque cœlum, ut dicitur, neque terram attingens. Nec sum nescius eos nõ commissuros, ut sine altercatione discedant: alterum enim alteri non repugnare affirmabunt. Cui breuiter respondeo, nullam probabilem ac frugiferam disciplinam cum Dei timore dissentire, aut cum ea doctrina quam nobis tradidit, ut nos ad vitam æternam perducatur: modò ne quid agamus præposterè: id est, eam prudentiam adhibeamus, ut & liberalibus & sordidis vel mœchanicis artibus, quasi per transfennam prætereuntes, ut amur: interea velis remisque, ut dicitur, ad regnum cœleste contendentes. Est autem hæc ipsa de qua agimus curiositas non modò superuacanea, & ad nullam rem vtilis, verum etiam exitiosa, & quæ nos cum ab ea fiducia, quam in Deum habere debemus, & ab omni cogitatione quam vult nos de sua iustitia, iudicio & misericordia sciſcipere, tum verò ab omni officij genere, quod proximis nostris tribuendum est, longè latèque reuocat.

F I N I S.

CONSENSIO MUTUA IN RE SACRAMENTARIA Ministrorum Tigurinae Ecclesiae, & D. Ioannis Caluini Ministri Geneuensis Ecclesiae, iam nunc ab ipsis auctoribus edita.

I. COR. I.

Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idem loquamini, & non sint inter vos dissidia: sed sitis integrum corpus, eadem mente, & eadem sententia.

ORNATISSIMIS VIRIS ET FIDELIBVS CHRISTI  
seruis, Tigurinae Ecclesiae Pastoribus & Doctoribus, charissimis  
Symmictis, & obseruandis fratribus, Ioannes  
Caluinus S.



**T**ametsi eadem saepius de re vobiscum ago, non tamen puto mihi timendum esse, ut importunus esse videar. Quando idem vtriusque iudicium est, fieri non potest, quin vobis probetur quod ago. Quod autem paulò acrius in isto, huc me assidua bonorum virorum flagitationes stimulant. Iam aliquoties monui, leui de causa, non tamen sine praetextu offendi permultos, quòd diuersum à vobis, nescio quid, tradere videar. Vestram Ecclesiam, quæ tot præclaris dotibus ornata est, merito reuerentur: nostræ quoque, & mihi forsitan priuatim, aliquid deferunt. Ita cupiunt scriptis nostris, in discenda pietatis doctrina, adiuuari, ne qua dissensionis species, eorum progressus morctur. Huic offensioni tollendæ quum nullum putarem aptius fore remedium, quàm si familiari colloquio, rationem communiter iniremus testandæ consensionis, hac de causa profectionem, ut scitis, ad vos suscepi: & venerandus collega noster Gulielmus Farellus, (vix est indefessus Christi miles) qui mihi dux alioqui & auctor erat, comitem se adiungere non recusauit. Ut inter nos conueniat, testari quidem verè ac fideliter vtriusque possumus: sed quia rem, ut est, non omnibus persuadeo, mihi plurimum dolet, anxios vel suspensos manere, quorum tranquillitati, melius consultum optarem. Proinde, ut initio præfatus sum, nihil intemptiuum me facere arbitror, si urgeo, ut publicum aliquod eius quæ inter nos constat, consensionis, testimonium extet.

Ego verò capita, de quibus inter nos contulimus, & breuiter colligere, & ordine digerere, operæ pretium esse existimaui: ut, si vobis meum consilium probabitur, cuius, velut in tabula cernere liceat, quid inter nos, & actum, & transactum fuerit. Certè bona fide me ex sermonibus nostris retulisse, quæcunque subiciam, vos mihi testes fore confido. Nos verò (me & Farellum dico) pari vobiscum studio, synceram omnique furo & astutia vacuam perspicuitatem quaesivisse, p̄ lectores, ut spero, animaduertent. Quamquam simul admonitos esse velim, nihil lic

contineri, quod non collegæ etiam nostri, quotquot vel sub Reipublicæ Geneuensis ditione, vel in Comitatu Neocomensi Christo seruiunt, sua subscriptione approbauerint. Valete præstantissimi viri, & mihi ex animo verè colendi fratres. Dominus vos Spiritu suo regere pergat, in Ecclesiæ suæ adificationem, vestrisque laboribus benedicat. Genevæ, Calendis August. Anno Domini M. D. XLI X.

CONSENSIONIS CAPITULA.



**Q**UUM CHRISTVS sit finis Legis, & eius agnitio totam in se Euangelij summam comprehendat: non dubium est, quin huc spectet totum spirituale Ecclesiæ regimen, vt ad Christum nos ducat. Sicuti per eum solum ad Deum peruenitur, qui vltimus est beatæ vitæ finis. Itaque quisquis hinc vel minimum defleuet, nunquam de vllis Dei institutis, ritè vel appositè loquetur.

Totum Ecclesiæ regimen spirituale ad Christum nos ducit.

Quum autem Sacramenta, Euangelij sint appendices, is demum, & aptè, & vtiliter de eorum natura, vi, officio & fructu differet, qui à Christo exordietur. Neque id modò, vt obiter Christi nomen attingat, sed vt verè teneat, quorsum nobis datus sit à Patre, & quid nobis bonorum attulerit.

Sacramentorum agnitio vera, ex agnitione Christi.

Sic ergo habendum est, Christum, quum aternus esset Dei Filius, eiusdem cum Patre essentia & gloria, induisse carnem nostram, vt iure adoptionis, id quod naturâ proprium habebat, nobis communicaret: nempe, vt simus filij Dei: quod fit, dum fide inserti in corpus Christi, idque Spiritus sancti virtute, primùm iusti censemur grauita iustitiæ imputatione: deinde regeneramur in nouam vitam: quò reformati in imaginem Patris cælestis, veteri homini renuntiamus.

Cognitio Christi qualis.

Ita Christus in carne sua consyderandus est nobis Sacerdos, qui peccata nostra, vnico mortis suæ sacrificio, expiauit: qui omnes nostras iniquitates deleuit, sua obedientia: qui nobis perfectam iustitiam comparauit: qui nunc intercedit pro nobis, vt accessus nobis ad Deum pateat. Consyderandus est tanquam victima expiatrix, qua placatus est Deus mundo. Consyderandus est frater, qui nos ex miseris Adæ filijs, efficit beatos Dei filios. Consyderandus est reparator, qui Spiritus sui virtute reformat quicquid in nobis est vitiosum, vt mundo viuere desinamus & carni, ac Deus ipse in nobis viuat. Consyderandus est Rex, qui omni bonorum genere nos dicit: qui nos gubernat sua virtute, ac tuetur: qui nos spiritualibus armis instruit: qui nos ab omni noxa liberat: qui oris sui sceptro nos moderatur ac regit. Atque ita consyderandus, vt ad se Deum verum, & ad Patrem nos euehat: donec impleatur illud, quod tandem futurum est: nempe, vt sit Deus omnia in omnibus.

Christus Sacerdos

Christus Rex.

Porro, vt se nobis talem exhibeat Christus, ac eiusmodi effectus in nobis proferat, vnum cum ipso nos effici, & in eius corpus coaliscere nos oportet. Qui non aliter vitam in nos suam diffundit, nisi dum caput nostrum est: ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam subministratiõis, secundum operationem, in mensura cuiusque membri augmentum corporis faciat.

Quomodo Christus se nobis comuni- cecit.

*Hæc spiritualis est communicatio, quam habemus cum Filio Dei: dum Spiritu suo in nobis habitans, facit credentes omnes, omnium quæ in se resident, bonorum compotes.*

*Cuius testificandæ causâ, tam Euangelij prædicatio instituta, quàm Sacramentorum usus nobis commendatus: nempe, sacri Baptismi, & sacræ Cœnæ.*

*Sunt quidem & hi Sacramentorum fines, ut notæ sint ac tessere, Christianitatis & societatis, siue fraternitatis, ut sint ad gratiarum actionem incitantia, & exercitia fidei, ac piæ vitæ: denique, syngraphæ ad id obligantes. Sed hic vnus inter alios præcipuus, ut per ea nobis gratiam suam testetur Deus, repræsentet, atque obfignet. Nam etsi nihil aliud significant, quàm quod verbo ipso annuntiat, hoc tamen magnum est, subijci oculis nostris quasi viuas imagines, quæ sensus nostros melius afficiant, quasi in rem ducendo: dum nobis Christi mortem, omniâque eius beneficia in memoriam reuocant, ut fides magis exerceatur: deinde quod ore Dei pronuntiatum erat, quasi sigillis confirmari & sanciri.*

*Quum autem vera sint, quæ nobis Dominus dedit gratiæ suæ testimonia & sigilla, verè proculdubio præstat ipse intus suo Spiritu, quod oculis & alijs sensibus figurant Sacramenta: hoc est, ut potiamur Christo, tanquam bonorum omnium fonte: tum ut beneficio mortis eius reconciliemur Deo: spiritu renouemur in vitâ sanctitatem, iustitiam denique & salutem consequamur, simulque pro his beneficijs olim in cruce exhibitis, & quæ quotidie fide percipimus, gratias agamus.*

*Quare, etsi distinguimus, ut par est, inter signa & res signatas: tamen non disjungimus à signis veritatem: quin omnes, qui fide amplectuntur illic oblatas promissiones, Christum spiritualiter, cum spiritualibus eius donis recipere, adeoque & qui dudum participes facti erant Christi, communionem illam continuare & reparare fateamur.*

*Neque enim ad signa nuda, sed potius ad promissionem quæ illic annexa est, respicere conuenit. Quatenus ergo in promissione illic oblata proficiat nostra fides, eatenus ista vis, & efficacia quam dicimus, se exeret. Ita materia aquæ, panis aut vini, Christum nequaquam nobis offert, nec spiritualium eius donorum compotes nos facit: sed promissio magis spectanda est: cuius partes sunt, nos reâ fidei via ad Christum ducere, quæ fides nos Christi participes facit.*

*Hinc concidit eorum error, qui in elementis obstupescunt, & illic affigunt salutis suæ fiduciam. Quum Sacramenta à Christo separata nihil sint quàm inanes larvæ: & in ipsis omnibus hæc vox clarè personet, non alibi quàm in solo Christo hærendum, nec aliunde petendam esse salutis gratiam.*

*Præterea, siquid boni nobis per Sacramenta confertur, id non fit propria eorum virtute, etiam si promissionem, qua insigniuntur, comprehendas. Deus enim solus est, qui Spiritu suo agit. Et quod Sacramentorum ministerio utitur, in eo neque vim illis suam infundit, neque Spiritus sui efficaciam quicquam derogat: sed pro ruditatis nostræ captu, ea tanquam adminicula sic adhibet, ut tota agendi facultas maneat apud ipsum solum.*

*Itaque, quemadmodum Paulus admonet, eum qui plantat aut rigat, nihil esse: sed vnum Deum qui dat incrementum: ita & de Sacramentis dicendum est, ea nihil esse, quia nihil profutura sint, nisi Deus in solidum omnia efficiat. Organica quidem sunt, quibus efficaciter, ubi visum est, agit Deus: sed ita, ut to-*



tum salutis nostræ opus, ipsi vni acceptum ferri debeat.

Constituimus ergo vnum esse Christū, qui verè intus baptizat, qui nos in Cœna facit sui participes, qui denique implet quod figurant Sacramenta: & sic quidem vti his adminiculis, vt totus effectus penes eius Spiritum resideat.

Quomodo Sacramenta cōfirment.

Sic interdum Sacramenta vocantur Sigilla, dicuntur fidem alere, confirmare, promouere: & tamen solus Spiritus propriè est sigillum: & idem fidei inchoator est & perfectior. Nam hæc omnia Sacramentorum attributa inferiore loco subsidunt, vt ne minima quidem salutis nostræ portio, ab vnico authore, ad creaturas vel elementa transferatur.

Præterea sedulo docemus, Deum non promiscuè vim suam exerere in omnibus qui Sacramenta recipiunt: sed tantum in electis. Nam quemadmodum non alios in fidem illuminat, quam quos præordinauit ad vitam: ita arcana Spiritus sui virtute efficit, vt percipiant electi quæ offerunt Sacramenta.

Non omnes Sacramenta participantes, re quoque participant. Sacramenta non conferunt gratiam.

Hæc doctrina euertitur illud Sophistarum commentum, quod docet Sacramenta nouæ Legis, conferre gratiam omnibus non ponentibus obicem peccati mortalis. Præterquam enim quod in Sacramentis, nihil nisi fide percipitur: tenendum quoque est, minimè alligatam ipsis esse Dei gratiam, vt quisquis signum habeat, re etiam potiatur. Nam reprobis per æquè vt electis signa administrantur: veritas autem signorum ad hos solos peruenit.

Certū quidem est, offerri cōmuniter omnibus Christū cum suis donis: nec hominum incredulitate labe factari Dei veritatem, quin semper vim suam retineant Sacramenta: sed non omnes Christi & donorum eius sunt capaces. Itaque ex Dei parte nihil mutatur: quantum verò ad homines spectat, quisque pro fidei suæ mensura accipit.

Omnibus offeruntur Dei dona, fideles duntaxat percipiunt.

Quemadmodum autem nihilo plus Sacramentorum vsus infidelibus confert, quam si abstinerent, imo tantum illis exitialis est: ita extra eorum vsum, fidelibus constat, quæ illic figuratur veritas. Sic Baptismo abluta sunt Pauli peccata, quæ iam prius abluta erant. Sic idem Baptismus Cornelio fuit lauacrum regenerationis, qui tamen iam Spiritu sancto donatus erat. Sic in Cœna se nobis communicat Christus, qui tamen & prius se nobis impertierat, & perpetuò manet in nobis. Nam quum iubeantur singuli se ipsos probare, inde consequitur, fidem ab ipsis requiri, antequam ad Sacramentum accedant. Atqui, fides non est sine Christo, sed quatenus Sacramentis confirmatur & augetur fides, confirmantur in nobis Dei dona, adeoque quodammodo augetur Christus in nobis, & nos in ipso.

Fideles ante & extra Sacramentorum vsum Christo cōmunicant.

Vtilitas porro, quam ex Sacramentis percipimus, ad tempus, quo ea nobis administrantur, minimè restringi debet: perinde ac si visibile signum, dum in medium profertur, eodem secum momento Dei gratiam adueheret. Nam qui in prima infantia baptizati sunt, eos in pueritia, vel ineunte adolescentia, interdum etiam in senectute regenerat Deus. Ita Baptismi utilitas ad totum vitæ decursum pariter: quia perpetuò viget quæ illic continetur promissio. Et fieri interdum potest, vt sacræ Cœnæ vsus, qui in actu ipso propter incogitantiam vel tarditatem nostram parum prodest, fructum deinde suum proferat.

Adeo nō alligatur gratia actioni Sacramentorum, vt fructus eorum, percipiatur aliquando post actionem. Localis imaginatio tollenda.

Præsertim verò tollenda est qualibet localis presentie imaginatio. Nam quum signa hic in mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus: Christus quatenus homo est, non alibi quam in cælo, nec aliter quam mente & fidei intelligen-

tia, quærendus est. Quare peruersa & impia superstitio est, ipsam sub elementis huius mundi includere.

Expositio  
verborum  
Cœnæ  
Domini  
Hoc est  
corpus  
meum.

Proinde, qui in solēnibus Cœnæ verbis, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus: præcisè literalem, ut loquuntur. sensum urgent, eos tanquam præposteros interpretes, repudiamus. Nam extra controuersiam ponimus, figuratè accipiendū esse, ut esse panis & uinum dicantur id quod significant. Neque verò nomen hoc aut insolens uideri debet, ut per metonymiam ad signum transferatur rei figuratè nomen: quum passim in Scripturis eiusmodi locutiones occurrant: & nos sic loquendo, nihil afferimus, quod non apud uerustissimos quosque & probatissimos Ecclesiæ scriptores exeret.

De manducatione corporis Christi.

Quòd autem carnis suæ esu, & sanguinis potione, quæ hîc figurantur, Christus animas nostras per fidem, Spiritus sancti uirtute pascit, id non perinde accipiendum, quasi fiat aliqua substantiæ uel commixtio, uel transfusio: sed quoniam ex carne semel in sacrificium oblata, & sanguine in expiationem effuso, uitam hauriamus.

Contra transsubstantiationem & alias ineptias.

Hoc modo non tantum refutatur Papiſtarum commentum de transsubstantiatione, sed crassa omnia figmenta, atque fuciles argutie, quæ uel cœlesti eius gloriæ detrahunt, uel ueritati humanæ naturæ minus sunt consentaneæ. Neque enim minus absurdum iudicamus, Christum sub pane locare, uel cum pane copalare, quàm panem transsubstantiare in corpus eius.

Christi corpus est in caelo ut in loco

Ac ne qua ambiguitas restet, quum in caelo quærendum Christum dicimus, hæc locutio locorum distantiam nobis sonat & exprimit. Tamen si philosophicè loquendo, supra cœlos locus non est: quia tamen corpus Christi, ut fert humani corporis natura & modus, finitum est, & caelo, ut loco, continetur: necesse est à nobis tanto locorum intervallo distare, quanto cœlum abest à terra.

Christus non est adorandus in pane.

Quòd si imaginatione nostra Christum pani & uino affigere fas non est, multò minus licet eum in pane adorare. Quamquam enim panis in symbolum & pignus eius, quam habemus cum  
Christo,  
communione, nobis  
porrigitur: quia tamen signum  
est, non res ipsa, neque rem in se inclusam  
habet aut affixam, idolum ex eo faciunt, qui mentem suam in eum conuertunt, Christum adoraturi.

827

ECCLESIAE GENEVENSIS FIDO PA-  
stori D. Ioanni Caluino, fratri charissimo, Pastores  
Doctoresque ministri Tigurinæ  
Ecclesiæ, S. D.

**N**GENS tuum studium, Calvine frater in Domino colendissime, & opera sedula, quibus moliris doctrinam de Sacramentis in dies illustriorem facere, ac tollere offensiones è media Ecclesia, quæ obortæ videntur ex obscuriore quadam explicatione mysteriorum, ad eò nihil molestiæ nobis afferunt, vt e a non modò laude & prædicatione digna, verumetiam pro nostra virili adiuuanda esse, & imitanda iudicemus. Quum enim sacrosanctæ leges principis nostri Iesu Christi, omnes actiones referant ad culturam charitatis, studiumque mutuum iuuandi, nihil etiam seuerius prohibent, quàm vt nullus obijciat alteri impedimentum, quò minus vel rectè verèque iudicet de ijs rebus, quarum notitia necessaria est, aut certè utilis & salutaris hominibus: vel minus præstet officium suum, quod tum Deo, tum proximis debetur: eadè que gratuitate iubent summouere, quātum fieri potest, offendicula, in qua impingere solent homines. Quamobrem causa tui aduentus ad nos, & D. Gulielmi Farelli venerandi nobis fratris, honestissima nobis visa est, & in primis digna viri Ecclesiasticus: vt primùm familiari colloquio, quàm simplicissimè mutuo exponeremus nostram sententiam de Sacramentis, præsertim in ijs capitibus, in quibus aliqua certè controuersia hæctenus fuit, inter eos qui per cætera capita syncretiorem Euangelij doctrinam in agno consensu tradiderunt: deinde consensum nostrum, edito in publicum scripto, testemur. Nullam enim aliam viam & rationem commodiorem videmus, qua controuersia religionis dirimantur, aut pellantur vanæ suspiciones, vbi discrepantia nulla existit, aut denique tollantur offensiones, quæ nasci nonnunquam solent in Ecclesia Dei: ex docentium controuersis opinionibus, quàm si partes, quæ dissentire videntur, aut re vera dissentiunt, inuicem apertissimè suam mentem explanent, tum sermone, tum scriptis. Sed parum esset veritatem inuestigatam & deprehensam apud eos retineri, nisi alijs quoq; hominibus ea patefiat: plenius expositis ijs, quæ parcius indicata fuerant: & quod obscurius fuerat dictum, notioribus verbis enuntiat: quòd que ambigè fuerat enuntiatum, certis, proprijs, & significantibus vocibus declarato. Quæ ratio semper Ecclesiasticis patribus placuit: & in controuersis de religione componendis adhibita est sæpiissime, & nunquam non salutaris fuit Ecclesiæ. Denique approbata est summo exemplo Apostolorum Christi Domini ac Dei nostri. Nam vt in Actis legimus cap. decimo quinto, nõ alio modo ac via sedata est maxima dissensio, quum Apostoli, & Apostolorum germani Discipuli docerent fiducia in nomen Christi purificari corda, & eius solius gratia seruari homines: aliqui contenderent, oportere circumcidi, & seruari Legem Mosaicam. Itaque, non possumus non summopere probare, Calvine, chare frater, tuos sanctos conatus, & omnium piorum, qui student idoneis rationibus offensiones tollere, & labefactam pacem atque tranquillitatem Ecclesiæ instaurare, dum Christianam doctrinam simplici, & accurata explicatione, magis magisque illustrem ac planam reddere nituntur, & vanas opiniones discordiæ extirpare animis: aut eos etiã, qui verbis

& sententijs non nihil disiderunt, in veram, solidam & sanctam concordiam reducere. Caterum, vt publicatione scripti, quo nostrum consensum clarè testari volumus, pijs iux: à & aduersarijs veritatis, eum speremus fructum, quem in epistola tua ominaris, facto iam periculo adducimur: nam formulam mutuæ nostræ Consensionis ad fratres aliquos transmisiimus, & hîc exhibuimus aliquot viris, Christum & veritatem diligentibus, neque imperitis rerum sacrarum: qui non modò cognouerunt inter nos conuenire in ijs etiam capitibus, in quibus hæcenus multorum opinione dissensimus: sed etiam gratias egerunt Christo Seruatori, cernentes nos, in Deo & veritate consentire, magnamque spem vberioris fructus in Ecclesiam polliciti sunt. Quanquam nonnulli copiosorem tractationem huius argumenti ob ingenia quadam desiderauère, qui audito consilio nostro, haud difficile admiserunt satisfactionem. Quorsum enim attinebat pluribus verbis edisserere, Deum esse authorem Sacramentorum, & ea instituisse legitimis Ecclesiæ filijs: quòtque sint à Christo Ecclesiæ tradita Sacramenta, aut quæ inuecta sint ab hominibus: quæ sint partes Sacramentorum, aut quo loco, quo tempore, quo instrumento sacro peragi conueniat mysteria: in quibus, & alijs nonnullis id genus capitibus, nullam fuisse inter nos vel specum & umbram dissensionis, satis probant libri editi: quos vel præceptores nostri, pia sanctæque memoriæ, vel ipsi scripsimus de Sacramentis. Verum, de corporali Christi Domini præsentia, de genuina sententia verborum solenniũ, de manducatione corporis Christi, de fine, de vsu & effectu Sacramentorum (in quibus capitibus multi existimarunt hæcenus configere nostras sententias, aut cer. è verba) tam copiose, tam planè & simpliciter locuti sumus, vt speremus homines studiosos tum fraternæ concordie, tum perspicuæ veritatis, non desideraturos esse in scripto nostro, vel copiam, vel lucem orationis. Neque diffidimus quin aliarum quoque Ecclesiarum Christi per Heluetiam ministri facile agniture sint, eam ipsam doctrinam de Sacramentis nos expressisse, quæ multis iam annis populo Christiano vulgata est: vtque in veritate confessa, minime gentiũ à nobis discrepent: id quod pollicemur nobis, non sine magnis rationibus, de pijs omnibus per Ecclesias aliarum nationum.

Si quis tamen euidentiorẽ Sacramentorũ explicationem protulerit, malumus ea ipsa vt cum pijs omnibus, quàm hortari vnum hominem vt subscribat nostræ consensionis, in qua Scripturæ sanctæ verba vsurpauimus, & expressimus aptè quo sensu accipiamus, & cum Ecclesia Catholica nos facere, pro cõpertissimo habemus. Porro si non offensiones omnium, quos discordiæ internos species impediuit in vjs Domini, scriptum hoc sustulerit, prælarè tamen suo munere functum existimabimus, quod non obscure neque fucatè omnibus testati sumus, nos quibus Christus dedit idem sentire & loqui de religionis dogmatibus, in mysteriorum etiam explicatione, haudquaquam discrepare. Vale frater dilectissime. Tiguri, Tricesimo Augusti, Anno Domini, millesimo quingentesimo quadagesimo nono.

## DE SCANDALIS QVIBVS HODIE

plerique absterrentur, nonnulli etiam alienantur  
à pura Euangelii doctrina,

∴

IOANNIS CALVINI LIBELLVS AP-  
primè utilis.

Ad Laurentium Normandium.

II. COR. X,

Quis offenditur, & ego non vror?

IOANNES CALVINVS, VIRO MVLTIS DOTI-  
bus eximio, Laurentio Normandio, S.



**Q**UVM tibi multis nominibus aliquam laborum meorum partem animo  
destinassim: hoc opusculum præ alijs eligendum censui, quòd ad facien-  
dam eius, quam continet, doctrinæ fidem, exemplum tuum non parvæ con-  
firmationis vice esse potest. Nam ex quo, relicta patria, huc ad nos vo-  
luntarius exul migrasti, quot & quàm violentis Sathanæ machinis  
fueris impetitus, nos quidem duo optimi sumus testes: sed alijs quoque non ignorant.  
Mors patris, quarto post discessum tuum mense, nuntiata est. Venire tibi in men-  
tem necesse fuit quod malevoli non tacebant, mortis causam dolori posse ascribi,  
ut tota invidia in te redundaret. Sequutum est paulò post acerbissimum vulnus,  
quòd vxor tibi, qualem optimus quisque vir optaret, in medio ætatis flore erepta  
est. Hic quoque fieri aliter non potuit, quin mentem hominis non stupidi percel-  
lerent variæ tentationes. Iam auribus tuis insonabant improborum calumniæ:  
fuisse infausus ominibus è natali solo extractam, ut miserum spiritum in alieno  
propè orbe deponeret. Sed animum tuum propius hoc vrgebat: aliquid habituros co-  
loris, si consilium tuum tristi euentu à Domino maledictum esse iactarent. Omitto  
punctiones innumeras, quas te intus sentire par fuit. Nam quum graue sit malum,  
viduitas: tali vitæ socia priuari, plusquam lugubre tibi fuit. Filiolæ quoque po-  
stremò ad lucis cumulum funus accessit. Interea quoscunq; potuit impetus, aliun-  
de effudit Sathan, ut saucium iam pectus obruendo conficeret. Denique, plus tibi  
molestiarum intra semestre tempus deuorandum fuit, quàm nonnulli, quorum cele-  
brata fuit animi magnitudo, tota vita pertulerint. Illa fuit scandalorum moles,  
tibi Sathanæ astu in ipsis stady carceribus opposita, quæ te ad gradû reflectendum co-  
geret: atquæ, inuicta Spiritus Dei virtute fretus, documêto alijs omnibus fuisti, nullis  
esse tam arduum difficilèque obstaculum, quod non eodem eluclari præsidio liceat.

Et simul expertus es, quibus suos, ad resistendum, armis instruere soleat Dominus, quoties ad certamen ipsos vocat. Memini, quum tibi primus indicarem patrem esse mortuum: & exemplum adducerem Abrahamæ, quæ patris carnificem vocare poterant ætatis suæ homines, quod Thare domo abeuntem sequutus, in medio itinere defecerat: te statim excipere: Quum testem facti tui, & approbatorem haberes Deum, impiorum calumnias nihil morari: hoc dolere solum, quod non pater additus tibi profectiois comes, Abrahamæ te similem fecisset. Te quidem non adeò lauzum esse ac superbum, ut vel Abrahamæ socius esse recusares, veleam ignominiam fugeres, quam Deus summa laude prosequitur. Cæterum, vxor ipsa prius obitus sui luctum, quam nos relinqueret, mirificè leuauit ac mitigauit. Nulla enim medicina desiderari aptior potuit, quam heroicæ illæ voces, quas inter vltimos spiritus edebat: quum apprehensa manu mea gratias Deo ageret, cuius manu in eum locum esset adducta, vbi tranquillo animo liceret mori: quum superioris vitæ sortem animo deplorans, bis se felicem esse clamaret, quia nuper ex maledictio Babylonis carcere extracta, iam ex misero etiam corporis erga stulo exitura esset: quum ex viuo conscientia sensu de peccatis suis, de æternæ mortis reatu, de tremendo Dei iudicio non muliebriter differens, magnificè Christi gratiam extolleret, eamque pari humilitate & fiducia velut sacram anchoram amplecteretur. Hæc verba non modò clarè & disertè, sed insolita energia inter vltimos anhelitus fundentem, sic me audisse recordor, ut spectaculo adhuc interesse videar. Itaque, quum te ex aduerso intuerer, in domanda animi mœstitia præclarè luctantem, minus iam mirabar, tot talibusque remedijs adiutum, virum esse fortem in dolore. Alijs recitandis supersedeo. Hoc tantùm dico: quum perplexum ex immensa congerie scandalorum labyrinthum tibi fabricatus esset Sathan, sic te omnia superasse, ut non modò idoneus sis alijs monitor & hortator, sed etiam ut qui paulò sunt molliores, tuo exemplo animati, nouam strenuitatem meritò sumere debeant. Scilicet arx valde munita est, æquabilis animi moderatio: cuius singulare specimen cum alijs in rebus, tum in hac præbuissti, quod quum in patria reliqueris quæ alios ad ambitionem rapiunt, alios suis illecebris affixos tenent: nullo profusus eorum desiderio tangeris: ut te non minus æquo sedatòque animo illis carere appareat, quam in facillè semel renuntiasti. Huius tuæ pietatis, sicuti ego fructum & oblectationem nõ vulgarem capio, ita non mirum, si cupiam ad alios partem aliquam peruenire. Nam qui te nuper, quum in Vrbe ex qua natus sum, Regius esses præfectus, & ciuium nostrorum magister, tanquam procul à Christo dissitum gemebam: nunc ex quo totus Christo addictus es, verè meum esse duco, & quasi communi Ecclesiæ gremio amplector. Velim tamen ut libellus hic etiam apud eos quibus ignotus es, quæcunque sit amoris in te mei documentum. Pignus enim ipse nullum flagitas. Multa quidem sunt inter nos iusta necessitudinis vincula, sed nulla sanguinis est propinquitas, nulla alia coniunctio, quæ amorem nostrum superet. Adeoque frater vnicus te sibi æquari non ægrè patitur: quod mutæ compensationis vice se abs te peræquè amari sentit. Porro, quod multorum votis serius prodit liber, utinam veteri proverbio, quod initio libri citavi, legitimè excusare possem: Sat citò, si sat bene. Sed vereor, ne multos, qui sibi partim ex argumenti amplitudine, partim ex longiore mora, magnum sibi nescio quid polliciti sumt, spei suæ frustratio magis offendat: quum res copia, splendore, vehementia orationis, totis denique eloquentiæ fulminibus apprimè dignas,

dignas, concise, humiliter, & ieiunè perstringi videbunt. Quibus ego quid respondeam, non habeo, nisi me rationem sequutum esse, quam fore optimam arbitrabar. In quo, ut mihi subscribant, non postulo: modò veniam à se dissentienti dare non recusent. Vale eximie vir, & frater

mihi in Domino coniunctissime. Geneva, vi. Idus

Iulij, meo natali die, Anno

M. D. L.

DE SCANDALIS, QUIBUS HODIE PLERIQUE  
absterrentur, nonnulli etiam alienantur à pura  
Euangelij doctrina.



NON abs re Dominus, postquam multis argumentis eum se esse comprobasset, qui venturus erat in piorum salutem, hanc tandem clausulam adiunxit, Beatus qui non fuerit offensus in me. Scilicet non tantum in Euangelij sui professione multa nouerat contineri, à quibus humanum ingenium penitus abhorreat: sed etiam exoritura mox, Sathanae artificio, prouidebat omne genus obstacula, quæ illam mundo vel exosam

redderent, vel suspectam. Et sanè impleri necesse est, quod de ipso pronuntiauit Spiritus sanctus, lapidem fore offensionis, & petram scandali: non quia iustam ipse offensionis causam in se habeat, sicuti mox videbimus. Sed quid refert? Hæc quidem illi quasi fatalis est conditio: ut quoties se offert hominibus, in eum bona pars impingat. Hoc si quando aliàs vsu venit, hodie innumeris propè exemplis verum esse experimur. Quò magis superiorem eius admonitionem subinde nos memoria repetere conuenit, quò penitus animis nostris infixæ hæreat: ne impedimentis, quæ Sathan obijciat, ab illo auersi, ista etiam, quam suis promittit, beatitudine priuemur. At quàm pauci sunt quibus hoc veniat in mentem? Contrà verò, quàm multi reperiuntur, qui scandalorum pretextu, aut Euangelium non secus ac scopulum aliquem refugiunt: aut illud amplexi, factò etiam aliquo progressu, cursum deinde reflectunt? Itaque, cum nullum esset, meo iudicio, argumentum, in quo tractando vtilius locarem operam, non inuitus hoc tractandum suscepi: præsertim cum fidem in hac re meam, bonis quibusdam viris obstrinxerim: qui flagitare quasi debitum quod promisi, non desinunt. Citius fortassis fieri debuit: sed cum hæctenus occupatum me tenuerint partim aliæ scriptiones nō minus necessariae, partim magna & varia negotia, sat hoc citò erit, si sat bene.

Porro, ante quam in rem ipsam ingredimur, videndum est, quæ conueniat titulus hic Christo, quam constat æternæ vitæ esse ostium, ut sit lapis offensionis, & petra scandali: quæ fiat similiter, ut Euangelij doctrina, quæ vnica est via salutis, perpetuò cum tam multis scandalis sit coniuncta. Clarius hoc fiet, si à Scandali definitione exordium sumamus. Cum ratio viuendi nobis à Deo præscripta, ei, quam sequi nos oportet, viæ aut stadio cōparetur: hinc nata est altera metaphora, ut

Scandala vocentur impedimenta, quæcunque vel à recto cursu nos abducunt, vel obiectus suo nos retardant, vel casus occasionem præbent. Horum certè nihil in Christo, neque in ipsius Evangelium competit. Officium Christi est, recludere nos ad Patrem manducere: quinetiam lux est mundi, qua illuc dirigimur: via, qua pervenimus: ostium, quo intramus. Natura Evangelij est, sublatis omnibus impedimentis, facilem nobis aditum patefacere in regnum Dei. Nihil igitur vel à Christo, vel ab Evangelio magis alienum, quàm nomen Scandali. Omnino verum est, si in se æstimetur Christus, nihil eius naturæ magis repugnare, quàm scandalum. Ita & de Evangelio sentiendum est. Accidit autem hoc hominum prauitate, ut simul atque eminus apparet Christus, undique scandalis impetantur: vel in ea potius ipsi incurrant. Lapis ergo scandali est, non quia det ipse causam impingendi: sed quia in occasionem trahatur. Sicuti Evangelium, cum doctrina sit pacis & concordia, ingentium tamen motuum est occasio: quòd inde tumultuandi ansam impij arripiunt. Quod autem aliunde est, id tanquam proprium Christo assignare, ut culpam ipse crimenque sustineat, perquam iniquum foret. Atque id est quod dicit Petrus: *Ædificemini in domum spiritualem, qui lapis est viuis: ab hominibus quidem reprobatus, à Deo autem electus, volis etiam pretiosus qui creditis. Ceterum, ijs qui non credunt, lapis quem reprobauerunt edificantes, lapis ad quem offendant: petra ad quam impingat. En ut Christus se omnibus offerat in fundamentum, ut in templum Dei extruantur. Ibi certè nulla offensus. Cur igitur offendent? quia in quo placidè acquiescere debebant, in eum cæco impetu contumaciter irruunt.*

Quæ tamen est hominum vel malitia, vel corruptela, videmus, ut quòd accidentale est Christo, non minus sit ordinarium, quàm si eius officio maximè conueniret. Nunc ad eos venio qui Christi Evangelium aliàs amplecti non abnuentes, volunt tamen habere absque scandalis. Cum Christianis mihi negotium est. Volunt ne Christum ab omni scandalo remotum? Nouum sibi fabricent: neque enim aliud esse potest Filius Dei, quàm qualis in Scripturis prædicatur: aut certè mutant hominum ingenia, totumque mundum reformat. Audimus quid Scriptura pronuntiet. Non cadit hoc in Christi personam solum, sed in totam doctrinam. Nec temporale est, sed duraturum toto doctrinæ cursu. Quàm sunt igitur præposteræ, qui hodie renascentem Evangelij doctrinam hoc tantum nomine repudiant, quia in ea deprehendant quòd à Prophetis & Apostolis prædictum fuit! Interea nihilominus Christiani censerì volunt. Quid si in prima Evangelij exordia incidissent, quo tempore nullum non scandalorum genus, subinde ex Evangelio scaturiebat? Quàm celeriter à Christo se procul remouissent! Quantum exhorruissent, ne qua contagione fuissent ex leui tactu afflati! Si id se tunc facturos fuisse negant, cur ergo tam sunt hodie delicati? Cur non easdem nunc quoque agnoscunt in Christo notas? At res est odiosa scandalum: & modestis ingenijs horrenda. Quis negat? Neque etiam dico appetenda vtrò esse scandala: fugiamus ea quoad licet: verum, Christiani hominis pectus ita munitum esse oportet, ut quicquid scandalorum erumpat, nunquam loco moueatur: ne vel minimum vnguem deflectat à Christo. Ad hæc constantiam qui non est comparatus, ut per omnia scandala inuictus perumpat, nondum quid valeat Christianismus, intelligit. At resistere scandalis difficile est. præsertim huic aded teneræ nostræ imbecillitati. Fateor certè: sed postulare, ut ab eo incommodo sumus immunes, qui sacrosanctum Christi & Evangelij



eius nomen esse obnoxium cernimus: id verò cum ratione pugnat. Proinde, qui hodie scandala in causa esse obtendunt, cur puræ Euangelij doctrinæ, quam profitemur, nomen dare metuant, imo horreant ad eam accedere, hos omnes monitos esse velim, ne sibi pro Christo idolum comminiscantur. Fixum enim illud manere oportet: Si scandala omnia fugere velimus, Christum semel abnegandum esse: qui, nisi esset petra scandali, neque verus Christus esset.

Quamquam hominū genera quatuor esse scio: quos scādala à Christo auertant, vel certè qui hoc colore Euāgelio sunt inimici. Multos retinet scandalorū horror, ex naturali quadā modestia conceptus, ut ne gustū quidē Euangelij capere audeant. Alij magis ignaui & indociles, sordidatamen magis quàm malitia se impediunt. Sed sunt permulsi fastu & peruersa eius, à qua procul absunt, sapientie opinione inebriati, quibus sua arrogancia scandalum est. Sunt etiam qui malitiose datæque opera, scandala omnia colligunt, multa etiam confingunt: neque id tam scandalorum, quàm Euangelij odio, ut ipsum quoquo modo infament. Imo quum sint scandalorum auctores, impudenter contorquent in Euāgelium quicquid est inuidiæ. Talibus calumnijs referros videre est Sadoleti, Eccij, Pighij, Cochlei, & similium libros. Primos & secundos mitius tractare cōuenit: tertij & postremi acrius repellendi. Nam cuius est, non dico humanitatis, (quam enim humanitatem à truculentis istis bestijs requiras?) sed verecundiæ, probra obijcere Filio Dei, quorum ipsi culpam totam sustinent? Sed hæc postea videbimus. Tantum initio admonere volui, quibuscum hominibus agere instituerim, ut inde iudicēt lectores, quid expectare debeant in hoc libello. Inueniēt hic infirmi ac rudes, quo se muniāt ad superādā scandala. Inueniēt improbi, quod ad sacrilegas eorum calumnias reslctendus sufficiat. Magnum est quod pollice or: sed æquis iudicijs satisfacturū me confido. Nā ut omnium morbis medear, minimè sperandum est. Et iam magnæ stultitiæ damnaui, si quis efficere conetur, ne scandalo sit Christus impijs. Scripturam impleri oportet, quæ id prædixit fore. Neque verò aliū susceptæ à me lubricationis euentum expecto, quàm ut magis ac magis inflammetur eorum rabies. Sed infirmos respicio: quorum fidem ut illi quate faciunt, ita nos, quasi supposita manu sustinere conuenit. Quod ad desperatos pertinet, mihi abundè fuerit, si illorum petulantiam cohibuero: aut certè effecero, ne contagio veneni ulterius serpat.

Quoniā turē, quacumque de re agatur, distinctiones plurimū solent afferre lucis, inter præcipuas scandalorum species hic breuiter distinguam, quæ Euangelij cursum tum ab initio turbarunt, tum etiā hodie moriuntur. Ergo ex scandalis, si placet, alia vocemus intrinseca, quæ ex ipso Euangelio, saltè hominū opinione nascuntur. Alia tamen si aliunde proueniunt, perpetuò tamen ferè sunt annexa. Alia autem aduēticia, quæ ex alienis remotisque fontibus manant. Primi generis sunt, quæ principium quasi inclusum habent in ipsa Euangelij doctrina. Paulus Euangelium, mundi sapientibus dicit esse stultitiam: quod verū est, non ideo solum, quod illis derisui est plebeia & ostentatione carēs eius simplicitas: sed quod multa etiam illic continentur, quæ humano iudicio valde sunt non absurda modò, sed etiam ridicula. Nam quòd filius Dei, qui vita æterna est, carnē nostram induisse, ac mortalis homo fuisse prædicatur: quòd morte eius nobis vita esse parta, damnatione iustitia, maledictione salus, id tantopere abhorret à communi hominum sensu, ut quò quisque est acutior, eò citius repudiet. Iam verò quòd Euangelium nos omni sapientia, virtutis, iustitiæ laude spoliat, ac nihil facit reliquum præter extremam ignominiam, fieri nequit quin grauius offendat. Nam, quæ est carnis nostræ superbia, nemo libenter eripi sibi patitur, quorū falsa imaginatione tur gemus omnes. Hinc acerrimus conflictus. Illa quoque de abnegatione nostri, de

crucifigendo veteri homine, de mundi contemptu, de amplectenda cruce præcepta, quantum asperitate sua offendunt? Sed ipsa experiētia longè etiānum durior, cum persecutionibus & alijs ærumnis probatur fides. Huc accedunt etiā alia, quæ cum humanæ rationi paradoxa videntur, plenaque absurditatis, ut priora illa de quibus diximus, tum verò spinosis questionibus occasionē præbēt, quæ totidē mox scādala pariunt: hoc est, infinita. Talis est prædestinationis doctrina, & similes. Ex secūdo genere sunt ista: quòd exorto Euāgelio, protinus turba sequitur & seditiones: detegitur multorū, quæ prius latuerat, impietas: ebulliunt plurimæ sectæ & inaudita errorū portēta: maiore licentia multi insole scunt: multi ex professoribus flagitioso vitæ exēplo, doctrinā ipsam de formant: qui ad tēpus visi fuerāt toti feruere, nō modò flaccescunt, sed horrēda defectione alienantur à Christo. Quinetiā probos atque alioqui synceros doctores Sathā miris artibus inter se cōmittit, ut notā aliquā ex eorū infirmitate doctrinæ iniurat. Præterea, cum ex nouitate ipsa alij plus audēdi licētia arripiāt: vilitatū etiā est in rebus nouis, necdum bene cōstitutis, acrius obseruare quicquid peccatur. In hac classe sint hæc & similia. Tertiū genus partim ex factis calumnijs cōstat, partim manat ex hominū ingratitude: dū procul accersunt varijs criminationes, quas malignè falsoque in Euāgelii cōferāt, ut inde exosum reddāt. Iā plerosque eorū qui fideles habentur, dū alienæ ac prorsus aduersæ professionis hominibus permixti, rationē fouēdæ amicitia querūt: ambitio, quasi tēpe stas quadā, abripit, ut Euāgelii abijcere malint, quàm à cōmuni vita dissiidere. Quādo igitur cū tot ac tā diuersis mōstris est mihi cōsiliendū, hanc distinctionē præponi operæpretiū fuit, vel hac vna de causa, ut si singula recensere non pariatur infinitas, ad genera se referant lectores. Ergo, ut de prima classe differere exordiar, malè habet fastuosos homines, & pōpis deditos, quòd plebeio & abiecto dicēdi genere, Spiritus utitur in scripturis: qui etiā elegantie affueti sunt ac uitori, incultā istā, & nullis coloribus vestitā orationē vel respūit, vel fastidiūt. Hic mihi defensionis partē ab alijs tractatā suscipere nō libet: talē ex incēptū nasci, quia nō minus in sua lingua expoliti sunt Moyses & plerique ex Prophetis, quàm qui apud Græcos & Latinos summa cū admiratione plausūque philosophi aut oratores leguntur. Et si enim Heb. linguæ peritus satis id notū est: quia tamē nihilo Amos minus est Propheta, quàm Isaius: eundē Ieremias gradū obtinet quē Dauid, quorū tamē oratio minimè parē splēdorē habet: quin potius Ieremias stylus oppidanum hominem, Amos verò pecuariū redolet: libenter fere or sacros libros, quibus tota cœlestis philosophia cōtinetur, nō Rhetorū modò picturis, sed mediocri etiā ornatu, qualē etiā literati homines desiderant, esse vacuos: sed nimis sunt morosi, quibus ob hanc causam minus sapiunt. Qui verò hoc prætextu, eorum auctoritatem extenuant, nimis iniqui sunt ac maligni. Non modò concedit Paulus, eloquentiam sibi deesse: sed vltro prædicat ac gloriatur. An verò ideo contemptior eius doctrina esse debet? Quin potius, vbi nullus est orationis splēdor, qui oculos perstringat, melius relucere contendit vim cœlestis sapientiæ. Nec verò quicquam tradit, vsque ad caput quartū prioris ad Corinthios Epistolæ, quàm, tunc demum ritè fundatā esse fidē in Spiritus sancti sapientiæ & virtute, vbi dictionis elegantia & ingenioso artificio animi nō ducuntur. Idque certo fidei experimēto, quisque nostrum compertū habet. Certè, si Demosthenis vel Ciceronis coloribus picta esset Ioānis vel Pauli doctrina, plus fortè ad lectores alliciēdos haberet gratia, grauitatis autem ad cōscientias permonēdis, & dignitatis ad cōciliandam sibi auctoritatē, ne ceteris quidē pars restaret. Viua enim Dei maiestas illic se exerit: ut sentire coguntur quicūque legunt, nisi quorū mentes obstupefecit Sathan, Deū esse qui sibi loquitur. Quare, nimis sunt insipidi, qui nullū ideo ex Scriptura gustū capiunt, quòd illic sermonis lenocinia non reperiunt. Sed quid? si corda penitus ferire, quàm

amœno timitu oblectare aures mauult Deus? Nã quod dicit Paulus, *In vasis testaceis depositu esse Euãgelij thesauru*, quò virtus Dei in hominũ infirmitate clarius appareat, presenti quoque instituto optimè cõuenit. Hoc nostro iure assumere nobis licet: Nullas esse tã subtiles Philosophorũ disputationes, quã validius persuadeant: nulla esse Oratorũ fulmina quã vehemẽtius afficiãt, quã simplex & rudis Scripturæ stylus. Quis enim nõ videt admirabili Dei prouidentia factu, vt in humili sermonis genere nuda Spiritus eff. cacia melius extaret? Voluit illi faciãdia suauitate aures sibi deliniri: at Deus, qui linguã hominibus formauit, nobiscu vult balbutire. Interim balbutiẽdo, fulminat: nec minus excelsa grauitate effertur ad subigẽdas hominũ mẽtes, quã si Rhetorũ omniu disertissimus, quicquid haberet exquisitum, ex intimo artificio promeret. Hoc modo, spiritualia spiritualibus coaptari Paulus docet: & nos d' lucidè cernimus, quãtum per se valeat simplex Dei veritas. Nimis ergo fastuosi sunt homines, si vel eos à Scripturæ lectione reuocat eiusmodi fastidiu, vel diuinæ auctoritatis pondus eleuat. Verum, illos sibi habere suas delicias smamus. Nos verò, si cordis aures loquẽti Deo præbuerimus, ad eò rudis & incultus sermo nõ offendet, vt potius ad considerandã, quæ illic eminet, Spiritus maiestatem, euehat. Ita enim eruditi sunt sapientiæ thesauri, quos in Christo absconditos esse Paulus monet. Atque, hac de re nõnihil reperire poterit, si quis volet, primo Institutionis capite: vbi de Scripturæ auctoritate dissero. Nunc vt eiusdẽ classis scãdalis mederi pergamus, texẽdane erit integra dogmatum probatio, quæ humanæ rationi parũ arident? Sed enim tum argumentũ immensum foret, tũ ea ex nostris & aliorũ lucubrationibus potest sumi. Et Scripturæ testimonia huc afferre, inutilis esset labor. Nam vt Christi diuinitatẽ clarè demonstrẽ ex Scriptura eiusmodi hominibus, quid proficiãt? Audacter scilicet, quicquid adlaxero, repudiabunt. Imò hæc illis causa est, cur totam Scripturã reijciant: quia steciem habeat absurditatis, eorum opinione, quoties occurrit quod non placet. Itaque, tunc sibi demum videntur ingeniosi, quum simplicitatem nostram ridcant: quòd certa fide amplectamur quæ demonstratone non tantum carent, sed humano iudicio sunt incredibilia. Quis idiota, inquit, persuaderi sibi sinat, cuius nullã rationem videt? Si rationibus contendã, quales humani ingenij acumen capit, nimis ineptus ero. Quòd enim Christum credimus Deum in carne manifestatum, id mysterium esse Paulus fatetur, procul remotum ab omni hominum perspicientia. Quid igitur? si quam absurditatem obrendant, diluere quidem promptum erit: atque ita, vt obmutescere cogantur, nisi impudenter latrare velint. Facere tamen non potero, quin nos idiotas quibuslibet iudicent stupidiores, quia in tantæ rerum persuasionẽ, ex nudis Scripturis pendeamus. Quare, ad eos me conuertam, qui eiusmodi scãdalis tentantur quidem: sunt tamen adhuc sanabiles. Talibus non aliud dabo remedium, quã quod Paulus præscribit: nempe, vt mundo stultescere discant, quò calestis sapientiæ sint capaces. Stultitiam non vocamus stuporem: nec iubemus, vt qui liberalibus disciplinis sunt eruditi, earum cognitionem abijciant: qui ingenij præditi sunt dexteritate, obrutescant: quasi Christianus esse nequeat, nisi qui pecudi magis similis sit quã homini. Pueros, non sensu, sed malitia, requirit Christiana professio. Sed ne quis aut proprij ingenij, aut doctrinæ fiduciam in scholam Christi afferat: ne fastu quis turgidus, aut occupatus fastidio, mox repellat quod proponitur, antequam verè gustauerit: si dociles modò nos præbuerimus, nullum sentiemus hic obicem. Sed qui sibi sapiunt, solis, inquam, ijs scãdalu est sua arrogãtia. Quid enim? An quia se vsque ad eò Filius Dei exinanauit, vt frater tuus fieret, suamque æternã diuinitatẽ copularet mortali carni tuæ, id tibi obstaculo erit, quominus ad eum accedis? An quia ex immẽsa sua altitudine ad te Deus descendit, ideòne eris ab ipso remotior? Quid, si te sursum ad inaccessa cœli adyta vocaret? Quo

modo ad eum tam procul cōtenderes, qui propinquitate offenderis? Sed dicis tibi instar portenti esse, quum audis Deum mortale. Quid autē hoc est aliud, quā Deum immortale, in mortali carne nostra habitasse? Nā & res ipsa clamat, nō frustra hoc à Ioāne prædicari, Conspicuum in eo fuisse gloriā, & dignā Filio Dei, & quæ non obscurum diuinitatis eius specimen præberet. Nisi tibi liberet fingere portenta, nullum hic certē inuenires. Fides nostra habet, Quod suscepit Deus corpus morti obnoxium. Hic mysterium audis quod adores: non fabulam, quam derideas: non monstrum quod horreas. Tuæ potius in gratitudini imputa, quod tam inestimabilis gratiæ admiratio, aduersas omnes cogitationes non absorbeat. Scio frustra multis hæc dici. Neque etiam me latet, quibus nos cachinnis excipiant, quod in Christi morte vitam, gratiam in maledictione, in damnatione iustitiam queramus. Scilicet, inquit, ita ex ardenti fornace gelida aqua fluit: ex tenebris lux oritur. Concludunt ergo, nihil esse nobis stultius, qui à mortuo vitam nobis datum iri speremus: qui à damnato petamus absolutionē, ex maledictione hauriamus Dei gratiam: & ad patibulum confugiamus, tanquā unicam æternæ salutis anchorā. Et quidem nostrā simplicitatem videndo, valde sibi acuti videtur. Ego autē illis deesse dico, quod est in vera sapientia præcipuum: nēpe sensum cōscientiæ. Qualis enim prudentia, qualis ratio, quale iudiciū, ubi cōscientia obstupuit? Atqui, vnde hoc totū, quod à Christianæ religionis principijs sic abhorrent: nisi quod à Sathana prorsus sunt inebriati, vt nullo iudicij Dei timore, nulla peccati cogitatione tangantur? Dixi iam prius, nō alia via posse ad Dei sapientiam perueniri, nisi stulti fiamus mudo. Sed huius humilitatis, sicuti religionis totius, fundamentū est cōscientia & timor Domini: quo sublato, frustra ædificium moliaris. Itaque, quisquis omnia, de quibus memini, scandala nullo negotio superare volet, is tantum in seipsum descēdat: simul enim atque suam miseriam agnouerit, via tam illi ad Christū, quā Christo ad illum erit strata & cōplanata. Clamat vox Prophetica, Parate vias Domini. Et que parandi ratio, nisi vt agnita, qua premuntur, necessitate homines, Christum desyderare incipiant, quem prius fastidiebāt, sibi placentes? Eodem etiā modo viam ad Christum nobis paramus: inōdō pium illud desyderium nobis equorum instar & nauium erit, quibus omnia obstacula præteruehamur. Sicuti enim ad capescendas altiores disciplinas, ex culto ritēque præparato ingenio: ita ad cœlestem philosophiā subactō animo opus est. Nam quis gustus, ubi fastidium? Quis accessus, ubi ferrea vndique duritia clausum pectus & obseratum? Frustra igitur de Christo verba facias, nisi apud eos qui verē humiliati, sentiunt quantum opere indigeant redēptore, cuius beneficio mortis æternæ exitū effugiant. Itaque, hinc auspicari discant, quicūque spōte nolunt decipi, & decepti perire: vt cū Deo sciant sibi esse negotium, cui semel reddēda est ratio: horrendum illud etiā Angelis tribunal, proponant sibi ante oculos: accusatorē Diabolum sibi imminere cogitent: audiant cōscientiæ suæ testimonium: ad stimulos peccati ne obdurescant: tum minimè periculum erit, ne quid pudendum inueniant in Christi morte: ne ignominia crucis terreantur: ne quod denique aliud obstaculum illos retardet. Huius rei pulcherrimā imaginem cernere licet in muliere Samaritana. Quandiu de mystico aquæ viæ haustu cū ea disputabat Christus, suauiter garrulitate & caullis, dicax & audacula ludebat: verim, postquā exprobrata illi scortatione, cōscientiā eius pupugit, facetiarum statim oblita, Prophetā reuerenter agnoscit, quem prius dīcterijs vexare nō dubitabat. Ita quos offendit in Christo diuinitas cum humanitate in vnā personam coniuncta: quibus absurdum videtur, à mortuo vitam petere: & crucem maledictam, fontem vocare omnis gratiæ & salutis: hoc sciamus ideo offendi, quia timore Dei vacui, nullum spiritualis doctrinæ gustum habent. Quare, ne sit nobis offendiculo ipsorum stupor, sed potius ab humana Christi natura, ad diuinam gloriam feramur,

feramur, quæ omnes curiosas quæstiones in admirationem conuertat: à morte crucis ad gloriosam resurrectionem dirigamur, quæ totum crucis opprobrium debeat: à carnis infirmitate ad potentiam Spiritus transeamus, quæ stultas omnes cogitationes absorbeat. Tali sensu imbutum fuisse Paulum certum est, quum ita diceret: Non me pudet Euangelij Christi. Dei enim potentia est in salutem credentibus. Nam his verbis eos demum Euangelij pudore significat, qui vim eius salutarem non apprehenderunt. Porro, nõ aliter apprehendi subiicit, quàm patefacta ira Dei in nostrum exitium. Quis iam miretur, cibum nõ sapere ijs, quibus nullum est palatum? Quisquis enim ita obstupuit, vt nulla ira Dei reuelatione tactus securè dormiat, nihil in agnoscendo Christo ab ijs differt, quibus in iudicando sapore ablatum est palati sensus. Tales autè nequaquam solemus morari, vt à cibo propterea quispiam nostrum abhorreat, quod ab illis respuitur. Sed hoc etiãmnũ scandalũ, quod similiter ex doctrina emergit, violentius est ac magis commune: quia quum naturã placeamus nobis, nostrãque omnia vetimus haberi in summo pretio: illic nihil nobis sit reliquũ præter, extremã bonorum omnium inopiam. Nam illic stultitiã damnatur vniuersa hominum sapientia: iustitia & virtus rediguntur in nihilum. Hoc verò carnis superbiz adeò videtur intolerabile, vt præ indignitate frendant, quicunque nondum se ipsos abnegare didicerunt. Volunt enim homines semper retinere aliquid proprium: atque vt aliqua ex parte coacti cedant Deo, sibi tamè omnia semel eripi nullo modo sustinēt. Initio sibi videntur sapientissimi, fiducia virtutis sue inflati sunt, iustitiam suam admirantur. Postea à Deo moniti, partim etiã conuicti experientia, sapientiam quidem suam vacillare, virtutē & iustitiam claudicare agnoscunt: sed vt se prorsus omni destitui sapientia & iustitia credant, nullo modo possunt adduci. Hoc autem quid aliud est, quàm veluti facta pactione, cū Deo partiri? Euangelium autè lucẽ illã quã nos habere imaginamur, pronuntiat esse merus tenebris: iustitiã verò nullã ad: õ guttã relinquit, vt foetidis corã Deo sordes esse pronuntiet, quæcũque à nobis aff-vimus. Hic excãdescunt mũdi sapientes: hypocritæ etiã insanunt. Atque hæc præcipua causa fuit, cur circa regni Christi exordia, tota philosophorum natio, quasi facta cõspiracione, viã cum poliiticis omnibus, tam ardentem se Euangelio opposuerit. Nolebant enim suam sibi sapientiã perire, quam & ipsi in staridoli adorabant, & cuius causa maximo in honore se haberi nouerant. Atque vtinam minus talium hominum offensione commoti fuissent prisca doctores! Nam dum illis mulcendus pharmana adhibere student, dilutã ac de genere theologiã nobis tradiderunt. Nunquã sponte ita loquuti essent Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Basilius, Chrysostomus, & eius ordinis reliqui. Sed dum tẽperamentum quærum placandis mundi sapientibus, vel declinandã eorum offensionem, terrã calo miscuerunt. Homine prorsus exinanire odiosum erat, & cõmuni iudicio aduersum. Mitigationẽ excogitant, quæ ad carnis sensum propius accedat: sed interea doctrinã sinceritas profanatur. Ergo nihil melius quàm vlcus ipsũ fortiter premi, quò fieri possit ex sanie ipsa iudicium. Nihil autem clariũ, quàm vesana superbia incitatos semper fuisse homines, vt Euangelio obstreperet. Eadẽ causa Iudæos incitabat ad belluinum furorẽ, quo percitos fuisse ipsos, testes sunt Euangelistæ, præsertim Lucas & Paulus. Nam pro iustitiã suã defensione certabãt: quæ nihil quàm fumus erat: sed tamẽ Christo pretiosior illis videbatur. Vtrique violẽto impetu ruebãt ad oppugnandũ Euãgelium: sed hi furiosius: vt palãm fieret, nihil hypocritis esse virulẽtiũ. De hoc scãdalo Christus ipse generaliter loquitur: quũ dicit, Filios seculi Euangelij lucẽ odio habere, ne mala ipsorũ opera appareãt. Nã remoto Euãgelio, tanquã luce extincta, lucet in tenebris fallax & euasida carnis sapientiã, regnũque obinet: facta verò sanctitas, alas suas fastuose circũquaue extendit. Simul atque vnicus sol iustitiã Christus cū Euãgelij sui claritate emergit, nõ tantum

evanescent illa, quæ prius suum culmen honoris occupabant: sed instar stercoris reputantur. Hinc illæ scilicet lachrymæ. Hæc illa est exitialis offensio, de qua alibi Paulus loquitur, quod propria iustitiâ volentes stabilire, iustitiæ Dei subiecti nõ fuerint. Quod hodie quoque experimur. Paucos enim videas sapientiæ suæ persuasione inflatos, qui non sint obstinati veritatis hostes. Hypocritæ verò usque ad rabiem infesti. Et quæ alia causa Bunello fuit, cur ab Evangelio deficeret, nisi quod homo ad ostentationem natus, & sibi plus nimio placens, in ordinem se cogi ægrè sustinebat? Vnum exempli causa nominavi. Utinam non multos haberet sui similes. Quid autem nobis agendum? Sinamus illos impingere in lapidem offensionis, ut idè illis, quod olim Iudeis, eueniat. Volentes iustitiam statuere, inquit Paulus, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Ita fit, ut in sua cecitate pereant. Libenter, inquam, nos inanes ac nudos Christo offeramus: quò nos suis bonis impleat, sua gloria vestiat: atque hoc genus scandali abolitum erit.

Verum, mare quodammodo exhauriendum suscipiam, si velim scandala omnia excutere, & ordine recensere, quæ sibi miseri homines in suam perniciem ex Scripturæ doctrina struunt. Neque enim temerè modò impingunt, si qua occurrit difficultas: sed vltro datæque opera per se lebras omnes discursant, quasi vna hæc illis sit voluptas, ingenium spinosis quæstionibus fatigare. Quicquid minimam præ se fert absurditatis speciem, sedulo colligunt & acriter exagitant, ne videantur ad credendum nimis faciles. Si qua etiam est in nõ nullis Scripturæ locis disidiij & repugnantie species, eã cupide arripunt: ac omnia eiusmodi testimonia coaceruando, vendunt suu acumen. Hoc porro genus hominũ, morbo propè insanabili laborat. Non quum eos pudeat quicquã nescire, nihil tamen discere sustinet. Verum quia simplices plerumque & alioqui non indociles percellunt sua iactantia, breuiter istam scandalorum partem attingere necesse fuit: non quòd paucis verbis remoueri possint, quibus ne longũ quidem volumen sufficeret. Sed primo loco monendi sumus omnes, ut in legendis Scripturis, quam Spiritus Dei viam monstrat, teneamus: quæ certè plana erit ac æquabilis ad Christum aspirantibus. Deinde, ne complicadus quæstionum nodus, ingeniosi appetamus esse aut videri postremo, ne mox respuamus, si quid nobis est incognitum vel abstrusum. Est hoc vitium non parua dignũ reprehensione: quòd ignorantia in fastidiũ statim apud multos erumpit. At verò parum reuerentiæ Deo tribuit, qui oracula eius esse negat, quæcũque non assequitur. Quid enim hoc aliud est, quàm infinitam Dei sapientiam sensus nostri modulo, hoc est totum orbem digito vno metiri? Quòd si profectam fatemur à Deo esse Scripturam: ne multa illic contineri miremur, sensu nostro aliora. Denique, in pietate hinc sapiendi modus & ordo est, fidei obsequio ad rectam intelligentiam contendere.

De scandalo, quod ex acerbitate nascitur, aut molestia crucis, & doctrinæ austeritate, loquitur Dominus in parabola, vbi Evangelium sementi comparat. Nam eos qui ingruente persecutione deficiunt, semini similes facit, quod absque radice germinauit. Eos verò, in quibus suffocatur doctrina, curis seculi: femini inter spiritus enato, quæ eius fructum ac maturitatem impediãt. Differunt aliquantũ hæc scandala: sed ego, vitæ & prolixitatis causa, sub vno genere cõprehendo. Audimus Christum Discipulis suis omnibus denũtiantem, ut suã quisque crucem tollat. Audimus hortantem ad subeunda qualibet odia, discrimina, & opprobria propter nomen suum. Audimus monentem fieri aliter non posse, quin odio sinus impij, quin afflictiones in mundo nos maneãt. Audimus pronuntiantem omnes beatos, qui persecutionem, veritatis causa sustinent. Carni & sanguini hoc maximum scandalũ est. Naturã enim crucem reformidamus omnes. Itaque multi hac de causa resiliunt, qui libenter alioqui Filium Dei amplecterentur, si à cruce separare ipsum possent. Sed vnde hoc scandalũ,

nisi

nisi ex nostra teneritudine? Christus secum mori nos iubet, ut vitæ suæ simus participes. Per societatem passionum suarum ducere nos vult ad suam gloriam. Non iniua conditio, si quid in nobis esset æquitatis. Sed multi cuperent Christum habere gloriosum si pulta crucis mentione: quod fieri nequit. At ne eo quidem contenti, culpam quæ in ipsis residet, in doctrinam ipsam traducunt. Sic olim Capernaitæ durum Christi sermonem esse clamitabant: quum in ipsis, non in sermone esset duritia. Miramur, si cordatos habere discipulos velit Filius Dei, non molles, neque effæminatos? Miramur, si sua insignia gestari ab ipsis velit? si pugnare sub vexillio suo iubeat? Huic morbo affinis est alter ille, quem dixi. Nam carnis abnegatio, res tam molesta est, ut multos à schola Christi accessu deterreat: alios ubi ingressi fuerint, procul extrudat. De peccato originali & communibus naturæ viijs disputari, utcunque ferent: Dei gratiam ac Christi beneficia suis laudibus ornari libenter concedent: sed ubi ad curandos singulorum morbos ventum est, quia acris est medicina, eam contumaciter recusant. Ita multos cernere licet, quibus Euangelium quod primo gustu placuerat, simul ac pupugit ipsorum conscientias, plusquam amarum videri cœpit. Scilicet, quum sermo Dei, gladius sit utrinque secans: quum eius partes sint non arguere modò & reprehendere manifesta vitia, sed usque ad cor intimum penetrare, transfigere omnes medullas, discernere inter affectus & cogitationes: denique, totum hominem immolare Deo, isti vulnera sua attingi nolunt. Alij furandi, alij rapiendi, alij scortandi, alij comestandi licentiam sibi relinqui postulant. Omnes impunè vanitatis suæ cursum persequi cupiunt. Quid igitur mirum, si à Christo se auertant? Atqui, dicet quispiam, scandalum monstrare, hoc est, non tollere. Respondeo, morbum fuisse indicandum, ut remedium tandem quaeratur. Corrigenda potius erat animorum mollities, quàm quaerendi prætextus, qui nihil nobis suffragentur, vitium foveant. At, res est ardua. Quis negat? Lutandum tamen est: neque id nostra virtute, sed Christi: qui sicuti nos ad certamen mittit, ita etiam instruit armis necessarijs ad vincendum. O si perciperemus quid illud valeat: Beatos esse qui persecutionem patiuntur ob iustitiam: quàm facile nobis esset eluctari, non hoc offendiculum modò, sed quæcunque à mundo & carne nobis ingeruntur! Tibi admodum molesta est persecutio, ut à Christo resilias. Cur? Nescis quid valeat Christus. Abripit te cura vitæ præsentis: nempe, quia futura nullum gustum habes. Vrit te avaritia: nempe, quia nondum tenes quæ sint veræ diuitiæ. Te ambitio inebriat, quia scilicet, nondum didicisti in Domino gloriari. Te gula, libido venerea, pompa aut aliæ vanæ oblectationes alliciunt, ut Dei tui obliuiscaris: hoc ideo fit, quòd suauitatem illam, quæ in Propheta timentibus Deum, reconditam esse testatur, adhuc ignoras. Denique, non mirum est, paucos inueniri verè Christianos: quia pauci sunt qui didicerint tanti esse Christum, ut reliqua omnia habeant pro stercoreibus. Exhortationibus alibi locus erit. Hic de scandalis ita tractandum est, ut appareat cui sint iure imputanda. Sed quid de priuatis cuiusque miserijs disputo, quum vniuersalis Ecclesiæ conditio longè maiorem offensionis materiam in se contineat? Primum, nunquam ea specie nitet, in qua hominum sensus, Dei regnum agnoscant. Deinde, si quando contingat in mediocrem aliquem statum assurgere, mox aut tyrannorum violentia opprimitur, aut sponte concidit, ut non nisi ad exiguum tempus duret. Hinc factum est, ut seculis omnibus superbi

homines veram religionem aut despicerent, aut etiam contumeliose traducerent. Videmus quam insolenter Cicero, quia Iudæis res erant minus secundæ, diuinæ Legi insultet. Ex hoc vno æstimare omnes licet. Ac ne longius abeam, quid causæ est, cur hodie multi à sincera Euangelij professione abhorreant, nisi quòd & paucos numero nos esse vident, & minimæ authoritatis, nullius verò potentia: in aduersa autem parte, contraria omnia mirantur? Et sanè, vt hodie res habent, nihil mirum sit tam deformis Ecclesiæ status illos absterreat: splendor autem, qui in aduersarijs relucet, ipsis perstringat oculos. Verùm, nulli ad hunc lapidem alij impingunt, nec alios hoc offendiculum retardat, nisi qui spirituale Christi regnum non agnoscunt. Nam quibus neque stabulum, in quo natus est, nec crux, in qua pependit Christus, obstat quominus Regem ipsum adorent: illi humilem Ecclesiæ eius fortunam minimè despicient. Fatentur quidem omnes verbo, & fateri necesse est, rationi in primis esse consentaneum, vt in Ecclesiæ forma, quasi in speculo, viua Christi effigies appareat. Et quum Paulus de capitis & membrorum similitudine differit in crucis tolerantia, assentiuntur omnes. Quum dicit, nos commori oportere, vt vitæ eiusdem simus participes, nemo reclamatur. Quum tota Scriptura, vitam præsentem comparat duræ militiæ, eamque varijs certaminibus refertam esse docet, hoc totum verum relictumque esse anni int. Itaque, Militantis Ecclesiæ nomen, sic vulgò tritum est, vt etiam in perierum ore resonet. Vbi ad rem ventum est, quasi omnium obliti, non secus imaginem Christi refugiunt, atque inauditum aliquod portentum. Atqui, si detur illis quod appetunt, vt prosperè habeat modis omnibus Ecclesia, vt opibus & potentia floreat, vt pace continua fruatur, vt denique, nihil illi ad beatum & maximè optabilem statum desit: an non illa erit terreni imperij facies? Proinde, alibi quærendum erit spirituale Christi regnum. Imo, prorsus à capite suo diuisa erit. Nos verò meminimus, sic contemptibilem esse externum Ecclesiæ aspectum, vt decor eius intus splendeat: sic in terra fluctuari, vt fixam habeat in cælo sedem: sic coram mundo laceram ac ruinosam iacere, vt coram Deo & eius Angelis stet integra ac vigeat: sic esse in carne miseram, vt sua illi nihilominus in spiritu reposita sit felicitas. Hoc modo quum in præsepi contemptus iaceret Christus, eius excellentiam Angeli in nubibus canebant: testimonium eius gloriæ stella in cælo reddebat: Magi eius virtutem è regione longinqua sentiebant. Quum in deserto esuriret, certaret cum Sathana ludibrys, vsque ad sanguinem sudaret: Angeli rursus illi ministrabant. Quum iam vincendus esset, sola voce hostes retrò abigebat. In cruce pendentem, sol defectu suo mundi Regem esse clamitabat: sepulchra aperta, mortis & vitæ Dominum confitebantur. Nunc si Christum videmus impiorum contumelijs superbè in suo corpore vexari, sæua tyrannide opprimi, sannus esse expositum, violentia huc & illuc rapi: nihil istorum quasi insolens nos terreat. Quin potius nobis in mentem veniat, in hoc ordinatam esse Ecclesiam, vt quandiu in mundo peregrinatur, militet sub perpetua cruce.

Quòd si dextri & æqui essemus operum Dei interpretes, vnde offendiculi occasionem arripimus, id nobis optimæ consolationis loco foret. Nam quòd ple-runque calamitosa, semper instabilis est Ecclesiæ conditio: imò, quòd non secus ac in procelloso mari, varijs tempestatibus assiduè iactatur: primum, in eo Dominus luculentum mirificæ prouidentia specimen exhibet: deinde, hoc vtile, ad ó-



adeoque necessarium fidei & patientiæ nostræ probanda exercitium est. Si ita fundata esset Ecclesia præsidijque omnibus instructa, ut suis ipsa opibus nitetur, nihil à terreno quouis imperio differret: nec verò quisquam dubitaret, humanituseam regi, si vsitato more ad hunc vsque diem perstitisset. Dum autem videmus quasi per innumeras mortes vitam nihilominus tot seculis duxisse, fieri non potest, quin diuinitus fuisse seruata colligamus. Hanc Dei virtutem magis illustrant aliæ circumstantiæ: quòd quum vndique lethalibus periculis impetita, quibus subinde obrui poterat, toto propè mundo inuito, & contrà nitente, semper tanquam ex naufragio euaſit. Nihil dico, quod non facile secum agnoscat, quisquis ante suos oculos temporum omnium hystoria subijcere volet. Illa vetus Ecclesiæ querimonia est, quòd à iuuentute subinde oppugnata fuerit, ac infestis habuerit impios: quòd super dorsum suum arauerint, ac longè protraxerint sulcos suos. Hac voce, Dei Spiritus pios sub grauissimis ærumnis gemètes excitare voluit, ut omnes ætatum gradus ab initio mundi percurrendo, Ecclesiam agnoscerent semper patiendo vicisse. In hanc meditationem incumbere nos decet: ut si quando nos præsens temporis nostri conditio angit, eorum recordatio, quæ iam olim experiri sunt Patres nostri, nos reficiat. Itaque, collectam omnium temporum descriptionem habere expediet: ut inde sibi quisque nostrum, quoties res & vsus postulabunt, exempla leuandis nostris miserijs apta ante oculos subijciat.

Verum, antequam vltra progrediar, notare operæpretium est, vnde tam crebræ variæque mutationes, quibus subinde circumagitur & quasi rotatur Dei Ecclesia, proueniant. Huius verò rei cognitio, non ex remotis vel obscuris coniecturis petenda est, quum assidue hominum à Deo defectiones perpetuum aliqui gratiæ eius tenorem interruperint: idque ab ipso propè mundi exordio animaduertere licet. Quum de Seth & filio eius Enos, loquitur Moyses, tunc cœptum esse inuocari Dei nomen recitatur: quo intelligimus verum Dei cultum (qui in maledicta Caini proge, quodammodo interciderat) rursus ex integro fuisse restitutum, ut in mundo vigeret ac floureret. Vix octo generationes prætereunt, quum omnes eorum posteri, quos Deus sibi in filios segregauerat, ita se in omne scelerum genus projiciunt, ut orbem totum suis flagitijs pollutum, diluio secum perdant. Quum ad octo animas redacta esset Ecclesia, sic purgata saltem esse videbatur, ut exiguum illud semen quod restabat, nihil ex se nisi meram sanctitatem proferret. Atqui, mox quarta parte minuitur. Posteri quoque Iapheth paulò post diffluunt. Residua erat familia Sem, quæ non multò post tempore sic ipsa quoque degenerat, ut meritò à Deo magna pars abdicetur. Quum genus Abrahæ ex Aegypto mirifica potentia educum trajecto mari rubro in hereditatem sibi promissam pergat, quis non ex talibus auspicijs perpetuitatem felicitatis diuinet? Atqui, illi ipsi, in quibus liberandam præclarum virtutis suæ specimen Deus ediderat, nullum peccandi finem faciunt: donec horrendis modis in deserto omnes deleantur. Filij tandem possessionem adeunt, sed cuius nulla est sexcentis ferè seculis stabilitas: quia ipsi perfida sui leuitate identidem eam turbant. Sapius tamen eos Dominus in tolerabilem formam restituit. Atqui, nec primæ liberationis memoria, nec repetite toties ferula ad eos castigandos, nec præsens poenarum sensus, nec data sapius venia retinere ipsos potest, quin Dei iugum excutiendo, noua mala sibi accersant. Prædixerat hoc Moyses futurum,

Ut pingues & bene saginati recalcitrarent: sed res ipsa longè superat. Quid Iudicum historia, præter continuas defectiones recenset? Itaque, si quos offendunt variæ agitationes, quibus obnoxiam esse in mundo Ecclesiam videat, conij tant oculos in illud speculum, & mirari desinent, minus fixam habere in terra sedem, qui tanta fidei inconstantia coram Deo fluctuantur. Erecto Davidis regno, certior videbatur ratio solidi & diuturni status composita. Sed luclucosa illa pestilentia clades, quæ triduo prodigiosum in modum per mundum grassata est, multum ex felicitate minuit. Statim à morte Solomonis, corpus ipsum populi scinditur: nec postea desinunt lacera membra inuicem se mordere: externis etiam bellis utrunque regnum miserè fatigatur. Dicemusne fatosuo vrgeri? quin potius ipsi, Dei vindictam peccatis suis vrgent, atque accelerant. Nam in quo maxime videntur innoxij, dum censum peragit David, quòd priuatum illud vnius hominis delictum esset: sacra tamen historia pronuntiat, Deum in ipsos omnes excanduisse. Secuta est tandem maior illa & parum ab extremo inritu distans conuersio, quum in exilium Babylonicum tota gens abducta est. At certè, nisi eos præcipites desperata obstinatio egresset, nunquam huc venissent calamitatis. Reditus post annos septuaginta, illis est velut altera natiuitas. Verum, simulac domum reuersi sunt, tanti beneficii immemores, iterum in varias corruptelas degenerant. Alij se profanis coniugijs polluant. Alij decimis ac primitijs Deum plusquam indignè fraudant. Alij, posthabita neglectaque Templi structura, in ornandis palatijs toti occupantur, immanèsque sumptus faciunt. Fœda hæc nimium ingratitudo, & quam non debuisse inultam manere nemo non fatebitur. Itaque, quòd tranquillis secundisque rebus diu non fruuntur, id eorum vitio imputandum est. Ex quo verò Christus, pacis ac bonorum omnium author mundo innotuit, verè experti essent homines quàm certa sit ac bene fundata æterni eius regni felicitas, si ipsum passi fuissent inter se residere. Atqui, nunquam magis seuis bellorum tempestatibus concussus orbis fuit, nunquam tam multiplici profundaque malorum colluue submersus. Non ita in obscuro causa latet, quin facile deprehendi inuestigando possit. Nascitur Christus, pax vbiq; & alta quies. Quadraginta post annos, aut circiter, spargitur per diuersas mundi plagas ipsius Euangelium. Postquam longè lateque detonuit, tanquam versa repente alea, res passim turbulentæ. Vnde tam subita mutatio, nisi quòd Deus, contempto ac reiecto suo Euangelio, quòd citius, eò magis palam, tantæ ingratitudinis vindex extitit? Itaque, quum impuri homines, quicquid tunc malorum exoriebatur, in Christi nomen conijcerent, pijs Ecclesiæ Doctoribus promptum fuit, ad eò futiles eorum calumnias diluere. Quid enim? Cùm pacem sibi à Deo oblatam Reges ac populi spreuissent, an non æquum fuit inter se committi, vt mutuis vulneribus perirent? Et quid manere inter eos potest ordinatum, qui Deo se submittere recusant? Nec tantum loquor de professis hostibus, qui sanæ pietatis doctrinæ contumaciter relictati sunt, sed eorum qui nomen Christo dederunt: quàm frigidè multi & contemptim, alij quàm perfida simulatione Christum osculati sunt? Quos diuinæ in hac parte seueritatis exempla offendunt, cessantem non minus cupidè arguerent. At, nisi oculis aperire pigeat, quibuscumque se vnquam patefecit Deus, per eos tantum stetit perspiciamus, quomminus collocata in tuto eorum felicitas, diu & prolixè consisteret, nec aliunde

quàm

quàm sua culpa fuisse miseros. Ierosolymam scimus fuisse fontem, ex quo in ultimos usque terræ fines salus profluxit. Plenam illi instaurationem pollicebantur Christi aduentu omnia Prophetarum vaticinia. Longè autem secus accidit. Nam quum vix tenuem umbram retineret pristinae dignitatis: non modò quod reliquum habebat, paulò post amisit, sed funditus ipsa diruta fuit, ac in vastam solitudinem redacta. In quarenda tam prodigiosa ruinæ causa, cur nemo laborat, nisi quòd desperata gentis impietas causam se fuisse apertè clamitat? Nunquam adeò sauis cladibus intra exiguum temporis spatium afflictà fuit Roma, quàm ex quo illuc Euangelium pervenerat. Quì factum est, ut in qua vrbe tam diu grassata est effrænis plebis libido, nefariae factiones dominatae sunt, & tandè importuni tyranni: illic fixam habere sedem Christi regnum non potuerit? Nempe, quum tot lethalibus morbis extremam Euangelij medicinam Deus afferret, tamquam exitio deuoti, ea superbè reiecta, in peius ruere non destiterunt. Idem & hac nostra ætate obseruare licet. Intra paucos annos cum præclara renascentis Ecclesiae initia apparuissent, collatâ deinde retrò vidimus referri. Atqui, priusquam nobis hanc pœnam irrogaret Dominus, multiplicem ubique & fœdam vidimus Euangelij profanationem: ut non tam admiranda sit hæc, quæ accidit subita rerum euersio, quàm diuturna in sustinendis seculi nostri prodigijs sceleribus, patientia. Cum tot hominum millia, abnegato Papatu, cupiè, ut videbatur, nomen dedissent Euangelio: quàm pauci, obsecro, à vitijs suis resipuerunt? Imo, quid præ se maior pars tulit, nisi ut excusso superstitionum iugo, solutius in omnem lasciuiam difflueret? Cum itaque, veram esse faterentur Euangelij doctrinam, quotusquisque eius disciplinæ collum submisit? An non id fuit inæstimabile in salutis thesaurum quodammodo pedibus calcare? Et sanè de eius pretio atrocitas pœnæ, quæ tam sacrilegum contemptum secuta est, admonere vos potius debet, quàm de fortuitis Ecclesiae iactationibus absurdas gignere in animis nostris opiniones. Quin potius mirum est, in tanta nostra ingratitude, quicquam incepti à Deo operis adhuc manere residuum.

Nunc, vnde paululum digressus eram, redeo: Deum Ecclesia sua custodem hinc melius agnosci, quòd miserè semper vexata fuit, quàm si inter summarum commoditates pacata lætæque florisset. Quo tempore nomen Dei in familia Seth inuocari cœptum Moyses narrat, non dubium quin soboles Cain, ut numero hominum & audacia superior erat, ita aduersus paucos illos, eosdemque mansuetos homines plusquam ferociter se extulerit. Quì poterant igitur agni inter lupos diutius salui manere, nisi auxiliari Dei manu teçti fuissent? Continuo deinde temporis successu, vnà cum malitia, vis quoque ad nocendam improbis creuit. An dicemus humanitus steterisse, qui inter tot infestas bestias similes oppressus debebant? Nisi fortè putet quispiam, Gigantes moderatione fuisse cohibitos, ut pijs sibi obnoxijs parcerent: quibus se, tanquam genus adu. terinum, nouerant esse detestabiles. Restat tandem vnus homo cum exigua familia. Iussus à Domino arcam fabricare, per annos centum & viginti continuos, eorū qui profusus in Deum insaniebant, rabiem in se prouocat: nouum enim vitæ asylum quarendo, palam omnibus interitum imatur. Quoties putamus, eorum conui. ijs & improbitate lacepsitum, pro Dei iustitia acruerit certasse? In tanta verò hostiū iruculentia, an nõ rotidè illi subeunda fuerunt mortes, nisi Dei manu

fuiſſet creptus? Adde, quòd niſi cœleſti virtute fuiſſet ſuffultus, millicies ipſe quozannis ſponte concidiſſet. Maius deinde & diuinius ſequitur in arca miraculum, quòd cœlo & aere priuatus, vitam non niſi in ſepulchro inuenit: ſpiritum vitalem vbi trahat, niſi in morti fera ſuffocatione, non habet: denique quòd non aliter ſuperſtes in mundo poteſt manere, niſi è toto mundo diſcedat. Quum mundum ex diluuiò emerſum Deus quodammodo renouaſſet, ſequutum eſt paulò poſt multo deterius ac magis exitiale diluuium, quòd impietas gentes omnes occupauit. Neque hoc decem menſium fuit: ſed longa annorum ſerie graſſando, vires collegit: vt ipſa quoque familia Sem, ſanctius Dei peculium, propemodum abſorpta foret: niſi quòd Melchizedec, cum paucis purum Dei cultum retinens, inter innumeros fluctus reclus integérque ſtabat: quæ illi vnica fuit enatandi ratio. Abraham verò, vt Deus ſaluum haberet, è profundo idololatriæ gurgite eum eduxit. Porrò, in terram, quæ illi deſtinata erat in hereditatem, traductus ſic in ea peregrinatur, vt nunc litigare de aqua cogatur, nunc eum fames aliò diſpellat. Apud duos reges, quòd mortis periculum effugiat, non aliud inuenit remedium, niſi vt ſuam vxorem vita ſibi chariorem, exponat veluti in prædam. Eaſdem atque etiam aſperiores moleſtius ſubeunt filius & nepos, quotidie cum ſeuis & barbaris hominibus, non citra vitæ diſcrimen, quaſi cum feris beſtijs dimicantes. Cerrè ſi cui in tuenda eorum ſalute, conſpicua non eſt Dei manus, eum pluſquam cæcum eſſe oportet. Nec verò ſine cauſa Dauid iſtud Dei præſidium, quòtuti fuerunt, ſingulari elogio proſequitur: quum prohibitos fuiſſe dicit Reges, ne Chriſtos Domini laderent, nève Prophetas eius eſſent moleſti. Pauci erant numero, alienigenæ & ignoti homines: vagi huc & illuc oberrabant: perfidis & immanibus populus vndique cincti: momentum nullum immune habebant à nouo aliquo diſcrimine. Spectaculum quidem hoc fuit ſuperbis hominibus contemptibile, & ferè propudioſum, fateor: verum, in hoc contemptu, vt iam dixi, tanquam in ſpeculo, melius refulgebat extraordinaria Dei tutela. Immo, clarius perſpicere licet, non ex vno tantum diluuiò, creptam ſemel fuiſſe Eccleſiam: ſed longa atatum ſerie in cotinuis malorum exundationibus fluitantem nihilominus duraſſe.

Sequitur Aegyptiaca ſeruitus, quæ ab vniuerſali naufragio parum differbat: niſi maturè Deus opem tuliffet. Omitto contumeliam, ac onerum iniquitatem: quòd ad viles ſordidifque operas mancipati, quòd additi immanibus ærumnis, agrè ſpiritum trahabant. Sed quum maſculi ſemen penitus aboleri iuſſiſſet Pharaò, quis non ad extrema ventum eſſe dixiſſet? Mentiantur obſtetrices, ne regie crudelitati miniſtras ſe præbeant. Ipſe denique, gentis liberator Moïſes, iuncea arca incluſus, ad ripam fluminis proyicitur. Deſperata omnium ſalus, totumque nomen prorfus deletum videbatur. Quàm inſigne ergo hoc Dei miraculum eſſe iudicabimus, quòd qui decies conſumpti eſſe poterant, non modò integri manent, ſed incredibiles illos faciunt progrefſus, qui referuntur à Moïſe? Hic verò ſe oſtendit in reputandis Dei operibus pluſquam maligna hominum prauitas. Nam ſi quid opinione ſua maius à Deo editum fuiſſe audiunt in Eccleſiæ ſalutem, quaſi fabuloſum reiſciunt. Quicquid vulgare eſt, nec aliàs inſolitum, fortuitò accidiſſe, vel ſaltem humanitus, iactantes, contemnunt. Si autem minus proſpera aut leta eſt Eccleſiæ conditio, hoc protinus arripiunt ad ſcandali materiam.

reriam. Proinde quòd miseris Iudæis lateritium opus, tam graue & illiberale non secus ac iumentis imponi: quòd masculam eorum sobolem ab utero ad necem postulari: quòd turbam ignobilem tumultuariè collectis vasibus clanculum aufugere Moyses narrat: hoc plurimis indignum esse Ecclesiæ gloria videtur. Quòd Iacob cum sua familia comiter à Pharaone fuisse exceptum, quòd benignè tractatum, & in opimis pascuis collocatum refert: hoc in secunda fortuna deputant.

Quòd non ita longo temporis successu in populum ingentem creuisse familia vna dicitur: quòd tradit idem Moyses, tot à Deo edita fuisse portenta, vt perditos ac desperatos Israelitas redimeret: quia fidem excedit, quasi fictitium subsannant. Ergo vt puras ad consideranda Dei opera mentes afferamus, hac prauitate nobis ingenita, antè purganda sunt.

Ne historiam texere videar (quod minimè præsentis est instituti) quæ magno orationis splendore ornari merentur diuinæ in seruanda Ecclesia prouidentia exempla, leuiter quasi in transcurso attingere mihi satis est. Quamquam ne decimam quidem partem attingere patitur operis ratio. Nec verò id magnopere necesse est: modò ex paucis vnum hoc quod volo, agnoscant lectores: quò magis sub cruce oppressa fuit Ecclesia, eò clariorem in ea erigenda Dei virtutem extitisse. Ex quo in terram Chanaan ingressus est populus, quo minus vacuam ab hostibus tranquillamque possideat, sua illi obstat incredulitas. Continuis deinde hostium incursionibus impetitur. Fractus deinde contusisque viribus, prædæ ac direptioni patet. Præterea dominos sæpius mutat, qui tamen certatim in eum perdendam conspirant: vt mirum sit tot ac tam diuis propinquisque cladibus fuisse superstitem. Certè, post captam Domini arcam, ne latum quidem digitum, ab vltima desperatione aberat: afflictus erat plusquam atroci clade: totus propè flos virorum perierat: palati ac dissipati, nihil aliud quam fletus & lamenta meditabantur.

Ne remedium quidem præmalorum grauitate quærentibus, aliqua primùm datur relaxatio: postea subito præter opinionem è cælo salus affulget. Occiso Saule simile instabat excidium, quum Dauid res collapsas momento restituit. Si continuus pacis prosperi que status tenor fluxisset, posset quidem maioribus prædicari encomijs rara illius populi felicitas: sed tot mirificè à Deo allatæ salutes non perinde agnoscerentur. Quum postea decem Tribus se à corpore alienant, tale dissidium inter multos hostes, acriter nocendi occasioni intentos, præsentem interitum minari videbatur. Degenerant postea Israelitæ in alienos ritus. Itaque, abdicantur quodammodo à Dei familia. Residuam partem, quæ Ecclesia Dei censetur, diu staturam esse nemo putaret. Et sanè eo sæpe necessitatis conijcitur populus ille, vt salute desperata, extrema quæque attonitus expectet. Tempore Achaz, quum duopotentissimi reges ipsam quoque Ierosolymam aggressi essent, tota regio quasi duplici incendio correpta iam flagrabat: Achaz pauore exanimatus ad primos hostium insultus facile concidisset. Extinguitur subito tantus ignis absque hominum manu, fumus etiam discuitur. Annon in liberatione ista, Dei gloria pleno se fulgore effundit? Quum verò Sennacherib regnum præsidijs nudatum occupasset, trepidam urbem & ad resistendum minimè instructam furiose inuadit: rex Ezechias ferè similis est capto, nullam effugium, nihil intus opus, nihil aliunde subsidij: dum hostis plusquam insolenter se efferens aliò mox abripitur, annò tam hæc inopinata mutatio verū esse ostendit, quod ab Iesaja prædictum erat, Esse promptè Deo ra-

tionem, qua truculentam bestiam illam vel domaret, vel cohiberet? Sed ubi paulò post noua victoria in status reuertitur, longè aliud gratiæ potentisq; suæ specimen in soluenda obsidione, edit Dominus. Neque enim per homines eum inde reuocat, vel usitatis modis frangit illius impetus, mediòsque conatus abrumpit: sed inaudita strage per manum Angeli exercitum illi nocte vna adimens, inermem ac spoliatum ignominiosa fuga procul à Iudæa profligat, quam victor ingentibus copijs tenebat. Hoc certè vnum facinus amplo documento est, nihil interdum magis expedire, quàm Ecclesiam extremis angustijs vrgeri, vt mirabili Dei potentis, quòd incolumis euadit, tribuere discat. Nos verò bis ingrati, si velum vltro nobis opponimus, quod diuini erga Ecclesiam fauoris conspectum obscuret, ubi illa stre eius speculum nobis Deus ipse ante oculos ponit.

Iam vix vlla magis coram mundo pudenda Ecclesiæ deformitas fingi potest, quàm Babylonicum exilium. Crudelis rerum omnium direptio, foeda terræ populatio & vastitas, vrbs incendijs & violentia hostili dissecta & lacera, templum horribili ruina excisum, totius sacræ supellectilis indigna spoliatio, quantum hostibus insultandi licentiam dare poterant? Et ea quæ nunc recensui, ostendunt, quàm insolenter se extulerint Chaldæi. Omnium verò conuictijs & sannis passim impetitum fuisse Dei cultum, verisimile est. Atqui, hæc tantum quadam erant veluti præludia. Populus Babylonem abductus, non secus ac mortuum cadauer in sepulchrum reconditur. Quanquam hoc quoque interest, quòd lacera partes huc illuc dissipantur, ne rursus coalescant. Nulla amplius Dei regia, nullum sacrarium, nulla cultus species, nulli solennes cætus, nullum denique superest Ecclesiæ nomen. Ac ne quid ad extremam contumeliam desit, in superbis & impuris commensationibus sacra vasa ostentui habentur. Quin eò vsque grassatur scinitia, vt Deum inuocare capitale sit. Sed facit hæc tam immanis omnium malorum congeries, vt in restituenda populi salute, magis emineat Dei virtus. Primum, quòd Daniel & eius socij in raram potentiam ex seruitute euehantur, vt aliquid leuationis miserè oppressis fratribus afferant: hoc iam documento palam factum est, Ecclesiam, ubi videtur penitus relicta, curæ tamen esse Deo. Quòd tres sancti homines, qui in fornacem coniecti fuerant, salui inde ac integri euadunt: memorabile in primis specimen liberationis populi mox futuræ illic relucet. Reditus autem ipse populi non minori admiratione dignus fuit, quàm inaudita quadam resurrectio: vt verè in Psalmo fideles iactent, se tunc somniantibus fuisse similes. Iam quòd commeatus à Rege præbetur, quòd templum extruitur sumptu regio, quòd grauius edictis prohibentur à Iudæis iniuriæ, pudeat nos non agnoscere Deum harum rerum authorem, quum totidem incredulis fuerint portenta.

Hæc autem consyderatio dici non potest, quantopere ad iuuandam augendamque fidem nostram valeat. Quo conuincitur eorum ingratitude, qui in tam bene ordinato gloriæ Dei theatro, scandalum quo impingant, sibi fingunt. Porro, in terram suam reuersi, subito incredibilem in modum, tam hominū numero, quàm opibus augentur. Hoc quoque non obscurum diuinæ potentis miraculum est, præsertim quum nulla illis daretur ab hostibus relaxatio. Scimus enim tot fuisse aduersis copijs obsessos, quot vicinæ erant in circuitu gentes. Verum, vt in cruce clarius refulgeat extraordinarium Dei præsidium, non multò post alijs identidem atque alijs cladibus sic proteruntur, vt iam vltima internecio appareat. Sub Persa-

rum imperio tamen si eorum conditio fuerit tolerabilis, tamen velut oves mactationi destinatae, parum à macello interdum abfuerunt. Ne immanem suum impetum in eos profunderet Alexander, coelesti oraculo cohibitus fuit. Quum verò post eius mortem, Syria & Aegypti Reges quasi truculentæ bestia in rabiem accensa, mutuò se discerperent, nec ullus esset vltro citroque sciendi finis, quis gentem in medio sitam, & vtriusque libidini expositam diu fore superstitem sperasset? Nec sanè tot ac tam varijs cladibus deiecta stetit, nisi Deum habuisset custodem, manùque eius suffulta esset. Tandem sub dira Antiochi tyrannide, quasi in profundum gurgitem demersa, nullam amplius lucis scintillam in toto mundo habet. Tota regio sanguine innoxio exundat. Ierosolyma horrenda cadauerum strage, quasi pavimento sternitur. In templo collocatur execrabile idòlum. Abolitis Dei institutis, profani ac degeneres gentium ritus regnum occupant. In ignem projiciuntur sacri omnes libri, vt Dei veritas ex hominum memoria penitus excidat. Quisquis hiscere audet, imo quisquis dolore ingemiscit, ac non potius se perfida simulatione contaminat, protinus ad lanienam protrahitur. Machabæi cum manu à se collecta, in cauernis montium vagi & inopes inter feras latent. Quòd in tanta desperatione, manent tamen reliquæ piorum, quæ postea emergant, quis neget admirabili Dei providètia fuisse seruatas? Quòd Moisis & Prophetarum libri ex illis flammis illesi euadunt, quis humana custodix tribuat? Denique temporum illorum historia, longè certius testatam nobis Dei providentiam facit in protegenda Ecclesie salute, quàm si magnificos de omnibus populis superbosque triumphos egisset. Idem & aliæ quæ postea comigerunt perturbationes, spectaculum nobis præbent. Nam quum vsque ad Christi aduentum, nunc externis bellis, nunc intestinis factionibus, nunc barbara principum libidine, quasi assiduo rotatu vexati raptatique fuerint Iudæi: factum est tamen singulari Dei beneficio, vt Ecclesia inter istas turbulentas conuersiones, in suo gradu steterit. Hic nobis in mentem veniant tot sancti viri, imo & mulieres, quibus eorum quas recensui calamitatum deuoranda fuit indignitas. Nonnullis, qui ad proueciã vsque ætatem vixerant, necesse fuit per longas & multiplices malorum ambages errare, & tandem anxie mori, quum nullum exitum viderent. Hac sanè erant scandala, quæ à recto cursu depellere ipsos possent. Et tamen fide eluctati, vocationem suam constanter persequuti sunt. Nunc verò tam animosa eorum strenuitas non modò instar vehiculi, quod lassitudini nostre medeaturs, sed loco alarum esse nobis debet, quibus supra arduas rupes, spinosos perplexosque saltus & quæuis abrupta transuolemus. Euentus autem lætiores, qui fidelis in seruanda Ecclesia Dei curæ testes sunt, nisi omnem scandali sensum nobis tollant, plus iusto sumus molles ac delicati. Immo hoc fastidium minimè ferendum est, si in plano itinere scandalum praua imaginatione nobis ipsi obijcimus.

Quòd si in veteri populo hoc boni semper habuerunt Ecclesie infortunia & ærumna, vt presentius Dei auxilium secum adferrent, ac quò grauior fuit crucis pressura, eò clarius ostendit Deus sua manu erigi Ecclesiam, creclimque sustineri: sub regno Christi longè clarior est huius rei conspectus. Si per continuos patris successus, florentem iucundumque statum retinuisset Ecclesia, ex quo publicari cœpit Euangelium mundo: nempe, hæc fuisset humanitus vsitata ratio, quam omnes contemptim præterissent. Verum, quum aduersus exigam & contèptibilem

manum protinus efferbuerint gentium ordinumque omnium odia: quum nomen Christiani diu sic fuerit ubique inuisum ac detestabile, ut singulis momentis parum ab interitu distaret: quum passim diuisis modis sæuitum fuerit in eos omnes, qui vel obscuram aliquam Christianismi significationem dare audebant: quum ad extinguendam eorum memoriam facta esset totius orbis conspiratio: quòd Ecclesia nihilominus semper aliqua durauit, hic insolita virtus & arcanus nescio quis vigor apparet. Hoc dico, quum templa Christianis essent ferarum in syluis & montibus latebræ: nusquam tutum domicilium, & extrema infamia parique odio flagrarent, quis nomen Euangelio dare non horruisset, nisi diuinitus excitatus? Atqui, subinde multi certatim ex destinato ad subeundum tale dedecus, ad miserum illum & seruillem metum aduolabant. Simul atque Christum professus erat quispiam, non modò ad mortem rapiebatur, sed sæui cruciatus simul erant propofiti. Nulla sexus, nulla ætatis misericordia erat. Aliquos fuisse reptos, qui hac mercede Christiani esse uellent, nonne plusquam mirum est? Ut quisque captus erat, acerrima de socijs questio habebatur. Si quando in tormentis uocem continuit, qui in tyranni necem cum alijs conspirauerat, ne conscios detegeret, omnes constantiam mirantur: in tot prouincijs, in tot urbibus innumera seruata ad extremum fidei exempla, annon linguas diuinitus fuisse gubernatas testantur? Cùm autem in singulis hominibus, ac sæpe etiam in mulierculis periclitaretur tota Ecclesia salus, in eo certè insigne miraculum fuit, quòd non breui omnes funditus sublatti fuerint. Atqui, inter t. t. diminutiones, excidijs non multum abstinentes, latius tamen propagari non desit. Idque uerè fuit sub crucis ignominia triumphare. Imò qui omnes circumstantias, qua decet a quietate, reputabit, inter mortes innumeras fatebitur continuam fuisse multarum resurrectionum seriem. Quod pro sua difficultate, nobis incredibile foret, si quis narraret posthac futurum: nunc cùm factum est, non modò contemnere, sed offensionis loco ducere, non iudicij est, sed maligni fastidij. Illi quidem maximè uolenti fueruat impetus, sed alia quoque ætates ab eadem crucis uulnere minimè immunes fuerunt. Quin duriora certamina sunt experti, qui sincère ac fideliter Deo seruire tunc uolebāt. Fasces Christi regno submiserat Romanum imperium: uideri Ecclesia poterat in beata quietis & gloria sede collocata: Barbaræ etiam nationes in Christi possessionem concesserant: uerùm hæretici interea ac perfidi homines rerum sic poterbāt, ut probi uerique pastores à suis Ecclesijs per uim, nec sine ignominia fugati, in regionibus ignotis exularent. Ac ne exilium quidè illis permissum fuisset, nisi latuissent ab hostiũ tyrannide. Quòd tam atroci persecutionum uolentia expofita sæpe fuit Ecclesia, quòd ferè prostrata sub hostium pedibus iacuit, procul quidem hoc abest à specie terrena dignitatis. Quòd autem exiguus piorum numerus, in uicta fidei constantia tantos persecutionum fluitus superauit: quòd superstes omnibus tyrannis ac hæreticis fuit Ecclesia, quæ ueram fidei doctrinam ad posteros transmitteret, hoc uerò est luculentum diuinæ uirtutis testimonium, quod supra omnes mundi glorias longè excellit. Ita in presenti Ecclesia calamitate nulla refulget dignitas, quæ cœleste Dei regnum, hominũ oculis repræsentet. Nam ea oppressa, summi hostes ipsius titulo, quasi spolijs ornati, non minus crudeliter quàm superbè eam conculcant. Si quis, eorum impietati uel tantillum ausit obfistere, gladijs, ignibus, ac omne genus tormentis formidabiles, uerè Ecclesiæ in terris locum uix relinquunt.



inueniat, nunc vi & armis impetita, nunc ludibrijs vexata, nunc minis & terroribus fatigata: nihil minus quàm regium illum Christi decòrē tantopere à Prophetis commendatū, præ se fert. Verum, quum minaciter terrendo, ac furiosè saeuendo, non eò tamen vsque proficiunt impij, quin Dei Ecclesia sub crucis humilitate, firma recliàque subsidat: cur non in hac mirifica eius conseruatione, Dei gloriã exosculamur? Si quis rerum peritus, quàm multa per hos triginta annos ad eam perdendã machinati sint impij, secum animo reuoluat: non fuisse centies penitus deletam, mirari cogetur. Et nunc quòd intra biennium miserè discerpta fuit, lacerãque eius partes à leonis faucibus parum absunt: tamen si multorum animos frangit, optimo Dei consilio factum esse tandem sentient fideles, quòd manum suam in ea liberanda clarius exerat. Neque enim ab ipso seruari, nisi ex morte ereptam, agnoscimus.

Huc postremò accedit & alia ratio, quòd ferociam nostram domari subigique crucis disciplina plusquam necesse est. Videmus vt Ecclesia, quæ in medijs vexationibus spiritali vigore floruerat, nimis leta pace diffluit. Hodie quum sub duro austeròque frano nos Dominus constrictos teneat, videmus vt passim omnes ferè lasciuant. Quid fieret, si liberè exultandi daretur occasio? Quum Euangelij professio longè latèque in Germania regnaret, & integræ adhuc essent eorum vires, qui ad tuendam bonam causam videbantur animati, hãcque fiducia susceptum esset luctuosum hoc bellum, quòdque infeliciter cessit: erectis in magnas spes partis nostræ animis: dixi aliquando publicè, plus à nostrâ, quàm hostium victoria nobis instare periculi. Neque enim tam metuendas esse vllas clades, quàm nimis triumphale, vt ita loquar, Euangelium, quod nos ad insolentiam efferret. Nec verò me istius vocis hodie quoque pœnitet. Nisi profana licentiã Dominus obuiam maturè iuisset, morbus fuisset temporis successu propemodum incurabilis. Nulla doctrinã, pijsque monitionibus fuisset authoritas. Mediocrem disciplinam qui nondum admittere sustinuerant, iugum omne, non secus ac indomitã belluã, violento impetu rupissent. Tanta infamiã macula ab Euangelio abstergi non potuit, quàm si ad modestiam vi & malis coacti fuissent, qui eam sponte hæcenus discere noluerant. Rursum, hoc examine, quali quisque esset animo, patefecit Dominus. Magnificè omnes Euangelium sub vmbra iactabant. Primas in multis locis tenebant scelerati hypocritæ. Post cladem verò acceptam, quidam magni nominis principes protinus exanimati, nobiles respublicæ, metu nescio quo attonitæ, sponte conciderunt. Hic se plusquam effæminata mollities, imò perfida ignauiã apertè prodidit. Impias & sacrilegas a Christo defectiones intra biennium in natione vna plures vidimus, quàm narrent omnium temporum gentiũque historia. Quàm infractum verò sit fidei robur, vbi Spiritus virtute corda sustinentur, palam in alijs factum est. Heroica magnanimitas, quam Dominus in homine vno victo & capto, seculis omnibus spectandam proposuit, nunquam nisi tali crucis experimento credita fuisset. Insignia quadam eius generis exempla, quæ referre promptum esset, consultò prætereo. Sed hæc & alia innumera quisque apud se expendat. Iam mulieres ad mortem raptari aiunt, quòd minus habeant veniã non viri tantum, sed toti populi: qui vt breuem caducã pacem vsuram redimerent in mundo, Filium Dei æternæ vitæ auctorem abnegare, seque cœlesti eius regno priuare non dubitarent. Postremò,

quorsum profutura sint quæ vulgò nunc in grauibus malis reputantur, Dominus ipse melius nouit. Nostrum est, quicquid calamitatum acciderit, forti animo accipere: exitum, qualis optandus est, à Domino sperantes: semper quidem hoc habere constitutum, ut cunque ad tempus prematur Ecclesia, optimum Patrem, qui singularem eius curam gerit, nunquam passurum, ut obruta deficiat. Si Christum in medio hostium dominari oportet, sicut Spiritus testimonio olim testatum est, regnum eius inter nos sine militia & continuis certaminibus esse non potest. Si nos ouibus similes sumus maclationi destinatis: aduersarij autem luporum instar rabie ardent: veniat nobis in memoriam illud Domini præceptum, possidendas esse in rolerantia animas, donec suam ipse virtutem in nostra infirmitate perficiat. Certè, nihilo felicius habebant Apostoli, quum intrepidè clamarent: Vt quid tumultuantur gentes, & populi meditantur inania? Nos quoque si tencamus quid valeat illud, In celo Deum ridere, quum impijs habentis laxat, eadem qua Apostoli, fiducia instructi, toti mundo quantum armato securè insultabimus.

Sequuntur scandala, quæ iterum ex doctrina vulgò creduntur provenire: sed re vera humane vel proteruitæ, vel inscitæ, vel curiositatis proprij sunt ac germani fœtus. Scriptura de naturæ nostræ corruptione ita docet, quod ingenitam ex utero vitiositatem ac malitiam afferamus: ita non posse ex mala arbore prodire nisi malos fructus, donec Christi gratia simus in integrum restituti. Hic colligit humana ratio, non tantum carere homines ipsos culpa, dum peccant: sed Deo culpam meritò posse ascribi, qui tales eos creat, ut nati ad peccandum videantur. Interroget unusquisque suam conscientiam: protinus conuictus obmutescet. Illic enim reperimus quod Scriptura toties testatur fontem omnium vitiorum esse prauitatem, quæ in nobis hæret. Nos ideo mala omnia perpetrare, quia quod Deo displicet, appetamus. Qui fit igitur, ut quos intus reos peragit propria conscientia, vanas excusationes hinc inde auide conquirant, ad se & alios reatu exuendos: neque eo contenti, Deum quoque in crimen vocent? Nisi sponte se fallere in suum exitium illis liberet, annon vitium, quod in se cernunt, damnarent potius, quam aliò causam transferrent? Sed agedum, quia qualemcunque duntaxat blasphemjs suis pretextum quarunt: ostendamus vno verbo, nullo eos colore impudenter maledicere. Quem voluntate peccare constat, isne innocentem se iactabit? Vbi omnia dixerint, illuc demum veniendum, Nihil, nisi quod sponte committunt, illis à D E O imputari. Et quis hominum, ipsos in voluntarijs malefacijs absoluet? Porro, quòd homines iure damnant, an damnare non erit Deo liberum? Atqui tamen cum D E O exostulant, quòd non meliorem illis mentem, & cor etiam rectius dederit. Quasi vero non dedisset initio. Nam prauitatem, quæ in nobis regnat, doctrina nostra non fert acceptam Dei creationi, sed naturæ corruptioni assignat. Excipiunt rursus, Iniquum esse, alieni delicti pœnam sibi infligi. Ea fortè exceptio nonnihil haberet coloris, si à proprio peccato ipsi immunes, aliena culpa grauari se ostenderent. Sed quum etiam in primo parente naturam ita perdiderint, ut sponte sint vitiosi, quid sibi, tanquam insontibus, fieri conqueruntur iniuriam? Scilicet faciunt, quod perditissimi latrones solent: qui dum ad supplicium rapiuntur, probis vnde cunque arreptis iudicem lacerant. Et sunt eiusmodi homines sæpenumero, sicut ad perpetranda

tranda maleficia prompti, ita etiam faciendi ad conuictandum. Quid autē ita ferociter insultando proficiunt? Neque enim aut lenatur eorum ignominia, aut iudici macula vlla immitur: idque ipsi norunt: sed desperatione excæcati, miserum ex ridicula vltione solatium capiunt. Hæc tamen eorum blasphemis respondi, qui impietatem ex professo suã produnt. Sed restant Sadoleti, Pigri, similitumque calumnie, quibus doctrinam nostram insanant, quasi varias & propè infinitas absurditates secum traheret. Illinc verò si quid est scandalum, ideo est, quòd scripta nostra non leguntur. Quid ergo facerem, nisi vt omnes eos horter, qui præpostera offensione abrepti, ignotam veritatem refugiunt, ne duplicem temeritatis penam sibi accersant? Nam & se fraudant oblati: sibi salute: nec illis impune cedit, causa inaudita, secundum mendacium statim pronuntiasse.

Quòd verò Prædestinatio mare est scandalorum, vnde id contingit, nisi ex nostra vel curiositate, vel petulantia? Hic de arcano Dei iudicio agitur, cuius fulgore humanas mētes, si propius accedat, non perstringi modo & hebetari, sed penitus absorberi necesse est. Et tamē quantum se rebat captus noster, quantumque nostra intererat, Dominus Scripturis præfecit. Nos scilicet esse omnes perditos, nisi quos ad vitã eligēdo, à morte redimit: ad eos Christi gratiã solos peruenire, qui gratuita electione, antequam nascerentur, ad salutē præordinati fuerāt: alios, sicuti sunt, æterno exitio destinati, in suis peccatis manere. Vltra progredi etiam si fas esset, non tamen expediret. Nunc verò, cum non minus impium sit, quàm noxiũ, vnde nos, tanquam iniecta manu, ardet Dominus, percurrere: officii nostri erat, quod Dominus tradit, reuerenter amplecti: & eo contentos ab omni alia inquisitione abstinere. Vera enim sapiendi regula in hac parte talis est sobrietas, quæ nihil amplius scire appetat, quàm quod Scripturis est reuelatũ. Nihil certè absconditũ à nobis Deus esse voluit, nisi cuius aut superuacua erat cognitio, aut magis abstrusa, quàm vt eius percipiendæ simus capaces. Quò magis ingrati sumus, nisi nostrum inquirendi studium attemperamus ad eum, quem ipse tenuit modum docendo. Quid ergo miramur, si in abyssum se præcipitant, aut scopulis allidunt, qui phreneticorum more, aduersus Deum violēto impetu ruunt? Deum tyrānidis accusant, quòd exitio adiudicet nondum natos. At sentient olim iustum iudicem: in diuinitus sentiant, etiam si non agnoscant. Causantur frustra dari præcepta de moribus, frustra leges ferri, iniquè etiam exerceri iudicia puniendis maleficiis, quum fati regantur omnia, vel potius rorentur. Quasi verò non ita suos electos Spiritu sancto moderetur Deus, reprobos Sathana agitandos permittat, vt illis doctrinam pietatis & exhortationes fructuosas reddat: hos teneat contumacia conuictos & inexcusabiles, quia moniti non paruerint. Omitto, quàm nihil proficiant, Dei prouidentiam calumniosè Fati nomine insanando. Neque enim vel intricatos causarum nexus somniamus cum Stoicis, vel astris subiicimus mundi gubernationem, vel necessitatem comminiscimur in ipsa rerum natura. Atqui, ea est, quam Fatalem vocant profani homines. Longè igitur aliud est Dei prædestinatio quàm fatũ. Sed facessat logomachia. Si fixa est, inquit, æterno Dei decreto rerũ necessitas: superuacuum est docere, quale sit cuiusque officium. Nihil enim ex eo quod iam cõstitutum est, mutabit doctrinã. Atqui, expendere rursum debebant, à Deo quoque ipso ordinatã in hunc finem esse doctrinam, vt arcum eius consiliis subscriuat. Quos æterna sua adoptione præordinauit ad vitam, nonne doctrinã, quasi ponnēta manu, ducit quò destinauerat? Quid enim aliud est efficax vocatio, quàm electio, quæ prius latebat, cõplementum? Reprobos variis obiurgationibus cõpellat, nullo, vt videtur, profectu. Verum, cum ipsos inexcusabiles hoc modo reddat: hic que que nēnulla doctrine vis apparet. Nō animaduertunt stulti homines, quàm pulchro inter se ordine cõsentiãt Dei opera. Hinc fit, vt doctrinã, quæ nihil aliud est quàm æternæ eius voluntatis ministrã, cum vo-

luntate ipsa temerè in certamen committant. Proinde discamus, non hominibus ideo loqui Deum, ut que apud se olim decreuit, reuocet, aut etiam corrigat: sed potius ut effectu ipso comprobet, quàm firma sint & stabilia. Quos ab initio semel elegit, fieri nequit ut pereant: sed quia perire ipsos nō vult, in fidem tutelamque Christi tradit. Porro, ut Christū habeat pastorem, à quo custodiantur, in eius ouile colligi necesse est. Itaque quum pastorem vocem audiendo salutem electi consequuntur, nihil aliud quàm externa Euangelij prædicatione ad suum finem perducitur ipsorum electio. Eandem & reprobis doctrinam iubet proponi. Cur? An ut quod de illorum exitio statuit, euertat? Quin potius ut obstinata eorum incredulitas, magis patetificet, quid valeat occultæ electionis gratia. Quale enim illustrius speculum, in quo hæc perspicuè reluceat, fingi potest, quàm dum in cōmuni doctrina, eadem Dei vocatione, pari vocandi organo, tantum est hominum discrimen, ut alij pertinaciter respuant, quod alij obedienter amplectuntur? Videmus tamen interea, ut verbum quod hominis ore profertur, etsi impiorum corda non emendet, feriat tamen ipsorum conscientias, & lasciuam, instar fræni cohibeat.

Iam de scandalis, quibus secundum ordinē assignauimus, est differendū. Querūtur multi, Euāgelium discordiarū esse fontem: quia simulatque emergit, vnā surgunt cōtentiones: imo nō secus ac si clisicū cecinisset, homines inter se armantur. Fatendū est sanè quod Christus pronuntiat, simul cū Euāgelio dissidia ferè & pugnas exoriri: sed qua id occasione fiat, reputandum est. Primum, si contumaciter insurgunt homines, quum eos in ordinem cogere vult Deus, qua id ratione fiat, iam prius diximus. Difficile est, ut qui sibi nimium sapiunt, dociles se Christo præbeant. Iam verò, cū affectus carnis, qui in hominibus regnant, totidē sunt quasi feroces ac indomitæ belluæ, miramur si tumultuose in gregem & fræno resistat? Atqui, quum indignum est, cuius mal. causa in nobis reperitur, culpam in Euāgelium conferri. Nihil rectius faciunt, qui turbarum metu, & discordiarum odio, à pacis doctrina abhorrent. Tranquill. situ nihil putant esse melius. Quid ergo, si tyrānus quispiam hoc sauiiæ & immanitate sua cōsequutus sit, ut dum virgines matronasque ingenus ad se rapit: dum fortuitis & primū quenque sfoliat, dum iugulat trucidatque innocentes, metu omnes attoniti sileat: anne hoc prætextu tyrānis laudem merebitur? Nunc si queritur, quoniam sit p: x ista, quam Euāgelij iactura redimere multi non dubitāt: hoc sanè constabit, vitiosus peruersasque religiones placidè & absque motu obtinere, quia deterrimus omnium tyrānus Sathan impudē hominibus semimortuus insultat. Tamet si quoad externam corporis seruitutem attinet, tolerari forsitan potius interdum expediat, quàm libertatis asserendæ causa, tumultum mouere, qui in cædes & confusam vastitatem erumpat. Verū, ubi de æterno animæ exitio agitur, nihil tanti esse debet, ut mortiferam pacem vel appetamus, vel etiam voluntarij colamus. Quid etiam quod Filium Dei ita imperij sui iure fraudamus? Atqui, cœlum potius terræ misceri præstaret, quàm illi minui honorē à Patre datum, nedum proysus eripi & abdicari. Nos scilicet viuemus alicni à vitæ principe: ut pax nobis cōstet apud homines, bellum ex professo aduersus Deum suscipiemus? Ne dissidium cum improbis habere cogamur, à Christo dissidere nō recusabimus, per quem sumus vnā cum Angelis Deo reconciliati? Nimis fore indigna merces. Nec verò Christus, cū pacatum Sathanæ regnum describit, ideo appetendum esse docet: quin potius summi beneficij loco fore hoc promittit, ut fortior cum illo confligens, iniusta illum tyrānide spoliaret: nam si tam animosos cernimus, qui ambitiosè pro imperio vel libertate sua dimicāt, ut quosuis excipere motus nō dubitent: ubi turbarum procellas excitat Sathan, ad turbandum Christi regnum: quanto nos fortiori animo cōiurā obniti decet? Filius in patrem insurget: pater filij vitæ non parceret: fratri insidiabi-

itur frater. An ideo sunt hæc prædicta, ut sibi ab Euangelio cauant homines, ac non potius, ut in tempore moniti, nullum ex nouitate terrorem concipiant? Neque enim cum alijs mihi negotium est, quam qui ad fucosæ pacis prætextum, Christi ipsius nomine abutiuntur. Esi sine quoque non latet, turbulentos homines mouendos seditionibus, Sathana esse stabella, ut in Euangelij odium placidos alioqui homines inflammer. Ita nostro seculo sub Euangelij nascentis iniuria, barbaros homines armauit, qui legibus, iudicijs, & omni politia bellum ex professo indicerent. Sed quum nobis minime ignotum sit eiusmodi artificium, modò pacè ex animo queramus, eam vero experimento sentiemus à Deo nobis per Euangelium offerri: ut inter homines quoque nobis constet. Ab Euangelio quidem recedere, ut seditionibus obuiam eatur, nimis peruersum est.

Iusior in speciem hæc scandali causa est, quòd simul ac publicari cœpit Euangelij doctrina: velut aperta scaturigine, multorum erupit impietas, qui religiosi antea visi fuerant. Atqui, longè æquius erat, hoc ad fidei confirmationem valere. Quum hæc Christo partes assignat Simon, ut rete gat ex multis cordibus cogitationes: adeò nemo refragatur, ut plausibilis sit sententia. Quid ergo in re ipsa absurdi inuenitur? fingamus nunquam fuisse dictum: ut sine præiudicio æstimetur quid apparet. Quum ante annos triginta ubique vigeret religio, & in cõmunè receptumque Dei cultum, siue cõtrouersa, omnes cõsentirent, tunc impietas & Dei cõtempus passim ebullit. Principiò, dico nihil esse mirum, si tenebras lux discutiat: ita alias esse cordis humani latebras, tamque flexuosos recessus, ut abyssos propè omnes superet, iam olim proverbio vulgatum esse. Iam, si qua in re fallax est hominum simulatio, mira ergo Deum improbitate ludit, ubi minime fas erat. Huc accedit Sathana & afrities, quòd partim ignorantia cæliginem obducent, partim Dei cultum obre gens ceremoniarum laruis, miram religionis, quæ nulla est, pœpam ostentat. Hoc sub Papatu fuisse vident omnes oculati. Illic enim conscientia, quasi Circeis venenis fascinata, stupet: per longas ambages seruum Dei sensum refugiit. Nã immensum illud ceremoniarum chaos, verè laronum est spelunca: quia hypocritæ sub illis inuolucris abditi, quid vis sibi impunè licere cõfidit. Eiusmodi securitas, si vere factæque religionis discrimen tollit, nihil mirum. Quòd si quando propius ad Deum accedere videntur, non alium in finem multum se fatigat adeoque excruciant, nisi ut interior cordis impietas, talibus remedijs delinita intus quiescat. Nunc, si illata Euangelij face profligatur hypocrisis, ac palam fit impietas, iniusta est ac peruersa, quæ inde suscipitur offensio. Olim inter profanos homines, nisi qui palam veneficus erat, & testamētarius, & periurus, & cooperatus omni flagitio, nemo habebatur deorum contēptor. Nam quum carnales sibi deos fingent, nihil facilius erat, quam religione defungi. Atqui videmus, ut acriter in derisores inuehantur Prophetæ: quod proculdubio non sine gravibus causis faciunt. Ergo impietas quæ se exerebat in Dei Ecclesia, apud incredulos nulla ferè tunc apparuit. An ideo Legè & Prophetas stabella ad eam excitandam fuisse dicemus? An ideo pura religio, quæ hydræ illam in lucem protraherebat, minoris censebitur? Quinetiam in ipsa Dei Ecclesia, nõ nisi post natum Isaac, Ismaelis sœma se proferunt. Qui antea secundus erat à sancto Abraham, repente in sceleratum gratiæ Dei ludibrium erupit: quo meretur à patris familia alderari. An tale exemplum, Abrahamæ domesticos à sancta progenie alienare debuit? Porro, quod in Isaac tenuiter fuit adumbratum, in Christo clarius exprimi oportuit: idque factum te statuer Euangelij historia. Scimus enim, ex quo in mundum ipse productus fuit, quantum opere efferbuerit coris insana, qui prius se religionis titulo venditabant. Quare maligna hæc facessat opinio, Ex Euangelij doctrina scaturire impietatis licentiam: quia velut è litibus in apertam lucem protrahitur. Quin potius hæc ipsum nos oblectet, Rete gi ex multorum cordibus cogitationes.

Quamquam huius rei alia quoque notanda est ratio: nempe quum oblati Evangelii gratiam alii respiciunt, alii contemptum summis tantum labris gustent, alii superbe repudient, an non digna est omnium ingratitude, de qua non mediocrem vindictam Deus exigat? Et profecto seuerè vlciscitur, quum adempto religionis sensu, in horrendam istam cecitatem eos precipitat. Quotquot ergo videmus hodie Lucianicos homines, qui totam Christi religionem subsannant: quotquot item Epicureos, qui nullo Dei metu ad quamlibet nequitiam se prostituunt: totidem sciamus à Deo nobis ante oculos poni vindictæ Dei exempla, quæ nobis Evangelii dignitatem pretiumque commendent. Paulus meritò in reprobum sensum, & sceleris probrique plenas cupiditates coniectos fuisse dicit, qui Dei notitiam, qualis ex solo mundi aspectu concipi potest, iniuste suppresserant: ut qui Deum fraudauerant suo honore, extrema ignominia subiecti, iustam reciperent ingratitude sua mercedem. Quò indignus est sacrilegium Evangelii contemptus, non mirum est, si atrocior de ipso nunc sumitur vindicta. Quid enim? An qui scintillas in mundi fabrica emicantes sua socordia extinguere passi sunt, iure plexos esse fatebimur: qui autem plenum gloriæ Dei fulgorem, qui in Evangelio lucet, destituta malitia obruunt & extinguunt, eos vellemus impune Deo illudere? Quòd si Deum contemptæ, vel abiectæ suæ gratiæ, seuerum esse vindicem plusquam æquum est, cur eius vindictæ, quæ in primis laudanda est, exempla cernentes offendimur? Imo potius decebat, ut iam dixi, sicuti hoc modo Evangelii maiestatem asserit Deus: ita eius reuerentiam in animis nostris sanciri. Evangelium, quo se nobis in Filii persona offert ac donat, quomodo satis dignè excipi potest? Atqui, incomparabilem hunc thesaurum vulgari honore multi vix dignantur: alii abijcunt ad pedes, alii vanis mundi deliciis securè posthabent: multi etiam tanquam aliquod ludicrum, iocose ad profanam oblectationem conuertunt. Quid postea sequuntum est? Quum aliqua saltem religio eorum animis insideret, nunc cunum in morem, aduersus eum latrant. Atque hoc quidè acumine sibi placent, imò semidei videntur, quòd nubibus oppedere non dubitant. At verò, si prodigiosa est hominis in pecudem conuersio, eò magis sunt deplorandi, quòd nullo mali sui dolore tanguntur. Papisitarum ineptias sepe rideant, sed ipsi indigni sunt, qui vnquam ad Papisinum reuertantur. Neque enim vulgares eorum exitus esse conuenit, quibus & sacer Christi sanguis, & æterna Dei veritas, & lux vite, partim visui fuerunt: partim contemptui. Et certè, qui nunc passim regnat Evangelii contemptus, certum est belluinæ cuiusdam vitæ præsagium: nam, quum hoc extremum sit curandus hominum vitæ remedium, vbi Dominus cum Evangelio suo affulget, quibus nihil prodest remedium hoc, eos esse incurabiles constat. Qui verò medicum scientes ac volentes aut eludunt, aut procul abijcunt, vltro sibi quas vis accersunt mortes, ut caput hoc concludam, quibus atrox malum, ut est, censetur impietas, hi ex hac grauitate pœnæ, quam indignè Evangelii sui contemptum ferat Dominus, æstimant: atque hoc documento in eius fide & obedientia confirmantur. Agrippam, Villanouanum, Doletum, & similes vulgò notum est tanquam Cyclopos quospiam Evangelium semper fastuose spreuisse. Tandem eò prolapsum sunt amentia & furoris, ut non modò in Filium Dei execrabiles blasphemis euomerent, sed quantum ad animæ vitam attinet, nihil à canibus & porcis putarent se differre. Alii (ut Rebelaysus, Deperius, & Goueanus) gustato Evangelio, eadem cecitate sunt percussi. Cur istud? nisi quia sacrum illud vitæ æternæ pignus, sacrilega ludendi aut ridendi audacia antè profanarant? Paucos nomino. Quicumque eiusdem sunt farinae, eos sciamus nobis à Domino in exemplum quasi digito monstrari, ut sollicitè in vocationis nostræ studio pergamus, ne quid simile nobis contingat.

Porrò, quia non lapsu tantum suo vel precipitio, infirmos offendunt perditique isti homines

nes, sed impietatis suæ venenum huc illuc profundunt, ut atheismo orbē replerant: huic quoque scandalo obuiā eundū est. Idque facit Spiritus, dū vēturos admonet illusores, qui spem nostram sanis exagitent: sed idē pronuntiat animas instabiles, eorum illecebris fore obnoxias. Ergo ut simus extra periculum, colligenda est in Christo firmitas. Sollemnis mos est impuris istis cambus, quō plus ad vuctandas blasphemias licentiæ habeāt, scurrilem personam agere. Ita in conuiujs & sermonibus suauiter iocādo, omnia religionis principia cōuellunt. Ac primū quidem obliquis facetijs se insinuāt. Hic tamen finis est, ut omnē Dei timorem obliterent ex animis hominum. Nam eō t. videm perriumpunt, religiones omnes ex hominum cerebro natas esse: Deum esse, quia sic credere libeat: futuræ viæ spem lacrimis supplicibus inuentam esse: metum iudicij, puerile esse terribilamentum. Hæ quidem Sirenium voces, deliniendis multorum auribus nimis sunt appositæ: sed quas iā suus pruritus tiullat. Nam quosdam videmus, adeo cupidē quæ ad tollendum pietatis sensum faciunt, captare & venari, ut vixdum percepto paucorū verborum sonitu, repente ab æterna & inflexibili Dei veritate desciscant. Et sanē, quisquis vel modicē in Scripturis sacris versatus erit, legē alibi quā in opinione fundatam esse fidem nostram expertus, non ita facile nutabit. Qui verō insculptū in cordibus Spiritus sigillum gerunt, multum abest quin machinis istis imperiti, concidant. Sed hoc est scilicet quod dicit Paulus, Naufragium facere homines in fide, postquam à bona conscientia exciderunt. Quo significat & hanc esse rectæ intelligentiæ custodem: nec mirū esse si nihil firmum habeāt, qui inter variis cupidit. uū procellas fluctuātur. Itaque nō est quod nos turbet. Atheismus, qui nunc cum in toto mūdo passim grassatur, tum verō in regum & principū aulis, in tribunalibus, in splendidis alijs vitæ generibus præcipuē regnat. Nā si rerū peritos interroge, adeoque eos ipsos, qui se expedire ab hac tēlatione nequeunt, quotusquisque illic bonæ conscientiæ hospitium concedat: in præp. erit responsum, eam procul exulare. Quid ergo miramur illud fidei naufragium, quod Paulus necessariō sequi docet? Porro, si tam sedulo recōditam in arcis pecuniam seruant, quotquot aliquo eius amore tanguntur: qui nullo timoris Dei presidio munitus, vltro se in prædam exponit, quid excusationis obrendet, si cœlesti fidei thesauro spoliatur? Præsertim quum nihil tam exitiale esse nouerimus, quā istas impiorum tendiculas. Neque enim quod ab illis instat periculum, extenuare in animo est: quin potius moneo & testificor, nullos tam esse veneficos serpentum afflatus. Verūm, eō magis ad cauendum, vigilantes ac sollicitos esse nos decebat. Interea ab hac quauis pestifera contagione, immunes fore dico quicumque solidas in Christo radices agere nō ne glexerint. Neque verō hoc meum, sed Pauli dictum est: Crescendum esse in Christi notitia, donec adolescamus in virum perfectum: ne simus amplius obnoxij hominum versutiæ, qui nos circumuenire tentant. Simul tamen altera Pauli exhortatio audienda: quando hac lege desponsi sumus Filio Dei, ut integram illi seruemus coniugij fidem, in primis cauendum esse, ne suis lenocinijs nos corrumpat Sathan: nam si aliquod iam impudicitæ signum dedisse videtur, quæ lenonis illecebris aurem præbuit mulier: parum castas esse animas apparet, quibus ad perfidam defectionem sollicitari dulce est.

Non absimilis est errorum omnium ratio. Labascit multorum fides: alij etiā prorsus ab Euangelio desciscunt, quia erroris segetē esse conijciunt. Quasi verō à terræ cultura & satione quisquā abhorreat, quia purum semen in lolium sape degenerat. Ne quem percelleret rei nouitas, admonuit Christus hoc futurum. Tametsi enim hypocritas illic Zizanij comparat, tritico veros ac germanos Dei filios: hanc tamen vsitatā Sathana fraudem esse ostēdit, corrūpere quibuscūque potest modis & vitare cœlestē Dei semen, ne ad frugē perueniat. Mundū instar deserti & inculti agri scimus diu iacuisse sterile: nunc Euāgelij doctrinam

seminavit Deus per suos ministros. Miramur, si Sathan quasunque potest errorum corruptelas misceat? Et quæ non statim à primo Evangelij exortu falsorū dogmatum plaustra inuexit? Omitto innumeram multitudinem. Sed Valētini, Montani, & Manichæorum delirijs quid magis prodigiosum fingi potest? Perquam verò ridiculū est, eos qui Euāgelij lucem tam densis tenebris nō fuisse extinctā, miraculi loco ducunt, vim eius contra tot machinas stetit inuictam cum plusu audiunt, quia nūc quoque mendaciū tenebras offundat Sathan, Evangelij doctrinā inensos reddi. Verūm, quia ad hunc scopulū varijs modis impingitur, breuiter ostendā nullam esse offensionis speciē, in qua non sponte vel socordia, vel alio proprio vitio singuli incurrant. Qui simpliciter vnum hoc obtēdunt, sectas ex Euāgelij doctrina pullulare, hi partim qualēcunque prætexitum captant, partim nimia leuitate mali causam in Euangelium transcribunt, quæ alibi residet. Quisquis aperire oculos dignabitur, Euangelium perspiciet nō modò puram ac liquidam esse Dei veritatem, sed optimū sanctæ vnitatis vinculum. Nunc si contrā insurgit Sathan, vt hanc lucem errorum nebulis obscureret, ac vnitatem laceret, in quam coalescunt Filij Dei, officiū ille suum facit. Est enim & mendaciū pater, & dissidiorum omnium author atque artifex. Nostrū ergo erat eò intentius in querenda veritate laborare, inuentam constanter amplecti. Non modò abstinet isti ab omni eiusmodi studio, ac refugiant: sed hunc defensionis clypeum opponunt Deo, ne obedire eius imperio cogantur. Alij tametsi data opera non querunt quomodo repudient sanam doctrinam, quum tamen leui occasiois aura perciti resiliunt, nihil habent iustæ excusationis. At verò non abs re timent, ne si incerti quò eundum sit, flexibiles se prebeant, sua hac facilitate implicentur errorum laqueis. Est hoc quidē aliquid, sed eius periculi alia melior erat cautio: nempe, vt se pia humilitate, modestia, sobrietate, reuerentia, Deo subijcerent. Neque enim frustra promissu Christus, pulsantibus ianuam apertum in. Nec frustra spiritu iudicij & discretionis à Patre donatus est. Non frustra etiam per os Iesaiæ promittit Dominus pædagogum se fore populo suo, qui ad regēdos eius gradus à tergo præsto sit. Denique, non fallendi nec frustrandi causa, viam vitæ nobis in verbo suo monstrari pronuntiat. Vnde apparet bonam hominum partem hoc ipsum ingeniosè appetere, vt contemptis remedijs in suo malo torpeat.

Quòd autem multos videmus, hoc vel illo errore captos, à recta via abduci, nunquam nisi iusta Dei vindicta, accidit. Primum verè Augustinus superbiam nominat hæreseon omnium matrem: nullus enim unquā extitit erroris magister, quem nō praua ambitio in suum præcipitiū extulerit. Scimus Deum paruulis fidū esse doctorem. Scimus Christum humiles ac mansuetos ad se vocare, vt eos habeat discipulos. Proinde qui arrogantia turgent, eos non mirum est ab hac schola pulsos, vagis suis speculationibus sursum ac deorsum raptari. Quotquot hac nostra ætate à pura Evangelij doctrina prolapsi, falsorum dogmatum cœperunt esse authores, reperiemus omnes superbie morbo correptos, ingenij tormenta sibi & alijs fabricasse. Pro multis vnum Serueti exemplum sufficiat. Is enim Lusitanico fastui inflatus, magis etiā nūm propria arrogantia turgens, hanc sibi comparandi nominis rationem optimam esse statuit, si omnia religionis principia conuelleret. Quicquid ergo de tribus in Deo personis olim ab ipso Apostolorum seculo traditum à Patribus, & continua ætatum serie ab omnibus pijs receptum fuit, non modò tanquam insulsum repudiat, sed plusquam atrocibus conuiijs exagitat ac proscindit. Iam canina illa mordendi latrandique rabies, quam ebulliūt omnes scriptorum eius pagine, satis testatur, qualis hominem spiritus instiget. Ad rem verò si venias, clarè perspicies, ieiuna inanis gloriæ siti accensum, absurdissima quæque deliria cupide hausisse, quibus se inebriaret. Sermonem



Dei non prius fuisse imaginatur, quam dum Moises Deum in mundi creatione loquentem inducit. Quasi verò tunc demum esse coeperit, quum exeruit tantam suam virtutem: ac non potius aeternae suae essentiae specimè ediderit. Christi carnem sic deificat, ut veritate humanae naturae abolita, diuinitatem, quae si iritua est, palpabilem fingat. Et tamen Deum plenis buccis Christum vocando, umbratile nescio quod spectrum nobis comminiscitur: utpote, qui ab initio Platonica duntaxat idea fuerit: nec alio iure sit filius Dei, nisi quòd in utero Virginis ex Spiritu sancto cõceptus est. Interim multa speculatiuum plausura congerit, quae ad eò nihil habent coloris, ut faciliè sano cuius homini constet, non nisi cæco sui amore fascinatum, posse ita desipere. Quòd si proximus ut emerit Dei veritas, superba ingenia tum sua ambitio sollicitat, tum etiam Sathan impellit, ut illum prauis cõmentis & fanaticis cõi. i. n. i. u. s., vel obscurent, vel peruertant, non est cur nos tanquam re insolita turbari oporteat. Quare, ut superbiam prius diximus omnium hæreseon matrem esse: ita eorum vanitas, qui se talibus magistris discipulos adiungunt, ad eas fouendas perpetua est nutritrix. Quoties si argitur error aliquis à Pseudopropheta, Moises tentari nos dicit, an Denarium ex corde amemus. Quorsum id, nisi ut sciamus non alios abduci à pura doctrina, quam qui pietatem falsa professione mentiebantur? fidem verò firmis radicibus fixam ad eò machinæ istæ non evertunt, ut potius eius firmitudinem illustrent: quemadmodum Paulus grassantibus in Ecclesia sectis, eos, qui probati sunt, manifestos reddi scribit. Quò minus mirũ est, prout affluit aliquis noua sectæ ventus, plurimos huc illuc dilabi, quum paucissimi infixum in animis Dei timorem habeant. Tantum abest, ut nos cum multitudine titubare deceat.

Proteruendi ansam ex Euangelio arripere, iam cum multis usitatum fuit. Non abs re toties Apostoli, ne in licentiam carnis vertatur libertas, de ea moderanda præcipiunt. Sicut enim caro, vel minima occasio ne oblata, statim exultat. Atque ut dura est, & humano ingenio cõtraria seruus tona pars, quovis modo iugum excutiat, beatam vitam in eo suam arbitratur. Hoc prætextu ol serui, quasi Euangelij præconio ad pileum vocati essent, contumacia efferebantur: alij Regum & magistratuum subiectione se eximebant. Similiter hodie permulti infima seruitutis humines, gustato Euangelio, insolenter se iactant: facili altos ferocesque spiritus induunt: complures pudoris ac modestiæ obliui, sibi quidvis arrogant. Sed hæc pessimum, quòd se ab ipso Dei obsequio plerique non secus emancipant, quasi nos ad ipsam in filios patriæ omnem eius & imperium sibi abrogaret. Fæda sanè prauitas, & quæ suauitate grauius vulnerare possit pios omnes animos. Verum vrat nos potius Dei iniuri, quam à nobis displicetur. Audimus quid de Christi mansuetudine testatus sit Iesias. Audimus quid de se ipse Christus prædicet. Discite à me inquit, qui mitis sum & humilis corde. Et hæc de causa, quemadmodum Paulus admonet, quum esset in forma Dei, se ipsum exinaniuit, ut ab eo submissionem omnes discamus. Cum ex cælesti maiestatis suscipio huc usque descendit Dei filius, ut carne nostra indutus, non serui conductionem modo, sed extremam crucis ignominiam subiret: quem nostrum cristus erigere non pudebit, ut et quid simus vel esse videamur? Qui summis opibus & honoribus excellunt, eos, ut se ad Magistri exemplum conferrent, necesse est, tanquam magnitudinis suæ oblitos, ad humiles descendere. Insiquam igitur præpostera humilium arrogantia erit, si altos efflare spiritus, Euangelij prætextu incipiant. Neque enim iure suo magni cedere iulentur, ut abiectione alio cui honores ius ab eorum usurpent. Ceterum, hæc doctrina non modo singulis officij sui legè præscribit, sed nobis quocumque castigationes suppeditat, quæ ferocientium proteruam retundat: interea mali huius inuidiam & crimen auertit ab Euangelio. Fieri quidem vix potest, ubi miseri homines nullis opibus, nulla auctoritate, nullo ingenio, nulla dignitate freti, simulac

garrive de Evangelio didicerunt, se fistucse ingerunt, non sicut aliorum contemptu: quin stomachum tanta indignitas ingenuis & cordatis hominibus moueat. Quinquam adeo ridicula est bonæ partus stultitia, ut pudore & misericordia potius nos afficere, quam bilem nobis provocare debeat. Demus tamen esse, quod nos valde offendat: an nostra aduersus stolidam superbiam indignatio, in ipsum omnis modestiæ auctorem incurret?

Ecce ex altera parte multos, Evangelij professionem dissoluta turpique vita, quantum in se est, foedantes. Vnde affine proximo scandalum nascitur. Et certè cum nos, sanctè honestèque viuendo, Euangelium ornare Paulus testatur, qui sibi in se viuendi licentiam indulgent, totidem sunt Christianismi probra & maculae. Nec verò dubium est, quin horrenda eiusmodi omnes Dei ultio maneat, qui peruersis suis moribus, pietatis doctrinam infamant, & sacrum Dei nomen ludibrio exponunt. Sentient olim quàm intolerabile sit crimen, sanctum Euangelij thesaurum profanasse: quàm non frustra dictum sit, non impunè laturos qui Dei nomine abusi fuerint. Sentient quàm pretiosæ sint Deo animæ, quibus salutis viam malo suo exemplo præcludunt. Primum nimis est ista: improbitas: Deum, quem factis abnegant, cre confiteri, sicut Paulus dicit: ut celestis sapientiæ discipuli appareant: quum tota vita manifestum Dei contemptum arguat. Sed hæc plusquam sacrilega impietas, Euangelio ad scelerum prætextum abuti. Loquor de artificio iam vulgari, quo se perfidi & nequam homines, ad fallendum, fraudandū, modisque omnibus nocendum insinuant. Vidi olim, quos lenocinij suis impurisque factionibus non pudebat Euangelij vmbra[m] obtendere. Alij qui minus sunt scelerari, dissolute tamen viuendo, & Ecclesiam polluant vitiis suorum sordibus, & Euangelio maculam aspergunt. Iam illud quidem miserum est ac dolendum, non modò imputari sanctiæ doctrinæ hominum flagitia, sed in eorum persona calumniæ se eam traduci. Sed aliud est Ecclesiæ vlcus magis deplurandum: quòd pastores, ipsi, inquam, pastores, qui suggestum, hoc est sacrum Christi tribunal ea lege conscendunt, ut vitæ puritate præ alijs omnibus excellent, interdum sunt turpissima vel nequitia, vel malorum aliorum exempla. Ita fit, ut nihilo plus fidei ac grauitatis obtineant eorum conciones, quàm si fabulam in scena ageret histrio. Et tales scilicet contemptui se esse apud plebem, aut etiam ludibrij causa digito se monstrari conueruntur. Ego autem potius vulgi miror patientiam, quòd non eos luto & stercorebus mulieres ac pueri operiunt. Ministerij dignitatem extollunt plenis buccis: at illis non venit in mentem, ideo non haberi suum ministerio honorem, quia ipsam suam turpitudine conspurcant. Nam sicuti verè olim à quodam dictum est, Ut aueris, amabilis esto: ita morum grauitate & sanctimonia reuerentiam sibi acquirant oportet, qui in pretio haberi volūt. Atque utinā tali hominum colluie exonerari purgarique posset Ecclesia. Sed longè aliter ut plurimum contingit. Nam quum se meritò contemptibiles esse norint, mala conscientia libertatem illis adinuit. Denique, quum propter inhonestam vitam probra, sentiant omnibus se obnoxios, vel pudore metuque recenti, hiscere non audent, quoties seuerè exigendum foret, quod ipsi minimè præstant: vel parcere delinquentibus coguntur & adulari. Adde, quòd ignaui sunt vètres, qui ut molestia omni valere iussa, otio deliciisque suis cõsulant, calum passivi sint terræ misceri. Eorum etiam nonnulli, virtutum odio suis per æquè & aliorū vitijs libenter indulgent. Populus autem ut gratiam referat, eos amat solos, amplectitur, fouet: atque ut suis delictis patronos habeat, suo patrocinio tuetur. Interea tamen non desinit scandalum sibi ex corrupta pastorum vita obijcere, ne ad Christum accedat. Nihil id quidem peruenire & impudenter sed neque excusatione dignus quisquam, què à Christi accessu arcebunt hominum peccata. Nihil scilicet magis, quàm si quis ex fonte bibere recuset, quia sentibus & spinetis dicat esse obseptum: quum tamen obstacula transcendere,

nec

nec magno labore, & sine periculo liceat. Quia nonnullos Euangelium in ore habentes, sceleratè aut nequiter viuere conspiciunt. En, inquiunt, Euangelium. Quàntò rectius cum dolore agnoscerent, grauem fieri Deo iniuriam, quum doctrinæ vitæ tam malè respōdet? Si nebulæ terris caliginem obducunt, nemo tam insanus est aut improbè, vt solem propterea caliginosum vocet. Atqui, inter Solis & Euangelij claritatē plurimū intereſt. Nam quum illū obſcurent nebulæ: facere non potest hominum prauitas, quin perluceat sanæ piæque doctrinæ splendör, quo vita nostra, absterſis tenebris, in veram iustitiam reformatur. Ergo solem, etiam dum absconditus latet, fatebimur esse lucidum: conspiciam Euangelij lucem, & in ea refulgentem Christi gloriam quum cernamus, oculos nobis hominum peccata, qualiacunque tandem sunt, perstringent?

Quantum ad duces ipsos spectat, iam nouerat Christus in ignominiam doctrinæ maxime redundare, si turpiter viuunt. Vt hoc scandalum auertat, hortatur ad seruandum quod iubent, etiam si ne minimo quidem digito attingant onera, quæ aliorum imponunt humeris. Scribarum tunc munus erat, populum instituere in lege Dei: illi autem quum in cathedra, diuinæ essent Legis interpretes, ad mi & in foro pleni erant fraudibus, superbia, crudelitate, periurijs: illic uisus qui tibi audebant. Vult nihilominus Christus, suam Dei verbi auctoritatem intactam manere. Non fuit hæc seculi vniuersæ propria admonitio: quin potius hodie quoque vox celestis auribus nostris in clamat, utcumque vitam professioni suæ minus consentaneam agant pastores: perperam tamen fieri, si quid hac causa Euangelio detrahatur. Vt certe nimis indignum est, quam Deus præscribit bene viuendi regulam, peruersa hominum vitam metiri. Reddent illi quidem et quando rationem, ac sentient illud non esse nihilo fuisse denuntiatum: Satius nunc fere homini, suscipienda à collo mola, demergi in profundum maris, quam si vnum quemlibet ex minimis offendat. Nostrium tamen interea est, ea quam Dominus sternit, via, ad metam properare.

Scandalum tamen hac in parte duplicatur, vbi ad scelerum indignitatem priuatum damnum accedit. Alij benignè hospitiū excepti, vel furto onusti clam abeunt, vel alijs modis hospites defraudant, vel sollicitat ad stuprum ancillas, ac interdum etiam vxores tentare audent. Alij ad captandum miri artifices, pudatos relinquunt, quibus aureos montes pollicebantur. Alij in mutuo fallunt: alij abnuunt depositum: alij in societate perfidi. Alij quam elemosinæ nomine pecuniam à bonis frugique hominibus abstulerunt, vel in scortationem cõsumunt, vel in aleam, vel profusos alios luxus. Alij quod ad inuandam eorum industriam mutuo datum fuerat, audacter in otio heluuntur. Atque ad hæc flagitia nonnulli se cias habent vxores. Alij sacrosanctum coniugij vinculum, deceptis vxoribus, & abiectis liberis, violare non dubitant. Plura sunt eiusmodi facinorum exempla, quàm quibus recitandis brevis catalogus sufficiat. Fieri certè non potest, quin graue acerbique ingenuis animis vulnus infligat istorum hominum perfidia. Præsertim verò cõsternari bonos viros necesse est, qui quum terree haberent peculium, se Euangelij prætextu, non secus ac si in prædonum manus incidissent, spoliatos se vident, atque ad inopiam redactos. Atque hoc inter duriora nostra exercitia memorandum est, quod videre cogimur, qui sic impunè Euangelio illudant. Verum, si meritò prohibet Deus per os Pauli, ne multos ingratos & prauos experti, tamen benefacendo fatigemur: idque facit, ne cui probo & egenti desint nostra officia: quàmò diligentius cauendum, ne hominum peruersitas eò nos morositatis adducat, vt simus erga Deum ingrati & impij. Quemadmodum igitur acriter vigilare nos decet, ne eiusmodi nebulonibus aperta sit ianua ad nocendum, obuiam eundum illorum insidijs: danda opera, quantum in nobis est, vt per magistratus seuerè vindicètur fraudes & maleficia: vt quibus ludibrio est vox Do-

mini, quiq̄ue Ecclesiam contumeliose subsannant, carnificem, ut digni sunt, habeant magistrum: & faveas, se holam: ita rursus aliquantò diligentius cauenda sunt. Sathane infidie, ne obiecta caduce pecunie iactura, cœlestē nobis thesaurum excutiat. Nam & id molitur, & nobis longè magis exitiale est. Quisquis spem habet in Christo, inquit Ioannes, se ipsum sanctificat. Ad hanc sanctitatem qui non aspirant, quum sciamus eos falso Christiano menū obtendere, quid est cur nos sua prauitate impediatur ac morētur? Est quidem panis vitæ Euangelium: sed multum abest, quin ab omnibus concoquatur: quum ex multis, qui auide illud deglutire videntur, pauci eius gustum percipiāt. Denique, quando aere Christus Ecclesiam suam comparat tibi sic palea mixtum est triticum, ut sub ea obrutum magna ex parte lateat, non extraneos sicut palea similes, sed qui falsa Euangelij professione, locū inter pios occupant. Quorsum etiam testatus foret, se multos ultimo die non agiturum, qui & precones se fuisse Euangelij iactabunt, & miracula à se edita obijcient: nisi quia seculus omnibus talis aliquis extare necesse est? Fit etiam interdum, ut qui Deum aliqui ex animo timent, vel saltem non omnino sunt reprobi, in fœdum aliquod facinus prolapsi, & se, & quam sequuntur puram religionē, de decore afficiant. Quantum fuit illud Davidis flagitium, quum sua libidini indulgens, ut alienam uxorem raperet, non modò vnus hominis de se bene meriti innoxium fudit sanguinem, sed totum Dei populum, quantum in se erat, exitio tradidit? Si colligere huius generis scandala libeat, quæ heroicis homines concutere poterant, quæ dominicæ vidit scelerum potentia sanctus patriarcha Iacob? Postquam eius filie vis est allata: Simeon & Ica non minus barbara scuitia, quàm nefanda prodicione Sichimitas trucidant. Cœdus imbuti eius filij, in fratricidium conspiciant. Accedit tandem ad malorum cumulum incestus primæ geniti cum uouerca concubitus. Et tamen in vna domo, tunc inclusa erat Dei Ecclesia. A recitandis pluribus exemplis abstinco. Hodie verò pauca scandala lyceis oculis distinguunt nonnulli, ne quid cum tota Dei Ecclesia, quaquaversum patet, commune habeant. Vno hoc exemplo contentus sum lectores monuisse: fidem nimis fore instabilem, si ad singulis hominum vitas subinde labescat. Inuere illud tenendum est axioma: Certo Dei consilio fieri, ut semper bonis mali permixti sint. Hoc modo tum fidei probatur constantia, tum ad patientiam exercemur, tum accenditur precandi studium, tum spirituum punctiōnes ad cautiè prudentēque ambulandum nos sollicitant, tum mundi contemptus oboritur, & vnā cum migrandi desiderio, cœlestis vitæ meditatio crescit. Quòd si causa lateat, his tamen exercitijs constare sciamus militiæ nostræ partē, quæ toto vitæ curriculo nobis colenda est.

Multum etiam nocet, quæ vulgò cernitur in plerisque lenitas. Quæ principio mirū feruorem ostendunt, ita mox euanescent flamma illa, ut ex stupa ortam fuisse dicas. Alij tamen si propofiti sunt aliquorsque tenaces, paulatim tamen frigescunt. Quod partim ex vanitate, partim ex ingratia, partim ex terrenis curis prouenit, id pœnitentiæ assignant imperiti. Ergo ipsi quoque ne serò pœniteat longius esse progressos, maturè resiliūt. Si quis mortis aut persecutionum metu territi (quod nullus, prohi dolor, accidit) ab Euangelio deficiunt, ex eorū inconstantia scandali materia struitur. Fœdus quidem eorum lapsus. Verum, ut cunque Christum negemus omnes, an se ipsum propterea negabit? Imò integer ac sui perpetuò similis nihilominus manebit: ut Paulus etiam admonet. Longè aliter nos talibus exemplis percelli de cœrat: nempe, ut infirmitatis nostræ admoniti, scilicet, è caueremus, ne idem nobis accideret. Postquam Iudeos à Dei gratia excidisse narrauit Paulus, sic formidabilem esse ostendit eorum casum, ut alios ad cauendum horretur atque animet. Ergo si quorum acui sollicitudo debebat, totis populis ab Euangelio desiscenibus, eos vnus aut alterius hominis defectio exanimat, quis non culpam peruerso eorum iudicio assignet? Neque tamē eorum crimen exte

nuare consilium est, qui infirmas animas, quantum in se est, labefactant. Tantum monitos velim, qui alijs cadentibus vacillant, quam maligna sit ista cōsternatio. Negavit ille Christū. Quis putasset? Ille Evangelio vale dixit, quem omnes rupe firmiorem credebant. Ille iam tepet: alter glacie frigidior, quum ad miraculum vsque feruere visi sunt. Atqui, non reputat, qui sic loquitur, ideo fragilios mortis terrore, quia solidam vitæ futuræ spem noscū conceperint: alios torpere, quia in illis Spiritus ardorem in aëres mundi curæ suffocant. Quid autē morborum contagione ab alijs ad nos sponte accersere iuuat, quū in promptu sit remedium, modo ne respuatur? Cur nō potius in illa tam salubri Pauli admonitione acquiescunt? Nam quum de Hymenæo & Phileto loquutus esset, quorum lapsus magnam trepidationem incutere poterat omnibus pijs: statim quod ad eos fulciendos valeat, subiicit: *M. ut sigillum hoc: Nōuit Dominus qui sui sunt. Ergo ab iniquitate discedat, quisquis inuocat nomen Domini. Quum noti & celebres fuissent illi duo: fieri nō posse videt Paulus, quū alios suo præcipitio saltē ad nutandum impellant. Electos tamen hortatur, vt securē in Dei tutelam recubant: ac periculum esse negat, ne insculpta ab ipso salutis nota vnquam deleatur. Interea, ne quis ficta inuocatione profanet sacrum Dei nomen, admonet. Vidit & Ioannes hoc scandalū ab ijs scilicet, qui impia doctrinæ venenum spargendo, Ecclesia tunc vehemēter nocebāt. Sed dum id fieri testatur, vt palam sit non esse omnes ex piorum cœtu, qui nomen sibi arrogant, eius scandali, quod nonnullos impedire poterat, superandi rationē simul ostendit. Quid Alexander suberarius? quum ex nobili Christi discipulo, transfuga, & deinde infestissimus hostis factus esset, amon alijs in exēplum proponitur? Quid Demas? quum hoc seculū amplexus, turpiter Euangelium deseruit, reliquos in eundem secum labyrinthum debuit trahere? Quum alibi se Paulus ab omnibus destitutum fuisse cōmemorat, an alijs Euangelij prodendi concedit licentiam? Quum se à Phygelo, Hermogene, Asiaticisque omnibus conqueritur fuisse reiectum, an alijs tam sceleratæ discessionis fenestram aperit? Quin potius talibus documentis expergefiunt pijs omnes, ne obnoxia sit Sathanz insidijs eorum securitas. Perpetuum illud diuinæ electionis signum, loco clypei sic cōtra omnes insultus iubentur opponere, vt fidem quoque bona conscientia obsignent. Quoniam mihi cum ijs hominibus est negotium, qui Christiani censeferi volunt, ne sermo hac de re lōgius sit protrahendus, dicit Paulus ad Timotheum Epistolæ legant, quæ sedandis, vt arbitror, eorum animis abundē sufficient, nisi forte data opera vel secum tumultuari appetunt: vel sponte inanes à Christo deficiendi captant prætextus. Et certē apud sanos & prudentes hoc vnum sustinendæ fidei par erit, perperam fieri, si æternam Dei veritatē, fluxa hominum inconstantia metimur. Sed qui tam ingeniosi sunt ad captandā ex malis exēplis peccandi veniā, cur non tot mirifica inuictæ constantiæ documenta obseruant, quæ inter quasvis tentationum procellas fidem meritō stabilire possent? Vidit hæc nostra ætas bonam martyrum copiam alacriter & intrepidē ad mortē pergere. Nec virorū modo fuit hæc gloria: sed in muliebri quoque sexu plusquā virile robur Deus ostendit. Nullas certē cordatas mulieres celebrant veteres historiæ, qui- bus non respondeāt, quas à decem annis protulit Flandria & Artesii comitatus. Ergone perfida quorundam desertio fidem nostrā euertet? Sacer ille sanguis, cuius singulæ guttæ totidem pijs cordibus sunt sigilla, euanesceat sine pretio & virtute? Quod si illis tam vilis est, non erit tamen apud Deum inglorius. Nec verò impunē illis cedit, sponte se miseris Christi desertoribus addidisse ruinæ comites: eos verò ne glexisse, qui porrecta manu ad cælum nos vocant.*

Veni ad obstaculū illud, quod nostro tēpore multos à propiore Christi accessu prohibuit. Nam primarios renascentis Euangelij doctores non modo contrarijs opinionibus in-

ter se dissidere, sed acriter etiam conflagrare viderunt. Hic animos subijt dubitatio, quantum fidei habendum foret, inter primordia dissentientibus. Metus etiam subijt, ne temerè profilirent, unde pedem referre non liceret. Præsertim infelix illa de Sacramentis cõtentio, dici vix potest, quàm multorum animos turbavit. Quàm singulare hoc fuerit Sathanae artificium, ad iniuriendam timidis conscientijs remorari, ipse meo malo sum expertus. Verùm, ut me propria magis culpa impeditum fuisse postea sensi, quàm iusta causa retentum: ita de omnibus idem pronuntiare non vereor. In eiusmodi quidem dissidijs esse fateor, quod iam aliquantum confirmatos, nedum rudes & nouitios percellat: sed colligendos esse animos dico, ut ad eum nihilominus venire pergant, qui nunquam frustra quaeritur. Neque enim fallè di causa promissit, apertum iri si pulsemus: datum iri, si petamus. Qui se dissensionum, quas in parte nostra viderunt, odio, in Papatus doctrina retineri iactant, ijs nullus est excusationis color. De re plusquam nota loquor. Nullum est religionis caput, de quo non illic Theologastri quotidie certent. Ut contraria sint opiniones, quàm odiose alij alios nunc perstringant, nunc exagitent, testes sunt eorum libri. Imò diuersas sectas profiteri, sibi gloriosum esse ducunt. Ergo bonos istos viros innumera Papiſt. arũ rixæ & pugna nihil offendunt: vnica i. n. ter nos dissensio sic eos vulnerat, ut ab vniuersa doctrina protinus abhorreant. Vna quidem in re nimium concordēs sunt Papiſtæ, quòd certatim omnes aduersus Euangelium blaterant, quòd impijs suas superstitiones non minus clamose quàm perucaciter tuentur. Verùm, ad se reuersi, nihil quàm rauca cõfusaque garrulitate sibi inuicem obstrepunt. Scio equidem tam perditæ frontis esse monachos, & eiusdem farinae blaterones, ut plebeculam hoc maxime nomine à capiendo Euangelij gustu deterreant, quia inter nos non bene conueniat. Quasi verò intestinis eorum certaminibus nec resonent scholarum parietes. Quasi non omnes eorum libri, ut dictum est, pugnantibus sententijs referti sint. Eos tamen, quibus deplorata improbitas summa est virtus, ita petulantè agere non miror. Verùm, qui sit, ut oculati homines quibus nihil eorum quæ dico, ignotum est, eiusmodi se argumento moueri simulent? Annon hoc est, lucem ex professo fugere? Et in eo suam sapientiam venditant, quòd se non implicent periculosis dissidijs: alios verò qui salutis viam nihilominus audent inquirere, quasi parum cautos derident. Ego verò, quia melius non video remedium, quàm ut contemptu, eorũ superbia corrigatur: ad simplices me conuerto, qui sibi ruditatis suæ conscij, ab inquirendæ veritatis studio abstinere malunt, quàm errandi periculum subire. Quum hinc Lutherus, inde Oecolampadius & Zuinglius restituendo Christiregno strenuam operã nauarent, infelix illud de sacra Domini Coena certamen subortum est, in cuius societate plerique alij sunt pertracti. Ab isto summorum ducum conflictu, trepidationem ad tyrones peruenire magis dolendum est, quàm mirandũ. Monedi tamen sunt ipsi quoque tyrones, ne ultra modum turbentur, hanc esse vetustam Sathanae vafritiem, cordatos aliqui Dei seruos ad mutuam contentionem rapere, quòd retardet sanæ doctrinae cursum. Quis Sathanae insidijs vtrò cedere velit? Sic Pauli cum Barnaba dissidium vsque ad paroxysmum processit. Sic eiusdem Pauli cum Petro dissensio in manifestum conflictum erupit. In illis tribus agnoscunt omnes quod dixi Sathanae stratagemam: in presenti negotio, vbi salutis sua vertitur, cur cæcitiuit? Excipiet quis piam, non fuisse illas de doctrina concertationes. Quid? An quum Mosaicæ Legis ceremonias quidam vrgerent, non veniebat in questionem doctrina? Atqui, eorũque perductum est scisma, ut Ecclesias ferè omnes scinderet. An eius perturbationis causa Euangelium reijci, æquum fuisse dicent? Lutherum & eos quibuscum dissensit, cordatos fuisse homines, & singularibus Dei donis ornatos constat. In tota pietatis summa mirabilis fuit eorũ consensus. Quis rectus esset ac sincerus Dei cultus, vno ore tradiderunt: eum ab innumeris supersti-

superstitionibus & idololatrijs repurgare, à prauis hominum commentis asserere conati sunt. Eversa operum fiducia, qua miseri homines inebriati erant, adeoque fascinati, totam salutem in Christi gratia repositam esse docuerunt. Christi virtutè, quæ vel iacuerat prostrata, vel demersa latuerat, magnificè extulerunt. Quenam vera sit inuocandi ratio, quæ poenitentiæ vis & natura, vnde oriatur, & quos fructus producat fides: quæ legitima sit Ecclesiæ gubernatio, ab illis non variè traditur. Tantùm in ipsis symbolis aliquid discretaneum. Et tamè hoc asserere non temerè audeo: nisi partim nimia cõtentionũ vehemèntia exacerbati, partim sinistris suspicionibus occupati fuisset animi, nõ tantũ fuisse disidiũ, quin facile cõciliari posset. Quòd si illo disputandi seruire non ritè explicari cõtroversia potuit: quid nunc saltem obstat, quæ minus veluti sedato tumuli, simplex audiatur veritas? Quis verus sit sacramentorum vsus, optimè inter nos conuenit: Sacramèta in hoc instituta esse, vt Dei promissiones cordibus nostris ob signet, vt fidei nostræ adminicula, & diuinæ gratiæ sint testimonia, cõmuniter omnes tradimus. Non inanes esse, aut nudas mortuasque figuras discretè ostendimus: quum & efficax per Spiritus sancti virtutem sit eorum vsus, & arcana eiusdem Spiritus sancti virtute Deus verè præstet quæcunque illic demonstrat. Itaque parem & vinum in sacra Cœna fatemur non vacuus esse tesseras eius communicationis, quam habent fideles cum Christo, suo capite: quia ipso animæ nostræ in spirituale alimentum fruuntur. Horum omnium consentanea vbique est traditio. Quòd igitur tantum in hac parte offendiculum reperiunt fastuosi homines, vt vñm Euangelio præcludat? At in modo definiendo ratio paulum est diuersa. Fateor scire, non tam distinctè loqui omnes, quàm esset optandum: siue quòd non eadem omnibus clarè & liquide differèdi suppetit facultas: siue quòd nõ eandè omnes fidei mensurã sunt adepti. Quum ex densis Papatus tenebris multum aduc sit residuum, quicquid ad discutendas errorum tenebras facit, sedulo & dilucide exponi si cui molestum est, is se lucem malignè fugere prodit. Dum autè nos à terra in cœlum homines euehimus: dum à mortuis elemèntis eos ad Christũ traducimus: quũ iustitiæ, salutis, bonorumque omnium causam reponimus in mera eius gratiã: dũ Spiritui sancto ascribimus totã signoriũ efficaciam: & sicuti vnicus spiritualis vitæ author, & perfector est Deus, illi in solidũ vindicamus quòd suũ est: dũ crassa omnia signèta repudiamus quibus delusum fuisse mundũ palam est: dũ carnalè Christi præsentiam modum, peruersamque eius in signo adorationè tollimus, qui inde offendiculum cõcipiunt, quũ scièntes & volentes impingant in Christum, digni sunt qui se collidant. Multos quidem esse, quos scandalorum prætextus iuuat, quia ipsis in luce cæcitiæ libet, hac in causa sum expertus.

Porro, quòd suprã breuiter attigi, memoria repetendum est, quum res nouæ multis delictis occasionem præbeant, accuratius tamen notari, & reprehendi seuerius, si quid tunc peccatur, quàm si nulla facta esset mutatio. Quàm profundus fuerit ignorantia gurges in Papatu, quàm horreda errorum caligo, cum stupore recordamur. Inde Lutherum, & qui eodem tempore laborarunt in restituenda pietatis doctrina, paulatim emergere potuisse, ingens fuit Dei miraculum. Quòd non eodè simul momènto omnia viderunt, quòd non ad vnguè, expolitum primo die tam arduum fuit opus, offendi se nonnulli causantur, ne ad Euangelium accedat, vel ne pergant in cursu iam incepto. Quàm importunæ sint laetitiae istæ, quis nõ videt? Perinde enim faciunt, ac si quis nos accuset, quòd primo auroræ exortu solem meridiantũ nondum cernimus. Nihil istis querimonijs magis triuũ. Cur non statim, quid sequi oporteret, nobis exactè præscriptũ est? Cur potius quàm alia, hoc latuit? Ecquis tandè erit finis, si vltierius subinde tẽdere permissum fuerit? Nempe qui sic loquuntur, vel profectum Dei seruis inuidet, vel Christi regnum ægrè ferunt in melius promoueri. Eadem in minimis quibusque

erratis morositas apparet: quæ etsi non adeò facilem merentur veniam, non tamen usque ad Euangelij fastidium exas perare nos deberent. Quantumvis insulsis næviis blaterent monachi alique magistri Papalis synagoga, quamlibet absurdis glossis Scripturâ deformat, hoc totum non sgrè condonant boni isti viri. Si quid fortè minus aptum nostris hominibus exeat, tanquam magno piaculo à nobis audiendis arceri se obtendunt. Contorta Scripturæ testimonia, sententias malè coherentes, argumenta friuola patienter ferunt in vetustis scriptoribus: centesimam partem si reperiunt in nostrorum hominum scriptis, non modò nos damnabunt omnes qui erimus innocj, sed à tota doctrina abstinendum ducent. Neque tamen eorum hic causam suscipio, qui scripturando pruritus suum sedant. Optandum enim est, ut supersedeant, qui tales suat, à chartis inquinandis. Verùm, ut indulgentia fouendus non esse paucorum ineptias concedo: ita insipidam hoc tædio totam Euangelij doctrinam reddi quàm iniustum sit, omnes vident. Est quidem verum illud quod dixi, in media Euangelij luce multò clarius perspici, quæ prius velut in nocte caliginosa latuerunt. Sed in vna parte ad quævis errata securè libenterque conuiuere, quum in altera, quæ carpit, plusquam curiosè obserues, id verò scandala cupidè appetentis, & sibi fugentis esse dico. Nec verò aliud prouenit offensus, quam illis quorundam affert vita professioni non res pondens. Si eorum diutaxat, qui Euangelium sequi se iactant, corrupta esset ac dissoluta vita, magis speciosa offensionis causa censeretur. Verùm, quum promiscuè in toto ferè orbe scelera exundauerint, quid dicemus, nisi veterem illam Poetæ querimoniam, in nostrum quoque seculum verè competere? *Ætas parentum peior auis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitii sive.* Et quorsum spectat illa Christi admonitio, etati Noe similem fore postremam: horribile quoddam fore inquit itis diluuium, quo terra obruatur, nisi ut sponte iam ad Christiū properantibus, talis scelerum colluuiis festinandi studium acuat? Accedit huc quoque, ut reuoli, iusta contempti Euangelij ultio. Tam sacro enim thesauro qui abusi sunt, quis dignos esse negat, quos Dominus in mentem reprobam conijciat, ut se ad omne flagitij genus prostituunt? Nec verò aliud sperandum est, quàm ut magis ac magis passim homines profanescant, quorū paucos ab hoc sacrilegio immunes esse scimus. Ego tamen aliam superioribus istis causam addo: eos scilicet quos nostrorum hominum vitia ab Euangelio repellunt, malignos esse & iniquos censores. Dicunt nec piè nec honestè plerisque se gerere, qui Euangelio gloriantur: atqui, hoc primo loco, querendum erat, an Euangelium ipsos in deterius mutauerit. Qui scortator erat, inquit, vel aleo, vel alio in genere dissolutus, idem hodie est. Nempe quæ in Papatu vitia tolerant, ita repente detestari incipiunt, ut eorū odio, ipsam quoque horreant sanctitatis & innocentie doctrinam. Non vereor ne sibi me patronum fore putent, qui turpi ac flagitiosa vita dedecus affertur Euangelio. Quò mihi, ut arbitror, ad eos obiurgandos, qui omnes Papatus corruptelas Euangelio impugnant, maior erit libertas. Si qua illic sanctitas queritur, eam monachi sibi, omnium consensu, absque controuersia arrogunt. Quidam faciunt: quum in eorum claustris resideat, angelica perfectio? Atqui, non aliunde nobis fædior vitiorum omnium colluuiis. Si excipiet quispiam, quum illinc tantum exeant vomica, non mirum esse, si factorem, quocumque veniunt, emittant: friuolam eiusmodi calumniam diluere promptum est. Primum enim, si quid illic probum fuit, tanquam aurum ex sterquilinio, mira Dei prouidentia eductum fuisse constat. Quos hac nostra ætate monachos habuit Germania, qui vel doctrina, vel sanctitate cum Luthero, Bucero, O Ecolampadio, & similibus conferre se, nisi nimis impudenter, audeant? Quos Itali Bernardino Ochino, & Petro Vermelio opponent? Ex Gallia quoque iustis egressi sunt nonnulli, qui suo splendore multa sui ordinis probra & dedecora texissent. Paucos quidem fateor ex monachatu ad nos transisse, qui ho-



noris causa nominari digni sint. Et quid mirum si non multi ex inferis Angeli prodeant? Quod vnus Loth ex Sodomis saluus euasit, insigni Dei potentia merito tribuimus. Quae autem Sodoma tot vnguam foeditatum monstris referta fuit, quot hodie scateat monachorum lustra? Itaque dicere soleo: si modo decima pars eorum qui illinc Christianismi nomine euolunt, Christo se verè addicat, praclare nobiscum agi. Quinetiam quotidie videmus suis decimis Christum fraudari: ut vix ad eum pars vigesima perueniat. Qui autem scandali occasionem praebent, eos dico non tam naturà prauos esse, & proprijs criminibus infames, quam saecula & nefaria monachatus educatione infestos. Quod enim & ignaui sunt ventres, & rixosi, & perfidi, & ingrati, & humanitatis experies, & sacrosi, & furaces, & seruili ingenio, & libidinosi: nonne haec omnia claustrale viuendi institutum respiciunt? Suas quidem seorsum distinctas regulas habent diuersi ordines: omnium tamen ferè communis est ex illis, quas recensui, virtutibus, conflata regula. Nam si optimi, quos ex caeno illo Dominus extraxit, suam inde contractam adeò tenacem esse agnoscunt, ut sibi in abstergendis reliquijs quotidie sit laborandum: quanto opere in vulgus grassetur contagio, iudicare licet. Ergo quos eiusmodi scandala morantur, recipiant quod suum est, & viam planam aequalèmq; inuenient. Equidem si mihi esset magistratus potestas, & spes ad hunc sumptum sustinendum satis ample: monachum ex antro suo egressum, nunquam nisi semestri, ut minimum, examine exactè probatū, manumitterem, ut cõmuni vita & hominum societate fruereetur. Quoscumque viderem suo monachismo aduc induos, vel includerem ergastulis, vel tanquã indomitas bestias in saltum aliquem submouerem. Porro, à Papau cluere quas esse proprias eius sordes constat, & eas reijcere in Euangelij nomen, nimis calunniosum est. Sed quid de specie vna disputo? Nam si dissolutam vitam & parum honestos quorundam mores nobis obijciant Papistae, eadem ac duplo citiam maiora in eos praebrauere gerere, plusquam iure nobis licet. Atque vinam minus vberem nobis materiam darent. Apud eos quanta sit scortandi impunitas, quanta iurgiorum & pugnarum licentia: quàm permissa sint vulgò genus omne lasciuiae: quanto cum applausu regnent effraenes pompa, & impudica salutationes, & eiusdem generis alia, dicere nihil attinet. Horum certe nihil est, quod non, ut sibi è gloriæ, publicis edictis apud nos vetitum sit, & disciplina aliqua cohibeatur. Quare timeandum non est, ne cum Papistis comparati, reperiamur aequè desermes. Mala nostra quum reputamus, est cur nos valde pudeat. Sed, quod dolendum est, facit extrema illorum saeculitas, ut prohibere & integri videamur. Mirum ergo est, qui ad ferèda nostrorum hominum vitia tam sunt delicati, in tolerandis aduersae partis sceleribus, esse his ferreos. In quo non modo nobis iniuriam faciunt: sed Deo quoque sunt ingratisimi. Nam interim plurimam partem sanctimonie, virtutumque omnium exempla praetereunt: qui us ad Euangelij potius amorè obseruantiamque prouocari ipsos decebat, quàm quorundam delictis in eius adduci edicti, vel contemptum. Non resiquisse multos causantur, ex quo nomen Euangelio dederunt. At verò, quàm multos ex aduerso proferre licet, quorum mirifica conuersio Euangelium nostrum decorat? Et quando nos ad gloriandi cogunt, qui tam malignè obscurant Euangelij gloriam: nulla est regio, quae non hac in parte magnificos doctrinae nostrae triumphos quotidie spectet. Ipsi quoque aduersarij, quamuis dissimulent, insania tamen rumpuntur: quod homines prius interpretantur, lasciujs, impudicitia, vanis mundi pìpis, auaritia, rapinis de ditos, nec ad sobrietatem, continentiam, castitatem, modestiam, & quietem compositos esse vident. Quod si quaerantur qui continuum vitæ tenorem per virtutes & praclaram famam dixerint, neque optimo talium numero destituimur. Possem satis multos nominare qui si vix in latè de Papatu obire praesentes, ex quo diuinitus iura Euangelij cognitione denati sint, vitam nunc virtus-

tum imaginem in vita sua exprimendo, umbram se tantum antehac habuisse ostendunt. Sed ne hic sermo propter aliquam iactantiae speciem sit odiosus, breuiter concludam: si quos permouent exempla virorum simul ac mulierum, non minus morte, quam vita testata singularis pietas, iustitia, castitas, temperantia, multo plus ad fidei confirmationem valere debent, quam necesse in compositam aliorum vitam & quum sit.

Iam ad vltimam scandalorum classem transeamus: quam partim ex fictis calumnijs constare dixi, partim ex malignis cauillationibus prodire, quas praeposteri homines longè petitas, in Euangelium iniuste torquent. De calumnijs hoc praefari libet: non mirum esse, si eas improbi homines procul spargendo, fidem doctrinae nostrae apud simplices subuertere moliantur. Nec verò communi seruatorum Dei lege nos eximi conuenit. Non erat certè Paulus tam morosus, ut querimonias illas frustra æderet, quæ passim extant in eius scriptis. Multa pro sua prudentia tacebat, multa ignoscebat pro sua modestia, multa pro animi sui magnitudine, tacitus deuorabat: & videmus tamen quoties se per Ecclesias odiose fuisse traductum queratur. De sinistris obrectationibus loquor, quibus maleuoli absentem & inscium apud nimium credulos, verumque & veri ignoros grauabant. Nam apertis calumnijs palam impetitos fuisse Dei seruos, adeoque Filium ipsum, plus satis notum est. Verum Sathan, ubi aperto Marte nihil se proficere videt, piorum famam quasi per cuniculos clam adoritur. Quis itaque procul in longinquis regionibus duram militiam Paulus obiret, quum per mille discrimina tenderet ad promouendum Christiregnum, assiduus haberet cum varijs hostibus confictus, huc & illuc cursitans, gentes locorum spatijs longè diuisas, colligere studeret in fidei unitatem ignaui & nihili susurrones eum alibi indignis criminibus onerabant. Quis nostrum sibi intactam ab omni improborum morsu famam postulet, quum nec Paulum quidem sua integritas tutari potuerit? Imo quod se fecisse testatur, per gemitum in fracto animo per infamiam & bonam famam. Neque enim Christi seruis minus sinistros rumores contemere necesse est, quam ab inanis gloriae aucupijs esse alienos. Nam eos in iudicij grauidio hoc captat Sathan, ut rectè agendi alacritatem in illis frangat, vel saltem moretur. Ceterum, ut nos è gradu nostro moueri minime conuenit, quoties benè agendo male audimus: ita non nisi sua culpa turbantur, qui excipiendo susurris falsisque delationibus nimium credulos se praebent. De Luthero quam multa & in concionibus, & libris editis, per totos viginti quinque annos fabulati sunt hostes? Nulla sunt mendaciorum portenta, quæ non in nos comminisci & blaterare ausi fuerint. Picartus doctor Parisiensis, turbulenti quidem cerebri homo, adeoque fanaticus, sed tamen inter suos existimationis, ut pro certis oraculis habeantur omnes eius neniae, dum more suo pro suo gestu bacchatur, dicere sibi permisit, negare iam nos prorsus aliquem esse Deum. Et ille quidem se impudenter mentiri non ignorat: sed quia eiusmodi hominibus propositum est quouis modo nos oppugnare, quicquid inuidiam constare nobis potest, sibi in nos effutire fas esse putant. Et sanè, quando iam optime nouerunt omni se ratione destitui, nisi miseram plebem secum infatuent non mirum est, necessario eos suffugio abuti. Quicquid autè ipsis, etià absque colore, fingere libuerit, fidem ita protinus obtinere non debuerat: est tamen adeo usuratum, ut pro l. cito etià ducatur. De me si commemorem, quam multa absurda & ridicula nugati sint, periculum est, ne eorum ineptijs me inuoluam. Tantum dico: si hoc iuris in nos statuitur, ut quod erunt hostes nostri ad mentiendum magis efficiens & inuerecundi, eò sit Euangelij causa deterior, ac tantundem ex eius fide decedat: non est quòd querantur tam iniqui iudices scandalum sibi obijci, quod vltro se appagere ostendunt. Nobis autem cum Paulo securè dicere liceat: Qui ignorat, ignoret.

Venit ad alteram obire Nationi speciem, quæ non modo ex eadem Sabææ officina  
 prodit, sed super eadem quoque ferè incude fabricatur. Hoc solum est discriminis, quòd prio-  
 res illi, de quibus loquutus sum, ut aperti sunt ac professi hostes, Euangelium in suis mini-  
 stris apud plebem infamant: hi autem de quibus dicere institui, ita se infuunt Euangelij no-  
 mine, ut obliquis tamen murmuribus alienent quoscunque possunt à Christo. Hi verò partim  
 sunt famelici erronei, quibus nisi ventrem furtias, calumniarum plaustris te obruent: par-  
 tim nequæ & scelerati homines, qui sua culpa à nobis dimissi, vel etiam ob maleficia al dicati  
 aliquo munere, alibi nouum passum querunt: quæquam utrisque mens & lingua in ven-  
 tre est. Alij paulò lauciores, ut qui non ita fame urgentur: quia tamen crucem fugitant, ut  
 prætexitam habeant suæ ignauie, puram Euangelij professionem onerant confictis à se fa-  
 bulis. Dixi iam paulò ante, ingentem esse furorum numerum, qui furandi vel fraudandi cau-  
 sa, oberrant. Tales ergo iam suis imposturis ita noti, ut fallendi locum amplius in Ecclesijs  
 Christi nullum inueniant. alio digressi, quidvis impudenter in nos effuuiat, quòd sibi fauo-  
 rem, odionostri, concilient apud imperitios. Verùm quid nobis præserebunt veniunt, qui scan-  
 dalum ex eorum vanitate concipiunt? Videmus inertes monachos, & tamen in gloriam suam  
 explere solitos: ut nisi illis in os cibus ingeratur, mox ad sanctificandam prælium exa dora,  
 quemadmodum loquitur Propheta. Videmus & alios non dissimiles monachis. Promittunt  
 omnes se fore semiangelos, modè illis tolerabile viuendi vitio obtingat: aqua se & pane fo-  
 re contentos. Sed illa tolerantia iactantia mox in fumum abit. Ipsi verò, postquam breue  
 pigritie suæ specimen ediderunt, laboris perterriti, eluculū euolant. Multos quidè fauor. syu-  
 strapetita conditione, ut in magno perentium confluxu fieri necesse est, discere. Nec verò  
 mihi credendum est facile est, quæ solum interdum minus liberaliter iuuat, qui tamè essent ope dignio-  
 res: vel quia in horum, ibus ingratum exactus haberi delectus nequit: vel quia ad petendam  
 audaciores timidus ac verecundus locum præcipiunt: vel quòd non semper rectè indicantur:  
 vel quia iam erogando exhausti, cogimur, qui incommodis horis veniunt, vel inertes, vel sal-  
 tem tenuiter adiutos dimittere. Et tamen hi qui plus aliquanto haberent celoris, fortius  
 quæcumque veniunt, ac modestius loquuntur. illorum passim volunt quæ in omnia. Et qua-  
 les? Prædigressis mendacijs asperse. Improlius etiamnum maledicunt, qui hinc vel malefi-  
 cys suis expulsi, vel perfida defectione abstracti, ut lignum, dis diuini fati is venientem re-  
 ferant, eorum fauorem calumnijs aucipantur. Neque enim hec oculum est, multes inue-  
 niri qui Euangelium quietum sibi creperent, atque ab omni molestia vacuum: quum eos fere-  
 ri pudeat quòd verum est, cuius mentem obstare, quominus Christianæ professioni satisfi-  
 ciant. Si qui sint in Christi Ecclesijs vitia, sciscitari audent, ne videantur sine causa rido suo  
 affixi. Nempe, inquiunt, si in nobis reprehenditur idololatia simulatio, alibi quoque diuersis  
 modis nihilominus peccatur. Et adhuc prætexitam ex mendacijs querunt, quæ certum est  
 in eorum gratiam ab eiusmodi nebulonibus conficta esse. Duo vel tria exemplaria referre  
 re libet: ne quis posthac, nisi sciens ac volens fallatur. Erat Cortesius quidam in Comitatu  
 Monsbergaudensi Verbi minister. Illi expulsi, Neccum in cor, cepit: et legum sine sua  
 frigidus exceptus frater, quòd se vlcisceretur, quorundam suis similitum cetera aditus, multas  
 & graues pijs fratibus molestias exhibuit. Verùm, se tadem fractum sentiens, (quod e-  
 iusmodi vulgibus selemæ est) suppliciter veniam petens, fallacis auerentis eleratione  
 non modo placavit offensus fratres, sed quum se in nonnullis questionibus hesitare frigeret,  
 literas ad me impetrauit, quibus, ut illi satisfacere conerer, enicè rogabant. Ego hunc in  
 mensi mea exceptum, pauenter audiui, ut multis cum lachrymæ expletis sibi in omnes serpu-  
 los assereret. Abente quoque diacono sum profectus. Ab eo ipse per Celliam cum suis: nò

cessavit mihi protervè maledicere. Alter nescio quis terræ filius, qui sibi nomē à corno indiderat, quum nonnulla egisse indigna Christi seruo delatus esset, *Iusamenensis* synodi iudicio, donec causa melius cognita foret, desistere à ministerio iussus fuit. Paulò post quum literas Bernam ferret, eas non esse ad votum suum compositas suspicatus, aliis suppositis. Deprehensum flagitium intelligens, quia non poterat falsi notam effugere, ad aliò pedibus fugam arripuit. Atque hæc omnia me absente & inscio gesta sunt. Nunc se violenter à me fuisse expulsam dicitur, quia meis hæresibus subscribere abnueret. Alius quia in cauponis nimius erat, seuerè à nobis obiurgatus, à furtivis comeestionibus nunquā destitit, donec æris alieni magnitudo eum oppressit. Quum relicta familia clam se proriperet, ego *Argentiniam* profectus eram. Nihil inter nos dissidij, nulla offensionis suspicio, nisi quòd paulus per, ne perditum ivet, obstiteram. Quia autè ex *Augustinen* sui grege erat, per suorum intra obambulans, se exulare flebiliter narrabat, quòd meis hæresibus ipse quoque esset aduersatus. Nec verò tam de illius ac simulum nequitia queror, quàm me illa viri indignitas, quòd boni patres, qui quotidie ex libris nostris discunt, mercedis vice scandala ex illis lacunis hausta crepare non dubitant. Sed ineptè facio, qui colligendis istis quisquilijs, & me & lectores occupem: nisi quòd in paucorum hominum personis quasi representari oportuit, quid passim & quotidie fieri à plerisque soleat. Alijs vltra modum rigidi sumus & implacabiles. Verùm, qualem à nobis clementiam postulent, operæpretium est cognoscere. Injustè læsi ignoscimus: nec ultionè sumimus, atiam si sit ad manū. Hoc illis nò satis est. volunt prætereà non secus in gremium nostrum recipi, ac si optimam semper fidem præstuiissent. Quid hoc est? Ut circumscripti, proditi, aut crud. liter violati, non audeamus nobis in posterum cauere? At ipsos pœnitent. Nempe quum meri sint crocodili, vna lachrymula probuatis fidem emergere volunt. Hic ergo est inhumanus noster ille rigor, quòd nos illis iugulandos non sponte præbemus. Sed de priuatis nostris iniurijs dicere superfædo. Grauior offensus erit Deus: notum crimen & pessimi exempli admissum: quin etiam scelera sceleribus aliqui cumulabunt. Conuicti, culpam dimidia ex parte fatentur. Confessis nisi omnia manent integra, ac si nunquam peccassent, seueritate nostra se ad desperationem cogi deplorant. Ego autem pœnitentiam, quum res ad eò sacra sit, non posse ex frigidis signis æstimari dico. Deinde, quam mihi pœnitentiam iactant, quos ad eò non humiliat peccati sui agnitio, ut æream frontem triduo post in suggestu attollere non dubitent? Monachis solenne fuit quicquid in sodalibus flagitiorum erat, in honorem ordinis tegeve. Morem hunc in Ecclesiam Christi inuehere multi cuperent: ego autem non melius Christi mi nominis honori consuli posse contendo, quàm si à sordibus, Dei templum reppergetur.

Sed iam in recitandis calumnijs, quibus nebulones à nobis egressi, Euangelium obliquè per latus nostrum vulnerant, verborum plus satis consumpsi. Ad generales calumnias iterum reuertor, quibus palà doctrinam manifesti iuratiq; hostes impetunt. Hæc autem illis in primis trita est. Nos Christianæ libertatis prætextu, quidvis & nostræ & aliorum libidini permittere: non aliò spectare nostram doctrinam, nisi ut homines legibus disciplinaeque soluti, sine modo & modestia exultent. Quid contineat doctrina, amplam fidem libri facient. Sed hostibus scilicet tam liberum est apud eos mentiri, qui à scriptorum nostrorum lectione arcentur, quàm nobis superuacua apud lectores excusatio. Scire tamen primum velim, quòdnam illud sit tam graue disciplinae iugum, quòd nos ad hoc asyllum fugere coegit. Neque enim tanta vaguam fuit Papatus austeritas, quin toto anno illic & scortari, & saltare, & intemperanter diffuere omni luxuria, & comeestiones agitare, & alea ludere, & modis omnibus proteruire licuerit: modò semel post annuam indulgentiam,

tiam, qui ita nequiter vixerunt, in aurem sacrifici, quasi crapula vomitu, se exoneret. Quorsum igitur in tam dissoluta licentia hoc vltimis desperationis remedium querere attinebat? Certè, si qui vnquam rerum nouarum cupidi fuerunt, nõ tamen prius cœperunt tumultuari, quàm ubi non aliter iam spes erat, voti compotes fore. Nulla verò lasciuiendi cupido titillare nos potuit, cuius non permissa nobis foret impunitas sub Papatu. At bis quidem ridiculi sunt Papatu encomiasta, dum austerã suam disciplinam, & quasi Spartana instituta prædicant. Quis enim monacho credet plenis & rubicundis buccis sua ieiunia laudatũ? Quis frugales esse putabit, quos in ganeis esse demersos vbique notum est? Vt vnoverbo concludam, totus ferè clerus Papalis vasta lacuna est omne genus scelerum, quæ nõ modò suum fetorem longè latèque exhalat, sed mortifera cõtatione inquinat reliquos mundi ordines. Ceterum, vt sanctè & pudicè omnia apud eos cõposita esse demus: quod tamen morti castitatem quæ eorum legibus astricta erat, laxari à nobis soluique dicunt: ad hoc mendacium refellendum, nõ alios citabo testes, quàm qui nobis quotidie molesti sunt, quod omnè sibi verèrem libertatem ademptã queruntur. Nihil dicam, quod nõ omnibus sit peruulgatũ. Quicumque apud nos libidinosi, intemperantes, proterui, licere cupiunt quod libuerit, vos diceres conductitios esse Papæ milites in oppugnando Euangelio. Nec causam dissimulant, quod sibi minimè tolerabilis sit prisca hæc, & tristis, vt vocant, seueritas, quæ prius in obscuris chartis obsoleta iacuerat. Horum saltem placandi essent impetus, vt persuaderent boni isti continentie vindices, nos carni dare quantum licentiæ postulat. Sed cum aduersus nostrum rigorem tantopere recalcitrent, quibus grata suauisque esset Papatu disciplina: cuius hinc colligere promptum fuerit, doctrinam nostram ab effreni illa, cuius eam insimulant, indulgentia, multum distare. Imo hac invidia doctrinam nostram grauant multi ex Papislis, quod lætitiã propè omnem ac hilaritatem è mundo tollat.

Tria præcipuè nobis obiectant, in quibus nos insimulant quidvis agendi licentiã appetiuisse. Quod à nobis abrogatur auricularis confessio: Quod ciborum prohibitio damnatur: Quod liberum cunctis facimus coniugij vsus. Peccandi verecundiam è mudo tolli clamitant, nisi eam frænct confitendi necessitas. Atqui, mirum est, Spiritum Dei neque in veteri Ecclesia, neque per complures ætates post Christi aduentum, hoc fræno vsus esse. Pudore ergo caruisse dicemus totũ illud tẽpus, quo sanctitas, pudicitia, & omnes virtutes præcipuè floruerunt. Quum tunc plusquam austerius esset disciplinæ rigor, hoc tamè retinaculum non erat, sine quo nihil fore saluum putant boni isti modestiæ patroni. Atqui, falsissimum est quod iactat, cohiberi hoc remedio hominũ libidines. Quis enim nõ videt, quæ admodum vomitu se exonerant ebriosi, vt mox tanquã ieiuniũ & recentes ad nouũ ingluntem redeant: ita Papislas clancularios susurros in aurẽ sacerdotis vomere, vt leuati priore sarcina, peccata peccatis audacius accumulèt? Deo quidem se confiteri præstantur. Verum, commune omnium consiliũ esse dico, clanculũ sua arcana sacrificio retegere, vt Deũ & homines lateant. Itaque videmus, vt furtiuo suo murmure defuncti, sibi longè securius indulgãt. Ceterum, vt demus seruili metu retineri quosdam, vt à peccando abstineant, ne postea necesse sit cõfiteri: nos tamen libertatem carnis hac parte querere, calumniose inferunt. Legè Innocentij dãnamus, quæ conscientias necessitate obstringit, à qua ipsas Deus absoluit & liberat. Expo: tulit cum Deo, qui tam præcisè vetat, ne quis in eiusmodi laqueos se induat, ne animas Christi sanguine redẽptas indui sinat. Ex sacrilega audacia profectũ dicimus, quod minimum figmẽto peccatorũ remissio alligata fuit. Si suum Christo ius & honorẽ aliter asserere non possumus, quin subeundum sit probrum istud, quod nobis iniurunt: id verò in primis honorificum nobis est. Scandalum verò qui inde concipiunt, peruersè morosos esse constat.

De sublato ciborum discrimine præpta & facilis est excusatio. Carni laxari halenas dicunt, ut intemperanter lasciviat, quod die Veneris non minus quam Luna, carnibus vesci permittimus. Quasi vero nulla nisi in carnis esu sit luxuria. Porro, quis nescit maiores semper fuisse in piscibus delicias? & hodie nunquam vel melius summare culinas, vel operosius mensas instrui, vel maiore faciri varietate & copia, quam diebus piscariis? Facebant nugæ illæ: Nos delicias alligere simplices animis. Neque enim de cibis delicatioribus inter nos vertitur questio, sed Papisæ, cum omni ciborum affluentia & suavitate, in gluvie die Veneris, carne tantum excepta, benignè explori permittent, suillam aut bubulam carnem attingere nefas esse pronuntia ut nos conscientis libertatè à Domino concessam relinquimus. Itaque nihil plus religionis in vilibus intestinis, quam in pisce sumptuose condito, statuere audemus. Frugalem cerè & sobriam vitam, ut decet, cõmendamus: nec scripta aut conciones nostras, vel tantillum, luxurie fovere quisquam reperiet. Quin potius testes erunt singulæ ferè scriptorū nostri orna pagine, nos in virgenda temperantia Papisæ aliquanto esse superiores. Et sublata dierum superstitione, parè & frugaliter docemus eis licere uti, quæ nobis Dei beneficio superpetant. Quæ in eo tanta libertatis dulcedo, ut nos ad vertendum orbem instiget? Ego sanè si palato indulgere libeat, alia potius edulia, quam carnes mihi in dividium ami tempus deligam. Nonne familiares mei, & piscicus & alius quibusdã summopere me oblectari, à quibus spontè abstineo, ne valetudinis dispendio tales delicias redimam. Putidum esse fateor, tam ieiunio calumnia re felle. Sed dabunt veniã lectores, si offendiculis ire obuiam volēs, putilulum ineptiam. Quamquã in his ineptiis longius morari opus non est. Pars enim hæc doctrinæ, quam credimus, Iobus necõris constat. Illaque vi humanis legibus cõscientias, quæ vno Dei verbo regi debent, nefas esse cõtendimus. Etiã si ista exercitii specie nihil esset vtilius, nefaria tamen esse aulicis dicimus, cum legè homines imponunt, quæ animas religione obstringat. Sicut enim vni hoc iuris vendicat Deus, ut sit legislator ac index noster. Simul atrocem Christo manum si dicimus, dum parca eius sanguine libertas ita in nihilum redigatur: mancus benefici, nostra quàm veteris populi conditio in hoc quoque potior est, quod à dierum ciborumque observatione manusissi sumus. Deinde spirituale Dei regnum in cibo & potu esse, cum Paulo negamus. Itaque prava superstitione decipi homines, cum pariem sanctitatis esse puta, carnis abstinentiam. Denique nihil quàm Paulo subscribimus, qui diabolicum esse dogma diserte pronuntiat, cibos, quasi pollutos, vetare, quos Deus in usum hominũ consecravit, ut illis cum gratiarum actione libere vescantur. Nullius scandali tanta habenda est ratio, ut res cognita ad eò necessarias silentio regere liceat. Nondum tamen prorsus dilutum est hoc crimen, quia nos à ieiunio abhorreere iactant adversarii, quæ passim Dominus non parum cõmendat. Primum, cum huic conuitio satis reclamant libri nostri & conciones, in cuius satisfactione minus est laborandum. Verum excipient, nos fixa iam olim de ieiunio decreta abrogasse. Fateor, & quidem seriis ad eò gravibusque causis coactos, ut improbissimè facti, vno rem piè usque susceptam nobis vertentes. Ieiunium quadragesimale ex Christi institutione fluxisse, veteri critice opinione receptum erit. Error in specie levis, sed tamen error, & minime servidus. Quàm stultè & insulse cogitatu id fuerit, quàm temerè creditu, nulla negotio monstrare promptum est. Nam si nos ad annuũ ieiunium suo exẽplo inuitare Christus voluit, cur semel hoc tota vita, nõ quotannis aggressus est? Cur non statim ritũ inter suos discipulos instituit? Cur non protinus ab eius resurrectione Apostoli, quasi præscriptam à Mosis veteri populo? Quis autem Prophetarũ aut fidelium, quod à Moise factu erat, in exẽplum traxit? Ad id illud asserimus, esse eiusmodi errorẽ, qui nisi magna fidei nostræ iactura, dissimulari

*simulacri nequeat. Miraculo illo sancitā fuisse Euāgelij doctrinam, quò certior esset eius auctoritas, nemini dubiū est. Itaque Christum per totos quadraginta dies non esurisse, Euāgelica historia commemorat. Quò diuinitus gessit Christus, ut doctrinæ suæ reuerentiā supra humanum gradum attolleret, id non secus ac suis viribus subiectum P. p. istæ dum emulantur, æmon & mirificam Christi virtutem, quantū in se est, obscurant, & obliuerant scelerum illud sigillum, quo approbata erat Euāgelij veritas? In alijs ieiunijs facile ostendimus cum Deo se gratum facere homines putarent, crassum idolis cultū ab illis exhibitum fuisse. Quòd præscripti sunt dies, in quorum honorem ieiument, peruersæ superstitionis Scriptura damnat. Quòd in eo diuinum cultum statuunt, & opus fingunt meritorium: non modò, fulta est ac inanis fiducia, sed mera impietas. Si Paulum sequimur authorem, licebit nobis in genere pronuntiare, externa eiusmodi exercitia, in quibus pietatis summa nõ consistit, modicè prodesse. Hoc verò dici nõ potest, quin præcisus ille qui apud P. p. istas regnat exigendi ieiunij rigor, iure damnetur, dū necessaria officia negligere permittit. Imo ex ore ipsius Magistri clamare licet: Hypocritæ, propter vestras traditiones irrita facitis mādāta Dei. Nunc cum grauiores causæ nos ad loquendum impellant, repente tamen nos gula & omnis intemperantiae faciunt patronos. Quāquam eorum quibuscum nunc discepto, indigna est improbitas, quibus opponi tam iusta debeat & seria defensio. Quam enim, obsecro, suis ieiunijs legem Papa edicit? Ne quis ante meridie cibum gustet, atque ut à carnibus abstineat: ut denique solo prandio contentus, coenā eo die omittat. Hæc porrò vsitata ratio est, ut pridie bene saturi cubitum eant, quò magis sit tolerabilis durū horarū inedia, ut ipso ieiunij die, quia solum illis prandium cōceditur, se absque modo ingurgitēt: ut postridie libera crapula se resciantur. Postquam adeò securè cum Deo, non secus ac cum puero aliquo lusurunt, hoc quocumque addunt ad improbitatis cumulum, frugilem viuendi modum penitus à nobis solui. Ego verò, cum tota vita sint dissoluti, nusquam tamen crassius in belluinam intemperiem, quā in suis ieiunijs profluere eos dico. De coniugio etiam aliquid dicendum restat. Fingunt aduersarij, nos mulierum causa quasi Troianum bellum mouisse. Ut alios in presentia omittā, me saltem ab hoc probro immunem esse concedant, necesse est. Quò mihi ad refellendam eorum putidam garrulitatem maior suppetit libertas. Cum semper ad ducendam uxorem, sub P. p. tyrannide liber fuerim, ex quo me inde eripuit Dominus, per annos complures sponte caelobis vixi. Mortua uxore, singularis exempli foemina, iam sexquiamus es, ex quo non inuitas calibatam rursus colo. Hæc, quæ forte parū ad causam facere videbuntur, ideo tribus verbis præfari libuit, partim ut inde conuergatur maledica hostium vanitas, partim ut omnibus testatum sit, me priuatam causam minimè agere. Quid autē afferunt boni isti castitatis defensores? Lutherum & alios carnis pruritu incitatos, tum sibi fecisse cōiugij libertatem, tum vulgus sacerdotum, monachorum & monialium in easdem illecebras traxisse. Quæ de singulorum, quos malignè falsoque infamant, continentia, verè possent predicari, consulo prætereo. Quid enim magis ridiculū, quā profugere ex Papatu, qui castè viuere nõ sustinent? Nulla scilicet sacrificijs, monachis & monialibus explēda libidinis erat libertas, nisi nouum sibi asylū procul summis difficultatibus quærerēt. Quasi verò nõ quouis scortationum genere claustra omnia, sella, & foruli omnes monachorum ac monialium foret. Prodigiosas libidines hinc nõ attingo. Sed quid rem notā dissimulare attinet, sic ab antris illis, magna quidem ex parte, exulare pudicitia & pudorem, ut scortandi bonis patribus aliqua saltē sit illic libertas? Quid loquar de sacrificijs, quos libidinum suarum adeò non pudet, ut earū trophæa ubique erigere iā illis sit gloriosum? Cerè, ut parcissimè loquar, mulierosis extra Papatum migrare minimè necesse est. Neque tamen prorsus nego, multos ex suis caueis monachos e-*

uolare, ut uenere, quam furtim illic carpunt, liberè apud nos potiantur. Sed illos ipsos aude-  
 bo citare testes, quam procul à voluptuaria uita, quã in lustris debebant, distet coniugium.  
 Itaque nonnulli, quia statim olfaciunt, quãto adstrictior sit pudica uiri cum uxore cohabitatio,  
 quã promiscue cœlibatus Papalis lasciuie, maturè se ad priores nidos recipiunt. Alij  
 desperati uires, Romam aut aliò quò fors eos rapuerit, trãsuolat. Atque hæc quidem una est  
 ex angelicis claustrorum uirtutibus. Ceterùm, ut multos cœcedam, peruerse doctrina nostra  
 abuti: quã tamen iusta sit scandali ratio, uidentum. Genus humanũ Deus hac lege con-  
 didit, ut mulieri uir capitis officium præstet, mulier uicissim sit uiro adiutrix: atque ita mu-  
 tuo nexa, sexum utrumque simul deuinxit. Antequam uiciati essent homines, coniugium il-  
 lus singularis beneficij loco datũ ac permissum est. Ab homine mortali eripi hoc Dei benefi-  
 cium, tolerabile non esse dicimus. Nunc ad primũ Dei institutũ accessit maior ex carnis in-  
 continentia necessitas. Neque enim frustra Spiritus hoc remediũ per os Pauli fugiendæ scor-  
 tationi præscribit, ut quisque uxorem suam habeat, & unaquaque etiã mulier propriũ ma-  
 ritum. Non frustra Christus & idẽ Paulus aduident, non esse omnes ad uitã castitatem ap-  
 tos & idoneos. Atque uinam in hac degene natura minus notus esset incõtentie mor-  
 bus. Huic uitio ut Deus opem ferret, non modo coniugiũ instituit, in quo uir licitè habitet  
 cum femina: sed ad legitimum eius usum omnes qui à carne sua ueruntur, clara uoce uocat.  
 Hoc beneficio Apostoli, Martyres, & alij ex sanctis præstãtissimi usi sunt. Exortare pen-  
 tẽ cœlibatus admiratio, ut uilesceret cõiugij honor ac dignitas, effecit. Fuit tamen ad tẽpus  
 uoluntaria coniugij abstinentia, donec tyrãnidi superstitio ianuã aperuit. Sacerdotes itaque  
 à coniugali uita prohibiti. Tandem ad diaconos serpsit interdictũ. Iurisiurandi uinculo mo-  
 nachici & moniales impliciti, concessum à Deo ius sibi abdicabant. Hinc solos calibes Deo  
 sacros censere mundus cepit. Acer usque grassatus est furor, ut uitam coniugalem, uelut  
 profanã non leui ignominia notarent. Primum, etiam si prosperè in speciẽ cõsisset eiusmodi  
 mutatio: ex diabolica tamen audacia manasse dicimus. Verum, quò sanctior est uirtus, casti-  
 tas, eò sceleratior, & magis deestabilis est coactus iste cœlibatus, quẽ omni fecditatis spur-  
 citieque genere refertum esse constat. Ut Angelis similis uideatur quisquis abhorret à nu-  
 ptijs, uirginitatẽ Papistæ miris encomijs extollit. Quasi uerò extra cõiugij statũ, nihil nisi  
 iudicij & uirginale esse euerint. Atqui, in hoc tantum uidentur lectos proprijs uxoribus  
 uacuos habere, ut alienis pollendis ipsi incubet. Quis enim uulgarẽ inter eos prouerbiũ esse  
 nescit, quando à cõmuni ducẽda uxoris iure arcetur monachus uel sacerdos, ius fãque esse,  
 ut alia sibi ratione prospiciat? Ac ne suis partibus desint, strenuè ferè omnes in hoc uena-  
 tionis genus incumbunt. Nulla lenocinijs aptior tendicula, quã confessio, qua non modo si-  
 bi obnoxias reddunt conscias probri alicuius mulieres, sed alij alijs assignant. Itaque, huc  
 uentum est, ut qui domesticis scortis contenti sunt, casti & temperantes inter alios cõsean-  
 tur. Arcanas obscœnitates & nefanda supra omitto. Ac ne hæc quidem quãuis uulgo no-  
 ta, attingerem: nisi quòd obiter commone fieri lectores necesse est, quã ingenuè faciãt do-  
 ctрина nostræ aduersarij, dum eam dissolutæ licentiæ insimulant, propterea quòd tam atro-  
 cibus malis corrigendis legitimum coniugium permittat. Rumpantur licet, qui coactũ Papa-  
 lis cleri cœlibatum emẽtius laudibus ornare non cessant, in maxima tamẽ parte scœdissimam  
 omnium spurcitie abyssum esse constat: in ijs autem qui continẽtes uidentur, nihilominus im-  
 puram lacrimam esse dico. Talibus scilicet, cum occultis libidinum flammis, tum manifestis  
 flagitijs diabolicam illam audaciam uiscitur Deus, quòd contempto cõiugij beneficio, in-  
 star gyantum Babylonicas moles extruunt, quibus naturam & Deum expugnent. Atque  
 ita fieri oportuit, ut saltem discerent homines, eam demum esse ueram castitatem, quã nobis



bis Dei regula prescribit. Nos autem quia belluinas lasciuias, quarum nullus est modus in Papatu, cohibemus si aeno conugali, propofita carni libertate, modestiam omnem soluere dicimur. Et quid mirum: cum & Christo & Paulo simile quiddam exprobratum fuerit: ac si data opera Legis iugum soluerent, vt sua hominibus voluntas pro lege esset? Neque enim tam sollicitè purgarent suam doctrinam à calumniis, nisi hostium improbitate & virulenta proteruita coacti. Ceterum, quicumque sunt sanabiles, eos breui ista excusatione placatos esse confido, ne scandalum sibi ex tam leui friuolæque materia fabricent.

Habet istud quoque aliquid coloris: doctrinam nostram cū vetustate & seculorum omnium cōsensu pugnare. Itaque in eo se maxime Papiſta iactant: præsertim vbi inſlatis tibiſ alta illa Patrum & Eccleſiæ nomina inſonant. Quomā ſatis notū eſt, quā odioſa ſit & ſuſpecta in religione nouitas, imperitoſ à doctrina noſtra abſterrent eiufmodi prætextu. Et fateor certè, ſi quicquam nouum aſſeratur, minime eſſe audiendum. Sed huius criminis nulla melior eſt aut certior purgatio, quā quòd nihil recipi volumus, niſi clariſ ſolidiſque Scripturæ teſtimoniis probatum. Atque in hoc bobus & aſinus, qui præſepe ſaltem ſuum agnoſcunt, ſi ſtupidiores eſſe Papiſtas apparet: qui cum nouitū ſibi Deū ſibi fabricauerint, ita vnum, verum, & æternū olitriſunt, vt nulla illis cœleſtium oraculorum antiquitate ſapiat. Excipiunt tamen Scripturā ſi. ſo à nobis obtendi, qui totum veteris Eccleſiæ conſenſum euertere conentur. Trita quidem inter eos calumnia, ſed tam putida, vt in eius reſutatione multum temporis conſumere pigeat. Deinde ad eam rem longum volumen neceſſarium eſſet. Et libri noſtri abundè teſtantur, ſi veterum quarantur ſuffragia, illis caſam noſtrā aduari magis quā premi. Cum ſatis conſtet nihilo magis conſentaneam eſſe veteri doctrinam, Papatuſ corrupteliſ, quā omniſ lupo ſimiliſ eſt: quædā tamen eorū dicta, ac verculus etiā interdum non minus peruerſe, quā improbè arripiunt: vnde rudibus, & in eorū lectione ad exercitatis fucū faciunt. Quoties Patrū illiſ teſtimonia obicimus, etiam ſi podere & numero ſe obrui videāt, vt tamen ſupra omnē reliquā ſibi videntur conſtituti, ſecurè contemunt ac ridet. Sedes enim Apoſtolica quicquid vnquam docthorum fuit, magnitudine ſua facile abſorbet. Nec quicquam illiſ hac exceptione promptuſ eſt, quæ uis Patrum iudicia nihil ſe morari, vbi à ſancta ſede Romana aliter pronuntiatū fuit. Ergo apud illuſ ne fili: quidem æſtimabitur totuſ Patrum chorus, niſi ita libitum fuerit; noſ autem quicquid vni eorū cuilibet minus conſideratè excidit, tanta propius religione obſtringet, vt vel tantillum diſcrepare ſit neſcit. Iterum repero, conſuſum iſtud & prodigioſum Papatuſ chaos antiquo Eccleſiæ regimini tam eſſe diſſimile, vt non magis igniſ ab aqua diſſideat. Quòd ſi in eo damnando ac reſumium videmur & clamofi, longè maior eſſet Patrum vehementia, ſi hodie viuerent. Adde quòd boni iſti filii, qui Patrum nomen inſtar pilæ ludendo iactant, craſſiſſimoſ quoſque erroreſ videntur data opera eligere: quibuſ niſi aſſenti amur, noſ totiuſ vetuſtatiſ hoſteſ eſſe clamitāt. Obtulit Abrahæ ex prælio redeuntū Melchiſedec panem & vinum, ſacrificium eſſe putant veteres, quòd ad ſacram Chriſti cœnam tranſtulerunt. Pueriliſ ferè hallucinatio. Atqui, ex tam præclaris eorum lucubrationibuſ, nihil æquè Papiſtiſ arridet. Ne hac in parte nunc ſim longior, qui verſati ſunt in Patrum ſcriptuſ, & mediocriter iudicant, ſatis intelligunt noſ illorum authoritate, ad oppugnandum Papatuſ, eſſe inſtructoſ. Verum, vt ſtatuantur in medio, propius tamen ad noſ accedent. Vnde ergo tanta ſcandaliſ moles ſtruitur? Atque vt demuſ, non poſſe aſſeri à nobiſ & reſtitui purā Dei veritatē, quin ſe contra efferat ille, què prædicat multorum ſeculorum conſenſuſ quemadmodum ab annis mille ſic collapſa fuſſe omnia fateor, vt noua ſubinde errorum & ſuperſtitionum mēſtra pullularint, quid tamen in eiufmodi diſſidio inueniunt tanta offenſione dignum? Si fiat comparatio, primi certè illi ſub quibuſ flo-

ruit Ecclesia, vel soli legitimi Patres haberi merentur, vel præcipuum saltem honoris gradum inter Patres iure sibi vendicant. At boni Papiſtæ (quæ est ipſorum ingenuitas) ſolum illud corruptius ſeculum, quod multum à priſca ſinceritate iam deſlexerat, memoria celebrant. Atque huc tãdem redeunt omnes illorũ querimonix, recepti per octingentos vel mille annos coſuetudinẽ hodie à nobis conuelli. Atqui, ſi veteri proverbio creditur, quod etiam inter eos tritum fuit, nihil aliud eſt mala coſuetudo, quàm erroris vetuſtas. Quò autẽ diuturnius eſt malum, magis exitiale eſſe ſcimus. Plauſibilis olim erat illa Cypriani ſententia: Non ſpectandum quid ante nos alij fecerint aut dixerint: ſed quod mandauit Chriſtus, qui primus omnium eſt, ſequẽdum eſſe. Illud quoque pulchrè ab Auguſtino ac ſcitè dictũ nemo negabat: Chriſtum non ſibi coſuetudinis nomen, ſed veritatis tribuere. Nunc corrupti moris camarinam, quæ per longã annorum ſeriem quieuit, nemo vel leuiter mouere audent. Imo, uſque ad eò inualuit præſectus in tuẽdus ſummis abſurditatibus rigor, ut earum reprehensionem, quaſi intempẽſtiuam nõ reſpuant modo, ſed crudeliter igni & ferro vindicent. Dicit ille homo Ethnicus: Sicut rectè loquendi à doctis, ita & viuendi à bonis ac probis peccendam eſſe coſuetudine: nos, qui directorẽ habemus Chriſtum, praua & corrupta hominum inſtitutio, abſque iudicio & delectu, velut tempeſtus quædam violenta abripit: Ut locum hunc breuiter cõcludam: ſi inter nos valeat, quod extra controuerſum inter pios eſſe debet axioma, Non ſubijci amorum præſcriptioni Chriſti doctrinam: neminem fictum inſtud ſcandalum ab inquirendi ſaltem ſtudio impedit. Vbi autem conſtiterit, à Chriſto nos habere quod proferimus: quis tam erit præpoſterus, ut ab æterna Dei ſapientia, & cœleſtis magiſtri voce, ſponte ad homines concedat?

Plerosque offendi, quòd totum ferè mundum nobis aduerſum eſſe vident. Nec verò ſibi de ſua malæ cauſæ patroni, quin rudes & infirmos eiufmodi machina percellant: Valde abſurdum eſſe, ut paucis hominibus habeatur fides, totum ferè Chriſtianum orbem negligi. Præcipuè autem ad nos proterendos, ſacro Eccleſiæ titulo, quaſi malleo ſe muniunt. Sed velim ſcire, qui noſtra præcitate alienantur ab Euangelio, quomodo fidem ſuã aduerſus Turcas ſuſtineant. Quantum ad nos attinet: ſi vnus Noah cunctos ſeculi ſui homines fide ſua damnauit, non eſt quod magna incredulorum turbas nos de gradu moueat. Interea non modo parum probabilem, ſed iniuſtam & pudendam ſcandali cauſam eſſe dico, ubi Dei verbo hominum reſpectus præponderat. Quid enim? An niſi hominibus credere liberit, non ſtabit Dei veritas? Quin potius, ut Paulus ait, homo mendax, ut eſt, maneat: Dum veracem agnoſcant, quibus ſe patefacere dignatur. Et iam alibi oſtẽdimus, cur tam agrè ſe bona pars hominum Deo in obſequium addicat. Quò minus in tanta mundi contumacia, fidẽ noſtram ad multitudinis exemplum dirigi conuenit. At ſignũ à Chriſto datur: Quò aquilæ conuolant, illic eſſe cadaver. Ego verò non nego, ſi quãdo vnũ in locum collectæ fuerint omnes aquilæ, quin ſimul ſperanda ſit totius orbis conuerſio. Sed cum non quaſlibet illic aquilas deſignet Chriſtus, ſed quæ viuificum mortis ſuæ odorẽ ſequuntur: quis non videt reſtringẽdum ad paucos ſermonem eſſe? Si quis fortè excipiat, non excuſari nos exẽplo Noah, ſi ab eo cœtu diſſeſſionem facimus, qui Eccleſiæ nomen obtinet: Iſaias, cum relicta hominum conſpiratione, Deum vnũ ſequi iuberet, non extraneos notabat, ſed qui tunc populi Dei nomine maximè gloriabantur. Et Petrus, cum Eccleſiam facit arcæ ſimilem: quòd pereunte mundo, quaſi per diluuium exigua hominum manus ſeruetur, non eſſe pendendum à multitudine, ſatis admonet. Quid ergo miſeros homines iuuat inter varios mundi ſtatus vacillandi nutandi que occaſionem captare, cum Deus æterno verbi ſui fundamento nos ſtabiliat? Cur fluctuari inter opinionum procellas malunt, quàm in tuto certæ veritatis portu, quo nos in-

uitat

uitat Deus, quiescere? At summa Ecclesiæ reuerentia debetur. Fateor sanè: ac libenter etiam addo, sic coniunctū cum genuina Legis & Euangelij doctrina esse Ecclesiæ sensum, ut fida illius custos & interpres meritò vocetur. Sed internos & Papiſtas hoc interest, quòd illi non aliter Ecclesiā veritatis columnam esse putant, quàm si Dei verbo præſideat. Nos autem, quia reuerenter se Dei verbo subiicit, veritatem ab ea teneri, & alijs per manus tradi asserimus. Itaque, non plus autoritatis apud eos habet Dei verbum, quàm illi quasi precario Ecclesiā concedit: & totius Scripturæ interpretationem ad Ecclesiā iudicium non secus vertunt, quàm Lesbios olim ad plumbi sui normam lapidem formare solitos, veteri pro- uerbio fertur. Itaque nullus tam perspicuus est Scripturæ locus, qui ad Lesbiam hæc regulam inflexus, vel ut magis propriè loquar, detortus, non alienam formam induat. Nec tamen hîc nobis summum vertitur certamen. Sed postquam Ecclesiā in Christi throno collocarunt Papiſtæ, ut religionem constituat suo arbitrio, & de Scriptura absque prouocatione iudicet: ius illud qualecunque est, ad se mox rapiunt. Nos verò quamam vera sit Ecclesiā, quia hîc falli tam procliuè quàm periculosum est, dijudicari volumus. Certè nouum non est, qui Pastorum loco præſunt, eos crudeles interdum esse lupos: impios esse & perfidos Dei & Ecclesiæ proditores, quorum in manu ordinaria est potestas. Quid est igitur, cur nos inanes laruæ terreant, quominus excutiamus, ut decet, an verè sit, quæ dicitur Ecclesiā? Paulus columnam veritatis Ecclesiā esse pronuntiat: sed idem & orbis iam conuersi defectionem, & Antichristi in medio Dei templo regnum prædicat. Satis notum est, eadem, quibus hodie exercemur, certamina illum sustinuisse, quum Iudæi Ecclesiæ nomine superbientes, eum & apostatam esse clamarent, & scisma- tum ac turbarum authorem. Continua successione ab ipsis usque Apostolis se ortos esse iactant: nempe quemadmodum Valerio Publicolæ & Lucio Bruto, Caligula & Nero successerunt. Sic enim Apostolis se conferunt, ac si non interpositum esset immensum dissidij chaos, quod nexus quoſvis, si qui essent, abrumperet. Quia nobis aduersa est cleri Papalis colluuius, non minus eo nos præiudicio grauari volunt, quàm si nos ex cælo Angeli damnarent. Eodem scilicet fastu olim Christum repudiabant Scribæ, quia nemo ex Principibus aut Phariseis in eum credidisset. Et illos quidem, quum pro sua tyrannide pertinaciter ad extremum usque certare propositum sit, & veris rationibus sint destituti, inanes crepare sonitus mirum nõ est. Sed omnes, quibus falso arreptum Ecclesiæ nomen scandalo est, rogatos velim, ut aures aliquãdo & oculos aperire sustineant: ne fallax corporis simulachrum eos à capite auellat: ne meretrix sponsæ ornatu fucata, sponsum illum Christum auferat. Quas enim, obsecro, notas habent vnde in tota Antichristi Romani cohorte agnoscant Christi Ecclesiā? Nisi fortè dum Papam albatum, & proiectam ad eius pedes crucem videt: Cardinales purpureos, Episcopos mitra & lituo conspicuos, & reliquam minorem turbam suis quoque insignibus distinctam, his pignoribus contenti, non aliam desyderant Ecclesiā, nisi quæ in ludicris pompis apparet. Quid enim aliud nebulonibus istis dicendum restat, quando toties, tam grauitè & copiose à nobis refutati, sibi tamen adhuc Ecclesiæ titulum arrogare pergunt? Dixi initio nullos propemodum hîc falli, nisi qui ad Christum accedere nolentes, sibi procul obstacula accersunt. Fuit quidem tempus, quum multas simplices ac pijs animas impediret hic scrupulus: sed hodie paucos sanæ doctrinæ scan-

dalum ex nomine Ecclesiæ opponere dico, qui non malitiosè & superbè Christo insultent. Eiusdem proteruitas est, quòd miracula flagitant, quibus obstupefacti, Deo tandem per nos loquenti cedere cogantur. Ego verò, quum doctrina nostra luculentum sibi testimonium reddat, miraculis omnibus, quæ ab orbe condito extiterunt, se fuisse comprobata, istos qui veterum miraculorum obliui, nouis inhiant, quum ita stupeant in aperta Dei virtute, & in clara luce cacutiant, non minoræ esse portenta dico, quàm si hominem in pecud. m. versum cerneremus. Quoniam sacris opibus dirati sunt nonnulli, alij famem suam vt cunq. ad tempus sedarunt, nos prædandi magis cupidine, quàm pio Dei zelo ad res nouandas adductos esse iaciunt Euangelij hostes: multi qui prætextum captant repellendi Euangelij, maledicis istis vocibus assentiuntur. Ego verò, si qui replendis suis crumens Ecclesiæ bona prædati sunt, non excuso. Et libri nostri, quantopere abhorreamus ab eiusmodi sacrilegijs, diferti sunt testes. Verum, vt partis nostræ delictis, si qua sunt, patrociniū meum accommodare animus non est: ita calumnia non est ferenda, quòd in prædam cecidisse maleuoli homines criminantur, quicquid factis illis gurgitibus, hoc est sacrificiis Baal & monachis ademptum est. Certè, ex quibus locis profligata est Papatus impietas, illic saltem pars eorum redituum, quos scorta, & lenones cum sacerdotibus vorabant, in pauperes erogatur: aliquantò plus impenditur in scholas, quàm fieri solebat: aluntur veri pastores, qui salutis doctrinam populo ministrant: sumptus quoque ad tuendum Ecclesiæ statum non pauci fiunt. Quamuis hæc nos defensio coram Deo non absoluat (quod liberè quidem confiteor) malignè tamen scandalum inde congeri aduersus Euangelij doctrinam ostenditur. At palam fieri ostendunt, quo studio impulsi, causam hanc aggressi sumus: quòd omnes ferè in priuatis rebus curandis occupati, in vrgenda disciplina, corrigendis vitijs, augendo & tuendo Christi regno, torpent. Cur ergo non ardore potius suo nos calefaciam, quàm ipsi congelascunt ad nostrum frigus? Legantur de templi neglectu Aggæi quærimoniæ. Illic quasi in tabula depictam cernere est seculi nostri ignorantiam. An quia tunc quisque domui suæ in ætus, Dei templum non curabat, ideo non sacrosanctum Dei opus erat, templi instauratio? An fatiscere propterea quisquam debuit, quum alios videret non modò in officio necessario cessare, sed Deum quoque sceleratè fraudare primitijs ac decimis? Sed hoc est scilicet, quod statim ab exordio præfatus sum, multos profanis mundi amicitijs irretitos, quidvis offensionum contra Christum appetere potius, quàm vt impios & sanæ doctrinæ inimicos offendant. Hæc illis praua ambitio, & ad fabricanda scandala ingenium, & ad lacerandum canina maledicentia Euangelium, facundiam suppeditat. Adde quòd præsentium vitiorum morsu non contenti, in futurum tempus inquirunt, quod eadem malignitate arrodant. Fingunt enim se propinquam Ecclesiæ vastitatem animis prospicere, quæ ex intestinis dissidijs impendet. Hac nos prouidi homines non magis affici mirantur: atque vt in odium nos trahant, susque deque nobis esse colligunt, si terra incendio misceatur. Sic olim Aquilanum episcopum in priuato colloquio mecum differere memini, quàm horrenda clades tumenda foret, nisi discordijs finem breui statueremus. Huc autem tota tendebat oratio, fieri aliter non posse, si essemus. propositi nostri ad id tenaces, quin tandem ad arma res veniret. Belli porro non alium fore exitum, quàm vt bonis literis extinctis, & barbarâ confusione inducâ, hu-

manitas propè ipsa è mundo tolleretur. Horum malorum sicuti culpa in nobis haberet, ita subeundam inuidiam esse. Quinetiam hæc ipsa religio, dicebat, pro qua tam acriter pugnatis, simul cum literis intereat necesse est. Quod tunc vni respondi, omnes sibi dictum accipiant. Nos certè, neque tam sumus socordes, quin nobis in mentem veniant quæcunque machinatur Sathan: neque tam feri & inhumani, vt securè negligamus. Paci & otio non modò cupimus consultum, sed quantum in nobis est, cõsulimus. Ordinis & politix non minus sumus studiosi quàm qui maximè. Literarum quanta nos cura sollicitet, verbis prædicare nihil opus est. Sed quum nulla exceptione opposita, Euangeliũ prædicari Christus iusserit: quicumque sequatur euentus, huic mandato parendum est. Quanquam nimium sibi arrogant homines, si meliorem ex proprijs consilijs, quàm ex ratione sibi à Deo præscripta successum sperant. Quid enim? An Deum cæcum & incautum esse fingunt, qui Ecclesiam suam inconsideratè periculis exponat? Imò quum optimus sit rerum omnium moderator, nostrum est, quamlibet perplexas angustias vno hoc Abrahamæ dicto superare: Dominus prouidebit. Nos scilicet de humana societate erimus solliciti: Deus autem opifex nullo eius studio tangetur? Ecclesia ab vnico salutis suæ præside & custode miserè deserta, in nostram prouidentiam recumbet? Nos verò excusatione digni, si in iuncto nobis munere obedienter fungendo, suas Deo partes relinquimus. Ac quum Dauid proprium eius esse opus pronuntiet, turbulentos maris fluctus componere, sedare bella, frangere currus & lanceas: meritò nos animare hæc fiducia debet ad eam doctrinam asserendam, quæ nobis eius gratiam & benedictionem sola conciliat. Quisquis tamen demum conatus nostros sequatur euentus, nunquam erit cur nos obsequium Deo præstitisse & piũ & gratum pœniteat: & quod mœrorem nostrum vel in maximis cladi bus solari poterit, nos & Christi gloriæ, quæ omnibus mundi regnis potior, & animarum salutis, quæ toto mundo pretiosior est, fideliter seruasse.

Postquam scandala, quæ plurimum hoc tempore nocere experimur, generatim recensui: nunc breuiter monendi sunt rursum filij Dei omnes, vt ostensis à me remedijs instructi, Christum potius pro fundamẽto retineant, quàm temerario prauoque incurso sibi faciant lapidem offensionis & petraẽ scandali. Quin multa scandala subinde ingerantur fidelibus in hoc mũdo, fieri non potest, à quibus ne Christus quidè immunis fuit. Imo vix sperandum est, vt passum vnum conficiat, quin scādalum aliquod obijciat Sathã. Ita per innumera scandala ambulandum ipsis est. Sed quantumuis multiplex sit varietas, & densa congeries, nemo tamen erit Christianus, nisi qui superior euadet. Petrum Christus ipse sibi scandalum esse dicit, quum à subeunda morte eum reuocare tentat. Sed an impeditus scandalo gradũ refert? Quin potius Sathanam in Petro animaduertens, faceßere aliò iubet. Vt commune nolis cum ipso fore certamen sciamus, in genere pronuntiat, Necesse esse vt veniant scandala. Sed quemadmodum suos pronuntiat nunquam fore scandalorum immunes: ita nullam scandali causam excusat. Quum enim iubet oculum dextrum erui, si quem fortè scandalizet: nihil tanti esse admonet, cuius respectu nos à scopo tantillũ deduci oporteat. Si ad cauẽda scādala tã essemus seduli, vt ne proprijs quidè oculis quisquã nostrum parceret: nihil opus fuisset, me in amoliendis scādalis tantum opere insumere. Arduũ fateor, & supra vires nostras certamẽ, sed nõ frustra dicit Christus, loquutũ se Discipulis ne scandalizetur. Neq; enim alia de causa vni

cendis aut profligandis scandalis sumus impares, nisi quia loquentē Christū non audimus. Verum est sanè quod alio loco dicit, in nocte offendere eos qui offendāt. Quorsum autem lux Euangelij, nisi ut viā mōstrando, simul etiam scandala oculis subijciat? Atqui, dicit quispiam, impedimentum etiam si conspicitur, cursum tamen abrumpere non desinet. Ego verò iam ostendi, nisi propria nobis mollities obstat, ad superanda quævis scandala Christum vnum sufficere, quum cœlesti sua virtute supra mundum nos euehat. Quòd si scandalo, quod inuitis & fugitantibus incurrit, tam fortiter est resistendum: minus habebunt excusationis, quia ad scandala ipsi quadam animi prauitate sunt proclines. Id Iudæis accidisse admonet Paulus, qui quum ex professo minimè scandalum captarent, quia tamen Dei iustitiæ, propriam volentes stabilire, non fuerunt subiecti, in Christum impegerunt: adeoque exitiali naufragio tanquam ad scòpulum allisi fuerunt. Eorum verò qui oblata scandala libenter arripiunt, vel etiam procul disita cupidè accersunt, minimè tolerabilis est peruersitas. Quid enim? Quum testetur Paulus se antea vitam obliuisci, ut ad palmam supernæ vocationis properet, atque ad eandem festinatione suo exemplo nos hortetur: an scandala ad cursum retardandum quisquam procul impunè conquiret? Iam si in Iudæis præposterum & cœlum tam seuerè vltus est Deus, quid futurum istis putamus, qui scientes ac volètes impingunt? Imo qui viam alioqui planam congestis vndique scandalis obruunt? Præsertim quid sibi veniæ reliquum faciunt, qui ex hominum vitijs aut sceleribus clypeos, repellendo Deo, concinnant? Nam si fideles quoque ipsi, ne quid eorum celeritatem moretur, alij alios vetantur aspiciere: si oculos longè circumferimus, data opera querentes quod nos detineat, quomodo Christus ignosceret? Ac tales quidem verè & aptè porcis conferre licet, quibus ob natium fœtoris amorem, nihil suauius est quàm in cœnum & stercora se prouoluere. Carnes porcos scandalorum nimis auidos, siue ea venentur, siue offerri sibi gaudeant, dira manet Dei vltio, ut quotidiana offendicula, & alia alijs addita, ipsos in æternum exitium demergant. Sic enim seriò excacari æquum est, qui sponte cacutiunt: ut tandem immedicabilis sit morbus. Nos interea quum Christum audiamus omnibus maledicentem, qui scandalum infirmis præbent, sollicitè operam demus, ne quod omnino scādalum nostra culpa accidat. Cæterum, quando reprobis, & mundo incredulo, Christum lapidem scandali esse oportet: modò simus extra culpam, ad scandala intrepidè excipienda, quoties ea ingeret Sathan, vel solo illo Christi titulo simus muniti. Simul altera Christi sententia in mentem veniat. Nam quum à discipulis obiectum esset, offendi Phariseos: securè omitti eos iubet, quia cæci sint, ac cæcorum duces. Addit quoque in signe dictum: Omnis plantatio, quam non plantauerit Pater meus, eradicabitur. Ita sanè est agendum: ut omnium saluti, quoad licet, studeamus: sed quia nobis datum non est eos seruare, quos Deus exitio deuouit: quod perit, pereat: ut est apud Zachariã. Nam si Paulo tollere crucis offendiculum libuisset, quasdam obliquas ad hoc rationes excudere promptum erat. Ab hoc autem consilio adicò abhorret, ut pro magno absurdo ducat, si tollatur. Scilicet fixum tenebat, quod alibi dicit, quanuis odor mortis simus reprobis in mortem, suauem nihilominus odorem nos Deo spirare.

L A V S D E O.

DE AETERNA DEI PRAEDESTINATIONE, qua in salutem alios ex hominibus elegit, alios suo exitio reliquit: item, de prouidentia qua res humanas gubernat,

Consensus Pastorum Geneuensis Ecclesiae, à Io. Caluino expositus.

CLARISSIMIS VIRIS ET MAGNIFICIS

suis Dominis, Syndicis, Senatuique Geneuensi, Ecclesiae Pastores, quibus Verbi administratio tum in vrbe, tum in agro mandata est, iustam sanctamque Reip. administrationem, & felicem successum precantur.



Ue nos ad libellum hunc scribendum impulit ratio, eadem ad ipsum vobis nuncupandum hortatur, praestantiss. Domini, vt sub nomine vestro auspiciisque exeat. Electio Dei gratuita, qua sibi ex perdito damnatoque hominum genere, quos visum est, adoptat, haec hucus non minus reuerenter & sobriè, quam sincere & absque furo hic tradita à nobis, & placidè à populo recepta fuerat: donec circumforaneum errorem nuper supposuit turbarum omnium pater Sathã, qui & doctrinam nostram, qua ex puro Dei verbo sumpta est, conuellere, & fidem totius populi labe factare tentaret. Sed quia vel ex incenso Dei tēplo voluit famelicus gloriolae captator innotescere, ne sacrilegae audaciae premium quod occupatus est, reportet, nomē eius silentio nostro sepultum maneat. Ceterum, quando molestia, quam nobis exhibere conatus est, nō minus vobis cōmunis fuit, fructū inde aliquem ad vos peruenire aequū est. Et quēadmodum vos experti sumus strenuos cordatosque piæ causæ vindices, ita nostrarū partium esse duximus, quā possemus gratitudinē, vicissim testari. Eadē etiā opera, quale vestro patrocinio tutati suis doctrinae genus, palā cōstabit. Et si enim neque generosos Reipub. praesides, neque Christi ministros anxie à rumoribus pedēre decet: quin potius sinistrae multae obreclationes, quae sua raucedine fractae paulatim cōcidunt, vrisque fortiter altōque animo spernendae sunt: magnopere tamē refert, quasi publicis tabulis consignatam sub oculis & inter manus hominū extare rei summā, quae falsas aut stultorū, aut leuiū, aut improborū voces coarguat, & simul cōpescat friuolos vulgusurros. Sparsus multis in locis fuit rumor, duris eū vinculis cōstringi, quū per mediū forū quotidie volitare licuerit. Quā malignè etiā finxerint virulēti quidam homines, ad capitis supplicii à nobis eum exposci, vos nobis oprimi estis testes. Tales calumnias, donec euanescant, contēptu & tranquilla animi magnitudine refutare, grauitatis & prudētia est. Rursum tamē, ne incerti plerique fluctuentur, quorum habenda est ratio: statum causae omnibus esse expositum, non minus expedit, quam ex officio nostro est. Serpit instar gangrenae impietas, inquit Paulus, nisi obuiā eatur. Ista autē, quam sub vestro nomine pijs omnibus offerimus, defensio, tã erit ad curandos sanabiles, vt quicquid speramus, validum efficacique remedium, quam salubre antidotum sanis & integris. Ad digna est materia, ad quam studia sua intendāt filij Dei, ne caelestis suae geniturae originem ignorent. Stultè enim quidā, quia Euaŕgelium potentia Dei vocatur in salutē omni credenti, hoc praetextu Dei electionem obliterant. Atqui venire illis in mentem debuerat, vnde oratur fides. Passim


autem Scriptura clamat, Deum Filio suo dare qui sui erant, vocare quos elegit: & quos sibi adoptavit in filios, Spiritu suo regnare: credere denique homines quos ipse intus docuit, & quibus patefactū est eius brachiū. Porro quisquis fidē, arram esse & pignus tenebit adoptionis gratuita: ex aeterno diuinæ electionis fonte manare fatebitur. Neque tamen ex arcano Dei consilio petenda nobis est salutis notitia. Vita in Christo proposita est, qui se in Euāgelio non modò patefacit, sed fruendū exhibet. In hoc speculū defixus sit fidei aspectus: nec penetrare appetat quò accessus non patet. Quando hæc via est, in ea ambulent filij Dei, ne altius quàm fas est euolando, in profundiorē, quàm optādum sit, labyrinthū se demergant. Cæterum, ut nō alia est cælestis regni ianua, quàm fides in Christū, palam oblati Euāgelij promissionibus cōtenta: sic nimis crassi stuporis est, nō agnoscere, apertos esse nobis mētis oculos à Deo: quia nondum in utero conceptos eligit, ut fideles effemus. Fuisse autē hoc impuro nebuloni propositū, ut nō modò notitiam electionis deleteret ex hominū animis, sed eius quoque virtutem prorsus euerteret, ex eius delirijs quæ in actis publicis habetis eius manuscriptis, disertè liquet: ubi asserit, Fidē ab electione non pendere, quin potius electionē esse in fide sitam. Nullos in cæcitate manere ob ingentē naturæ corruptionem, quia rurē omnes illuminentur à Deo. Nos Deo facere iniuriā, quia deserui tradimus, quos Spiritus sui illuminatione non dignatur. Trahi generaliter & ex æquo omnes homines, nec discrimen nisi à cōtumacia incipere: Quum Deus se ex lapideis cordibus carnea facturū promittit, nihil aliud intelligi, quàm ut gratiæ Dei simus capaces, idque promiscuè ad totum genus humanum extendi, quum singulare Ecclesiæ priuilegium esse Scriptura dilucidè affirmet. Quantum ad Dei providentiā, qua mundus regitur: inter pios omnes fixū hoc & cōf. ssam esse debet, nō esse cur suis peccatis sociam homines Deū ascribāt, vel vllō modo secū inuoluāt ad partem culpæ sustinendam: sed quum Scriptura doceat, reprobos quoque iræ Dei esse organa, quibus partim fideles suos erudiat ad patientiam; partim hostibus pœnas infligat, quales merentur, profanus nugator nihil à Deo iustè fieri contendit, nisi cuius ratio sub oculis posita taceat. Omne enim discrimen inter causas remotas & propinquas tollens, ærumnas sanctio Iob impositas Dei opus censeri non patitur, quum pariter cum diabolo, Chaldæis & Sabæis latronibus reus fiat. Quòd autem illo præterito, cum duobus alijs, Alberro Pighio, & Georgio Siculo, congressi sumus: ad duplici nomine expedire nobis visum est. Nam quum indoctus & bulanihil proferret, nisi ex duabus istis lacunis hastū, adeoque malè dicta in deteriorius raperet, nimis frigidum cum eo fuisset certamen. Vno exemplo contenti sint lectiores. Quibus cauillus Pighius & Georgius primum ad Ephesios caput obscurent, suo loco ostensum est. Atque in falsè quidem illi, sed fœdior huius inscitia, qui non erubuit in curia vestra, & illo verendo confessus effatire: & quod temerè effutuerat, pertinaciter tueri, Non traciari illic de communi piorum salute, sed quòd Paulus & reliqui collegæ in munus Apostolicū electi fuerint. Actam futile quidem commentum ex templo, sicuti memoria tenetis, refellere promptum fuit, Si qui se tali magistro discipulos addicerēt, nimis infausā theologiam discere, quæ nos omnes vitæ aeternæ fiducia privaret, quādo soli Apostoli diuinæ adoptionis cōpotes, & Deo per Christū reconciliati, & benedicti, & in societate sanctorū ascripti essent. His quidē in re præsentī fuit locus, sed libro edito iā inspicū animal refellere, non ita fortè congrueret. Neque vero nos latet, quāto opere sibi placeat: neque



mirum est, in eo, qui abiecta monachi cuculla, repente medici personam induit, tantum esse audacia, sed in eius gratiam, cum multorum fastidio ineptire, à modestia nostra alienum fuit. Deinde, quoniam duo illi noti sunt ac professi Euangelij hostes, alter etiam Calvinum nominatim aggressus, bellum nobis & huic Ecclesiae indixerat, impiæ doctrinæ venenum publicè libris excusis sparsum purgare consultius visum est, quàm nanius vulgando, quæ melius latent, importunè fatigare hominum aures, superuacuis certaminibus iam plus satis vexatas.

Faxit Dominus Deus, Magnifici & præstantes viri, ut quod hæcenus magna cum laude fecistis, indefessi ad extremum vsque puram Euangelij doctrinam, quæ tam infesta mundi violentia vndique pulsatur, fide præsidioque vestro tueri pergatis: & pios omnes, qui se in patrociniū vestrum conferunt, hospitio excipere non desinatis: quò sit vrbs vestra inter horribiles istos motus fixū Deo sanctuarium, & fidele Christi membris asyllum. Ita etiam fiet, ut cum perpetuum salutis vestre præsidem sentiatis: & quod illi sacratū erit domicilium, eius virtute tutum, nunquam labascet. Calendis Ianuar. M.D.LII.

## DE AETERN A DEI PRAEDESTINATIONE.



**A**M elapsi sunt nouem anni, quum Albertus Pighius Campensis, homo phrenetica planè audacia præditus, eodem opere & liberum hominis arbitrium statuere, & arcanum Dei consilium, quo alios eligit in salutem, alios æterno exitio destinat, euertere conatus est. Quia verò me nominatim aggressus erat, per cuius latus piam sanamque doctrinam confoderet: sacrilegum hominis furorem compescere necesse habui. Sed quia tunc alijs negotijs districtus, vtrunque argumentum breui temporis spatio completi non poteram: altera parte absoluta, de prædestinatione, quum daretur occasio, me postea scripturum recepi. Paulò post librum editum, moritur Pighius. Ergo ne cani mortuo insultarem, ad alias lucubrationes me conuerti. Et ab eo tempore, quod agerem nunquam defuit. Ad hæc, quia hoc doctrinæ caput iam & copiosè à me tractatum, & clarè explicatum, & solidis Scripturæ testimonijs comprobatum fuerat, non adèd necessarius videbatur hic labor, qui tui omitti posset. Sed quia hodie malè feriat quidam spiritus quicquid de gratuita piorum electione, & æterno reprobatorum iudicio Scripturis præditum est, Pighij exemplo diruere moluntur: ne longius serpat contagio, friuola eorum obiecta, quibus se & alios deludunt, colligenda & breuiter refellenda censui. Inter reliquos emerfit in Italia Georgius quidam Siculus, homo quidem indoctus, & contemptu quàm insectatione, dignior: nisi quòd nomen fraude & impostura partum, magnas illi ad nocendū vires dedit. Nam quū Benedictinus esset monachus, diu in gurgustio suo latuit, donec Lucius Abbas, vnus ex Patribus Tridentinis falsa ipsium commendatione in sublime extulit. sperās se quoque eius humeris in cælos vsque euolaturum. Nèbulò hic Christum sibi apparuisse, & totius Scripturæ ab illo se interpretem cõstitutum meminit, quod ipse crassa pudendique inscitia plusquàm vanum esse prodebat, nullo negotio plurimū verum esse persussit. Atque, ut fabulam ad extremum vsque

actum perduceret, tanta confidentia ebuccinavit deliros suos sensus, ut imperitos, qui iam prauidicio vincili tenebantur, prorsus attonitos redderet. Et certe talibus prophetis digna est hodie maior pars hominum: quorum partim cor in malitia obstinatum medclam nullam recipit, partim aures insatiabili prauarum speculationum desiderio pruriunt. Sunt alij fortasse, qui libenter, vel cum dedecore, innotescerent. Verum, suppresso eorum nomine, efficiam, ut intelligant lectores, quam frivola sint ac nihili omnia ipsorum obiecta.

In Pighio nunc & Georgio Siculo, belluarum par non malè comparatum proponere statui. Nam etsi quibusdam in rebus fuisse dispares fateor, in fingendis tamen errorum portentis, in licentia bacchandi, in scelerata adulterandæ Scripturæ audacia, in superbo veritatis contemptu, in proiecta impudentia, in proterua loquacitate, summa inter eos reperietur similitudo & æqualitas: nisi quòd Pighius lutulentas magniloquentiæ suæ ampullas inflans, maiore iactantiæ pompa se effert: alter ille cothurnos, quibus assurgat, ex commentitia reuelatione mutuatur. Cùm autem in evertenda Prædestinatione consentiant ambo, postea tamen in cõmentis suis sunt diuersi. Fingunt ambo, In libertate nostra positum esse, ut se quisque in adoptionis gratiam inserat. Neque hoc ex Dei consilio pendere, quinam electi sint vel reprobati: sed singulos sibi vtramvis fortunam suo arbitrio statuere. Quòd alij credunt Euangelio: alij increduli manēt, non ex gratuita Dei electione, vel ex arcano eius cõsilio, sed ex priuata tãtùm cuiusq; voluntate provenire hoc discriminē.

Ceterum, Pighius sensum suū ita explicat, Deum immutabili consilio creasse indistinctè omnes ad salutem. Sed cùm Adæ præuideret deflectionem: ut firma nihilominus stabilisq; maneret electio, remediū adhibuisse, quod omnibus perinde commune esset. Ita in Christo stabilitam fuisse totius humani generis electionem: ut nemo pereat, nisi qui sua obstinatione ex libro vitæ se delet. Rursus verò, cùm Deus præuideret quosdam ad extremum in malitia gratiaq; contemptu fore pertinaces, tales præuidēdo reprobasse, nisi resipiscant. Hoc reprobationis esse initium, dum se impij vniuersali electionis beneficio præter Dei consilium & voluntatem priuant. Indignè verò sentire de Deo omnes pronuntiat, & alienum iustitiæ & bonitate rigorem illi affingere, qui electos esse præcisè & absolutè quosdam tradit, alios destinatos exitio. Et nominatim hîc Augustini sententiam damnat. Præscientiam verò Dei nihil tollere de arbitrij nostri libertate, ut ostendat, ad illā Nicolai Cusani argutiam confugit: Quòd Deus non præuiderit, quæ ab æterno illi nota fuerunt, quasi futura, sed quasi presenti aspectu intuitus fuerit. Et tamen ita supercilium suo more attollit impostor, ac si reconditum nescio quid, & nunquam antè auditum, ex tripode Apollinis proferret: cùm tamen trita sit pueris cãtilena.

Quia tamen adhuc se impeditum teneri sentiebat, duplicem Dei præscientiam ingerit: Quòd Deus scilicet, prius creandi ad vitã hominis consilium cœperit, quàm eius lapsum præsciret: ideòq; salutis humanæ cogitatio, mortis præscientiã ordine in ipso Deo præcesserit. Et cùm hæc lutulento verborū torrente inuoluit, putat se ita obruere lectorū sensus, ut nihil discernant: sed ego mea breuitate, ut spero, paulò post faciliè discutiã loquacitatis eius tenebras. Georgij commentum est, non fuisse hunc vel illum prædestinatum ad salutē, sed Deum statuisse tēpus, quo totum mundum seruaret. Atque huc quosdam Pauli locos detorquet: mysterium quod à seculis & generationibus absconditum fuerat, Christi aduentu & prædicatione Euange-

Capite. 1.  
Lib. 8.

Capite. 1.  
ciusd. lib.

Rom. 16.  
Eph. 2.  
Coloss. 1.

lij patefactum esse. Ita securè elabatur, ac si nullo Scripturæ testimonio palam constaret alios, alijs præteritis, à Deo fuisse cooptatos in salutem. Denique, in electione nihil præter tempus noui Testamenti considerat.

Quid nos sentiamus, satis locuples, vt nihil præterea addam, testis est Institutio. In primis rogatos velim lectores, vt quod illic admonéo, memoria repetant: Non esse, vt quibusdam falsò videtur, argutam hanc vel spinosam speculationem, quæ absque fructu ingenia fatiget: sed disputationem solidam, & ad pietatis usum maximè accommodam: nempe, quæ & fidè probè edificet, & nos ad humilitatè erudiat, & in admirationem extollat immèsa erga nos Dei bonitatis: & ad hanc celebrandã excitet. Nulla edificandæ fidei aptior est ratio, quàm dum audimus electionè illam quã Spiritus Dei cordibus nostris ob signat, in æterno & inflexibili Dei beneplacito consistere, vt nullis mundi procellis, nullis Sathana insulribus, nulli carnis vacillationi sit obnoxia. Tunc enim demum nobis certa est nostræ salus, cum in Dei pectore causam reperimus. Sic enim vitam in Christo manifestatã fide apprehendimus, vt eadem fide duce, procul intueri liceat, ex quo fonte vita prodierit. In Christo fundata est salutis fiducia, & in Euangelij promissiones recumbit. Sed hæc non parum valida futura est, cum nunc, vt in Christum credamus, audimus nobis diuinitus esse datum: quia ante mudi originem tam ad fidè ordinati, quàm ad vitæ cœlestis hereditatem electi eramus. Hinc illa inexpugnabilis securitas, quòd Pater, qui Filio suo nos in peculium dedit, omnibus potentior, nos è manu eius rari non patietur. Iam verò non vulgaris in eo humilitatis materia, dum tam dispar eorum conditio cernitur, quibus communis est natura. Quocunque oculos vertant filij Dei, occurrent prodigiosa exempla cæcitatù & stuporis, quæ horrorè incutient. Cum se in tenebris illuminatos esse nouerint: qui fieri dicent, vt cacutiãt alij in clara luce? Quis eos discernit: nisi quòd experientia conuincit, apertos illis fuisse mentis oculos, cum perinde clausi essent? Certè quid Deo sit reddere quod suum est, nondum didicerunt isti, quibus sponte nescire liber, vnde ab alijs differant. Quin radix sit pietatis, matèrque virtutum omnium, humilitas, nemo ambigit. Quomodo autem humilis erit, qui nec pristinam miseriam è qua liberatus est, audire sustinet, Deique beneficentiam promiscuè ad omnes extendens, quantum in se est, extenuat? Certè multum abest, quin Dei gratiam pro merito illustrent, qui eam prædicant omnibus esse cõmunem, in se verò efficaciter residere, quia fide eam amplexi sint: fidei verò causam interea sepultam cupiunt: quòd scilicet gratis in filios electi, Spiritu adoptionis postea donati sint. Qualis ista gratitudo, si incomparabili beneficio affectus cum eo debitorem me ex æquo profiteor, qui vix centesimã partem accepit? Quare, si ad celebrandam Dei bonitatem, quantum illi sumus obstricti, præcipuè tenere interest: maligni sunt in Deum & iniuriij, quibus molesta est ac grauis electionis æternæ notitia: qua sepulta, dimidiam gratiæ Dei partè eua nescere necesse est. Obstrepant, qui volent: hoc tamen elogio, quam de gratuita electione tradimus, doctrinam, ornare semper licebit, quòd nisi per eam non satisfaciant fideles, quanta in se fuerit Dei bonitas, dum ad salutem efficaciter vocati sunt. Breuiter tantum ista delibo, quæ iterum suo loco luculentius tractanda crũt, ne quis rem cognitu apprimè necessariam refugiès, graue fastidij sui damnum serò tandem sentiat. Quòd si nos Euangelij non pudet, quòd illic apertè traditur, fieri necesse est, Deũ aeterno suo beneplacito, cuius aliunde causa non pendet, quos

illi visum est, destinasse ad salutem, alijs reiectis: & quos gratuita adoptione dignatus est, Spiritu suo illuminare, ut vitam in Christo oblatam recipiant: alios ita sponte esse incredulos, ut fidei luce destituti, in tenebris maneat.

Contra hoc Dei iudicium petulanter insurgunt multicanes. Atque inter eos nonnulli quidem Deum palam impetere non dubitant, quod futuram Adæ ruinam prævidens, non melius consuluerit rebus humanis. Quibus compefcendus nulla melior ratio quærenda est, quàm quæ à Paulo nobis ostenditur. Hoc enim veniebat in quæstionem: quomodo iustus esset Deus, dum miseretur cuius vult, & quem vult indurat. Tantâ hominum audaciâ nullo responso dignatur, nisi quod ordinis ipsos sui fortisque admonet: O homo, tu quis es qui respõdeas Deo? Quod garrunt profani homines, rationis inopia silentio absurditatem texisse: longè aliter res habet. Axioma enim sumit, quod non modò pijs mentibus tenendum est, sed in cõmuni sensu insculptum esse conuenit: Altius esse magisque reconditum Dei iudicium, quàm ut eò usque penetrare possint homines. Et quem, obsecro, non pudebit, velle ingenij sui modulo causas omnes operum Dei comprehendere? Atqui, in eo vertitur status quæstionis, An nulla sit Dei iustitia, nisi quæ à nobis concipitur. Hoc si vno verbo proponitur, Liceatne Dei virtutem sensu nostro metiri, nemo est qui non protinus respondeat, Omnes hominum sensus in vnum coaceruatos immense Dei potentie longè succumbere. In reera, simulac in Dei operibus certa ratio non apparet, diem illi dicere quodammodo parati sunt. Quid ergo hac Pauli admonitione opportunius vel aptius: Nimum sui esse oblitos, qui se supra cælum attollant? Ut Deus ipse, iure suo cedens, se ad reddendam causam offerat, vbi ad arcana illius ventum fuerit, quæ Angeli cum trepidatione adorant, quis non tanto fulgore attonitus stupebit? Mira sanè hominũ rabies, qui Deum sibi audacius subijcere, quàm Paganum aliquem iudicem æquare non verentur. Tibi molestum est ac odiosum, Deum plus posse & facere, quàm mens tua capiat: equali autem tuo interdum concedes, ut suo iudicio fruatur. Et tu in tanto furore, Dei mentionem vllam facere audes? Quid tibi sonat Dei nomen? Et tu Paulum ratione destitui iactabis, nisi Deum è cælesti folio detractum, tibi excutiendum sis? Nos verò sciamus, sanctum Apostolum, prinò, qua deiecit gravitate, compefcuisse vesanam eorum lasciviam, quibus Dei iustitiam incessere nulla religio est: deinde, pijs Dei cultoribus vtilius moderationis cõsiliu dedit, quàm si a quarum pennis vestitos supra nubes extulisset. Quavis enim sapientia præstantior est sobrietas, quæ Dei timore subacta, intra præscriptum ab eo intelligendi modum se continet. Eam superbi homines ignorantie nomine, si libuerit, infament: modò quod in vera sapientia iam præcipuũ est, teneat, Dei voluntatem pro summa iustitie norma habendo, suam illi propriamque gloriam tribuere.

Pighio tamen & similibus nondum satisfactum est. Nã simulantes curæ sibi esse Dei honorem, nobis oblatrant, quasi alienam illi sua natura crudelitatem affingentibus. Negat sibi cum Deo esse certamen. Quam igitur, vel cuius causam sustinet Paulus? Postquæ hoc axioma posuit, Deum, quem vult indurare, & cuius vult misereri: per anthyphorã subijcit: Quid ergo adhuc conqueritur? Voluntati eius quis resistet? Tantæ blasphemie nõ aliud quàm Dei potentie opponit. Si Deo tyranni personã induant, qui ad æternũ usq; eius consiliu referunt hominũ indurationẽ. nos certè non sumus huius sententie authores. Si Deo sunt iniurij, qui-

*lus eius voluntas omnibus causis potior est, hoc Paulus ante nos tradidit. Cum eo igitur disceptet. Neq; enim aliud in praesentia disputo, quam ab eo fuisse productum quod docemus. Quanquam de canibus istis, non adeo essem sollicitus. Magis quorundam non malorum alioqui hominum anxietas me commoet, qui dum metuit quicquam Deo, eius bonitate indignum, adscribere, hoc ipsum exhorrent, quod de se per os Pauli Deus testatur. Pium quidem asserenda ab omni calumnia Dei iustitiae studium amplector. Laudanda quoque modestia esset, nisi eam gigneret morositas occulto quodam fastu turgida: siquidem ex proprio sensu loquuntur. Cur enim verentur, si quid ultra mentis suae captum Dei potentiae concedant, ne periclitetur eius iustitia, nisi quia eius tribunal suae cognitioni subicere non dubitant? Paulus intolerabilem esse superbiam ostendit, si mortalis homo sibi iudicium in fratrem sumat, Rom. 14. quia unus sit iudex, cui stamus omnes & cadimus, & cui omne genu flexum oportet. Cuius ergo insaniam erit, cristas in iudicem ipsam at tollere, ut eius potestate sensu nostro metiamur? Ergo qui verecundiam hanc sibi obstare causantur, ne Paulo subscribant: primum, fateantur, necesse est, quam Deo iustitiae laudem deferunt, se ad animi sui sensum restringere: si vero de re ipsa nobiscum sentientes, suppressere tamen malunt hanc doctrinae partem, ne habenas laxent impiorum petulantiae, nimis praepostera est ista cautio. Quasi vero nostrum mendacium protegendus sit Dei honor. Ipse vero hoc patrocinium non modo nobis remittit, sed prorsus exosum esse testatur in libro Iob. Caveant potius, ne maiorem quam Dominus verbo suo praescribit, prudentiam affectando, duplicis insaniam se recos faciant.*

*Quanquam ut reprimendis impiorum blasphemis maxime utilis sit, quam commendant: sobrietas: quod tamen homines Deo immorigeros tam facile suis delictis frenatim sibi persuadent, ridicula est eorum fiducia. Paulus ubi de arcanis Dei consiliis, quatenus opus erat, differuit, quasi in icela manu, vel ra progredi vetat. Calcitrant, proterviunt, ac de fulgoria leuitate ultra finitam sibi metam transuolant in quieti spiritus: quomodo igitur ad unius vel alterius nutum subsistent, qui angustiores illis stadiis cancellos circumdant? ac si quis ferocem equum, qui fractis repagulis exultat, aranea filo retinere tentet. Verum, in re tam ardua & recondita nihil melius, quam sobrie sapere. Quis negat? Videndum tamen simul est, quis optimus sit sobrietatis modus: ne idem nobis quod Papiſtis contingat, qui, ut discipulos habeant obsequentes, brutis pecudibus similes esse iubent. Haecine est Christiana simplicitas, eorum, quae Deus ostendit, scientiam quasi noxiam refugere? Hoc, inquirunt, absque iactura nescire fas est. Quasi non melius iudicauerit coelestis Magister, quid scire & quousque expediat. Ergo ne vel in aquis fluctuemur, vel dubij & vagi circumferamur per medium aerem, vel altius pedem figendo, quam par est, in profundum mergamur: sic nos Deo praebeamus regendos & docendos, ut simplici eius verbo contenti, plus, iure quam illic reperimus, ne appetamus quidem, etiam si detur facultas. Haec docilitas, qua sensus omnes suos pius homo sub Dei verbo continet, vera est ac unica sapiendi regula. Nam & quousque nos porrecta manu ducit is qui via est, cuius Spiritus per Apostolos & Prophetas locutus est, tutum est sequi: & supra omnem humanae mentis perspicaciam longè excellit eorum ignorantia, quae in Dei schola non discitur. Itaque non minus a suis ouibus exigit Christus, ut voci suae auscultent, quam ut alienorum vocibus auribus habeant obstructas. Nec sanè aliter fieri potest, quam ut in vacuum solida doctrina animam inanes undique er-*

rorum flatus penetrent. Porro, quàm verè profitear, non nisi præunte Dei verbo me nunquam hac de re verbum fecisse, tametsi ex prioribus meis scriptis, ac præsertim ex mea Institutione facile iudicabunt p̄i lectores; ex hac tamen hostium, qui se contrà opponunt, refutatione, non nihil nouæ lucis accedet.

Sed quia odiosè nobis ingeritur veteris Ecclesiæ authoritas: breuiter etiam præfari operæpretium est, quàm iniuste hac partim falsa, partim friuola inuidia, prematur Christi veritas. Augustini tamen verbis potius quàm meis, hoc quicquid est criminationis diluere malo. Nã & sanctum virum eodẽ olim probro vexabant Pelagiani, quod sibi aduersos haberet alios Ecclesiæ scriptores. Primum ergo excusat quod ante exortã Pelagij hæresim non ita subtiliter neq; exactè de prædestinatione id quod erat, tradiderint. Quid igitur opus est, inquit, vt eorum scrutemur opuscula, qui priusquã ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendũ quæstione versari? quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Prudenter certè nõ minus quàm ingenuè dictum. Nisi enim eum exercuissent gratiæ Dei hostes, nunquam ad excutiendã Dei electionem ad eò fuisset attentus: sicuti fatetur. Nam in libro cui titulum fecit De bono perseuerantiæ: Hæc, inquit, certa est ac manifesta prædestinatio sanctorum, quam postea diligentius & operosius, cum aduersus nouam sectam disputarem, defendere necessitas compulit. Didicimus enim singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura diuina, quàm si nulla talis necessitas cogeret. Quid autem cogit loca Scripturarum, quibus prædestinatio commendata est, copiosius & enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt, Dei gratiam secundum merita nostra dari: quod nihil aliud est quàm gratiæ negatio? Porro, aliquantò prius negauerat, sibi de librorum suorum vetustate præiudicium debere afferri. Nemo, inquit, tam iniustus est, vt opinor, & tam inuidus, qui proficere me prohibeat. Postea tamen simul contendit, ex quibusdam veterum testimonijs posse colligi, non aliter eos quàm tunc doceret, sensisse. Vt alijs super sedeam, plusquam perspicuum est, quod ex Ambrosio citat, Christus, quem miseratur, vocat. Item, Si voluisset, ex in deuotis fecisset deuotos. Sed Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit. Quis totam huius quæstionis summam his paucis verbis comprehendere non videt? Quod non omnes ad Christum accedunt, vt salutem consequantur, causam assignat, Quia Deus eorum corda efficaciter non tangit. Conuersionem hominis ex gratuita Dei electione manare pronuntiat. Cur alijs reprobatis, alios vocet, in solo eius arbitrio positum esse non dissimulat. His tribus capitibus statum quæstionis contineri & finire, nemo mediocri iudicio præditus nescit. Porro, Augustinus ipse ad eò totus noster est, vt si mihi confessio scribenda sit, ex eius scriptis contextam proferre, abundè mihi sufficiat. Sed ne in præsentia nimium sim prolixus, tribus aut quatuor locis contentus ero, ex quibus constet, ne vno quidem apice me ab ipso differre. Ex continua deinde operis serie plenius constabit, quàm solidè omni ex parte mihi suffragetur. Libro de prædestinatione sanctorum, contra eos se disputare proficitur, qui peccato Adæ obnoxium nasci genus humanum agnoscunt, ac præueniri Dei gratia hominum voluntates, nec sibi quenquam ad vllum opus bonum vel inchoandum, vel perficiendum, sufficere. Quid autem ea confessione maius desiderat, in ipso disputationis progressu ostendit. Ne diceret quispiam, inquit,

Lib de  
praedest.  
Sancto.  
cap. 14.

Cap. 20.

Cap. 12.

Eius lib.  
cap. 19.

Capite. 1.

inquit, Discernit me ab alijs fides mea, iustitia mea, aut aliquid simile, talibus occurrēs cogitationibus, rogat Doctor Gentiū: Quid habes quod non acceperis? A quo autem, nisi ab illo qui te discernit ab alio, cui non donauit quod donauit tibi? Deinde, Fides igitur, & inchoata, & perfectā, donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis Scripturæ testimonijs repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit ex vno omnes in condemnationem iustissimam venisse. Cur autem istum potius quàm illum Deus hinc liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, & viæ eius inuestigabiles. Item, Si discutiatur & queratur, vnde quisque sit dignus, non desunt qui dicant, Voluntate humana: nos autem dicimus, Gratia vel prædestinatione diuina. Postea subiicit: Saluator ipse Dei filius præclarissimum est gratiæ & prædestinationis lumen. Respondeatur, quaeso: homo ille, vt à verbo Patri coeterno in vnitatem personæ assumptus, filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruerit. Quod enim eius bonum qualecunque præcessit? Quid egit antè? quid credidit? quid petiuit, vt ad tantā dignitatē perueniret? Hic Deo aliquis hominū obmurmuret ac dicat: Cur non & ego? si audierit: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? neq; ita se cohibeat, sed augeat impudentiam, & dicat: Quomodo audio, Tu quis es ô homo? quum sim homo sicut ille de quo ago, cur non sum quod ille est? At enim gratia ille talis ac tantus est. Cur diuersa est gratia, vbi natura communis est? Certè non est acceptio personarum apud Deum. Quis, non dico Christianus, sed insanus hæc dicat? Appareat igitur in capite nostro fons gratiæ, vnde secundum cuiusque mensuram, se per cunctiamæbradiffundit. Ipsa est prædestinatio sanctorū, quæ in Sancto sanctiorū maximè claruit. Et paulò post: Sicut prædestinatus est ille vnus, vt caput nostrum esset: ita & multi sumus prædestinati, vt essemus eius membra. Ac ne quis fidei hoc tribueret, quòd alter alteri præfertur, negat eligi eos qui crediderunt: sed potius, vt credant. Similiter ad Syxtum: Cur credat hic, non credat ille, cur hunc potius liberet Deus quàm illum, scrutetur tã magnum profundum qui potest, sed caueat præcipiti. Rursus alio loco: Quis reprobos creauit, nisi Deus? Et cur, nisi qui vultuit? Cur voluerit, o homo, tu quis es qui respõdeas Deo? Item alibi, postquam disputauit, nullis hominum meritis Deum pronocari, vt mandatis suis faciat obsequentes, sed retribuere illis bona pro malis, propter se, non propter illos: tandem subiicit, Si quis roget, cur istos homines Deus oues faciat: istos non faciat, istam esse quæstionē, quam Apostolus expauescens, exclamat: O altitudo, &c. Quemadmodum verò electionis iniitiū ex gratuita Dei voluntate deducēs, reprobationem in mero eius arbitrio stituit: sic & salutis nostræ firmitudinem non alibi fundatam esse docet. Nam ad Paulinū scribens, eos qui nõ perseuerant, ad vocationē Dei, quæ efficax est ac sine pœnitentia, pertinere negat. Cur autē alij pertineant, alij non, occultam esse causam, non iniustam. Esse enim hanc altitudinem iudiciorum Dei, quæ ideo vocantur iudicia, ne quid iniustum imaginemur. Fusius tamen in alio opere, perseuerantia donari electos contendit, qua excidere nunquam possint. Cur perseuerantiam non dederit Deus, quibus Christianè viuendi affectum dedit, me ignorare, respondeo. Non enim arroganter, sed modulam meum agnoscens, audio dicentem Paulum: O homo tu quis es? Item quando rogauit Christus, ne deficeret fides Petri, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem? Mox subiicit: Mirandum quidem, multūque mirandum, quòd filijs suis quibusdam, quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem,

Cap. 5.  
Cap. 9.

Cap. 10.

Cap. 15.

Cap. 17.

Epist. 105.  
Ad Boni.  
epistola  
106.  
Lib. ad  
Bonif. 4.  
cap. 6.

De cor-  
rep. &  
grat. ad  
Val. ca. 8.

dilectionem dedit, non simul det perseverantiam, quum filij: alieni scelera tantis dimittēs, suos faciat. Quis hoc non miretur? quis non vehementer stupeat? Cer: è hic iudicia Dei, quoniam iusta & alta sunt, nec vituperari, nec penetrari queunt. In his est & illud de perseverantia, de qua disputamus. De vtrisque ergo exclamemus: **Cap. 7. e**  
*iuide lib.* O altitudo! Dixerat autē prius, Firmū stat Dei fundamentum, habens signaculum hoc: Nouit Dominus qui sunt sui. Horum fides quæ per dilectionē operatur, profectō aut omnino non deficit, aut si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur: & deleta, quæ intercurrerat, iniquitate, vsque in finem perseverantia deputatur. Qui verò perseveraturi non sunt, ac sic à fide Christiana lapsuri sunt, vt tales eos vitæ finis inueniat, proculdubio nec illo tempore quo bene pieque viuunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti: & ideo nec secundum propositum vocati. Ne quis autem perturbet, quòd interdum excidunt, qui filij Dei habiti fuerāt, huic quoque dubitationi occurrens: Absit vt deficient, inquit, si de illis prædestinatus essent, & secundum propositum vocatus, qui verè sunt promissionis filij. Nam isti quum piè viuunt, dicuntur filij Dei: sed quoniam victuri sunt impiè, & in eadem impietate morituri, non eos præscientia Dei sic dicit. Sunt enim filij Dei, qui nōdum sunt nobis, & iam sunt Deo: sunt rursus qui propter susceptā vel tēporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec tamen sunt Deo. Item, Christo intelliguntur dari, qui ordinati sunt in vitam. Isti sunt prædestinati, & secundū propositum vocati, quorum nullus perit: ac per hoc nullus ex bono in malum mutatus, vitam hanc finit: quia sic est ordinatus, & ideo Christo datus, vt non pereat, sed habeat vitā æternam. Paulò pōst: Quicumque Dei prouidentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, iustificati, glorificati sunt, non dico etiā nondum renati, sed etiā nondū nati iam filij Dei sunt, & omnino perire non possunt. Rationem mox annēctit, Quia talibus omnia Deus cooperatur in bonū: & quidē vsque ad eò prorsus omnia, vt si qui eorū deuiant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum: quia humiliores redeūt & doctiores. Quòd si altius conscēditur, & de prima hominis creatione mouetur quæstio, eam quoque sic exequitur: Saluberrimè confitemur, quod relictissimè credimus, Deū, Dominūque rerū omnium, qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura præsciuit, & sciuit magis ad suam omnipotentissimā bonitatē pertinere, etiā de malis benefacere, quàm mala esse nō sinere: sic ordinasse Angelorū & hominū vitā, vt in ea prius ostenderet quid posset liberum arbitriū: deinde, quid posset gratiæ suæ beneficium, iustitiæque iudiciū. In enchiridio verò ad Laurentiū, quod **Cap. 95.** residuū dubitationis esse posset, liberius explicat: Quū extremo die, inquit, in iudiciū mundi apparuerit Christus, tūc in clarissima luce sapientiæ videbitur, quod nunc priorū habet fides, antequā manifesta cognitione videatur, quàm certa & immutabilis, & efficacissima sit volūtas Dei: quàm multa possit, & nō velit: nihil autē velit quod nō possit: quàmque sit verū, quod in Psalmo canitur: Deus noster in cælo, omnia quæ voluit, fecit. Quod utique nō est verum: si aliqua voluit, & nō fecit. Nō fit ergo aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinēdo vt fiat, vel ipse faciēdo. Nec dubitandum est, Deum facere bene, sinēdo fieri, quæcumque sunt malè. Nō enim hoc nisi iusto iudicio finit. Quanus ergo quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona: tamen vt nō solūm bona, sed etiā sint & mala, bonum est. Nā nisi esset hoc bonū, vt essent & mala: nullo modo esse sinerētur ab Omnipotēte bono. Cui proculdubio quàm facile est quod vult facere, tam facile est, quod non vult esse, nō sinere. Hoc **Cap. 96.**  
*Lib. de corrept. & grat. cap. 10.*  
 nisi



nisi credamus, periclitatur ipsum fidei nostræ initium, qua nos in Deum omnipotentem credere confitemur. Tandem clausulam addit: *Hæc sunt magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius:* & tum sapienter exquisita, ut quum angelica & humana creatura peccasset: id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod creator noluit, impletet ipse quod voluit, bene utens & malis tanquam summè bonus, ad eorum damnationem quos iustè prædestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benignè prædestinauit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos pertinet, quod Deus noluit, fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod contra Dei voluntatem fecerunt, de ipsis facta est Dei voluntas. Propterea nanque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, ut miro & ineffabili modo nõ fiat præter eius voluntatè, quod etiã cõtra eius sit voluntatè: quia non fieret, si non sineret: nec utiq; nolès finit, sed volens. Hæc pauca ex multis excerpere libuit, vnde persficiant lectores, quàm verecũda fronte Pighius Augustinũ à nobis disjungat, adeoque erroris sui suffragatorè aduocet. Nam in continua disputationis serie, huius sancti viri testimonijs subinde vtendũ erit.

Nunc quod præcipuum est, agamus: nihil hac de re à me proditum, nisi quod Deus Scripturæ oraculis nobis omnibus clarè dicat. Quòd ex æterna Dei electione pendeat salus fidelium, cuius nulla præter gratuitum eius beneplacitum causa reddi potest, diserta sunt Pauli verba primo ad Ephesios capite. Benediclus, inquit, Deus, qui nos benedixit in Christo: sicuti nos in eo elegerat ante mundi creationè. Audio quid garriat Pighius: Electum esse in Christo genus humanum, ut quicumque eum fide amplexi fuerint, salutem consequantur. Sed in hoc commento duæ sunt crasse hallucinationes, quas Pauli verbis refellere promptum est. Nam primò certè inter electos & reprobos mutua est relatio: vt stare electio, de qua loquitur, nequeat, nisi fateamur Deum certos homines, quos illi visum est, ab alijs segregasse. Quod ipsum Prædestinandi verbo, quod bis postea repetit, exprimitur. Ad hæc, eos dicit electos qui fide infiri sunt in Christi corpus: quod omnibus nequaquam cõmune esse, palam est. Solos itaque eos designat, quos vocatione sua dignatur Christus, postquam illi à Patre dati sunt. Fidem verò facere electionis causam, nimis absurdũ est, atque à Pauli verbis dissentaneum. Neque enim, quod prudenter animaduertit Augustinus, electos esse pronũtiat, quia credituri essent, sed vt crederent: non electos dicit quos Deus præuiderat fore sanctos & immaculatos, sed vt tales fierent. Item: Non quia credidimus, ipse nos elegit, sed vt credamus: ne priores videamur ipsum elegisse. Fructũ diuinæ electionis & effectũ Paulus esse clamat, quòd sancti esse incipimus. Ergo nimis preposterè faciũt, qui fidei electionè subijciũt. Deinde quũ unicã electionis causam statuatur, Dei beneplacitũ quod habuit in seipso, alias omnes causas excludit. Ideo rectè Augustinus nos illac reuocari admonet, ne placito gloriemur voluntatis nostræ. Sequitur apud Paulũ: Gratia sua Deũ in nos exundasse in omni prudentia, patefacto nobis arcano voluntatis suæ secundũ beneplacitũ, quod in seipso proposuerat. Audis illuminationis gratiam, quasi riuum esse ex fonte æterni illius consilij fluentem, quod antè absconditũ fuerat. Multiũ ergo abest, quin Deus in nobis eligendis aliquè fidei respectum habuerit, quæ nulla esse poterat, nisi eam adoptionis suæ gratia, nobis destinasset. Et Paulus iterũ confirmat, non aliunde induciũ fuisse Deũ: sed ipsum sibi fuisse authorè & causã, cur nondũ creatos eligeret quibus postea & fidè conferret: Secundũ propositum eius, inquit, qui omnia efficit

secundū consiliū voluntatis suæ. Quis æternū Dei propositum nostro opponi non videat? Quod etiam ab Augustino ritè exp̄sum est: qui vsque ad eū Deū operari omnia interpretatur, vt velle quoque nostrum, quo credimus, efficiat. Iam satis euicium esse arbitror, quos nunc Deus per Euangelium in spem salutis vocat, quos in Christi corpus inserit, quos facit vitæ æternæ hæredes, æterno arcanoque consilio sibi in filios adoptasse: atque vt adoptaret, vsque ad eū non fuisse eorum fide prouocatum, vt fidei causa & principium sit ipsa electio: vnde ordine priorem esse constat.

Nihilò obscurius est, quod octauo ad Rom. capite habetur. Nam quum dixisset, Omnia adiumento esse fidelibus qui Deum diligunt: ne felicitatis suæ exordium à seipsis peterent homines, quasi suo Deum amore ad promerendum tale beneficium præueniant, correctionis vice mox attexit, Qui secundum propositum vocati sunt. Videmus vt priores Deo partes nominatim vindicet, qui vocatione sua efficit, vt diligere incipiāt, qui nihil poterāt quàm odisse. Nam vt totum hominis ingenium excutias, quæ ad Deū amandū illic propensio reperietur? Imò Paulus eodē capite omnes carnis sensus Deo inimicos esse pronuntiat. Si omnes natura hostes & Deo aduersi: sola eius vocatione discerni palam est, qui deposito odio animos ad eum amandum conuertant. Porro minimè dubium est, quin efficax hęc vocatione notetur, qua regenerat Deus, quos sibi prius in filios adoptauit. Neque enim simpliciter dicit Vocatos (quod in reprobos plerunque competit, quos Deus promiscuè cum filiis suis ad pœnitentiam fidemque inuitat) sed vocatos secundum propositum, quod stabile ipso effectu ratumque esse oportet. Nam de hominis proposito insulse hunc locum exponi, Augustinus optimè coarguit: & ipse contextus omnem scrupulum eximit, ne alieno opus sit interprete. Sequitur enim, Quos prædestinauerat, vel definierat, eosdem vocauit: & quos vocauit, eos iustificauit. Hęc de certo numero se loqui demonstrat quem sibi Deus in peculium destinauit. Nam quum & alijs modis, & præsertim externo hominum ministerio vocet permultos: neminem nisi quem ad vitam ordinauit, iustificat, vt tandem glorificet. Est igitur specialis quedam vocatione, quæ æternam Dei electionem sic obsignat & sancit, vt patefaciat quod prius fuit in Deo absconditum.

Scio quid hęc nonnulli caullētur: Quum prædestinatos Paulus dicat quos Deus præsciuit, suæ quenque fidei respectu eligi. Sed ego illis quod falso imaginantur, non concedo, Intelligi quicquam fuisse à Deo præuisum, quod conciliaret illis gratiam: sed quia gratuito electi sint, fuisse præcognitos. Quemadmodum alibi docet idem Paulus, Deum nouisse qui sint sui, quia scilicet notatos, & quasi in suo censu numeratos habeat. Neque hoc quoque ab Augustino omissum est: Præscientiæ nomen pro Dei consilio accipi, quo suos in salutem prædestinat. Præsciri à Deo, quoniam futuri sint vitæ hæredes, nemo non fatetur. Hoc modo in quæstione versatur, Præuideātne quid in ipsis facturus sit, an quales à seipsis sint futuri. Futilis autem argutia est, arrepta Præscientiæ voce, electionem, quam Paulus vbique in solo Dei proposito includit, hominum meritis alligare. Petrus electos salutatur, secundum præcognitionem Dei. An quod præuisa in ipsis aliqua virtus, Dei fauorem ad eos inclinauerit? Atqui Petrus homines inter se nõ confert, vt alios alijs faciat digniores: sed decretum quod in se Deus statuit, supra causas omnes in sublimi locat: ac si diceret, Nunc censeri inter Dei filios, quia priusquam nascerentur, electi fuerint. Secundum hanc rationem eodem capite docet, Christum ante mundi creationem fuisse præcognitum, vt sacrificio suo mundi peccata ablueret. Quo proculdubio si-

Lib. ad  
Boni. 2.  
cap. 9. &  
alijs locis

Lib. de  
Bonis per  
se. cap. 13.

1. Petr. 1.

significat, expiationem ab eo completam, æterno Dei scito fuisse ordinatam. Nec aliter exponi potest quod in Perri concione apud Lucam habetur: Christum definito Dei consilio & præscientia in mortem traditum esse. Sic enim præscientiam consilio adiungit, ut discamus, neque fortuito, neque violento hominum impetu abreptum fuisse Christum ad mortem: sed quia Deus optimus & sapientissimus cognitor, ita consulto statuerat. Et vnus Pauli locus ad dirimendam omnem controversiam apud sanos letores sufficiet. Deum plebem suam, quam præsciuit, repulisse negat. Mox qualis illa fuerit cognitio, declarat: quod reliquis secundum electionem gratiæ, salutæ facta sunt. Item, quod Israel operibus non sit consequutus quod querebat: sed electio si: consequuta. Quam priore loco præscientiam vocauit, postea electionem esse definit, & quidem gratuitam.

Puerile figmentum est, quod gratiam Pighius interpretatur, quia Dominus omnes in Adam perditos, ad salutem nihilominus inuitat. Clare enim Paulus Deo præcognitos à reliquis discernit, quos aspectu suo dignatus non est. Quod idem non obscure expressum est Christi verbis, Quicquid dederit mihi Pater, ad me veniet: Ioan. 6. & eum qui venit ad me, non eijciat foras. Tria breuiter quidē, sed tamē perspicuè hinc habemus: Quotquot veniunt ad Christum, prius illi à Patre esse datos: deinde omnes qui dati sunt, quasi de manu in manum illi tradi, ut verè eius fiant: postremò fidum esse omnium custodem, quos in eius fidem ac præsidium Pater tradidit, ut neminem perire sinat. Nunc si fidei principium quaritur: respondet Christus, Ideo credere qui credunt, quia sibi donati sunt à Patre. Magnum plebi imperitæ & obstaculum erat Scribarum incredulitas, quod vulgo persuasum erat, nullam doctrinam fide dignam esse, nisi quæ eorum suffragio recepta esset. Clamat ex aduerso Christus, singulare esse Dei donum lucem illam, qua in salutis viam dirigimur. Si quis tergiversetur, dari Christo quos Pater in eo elegit: manet tamen istud fixum, donationem non fide modò superiorem esse, sed eius causam ac originem. Sed in altero membro longè plus subest ponderis. Neque enim tantum venire ad se alios negat, nisi quibus porrecta fuerit à Deo manus: sed omnes qui sibi donati sunt, sine exceptione, credere affirmat. Quod in disputationis contextu vbcrius confirmat. Nemo, inquit, ad me potest venire, nisi Pater meus traxerit eum. Fatebitur Pighius illuminatione opus esse, ut ad Christum redeant homines, qui à Deo erant auersi: sed in creta fingit, offerri per æquè omnibus gratiam, hominum autem arbitrio, ut cunque eam recipere libuerit, efficacem demum esse. At verò Christus alium verborum suorum sensum esse testatur, Sunt quidam ex vobis qui non credunt. Propterea dixi vobis, nemo potest ad me venire, nisi illi datum fuerit à Patre meo. Vides ut incredulos eorum numero excludat qui trahuntur. Nam hoc prorsus intempestiuè effutiret, nisi speciale donū esset fides. Sed hoc omnium clarissimum: quod postquam Iesaiæ vaticinium adduxit, Erunt omnes docti à Deo: mox interpretationis loco addit, Omnis ergo qui audiuit à Patre meo & didicit, venit ad me. In eo docet impleri Iesaiæ vaticinium, quod Deus Spiritu suo intus discipulos alloquitur, ut Christo in possessionem tradat. Hunc in Iustaurandæ Ecclesiæ modum definit Iesaias, ut omnes eius filij diuinitus edocui sint. Peculare ergo beneficium commemorat: quo Deus non nisi Ecclesiæ filios dignatur. Christus efficaciter hoc doctrinæ genere ad se trahi pronuntiat, quorum mentes & corda Deus compellat. Sic enim interius docet eos, inquit Augustinus, qui secundum propositū vocati sunt, simul donas & quid agant, scire: & quod sciunt, agere. Qui autē nouit quid fieri debeat,

Lib. 1. de  
gratia  
Christi  
cōtra Pe-  
lag. & Ce-  
lest. ca. 13.  
Cap. 14.

Non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum Legem: non secundum spiritum, sed literam. Paulò post: Si ut dicit Veritas, omnis qui didicit, venit: quisquis non venit, profectò nec didicit. Concludit tandem. Non est consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Patre, non solum potest venire, sed etiam venit: ubi iam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est. Neque Augustinum ideo in presentia adduco testem, quòd eius autoritate pugnem. Sed quia eius verbis aptiora non suppetunt, quibus Evangelistæ mentem exprimam. Quòd si nondum quidam acquiescât: alibi plenius edisserit: Quid est, Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me: nisi, Nullus est qui audiatur & discatur à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit: profectò omnis qui non venit, non audiuit à Patre, nec didicit. Nam si audisset & didicisset, veniret. Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur & docet, ut veniatur ad Filium. Paulò post: Hæc gratia quæ occultè humanis cordibus tribuitur, à nullo duro corde recipitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritiæ primùm auferatur. Quando itaque Pater intus auditur, aufert cor lapideum, & dat cor carneum. Sic quippe facit filios promissionis & vasa misericordiæ, quæ preparauit in gloriâ. Cur ergo non omnes docet ut veniant ad Christum, nisi quia omnes quos docet, misericordia docet: quos autem non docet, iudicio non docet? quoniam cuius vult miseretur, & quem vult obdurat. Quanquam breuiore compendio potest huius questionis summa perstringi. Trahi à Patre Christus dicit, non quibus flexibile cor datur, ut venire ad eum possint: sed quorum Deus Spiritu suo cor intus afficit, ut ipsa veniant. Id non omnibus promiscuè dari, experientia vel cæcis demonstrat.

Lib. de  
praedestini-  
Sanctor.  
cap. 8.

Ioan. 10.

Iam quòd neminè ex eorù numero se eijcere pronuntiat: quin potius repositam in tuto esse omnibus vitâ, donec excitet eos in nouissimo die: quis non videt finalè, ut vulgo loquuntur, perseuerantiam Dei electioni similiter adscribi? Fieri potest, ut à fide quidam excidant: sed qui sibi à Patre donati sunt, extra ruinæ periculum Christus esse asserit. Quemadmodum & alio loco, postquam dixit ex Iudeis quosdam non credere, quia ex ouibus suis non essent, oves ipsas quasi in securo salutis portu collocat. Non peribunt, inquit, in eternum: nec rapiet eas quisquam è manu mea. Pater qui dedit mihi, maior omnibus est. Hunc tam firmum salutis statum Pighius in fide presentis fundare non audebit: quum eam à libero hominis arbitrio suspendat. Nec quasi de re ambigua disputandum, ubi Christus cunctis Sathanae machinationibus suam vnius tutelam opponens, ideo tutos ad extremum vsque nos fore pronuntiat, quia seruare velit. Porrò ne cui dubium sit, quos fide sua protegendos suscipiat, iterum nos renocat ad Patris donationem. Nec verò leuiter prætereundum, quòd potentiosem quibuslibet aduersarijs Deum facit, ne minor sit nobis salutis securitas, quàm potentia Dei reuerentia. Ergo inter tam violentos insultus, tam varia discrimina, tantas procellas & agitationes, in eo tamen consistit status nostri perpetuitas, quòd Deus quod de salute nostra apud se decreuit, brachij sui virtute constanter tuebitur. Si quisque nostrum se aspiciat: quid potest aliud quàm trepidare? Nam circa nos omnia nutant: & nihil nobis imbecillius. Sed quia cœlestis Pater quos Filio donauit, perire non sinet, quantum habet hîc potentia, tam certa est nobis fiducia & gloriatio: quia ideo fortis est, ut constans & inuictus appareat suæ donationis assertor. Nam ut scitè Augustinus dicit: Horum si quisquam perit,

perit, fallitur Deus. Sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam pe- Lib. de  
rit, humano vitio Deus vincitur. Sed nemo perit, quia nullare vincitur Deus. Electi enim correp. &  
sunt, ut perpetuo regnent cum Christo: non sicut Iudas ad munus temporale cui congrue- grat. ca. 7.  
bat. Item: Existis nemo perit, quia omnes electi, & secundum propositum, non suum, sed Dei. Cap. 12.  
Siquidem non tale modo illis perseverantiae donum confertur, ut postea declarat, quod pos-  
sint si velint: sed quod non nisi perseverantes sint. Quod optima ratione confirmat. Nam si  
in tanta infirmitate vitae huius, in qua tamen infirmitate, propter elationem reprimendam  
perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei, sine quo  
perseverare non possent, manerent si vellent: nec Deus operaretur ut vellent: inter tot &  
tantas tentationes voluntas ipsa infirmitate sua succumberet, & ideo perseverare non pos-  
sent: quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent ut possent. Subventum er-  
go est infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter  
ageretur: & ideo quantumvis infirma non deficeret, nec infirmitate aliqua vinceretur.

Prodeat nunc in medium memorabilis ille Pauli locus, & qui unus ad dirimendam Rom. 9.  
controversiam apud sobrios & morigeros Dei filios abunde valere debebat. Etsi autem  
Cyclopem Pighium contemptum Pauli verba illudere mirum non est: facturum tamen me  
spero, ut sani omnes tam barbaram profundae Scripturae audaciam detestentur. Quia  
Iudaei Ecclesiae titulo superbientes, hoc ipso pretextu Evangelium respuebant, quod  
fictitiae Ecclesiae consensu damnatum foret: ne tam indigno fastu obruatur Evangelij  
maiestas, larvam, qua se venditabant, Paulus illis detrahit. Erat sane arduum in-  
firmis obstaculum, quum doctrinam Christi ab ijs ferè omnibus rejici viderent, quos  
Deus aeterni sui foederis haeredes constituerat. Iesum esse Dei Messiam Apostoli  
praedicabant. Reclamabat tota natio, cui promissus fuerat Messias. Et quid mirum? quando-  
quidem hodie quamplurimos videmus obiecto hoc evanido fucò labascere, dum se Papiſtae  
Ecclesiam esse iactant. Hoc itaque modo cum Iudaeis congregitur Paulus, quod legitimos  
Abrahae filios nequaquam faciat carnale genus: sed soli filij promissionis in semine censean-  
tur. Poterat autem ex fide aestimare: idque consentaneum erat, quum in promissione discrimen  
inter genuinos & spurios statueret: idque prius fecerat: sed nunc altius conscendit: es-  
se filios promissionis, quos Deus antequam nascerentur, elegerit. Citat enim quod ab Angelo  
promissum fuit Abrahae: Secundum hoc tempus veniam, & erit Sara filius: ac si diceret: Cap. 2.  
antequam in utero conceptus esset Isaac, fuisse à Deo cooptatum. sed nunc altius conscendit: es- & 4.  
inquit: sed quando ex uno concubitu patris nostri Isaac grauida erat Rebecca, quum non-  
dum nati essent pueri, nec dum quicquam boni fecissent vel mali, ut secundum electionem  
propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Maior seruiet mino-  
ri: sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Vnum hunc esse ex difficillimis Scripturae locis Pighius causatur. Quod ut conce- Lib. 9.  
dam, ita impium eius latratum minime ferendum esse dico, quum inextricabilem labyrinthum cap. 2.  
esse iactat. Quid enim? An Spiritum per os Pauli loquentem sibi dicemus excidisse, ut ul-  
tra quam utile erat nos abduceret? Promptum illi erat, ut iam dixi, veros Abrahae filios ab  
adulterinis sola fidei nota distinguere. Questionem electionis, quae longè remotior erat, da-  
ta opera accersit. Certè quum sibi supra tertium caelum rapto arcana reuelata fuisse comme-  
morat, quae effari homini fas non est, satis demonstrat modum sibi notum esse, quosque pro-  
gredi in publicandis Dei arcanis expediat, simul & liceat. Quum igitur quaestionem, quae  
populariter & breui compendio expediri poterat, vltro huc deduxerit: quisnam piorum se  
attentum docilemque praebere dubitet? Nisi fortè sperandum est, ut Spiritum Dei vltro

*suas metas lasciuientem furiosus Cyclops sua moderatione cohibeat. Addit: Vnum esse ex locis quos indocti homines & instabiles in suam ipsorum perniciem corrumpunt. Quod ut fateri cogat, ipse nimis luculento documento extorquet: adeo licentiosè torquet ac peruerit totum Pauli contextum. Quòd lectores hortatur, ut in obscuris istis & ad explicandam difficilibus locis se in Ecclesia obsequin contineant, me quoque suffragatorem haberet, si modo illis Christi ouile, non fetidam porcorum haram ostenderet. Quid enim est Ecclesia Pighio, nisi ille omni impietatum congerie refertus, & inexpletus errorum omnium gurgis? Postrema admonitio est, Nequid lectores admittant ab immensa Dei bonitate alienum, vel quo in eius odium potius quam in amorem incitentur. Atque hic plenis velis in Deum inuehitur, si quos ab ipsa creatione exitio destinet. Atqui, etiam si tota hæc doctrina supprimatur, nunquam tamen reprobos deficiet occasio, quin Deum & exosum habeant & sacrilegijs suis impetant. Sed quænam illis sit obstrepenti ratio, ubi mens Pauli exposita fuerit, suo loco expendetur. Nunc quid disertè & absque ullis ambagibus exprimat Paulus, mecum audire ne recusent quicumque sustinent in Dei schola doceri.*

*Duos nobis filios Isaac proponit, qui quum ambo in sancta domo, quasi in Dei sacrario pariter geniti sint, tamen in dissimilem sortem Dei oraculo segregantur. Causam discriminis, quæ alioqui in utriusque meritis quaesita esset, recondito Dei consilio assignat, Ut propositum Dei maneret. Constitutum Deo fuisse audimus, ex duobus geminis alterum tantum eligere. Hæc Pauli verba Pighius insulso cauillo, tanquam porcus rostro, euertere conatur. Gratia electione fuisse res pòdet, quia nihil tale promeritus erat Iacob. Sed quum in eo gratiam commendat Paulus, quòd altero reiecto vnus eligitur, hic certè cõcidit quod fugit Pighius de vniuersali gratia. Nò simpliciter docet Paulus, ut stabilis foret Dei electio, Iacob vitæ fuisse nuncupatum hæredem: sed fratre posthabito, ius primogenituræ illi delatum. Nec verò me fugit quid oblatrent quidam alij canes, quid etiam obmurmurent imperiti. Testimonia quæ citantur à Paulo neque de vita æterna, neque de æterno exitio tractare. Verum si vera theologiæ principia, quæ trita esse decebat omnibus Christianis, isti tenerent: paulò modestius loquerentur. Responsum enim quod Rebecca datum fuit, eò spectabat: Dissidiij, quod in utero sentiebat, hunc fore exitum, ut penes minorem resideret Dei benedictio & vitæ æternæ fœdus. Quorsum enim lucta, nisi quòd duo simul fœderis hæredes esse non poterant, quod iam arcano Dei consilio vni erat destinatum? Excipiunt, Ad terram Canaan id referri: de qua etiam sermo apud Malachiam habetur. In quo fortè audiendi essent, si Iudeos Deus in terra Canaan quasi pecudes in haram saginasset. Atqui, longè diuersum est Prophetæ consilium. Nam & quia terram illam Deus Abraham quasi æternam potioris hereditatis symbolum promiserat, & eius posteris ipsam dederat possidendam, ut eos in populum sibi peculiarem colligeret: & sanctuarium, presentis suæ gratiæ testimonium illic erexerat, siænes istos non immeritò reputat Prophetæ. Denique terram Canaan pro sacro Dei domicilio habet, cuius habitatione quum priuatus foret Esau, odio habitum colligit: quoniam à sancta electaque familia abdicatus erat, in qua perpetuus resideret Dei amor. Nobis quoque intuenda est illa terræ qualitas, quam illi Deus indiderat, ut pacti spiritualis cum Abraham semine initi, arra quadam esset vel pignus. Non abs re ergo Paulus gratuitam electionem in Iacob ratam fuisse commemorat, quia nondum natus, reiecto fratre ad potiendam hereditatem destinatur. Sed Paulus ultra etiamnum pergit: dignitatem hæc non operibus fuisse partam, neque operum respectu collatam ipsi Iacob. Neque id modò: sed Dei providentiæ sic discretos fratres, antequam boni quicquam vel mali egissent. Itaque, non ex operibus, sed ex vocante profectum fuisse discrimen constituit.*

*Hic*

Hic à Pighio nobis rancida illa distinctio obruditur: Non venisse quidem antea-  
 Eta opera in rationem, quæ nulla erant, sed firmam Dei electionem fuisse in Iacob, cuius fi-  
 dem & obedientiam Deus præuidet: Et arguè scilicet, in nomine Israel philosophatur,  
 quod à Deo videndo sit cognominatus: ut sciamus veros demum esse Israelitas, qui se  
 propria malitia non excæcant, sed ad Deum, ubi illis apparet conspiciendum, aperiunt  
 oculos. Atqui, ridiculū est, quod dū alios studet facere tā perspicaces, talpa ipse cæcior est.  
 Diuersa enim prorsus etymologia à Moysè exprimitur: quod cum Angelo Dei congres-  
 sus, superior in certamine fuisset. Israel enim, Deo potentem, vel dominantem Deo sonat.

Sed quibus, obsecro, ita poterit oculos configere vel eruere, ut eius ineptias non ani-  
 maduertant? Boni quicquam vel mali ipsos fecisse, quorsum negat Paulus, nisi ut omnem  
 meriti respectum tollat? inò nisi ut præcisè affirmet, Deum non aliunde suspensas habuif-  
 se rationes, quum tam diuersum de gemellis fratribus iudicium tulit? Scio quàm tritum fue-  
 rit effugium istud: scire tamen primum velim, si communi naturæ relicti forent Esau & Ia-  
 cob, quid bonorum operum in secundo magis quàm in priore Deus reperisset. Peraquè sanè  
 ambo Lapidei cordis duritia oblatam salutem repulissent. Ideo ambobus, inquit Pighius, fle-  
 xibile cor datum est, ut gratiam possent amplecti: sed alter libero arbitrio quod poterat, vo-  
 luit: alter recusauit. Quasi non velle etiam dari Paulus testetur: quasi non se facturum  
 Deus promittat, ut in præceptis suis Israel ambulet. At Pighij iudicio, Ioannes reclamat,  
 Deum nobis potestatem dedisse filios Dei fieri. Primum in eo hallucinatur phreneticus  
 iste, quod Potestatem accipit pro Facultate aut potentia, quum dignationem honoris potius  
 significet. Plusquam crassam verò hebetudinem prodit, dum velut clausis oculis huius po-  
 testatis causam præterit clarè ab Euāgelista expressam. Filios Dei fieri prædicat, qui Chri-  
 stum recipiunt: verum eosdem mox non ex carne & sanguinibus, sed ex Deo genitos esse  
 dicit. Dignatur ergo adoptionis honore Deus qui in Filium credunt: sed quos prius Spiritu  
 suo genuerat: hoc est, Quos sibi in filios formauit, suos tandem esse declarat. Nam si filios  
 Dei nos reddit fides, vnde ipsa nobis detur, considerandum est. Est enim spiritualis seminis  
 fructus, quo nos Deus in vitam nouitatem regignit. In summa, verissimum est illud Augu-  
 stini, Sola gratia redemptos discerni à perditis, quos ad perditionem concreuerat ab origine  
 ducta massa communis. Vnde sequitur, gratiam Dei prædicari, qua eligendos facit, non in-  
 uenit: quem admodum idem sæpius inculcat. Adde, quod si quid in electis suis præuidet Deus  
 quo à reprobis ipsos discernat, inscitè Paulus argueret, quia nòdum tunc nati erant fratres,  
 ex vocante non ex operibus fuisse dictum: Maior seruiet minori. Quare solutio ista de præ-  
 uisis cuiusque operibus, apertè Paulo insultat. Colligit Paulus, in electione Dei non haberi  
 operum respectum, quia Iacob Deus fratri prætulit, antequam nati essent, & quicquam  
 egissent boni vel mali. Isti, ut à Deo eligi obtineant, quos aliqua prohibitis nota à repro-  
 bis discernit, præuideri obtendunt, qualis futura sit in recipienda vel respuenda gratia cu-  
 iusque dispositio. Quod si recipitur, eos qui nihil dum boni egerunt, non tamen Deus ex  
 operibus eligere desinet, quia ex operibus præuisis interea pendebit electio. Atqui, quum  
 Paulus pro confesso sumeret quod bonis istis theologis est incredibile, Omnes ex aquo esse  
 indignos, equam naturam in omnibus esse corruptionem, securè inde constituit, Deum gra-  
 tuito suo proposito eligere quoscunque eligit: non quos obsequentes fore sibi filios præuideat.  
 Denique qualis extra Dei electionem sit hominum natura, Paulus considerat: isti Deum  
 quod nunquam futurum est, donec ipse fecerit, præuidere in homine somniant.

Quæquam hæc per se satis clara sunt: longius tamen nos Pauli contextus ducit.  
 Sequitur enim, Quid ergo dicemus? Nunquid iniustitia est apud Deum? Vel hæc obiectio

Ioan. 1.

Ioan. 1.

Enchiri.  
ad Laur.  
cap 99.Epist. 105  
ad fixtum  
Lib. 5. cō  
tra Iullia.  
ca. 3. &  
aliis locis

sine ratione ingeritur: vel nullum praesens operibus locum dabit Pauli doctrina. Quae enim iniustitia suscipio concipi potest, ubi Deus gratiam omnibus communiter offert, facit autem ut ea digni fruatur? Denique quum electionis vel reprobationis causam in futuris operibus constituunt, hanc ipsam questionem, quam sibi Paulus objicit, effugere & solvere sibi videntur. Unde perspicuum est, noua ista sapientia non fuisse instructum. Esto, aduersarios Paulus importune & nullo colore inducat de iustitia Dei litigantes. Obiectionem quomodo repellat, videndum. Verba sunt, Absit. Nam Moysi dicit: Miserebor cuius miserebor: & miserebor quem miseror. Nihil fore aptius video, quam ut Augustini verbis ad hunc locum explicandum utar. Mirum, inquit, quum his coarctantur angustijs, in quantase abrupta precipitent, metuentes retia veritatis. Ideo, inquit, nondum natorum alium oderat, aliam diligebat, quia eorum futura opera praevidebat. Quis istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut aduersarius obiecta questione, non id potius tam breue, tam apertum, tam verum, sicut isti putant, absoluteque respondit. Quum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, qui nihil dum boni aut mali egerant, recte dici poterit, quod unum dilexerit Deus, alium odio habuerit. Quid ergo dicemus? ait: Nunquid iniquitas apud Deum? Hic ergo erat locus, ut diceret quod isti sentiunt, Futura enim Deus opera praevidebat. Non autem Apostolus hoc dicit, sed potius, ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriarı, ad Dei gratiam commendanda voluit valere quod dixerat. Miserebor enim dicit: Miserebor cuius misertus fuero. Vbi nunc merita? Vbi opera vel praeterita, vel futura, tanquam liberi arbitrij viribus adimpleta, vel adimplenda? Nonne apertam protulit Apostolus de gratuita gratia commendatione sententiam? Hactenus Augustini verba recensui. Fingamus nihil tale unquam eum dixisse. Quum expedita esset solutio, Deum ex futuris operibus discernere inter homines: cur Paulus se magis intricat, & totum in Dei arbitrio causam esse sitam asserit? Primum enim Dominus apud Moysen, liberum sibi ius, ubi placuerit, exerende misericordiae vindicat: ne quis legem illi praescribere ausit: deinde ex tota populi multitudine sumpturum se quos voluerit liberandos, pronuntiat. Faedisfragi pariter omnes erant. Non dicit, hunc sibi fore delectum: ut si quos reperiat venia dignos, illis sit propitius: sed praesens misericordiae se arbitrum fore testatur, ut quibus voluerit, parcat: quia nulla viuis magis quam alterius eligendi necessitate sit astrictus.

Tandem quod necessarium ex sententia illa sequitur, Paulus infert: Non esse volentis nec currentis, sed miserentis Dei. Nam si sola Dei misericordia continetur salus hominum: Deus autem non nisi quos arcano suo beneplacito delegit, servat, nihil prorsus sit hominibus residuum. Exponit Pighius, Non deberi salutem conatui nostro, vel illis operibus, quia gratuitò ad eam nos Deus vocet. Scilicet, ita secure ludit, ac si verbulo uno totam Pauli doctrinam abolere in promptu esset. Quia Dominus beneplacito suo, non operum discretionem eligit quos servet: inde colligit Paulus, non volentis esse neque currentis: sed totum in una Dei misericordia verti. Elapsum Pighius se putat, dum omnibus garrıt, quae nemini debetur, gratiam. Caterum, quum eius demum compotes fieri dicat, quos Dominus idoneos & sibi obsequentes reperit: eò necesse erit recidere: valere quidem & voluntatem & cursum: sed quia per se non sufficiant, Dei misericordiae palmam deferri. Quas ineptias optime refutat idem Augustinus: Si propterea, inquit, dictum est, Non volentis neque currentis, sed miserentis Dei: quia ex utroque fit: id est, ex voluntate hominis & misericordia Dei: tanquam diceretur, Non sufficit sola voluntas, nisi adsit misericordia Domini: neque sufficiet misericordia Dei, nisi adsit hominis voluntas. Porro, si nullus Christianus dicere audebit:



audet: *Non miserentis Dei, sed volentis est hominis: restat ut propterea rectè dictum intelligatur, Non volentis, neque currentis: ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam & preparat adiuuandam, & adiuuat preparatam. Quò magis friuola est quorundam argutia, qui misericordiae Dei & humani conatus concursu, iade eliciunt. Quasi verò Paulus homines currendo parum proficere intelligat, nisi Dei gratia adiutos: ac non potius alia omnia redigat in nihilum, ut locum Dei misericordiae vacuum cedant. Vnde enim cursus recti principium? An quisquam, nisi duce ac direttore Spiritu, ipse Deo occurreret? Nã ut hìc quoque Augustini verbis utar: Quotidie ad Christum trahuntur eius inimici. Dicit enim Christus: Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit. Non ait, Duxerit: quasi aliquo modo præcederet voluntas. Quis enim trahitur, si iam volebat? Trahitur ergo miris modis ab eo, qui sic nouit in cordibus hominum operari, non ut homines nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. Videmus ergo sic Dei electionem approbari subsequenti hominum cursu, ut sola tamen eius misericordia (quae iacentes erigit, errantes reducit in viam, imò in vitam suscitatur mortuos, & vocat quae non sunt) principatum teneat.*

Sequitur alterum de reprobis membrum, quorum maximè illustre exemplar in Pharaone proponitur. Porro de eo sic loquitur Deus apud Moysen. *In hoc constitui te, ut tibi ostenderem potentiam meam. Pro quo fideliter Paulus tanquam verbum verbo reddidit: In hoc excitauit te. Est enim verbū HIPHIL deductū à radice AMAD, quod stare significat. Productus ergo in mediū dicitur Pharaon, in quo Deus memorabile suae potētiae specimen ederet. Vnde porro eum Dominus accepit, ut eo loco statueret? Mauult Pighius, quòd Deus morte dignum, sua patientia ad tempus sustinuerit. Quòd effugium ut illi permittam, perplexus tamen adhuc in eo tenetur, quòd Deus Pharaonem proprio ingenio relinquens, eum exitio destinabat. Patientiam Dei si commendet Pighius, assentior: manet tamen interim istud fixum, in hunc finem sepositos Dei consilio esse reprobos, ut suam in illis potentiam demonstrat. Quamquam id nimis à Pauli mente remotum esse, ex proxima illatione apparet: Quòd Deus quem vult, indurat. Neque enim hoc fuisset adiectum, nisi sub verbo illo Statui vel Excitauit, comprehenderet Paulus Dei consilium, quo Pharaon ad redemptionem populi sua contumacia illustratam ordinatus erat. Nam si quis dicat, In fastigium regij honoris diuinitus euectum esse: est hoc quidem aliquid, sed nõ totū. Nam Graeci interpretes eodem hìc verbo vsi sunt, quo solent reddere verbum HIPHIL à radice KVM deductum, quod Surgere significat. Porro excitare dicitur Deus, quòd velut porrecta manu ad finem suo consilio ordinatum deducit. Maximè tamen ad initium rei de qua agitur, Scriptura respicit, ut illud vni Deo ascribat. Ita dicitur, & Prophetas, & salutis ministros excitare: nequid horum sibi vindicet hominum industria. Itaque fideliter expressus fuit sensus Moysis Excitandi verbo: modò ita accipias. Nec verò aliter accepit Paulus. Certè, quòd de electis & reprobis attigerat, non minus distinctè quàm summam completitur: quum hoc iuris & potestatis Deo vindicat, ut suo arbitrio indueret vel misereatur. Indurandi vel miserendi ius penes ipsum esse pronuntiat: nec legem illi imponi fas esse: quia nulla lex vel regula melior vel aequior quàm eius voluntas, fingi possit. Sed quia olim putarunt nonnulli, induci à Paulo impios Deo obstrepentes, ad hoc asyli se cõfert Pighius. Quòd si illi detur, ne sic quidem solutus est nodus: quia neque de nihilo quæstionem mouet Paulus: atque ita respondet, ut quòd obiectum ab aduersarijs fuerat, verum esse fateatur. Quid tamè eiusmodi tergiversatione proficit Pighius, nisi ut tergiversando malam causam se habere prodar? Verum quis illi quòd petit, concedat? quando ita violenter disiungit quae inter se coherent: quae autem palam disiuncta sunt, in vnum fasciculum compingit. Postquam repro*

Lib. 1. ad  
Bonifac.,  
cap. 16.

bos & electos incomprehensibili Dei consilio discerni Paulus docuit, vno contextu infert: Ergo cuius vult, miseretur: & quem vult, indurat. Subijcit postea: Dices itaque mihi: Quid adhuc conqueritur? Quum loquentium personas aperte Paulus distinguat, quis non potius eius verbis, quam extraneis commentis attendet? Caterum, prudenter hoc quoque, vt multa,

In Enchi.  
ad Laur.  
cap. 99.

Augustinus: Non magnopere referre in cuius persona accipias, quod Paulus responsione sua verum esse innuit.

De praed.  
sancto.  
cap. 8.

Si falsa erat obiectio, probabile certe non est, Paulum in causa tam bona, tam dilucida, tam plausibili fuisse taciturnum. Nam si falsum est illud: Dum quos vult, indurare: nondum qui humano ingenio inexplicabilis est, vno verbo soluere promptum erat. Excipit Pighius, Superfere clavo & idoneo responsio Paulum, quia proteruos homines sermone, non dignetur: vt prius humiliter sapere discereat, quam rationem operum Dei superbe exquirere. qualiter alibi legimus, Iudeos qui Christum interrogabant, in qua potestate opera sua faceret, tantum mutua quaestione repulso. Sed reclamant Pauli verba. Nam postea sic eorum refrenat insolentiam, qui nimis audaci curiositate in excutiendis Dei arcibus laesciunt, vt tamen reprobos organa irae esse confirmet, in quibus suam potentiam Deus ostendit. Longè ergo valius Augustinus. Quum dictum esset, Quid adhuc conqueritur? Nunquid responsum est à Paulo? O homo, falsum est quod dixisti: Minime: sed responsum est: O homo tu quis es? Observandum autem quod alibi tractat, Non ideo Paulum ob iurgatione abrumpere eorum sermonem, qui sacrilega petulantia cum Deo litigant, ac si iusta defensione careret Dei iustitia: sed quod maxime expediebat, attulisse. Hoc loco quidam stulti putant Apostolum in responsione defecisse: & inopia reddendae rationis repressisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum est, O homo, tu quis es? Et in talibus quaestionibus ad suae capacitatis considerationem reuocat hominem: verbo quidem breui, sed re ipsa, magna est redditio rationis. Si enim non capit hoc: Quis est qui respondeat Deo? si autem capit, minus inueniet quid respondeat, &c.

Ad Boni.  
epist. 109.

Proinde, si nos talia mouent, inquit idem alibi, quia homines sumus: simul audiamus dicentem, O homo, tu quis es? Paulò post: Quomodo enim peccata non fecerit Deus, naturas tamen ipsas, quae percipias sine dubio bonae sunt, quibus tamen ex arbitrio voluntatis futurae essent vitia peccatorum, & in multis talia quibus esset aeterna poena reddenda, quis nisi Deus creauit? Quare? nisi qui voluit. Quare autem voluerit? O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum, &c. Ecce, ratio etiam homini redita est, quanta debuit homini: si tamen vel istam capit, qui pro sui arbitrii libertate, infirmitatis seruitute contendit. Si quem autem adhuc praua obstrepenti libido sollicitat: Dicat, qui talis est, inquit: & audiat quod conuenit homini: O homo, tu quis es? Audiat verò & non contemnat. Quod si contempserit, etiã vt contemneret se inueniat obduratum: si non contempserit, vt non contemneret, credat esse adiutum: sed obduratum debito, adiutum gratis. Quale porro debitum hominibus imputet, prius ostenderit his verbis: Inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriae voluntatis, siue qui nouit, siue qui ignorat: siue qui iudicat, siue qui non iudicat: quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere non luerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem qui non potuerunt, poena peccati.

Ad Syx.  
epist. 105.

Nilil nos iuuat Augustini testimonium, rem ipsam mecum expendant lectores. Paulus hominem cum Deo, vt facit, comparans, altius proculdubio in eligendis & reprobatis hominibus & magis reconditum Dei consilium esse ostendit, quam in quò mens humana perueniat: ac si diceret, O homo, quis tu sis, reputa, & plus aliquid Deo concede, quam modulus tuus capiat. Nunc si locus detur Pighij philosophiae, aequalcm esse omnium

fontem

sortem, nisi quatenus se vita priuant, qui electi cum alijs pariter fuerant: quid illic impeditum vel obscurum? quid non receptum communi sensu, & carnis iudicio plausibile? Quum ergo humani ingenij captu superius esse arcanum audis, colligere inde promptum est, frivolas esse solutiones, quæ ex communi iudicio sumptæ, etiam in foro profano valerent. Excipit Pighius, Non repelli à Domino solere, nec suspensos dimitti, qui humiliter mētes suas captiuant: ideoque hanc obiurgationem non nisi in præfractos & fastuosos cōpetere. In quo illi nō difficulter assentior: modò vicissim fateatur, clamari à Paulo impiæ superbix omnes qui Dei iustitiam proprio sensu metiuntur. Atqui, ut iustitia laudē obtineat Deus. Pighio iudice, rationem cur quidque faciat, extare necesse est. Hæc autem nobis modestiæ regula, ubi operum Dei ratio nos latet, ut iustum nihilominus esse credamus. Filius quidē Sirach hoc elogio Deum ornare nō erubescit, quòd sicuti figulus pro suo arbitrio vasa discernit: sic esse in manu Dei homines, ut illis reddat quemadmodum decrevit. Nam *regi. 1.* hoc loco, si superiora conferas, non potest nisi de opificis beneplacito exponi. Nec verò hìc alio interprete opus est: quando omnium audaciam clarè Paulus compefcit, qui rationem à Deo exigunt. An dicit lutum figulo, Cur me sic fecisti? Is ergo demum ad Pauli moderationem se cohibet, qui Dei voluntatem, licet absconditam, summæ iustitiæ instar habens, liberam illi perdendi servadique potestatem facit. Quantumvis torquēdis Pauli verbis se Pighius torqueat, non tamen ad præsens institutū aliter similitudo aptari potest, quàm si iure suo Deus homines ad quamcūque voluerit sortem, fingat & formet. Hoc si cui videtur prima specie absurdum: veniat nobis in mentem illa Augustini admonitio: Si pecudes loqui possent, ac cum opifice suo contenderent, quòd non homines, ut nos, sint factæ: neminem fore nostrum qui non protinus succenset. Iam verò quid nos putamus esse? Nimum certè desipit, qui nō plus saltem aliquanto præcellētix Deo tribuit, quàm sibi & generi humano supra pecudes vindicat. Imò si propriè loquendum: nos coram Deo minus sumus quàm pecudes. Quid ergo restat nisi ut se illi oves ex grege eius placidè submittant? Id quidē longè præstat, quàm Pighij exemplo homines substituere Dei loco figulos, ut fortunā sibi quisque propria virtute fingat. Alibi, inquit, apertè ostēditur quòd hìc obscurū est. Vasa figuli probat fornax: & homines iustos tentatio. Inde colligit, Si iustus in fide & pietate constās fuerit, vas fore in honorem: si molliter cefferit, fore vas in contumeliā. At quum suo quisque arbitrio, diuina gratia quæ omnibus cōmunis & parata est, adiutus perseveret: demum constituit, nos inuicta fortitudine vasa in honorem fieri. Non dico quàm insulse duo tam diuersa cōmisceat fingi vas, & probari: tantum dico, quòd suos varijs certaminū experimentis Deus probat, minime obstare, quin ipsos æterno suo consilio priusquam nascerentur, in quem placuit vsum, destinauerit: quin postea eos quales volebat fore, finxerit. Nec quicquam illi suffragatur Pauli dictū: Si quis se emundauerit ab eiusmodi malis, vas erit in honorem. Neque enim quomodo homines ex sordibus suis eruti vasa fiunt honorifica: sed quomodo fideles, qui electi iam & vocati sunt, se accōmodent in puros vsus, illic differitur. Ac vide quàm bene inter eū & Paulum cōueniat. Verba eius sunt, Quod alibi tacuerat Paulus, hìc expressit: cur Deus quosdā vasa in honorē faciat potius quàm alios. Ut enim Iacob vas foret misericordix, anima eius emūdauerat seipsam: quo nomine & merito factus est vas in honorem. Ad hanc emundationē respiciens Deus, què præscinit, etiā elegit. Paulus autē, dū fideles ad emundationē hortatur, ut locū sternat huic doctrinæ, præstat, Deū nouisse qui sint sui: què admōdū & alibi admonet, Nos esse eius figmentū, creatos ad opera bona, quæ ipsa præparauit. Hoc salutis fundamentū in gratuita Dei electione ubiq; statuit Paulus, qui nō temerè se peritū architectū esse gloriatur. Pighius cōtrā à superficie adificiū inchoat. Intēpe stiuē

De verbis  
Apost. 1er-  
mo. 11.

2. Tim. 2.

Ephes. 1.

quoque in tractando Ieremia loco multum verborum consumit: ubi non describitur formationis nostræ initium, in frangendis & conterendis vasis, quæ iam formata politæque sunt, sua Deo potestus asseritur. Tenendum igitur Pauli consilium est: Deum hominum fictorè, ex eodem assumptos luto, ad honorem vel contumeliam suo arbitrio formare: quia alios ad vitam gratuitò nondum natos eligit: alios exitio suo, cui natura obnoxij sunt omnes, relinquens. Nam quòd electionem gratiæ Pighius ad reproborum odium spectare negat: id ego verum esse ita fateor, ut gratuito amorì quo electos complectitur, iusta in reprobos seueritas in causa pari & communi respondeat.

Concludit demùm Paulus: Si Deus irã suam volēs ostendere, & notam facere suã potentiã, sustinuit in multa paciẽtia vasa iræ apparatus in interitũ, ut notis quoque diuitias gratiæ suæ faceret erga vasa misericordiæ quæ preparauit in gloriã: non esse cur litem illi quisquã intentet. Ludit Pighius, ut solent eius similes, in voce Paciẽtiæ. Imò ferociter se iactat, quasi Deus nõ aliter reprobos quàm paterna indulgẽtia, obduret. Nõ aliter, inquit, vasa ad contumeliã format Deus, quàm benignè tolerando qui paciẽtia eius abutentes thesaurum iræ sibi accumulãnt. Vbi ergo inter fratres nondum natos discrimen? Præuidebat Deus, si Pighio creditur, futurã Esau duritiem. Quomodo itaque in Iacob eminet electio gratiæ, si in eodem gradu locatus fuit Esau, donec se ipse ex filiorum numero expungeret? Verum sæpius in breuissimã Pauli sententiã refellitur hæc tergiversatio, quàm ut aliunde rationes contrarias accersere opus sit. Vasa aut Organa quo sensu vocent Hebræi, quisquis mediocriter in Scriptura exercitatus est, non ignorat. Organa ubi audimus, tum Deum præsidẽ actionis totius & authorem, tum manum eius directricem præcedere necesse est. Cur autem vocantur Vasa iræ, nisi quia iustã seueritatẽ, qua abstiniuit erga alios, in istos exercuit? Et cur facti sunt vasa iræ? Respondet Paulus, ut iram & potentiam in illis suam Deus ostēderet. Dicit Apparata in interitũ: vnde aut quomodo, nisi à prima origine & natura? ut quidem vitata est in persona Adæ totius generis humani natura: non quòd altius Dei consiliũ non præcesserit: sed quia ex hac scaturigine emergit Dei maledictio, & generis humani interitus. Preparasse enim Deũ vasa misericordiæ in gloriã testatur. Si hoc speciale est electis, reliquos ad interitum aptatos esse constat, quia naturæ suæ relictis, certo iam exitio deuoti sunt. Quod enim nugantur quidam, Aptari eos propria malitia, adeò insulsum est, ut referre pigeat. Verum est istud quidem, reprobos iram Dei sua prauitate accersere, & in dies accelerando tandem in caput suum congerere. Sed hęc discrimen quod ex arcano Dei iudicio manat, à Paulo tractari, in confesso est. Dicit etiam, Diuitias gratiæ Dei patrefieri, dum ex opposito vasa iræ in exitium ruunt. Hęc certè non audimus quod Pighius garrit, AEqualem esse erga omnes gratiam: sed melius Dei bonitatem illustrari, dum vasa iræ sustinendo, ad suum finem venire patitur. Quod ad paciẽtiam spectat, in promptu est solutio: eam cum potentia coniungi: ut non sinat tantum Deus, sed quod fit, sua virtute moderetur. Quod & Augustinus scitè obseruat.

Lib. cõtra  
Iulia. 5.  
cap. 5.

Nec verò aliter stare potest inuolabile illud Dei pactũ: Ego sum Deus zelotes, misericors in mille generationes: seuerus vltor vsque in tertiã & quartã generationẽ: nisi Dominus arbitrio suo discernat, quibus gratiam largiatur, vel quos æternæ morti velit manere addictos. Gratiã suã in mille vsque ætates propagat. Quasò, an piorũ filios proprijs meritis æstimat, quũ exhibitam patribus gratiã non alia ratione cõtinuat etiam erga ipsos, nisi quia se ita facturum promisit? Abrahæ qui nihil promeritus erat, fidẽ suam gratuitò obstringit, se in eius gratiã fore posteris in Deũ. Hinc solẽnis illa post eius mortẽ obtestatio: Recordare Domine serui tui Abrahæ. Hęc certè inter homines delectus habetur: neq; ex cuiusque meritis

meritis, sed ex sancito cum patribus fœdere. Non quòd tota Abrahæ posteritas, quæ ex eo secundum carnẽ descendit, hanc prærogatiuam teneat: sed tamen eorum omnium qui ex Abrahæ femine in vitam cooptati sunt, & fides & salus huic promissioni accepta referri debet. Eadẽ est vindictæ ratio, quam Deus in tertiam vsque & quartam generationem exequitur. Quod enim afferunt nonnulli, Puniri quicũque omnibus seculis peccauerint, suo quẽque ordine, plusquã frivolum est. Sic olim Pelagiani, quũ ex Scripturæ testimonijs, quæ omnes in Adã peccasse ostẽdunt, expedire se nequiret, cauillabatur, imitatione peccasse. Sed quæadmodum eos urgebant pij doctores, Adã reatu verè omnes dãnatos, quo Christi gratia eos absoluit: ita in præsentis causa, ut inter se antithetare spondeant, necesse est in filiorũ persona Deũ vlcisci, quæ in patribus peccata dãnauit. Nec sanè aliter exponere licet cõplures Scripturæ locos, ubi se restatur reijcere maiorũ peccata in solum filiorũ. Frustra autẽ obijcitur illud Ezechielis: Filius non portabit patris iniquitatem: sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Quia hæc vindictæ pars est, quòd Dominus Spiritu suo nudos & vacuos relinquit: quò fit, ut propriam quisque culpã sustineat. Luere ergo maiorum peccata dicuntur potestati, non inmeriti (ut profanus ille Poeta Camillat) sed hoc ipso noxij, quòd ut natura sunt filij iræ, quemadmodum loquitur Paulus, proprio ingenio relictis, mortis æternæ iam à prima origine heredes nihil quàm suum interitum assiduo prokursu augere possunt.

Hic quoque locum Iesaiæ exponere, nõ in tempestuum erit: quẽ nõ abs re Spiritus sanctus in nouo Testamento voluit sexies repeti. Mittitur Propheta cum prodigioso in specie mandato. Vade, & dic populo huic, Audite audientes, & ne intelligatis: videte visionẽ, & ne cognoscatis. Impingua cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claudite: ne forte videat oculus suus, & auribus suis audiat, & corde intelligat: & cõuertatur ut sanè eum. Quod excacationis minister vocatur Propheta, accidentale esse fateor. In causa excacationis veritur quæstio. Fateor rursus in grato rebellique populo quam meritis erat pœnam irrogari, ut lux illi in tenebras vertatur. Præcesserit sanè & maligna & obstinata incredulitas, cui Deus tale præmium rependeret: sed quum postea recitet Propheta, fuisse aliquem selectum numerum, cui salus ex Dei verbo affulserit: suãne virtute effugerint horribile illud iudicium, an Dei manu retenti fuerint, quæritur. Magis etiã urget altera quæstio: Quĩ factũ sit, ut è turba illa, cuius nõ dispar erat incredulitas, resipuerint quidam, incurabilis aliorum fuerit morbus. Si quis humano iudicio rem æstimet: in ipsis hominibus discriminis inueniet causam. At Deus nos illic subsistere non patitur: qui seruos sua gratia prouocet, quotquot cõmuni defecionẽ non sequuntur. Resipiscentia autẽ quĩ propriũ eius opus sit, in controuersiam vocari non debet. Verè igitur ab Augustino dictum esse apparet, A Domino conuerti quos ipse conuersos voluerit, qui non tantum ex nolentibus volentes facit, sed etiam ex lupis oves, ex persecutoribus martyres, gratia potentiore eos reformans. Si malitia obijcitur: potentior esset Dei gratia, qualem se erga electos ostendit, nisi verum esset illud, Miserere eum cuius miseretur. Et Pauli interpretatio nihil dubitationis relinquit. Postquam enim dixit, fixam Dei electionem fuisse, addit, reliquos esse excacatos, ut impleatur vaticinium istud. Concedo, voluntariam esse cæcitatem, & eorum culpa libenter adscribo. Sed audio quòsnam excipiat Paulus: nẽpe quos eligere Domino visum est. Cur autem hos potius quàm illos, ne identidem excipere pigeat. Non esse hominis litigare cum Deo. Sic alibi idẽ Paulus, quũ Iudæus, quorũ virulentã malitiã expertus erat, dicit: Bene Spiritus sanctus loquutus est per os Iesaiæ: Auribus audietis, & nõ intelligetis: accusat quidẽ eos ut digni sunt. Sed perperã inde ac inscitè colliget quispiam, obdurationis initium ab illa malitia esse, quasi non ipsius malitiæ occultior esset causa, naturæ corruptio: qua-

Exod. 34.  
Deute. 5.  
Iere. 32.  
Ezech. 18

Horatius.  
Ephes. 2.

Iesa. 6.

Lib. 1. de  
prædest.  
sancto.  
cap. 2.

Rom. 11.

Augustinus lib.  
de bono  
pericuer.  
cap. 12.

si etiam non ideo in corruptione demersi manerent, quia arcano Dei consilio, antequam nascerentur, reprobati, non eruantur.

Vide Aug.  
gust. libr.  
ad Boni-  
fa. 2. cap.  
6.  
Ioan. 12.

Nunc Ioannem audiamus, qui minimè ambiguus nobis erit interpres. Quam multa signa fecisset Iesus, inquit, non credebant: ut sermo Iesaiæ impleretur, Domine, quis credit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? propterea non poterant credere: quia iterum dixit: Excæcauit oculos illorum, &c. Hic certè non commemorat Ioannes, suo vitio impeditos esse Iudeos, ne crederent. Quod et si verissimum erat, altius tamè conscendit. Spectandum enim est eius consilium. Rudes & infirmos non leuiter turbabat, quum audirent, Christo non fuisse locum in populo Dei. Respondet, Non credere, nisi quibus datum est: paucos autè esse, quibus brachium suum reuelet Deus. Alterum postea vitium, de quo nunc vertitur quaestio, in eundem finem attexit. Et magnum habet pondus quod inserit, Non potuisse ipsos credere. Nunc quantumuis se torqueant homines, discriminis tamen causa, cur brachium suum non omnibus Deus reuelet, abscondita latet in æterno eius decreto. Sanè aliud voluit Euangelista, quam fidem speciale esse donum, & altiore esse Christi sapientiam, quam ut sub humanos sensus cadat, ne mundi incredulitas nos percellat, si quando vel acutissimi deficiant. Ergo, nisi quod Euangelista ex professo contendit, eludere libet: quòd pauci Euangelium recipiunt, statuendum est inde pendere, quia frustra exterior vocis sonus aures verberat, donec intus corda Deus tetigerit.

Matt. 13.  
Marc. 4.  
Luc. 8.

Diuersa tribus reliquis Euangelistis huius citandi loci occasio fuit. Discipulos suos illic secernit Christus à vulgo hominum. Datum illis esse pronuntiat, nosce regni caelestis mysteria, se verò loqui apud alios in parabolis, ut audientes non audiant: & sermo Iesaiæ impleatur. Quos enigmaticè alloquutus est Christus sine profectu, indignos maiori luce fuisse non nego: sed rogo vicissim, quo merito digniores fuerint Apostoli, quos familiariter Christus admittit? Statuitur antithesis: paucis conferri gratiã, quæ omnibus ex æquo negari iure poterat. An dicemus sibi Apostolos cõparasse, quòd illis datum esse asserit Dominus? Nec leuiter prætereundum est, quòd Mystera appellat, quæ apud ipsos eloquitur. Et certè nihil est in tota spiritali doctrina, quòd nõ lögè superet mentis nostræ captum, proculque fugiat. Quare nec vlla verborum quilibet dilucida explicatio sufficet, nisi Spiritus nos simul doceat. Sed Christus hoc quoq; tanquam raræ dignationis pignus magnifèri vult à suis Discipulis, quòd in externa docèdi ratione, hominum vulgo eos præferat. Quamquam gradatim ad singulare illud priuilegiũ eos deducit, quo verè domestici ab alienis differunt: nepe ut diuinitus edocti, quæ altiora sunt sensu carnis, cõprehendant. Clamat subinde Christus: Qui habet aures audiendi, audiat. Quibus verbis nõ tantum ab ignavis auditoribus attetos discernit: sed surdos esse intelligit, quibus aures non sunt à Domino perforatæ. Quòd beneficium Dauid

Psal. 40.

totius Ecclesiæ nomine celebrat. Nõ ero singulis excutièdis lögior. Summa hæc sit: Si Dei Spiritum, qui per Apostolos loquutus est, Prophetæ interpretè admittimus, arcantum & incõprehensibile Dei iudicium, dum maiore populi partem excæcat, ne videat videndo, adorandam esse. Cessent hinc quæcunque nobis in mentè venire possunt rationes. Nã si in hominibus hæremus: primum certè hoc erit, Dominum petentibus liberaliter dare: alios tabescere in sua inopia, cuius remedium nõ quaerunt. Atqui, nisi succurrat quòd ait Augustinus, Diuinæ esse beneficentiæ nõ tantum ut aperiatur pulsantibus, sed etiã ut pulsemus & petamus: nondum satis nota est nobis, quia laboramus inopia. Ad auxiliũ si venit: experientia euincit, nõ omnibus expositam esse illam Spiritus virtutè, qua fit quòd fieri oportet. Nemo se v. anis blanditijs fallat. Qui ad Christum accedunt, iã filij Dei erant in eius corde, quum in se hostes essent: & quia præordinati erant ad vitam, Christo dati sũt. Quare ut fideliter monet Augustinus, se gratiæ

De bono  
perseuer.  
cap. 23.  
Vide  
Aug. de  
correp. &  
gratia.  
cap. 5.  
Ibidem,  
cap. 8. & 9

vasa

vasa esse meminerint, non meritorum: quando gratia illis omne meritum est. Nec alia nos cognitio iuuet, quam quæ admiratione claudatur. Rideant nos qui volent: modò stupori nostro Deus è cælo annuat, & Angeli applaudant.

Ibidem  
cap. 7.

Nunc quæ ex Pighij obiectis aliquid coloris præ se ferunt, summatim colligam, ut intelligant lectores, nihilò melioribus armis instructum pugnare, quam iustã cic. di tanti certaminis causam habuit. Statum quæstionis in eo verti dicit: In quem finem conditus fuerit homo. Ac primùm pro magno absurdo habet: si quicquam ex hominis creatione ad Deum redire intelligimus quia Deus se vno contentus, nullius indiget. Ego verò ut Deum fateor nullo externo adiuuiculo habere opus: ita inscitè ex eo colligi dico, nullum habuisse respectum sui, ut homines in gloriam suã crearet. Quid enim sibi vult illud Sclomonis: Omnia propter seipsum operatus est Dominus? Nihil ergo absurdi est, si dixerimus, Deum tamen si nullius egentem, hominum tamè genus in suam gloriam creasse. Ac meritiò hic potissimum finis censeretur debet. Quò magis ridiculũ est Pighij sophisma, qui Deum nullo gloriæ suæ respectu in hominis creatione motum fuisse colligit, quia sit in se perfectissimus. Sed perpretium est audire, quomodo se ex illo Sclomonis loco expediat, Deus propter seipsum condidit omnia: Nò quia gloriæ suæ id referret: sed propter suæ bonitatis immensitatẽ. Ac ne perire careat istud cõmentum: negat illos interpretes mecum sentire, præter paucos, ut ipse ait, detestabiles hereticos. Quid ergo refellendus tã futilibus nugis immoretur? Hebraica vox **I A M A - A V V I H V**, qua vtiur Sclomo, ita u. de valet. ac si quis diceret: Ad causam sui. Homo semilatima garrulitate inflatus nobis exponit, quid significet aduertitum Propter. Quòd si gratiam haberet sanæ mentis, contextus ipse clarè demonstrat, non fuisse creatos in diem exitum impios, nisi quia Deus suam in illis gloriam illustrare voluit: quemadmodum alibi pronuntiat Pharaonem hac de causa fuisse à se excitatum, ut nomẽ suum in gentibus pate faceret. Porro, ut tam insulso errori colorẽ inducat, testimonium Moysis adducit: Nunc Isaac quid possit abs te Dominus Deus tuus, nisi ut illum ames & colas? Ego verò neminẽ ex lectoribus fore adeò fatuum confido, qui non videat hominẽ mente priuatum sine pudore blaterare. Quid enim? an quia nostræ potius utilitatis causa suæ, à nobis coli vult Deus: ideo sepulta gloriæ suæ cura, nos tantum respicit? Et quid tot testimonijs fiet, quæ salutis humanæ summum & vltimum finem statuunt Dei gloriam? Ergo hoc axioma retinendum: Sic Deo fuisse cura salutem nostram, ut sui non oblitus, gloriam suam primo loco haberet, adeoque totum mundum hoc fine condidisse, ut gloriæ suæ theatrum foret. Non quòd vel seipso cõtentus non sit, vel quicquam aliunde mutuari opus habeat: sed quia hoc honore dignatus est suas creaturas, ut illis insignes gloriæ suæ notas imprimeret.

Lib. 8.  
cap. 2.

Prou. 16.

Lib. 7.  
cap. 2.

Exod. 9.

Precipue  
1. et 2. 4. 7.  
Rom. 3.  
Ephes. 1.

Postquã tamẽ xirè exorsus est Pighius, alterum finem subiicit: Quòd Deus ad suæ bonitatis naturam respiciens, eius capacẽ facere voluerit rationalem creaturam: quod sine arbitrii libertate fieri potuisse negat. Hoc confesso, rueret arbitratum quod de ceo, Ex aeterno Dei decreto constitutum fuisse inter electos & reprobos discrimen, quia scilicet homo futura suæ cõditionis arbiter, utranque fortunam in manu habuerit. Moneandi quidẽ hic in primis hortãdique sunt lectores, ut quo decet honore, factorem & opificem suum Deum prosequentes, ad considerandum eius consiliũ in creatione humani generis non proteruos oculos ingerant, sed ipsam reuerenter, sobriè, & puro fidei oculo suspiciant. Scio de aeterna Dei prædestinatione verbum fieri vix posse, quin mox praua multæ absurda quæ mentibus imaginationes obrepant. Itaque reperiuntur modesti quidã homines, qui suppressam eius mentionẽ cuperent, ne lasciuus ingenijs sese efferend: materia prabeatur. Ego verò, ut libetè argutis speculationibus, quod per alios licet, superse deo: ita ingenuam veri confessionem sub-

refugere, ne impiorum sanis sit exposita, fas esse non arbitror. Nec verò aut minus quàm aliud quidvis pretiosa est Deo sua veritas: aut nostra dissimulatione protegi vult suam iustitiam, sicuti nec tali patrocinio indiget. Verùm hoc fufius paulò pòst. Nunc vt de re quæ agitur, breuiter respondeam: contendit Pighius, ita præcisè ad salutem creatos esse homines, vt nullum Dei consiliu de contrario euentu præcesserit. Quasi verò Dominus ante primum hominẽ conditum, qualis totius generis futura esset conditio, non præuiderit. Quasi etiam non statuerit, quidnam fieri vellet. Homo, vt imago Dei foret, & luce rationis, & naturæ re:titudine ornatus fuit ab initio. Ergo Deus, quasi cæcutiens, euentum dubius suspensusque expectauit. Tales sunt Pighij cõsequentiæ. Audacter enim inde colligit, Deum indiscretè & indiscriminatè disposuisse vniuersos ita creandos, vt suæ bonitatis ac beatitudinis essent participes. Atqui, nullo negotio vtrunque simul conciliant piæ mentes: hominem eo statu fuisse locatum, quum primum conditus est, vt sponte cadendo sibi ipse exitij causa fuerit: & tamen admirabili Dei consilio ita fuisse ordinatum, vt voluntaria hæc ruina humano generi, & omnibus Adæ posteris, humilitatis materia foret. Neque enim, si Deo ita visum est expedire, idco non propria voluntate se præcipitem dedit, qui recta natura alioqui præditus, & ad Dei imaginem formatus erat. Iterum repeto: Non me latet, quantum absurditatis & repugnantis hæc apud profanos homines præ se ferant. Sed pro mille testibus vna conscientia sufficere nobis debet: quam si audimus, negare certè pudebit, iure perij se hominem, qui Satanam quàm Deum sponte maluit sequi.

Nunc audiendæ sunt Pighij probationes, quibus ostendere conatur, indifferenter omnibus salutem fuisse constitutum. Mentiri alioqui Spiritum dicit, qui pronũtiat, Deum omnium esse patrem. De coniugio illic tractat Malachias, cuius fidem plerique mariti tũc fallebant, qui polygamiã inducunt fraudabant primas vxores. Eos ad Deum fidei coniugalis præsidem ac vindicem reuocat. Videant nunc lectores, qualis in Scriptura tractanda sit Pighij religio. Subijcit ex Psalmo, Suauem esse Dominum vniuersis. Vnde concludit, Omnes sine exceptione ad vitam æternam destinatos. Quod si verum est, canibus etiam & asinis apertũ est regnum cælorum. Neque enim Dei bonitatẽ quæ hominibus propria sit, illic commendat Propheta: sed omnia Dei opera comprehendit. Quidni tamẽ pro fratribus suis Pighius depugnet? Sequitur tertia probatio: Quod nõ sit disimctio Gentilis ac Iudei, teste Paulo. Ego verò hoc libetè amplector, modò addatur etiã quod idem Paulus docet, Vocatas in Euangelij societatem fuisse Gentes, quia æterno Dei consilio ad id ordinatæ fuerant. Citat & illud Ecclesiastici, Nihil Deum odisse eorum quæ fecit. Ac si non vbique diceremus, Nihil Deũ in nobis odisse quod suũ est, sed de generem tantum naturã, quæ merito primæ creationis deformitas censetur. Cæterum, in hoc cardine minime versatur reprobationis quæstio: An aliquid suum oderit Deus. Et si enim ante defectiõẽ Adæ, quid facturus esset Deus, occultas ob causas statuerat, nihil tamen ab eo dãnari nisi peccatum, in Scriptura legitimus. Ita restat, vt iustas habuerit causas in reprobãda hominũ parte, sed nobis absconditas: nihil autẽ in homine oderit ac damnet, nisi à iustitia sua alienum. Attextit & illud Pauli: Deũ clausisse omnia sub peccato, vt omnium misereatur. Ac si Paulus illic de hominũ numero disputaret: non autẽ potius simplicem gratiæ cõmendationem poneret erga eos omnes qui ad salutem perueniunt. Nihil certè illi minus propositũ fuit, quàm Dei misericordiã ad omnes extendere: sed tantum omnem carnis gloriationẽ prosternere voluit: vt sciamus neminem fore saluum, nisi quem mera gratia Deus seruauerit. En quibus arguementis, nullos præ alijs diuinitus ad salutem fuisse electos demonstrat, qui in singulis capitulum titulus plusquam ineptè pro Euclidis simia se venditat.

Tertium

Mal. 2.

Rom. 10.

&amp; 11.

Rom. 16.

Ephes. 2.

Colof. 3.



Tertium finem, qui satis clarè & disertè illo Solomonis loco exprimitur, Quòd propter se Deus omnia creauit, etiã impium ad diem malum: hac ratione impugnatur: Quòd si Deum respexisse dicimus, quid cuique futurum esset, simul necesse erit fieri discretionem inter electos ac reprobos priorcm fuisse hominum lapsu, in mente diuina. Vnde sequetur, non damnari reprobos, quia perditu fuerint in Adami, sed quia ante lapsum Adæ iam exitio deuoti erant. Respondeo, Nihil curam esse, si tam indiscriminatè (vt eius verbis utar) omnia miscet Pighius in Dei iudicijs, quando inter causas propinquas & remotas non discernit. Postquã huc illic circumspexerint homines, quò tamen interitus sui culpam transferant, non inuenient: quia proxima in ipsis causa residet. Nam si aliunde inflictum sibi vulnus querantur, interior animi sensus constrictos tenebit, ex voluntaria primi hominis defectione exortum fuisse malum. Scio non posse carnis proteruiam compesci, quin hîc protinus obstrepat: Si Adæ casum præsciuit Deus, nec remedium adhibere voluit, nos ex æterno eius decreto perire innoxios magis, quàm iustas peccati pœnas dare. Verum, vt demus nihil tale fuisse à Deo præuisum, eadem nihilominus de peccato originali querimonia manebit. Obijciat enim Deo impietas: Cur non sibi priuatim, vt si lus damnatum sentiret, peccauit Adam? Cur nos, qui nihil meriti eramus: in eiusdem cladis societatem inuoluit? Imò, quo iure alienæ culpa pœnam in nos Deus traiecit? Sed enim ubi omnia dicta fuerint, singulos interior cordis sensus urgere non desinet, qui neminem, vel se iudice, patitur absolui. Nec verò cõtrouersiam de eo quisquam facit. Nam quum ob vnus hominis peccatum, inflictum omnibus fuerit lethale vulnus: rectum Dei iudicium omnes agnoscunt. Si nihil obstat, quominus & prima ueritatis origo ab Adam cœperit, & proximam in se causam singuli inueniant, quid etiam impediet, quin arcanum Dei consilium, quo præordinatus fuerat hominum lapsus, qua decet sobrietate, procul adoret fides nostra: & tamen quod propius apparet, conspiciat: notum humanum genus in Adæ persona æternæ mortis reatu constrictum esse, & propterea morti esse obnoxium? Non ergo discussit Pighius, sicuti putabat, optimam & aptissimam symmetriam, qua inter se causa propinqua & remota congruunt.

Monendi autem sunt lectores, peræquè à Pighio vtrunque damnari: Deum ab initio, quum adhuc integer foret hominis status, quod postea futurum esset, decreuisse: & nunc ex perditâ massa eligere quos voluerit. Augustinum ridet, eiusque similes, hoc est pios omnes, qui Deum imaginantur, postquam vniuersalem generis humani ruinam in persona Adæ præsciuerat, alios ad vitam, alios ad interitum destinasse. Quia enim illud de omnibus in salutem creandis Dei consilium, Adæ lapsu fuisse superius, pro confessio sumit, fixum adhuc manere non dubitat. Nam alioquin neque sibi constaret Deus, & immutabile eius propositum hominis vitio subuersum foret. In nostra sententia illam (vt dictum est) repugnantiam speciem exagitat: quòd sicut Deus ante conditum Adam apud se decreuerit, quidnam illi & posteris futurum esset: iam peccato imputari reproborum interitus non debeat: quia absurdum esset, effectum facere sua causa priorem. Ego autem vtrunque istorum, quæ oppugnat Pighius, verum esse affirmo. Nam quod obtendit inter duas sententias dissidium, prorsus nullum est. Dicimus hominem hac conditione fuisse creatum, vt conqueri de suo opifice nequeat. Præuidit Deus Adæ lapsum: nec certè nisi volens ruere passus est. Quid hîc tergiversari attinet? Negat tamen Pighius: quia

consilium antè de seruandis omnibus cõceptum, stabile maneat. Quasi verò non sit in prompta solutio: non aliter omnibus destinatam fuisse salutem, quàm si in prima origine perstarèt. Neque enim simplex & præcisum fuisse Dei decretum, quisquam sanus concedet, vt ad salutem omnes peruenirent. Nam ad iustam hominis damnationem satis erat, in via salutis quum esset collocatus, inde sponte excidisse. At fieri aliter non potuit. Quid tum? an ideo culpa liberatur, quæ tota in eius voluntate residet? Si diceret Augustinus, propositum semel fuisse Deo omnes seruare: ad refutandam eius opinionem aliquid valeret Pighij argutia. Sed quando tradit, Adam prima sua creatione ita constitutum fuisse vitæ hæredem, vt propinqua eius abdicatio Deum minimè lateret: imò in arcano eius consilio iam esset quasi inclusa: verè & meritò colligit, vniuersalirea: u sic obstrictos teneri reprobos, vt in morte relictæ, iustum iudicium sustineant. Idem & nos tradimus, quia in Adam sumus ad vnum omnes perditæ: iusto Dei iudicio perire, qui pereunt: & simul tamen fatemur, quicquid Adæ accidit, diuinitus fuisse ordinatum.

Nunc mihi non tam quid vel quo ordine dicat Pighius, considerandum est, quàm vt cum sua desperata impudentia iaceat confusus nebulosus: & pijs conscientijs satisfiat, quas per imperitiam turbari non rarò cernimus. Itaque quicquid speciosum est in fluxa & propè immensi eius loquacitate, excerpam: vt omnes intelligant, multa dicendo nihil eum dicere. Cũ speciali electione congruere non videtur, quòd Christus totius mundi redemptor omnibus promiscuè Euangelium prædicari iussit.

1. Cor. 5. Atque, Euangelium legatio est pacis, qua reconciliatur mundus Deo, vt Paulus docet: 2. Thef. 2. & eodem teste, annuntiatur: vt qui audiunt, salui fiant. Respondeo breuiter, Christum sic toti mundo ordinatum esse in salutem, vt eos seruet qui à Patre illi dati sunt: eorum sit vita, quorum est caput: eos in bonorum suorum societatem recipiat, quos sibi Deus gratuito beneplacito hæredes adoptauit. Quid horum negari potest? Illud Iesaiæ vaticinium Apostolus in eo impletum pronuntiat: Ecce ego & pueri mei, quos Dominus mihi dedit. Clamat ipse Christus: Omne quod mihi dedit Pater, custodiam, nequid pereat. Quòd vitam non nisi in membra sua diffundat, passim legimus. Inseri porò in eius corpus, speciale donum qui non facitur, Epistolam ad Ephesios nunquam attentè legit. Vnde & tertium illud sequitur: Christi virtutem non nisi ad Dei filios pertinere. Quanquam non melius quàm ex Euangelij prædicatione estimãdam esse vniuersalem Christi gratiam, ipsi quoque pars adue:sa mihi concedet. Quare in eo sita est nodi solutio, si tenemus quomodo salutem omnibus offerat Euangelij doctrina. Equidem omnibus sua natura saluificam esse non nego. Tantum hoc queritur: An Dominus æterno suo consilio communem illi c omnibus salutem destinauerit. Vocari omnes indifferenter ad pœnitentiam & fidẽ: proponi omnibus eundem Mediatorem, qui Patri ipsos reconciliet, satis notum est: sed æquè notum est, nihil nisi fide percipi: vt illud Pauli impleatur: Euangelium esse Dei potentiam in salutem omni credenti. Alijs autem quid restat, nisi vt odor sit mortis in mortem? vt idem alibi loquitur.

Porò, quum palàm appareat, ex multis quos externa voce Deus compellat, vix paucos credere: si maiorem partem ideo incredulam manere probo, quia Deus non nisi quos vult, illuminatione dignatur: simul alterum illud obtineo: communiter offerri vtrisque Dei misericordiam: vt quicumque intus non docentur, tantum reddantur inexcusabiles. Distingunt quidam, quòd potentia salutare sit omnibus

Euange-

Euangelium, non effectu: sed nodum hoc modo minimè expediunt: quia semper eò  
 reuoluumur, aequalisne omnibus conferatur credendi facultas. At verò, cur non om-  
 nes Euangelio obediant, rationem affert Paulus: quia Iesaias dicit: Domine, quis  
 credidit sermone nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Credentium pau- Rom. 10.  
12. 53.  
 citate attonitus Propheta exclamat: Rem indignam esse, quod Dei verbi omnium  
 auribus personans, nulla ferè corda intus afficiat. Verum, ne què cõturbet tanta mun-  
 di prauitas, mox subiicit, non omnibus hoc esse datũ. In summa, effectu carere quam-  
 libet sonoruu humanae vocis clamorem significat, nisi interior Dei virtus in cordi-  
 bus operetur. Cuius etiã rei præclarũ documentum ante oculos ponit Lucas, qui post- Acto. 13.  
 quam retulit habitam à Paulo concionem: Crediderunt (inquit) quotquot ordinati  
 erant ad vitam æternam. Cur eadem doctrina non iisdem omnium animis excipitur?  
 Numerũ definit Lucas: Quia non omnes ad vitam erant ordinati. Cuius porrò hæc  
 dispositio est, nisi Dei vnus? Nã qui proprio cordis motu fuisse ordinatos ineptiũt,  
 non magis refutatione sunt digni, quàm si mundum à seipso creatum dicerent. Est  
 enim recondita Euangelij sapientia, ad quam penetrare humani ingenij acumen  
 nequit. Animalis homo, inquit Paulus, nõ capit ea quæ Dei sunt. An quia nõ vult? 1. Cor. 2.  
 Id quidem verum est, rebelles esse Deo quicumque eius Spiritu mansuefacti nõ sunt.  
 Sed altius conscendit Paulus: quòd scilicet illi sint stultitia, nec possit intelligere:  
 neminem fuisse Dei consiliarium, nec cognosci eius arcana nisi à solo eius Spiritu.  
 Vnde constituit, solos esse verè Dei discipulos, qui non mundi huius spiritus, sed cœ-  
 lesti donati sunt: vt sciant quæ sibi à Deo donata sunt. Quid sibi ista vult cõpara-  
 tio inter mundi huius & Dei Spiritũ: nisi quòd suo modo sapiũt homines, vt in ter-  
 ra subsidant, filios suos Pater cœlestis peculiari modo illuminat? Hic, si Deo placet,  
 voluntariã cuiusque præparationem nobis Pighius obtrudit: quasi non Corinthios  
 alloquatur Paulus, quos paulò post & fures, & ebriosos, & maledicos, & aua- 1. Cor. 6.  
 ros, & molles, & prodigiosis flagitijs infectos fuisse commemorat, donec Spiritus  
 sanctificatione purgati forent. Quales ad promerendam illuminationem eorum po-  
 tuit esse occursum, quos Deus ab inferis ipsis extraxit? Et quid longo verborum cir-  
 cuitu opus est: Spiritus qui nobis regni cœlestis arcana patefacit, est adoptionis Spi-  
 ritus. Adoptio autem gratuita. Ergo & gratis cõfertur Spiritus ipse. Iam nõ omni-  
 bus conferri experientia docet. Ergo speciale donum est fides, quo rata fit Dei ele- 1. Cor. 11.  
 ctio. Quo etiam sensu dixerat Paulus, Christum qui Iudæis est scandalum, & Genti-  
 bus stultitia, vocatus esse Dei virtutẽ & sapientiã. Vnde autem vocatio: nisi quia  
 Dominus quos elegerit, secundum propositum suum vocat? Nunc tenemus, Euange-  
 lium, quod odor vitæ in vitam natura sua esse debuerat, mortiferum ijs qui pereunt  
 odorem esse: ideo autem manere in suis tenebris incredulos, quia non reuelatur illis  
 Dei brachium. Quòd autem in tanta naturæ nostræ corruptela & prauitate, aliqui  
 tamen Euangelio credunt: eorum bonitati adscribere, sacrilegium est: sed potius gra-  
 tiæ semper Deo agenda, vt Paulus monet, qui eos elegerit ab initio mundi in salutem,  
 in sanctificatione spiritus & fide veritatis. Quibus certè verbis, & fidem, & san-  
 ctificationem, ab æterna electione, tanquam à fonte riuos deducit. Quid enim? An  
 quia se ipsos sanctificaturi erãt, ideo electi sunt? Atqui nominatim Paulus hoc esse  
 Spiritus Dei opus asserit. Quum eadem sit fidei ratio: superest, vt in fidem illumi-  
 natos dicamus, quò rata esset Dei electio, & effectu ipso patefieret. Et sanè quum  
 audiamus, Neminẽ ad Christũ venire nisi à Patre trahatur: hoc quoque Augustini 2. The. 2.  
Lib. ad  
Bonifa. 1.  
cap. 19.

tenendum est: Quis trahitur, si iam volebat? Nemo tamen venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, nõ ut nolentes credant, quod fieri nõ potest: sed ut volentes ex nolentibus fiãt.

Reclamat Pighius, illam Pauli sententiam adducens: Deum omnes velle saluos fieri: & quod mortem peccatoris nolit, ipsi veli iurato credendum, vbi per Prophetam sic loquitur: *Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed magis ut cõuertatur & viuat. Quum prophetica concio ad pœnitentiã hortetur: nihil mirum si Deũ pronuntiet velle omnes saluos fieri. Sed tales loquendi formas cõditionales esse, ostendit mutua inter minas & promissiones relatio. Niniuitis Deus, quemadmodum Regibus Gerar & Aegypti, facturum se denuntiat, quod facturum non est. Quũ resistentiã, pœnã quam minatus illis fuerat, anteuertunt: tunc non nisi obstinatis constitutã fuisse apparet. Et tamen præcisa fuerat denuntiatio: ac si reuocabile nõ esset decretũ: sed postquam irã suã sensu terruit ac humiliavit, qui non profusus sunt desperari, eos spe veniã erigit, ut remedio sentiant locum esse. Ita rursum promissiones, quã omnes ad salutem inuitant, non simpliciter nec præcisẽ quid in arcano suo consilio statuerit Deus, sed quid omnibus ad fidẽ & pœnitentiã adducis facere paratus sit, demonstrant. Atqui, hoc modo duplex affingitur Deo voluntas, qui ad eò varius non est, ut ne minima quidem in eum cadat obumbratio. Quid hoc, inquit, Pighius, aliud esset, quã hominibus illudere, si Deus quod non vult, velle se profiteatur? Si cõiunctim, ut par est, legãtur hæc duo: volo ut conuersus peccator viuat: nullo negotio calũnia illa diluitur. Conuersionem exigit à nobis Deus: eam vbicumque inuenit, promisso vitæ præmio nõ frustratur. Vitã ergo velle dicitur Deus, qualiter & pœnitentiã. Hanc autem vult, quia verbo suo omnes ad eam inuitat. Cæterũ, id cum arcano ipsius consilio non pugnat, quo non nisi suos electos conuertere decreuit. Neque propterea varium censei fas est, quia tanquam legislator omnes externa vitæ doctrina illuminet: ad vitam omnes priore modo vocet: hoc autem altero quos vult, adducat, tanquam pater regenerans Spiritu filios duntaxat suos.*

Certum quidem est, nec homines suo pte instinctu ad Dominũ conuerti: nec conuersionis donũ omnibus commune esse. Est enim hoc vnũ ex duobus capitibus fœderis, quod Deus non nisi cum filiis suis & electo populo facturum se promittit: ut leges suas in eorum corda inscribat. Desipiet enim si quis dicat, generaliter hoc omnibus promitti: Percutiam cum ipsis fœdus: non quale percussi cum patribus eorum: sed leges meas cordibus eorum inscribam. Addignos, vel proprio motu ritẽ præparatos restringere, non minus crassæ inscitia foret: quum Dominus eos alloquatur, quibus corda lapidea prius erant: quemadmodum ex altero Propheta liquet. Cõmunem omnium contumaciã esse dico, nec cuiusquam affectum esse ad obsequium Dei flexibile, donec ipse dederit quod iubet. Cur enim vocamur noua creatura, nisi quia Dei sumus factura, creati ad omne opus bonũ? Obsecro, qualis ista & quã iniqua partitio erit, si Deus mortales nos homines creet, sibi quisque ad iustitiã & cœlestem vitam sit creator? Nam hoc modo sibi haberet Deus caduca gratiã laudem: quod longe præstantius est, in sortem nostram cederet. Atqui, circuncidere hominum corda, opus Dei esse Scriptura affirmat: nec alteri regeneratio tribuitur: vnde & passim quod in homine ad imaginem Dei reformatum est, Spiritus nuncupatur. Hortatur quidem nos subinde Dominus ad pœnitentiã: sed conuersionis author ipse asseritur. Dicitur lex eius conuertere animas & ad Verbi ministros partes istæ

alicubi

1. Tim. 2.  
Ezech. 18  
& 33.

1. Jerem. 31.

Eze. 36.

2. Cor. 7.  
Ephes. 1. e

Deut. 30.

alicubi transferuntur: sed quia dum arando, serendo, rigando, laborat illi, vnius Dei est incrementum dare: non mirum est, si hoc illi tribuitur, quod cor suis aperiat, ut sermoni quem audiunt, intenti sint. Itaque Augustinus, postquam de electis tractauit, & eorum salutem ita in fidei Dei custodia docuit esse repositam, ut nemo peccet: Cateri, inquit, mortales, qui ex isto numero non sunt, & tamen ex eadem massa sumpti sunt, vasa irae facti in vtilitatem nascuntur istorum. Non enim quenquam eorum Deus temere aut fortuito creat: aut quid de illis operetur boni, ignorat: quum & hoc ipsum bonum operetur, quod in illis humanam creat naturam, & ordinem seculi praesentis exornat. Istorum neminem adducit ad poenitentiam spiritualem, qua homo reconciliatur Deo. Quauis ergo ex eadem massa perditionis nati, secundum cordis sui duritiam & cor impoenitens, thesaurifant sibi, quantum in se est, omnes iram in die irae, Deus tamen alios inde per misericordiae bonitatem adducit ad poenitentiam, alios iusto iudicio non adducit. Haec tenus ille. Ac ne quis hic diuinae gratiae & nostrae industriae concursum imaginetur: semper occurrat quod alibi tradit: Laborant, inquit, homines in nostra voluntate inuenire, quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo: & quid possit inueniri, ignoro. Et paulo post: Quapropter nisi obtinemus, non solum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus & male vti malus potest: sed etiam voluntatem bonam, quae iam in eis est bonis, quorum vsus esse non potest malus, nisi ex Deo nobis esse non posse: nescio quemadmodum defendamus quod dictum est: Quid habes quod non acceperis? Nam si nobis libera quadam voluntas ex Deo est, quae adhuc potest esse vel bona vel mala: bona autem voluntas ex nobis est: melius est id quod à nobis, quam quod à Deo est. Tandem concludit: Quibus donare hoc voluerit Dominus, misericordiae eius esse, non meriti illorum: quibus noluerit, veritatis esse, quia potestatem habet trahendi.

Alterius loci expedita est solutio. Deum velle omnes saluos fieri Paulus affirmat. Nempe, quomodo vult ad veritatis suae cognitionem venire. Vtrunque enim copulat. Nunc quaero, Eademne Deo voluntas ab initio mundi constiterit necne. Nam si omnibus notam esse voluit suam veritatem: cur legem suam non publicauit & Gentibus? Cur inclusam in angustijs Iudae tenuit vitam lucem? Quid sibi vult illud Moisis: Non esse gentem: quae statuta & leges habeat quibus regatur, quemadmodum populus ille: nisi quod singulare priuilegium generis Abrahamae commendat? Cui & illud Dauidis encomium respondet: Non ita fecit vlli populo: nec sua iudicia manifestauit illis. Nec omittenda est quae exprimitur ratio: Quia dilexerit Deus Patres, filios ab eo electos esse: non quia praestantiores essent: sed quia eligere eos in populum peculiarem Domino visum est. Quid? An Paulus ipse nesciebat, se prohibitum esse à Spiritu, ne in Asia verbum de Christo faceret, ac ne transiret in Bithyniam quod pergebat? Sed quia nimis prolixa foret huius rei tractatio, vno illo nunc ero contentus. Deum post lucem vitam solis Iudaeis accensam, passum fuisse Gentes in ignorantia tenebris per multa secula errare: deinde speciale hoc promitti Ecclesiae donum, quod super ipsam orietur Dominus, & gloria eius conspicua illic erit. Nunc iacet Pighius, Deum omnes velle saluos fieri, quum ne externa quidem doctrina praedicatio, quae tamen Spiritus illuminatione longè inferior est, omnibus sit communis. Agitatus olim à Pelagianis fuit locus iste. Quid Augustinus pluribus locis respondeat, dicere in praesentia supercedeo: nisi quod clare & breuiter vno ex loco patet, quam securè hanc obiectionem contempserit. Quum

2. Tim. 2.  
& alibi.  
psal. 19.  
Luc. 1.  
1. Cor. 3.  
Acto. 16.  
Lib. contra  
Iulian. 5.  
cap. 3.

Lib. 2. de  
pecca. me  
rit. & re-  
miss. cap.  
18.

Deut. 4.

psal. 148.

Deut. 4.  
& 7.

Acto. 16.

Acto. 14.

Iesa. 60.

Enchirid. Dominus, inquit, se volente filios Ierusalem congregare, ipsam noluisse conque-  
 ad Laur. ritur, an superata fuit ab infirmis hominibus Dei voluntas, ut non potuerit facere  
 Cap. 97. potentissimus quod volebat? Et ubi erit omnipotentia, qua fecit quaecunque voluit  
 & 9. in caelo & in terra? Quis verò tam impiè desipiat, ut dicat Deum malas hominū vo-  
 luntates, quas voluerit, quando voluerit ubi, voluerit in bonum nō posse cōvertere?  
 Sed quum facit, per misericordiam facit. quū non facit, per iudiciū non facit. No-  
 dum quidem nondum solutum esse fateor: sed hoc tamen extorsi Pighio, ne quis ni-  
 sisenſu & iudicio priuatus credat arcano Dei consilio statutam aequaliter omnibus  
 salutem esse. Ceterum, sensus Pauli cuius non contentioso satis facilis est ac diluci-  
 dus. Iubet solennes pro regibus & principibus, qui cum imperio praesunt, preces con-  
 cipi. Quia verò cotidem illo seculo erant infestissimi Ecclesiae hostes: ne fideles à  
 studio precandi reuocet desperatio, mature occurrit Paulus, Deum omnes saluos  
 velle fieri dicens. Quis non videt ordinem hīc fieri mentionem potius quā singu-  
 lorum hominum? Nec verò ratione caret trita illa distinctio, Non singulos gene-  
 rum, sed genera singulorum notari. Quòd tamen non alia sit Dei voluntas intel-  
 ligenda, quā quae patefit externa Euangelij praedicatione, ex contextu euincitur:  
 ut Deum significet Paulus omnium velle salutem, quos benignè ad Christū inuitat.

Sed Pighius rursus de personarum respectu mihi certamen mouet. Quia Deus  
 Lib. 7. c. 2. personas non respicit, inde omnes aequaliter colligit ab eo amari. Responderā, Hoc  
 nomine signari in Scriptura externas omnes accessiones, quae sunt praeter causam,  
 fauorē inque alijs conciliant, alios odio grauant vel contemptu. Nihil ineptius pos-  
 se dici vel fingi detonat. Atqui si agenda res esset suffragijs, multos haberem non  
 poenitendos socios vel duces. Sed valeat vna ratio. Hebraeus nomen est (P ANIM,) )  
 Leuit. 19. quod tantundem valet ac Facies. Quum vetantur iudices personas accipere: quum  
 testatur Moises nullum personae respectum esse Deo: & idem in historia Iob re-  
 petitur: quid, obsecro, per hanc vocem intelligere possumus, quā externas omnes  
 Deut. 1. apparetias, ut vulgò appellant, quibus à re ipsa abducimur? similiter quum de ser-  
 Deuter. 1. uis & dominus, quum de Iudaeis & Gentibus, quum de nobilibus & obscuris loquun-  
 Iob. 32. & 34. tur Apostoli, & quum de alijs alijs habent excellentia, vnde fit ut quod a-  
 Rom. 2. quum ac rectum est, non cernatur. Ideo Christus & d est a speciem. iusto iudicio  
 Gal. 2. opponit: ac si diceret, ubi hominum fauor vel odium regnant fieri aliter non posse,  
 Ephes. 6. quin totam aequitatem ac rectitudinem peruertant. Nemo igitur nō videt Pighium  
 Colofi. 3. rabiosa malediendi petulantia abreptum, nunquam pensit habuisse quid diceret.  
 Ioan. 7. Nunc audiēda boni censoris correctio. Personarum aspectum, pronuntiat vitium esse  
 in iustitia distributiva locum habens. Inde concludit, Deum non accipere perso-  
 nas, quia indifferens sit omnibus: & quemadmodum aequum distributorem de publico  
 largiri decet, praebet se perinde liberalem ac beneficum. Perinde verò haec garrit,  
 ac si extincta Scriptura, quiduis illi è proprio capite fingere liceret. Nā omnes Scri-  
 pturae loci meam sententiam confirmant: nullum profert qui eius commento suffra-  
 getur. Et quid mirum, si sua deliria tam secure proferat: quum ne ipsam quidem vo-  
 cem de qua sermo illi erat, expendit? forsā ut se probaret magnum theologum,  
 comēpta Grammatica sine sensu voces effutiuit. Nam Persona nihil illi aliud valet,  
 quā hominē. Quum tamen plusquam conspicuū sit, qualitatem extrinsecam nota-  
 ri, qua induti homines, aut fauore digni habentur, aut contēptui subiacent. An au-  
 tem Deus aequalis sit distributor necne, Christo magis credendum est quā Pighio.  
 Matt. 22. Christus autem Deum sub patriſfamilias persona ita loquentem inducit: Licet in

rebus meis facere quod volo: an oculus tuus malus est, quod ego benignus sum? Secundum  
quam rationem Paulus, ut nemini obstrictum esse doceat, quoniam gratiam suam pro arbitrio,  
quibus visum est, disenseret: interrogat, Quis prior illi dederit, ut ei mutuum rependatur.

Rom. 11.

Primum si qua pietatis gutta fuisset in hoc homine, ut inquam ausus foret, Deum  
tam contumeliose in ordinem cogere? Praescribit enim, ut omnibus aequaliter largiatur, qua-  
si de publico. Ita nihil Deo reliquum facit, in quo gratuita beneficentia exerceat. Iudicat, in-  
quit, de unoquoque secundum cuiusque dignitatem & opus, non autem pro suo benefacere.  
Quo igitur merito provocatus elegit genus Abrahae? Quid reperit in ea gente dignitatis, cur  
eam reliquis praeferreret? Non aliam ipse rationem assignat nisi quia dilexit patres eorum. Po-  
stea expressius: Ecce, quoniam Domini sunt caeli & terrarum in modo illi in patribus tuis co-  
placuit ad eos amandos, & elegit semen eorum post eos. Item alio loco merita omnium in ni-  
hilum redigit, alii idolo latras fuisse commemorat. Saltim hoc obtineo, quod Pighius negat, Dei  
benefacere a Moise clare praedicari. Negat, ex Dei pendere decreto, sed hominum affe-  
ctu, quod uno reiecto alius eligitur. Quid ergo sibi vult illud? Non ex operibus, sed ex voca-  
te dictum est: Maior servit minori. Execranda verò quam postea evomit in Deum blasphem-  
ia est. Fingi Deum non iniustum modò, sed crudelè, si quempiam exitio devocet. At-  
qui, ad eius Dei tribunal semel sistetur, quem Paulus ostendere suam potentiam in vasis i-  
re asserit. Imò iam nunc malo suo exitii sentit non esse humanitus fabricatum, sed aeternum  
torrens mundi semper fuisse iudicem. Nunc experitur miser, quam verè dictum sit, Vin-  
cere Deum quum iudicatur. Ceterum, fateor personam alicubi oppositam & rectam vitam:  
ut quum Petrus dicit, Nò esse Deum  $\pi\epsilon\iota\sigma\mu\epsilon\lambda\lambda\iota\tau\alpha$ , quia in omni gente acceptus illi sit qui  
bene vivit. Sed prompta est responsio, Quòd Deus quae filijs suis contulit dona, probet, gra-  
tiaeque habeat: non inanis autem natura nihil prorsus inueniat nisi odio dignum. Ergo ut  
Deus cultiores suos diligat: necesse est, ut dum adhuc omni bono vacui sunt, gratuito amore  
praevenerit indignos, & illis donet quod postea amore prosequatur. Hanc verò primam gra-  
tiam dat quibus vult, inquit Augustinus, quoniam misericors est. Quod etsi non det, iustus  
est. Et nò dat, quibus nò vult, ut notas faciat divitias gloriae suae in vasa misericordiae. Quòd  
autè non sit apud eum personarum acceptio, hinc liquere in fine capituli admonet, quia prae-  
teritis cultorum suorum filijs, natam ex reprobis sobolem ab exitio interdum liberat. Ac o-  
mnino memoria tenendum, quod tadem adducit, Nullum praedestinationis illustrius specu-  
lum extare, quam sit ipse Mediator, qui secundum humanam naturam id honoris nullo merito  
adeptus est, ut Dei vicinus esset Filius. Atqui, gratuitum Dei benefacere quod in Christo  
Ecclesiae capite spectandum ille proponit, Pighius ne in membris quidem admittere sustinet.  
Beatam enim Christi matrem contendit suo merito electam esse, quia ipsa canat, Respexit  
humilitatem ancillae suae. Ista sunt Pighij probationes, Fundatam in hominum meritis ele-  
ctionem Dei esse, non gratuitam, quia quod abiectum est ac contemptibile, elegit.

Deut. 4.

Deut. 10.

Iosue 24

psal. 51.

Rom. 3.

Acto. 10.

Lib. de bo

no perfe

uc. cap. 13

Eiusdem

lib. ca. 24

Lib. 8. c. 1.

Hac ratione facile diluitur Pighij obiectio: Quum Christus benedictos Patris sui ad  
regnum possidendum vocat, nò simpliciter causam dici, quia electi sint: sed quia exercuerint  
charitatis opera. Neque ego sane ad arcanam Dei electionem homines ablego, ut inde salu-  
tem hiantes expectent: sed rectè ad Christum pergere iubeo, in quo nobis proposita est salus:  
quae alicui in Deo abscondita lateret. Nà quisquis plana fidei via non ingreditur, illi Dei  
electio nihil quam exitialis erit labyrinthus. Itaque, ut certa sit nobis peccatorum remissio, ut  
in vita aeternae fiducia conscientiae nostrae acquiescant, ut Deum invicem patrem innoce-  
mus, hinc minimè faciendum est exordium, quid de nobis ante mundum conditum Deus  
statuerit: sed quid de paterno eius amore nobis in Christo sit patefactum, & quotidie per Euā-

gelium Christus ipse praedicat. Nihil altius nobis querendum, quam ut filij Dei simus. Atqui, gratuita, qua hoc tantum bonum consequimur, adoptionis speculum, arra & pignus est Filius, qui è Patris sinu ideo ad nos prodijt, ut in corpus suum inferendo, regni caelestis haeres faceret. Porro sicuti hæc hæreditas & Christi sanguine parata est semel, & sacris Evangelij tabulis consignata: ita eius possessio non aliter quam fide adiri potest. Denique, non tantum libenter fateor, sed passim in scriptis meis inculco, & fidei alligatam esse hominũ salutem, & Christum unicum esse ianuam, qua in regnum caelorum omnes ingredi oportet, nec alibi tranquillam pacem quam in Evangelio inueniri: quicunque inde vel minimum deflectit, nihil quam per flexuosus ambages errare: & quò quisque in profunda illa diuini cõsiliij adyta confidentius irrupere & penetrare conatur, eò longius à Deo recedere. Ergo quin per fidei viam ambulandũ sit, non nego. Vnde & alterum illud cõficitur, Deum, quæ electis in praesenti vita contulerit Spiritus sui dona, extremo die coronaturum. Cæterum, id non obstat, quominus caelestis Pater quos in Christo elegit, in eius corpus fide & Spiritus sanctificatione inferat: quominus ante cõditum mundum praedestinos, tempore suo vocet ac iustificet. Atque vtrunque Paulus optimè coniungit, vbi omnia cedere in bonum diligentibus Deum praefatus, mox addit: Qui secundum propositum vocati sunt. Hæc igitur via est, qua suos gubernat Deus: hæc ratio, qua opus in illis gratiæ suæ absoluit. Sed cur manum eorum apprehendat, alia est superior causa: propositum scilicet illud, quo eos destinauit ad vitam. Quò magis ridicula est Pighij impudentia, dum testimonium sibi tam aduersum procaciter tamen in sumum usum aptare non dubitat. Notandum esse in primis admonet, non dici, Cedere omnia in bonum electis vel dilectis: sed diuersam potius causam notari, quòd Deum diligat. Quasi verò non ideo data opera, addita à Paulo fuerit correctio, ne quis fidelium merito tribueret, quòd illis Deus omnia in bonum vertit. Qualiter affectos esse deceat fideles, primum ostendit. Atque hoc vocationis est proprium. Sed ne in seipsis hæreant: salutis bonorumque omnium initium ex altiori fonte manare docet, quia prius electi fuerant. Hunc quoque nodum Pighius iocando expedit: quòd Deus ad sanctitatẽ omnes vocet. Quasi verò non discretè Propositi nomine, efficax vocatio cõmendetur. Quibus autem prestigijs tam densas tenebras offundet, ut sententiæ huius perspicuitas obruatur? Deus quos elegit, iustificat, ut tandem glorificet. Quantumvis eam laceret, nunquam tamẽ efficiet, ut se ad omnes extendat. Hinc apparet, quam stultè ratiocinetur, qui fidei bonorumque operum praetextu electionẽ subuertere moluntur: ut filia, sicut vulgò loquuntur, matrem deuoret. Extremum suffugium Pighio est, Deum non nisi quos praesciuit ad salutem praedestinasse: quod iam illis prius à me obstructum est, quum fieri non posse ostendi, ut quicquam aliud in homine prauideat, nisi exitio dignum: donec eum ipse Spiritu suo refinxerit. Nam si nihil habet quisquam quod nõ acceperit: quid aliud alio plus afferet in Dei conspectum, quo excellat? Praesciuit ergo suos Deus, non ut ex meritis estimaret: sed quia nemo ab alijs discernitur, nisi in quem benignos & propitios oculos coniecit, ut filijs suis quamlibet indignum adnumeret: secundum illud

Lib. 8. ca.  
2. in fine.

1. Cor. 4.

Pauli. Quis enim te discernit? At Pighio gratuita praecognitio, quam ipse nudã appellat, videtur nulla esse. Quibus ergo plumis hominem ornabit, ne coram Deo nudus & omni ex parte deformis prodeat? Nam Scriptura quicquid in vitiosa hominis natura est, exosum esse Deo clamat: solam eius imaginem, quæ in Christo renouatur, placere.

Sequitur apud Pighium: Rationẽ cur dantur impij querentibus, non ingeritur vox illa tyrannica: Aeterno Dei consilio ab electis fuisse discretos, quia Deo placuerit exitio ipsos deuouere: ut valeat illud, Sic volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas: sed audient ex ore Christi: Esuriui, & non dedisti mihi cibum, &c. Cui nõ multum dissimile est quod alio

loco



loco repetit: Non pronuntiatum illis Christum, ideo dānari, quia ex infectio Adā genere progeniti sunt, quia ex eius peccato mortis aeternae reatum contraxerint: quia eius culpa perire ipsos oporteat: sed quia non dederint cibum famelicis, & alia charitatis opera non exercuerint. Si neque originalis culpa ad homines damnandos Pighio sufficit, nec quicquam loci habet arcium Dei iudicium: quid pueris infantibus faciet, qui priusquam ullum tale specimen per aetatem edere possent, ex hac vita erepti sunt? Quomodo eadem nascendi & moriendi cōditio fuerit paruulis qui Sodomā & Ierosolimā mortui sunt, nec quicquam in eorum operibus dispar: cur alijs ad dextram suam stantibus, alios ad sinistrā Christus extremo die segregabit? Quis hic admirabile Dei iudicium non adoret, quo factum est ut alijs Ierosolimā nascerentur, vnde ad meliorem vitam mox transirent, alios Sodomā, inferorum atrium, nascentes exciperet? Ceterum, ut electis iustitiæ primum rēpēdet Christus, ita reprobos minime inficior impietatis & scelorum suorum poenas tunc duros. Nec verò tale quicquam ex nostra doctriina elicere licet, quoniā aeterno suo consilio elegit ad vitam Deus quos visum est, alios exitio reliquit: vel nullas malis operibus constitutas esse poenas, vel bonis nullam esse repositam mercedē. Stabimus omnes ante tribunal Christi, ut referat quisque prout in corpore suo gessit, siue bonū siue malum. Sed vnde pijs iustitia & sanctitas quæ tunc coronabitur, nisi quia Spiritu eos suo Deus in vitæ nouitate regenuit? Vnde porro regenerationis donū, nisi ex adoptione gratuita? Perinde argumentatur Pighius, ac si quis diem esse neget ex luce à Domino creata, quia solis splendore diem facit. Quamquā similitudinē istam non omni ex parte conuenire fateor. Lux enim initio creata Deum proprie habet authorem. At damnationis nostræ culpa sic in nobis residet, ut procul alienos ad eam obli:erandam colores accensere fas non sit. Sed tantum breuiter ostēdere libuit, quam præposterè Pighius propinqua causa obiectu, remotam tollat. Damnatum iri impios contendit, quia proprijs maleficijs iram Dei in se prouocarint. Ex eo colligit, à Dei decreto non prouenire eorum damnationem. Ego autē, eos maleficia alia alijs cumulasse dico, quia quum prauis essent, nihil quam peccare potuerint. Et si autē non extrinseco impulsu, sed spontaneo cordis affectu, sciutes ac volentes peccarint: quomodo tamen fons & origo malorum omnium sit naturæ corruptio & vitiositas, negandum non est, nisi prima pietatis rudimenta cōuellere libeat. Causam si queras, cur vitium quod in electis suis Deus corrigit, non eodem in reprobis remedio dignetur: abscondita apud ipsum latet. Hoc modo Paulus, quū nono ad Romanos capite Deū statuit vitæ & mortis arbitriū, ut salui sint illi demum quos ab interitu eripit: & clarè pronuntiauit, Non volētis esse neque currētis, sed miserētis Dei, qui miseretur cuius vult, & quē vult, indurat: postea conspicias & quasi palpabiles excacationis causas in sua gente ostēdit, quod Christū plerique respuerint, quod Deum cōtumaciter repulerint, manus ad eos tendentem. Optime igitur consentiunt inter se hæc duo: quod quisque sibi propria incredulitate damnationis sit author, & nihilominus quicumque Spiritu Dei destituti sunt, sacri aduersus Christum ruāt. Itaque Iudæos Paulus reos peragens, quod iustitiam suam stabilire volentes, Dei iustitiæ non fuerint subiecti, atque ita superbia sua vitio, abdicati ex Ecclesia fuerint: simul tamen tribuendum esse Dei gratia docet, quod residui quidam steterint: quem admodum & oraculum continet, Reliqui mihi septem hominum milia, qui non curuarunt genu ante Baal. Neque enim, ut circumspectè Augustinus notat, sua virtute steterunt, si eos Dominus seruauit, ut reliqui inuenerūt. Expressius etiā Paulus, Reliquias, Christi aduētū, secundum gratuitam electiōnem seruatas. Audis reliquias: qua voce exigui numerum ab vniuersa turba segregat. Seruatas esse illas dicit, nō propria virtute, sed Dei beneficio. Salutē ex gratuita electiōne deducit: quo significat, hæc solā fuisse causā, cur nō in turba perierint, quia gratuita electiōne

Rom. 11.  
1. Reg. 19.

Lib. de.  
bono per  
seue. c. 18.

*sint. Vnde rursum conficitur, Si electi essent omnes, neminem fuisse periturum.*

*Si velle se ac inbere pronunciet mortalis homo, ut pro ratione sit sua voluntas: tyrannicam esse vocem fateor: sed id ad Deum transferre, sacrilegi est furoris. Neque enim quicquam Deo inmoderatum affingere licet, ut in eo, sicut in hominibus, exuliet libido: sed merito hoc honoris defertur eius voluntati, ut pro ratione valeat, quando omnis iustitiae fons est ac regula. Nam quae in scholis trita est de duplici eius voluntate distinctio, à nobis minime admittitur. Voluntatem Dei aliam ordinatam, aliam absolutam garrivunt Sorbonici sophistae. Haec blasphemia, à qua merito abhorret pia aures, Pighio & similibus esset plausibilis. Ego autem ex aduerso contendendo, ad id nihil esse in Deo inordinatum, ut inde potius fluat, quicquid est in caelo & in terra, ordinis. Quum ergo in summum gradum euehimus Dei voluntatem, ut sit omni ratione superior, absit ut eum quicquam nisi summa ratione velle imagine-*

Psal. 36.

*mur, sed simpliciter sentimus, eum iure suo tantum habere potestatis, ut solo eius nutu contentos esse nos oporteat. Nā si verè dictum est: Iudicia tua, abyssus multa: simul atque eò superbia prorumpit mens hominis, ut in simplici Dei beneplacito non acquiescat, cauendum est, ne tanta illā profunditas absorbeat. Nec sanè fieri aliter potest: atque haec plusquam iusta est*

De verbis  
Apost.  
1erimo. 20

*ultio. Quare nunquam memoria excidat illud Augustini: Quis Deus sit, & quis tu sis, attende. Ille Deus est, tu homo. Si iustitiā tibi loqui videris, an fons iustitiae siccatus est? Tu homo à me expectas responsum. Et ego sum homo. Itaque ambo audiamus dicentem: O homo, tu quis es? Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. Quare merita, non inuenies nisi poenam. O altitudo! Petrus negat, latro credit. O altitudo! Quæris tu rationem? Ego expauscam altitudinē. Tu ratiocināre, ego miror: ut dissuta, ego credam: altitudinem video, ad profundum non peruenio. Requirit Paulus, quia admirationem inuenit. Vocat ille inscruta*

De verbis  
Apost.  
1er. 11.

*tabula Dei iudicia: & tu scrutari venisti? Ille dicit, inuestigabiles esse eius vias: & tu vestigas? Cui simile est quod alio loco tradit: Disputare vis mecum? Imò mirare mecum & exclamat: O altitudo! Ambo in pauore sumus concordēs, ne in errore pereamus.*

Ioan. 8.

*Acutus sibi Pighius videtur, quum iudicia Dei profundam abyssum fore negat, si voluntas eius summa sit ratio: quia nihil facilius sit vel magis expectatum, quam fieri omnia, quoniam sic Deo placet, ubi dominatur sola eius voluntas. Atqui, sophisticè garrivendo, quod unum in quaestione vertitur, ridiculè præterit, quum liqueat sic fieri, quia Deo placet: cur illi potius ut placeat, quam secus. Pergit deinde ineptiendo: atque ut ostendat causam Deo esse in suis consilijs, responsum quod discipulis suis dedit Christus, adducit, hominem cæcum fuisse natum, ut opera Dei in illo manifestarentur. More suo Pighius umbratile certamen sibi fingit. An mihi portentum hoc unquam venit in mentem, nullā Deo consilij sui rationē cōstare? Dum ego Deū præsidem totius mundi statuo, qui incōprehensibili & mirifico consilio gubernet modereturque omnia: an illi fortuitò huc illuc raptari, vel cæca temeritate eum facere quod facit, quisquam ex verbis meis colliget? Imò paulò post verba mea citat, quibus satis, nisi fallor, dilucide refellitur: cum Deo semper in operibus quālibet arcanis proposito esse dico, ut nominis sui gloriā illustret: nisi quòd repugnantia colorē in eo lectoribus ostentat, quòd diuini beneplaciti rationē querendum nego: & simul tamen doceo quoniam illa sit. Quam frigida sint nugae istae, accuratius monstrare nihil attinet. Glorie suae rationē in factis suis omnibus habet Dominus. Nempe hic vniuersalis est finis. Excitauit, teste Paulo, Pharaonem, ut nomen suum in tota terra celebraret. An secum disidet Paulus, quum deinde exclamat, Inscrutabilia esse iudicia eius? Dicit, vasa irae à Domino destinata ad interitū, sustineri in multa patientia, ut potentiam suam in illis ostēdat: an huic sententiæ contraria est admiratio quae mox sequitur? O altitudo! Adde, quòd in Causae nomine fucū Pighius facit, causam finalem pro formali in medium afferens. Et si enim quorsum spectet Deus, nō est*

*obscurum,*

obscurum: non ideo tamen protinus apparet, cur ita fieri debeat. Hac autem presentis instituti summa est. Etiam si claris argumentis iustitiā nobis suā non probet Deus, statuendum tamen esse, quicquid ab eo fit, iuste fieri: ideo in sola eius voluntate quiescendum esse: ut quod illi placere intelligimus, cuius nos causa fugit, instar mille rationū sufficiat. Nimis ergo inepre cauillatur Pighius, diuinam me inconstantiam insimulat, quia rationē diuinæ voluntatis querendam esse negans, pronuntio tamen nihil eum velle, nisi quod expedire censeret. Nam hoc posterius, causa redditionem esse, quam nobis constare alibi nego. Atqui, qualis ista est causa notitia, si Deum consulto facere quod facit, audiamus, & quod ita expedire censeat: interim nos fugiat certa & specialis operis consilii que ratio? Ad hæc, quid inter fidei reuerentiā & iniqui edī audaciā intersit, pro nihilo ducens, quod credendum esse doceo, ad vulgare, quæ humanicus cōcipitur, noticiam præposterè rapit. Ergo simul atque affirmauerit quispiam, Optimū semper agēdi finē esse Deo: secum ipse dissentiet, si postea cum Paulo exclamet, Recōdita esse Dei iudicia, & vias eius incōprehensibiles. Quanquā in eo fallitur Pighius, quod mea ipsius verba agnoscere me iubet quæ ex Augustino retuleram. Vbi queritur, inquit sanctus ille vir, cur ita fecerit Deus, respōdendum est. Quia voluit. Quod si rogādo pergas, cur ita voluerit, maius aliquid quæris & sublimius Dei voluntate: quod inueniri non potest. Cōpescat igitur se humana temeritas: & quod non est, ne quærat: ne fortè quod est, non inueniat. Verè hoc Augustinus, cui subscripsi. Sed ab his verbis nihil disscernēti cōtinet superior illa sententia. Quod Dei voluntas, optima sit & æquissima omnium quæ statuit, moderatio.

Lib. 1. de  
genesi. cōt  
Manich.  
cap. 3.

Eiusdē est finis alia obiectio: Reprobos ab electis nego discerni vllō meriti proprii respectu: quia Dei gratia ad p̄tione dignos faciat, nō inueniat: ut sæpe loquitur Augustinus. Alibi nego iniuriam fieri reprobis, quia digni sunt qui pereant. Hic se expansis alis tumuli uo se iactat Pighius, quod neque me ipsum intelligam, neque meminerim quid à me prius dictū esset. Mihi verò in defensione multum verborum facere ad eò operepretium non videtur, ut paucis quoque attingere pigeat. Ut alios Deus alijs præferat, ut alijs præteritis alios eligat, non ex hominum dignitate, vel indignitate, pendet discrimen. Ergo falsum est, dignos æterno interitu reprobos esse. Ac si priore membro non fieret hominum comparatio inter se, & dignitas non referretur ad vitæ premium: in secundo autem membro non æqualis omnium conditio statueretur. Adde, quod Augustinus, quum alicubi scripsisset, Nemini unquā digno salutem d̄fuisse: in suis Retractationibus ita temperat, ut opera excludens, vocationi Dei gratuita dignitatē f̄rat acceptam. Sed instat adhuc Pighius, Dignos fieri interitu, non inueniri, siquidē verū est quod doceo, æterno Dei placito, cuius ratio non apparet, destinatos ad mortem esse qui pereunt. Respondeo, tria hīc esse consideranda: primò æternam Dei prædestinationem, quæ de toto genere humano, & de singulis hominibus quid futurum esset statuit, antequā cecidisset Adam, fixam & decretā fuisse: deinde, Adam ipsum, pro defectio- nis suæ merito, esse morti additū: postremò, in eius iam perditū & desperatū persona sic dā- natiū esse totam progeniē, ut Deus, quos inde gratuito eligit, adoptionis honore dignetur. Horum nihil vel somniaui, vel fabricaui. Neque hoc agitur in presentia, ut singulis probandū insistam: quod supra fecisse mihi videor. Tantum diluenda est Pighij calūnia, qui de me tamquam de cieis victo superbe triumphat, quasi hæc nullo modo cōciliari inter se queat. Cum de prædestinatione sermo habetur, inde exordidū esse cōstanter semper docui, atque hodie doceo, iure in morte relinqui omnes reprobos, qui in Adam mortui sunt, ac dānati: iure perire, qui natura sunt iræ filij: ita nemini causam esse, cur de nimio Dei rigore queratur: quādo reatū in se omnes inclusum gestat. Quod si ad primū hominē veniatur, illū, cum in- reger creatus foret, s̄p̄tē cecidisse: ac inde factū esse, ut sibi & suis exitiū propria culpa ac-

Lib. 2.  
cap. 31.

cesserit. Iam et si non nisi sciente atque ita ordinata Deo, cecidit Adam, sequere & posteros perdidit: minime tamen id vel ad leuandam eius culpam, vel ad Deum crimine implicandum facit. Semper enim hoc spectandum, quod rectitudine, quam à Deo acceperat, sponte se priuauit, sponte se peccato & Sathanæ addixit in seruitutem: sponte in exitium se precipitem dedit. Vna excusatio obtenditur: quod à Deo decretum erat, non potuisse effugere. Sed ad reatum satis superque voluntaria transgressio sufficit. Neque enim propria genuinaque peccati causa est, arcantum Dei consilium: sed aperta hominis voluntas. Merito apud veterem Poetam ridetur stulta Medæ querimonia: Vtinam ne in nemore Pelio cæsa securibus cecidissent abiegnæ ad terram trabes. Prodidit illa patriam, furioso aduenæ & ignoti hominis amore correpta. Quum sibi perfidiæ & barbaræ crudelitatis sit conscia: quum impudicitie flagitium eam cõstringat, ridiculè se ad occasiones procul remotas conuertit. Intus mali sui causam quum inueniat homo, quid circuire prodest, ut eam in cælo querat? Palam in eo apparet culpa, quod peccare voluerit. Cur in cæli adyta prorumpens, in labyrinthum se demergit? Quanguam ut per immensas ambages vagando, deludere se homines conentur, nunquam ita se obstupescient, quin sensum peccati in cordibus suis insculptum retineant. Hominem igitur, quem sua ipsius conscientia damnat, frustra absolvere tendit impietas. Quod autem Deus sciens ac volens hominem ipsum cadere passus est: occulta ratio esse potest, iniusta non potest. Hoc quidem absque controuersia tenendum: semper illi peccatum odio fuisse. Nam verè eloqui hoc quo ornatur à Dauide, in eum cõpetit: Quod Deus sit iniquitatè non volens. Quum potius in ordinando hominis lapsu finem habuit optimum & rectissimum, à quo abhorret peccati nomen. Quanguam sic ordinasse dico, ut eum propriè authorem fuisse non concedam. Ac ne longior sim, penitus quod Augustinus docet, impletum fuisse sentio: ut miro & ineffabili modo non fuerit præter eius voluntatem factum, quod etiam contra eius voluntatè factum est: quia non fieret, si non sineret. Nec utique nolens finit, sed volens. Negari enim quod illic principium sumit, nõ potest. Tam hominè quàm Angelos apostatus, quantum ad ipsos attinet, quod Deus noluit, fecisse: quantum verò ad Dei omnipotentiam, nullo modo efficere id valuisse. Ergo sancti viri sententiæ subscribo: sic peccando fecisse quod volebat Deus, ut per malã eorum voluntatè faceret Deus quod volebat. Si quis hoc mētis suæ captu superius esse excipiat: idè & de me fateor. Sed quid mirum, si modulū nostrū immensa & incõprehensibilis Dei maiestas exuperet? At qui, tantum abest, ut pro carnis ratione explicandum suscipiã sublime istud reconditumque arcantum, ut quod initio præfatus sum, assidue in memoriã redire velim, Desipere qui plus scire appetunt, quàm Deus reuelauerit. Quare nos potius docta ignorantia delectet, quàm intemperans & ebria sciendi plusquã Deus permittit, curiositas: sub hac tantum reuerentia se omnes sensus animi contineant, nihil Deum in hominis peccato voluisse, nisi quod sua iustitia dignum erat.

Prosequitur Pighius, Si Dei opus est, hominis apostasia: falsum esse quod Scriptura tradit, Omnia quæ fecit Deus, bona esse. Atqui, & sanctè restari, & ingenuè profiteri possum, mihi cõmentum istud nunquã venisse in mentè. Naturã hominis ideo rectã primò conditã fuisse ubique assero, ne prauitas, quã sibi defectione cõtraxit, Deo possit adscribi: mortè cui se mactauit, qui antè cõpos vitæ erat, sic profectã esse ab eius culpa, ne Deus author cõfiteatur. Si vnquã diuini Spiritus instinctu factum esse dixisset, ut se à Deo primus homo alienaret: ac nõ potius ubique contenderè, diaboli instigatione, & proprio cordis sui motu impulsus, merito fortè insultaret mihi Pighius: nunc autè quum à Deo propinquã actionis causam remoues, simul omnè ab eo culpã remoueã, ut solus homo reatum subeat: calumniosè & improbè dictum istud in me torquet. Hominis defectionè vnũ esse ex Dei operibus. Quomodo autè

Dei

psal. 5.

Enchirid  
ad Laur.  
cap. 99.

Dei praescientia & decreto statutū fuerit, quod de homine futurū erat: neque tamen in culpa societate trahendus sit Deus, quasi transgressionis vel author sit, vel approbator, cum longē altius humanae mentis perspicacia esse arcanum palam sit, ne ignorantiam nostrā fateri pudeat. Imo, ne quem ex fidelibus nescire pigeat, quod Dominus lucis suae inaccessē fulgore absorbet. Primum, nihil alijs, nisi ex animi mei sensu, praescribo. Testis enim mihi erit Dominus, cui conscientia mea subscribet, sic me stupenda haec ipsius iudicia quotidie meditari, ut nulla me plus aliquid sciendi curiositas sollicitet: nulla mihi de incomparabili eius iustitia obrepat sinistra suspitio: nulla me obmurmurandi libido prorsus titillet. Denique, in hac Augustini sententia nō minus tranquille quā libenter acquiesco: Deum, qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura praesciuit, & sciuit magis ad suā omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiā de malis benefacere, quā mala esse non sinere: sic ordinasse Angelorum & hominū vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset liberum eorū arbitrium, deinde quid posset gratiae suae beneficium, iustitiaeque iudiciū. Adhuc, ut de affectu meo taceam: si quibus ita pruruit aures, ut nihil sibi ex Dei mysterijs clausum obiectumque esse velint: bis vesanus erit magister, qui talibus discipulis satisfacere tētabit. Potius trepidi audiamus, quid Dauidi aciderit, cum in visitata Dei iudicia, quae in externo corporū & praesentis vitae statu apparent, plus a quo inquireret: Factus sum, inquit, apud te similis iumento. Non potuit tantus Propheta in rebus minus obscuris & recōditis ultra fas sapere, quin bruta pecudis instar obstupesceret: nos verō praeposterā mentis nostrae lasciuiae in excutiendo consilio Dei omnium profundissimo impune indulgebimus? Postquā Paulus Deū ex perdita massa eligere & reprobare quos illi visum est, docuit: quare & quomodo id fiat aded non expedit, ut potius expauescens, in clamorem illum erūpat: O altitudo! Et nos eius altitudinis reuerentia non percussi, penitus scrutari audebimus, quomodo in persona Adae totius generis humanū excidere passus fuerit? Dixi iam supra, lapsus Adae vtile posteris fuisse humilitatis rudimētū: ut se a vitae recuperandā nihil esse nec posse discat, in qua ille integer non stetit. Vna tamē est ritē sapiēdi regula, si se mens hominis illi admirationis freno cōpescat.

Ceterū, quae questionem hanc nō ideo tantūm parcius attingere cōuenit, quod abstrusa est, ac in penitiorē sanctuarij Dei adyto recondita: sed quia otiosa curiositas alēda non est, cuius illa nimis alta speculatio alumna est simul ac nutrix. Quāquā interim quae Augustinus libro de genesi ad literam undecimo differit, cum ad Dei timorē & reuerentiā omnia tēperet, minime improbo. Altera autē pars, quod ex dānata Adae sobole, Deus quos visum est, eligit, quos vult, reprobat, sicuti ad fidem exercendā longē aptior est, ita maiore fructu tractatur. In hac igitur doctrina, quae humanae naturae & corruptionē, & reatū in se continet, libentius insisto: sicuti non solum ad pietatem propius conducit, sed magis mihi videtur theologica. Meminerimus tamē, in ea quoque sobriē modēstēque philosophandū: ne ulterius progredi tentemus, quā Dominus nos verbo suo deducit. Quā dulces sint argutiarum illecebrae, plus satis notū est: quō maior adhibenda est cautio, ut sensus omnes nostros sibi deuinctos habeat fidei simplicitas. Quōd Deus arcano Spiritus afflatu ad se homines trahat, vel quotidianae preces nostrae testes sunt: nam cum pro persecutoribus oramus, quid petimus aliud, quā ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus cōsentientes, ex oppugnantibus amantes? Atqui, palam constat, non omnibus indifferenter hoc dari, ut centies exitium meritos Deus repente vita dignetur. Quomodo hāc gratiam dispēset, inquit Augustinus, alios secundum meritum faciens vasa irae, secundū gratiā alios vasa misericordiae: quis cognouit sensum Domini? Quantūuis tamen mundi vel si perbia, vel proteruia calcivret: minime ferendū est, ut deterior sit Dei quā mortalis hominis cōditio. Cui autē credi-

De cor-  
rep. &  
gratia,  
cap. 10.

psal. 73.

Rom. 11.

A cap. 4.  
vtique  
au 8.

Lib. ad  
Bonita. 6.  
cap. 10.

De praed  
& gratia.  
cap. 2.

tori non conceditur ab uno exigere, quod alteri remittit? *Quae similitudo non abs re toties ab Augustino reperitur. Fieri quidem vix potest, quin primo statim momento turbetur mens hominis, cum gratiam Dei negari quantumvis indignis audit, quae perinde indignis datur. Sed meminimus, postquam damnati sunt ex aequo omnes, minime fas vel aequum esse, Deo legem imponi, quin misereatur cuius voluerit. Sed verè Augustinus contendit, Humanam iustitiam modo metiendam non esse diuinam. Caterum, ubi omnia dicta fuerint: sit haec omnium disputationum clausula, ut cum Paulo ad tantam profunditatem expauescamus. Si obstrepant petulantibus linguae: ne identid exclaimare cum eodem Apostolo vel pudeat, vel pigeat: O homo, tu quis es qui litiges cum Deo?*

Ceterum, etsi absurda quae hincinde congerunt huius doctrinae aduersarii, ut eam calumniose infamant, in mea Institutione dilucide non minus quam succincte refutasse: & simul prauis figmentis, quibus se imperiti deludunt atque implicant, obuiasse mihi videor: quia tamen Pighio responsiones meas arrudere libuit, eius virulentiam iterum diluere non graue labor. Querunt praeposteri homines, Quomodo de salute sua, quae in arcano Dei consilio laeret, certi esse poterunt. Respondi quod verum erat, Cum nobis in Christo proposita sit salutis certitudo, perperam, nec sine Christi ipsius iniuria facere, qui praeterito hoc vitae fonte, ex quo haurire promptum erat, ex reconditis Dei abyssus vitam eruere moluntur. Tradit quidem Paulus, nos ante mundi creationem electos esse: sed in Christo. Ne quis ergo aliunde electionis suae fiduciam petat, nisi librum vitae, in quo scriptus est, delere velit. Non alius est adoptionis finis, quam ut censeamur inter Dei filios. Atqui, Scriptura quicumque in Filium Dei unigenitum credunt, Dei filios & heredes esse pronuntiat. Christus ergo aeterna & abscondita Dei electionis tum luculentum nobis speculum est, tum arra quoque & pignus. Fide autem, quam Deus in hoc speculo nobis repraesentat, vitam contemplamur, fide, pignus hoc arramque amplectimur. Et vnde probamus, gratiud electos esse ex hominibus aliquos, nisi quia Spiritu suo Deus quis vult, illuminat, ut fide inserantur in Christi corpus? Fidei quidem nostra origo & causa est diuina electio: sed quia inuisibilis est Deus, lucemque habitat inaccessam, & neminem consiliarium admittit, praeter unigenitum, qui semper fuit in eius sinu, tenere mentem Christi oportet, ac fide illuminari, ut nobis pateat, quae in corde Dei prius latuit, adoptio. Si quis malit crassus: Prior quidem fide est electio, sed ex fide discitur. Quae breuiter hic delibo, suffus in mea Institutione explicata reperient lectores. Itaque Christus aeternam suorum in Patris consilio electionem commendans: simul ubi turo recubant eorum fiducia, ostendit. Manifestauit, inquit, nomen tuum hominibus quos dedisti mihi. Tui erant: & mihi eos dedisti, & sermone tuum seruarunt. Videmus, ut a seipso incipiat Deus, cum nos eligere dignatur: sed nos à Christo incipere velit, ut nos sciamus in sacro illo peculio censeari. Nam ideo nos dare Filio suo dicitur, ut se quisque tunc demum caelestis regni heredem esse sciat, dum ad Christum pertinet, extra quem undique mors & exitium nos obsident. Ideo manifestare nobis Christus, Patris nomen dicitur, quia electionis nostrae scientiam, Euangelii sui voce testatam, Spiritum quoque suo in cordibus nostris obsignat. Si Pighio creditur, in soluendo hoc nodo inexplicabili ita sudor, laboro, omnia verito, confundo & traßfundo in omnia, ut clarissime pateat, propria conscientia me cõstringi. Atqui, ut facillimum illi fuit, suam istam loquacitatem absque sudore profundere, ita fieri potest, ut vino lene madidus, quae illi in buccâ venerunt cõuitia, temerè nulloque pudore vomuerit. Si fixa & inevitabilis salutis causa est, Dei praedestinatio: omnem excuti nobis fiduciam contendit. Ut verbum non addam: cum docet Paulus, nos fide participes esse factos diuinae adoptionis, sicuti ante mundum conditum electi fuimus: quid, obsecro, in huius doctrinae contextu inextricabile est vel perplexum? Quum eos qui prius electi

electi fuerunt, docet secundum propositū vocari, ritē, nisi fallor, cum fixo diuinæ electionis decreto fidei nostræ certitudinem conciliat.

Ratiocinatur Pighius: Si in libro vitæ scripti sunt, quicumque sunt Christi membra, ebriosos ergo, adulteros, fures, periuros & homicidas regno Dei contra manifestam Apostoli sententiam potituros: quando tales multi Christo per baptismum sunt inserti, eumque induerunt. Primū monendi sunt mihi lectores, ut animum paulisper ad effrænem istam, in qua lasciuir Pighius, Scripturæ profanationem aduertant: deinde ut in ea vlciscenda expendant iustum Dei iudicium, quod se palam exerit. Totam Scripturam pedibus calcare, modo fucum lectoribus faciat, pro nihilo ducit Pighius. Modo se imperitis venditet, susque de que habet prima quæque pietatis rudimenta conuelleret. Interea Dominus eum mente priuatum puerus quoque videndum prostituit. Sicuti literæ & spiritus circumcisio à Paulo staturitur: ita & de baptismo sentiendum est: quosdam literale duntaxat symbolum in corpore gestare, qui re ipsa procul absunt. Nam & Petrus, vbi docuit, baptismo nos salutem consequi, mox quasi addita correctione, pronuntiat, Non sufficere nudam & externam carnis abluitionem, nisi & bonæ conscientiæ responsio accedat. Quare Scriptura, cum de Sacramentis differit, bifariam loqui solet. Si cum hypocritis agit, qui inani figura gloriantes rem ipsam negligunt: ut futilem eorum confidentiam prosternat, ex peruerso eorum sensu veritatem à signis separat. In hunc modum Paulus, nihil profuisse veteri populo admonet, quod in maris transitu baptizatus fuerit, quod eandem nobiscum escam spiritualem comederit in deserto (ei sdem scilicet donorum spiritualium symbolum nobiscum participasse intelligens.) Verum, vbi apud fideles habetur sermo, vsus Sacramentorum ut legitimus, ita efficax describitur: qui diuinæ scilicet institutioni res pōdeat. Quod pertinet istæ sententiæ: Induisse Christum, Infitos in eius corpus, & Illi consepultos, qui in eius nomen baptizati sunt. Inde colligit Pighius, quicumque visibili aque elemento aspersi fuerint, verè spiritu regeneritos, & in Christi corpus coaluisse, ut Deo eiusque iustitiæ viuāt. Nec eum pudet, cōplures talibus nanijs paginas implere, cum generaliter omnia Christi mēbra nomen, sub eo sermone cōprehendi quicumque externo baptismo tincti sunt. Paulo post tamen quasi retracta alarū expāsiōne, subiicit, Multos à Christo deficere, qui verè in eius corpus infiti fuerant: nam quos à Patre sibi creditos in fidem custodiāque suā recipit, ita fingit ab eo seruari, ut à libero suo arbitrio suspensam habeant suam salutem. Multis, inquit, tutelæ Christi gratia non deest: sed ipsi sibi desunt. Certè, ut nunquam poterit satis seuerè hominum socordia & ingratiudo coargui, qui se Dei auxilio subducunt: ita minimè tolerabilis est in Christum contumelia, electos dicere ab eo seruari, si modò se ipsi tueantur: ut ambiguum sit Christi presidium, quod Diabolo & omnibus inferorum machinis inexpugnabile fore affirmat. Daturum se vitam æternam promittit omnibus qui sibi dati sunt à Patre. Fidem se custodē omnium fuisse testatur, ut nemo perierit, nisi filius perditionis. Alibi etiam in sua manu electos esse docet, è qua nemo eos rapere poterit: quia Deus toto mundo sit potentior. Si omnibus electis certa est vita æterna: si excidere nemo potest: si nulla violentia, nullo impetu quisquam rapitur: si inuicta Dei potentia nititur eorum salus: qua fronte Pighius fixam istam certitudinem conuelleret? Quauis non eijciat Christus, inquit, multi tamen discedunt: & qui filij Dei fuerunt ad tempus, non permanent. Malus & peruersus est interpretes Pighius, qui non agnoscit Christi manu retineri, quicquid illi à Patre datum est, ut saluum in finem vsque maneat: nam quotquot defluunt, eos Ioannes ex grege esse negat. Qui exierunt à nobis, non erant ex nobis: nam si fuissent, ex nobis utique mansuri erant nobiscum: se & ut manifesti fierent, quod non sint omnes ex nobis.

Rnm. 2.

1 pet. 3.

1. Cor. 10.

1. Cor. 12.

Rom. 6.

Col. 2.

In fine  
lib. 7.

Ioan. 17.

Ioan. 10.

1. Ioan. 2.

Ergo frustra, inquit, opponitur conditio: ut qui saluus esse cupit, in finem usque perseueret. Hic verò eum prauaricari dicas: nam cum probandum suscepit, Nō stare cum electione, salutis fiduciam: eò nos ratiocinandò deducit, ut h. inc. necessariò in illa funditam esse oporteat. V. ideo me assidue fluctuari: nullum momentum præterit, quo non obruendus videar. At, quia electos suos Deus sustinet, ne unquam mergantur, statarum me inter innumeras procellas certò confido. Vnde me electum esse cognoscam, si Pighius rogat: Christus mihi promille testimonijs sufficit: nam ubi nos in corpore eius reperimus, in secura tranquillaque statione salus nostra tanquã locata iam in cœlis, quiescit. Si excipit, Non posse ex presenti gratia æternam Dei electionem æstimari: non obijciam contrà, quæ fideles experientie sensum habent: quia panem quo pascuntur filij Dei, extraneis gustare datū nō est. Sed quod garrire audeat, nusquam id in Scriptura haberi. Hoc verò quàm crassum sit mendacium, probatum non est difficile. Postquam enim docuit Paulus, qui electi fuerant, vocari & iustificari, nec ad beatam immortalitatem perueniant, quasi vndique firmo præsidio munitus increpide exultat, Quis stabit aduersus electos Dei? &c. Ac ne quis vniuersalè esse doctrinam cauilletur: in peculiarem cuiusque sum accommodat. Certò persuasus sum, inquit, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque instàtia, neque futura, nos à Dei charitate separabunt, quæ est in Christo. Certè salutis æternæ fiduciam, quam singulis momentis abrūpi vult Pighius, in futurum tēpus, adeoque vltra presentis vitæ metam Paulus extendit, & eã non aliunde manare demonstrat, quàm ex Dei electione, quã sic illi aduersam fingit Pighius, ut mutuo se conflictu eueriant. Quid ergo sibi vult Ezechiel, cum iusto exitium denuntiat: si à recta via se auerterit? Nēpe, reprobus multa interdū esse cū filijs Dei similia, non negamus: sed quocūque iustitiæ splendore fulgeat, nunquã donari Spiritu adoptionis certum est, ut Deum verè patrē innocet. Nullos enim Spiritu illo gubernari testis est Paulus, nisi Dei filios, quos simul pronuntiat vitæ æternæ hæredes. Alioquin nō staret quòd alibi tradit, Nos si intus è cœlo habere, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, atque ideo nos tenere Christi mentē. Frustra etiam Spiritū quo obfigurati sunt fideles, arrã vocaret futura redemptionis. Ceterum, ut perseuerantix fidem stabiliat ritè cognita Dei electio, vel vna illi Christi precatio ad probationem sufficere debet, quæ electos omnes Patri committat, nominatim eos à mundo separans, ut hoc pereunt: s. sui & intacti maneant.

Sequitur alia obiectio apud Pighium: Non frustra hortatur fideles Paulus, ne in vacuū receperint Dei gratiã: nec frustra Christus vigilandū & orandū esse admonet. Atqui, si tenemus, quantum inter supinã carnis securitatem, & tranquillum, qui ex fide nascitur, mentis statū intersit, nox solutus erit nodus. Fideles de salute sua certos esse oportet. An ut sopiti iaceant? an ut se proyiciant ad socordē ignauitã? Imo potius ut quietū cum Deo silentium colentes, precibus simul inuigilent. Hortatur eos Paulus, ut salutē suam operetur cum timore & tremore. An ut de successu anxij trepidet? Minimè: sed ut sub Dei alis absconditi, assidue se illi cōmendant, sicque toti pendeant ab ipso vno, ut eius præsidio freti, non dubitent se in finē usque fore victores. Causam enim subiicit, cur sollicitos esse deceat: Quia Deus est, qui pro suo beneplacito operatur & velle in illis & perficere. Porro, ne suspensū hesita e et, iam antè omnē illis dubitationem exemerat: Qui coepit in vobis opus bonū, usque in diem Christi perficiet. Nusquam ergo ad precandi curã & studiū nos Spiritus Dei hortatur, quasi dubio in statu fluctuaretur salus nostra, quæ in Dei manu sita est: nusquam nobis timorem inicit, qui fiduciam in gratuito Dei amore funditam excutiat: sed ut talibus stimulis pungendo carnis nostræ pigritiam corrigat. Atque in eum finem callidiosè detorquet Pighius Apostoli verba ex vndecimo ad Romanos capite. Per incredulitatē defracti sunt natura



tuui oleæ rami: tu verò fide constitisti. Ne efferearis animo, sed timeas: nam si Deus naturalibus ramis non pepercit: vide ne quasi fiat, ut nec tibi parcat. Ecce igitur bonitas Dei & seueritas: in eos qui ceciderunt, seueritas: in te autem bonitas, siquidem permāseris in bonitate. Postquam de duplici gentis suæ electione differuit, & multorum defectione ostendit factum esse, ut qui prius legitimi & proprii erant vitæ hæredes, propter sancitum cum Patribus fœdus, nunc abdicati sunt à Deo, & facti ab eius regno extorres: tandem ad Gentes se cōuertit, ne superbe Iudæis insultent, quia in eorum locum successerint. Notandum autem, quòd sicuti vniuersalis illa populi reiectio non labefactauit fixam Dei electionem, quin reliquias aliquas seruariet: ita vniuersalis Gentium electio, non complexa est singulos ex Gentibus, ut omnes vitæ consortes fierent. Duplicem in Iudæis Dei electionem Paulus illic commemorat. Electum enim quodammodo fuerat totum Abrahamæ genus. Sed cum occulto Dei iudicio plerique non essent ad vitam ordinati: pereunte maiori numero, electio in reliquijs consequitur. Nunc trās-lato ad Gentes vitæ fœdere, communis illa generis Abrahamæ adoptio ad nos pertinet. Ceterum, id non obstat quominus arcano Dei beneplacito pauci ad eam fruendam destinati sint. Paulus ergo, dum Gentes ex opposito conferens cum Iudæis, steriles oleastro ex cæcis naturalibus ramis, in sanctam radicem insitos esse dicit: neque priuatim de singulis, neque simpliciter de arcana Dei electione trās-lat: sed quanta fuerit rerum facta conuersio, docet, dum reiectis filiis, in eorum locum subrogati sunt extranei. Itaque tota illa Pauli exhortatio, nō tam ad fideles dirigitur, qui verè & ex animo gratiā amplexerant, quàm ad Gentium corpus, quod ex varijs mēbris permixtum erat. Et tamen nihil absurdi est, si con-pescat Deus in filiis suis carnis insolentiam: cum hoc vitio omnes laborent. Ridiculè tamen inde colligit Pighius, ab hominum perseuerantia suspensam esse diuinæ electionis constantiam: quia in generali quoque omnium defectione, necesse est ut illa nihilominus obtineat.

Quòd autem impij, Dei iudicium alio colore suggillat: quia frustra iustitiæ & sanctitati studeant reprobi, quos tandē perire necesse est: calumnia hæc ut ex crassa inscitia nascitur, breui responsò à me discussa fuerat: Nullum scilicet bene agendi studium inesse hominibus, quod non ex electione prodeat: reprobos verò, ut sunt vasa in contumeliam formata, prouocãde in se Dei ultioni nullū finem facere: & euidentius signis monstrare exitio se esse deuotos. Pighio hic omnium absurditatum cumulus est, ut nihil in tota disputatione æquè prodigiosum reperiat. At qui, vel vno hoc argumento abundè probat, rabiosa maledicendæ libidine ita se transuersum rapi, ut sine vlla occasione sua conuitia ebulliat. Nullos Dei Spiritu nisi electos gubernari Scriptura docet. Qualis in homine absque Spiritu sancti ductu rectitudo esse poterit? Manifesta, inquit Paulus, sunt opera carnis. Et alibi, omnes carnis cogitationes Deo inimicas esse pronuntiat. Quid igitur absurdi, si peccato mancipatos esse dico, qui Spiritu Dei non regeneriti, carnis suæ arbitrio ferantur? Quos Deus elegit, iustificat. Quid mirum si reprobi, Dei iustitia vacui, nihil quàm peccare nouerint? Elegit Deus suos, ut sancti sint ac irreprehensibiles. Si gratuita electionis fructus est sanctitas: quis alios in profanis sordibus demersos manere neget? Vocem suã audire negat Christus, quicumque non sunt ex ouibus suis. Rursus, ex diabolo esse pronuntiat, qui vocẽ Patris in ore suo resonantem audire nō sustinent. Ut reprobos ostendat Pighius bonis operibus studere: gratam esse Deo contumaciam ostendat, necesse est. Obiicit cōtrà Pighius, Saul multis virtutibus excelluisse: imo placuisse Deo. Virtutes, quæ in reprobis fulgent, suapte natura laudabiles esse fateor: idque sibi vult Scriptura, cum Saulem & alios eiusdem ordinis refert fecisse quod rectum est: sed quia cordis fontem, vnde fluunt opera, Deus respicit: nihil obstat quominus opus, quod alioquin in se laudatur, ob vitium quod intus latet, sit abominationi apud Deum. Rudimentum scilicet illud pie-

Rom. 8.  
Galat. 5.Rom. 8.  
Ephe. 1.Ioan. 5.  
& 10.

tatis ignotum fuit Pighio: Nihil tam esse purum, quod non inquinet hominis immundities. Ergo non mirum est, si ab externa larua, Saulis opera aestimans, innocentiam eius probitate[m]que commendet. Quod semel eum Deo placuisse cõtendit, distinguo. Sic enim dignatus est eum honore regio, ut in Scriptura domus Israel nunquam eum cõsuerit: quemadmodum Ezechiel loquitur. An quia ad manus Apostolicum electus fuit Iudas, ideo à Deo in filiis suis habitum esse colligeri? Ceterum, malignè, quod à me dictum est, calumniatur Pighius: quasi de singulis vitæ actionibus seorsum loquutus sim, ac non potius de continuo vitæ cursu. Porro, totam Scripturam labefactari oportet, nisi quicquid esse in homine iustitiæ & boni potest, à Spiritu sanctificationis, qui solis filiis datur, manare concedimus.

Ezech. 13.

Cap. 14.

In persequendis ceteris cauillus non est quod plus operæ sumam. Tritum illud est, Irritam fore doctrinam, vanas & nihili exhortationes, si ab electione Dei pendeat obsequendi vis & facultas. Item aliud non absimile, Fieri non posse quin se ignavia dedant homines, cum in æternum Dei consilium recumbere docentur. Responsiones à me adductas quibus solet committis ita Pighius exagitat, ut maneant ab ipso intactæ. Ceterum, si quibus plus æquo morosis nondum satisfactum sit: & plus fortè apud ipsos ponderis habeat Augustinus: idem quod iam tradidi, eius verbis & repetam, & confirmabo. Verba eius sunt in libro cui titulum fecit De bono perseverantiæ. Prædestinationis doctrinam aivat prædicationi aduersam esse, ne qui proficit. Quasi verò aduersa sit Apostolo prædicanti. Nõne ille doctor Gentium prædestinationem toties commendauit, & verbum Dei prædicare non desistit? Nunquid, quia dixit: Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere: ideo non & ipse ut velimus, quæ Deo placent, & ut operemur, hortatus est? An quia dixerat: Qui cepit in vobis opus boni, perficiet: ideo ut inciperent homines & perseverarēt vsque in finem, non suafuit? Nõne, ipse Dominus præcepit hominibus ut in se crederēt. Neque tamen falsa eius sententia est, nec vana definitio, ubi sit: Nemo venit ad me, hoc est, nemo credit in me, nisi cui datum fuerit à Patre meo. Neque rursus, qui vera est hæc definitio, vana est illa præceptio. Cur ergo prædicationi, exhortationi, correctioni, quæ omnia tam frequenter vsurpat Scriptura, dicentis inutile esse prædestinationis doctrinam, quæ commendat eadē Scriptura? Paulò post: Audiunt hæc, & faciunt quibus datum est. Non autē faciunt, siue audiunt, siue nõ audiunt, quibus nõ est datum. Nec prædestinationis igitur prædicatione impedienda est prædicationis fidei perseverantis & proficiētis: ut quod oportet, audiāt: & quibus datum est, obediāt. Quomodo enim audiēt absq; prædicatōe? Nec rursus prædicatione fidei proficiētis, & in finem vsq; perseverantis impedienda est prædicationis prædestinationis: ut qui fideliter & obediēter viuunt, nõ de ipsa obediētia tanquā de sur, sed in Domino glorientur. Itē, sicut is qui donum accepit, rectè exhortatur & prædicatur: ita exhortantē & prædicantē obediēter audit, qui accepit hoc donum. Ideo Dominus, Qui habet aures audiēdi audiat. A quo autē habeant, quicūque habent, Dominus ipse ostendit, Dabo vobis cor ad cognoscendum me: & aures quæ audiant. Ergo aures audiēdi, ipsum est donum obediēdi: quæ qui prædici sunt, veniunt ad Christum. Exhortamur ergo atque prædicamus: sed qui habent aures audiēdi, obediēter nos audiunt: qui verò non habent, fit in eis quod scriptum est, Ut audientes non audiant, audientes corporis sensu, non audiunt cordis assensu. Cur autem illi habeant, illi non: hoc est, cur illis datum sit à Patre, ut veniant ad Filium, illis non sit datum, quis cognouit sensum Domini? Nunquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendere non potest quod occultum est?

Eiusdem  
lib. cap. 15

Quam autem preposteram sit eorum cautio, qui absurditatis vllius metu doctrinam cognitiuam necessariam vel supprimunt, vel obscurant, deinde exequitur. Nūquid si hoc audito nõnulli in corpore se gant: itēque vertantur, & à labore proclines ad libidinem post concupiscentias

scientias eant: propterea de praescientia Dei falsum putandum est, quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos fore praesciuit, boni erunt, in quantalibet nunc malitia versentur? Et si malos fore praesciuit, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Nunquid ergo propter huiusmodi causas, quae de praescientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda? tunc scilicet, quando si non dicantur, in alios itur errores? Alia, inquit, ratio est verum tacendi, alia verum dicendi necessitas. Causas verum tacendi longum esset omnes quæere: quarum tamen est hæc Cap. 16. una, Ne peiores fiant qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt, facere doctiores: qui nobis tale aliquid dicentibus, doctiores quidem non fiunt, sed nec red duntur peiores. Quum autem res vera ita se habet, vt fiat peior nobis eam dicentibus, qui capere non potest, nobis autem tacentibus, ille qui potest: quid putamus faciendum? Nonne potius est dicendum verum, vt qui potest capere, capiat: quam tacendum, vt non solum id ambo non capiant, verum etiam qui est intelligentior, ille sit peior: qui si audiret & caperet, per eum etiam plures discerent. Et nos dicere nolumus, quod teste Scriptura dicere licebat. Timemus enim videlicet, ne loquentibus nobis offendatur qui capere non potest: non autem timemus, ne tacentibus nobis, qui veritatem potest capere, falsitate capiatur. Quam sententiam breuius tandem perstringens, clarius etiam confirmat. Quamobrem, si Apostoli, & Eiusdem lib. c. 20. qui eos sequuti sunt Ecclesiae Doctores, vtrunque fecerunt, vt de æterna Dei electione pie differerent, & sub pia vitæ disciplina continerent fideles: quid est quod inuicta conclusi violentia veritatis, isti nostri se rectè dicere existimant: Non esse populo prædicandum, etsi verum sit, quod de prædestinatione dicitur? Imo, prædicandum est prorsus: vt qui habet aures audiendi, audiat. Quis autem habet, si non accepit ab eo, qui se daturum promittit? Certè qui non accipit, rejiciat: dum tamen qui capit, sumat & bibat: bibat & viuat. Sicut enim prædicanda est pietas, vt ritè colatur Deus: ita & prædestinatio, vt qui habet aures audiendi, de gratia Dei, in Deo, non in se gloriatur.

Et tamen, vt singulare adificationis studium sancto viro fuit: sic docendi veri rationem temperat, vt prudenter caueatur, quo ad licet, offensio. Nam quæ verè Eiusdem lib. c. 22. dicuntur, congruenter simul posse dici admonet. Si quis ita plebem compellet: Si non creditis, ideo fit, quia iam diuinitus exitio destinati estis: is non modò ignauiam fouet, sed etiam indulget malitiæ. Si quis in futurum quoque tempus sententiam extendat, quod non sint credituri qui audiunt, quia reprobati sunt: imprecatio erit magis quam doctrina. Tales itaque Augustinus non immeritò tanquam vel insul- De Cor. & gratia ad Valen. cap. 5. sos doctores, vel sinistros & ominosos prophetas ab Ecclesia iubet faceffere. Tendendum quidem verè alibi contendit, quod tunc correptione proficit homo, quum miseretur atque adiuvat, qui facit quos voluerit, etiam sine correptione, proficere. Sed quare isti sic, illi aliter: absit, vt dicamus, Iudicium lutæ esse, non figuli. Item postea: Quum homines per correptionem in viam iustitiæ seu veniunt, Cap. 14. seu reuertuntur: quis operatur in cordibus eorum salutè, nisi ille qui quolibet plantante & rigante dat incrementum? cui volenti saluum facere, nullum hominis resistit liberum arbitrium. Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo & in terra quæcumque voluit fecit, & qui etiam quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult: quandoquidem de ipsis hominum voluntatibus, quod vult facit. Item, Quum vult adducere homines,

nunquid corporalibus vinculis alligat? Intus agit, intus corda tenet, intus corda mouet: eósq̄ue voluntatibus eorum, quas in illis operatus est, trahit. Sed quod con-  
 Cap. 15. tinuò subiicit, minimè omitti debet: Quia nescimus quis ad prædestinatorum nu-  
 merum pertineat, vel non pertineat, sic nos affici decere, vt omnes velimus saluos fieri. Ita fiet, vt quisquis nobis occurreret, eum studeamus facere pacis consortem. Sed pax nostra super filios pacis requiescet. Ergo, quantum ad nos pertinet, omni-  
 Cap. 16. bus ne pereant, vel ne alios perdant, salubris & seuera instar medicinæ adhiben-  
 da erit correptio: Dei autem erit illis vtilem facere, quos præsciuit & prædesti-  
 nauit. Hæc si vera sunt: quando primarium ex sanctis Patribus habent testem, ne in odium Caluini ab indoctis vel malè affectis respuantur. Vtinam verò in-  
 sipidi isti moderatores, qui in sobrietate nimis aquosa multum sibi placent, sal-  
 tem reputarent, quantum Augustino cedunt rerum sacrarum scientia, mode-  
 stia quoque illum esse superiorem, ne morosam suam timiditatem nobis pro mode-  
 stia venditarent.

Vt tandem cum Pighio transigam: de tribus summatim monendi sunt mihi  
 lectores: quicquid absurditatum ad grauandam meam doctrinam congerit, non tam  
 in me quàm in Deum ipsum torqueri: deinde, Scripturæ locos qui pro me apertè  
 faciunt, vt mihi extorqueat, tam inscitè nugari, vt satis appareat, non posse su-  
 stineri causam illam, nisi corrupta eueris, & que Scriptura: postremò, in tantum im-  
 pudentiæ prorumpere, vt Augustinum sibi accersere suffragatorem non dubitet. Si  
 quos in exitium Deus condidit, indignus est qui ametur. Qui antequam nati es-  
 sent, vita æterna priuati sunt, misericordia quàm supplicio digniores. Si mea es-  
 sent, quæ labefactare conatur, mortalem hominem impeteret: nunc quum talibus  
 probris palam insultet Deo: me cum Paulo centies repetere non pudebit: O homo,  
 tu quis es, qui cum fictore tuo litiges? Sentit iam miser, & sentient olim omnes e-  
 ius similes, quæ ex ore impuro & sacrilego probra in Deum vibrant, suo impetu  
 fracta concidere, in tequam ad cælum pertingant: nec demum restare aliud, nisi vt  
 recidant in eorum capita. Fœdissimæ in adulteranda Scriptura delirationis vnum  
 esto specimen, nonum ad Rom. cap. qualiter ab eo partim miscetur, partim discer-  
 pitur. In initio, ne in soluendo nodo Gordiano nimium laboret: vno verbo abrum-  
 pit: Electum esse à Deo Israellem, sed non omnes esse Israelitas, quia patrem suum  
 non referunt, qui à videndo cognominatus est. Vnde constituit, non esse ratam e-  
 lectionem, nisi in ijs qui oculos aperiunt. Atqui, bonus perspicaciæ magister in  
 Israelis nomine ridiculè cæcutit, dum ex robore facit acumen. Interea non cogi-  
 tat peculiari gratia factum esse diuinitus Israellem, qui in vtero matris iam ele-  
 ctus fuerat: nec alios videndo Deo esse idoneos, nisi quorum mentes illuminat: lu-  
 ce autem Spiritus sui dignari, quos sibi in filios, quum adhuc ceci essent adopta-  
 uit. Postea, quasi elapsus, ultra metas vagatur & saltat, Misericordiam Dei ne-  
 mini deesse, quando omnes vult saluos fieri, quando stat & pulsat ad cordis nostri  
 ostium, cupiens ingredi. Itaque, ante mundi creationē electos, à quibus se receptum  
 iri præuidit: neminem verò indurare, nisi tolerantiâ: qualiter patres nimium faciles  
 dicuntur indulgentia sua filios perdere. Quasi verò talibus nanij eludere prom-  
 ptum sit, quæ Paulus tam disertè in contrariam partem affirmat: & quasi lectoribus  
 nihil significet, Ex duobus gemellis, quum adhuc in vtero sunt inclusi, alterum e-  
 ligi, alterum reijci, nullo operum respectu, sed mero Dei vocantis ben:placito:

Non

Non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui indurat quem vult, & misericordia quem vult, prosequitur: Deum ostēdere potentiam suam in vasis iræ, vt in vasis misericordiae notas faciat gratiae suae diuitias: Secundum gratuitam ele- Rom. 11.  
ctionem seruari, quicquid in Israele saluum est: atque ita electionem obtinere: & quae fusius suo ordine supra exposuimus. Certè etiam si centuplo esset acutior, nulli tamen cauillis efficiet, quin tam sonorum Pauli clamorē vel surda stri exaudiāt. Quòd verò multam verborū congeriem hoc cumulo terminat, Non creasse Deum quos praeuiderat reprobos fore: sed reprobos sciuisse quos creauerat: perinde est ac si luto illineret figuli oculos & manus, ne qua eius forma nobis appareat. Similiter quum ex primo ad Ephes. cap. expedire se nititur, ita ludibundus projicit suas ampullas, ac si inani suo strepitu Paulum obmutescere cogeret. Elegit nos Deus in Christo, quia gratiae suae, quae alioqui omnibus exposita est, praeuidit locum in nobis fore. Elegit ex omnibus: quia quod in commune propositū erat omnibus, nostrum peculiariter fore praeuidit: vt illi cooperantes, sancti per eā essemus. Elegit secundum propositū voluntatis suae: quod est & erat eiusmodi, vt eos eligeret, de quibus praesciebat futurum quod dictum est. Elegit in laudem gratiae suae, quae nos sanctificat: vt laus est praceptoris, virtus & doctrina discipuli. Quasi verò non istud sit Dei propositum, quod alibi Paulus omnibus humanis operibus opponit. Quasi in . Tim. 2.  
nomine Beneplaciti non expressior sit hoc loco gratiae commendatio. Quasi non dicatur proposuisse Deus in seipso beneplacitum suum, quia causam in nobis nullam reperiens, sibi ipse ad nos seruandos causa fuit. Quasi frustra totum saluis nostrae effectum à decreto illo & proposito & beneplacito pendere quinquies repetat. Quasi non disertè pronuntiet, quia electi eramus, nos in Christo fuisse benedictos. Quasi non sanctificationem, & quicquid est bonorum operum, ex electione tanquam aquas ex fonte deriuet. Quasi non eidem gratiae acceptum ferat, quòd Dei figmentum sumus, ad bona opera cōditi, quae preparauit. Quasi non à reliquis nos discernat, vt gratuito solo Dei fauore nos excellere sciamus. En quàm aptè operum praescientiam cum Paulino textu conciliet. Quantò satius fuerat, illam admirantis personam retinere, quam semel ad momentum suscipere coactus, mox ad superbas speculationes transuolans, deponit. Et haec quidem, quae vberius supra tractaui, nunc cursim tantum delibo.

Augustinum postquam acriter flagellauit, vt qui in hac disputatione impetu magis quàm moderata ratione feratur, qui huc illuc impingat, qui proferat quae aliena videntur Dei bonitate eius deinde suffragio quàm parū verecundè vtatur, tribus verbis ostendam. Diligentiam sancti viri laudat, quòd in libro ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum sedulo quaestionem hanc ventilet. An opus aliquando inspexerit, nescio: quum ex libris duobus libellum vnum faciat. Mi- Lib. 1. de  
rum tamen, cur librum illum, quem se Augustinus initio sui Episcopatus scripsit- sancto-  
se commemorat, bonus iste dexterque interpres ex omnibus maximè delegerit. cap. 4.  
Nam et si illum Pelagio author opponit: non tamen dissimulat, quantò plenus De bono  
postea & solidius de eadem re differuerit. Haec eius verba sunt: Illic à me ostensa persever.  
est praedestinatio sanctorum: quam postea diligentius & operosius, quum aduers. cap. 20.  
sus Pelagianos disputarem, defendere necessitas compulit. Didicimus enim singu- Lib. retra-  
las haereses intulisse Ecclesiae proprias quaestiones: contra quas diligentius defende- ctat. 1. c. 1.  
retur Scriptura diuina, quàm si nulla talis necessitas cogeret. Ceterum, videamus Cap. 10.  
de bono  
perseuer.

Circa di-  
mid. lib.  
prior.

qualis ista sit, quam obtendit, Augustini subscriptio. In eo, inquit, noster est, quod vocationis conceptum, reprobationis causam affirmat. Longè verò ipse aliter. Nam in libro Retractionum dicit, Pro libero hominis arbitrio sic laboratum esse, ut tandem viceat Dei gratia. Verum, ut omittam, quid illic & duobus in locis à me citatis dicat, mentem suam fidelius saltem, quam mille tui similes, exponens: quomodo in eum plusquam impudenter conferre audes, quod toto opere non minus fortiter reijcit, quam ingenuè damnat? Ne longior sim: quæ Pighius pro se verba adducit, apud Augustinum quidem extant, sed eadem pagina refutantur. Si propterea dictū est, inquit, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit, ut iuste rectèque viuamus, nisi adiuetur misericordia Dei: potest & hoc modo dici: Igitur non miserentis est Dei, sed hominis volentis: quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur. At, illud manifestum est: frustra nos velle, nisi Deus miseretur: illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus: quia ad eandem misericordiā pertinet, ut velimus, iuxta illud, Deus est qui operatur & velle & perficere. Nam si queramus, utrum Dei donum sit voluntas bona: mirum si quisquā negare audeat. Paulò post: Itaque verum est: non volentis neque currentis, sed miserentis Dei: quia etiam si multos vocet, eorum tamen miseretur quos ita vocat, quomodo vocari illis aptum est, ut sequantur. Falsum autem si quis dicit: Non miserentis Dei, sed volentis hominis est: quia nullius frustra Deus miseretur. Cuius enim miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Est quidem verissimum quod profatus erat Pighius, venilari ab Augustino istā, de qua nūc agitur, questionem. Sed ipse grauiter peccat, quod quisquilias in aerem sparsas arripiens, quod deinde in vanno residuum apparet triticum, negligit.

Ezer. 13.

Nunc dandus Georgio quoque Siculo est locus: in quo homine ad cō insipida sunt omnia, ut in eo refellendo quicquam operæ locare pudeat. Nec sanè congre-  
di cum ista umbra dignarer, nisi stulta multorum consternatio me cogeret. Neque enim de futuros arbitror, qui ex puerilibus nugis facilem me captare vi-  
doriā putantes, inane studium derisui habeant. Equidem nisi noceret, quantum non sine maximo dolore audio, contemptu potius obtinendum censerem, quam ver-  
bis refellendum. Sed quando eius libri per Italiam volitant, multos passim de-  
mentant, cum deliro homine, si opus sit, paulisper ineptire malo, quam meo silen-  
tio pati, ut cum tanta Ecclesiæ iactura insania eius grassetur. Quum olim Pro-  
pheta Ezechiel anus fatidicas videret fucum populo facere: muliebri bellum  
subire non eruluit. Ergo, neque nos pigeat, si Christi serui esse volumus, quales-  
cunque tandem sint, qui in horreum Domini suæ quisquiliis ingerere nituntur, e-  
os conferta manu depellere.

1. Sam. 9.  
Ioan. 6.

Quod æterno Dei consilio prædestinatos esse homines dicimus, vel ad salu-  
tem, vel ad exitium: tribus de causis nos ea in re hallucinari Georgius putat: qua-  
rum primam assignat, quod Electionis nomen non obseruamus diuerso sensu accipi  
in Scriptura: nempe, quod ad munus temporale quosdam eligat Deus, ubi nulli  
fit æternæ vitæ memio, neque etiam ratio habetur. Sed quibus persuadeat stolidus  
ungator, nos in Scriptura tam malè exercitatos esse, ut nondum teneamus, Saulē,  
qui reprobus erat, Regem tamen esse electum? Iudam, Diabolum vocari, qui vnus  
erat

erat

erat ex duodecim, quos à se Christus electos predicat? Cur locos non notat malè & imperitè à nobis adductos, qui errorem patefaciant? Verùm, somnia ipse sibi fabricat, quæ in cerebro suo nata, tanquam aliena debellet: interea mirum, quomodo decimo circiter versu præcepti sui oblitus, Pauli testimonio nos oppugnet: Ne quum alijs predicauero, ipse reprobus efficiar. Colligit enim, vel mentiri Paulum, qui timere se iactet, ne concidat immutabilis Dei electio, vel suæ electionis fuisse ignarum: nec videt miser, reprobum illic probato opponi, qui certa suæ pietatis experimenta dederit. Cur non tunc illi in mentem venit diuersa vocis acceptio? Nam & Ierc. 6. argentum reprobum apud Ieremiam, & in Epistola ad Hebræos, reprobata terra, Hebr. 6. non diuinitus exitio deuotum argentum vel terrâ significant, sed vitiosum nihilique argentum & terram infrugiferam. Quòd autem in verbis Pauli relatio ad homines fiat, sicuti in altera quoque Epistola, ex contextu colligere promptum est. 2. Cor. 13. Et tamen sic ab aterna electione, qua nos in vitam adoptat Deus, sic distinguitur electio ad munus temporale, vt ambas simul interdum propter affinitatem, Scriptura coniungat. Quum gloriatur Paulus se ab vtero segregatum esse, de munere quidem Apostolico differit: sed altius conscendens, pariter Dei gratiam, qua vocatus fuerat in spem salutis, cõmendat. Christus etiam quanuis vnum ex duodecim quos elegit, Diabolum esse pronuntiet: alibi tamen cum honore Apostolico adoptionis gratiam coniungit, dicens: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis, & si uelum afferatis, & fructus vester maneat. Nam ea lege sibi datos à Patre cõmemorat, vt neminem sinat perire, præter eum qui iam filius erat perditionis. Quòd ergo passim legimus, ad certum vitæ genus vel munus tẽporale eligi hos & illos, minimè obstat, quominus Deus ad salutẽ elegerit, quoscuque vult saluos esse.

Secundam erroris causam statuit, quòd non teneamus, fideles omnes noui Testamenti, quos vocat, electos esse in salutem: quemadmodum docet Paulus primo ad Ephes. cap. Atqui, plus satis iam monstratum est, ex electionis fonte illic deduci fidem, qua filij Dei salutis suæ possessionem adeunt. Fides certè inter spirituales illas diuitias, quibus donati sumus in Christo, vel præcipuè cõferri debet. Vnde autem fluere docet Paulus, quicquid habemus benedictionum, nisi ex recondito illo gratuita adoptionis fonte? Rursum: Vbertim nos locupletauit omni scientia & prudentia: sed quomodo? Iuxta beneplacitum suum, quod proposuerat in seipso. Si diuinæ electionis fructus est fides: constat autem non omnes in fidem illuminari: statuendum proculdubio est, eligi à Deo, quos fide donare apud se decreuit: atque ita verum esse quod Augustinus tradit: In filios à Deo eligi, vt credant, non quia præuiderit credituros. Alijs locis citandis, supersedeo: quia mox tractandi erunt. Caterùm, quia vnus erat locus, vbi Dei electi in finitum aliquem numerum redigi videntur: quum scilicet dicit Christus, tantas fore Antichristi fallacias, vt etiam electos, si fieri possit, decipiant: illic electos vocari exponit Georgius, qui in fide & iustitia perseuerant. Rectè id quidem, modò simul fateretur constantiam hanc ab electione pendere. Atqui, ne qua specialis sit in Deo electio, sibi vnumquenque hominum propriæ electionis authorem facit.

Tertia erroris nostri causa secundum Georgium est, quòd dum excacationis & indurationis meminit Scriptura, non animaduertimus superioribus peccatis tales poenas infligi. Nos verò, quod innumeris Scripturæ testimonijs passim expressum est, non negamus: Deum excacatione & alijs modis, & gratiæ suæ

- contemptum, & superbiam, & contumaciam, & alia scelera vlcersci. Nam singulares poenae quarum passim fit mentio, ad generalem illam sententiam referri debent: Coniici in sensum reprobum, & in cupiditates ignominiosas tradi, qui Deum cognitum non timuerunt, nec reueriti sunt, vt decebat. Qua de re iterum postea fufius. Verum, etsi Dominus impios furore & vertigine percutiens, quam meriti sunt mercedem illis rependit: non tamen id obstat, quominus reprobos omnes maneat caecitas & obstinata cordis durities. Quum dicitur obduratus esse Pharaon, iam dignus erat, quem Deus Sathanae mactaret. Sed quod prius à Deo in hoc ipsum excitatus esset, simul admonet Moyses. Nec verò Paulus aliam causam adducit, nisi quod vnus esset è reprobis. Sic demonstrat idem Paulus, quum Iudei intelligentiae luce priuati, in horribiles tenebras delapsi sunt, poenas iustas impij diuinae gratiae contemptus hoc modo ipsos dedisse: neque tamen excacationem hanc reprobis omnibus constitutam fuisse dissimulat. Reliquias enim seruatas fuisse docet, secundum electionem gratuitam: reliquos omnes fuisse excacatos. Si reliqui omnes, in quorum salutem non regnat Dei electio, excacantur: certè palam constat, eosdem qui sua rebellionem iram Dei prouocando, nouam excacationem sibi accersunt, iam ab initio caecitati fuisse deuotos. Et clara sunt Pauli verba, Vasa irae esse pridem ad interitum preparata, quicumque Spiritu adoptionis destituti, propria culpa se ipsos praecipitant. Equidem cum Augustino fateri non recuso, in occultis Dei iudicijs aliquid praecedere: sed occultum. Nam inaccessibili secreto ab humana cogitatione seclusum est, quomodo & impium damnet Deus, & iustificet impium. Ergo satius nihil restat, quam cum Paulo expauescere: quia iudicia eius, abyssus multa.

Pergit deinde Georgius, Nullam reperiri syllabam in tota Scriptura, vnde colligere liceat, excacari qui aeterno Dei iudicio reprobati sunt: & quicquid de praedestimatione tradimus, philosophica tantum argutia nati: quod Deum nihil eorum lateat quae futura sunt: quaecumque autem prauidit, necessariò eueniant. Nihil dico, nisi quod tam crassum mendacium libri nostri refellunt. Quia hoc illi inter fraterculos licentiae reuerendi Abbatis fauor dederat, vt quicquid somniauerat, oraculi instar iactare auderet: idem sibi extra monasterium permisit. Nos verò, non ex nuda Dei praescientia, vt ipse stolidè mentitur, elicere, quod frustra oppugnat, inter electos & reprobos discrimen: sed manifestus solidisque Scripturae locis proditum ostendere quid pluribus nunc contester? Nos ex nuda Dei praescientia pugnare fingit. Atqui, apertos Scripturae locos plus viginti à me prius citatos reperient leuiores. Specialem electionem commentum esse nostrum iactat: quia nullos Deus certos homines elegerit. At, Christus ex aduerso clamat, se scire quos elegerit.

Videat tamen, quàm validus machinis aeternum illud Dei consilium labefaciet, quo alij in salutem electi sunt, alij exitio destinati. Iustitiã Dei ex fide Paulus communem facit omnibus qui credunt: nec distinctionem admittit: quia omnes peccauerint, & destituantur gloria Dei. Fateor sanè Dei iustitiam super omnes per fidem diffundi. Sed vnde hominibus fides, nisi ex gratuita Spiritus illuminatione? Et quos in Christum credere Paulus censet, nisi quos Pater caelestis traxerit? Christus certè neminem in suis reputat, nisi datus sit à Patre. Sibi autè datos praedicat, qui antè Patris fuerãt. Delirium suum de fide naturali obtrudet Georgius: quod

refillere



rofellere non est presentis instituti. Tantum dico, In omnes & super omnes qui credunt in Christum, esse Dei iustitiam: sed eodem Paulo teste, excipio: *Ut alij* 1. Cor. 4. & 1.  
*præ alijs excellent, non nisi à solo Deo discerni: ne quis gloriatur. Item, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, arra & sigillo Spiritus æternam hereditatem in cordibus nostris obsignari. Item, Nobis dari ut in Christum credamus. Item, Illuminari mentis nostræ oculos, ut sciamus quæ sit spes vocationis nostræ. Item, Fructum Spiritus esse fidem. Discrimen esse negat Paulus: nempe Iudæi & Græci: quia utrosque pariter Deus ad salutem inuitat. Sed duæ istæ species, inquit Georgius, totum genus humanum comprehendunt. Esto: non tamen inde euincet, sigillatim vnicuique hominum promitti iustitiam. Hoc quoque postremum ut demus, huc tamen redeundum erit, neminem boni oblatis compotem, nisi fide, fieri. Restat ut Monachus fidem omnibus promiscuam faciat. Quod iam satis probaui, quàm sit à Pauli mente alienum. Verùm sequetur, solos electos destitui gloria Dei. Vnde id colliget? Quia in omnes qui peccarunt, inquit, diffunditur Christi gratia. Atqui ego sic vniuersalem Dei gratiam esse fateor, ut in hoc tamen situm esse discrimen addam: quòd non omnes secundum Dei propositum vocantur.*

*Arguè se ratiocinari putat, quum dicit: Christus propitiatio est pro peccatis totius mundi. Ergo extra mundum reprobos constituent oportet, qui à Christi participatione arcere eos volunt. Ne valeat in præsens communis illa solutio: Christum sufficienter pro omnibus passum esse, efficaciter tantum pro electis. Magna illa absurditas, ob quã plausum sibi inter suos gregales Monachus quæsiuit, apud me nihil habet momenti. Per quasunque mundi plagas dispersi sint fideles, expiationem Christi morte partam ad eos Ioannes extendit. Id cerè non obstat, quominus reprobi in mundo electis permixti sint. Controuersia etiam caret, Christum expiandum totius mundi peccatis venisse. Sed confestim occurrit illa solutio: Ut quisquis credit in eum, non pereat: sed habeat vitam æternam. Nec verò qualis sit Christi virtus, vel quid per se valeat, nunc quæritur: sed quibus se fruendum exhibeat. Quòd si in fide consistit possessio: & fides ex Spiritu adoptionis manat: restat, ut in numerum filiorum eius duntaxat ascitus sit, qui futurus est Christi particeps. Nec verò aliud Christi officium commendat Euangelista Ioannes, quàm ut morte sua in vnum congreget Dei filios. Vnde colligimus, Quauis per ipsum offeratur omnibus reconciliatio, peculiare tamen esse electis beneficiũ, ut in vitæ societatem colligantur. Quanquam dum omnibus offerri dico, non ita accipio, quasi ad omnes legatio illa perueniat, qua mundum sibi reconciliat Deus, teste Paulo: sed ad quos peruenit, ne eorum quidem cordibus indifferenter obsignatur, ut rata sit. Quòd nullam esse acceptionem personarum garrat: discat primùm quid significet Personæ nomen: tum nihil faceisset nobis molestiæ ex ea sententia.* Rom. 8. Ioan. 3. 2. Cor. 5.

*At Paulus docet, Velle Deum omnes saluos fieri. Ergo aut Deum fateatur non esse votorum suorum compotem, aut omnes sine exceptione saluos fore. Si respondeat: Velle Deum, quantum in se est: quia salus libero cuiusque arbitrio sit exposita: quæro iterum, Cur non ergo omnibus indifferenter prædicari Euangelium ab initio mundi voluit? Cur tot seculis tam multas gentes in mortis tenebris errare passus est? Sequitur enim in contextu, quòd velit omnes ad veritatis notitiam venire. Sed candido sanique iudicij lectori minimè ambiguus est sensus, quem supra exposui: Quum pro Regibus & principibus iussisset Paulus solennes & ordina-*

rias in Ecclesia preces cōcipi, ne quis Reges & Magistratus haberet pro deploratis, quòd tunc omnes infesti essent fidei hostes: occupat Apostolus, & Christi gratiam ad illum quoque ordinem patere affirmat.

Quò audacior est nebulo hic in torquenda Scriptura, non mirum est, si in pluribus locis congerendis sit copiosus: quando neque vlla est religio, neque pudor, quæ eius proteruiam frangent. Sed quò ille laxius diffluit: meum erit responsiones breuius astringere. Citat locum Iesaiæ: Ne dicat filius extraneæ: Reiectus sum. De reprobis non posse exponi, pro confesso sumit. Electos autem vocari filios extraneæ, absurdum iudicat. Respondet, Non esse insolens, vt qui ante mundi creationem electi erant, extranei tamen censeantur, donec fide aggregentur ad Dei filios.

1. petr. 2. Verba Petri sunt, quæ ex Propheta mutuatur: Qui eratis quondam non populus, nunc estis populus Dei. Quos alloquitur? Nempe, quos initio testatus fuerat, dilectos esse, secundum præcognitionem Dei patris. Aperius etiam num ad Ephesios. Postquam enim de æterna ipsorum electione disseruerat, subiicit, Exules fuisse à regno Dei, hospites promissionum, sine Deo & spe vitæ. Et miramur, si Iesaias templum Dei ex profanis lapidibus edificans, nouam consecrationem fore prædicet? Nam quum in Dei corde abscondita esset Gentium vocatio, quid aliud in illis quàm damnata immundities apparuit? Erant quidem Dei oves, quicumque demum in Christi corpus coaluerunt, vt ipse testatur: sed oves foris exclusæ adhuc & vage. Interea quanuis se nescirent, pastor tamen eas nouerat, secundum illam prædestinationem, qua suos elegit ante constitutionem mundi: vt probè Augustinus admonet.

Tract. in Ioan. 45.

Si verum est, inquit, Prophætæ dictum: Filius non portabit iniquitatem patris: nulla igitur pars hominum in originali corruptione relinquitur. Cumbellua ista nihil mihi negotij esse volo. Tantum rudibus succurrere consilium est, ne talibus cauillis implicentur. Nihil certius est, quàm manere in generali interitu, quicumque in Christi corpus nõ inseruntur. Bonus iste frater, de alieno prodigus, omnes accumulat: & quibus Deus ianuam claudit & obserat, eos facit domesticos. Caterum, sponte insanit, quisquis non fatetur, eos qui naturaliter in Adam mortui sunt, non posse nisi ordinato diuinitus remedio, in vitam restitui. Iam inter pij hominis & increduli sobolem apertum discrimen statuit Paulus: vt hæc immunda sit, illa verò sancta. Et hac ratione, priusquam Gentes vnà cum Iudæis, diruta maceria, cooptarentur in Ecclesiam, filios Abrahamæ ramos esse sanctos dicit ex radice sancta. Quid autem longo sermone opus est? An non idem Propheta Ezechiel, cuius dicto Monachus abutitur, Gentes incircuncisas sæpius tãquam profanas, exitio addicit? Neque enim alioqui tunc circuncisio fuisset vitæ fœdus. Quomodo igitur verum erit, filium paternæ culpæ pœnam non daturum? Viciisim quæro: Quomodo innoxium se iactabit: qui ex malo ouo malus coruus nascitur? Sic enim ex Adam contrahitur originale peccatum, vt cuiusque proprium sit. Nemo itaque conqueri poterit, quasi alieni peccati reatum sustineat à culpa immunis. Caterum, si Deo in filijs persequi non licet maiorum peccata: quid sibi vult illud: Vltor in tertiam & quartam generationem? Item, Reiciens patris scelera in suum filiorum. Porro, hæc prima vltio est, quòd Spiritu Dei destituti, in naturæ prauitate manent.

Quum dicit Ioannes: Quisquis peccauerit, delebo eum è libro vitæ: si de reprobis exponas, nunquam scripti fuerunt: si de electis, consilium Dei erit instabile. Perinde garrit Monachus, ac si nunquam se ad captum nostrum Deus accommoda-

ret.

ret. Fœda sanè ingratitude, aduersus Deum ita insolescere, dum vsque eò nobis indulget, vt nostra causa balbutiat. Hoc quoque modo Deum corporeum nobis conflabit, quia & aures, & oculos, & pedes, & manus illi tribuit Scriptura. Atqui, simplex est sensus: Deleri è libro vitæ, qui ad tempus inter filios Dei habiti, postea in locum suum discedunt: quemadmodum de Iuda verè loquitur Petrus. Tales autem nunquam ex nobis fuisse Ioannes testatur, quia si ex nobis fuissent, non exiissent. Quod autem crasse Ioannes expressit, subtilius Propheta Ezechiel: In arcano, inquit, populi mei non erunt: & in catalogo Israel non scribentur. Non alia solutione indiget, quòd optant Moyses & Paulus, ex libro vitæ deleri: quia vehementia doloris extra se rapti, perire, si fieri posset, mallent, quàm populosam Dei Ecclesiam, qualis tunc erat, extingui. Gaudere enim quum suos discipulos iubet Christus, quia nomina eorum scripta sint in cœlo, perpetuum illud esse bonum significat, quo nunquam priuandi sint. Porrò non minus dilucidè quàm breuiter vtrunque conciliat Christus, quum dicit: Omnis arbor quam nò plantauit Pater meus, eradicabitur. Nam & reprobos in speciem radices agere, neque tamen Dei manu plantatos esse, significat.

Notanda, inquit, illa apud Paulum comparatio, quòd sicut per vnum hominem peccatum in condemnationem, ita & per vnum hominem donum iustitiæ in vitam. Quòd si in vno mortui sint multi: multò magis gratia Dei exuberabit, vt multi regnent in vita per Christum. Si illic disputaret Paulus, ad omnes penetrare Christi gratiam: vicus tacerem: sed quum simpliciter illi propositum sit ostendere, quantò potentior sit in fidelibus Christi gratia, quàm contracta ex Adam maledictio: quid hoc ad labefactandam eorum electionem, quos in vitam Christus restituit, alijs pereuntibus? Sed monachus verba vrget. Nam Paulus totum hominum genus comprehendit, quum dicit, Peccatum vnius hominis grassatum in omnes: neminem licebit à vitæ participatione excludere. Si hoc modo ineptire libet, creando esse Deo novos mundos contendam, vt quod illic habetur, præstet. Negat Christus parè fuisse maledictionem gratiæ, quia hæc longè exuberet. Si in ratione vtrique veniat hominum numerus: non potest Christus plures seruare, quàm perdiderit Adam. Ergo periclitabitur Pauli fides, nisi repente nouus aliquis mundus emergat. Ego verò non alium monacho clypeum opponam, quàm qui mihi ab eo porrigitur. Alterum ex Paulo locum adducit: Quòd sicut in Adam moriuntur omnes, ita in Christo omnes viuificabuntur. Si hoc secundum membrum extendit ad omnes Adæ filios: manum Paulus iniicit, qui disertè mox testatur, non nisi de Christi membris se intelligere: Primitiæ Christus: deinde & qui sunt Christi, resurgent. Nam certè illic de resurrectione disputat, quam beata immortalitas consequitur, qualem & in symbolo fidei prædicamus.

Ne eadem subinde iterando lectoribus frustra tedium pariam, pauca ex multis obiter perstringere consilium est. Qualiter mortem peccatoris nolit Deus, quum vult omnes conuerti & viuere, supra exposui. Nam quòd ad resipiscentiam hortatur, & cõuersis offert veniam, id omnibus commune est: at filios suos singulari hoc priuilegio dignatur, vt carnea eorum corda ex lapideis faciat. Neque tamen irritas in aerem iactari voces monacho concedo, dum & impios malitiæ suæ conuictos, inexcusabiles reddit Dominus: & in electis suis ita operatur, vt arcana Spiritus virtute efficax sit in eorum cordibus doctrina, quæ in eorum auribus personat.

Acto. 1.  
1. Ioan. 12.

Eze. 13.

Matth. 15.

Rom. 5.

1. Cor. 15.

Nec est quod quempiam moueat vulgaris illa calumnia, Illudere Deum hominibus, quos pedibus captos ad ambulandum hortatur. Nam si nihil exigit, quod illi non debeant: non facit iniuriam. Nisi verò qui soluendo non est decoctor, cum ludibrio creditoris solutum se iactabit. Porro litem hanc, quæ nisi propria cuiusque conscientia dirimi nequit, ulterius non persequor. Populi sui aures Prophetæ voce verberari iubet Deus. An ut tangantur corda? Imò ut obdurentur. An ut resipiscant qui audiunt? Imo ut iam perditis, bis pereant. Si excipias, Superiorem fuisse causam: non aliud in præsentia volo, minimè absurdum esse, spargi Dei mandato doctri nam, quam profectum carituram nouit. Non minus frivolum, quod constare negat posse Christi dictum, de reducta quæ perierat oue, si qui prædestinati forent. Ego verò quod temerè in nos vibrare telum molitur, longè aptius in eum retorqueo: non alia ratione vocari ouem, qui ad tempus perditus videtur, nisi quia gratuita electionis respectu, sub Dei custodia manet.

Eiusdem farinae est istud dilemma, Si qua esset specialis electio, non quadraret exhortatio Prophetæ: Derelinquat impius viam suam. Nam si electos alloquitur, quomodo impij essent, quibus omnia in bonum cedunt? Si reprobos, quorsum ad resipiscenciam vocantur? Ego autem virisque destinari Prophetæ concionem respondeo: ut priores, qui excusso iugo lasciuerunt, ad sanam mentem redeant moniti: alteri verò, qui in malis suis stupent, talibus stimulis pungantur. Neque enim electos fingimus continua Spiritus directione semper tenere rectum cursum: quin sæpe labi, errare, impingere, & ferè alienari à salutis via dicimus. Sed quia potentius est quo teguntur, Dei præsidium: lethali eos ruina excidere impossibile est. Cauere iubentur homines, ne pereant. Atqui, electos extra periculum esse, certum est: in reprobis nulla cautio. Respondeo, Nihil absurdum esse, si electi, qui assidue sunt in conflictu, necessarijs armis instruuntur: & communiter acuitur omnium vigilantia, donec reprobi re ipsa se incurabiles esse demonstrant. Adhibetur enim mortis medicina, donec certa desperatio appareat.

Olycitus G. orgius: Abraham fidelium, non electorum vocari patrem: & salutem non electis, sed credentibus promitti. Quos igitur esse dicet, qui simul cum patre suo Abraham in regnum Dei colligendi sunt? Nam cerè Christus id in electos docet competere. Christus finem horrendis cladibus impositum iri pronuntiat, ut electis sit consultum. An filios Abraham esse negabimus, qui simul cum eo domestici sunt Ecclesia? Et vnde, obsecro, tanta Abraham dignitas, ut pater fidelium censeatur, nisi quia à Domino electus est? Vnde degeneres esse statuendum est, qui hac similitudine ipsum non referunt: execrandam verò esse nebulonis huius audaciam, qui notam, qua præcipuè filios suos insignit Deus, expungere & delere, quantum in se est, conatur. Credentibus certè vitam æternam promitti fateor: modò ne vicissim neget, electis similiter promitti. Sic enim Iesaias: Et eam possidebunt electi mei: modò credere fateatur, quos Deus Spiritu suo illuminat: modò denique electionem finetur matrem fidei esse. Ad omnia pro electis ferenda se paratum esse, Paulus docet. Christus Patrem, electorum vindicem fore clamat. Hortatur Paulus Colossenses, ut mansuetudinem, patientiam & reliquas virtutes, tanquam electi Dei induant. Eximit Paulus à reatu omnes Dei electos. An spoliandi bonis istis erunt fideles? ac si in. er res mutuo & quidem indiuiduo nexu coniunctis pl. s. quam hostile dissidium foret. Imo ut firma Dei electio maneat, tuis in fide m  
illumi.

Matt. 24.  
Marc. 13.  
Ibidem.

Deu. 4. 7  
& 10.

Iesa. 66.

2. Tim. 2.  
Luc. 18.  
Col. 3.

Rom. 8.

illuminantur qui cæci erant, tum fide recipiunt Christi iustitiam, tum fide in finem usque custodiuntur.

Quum perditis exitium denuntiat Scriptura, causam in æternum Dei consilium minimè reijcit vel transfert: sed residere in ipsis testatur. Nos verò non ideo reprobos tradimus destitui Dei Spiritu, ut scelerum suorum culpam in Deum deriuent. Quicquid peccant homines, sibi imputent. Quòd si quis subterfugiat, conscientia vinculis fortius constringi dico, quàm ut se à iusta damnatione expediat. Causetur Adam, ut volet, se data sibi à Deo vxoris illecebris fuisse deceptum: intus tamen mortiferum infidelitatis virus, intus pessima consultrix ambitio, intus diabolicum audaciæ flabellum reperietur. Multò igitur minus excusabiles erunt, qui ex profundis Dei adytis malorum suorum causam, quæ se ex vitioso eorum corde profert, eruere tentabunt. Conijci merentur in sensum reprobum, quicumque Deum ex cæli terræque aspectu cognitum non glorificarunt, ut decebat. Qui malignè ac deliberata malitia Christi gratiam respuerunt, & accensam Euangelij lucem respuere non veriti sunt, grauiorem poenam sustinent. Sua quisque peccata accuset, se ipsum damnet, suamque culpam ex animo confessus, iudicem suum suppliciter deprecetur. Si quis obstrepit: prompta est exceptio: Perditto tua Israel. Nam ut à libi dictum est: si ridiculè apud veterem Poetam queritur Medea, casus in nemore Pelio fuisse abietes: quum intestino libidinis suæ igne flagrans patrem totumque regnum secum perdiderit: multò certè minus audiendi sunt, qui procul remotas causas è nubibus accersunt, ut culpæ suæ notitiam, quæ & eorum cordibus penitus insidet, neque occulta latere potest, ut cuique obscurerent. Hominum ergo peccatis malorum omnium causam Scriptura iure assignat. Neque id inter nos disputatur, Occultatione Dei iudicio citra propriam culpam pareant homines (quod non modò falsum esse concedimus, sed tanquam fœdum sacrilegium detestamur) sed, An impij qui voluntariè peccando, iram Dei in se prouocant, iam olim iusta quidem, sed incognita de causa diuinitus reprobati fuerint. Atqui, ut Paulus seuerè coarguit hominum peccata, conscientias validè vrget, Deusque iustitiam à sacrilegis hominum calumnijs acerrimè vindicat: ita qui se in exitium præcipitant, non dissimulat fuisse vasa iræ ad interitum præparata. Reprobos quo digni sunt reatu Christus cõstringit. Simul tamen arbores esse dicit Patris manu non plantatas. Denique Patrè eos qui sui erant, Filio dare audimus, ut eos sanctificet. Cõtrà Paulus, postquam electionè Dei consequut: esse docuit. reliquos omnes subiicit esse excæcatos. Perperam ergo Georgius, qui defixis in manifesta peccata oculis, reconditum corruptæ naturæ fontem non considerat.

Rom. 9.  
Matt. 15.  
Ioan. 17.  
Rom. 11.

Magna absurditate nos implicari putat Georgius, quòd hominem facimus liberum ad peccandum: quum necessitate peccet reprobis. Atqui, libertas ista de qua loquimur, quum illi nimium fuerit familiaris, non fuit satis nota. Manumissos ab obsequio iustitiæ & liberos Paulus vocat, qui sine metu Dei intemperanter lasciuunt.

Rom. 6.

An ideo sequitur, non esse peccato mancipatos? Calumniatur etiam, nos D E I potentiam vincere: quia si præscit atque ordinaat quod futurum est, nequeat postea mutare. Abominandum verò prodigium, si D E V S instar mortalis hominis varium se & flexibilem mutandis in horas consilijs non præbeat.

Quid enim tantopere improbat Monachus, nisi Deum sibi necessario constare? Verùm, in eo scilicet hallucinatur, quòd fixa Dei placita à potestate distrahendo,

eum sibi disidentem facit. Si Stoicè loquendum esset, nota est Senecæ sententia, Quod Deus sibi sit ipse necessitas. Nos magis reuerenter & sobriè: quod semper idem vult, constantiæ esse laudem: quod quicquid decreuit, effectum reddit, omnipotentia eius esse consentaneum: quod coniuncta est cum potentia voluntas, dignam illa rerum omnium moderatrice prouidentia esse symmetriam.

Non moror quòd diuersa, & nihil commune inter se habentia Scripturæ testimonia coaceruat. Quamquam, vt inscitia parcamus, coercenda eius proteruita est, ne simplices conturbet. Postquam ex loco vno Pauli ostendit, mittere Deum operationem erroris rebellibus, vt credant mendacio, qui noluerunt obedire veritati: locum alterum dissimilem accumulatur: doctrinam Euangelij obscuram esse ijs qui pereunt: quorum mentes excacauit Deus huius seculi. Fateor quidem illos vocari incredulos: verum si in illis cæcitate causa est sola incredulitas, quid sibi vult quod mox sequitur, Deum qui iussit ex tenebris lucem splendescere, illuxisse in cordibus fidelium? Vbiq; tenebras esse audimus: Deum verò ex tenebris fulgorem educere. Sed quòd nos crudelitatis accusat, quòd nobis & multis obstruimus salutis viam, quum Christus Chananæam & oues perditas atque alienos canes tam benignè inuiteret: ego verò respondeo, Nos fidei & pœnitentiæ doctrinam, quæ nobis commissa est, fideliter omnibus proponere, vt Christo lucrifaciant omnes. Quum rogatus esset Dominus ipse ab vxore Zebedæi, vt alterum ex filijs ad dexteram suam, alterum ad sinistram locaret, stultum & intempestiuum votum comperere volens, presenti quidem vocationi suæ congruere hoc negat: neque tamen subicit, decretum cuique à Patre cœlesti esse locum, & suo tẽpore patefactum iri. In hunc modum neque silentio nolis obruenda est superstitio quæ palam in Scriptura proditur: & tamen, quo vsque reuelationis dies aduenerit, agendum quod Dominus mandat, vt sine exceptione ad pœnitentiã & fidem omnes hortemur. Communis enim omnibus est doctrina: & hac lege apud nos deposita est, donec qui reprobi sunt, deplorata obstinatione viam nobis obstruant.

Ceterum, quum prædestinationem tot Scripturæ locis testatam admittere cogatur, nouum cauillum ingerit, quo nihil stultius nec putidius fingi potest: Fideles noui Testamenti electos à Deo esse, quibus mysterij à seculis absconditi notas faceret diuitias. In hunc sensum colligit testimonia omnia, quæ excellentiam gratiæ per Christum exhibitæ commendant. Tandem concludit, Quicquid primo ad Ephesios capite habetur, non alio spectare, nisi quòd fideles noui Testamenti Deus peculiari hoc thesauro dignatus sit. Quum autem ad tempus referatur hæc gratia, à Christi aduentu vsque ad finem mundi omnibus per æquè communem esse docet. Atqui, longè aliam Pauli mentem ostendunt verba: quorum summa est, Illuminatos esse in fidem, qui secundum æternum Dei beneplacitum ad vitam prædestinati fuerant. Quin tunc specialis fuerit quorundam vocatio, negari non potest. Ne omnibus quidem Euangelium promulgatum fuit. Verum vt detur, personuisse externa voce omnium aures: altiore vocationem illic Paulus notat, quæ in animos penetrat Dei Spiritus. Somnium narratur Georgio, quum interior & efficax vocatio ab externa discernitur. Sed quàm non sit frivola eiusmodi distinctio, fidei experientia locuples est testis. Ad hæc non alio vel sensu vel fine electione tractat hoc loco Paulus, quàm alibi, dum gratias agit Deo, quòd Thessalonicenses ab initio elegerit in salutem. Atqui partem exiguan ab im-

pia multitudine discernit. Excipiet Georgius, Electis opponi præfractos gratiæ cōtempores. Sed hoc nihil ad rem: quia non aliud in præsentia contendo, quàm specialiter quosdam præ alijs electos esse: quum Georgius contra garriat, nos tãtùm in hoc prædestinatos esse, vt hoc tẽpore nasceremur. Quid Iudas? Cui etsi Christũ audire, & domestica eius consuetudine frui datum est, electum tamen fuisse Christus Ioan. 11. negat. Non de omnibus loquor, inquit: ego scio quos elegerim. Quòd si audiatuſ naticus iste, potior erit Herodis conditio, quàm Davidis: & electionis honore sanctos Prophetas impij Scribæ præcedent: dicit non esse ex numero fidelium. Atqui, passim clamitat, generaliter in seculum competere electionis gratiam. Vult se fidei usfore credi, Nunquam aliter Paulum de prædestinatione loquutum esse. Quid? An omnes suæ ætatis homines complectitur, quum iustificari dicit, quos Deus prædesti- Rom. 8. nanit? annon potius à communi ordine segregat, qui secundum propositum vocati sunt? Item, quum alibi dicit: Quæ stulta sunt, elegit Deus, vt sapiẽtiam mundi confundat: an ad totam ætatem extender, in qua manifestum discrimen statuitur? 1. Cor. 1.

Quoniam tamen se adhuc impeditum teneri sentit, aliud asyllum captat: Quòd non vocentur electi, quos Deus alijs prætulerit: sed qui in communi electione & gratia perseuerant. Ac si diceret, Eos demum censeret electos, qui se fidei constantia ab hominum vulgo separant. Locũ Pauli adducit: Testificor coram Deo & electis An- 1. Tim. 5. gelis. Quæ si vero illi concessum sit quod postulat: quia cum apostatis nõ descuerint, electionis gratiam esse promeritos. At si quis ex aduerso asserat, Quia electi erant, perstitisse, quantò probabilius hoc erit? Ne sit pugna de verbo. Quum prædicit Christus, tantus fore Sathanae fallacias, vt electi quoque, si fieri posset, in errorem inducãtur: significat fieri nullo modo posse, vt electos vi sua abripiat Sathan. Nũc qua virtute tutos esse dicemus? Staturos proprio robore Georgius somniat. Lõgẽ aliter Matt. 24. Christus: Nemo rapiet è manu mea quas suscepi custodiendas oves. Pater enim qui Ioan. 10. dedit mihi: maior omnibus est: Nec poterit quisquam eas rapere è manu Patris. Ita Paulus fideles minimè in propriam constantiam recumbere iubet, sed fidelem esse Deum admonet, qui ipsos vocauit: qui idem efficiet. Suæ quæque electionis authorem & arbitrum facit Georgius: at Christus suos esse restatur, quos è mundo ipse Ioan. 17. elegit. In qua sententiã clamat Paulus, Secundum propositũ vocatis omnia coope- Rom. 8. rari in bonum. Et de infante nondum nato. Vt secundum electionem propositũ Dei Rom. 9. maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum esse: Iacob dilexi. Quid restat tandem, nisi vt garriat nebulo, Iacob vtro adhuc inclusum suam industria electionis honorem sibi peperisse, & sua constantia steterisse in eius possessione ad extremum?

Tantiundem habet rationis, quòd reiectionem, de qua disputat Paulus, non ad singulas personas, sed ad totũ Iudaici populi corpus spectare exponit: quia gens illa Christũ respuendo, vita æterna hereditate se priuauit. Fateor equidem, hinc ortam fuisse disputandi causam. Sed inde nemo sanus colliget, quæstionem illis terminis finiri, quũ & genus Abrahæ ex electis pariter & reprobis mixtũ esse doceat Paulus: & generaliter pronuntiet, ex genere humano partim væ, partim misericordiæ vasa ad illustrandã Dei gloriam proferri. Quòd autẽ primam reprobationis originem in eo statuit, quòd Euangelio increduli fuerint: causam hanc à Paulo disertè exprimi nõ inficior, postquam scilicet prius illud membrum de abditis Dei iudicijs absoluit. Distinctè enim duo ab eo tractantur: Quòd nũquam ita obstrictus fuerit Deus vni populo, quin libera eius electio in singulis vel cooptandis, vel abijciendis, regnaret:

deinde quòd Iudæi sua in gratitudine se abdicauerint ex Dei familia, quum proprij essent æterna vitæ hæredes. Caterum, ne quem perturbet varietas, quasi posterior hæc reiectio arcanum Dei consiliū labefaciet, maturè occurrit Paulus, *Dona & vocationem Dei, poenitentia carere: ac proinde reliquiis secundum gratuitam electionem seruari. Quibus verbis stabilem & fixam manere quæ in abdito Dei consilio fundata est, electionē significat. Fœdior etiã nebulonis impudentia in eo se profert, quòd Esau antè reprobatum fuisse negat, quàm primogenita sua vendidit. Verbum cerè Apostoli agnosco, quòd quum se hæreditate priuasset, reprobatus est. Sed an superius illud iudiciū abolet, quam tunc passus est, repulsa? Certè non magis, quàm fides & obedientia Iacob, gratuitam Dei adoptionem euertit.*

Rom. 11.

Hebr. 12.

Quod initio præfatus sum, nunc iterum repeto: Nemini improbari posse quam exposui doctrinam, nisi qui supra Dei Spiritum sapere sibi videbitur. Nunc enim eò fastidiū perueniet hominum morositas, vt quòd è Scriptura sumptum esse cõstat, placidè libentèrque amplecti non sustineant, quin sibi quòd Dei proprium est, arrogent: loquendi scilicet & tacendi legem imponere. Et tamen modestiæ prætextu sepeliri quidam volunt, quòd ab omnibus Dei seruis proditū esse, ne ipsi quidem negare audent. Ego verò non aliam modestiæ legē noui, nisi vt quòd in cælestis Magistri schola didici, sobriè & reuerenter profitear. Neque verò me latet, vt ad fidei adificationem attemperentur omnia, prudentiam adhibendam esse. Sed quum id quoque bona fide præstare studuerim: si nondum placantur quorundam lautitia: defunctum me existimo: qui habet aures audiendi, audiat.

**D**E prouidentia Dei verba facturo, qua nõ modò totam mundi machinam, & singulas eius partes, sed corda etiã actionesque hominũ gubernat, ingens sylua occurrit. Sed quia argumentũ hoc sic me tractasse iam confido, vt satisfactũ magna ex parte sit sanis & aquis lectoribus, summam eius qua potero breuitate, nunc astringam. Nec verò sperãdus est à me orationis splendor, qui illius magnitudini & præstantiæ respondeat. Nudis tantum verbis quæ vberius in mea Institutione exposita fuerunt, nunc referam: & si qua opus testimonio habebunt, probationem ex Scriptura attexã: tam sinistras malignasque Pighij & similium obtreccionem, quibus bene dicta malè corrumpunt, ita diluã, ne quid pias mentes impediatur vel conturbet.

Prouidentiam vocamus, non qua Deus è cælo otiosus speculetur quæ in mundo fiunt: sed qua mundum à se conditum gubernat: vt non vnus tantum momenti sit opifex, sed perpetuus moderator. Sic prouidentia, quam Deo tribuimus, nõ minus ad manus quàm ad oculos pertinet. Iam dicitur prouidentia sua mundum regere, nõ modò quia positum à se naturæ ordinẽ tuetur, sed quia peculiarẽ vniuscuiusque ex suis creaturis curam habet ac gerit. Est hoc quidem verum: sicuti admirabili Dei sapientia tam pulchrè dispositum fuit mundi opificium: ita nisi quatenus præsentis eius virtute sustinetur, non posse manere in suo statu. Quòd sol quotidie nobis oritur: quòd in cursu tam rapido gradus habet tam aptè temperatos: quòd astrorum mirè digesta series non turbatur: quòd cõtinae recurrunt temporum vices: quòd viscera sua quotannis ad homines alèdos terra aperit: quòd elementa & singula partes officii suum facere non desinunt: quòd denique naturæ fœcunditas nunquam deficit, quasi fatigata: id non nisi directrice eius manu, qui semel omnia condidit, fieri putandum. Et Psalmus centesimus quartus nihil aliud continet, quàm vniuersalis huius prouidentia



uidētia elogiū. Eā similiter prædicat Paulus, quū dicit, *In ipso nos esse, & moueri, & viuere.* Quare, sicuti Dei vnius propria est essentia, ita fide cōsiderāda est occulta, quā inspirat, vegetatio: qua fit, vt subsistat, quæ alioqui mox interirēt, creaturæ.

Sed vniuersalis prouidentia notitia per se vaga & confusa esset, nisi simul teneamus, Deum singulas creaturas cura sua complecti: quemadmodum & Christus docet, passerulum, qui dimidio asse venit, non cadere in terram sine Patris voluntate. Nunc in ista speciali prouidentia, quæ curandis singulis Dei operibus priuatim excubat, certos & distinctos gradus statuere conuenit. Nam quū nobilissimū Dei opus sit homo, in cuius gratiam conditū est quicquid cœlum & terra cōtinent: Scriptura præcipue nobis in gubernando genere humano, Dei prouidentiam cōmendat. Paulus dum locum illum exponit: Non obligatis os boui trituranti: boues Deo curæ esse negat: quòd scilicet illic non resideat cura eius, tanquam in sua meta, sed in hominem potius respiciat. Hic autem, quia Deo cum hominibus ratione præditis negotium est, certior & magis dilucida se profert eius prouidentia ratio. Mirifica enim eius iudicia, nunc in sceleribus puniendis: nunc in erudiendis ad patientiam fidelibus, demandāque eorum carne: nunc in purgandis mundi vitijs: nunc in expergefaciendo multorum torpore: nunc in conterenda impiorum superbia: nunc in astus apientum ridendo: nunc in prauis machinationibus diruendis se proferunt. Ex altera parte incomparabilis eius bonitas in iuandis miseris: in protegenda asserendāque innocentiam salute: in ferendo rebus desperatis auxilio, reluctet. Huius prouidentia, quæ homines respicit, pulchra descriptio habetur Psalmo ceterimo septimo. Illic enim ostendit Propheta, quæ vulgò æstuarie putantur fortunæ vices, ad id non volui caco impetu, vt dilucida sint vel bonitatis, vel iræ, vel iustitiæ Dei specula. Quare tandem concludit, Si prudenter reputentur quæ subinde in mundo fiunt rerum conuersiones, pijs fore latitiæ materiam: satis autem ad os iniquis obstruendum tale operum Dei specimen valere.

Ceterum hic rursus digerendi sunt gradus. Quāuis enim se toti humano generi & patrem & iudicem Deus ostendat: quia tamen Ecclesia sanctuarium est in quo residet, illic clarioribus documentis præsentiam suam exerit: illic officium facit patrifamilias, & eā propiore aspectu, vt sic loquar, dignatur. Referia est eiusmodi testimonijs Scriptura, quæ Deum pro suis fidelibus inuentiores agere excubias asfirmant. Oculi Domini super iustos. Custodit Dominus animas sanctorum suorum. Illic cura est de vobis. Capilli capitis vestri numerati sunt. Denique Ecclesia propria est Dei officina, in qua suam prouidentiam exercet: & præcipuum eiusdē prouidentia theatrum. Qua ratione etiam dicitur Angelos, qui sunt veluti eius manus, specialiter destinasse fidelibus suis custodes, ne à Christi corpore, cuius ipsi quoque sunt membra, quicquam separatim habeant. Itaque, vt pro captu rudium crassè agamus, primo loco statuenda est ante oculos generalis mundi gubernatio, qua fouentur & vegetantur omnia, vt stet incolumis natura eorum status. Deinde consideranda sunt in singulis partibus regendis & curandis, Dei excubia: & quidem tales, vt nihil nisi nutu arbitriōq; eius eueniat. Tū peculiaris generis humani cura in mentem nobis venire debet: qua fit vt vita & mors hominum, tam publica regnorum & gentium quàm priuata cuiusque conditio, & quicquid fortunæ adscribi solet, ab vna cœlesti moderatione pendeat. Vltimò præsidium verè paternum, quo Ecclesiam suam tuetur, cui præsentissima Dei ipsius virtus annexa est.

Acto. 17.

Mat. 10.  
Luc. 12.

1. Cor. 9.

psal. 33.  
34. 37.  
1. petr. 5.  
Mat. 10.

psal. 34.  
91.

Porro, quanta sit & quàm multiplex huius doctrinæ utilitas, nullis verbis prodignitate satis exprimi potest. Verum, Dei prouidentiam in mundo gubernando qualis in Scriptura nobis traditur, & agnoscitur fidei sensu, nemo utiliter expendet, nisi qui sibi cum fictore suo, rerumque omnium opifrice negotium esse reputans, meriti & reuerentiam tantæ maiestatis, qua decet humilitate, primùm se submiserit. Nam si æqualibus quisque suis tantum honoris habere solet, ut candidè modestèque de eorum factis iudicet, ubi quid obscurum est vel non satis cognitum, sensum non minus quàm sedulo inquirat, & iudicium suspendere malit, quàm nimis properando, iniuriam facere: an nõ plus quàm immanis, obsecro, ista est feritas, maiore licentia, tum opera Dei ad calculum nostrum vocare, tum de incognitis præcipientem ferre sententiã, tum arcana eius consilia excutere, tum profano more de tantis & procul adorandis mysterijs nugari? Atqui, quæ omnibus seculis grassata fuerit hæc petulantia, multò insolentius hodie, quàm antehac vnquam, se iactat. Ac multi quidem Epicurei, quia Deum nequeunt à cælo detrahere: quod gigantum exëplo libenter tentarent, ut saltem eius cultum, & quicquid est religionis, ex suis & omnium conscientijs deturbent, fœdas & indignas blasphemias vomendo, impiũ suum furorem produnt. Sed in maiori parte hunc mali fontem esse constat, quòd leues & feruidi spiritus, friuola suæ curiositati primùm indulgent: ut nullo fine sibi proposito, totos se addicant superuacuis speculationibus. Accedit deinde effrænæ audacia, quæ linguas ad æquandam suæ petulantia illam intemperiem stimulat. Alij laborant quidè diuerso vitio, sed non minus noxio. Nam se implicætes absurdæ delirij, mentes suas obruunt voluntaria aut desperatione, aut socordia. Istæ scilicet diaboli sunt artes: inuoluerè prodigiosis figmentis piam sanamque doctrinam: quibus non modò eius fructum nobis præcipiat, sed partim am odiosam, partim exitialem reddat. Verùm quicquid moliatur ille, facessat tamen à nobis præpostera quorundam cautio: qui ut talibus periculis occurrant, non aliud inueniunt compendium, nisi ut corrumpant vel obscurent quod simpliciter in Scriptura proditum est.

Longè aptius remedium est: quomodo, & in quem finem consideranda sit Dei prouidentia, tenere. Prior finis est, ut nos temeraria confidentia exutos tum in Dei timore contineat, tum ad inuocationem expergeficiat. Alter verò, ut sedatis tranquillisque animis, in Deum recumbere, & quæ nos circumstant pericula, nobisquæ assidue centum mortes minantur, securè fortiterque contemnere doceat. Vtrunque membrum breuiter exponam. Qui fortuitum aliquid imaginatur, vel industria suæ, consilijs, opibus, humanis auxilijs quidpiam arrogant, audacius ad tentanda omnia feruntur, satagunt, versant se in omnes partes, nullum non mouent lapidem, subinde noui aliquid excogitã: quasi libero spatio soluti vagantur: nulla interim Dei inuocatio, nullus metus. Qui verò Dei prouidentia, homines, eorumque cõsilia, & rerum euentus gubernari agnoscet, trepidè cũ Ieremia dicet: Scio Domine nõ esse hominis viã eius, neque viri ut dirigat gressus suos: item illud Solomonis reputans, *A Domino sunt gressus viri, & quis hominum disponet viam suam? totum se Domino tradet, atque ab eo pendeat. Vtrò sequentur preces, ut Deus nobis quiescentibus inchoet ac perficiat, quicquid aggredimur operum. Similiter qui fortunæ imperium comminiscetur, vel diabolo, impijs, & brutis animalibus frenalaxabit, quasi præter Dei nutũ & moderationem quicquã possint vel agant: misera anxietate semper æstuabit: vitã suam quasi de filo pendetẽ aspiciens, torquetur: pedẽ vix mouere audebit,*

Iere. 10.

pro. 21.

audēbit, quin de vita sua desperet: fideles verò, dum sibi manum Dei moderatricem proponent, curas suas non dubitabunt in eum conijcere. Dum certò statuent, diabolum & impios omnes, quantumvis tumultuentur, non tantùm ligatos Dei compedi- bus teneri, sed etiam cogi ad præstanda illi obsequia: quieti per vias suas pergent.

Non nihil etiam lucis addent duæ aliæ distinctiones: prior est, Quòd tam in præ- teritum quàm futurum tempus consideranda sit Dei providentia: altera, Interdum cum suis medijs, interdum sine medijs, interdum contra omnia media, summam illi po- testatem asserendam esse, vt ordinet, constituatque omnia. Talis præteriti tempo- ris sit consideratio: Si quid prosperè & ex voto successit, non sacrificet mortalis ho- mo reti suo, quemadmodum loquitur Habacuc: neque suam prudentiam, virtutem vel fortunam efferat: neque acceptum ferat hominibus vel creaturis quod Dei pro- prium est: sed Deum sibi persuadeat eius boni primū esse authorem, vnde cun- que pro- uenerit. In rebus autem aduersis, in hac consolatione acquiescat: Sicut Domino pla- cuit, ita factum est: contra Deum tumultuando, nec quicquam proficiat, & me ob- stringam impia contumacia reatu. Tum verò antea cæcitate subeat memoria, vt ex- pœnis sibi inflictis peccata sua agnoscat. In tempus futurum hoc modo reputanda est pijs mentibus Dei providentia, vt semper ad eius promissiones ac minas in cæcitate sint: quia simulatque inde deflexerint, nulla restabit ad Dei timorē eruditio, nullus fidei profectus. At verò qui Dei omnipotentiam in speculo verbi eius intuebitur, tū pro- missionibus eius fretus supra innumera mundi pericula se fidei alis eriget: tū nimis subactus, se coram totidem ferulis humiliabit. Quòd cum, ius medijs considerandam esse dixi Dei providentiam, hunc habet sensum: Si quis in extremo discrimine labo- rantibus opem tulerit: non humana est, sed diuina per manum hominis liberatio. Sol- oritur quotidie, sed Deus est qui orbē terræ illustrat. Producit terra fruges, sed Deus est qui panem suppeditat, & pani inspirat vigorē ad nos alendos. In summa, quum inferiores causæ tanquā vela, Deum è conspectu nostro subducere vt plurimum so- leant: fidei oculo altius penetrandū est, vt Dei manum in his organis operantem cer- nat. Absque medijs quomodo locus dandus sit providentia Dei, exemplo suo Chri- stus docuit, quum Sathanae insultum hoc clypeo repelleret: Non in solo pane uiuit Matth. 4. homo: sed in omni verbo quod egreditur ex ore Dei. Nam quia virtutē Dei sciebat nullius externi adminiculi indignam esset: sine pane sustenturam colligit, quàm se benignè exerit per panē. Cauendum itaque, ne inferioribus medijs ita simus affixi, quin Dei manus omni subsidio nudata, per se nobis abunde sufficiat. Contra media, quā meretur gloriam apud nos obtinet Dei providentia, quā illam obstaculis omnibus superiorem fore persuasi, cunctas formidines hac vna fiducia vincimus. Atque hæc vera est palestra, in qua fidem nostrā Deus exercet, quū totidem se obstacula inge- runt, ad impediendū eius consiliū, quot sursum & deorsum apparent in cælo creatu- ræ. Quid autem tunc agendum? Nempe si ad diuinam potentiam altitudinē conscendat fides, omnia quæ contra nituntur videntur agendi media, nō magno negotio expugnabit.

Quisquis se intra has metas continuerit, nec tortuosis speculationibus se impe- diet, nec quia diuinitus omnia fieri audiet, inde pretextum captabit ignauia, nec desperatione concidet, nec ad friuolas nugas prouolabit, & Dei maiestate indi- gnas. Nunc tamen propius excutienda est quæstio, vnde exoriuntur pugna. Non quòd Dei providentia ritè, vt decebat, cognita, eas ex se gignat: sed quia in repu- tandis Dei operibus humana ratio quum cæcutiat, simul ad rixādum profilit. Quan-

quam miram non est, si carni parum consentanea sint Dei consilia, quæ ex cælorum altitudine Angeli suspiciunt. Sed hoc vitium minimè tolerabile, quòd nos, quibus humi reptare vix datum est, nihil probamus, nisi quod tãquam oculis nostris subiectum despiciere liceat. Ceterùm, ut fructuosa sit doctrina, tum rudes & imperitos placare, tum improborum calumnias refellere, operis pretium est. Primo loco videndum est, quomodo Dei voluntas, rerum omnium quæ in mundo geruntur, causa sit: neque tamen malorum author sit Deus. Non dicam cum Augustino, quod tamen ut verè ab eo dictum libenter amplector, In peccato, siue in malo nihil esse posituum. Est enim argutia, quæ multis non satisfaceret. Sed aliud mihi principium summo: Quæ perperam & iniuste ab hominibus fiunt, eadem recta & iusta esse Dei opera. Hoc si prima specie quibusdam esse paradoxum videtur, saltem ne sint ita fastidiosi, quin paulisper mecum sustineant ex verbo Dei inquirere, quid sentiendum sit. Ceterùm, ne quicquam stulta pertinacia tueamur, quasi Dei proprium, quod illi temerè ex sensu nostro affectum fuerit: primùm audienda est Scriptura, imò contra inde operum Dei petenda est definitio.

Quòd Deus suo consilio dirigat, quæ maximè videntur fortuita, clarè Scriptura testatur, quòd dicit, In sinum conijci sortes, iudicium verò earum exire à Domino. Similiter si ramus ex arbore defractus, aut securus è manu hominis præter consilium elapsa, caput transeuntis illi dat, Moyses testatur, hoc Deum consultò fecisse: quia hominem occisum voluerit. Alia Scripturæ testimonia consultò nunc prætereo: quia rem tantùm digito monstrare propositum est. Sed quia Stoica necessitas hoc modo statui videtur, multis odiosum est dogma, etiam qui pro falso damnare non audent. Vetus ista calumnia fuit, quæ se Augustinus iniuste fuisse grauatum, alicubi conqueritur: nunc obsoletam esse decebat. Certè hominitus probus & ingenuus, si modò idem docti sint, valde indigna est. Qualis fuerit Stoicorum imaginatio, notum est. Fatum suum texebant ex Gordiano causarum cõplexu: in quem quum Deum ipsum inuoluerant, fabricabant aureas catenas, ut est in fabulis, quibus Deum vincirent, ut subiectus esset inferioribus causis. Stoicos hodie imitantur Astrologi, quibus fatalis ex stellarum positu dependet rerum necessitas. Valeant igitur cum suo fato Stoici: nobis libera Dei voluntas omnium sit moderatrix. Sed contingentiam tolli ex mundo, videtur absurdum. Omitto quæ in scholis vsitata sunt distinctiones. Quod afferam, simplex, meo iudicio, & minimè coactum erit, deinde ad vitæ usum accommodatum. Sic euenire neccessè est quod statuit Deus, ut tamè neque præcisè, neque suapte natura necessarium sit. Exemplum in Christi ossibus familiare habeo. Christum corpus induisse prorsus nostro simile, Scriptura testatur. Quare fragilia illi ossa fuisse, fateri nemo sanus dubitabit. Sed alia mihi videtur ac separata quaestio, An ullum os eius frangi potuerit. Nam integra omnia & illa sa manere, quia fixo Dei decreto ita statutum erat, necessarìo oportuit. Nec verò quòd à receptis loquendi formis de necessitate secundum quid & absoluta, item consequentis & consequentiæ, abhorream, ita loquor: sed ne qua lectores argutia impediatur, quin agnoscat vel rudissimus quisque verum esse quod dico. Ergo si in Christi ossibus naturam consideres: fragilia erant: sin verò illud Dei decretum, quod suo tempore manifestatum fuit: nihilo magis fracturæ obnoxia erant, quàm humanis arumnis Angeli. Iam verò quia diuinitus positum naturæ ordinem intueri nos decet, contingentiam, quoad sensum nostrum, minimè reijcio.

Ac memoria tenendum est, quod antè posui, ubi Deus per media & inferiores causas virtutem suam exerit, non esse ab illis separandam. Temulenta est ista cogitatio: Decreuit Deus quid futurum sit: ergo curam ac studium nostrum interponere superuacuum est. Atqui, quum nolis quid agendum sit, præscribat: & virtutis suæ organa nos esse velit: fus nobis esse ne putemus separare quæ ille coniunxit. Initio terram sine humana arte & cultura, omne herbarum & frugum genus iussit producere: nunc autem manum hominis adhibet per quam operetur: si quis otioso hiatu velle se panem excipere iactet, quia benedictio Domini fecundet terram: an non pedibus magis calcabit Dei providentiam, quàm tali prædicatione efferet? Discerpit enim ac lacerat, quæ sacro inter se nexu coherent. Ergo quantum ad futurum tempus, quia nos adhuc rerum euentus latent, perinde ad officium suum intentus esse quisque debet, ac si nihil in utramvis partem constitutum foret. Vel, ut magis propriè loquar, talem in omnibus, quæ ex Dei mandato aggreditur, successum sperare debet, ut in rebus sibi incognitis contingentiam cum certa Dei providentia conciliet. Et benedictionem suam Dominus manuum nostrarum labori promittit. Hac voce pius vir se diuinæ providentiæ organum constitui agnosceret. Hac eadem promissione fretus, alacriter ad opus se accinget, quia persuasus erit, non fortuitam se operam in aëre iacere: quæ in Dei verbum recumbens, arcano eius consilio in optimum finem dirigetur. Denique, sicut providentia Dei ritè expensa, manus nostras nõ ligat: ita inuocationem ad eum non impedit, ut potius stabiliat. Si quid iam acciderit, simili in tempus præteritum sobrietate iudicia nostra temperari conuenit. Nulla ad patientiam aptior exhortatio, quàm dum audimus, nihil fortuito contigisse, sed quod Domino visum est, fuisse impletum. Interea non sequitur, quin verum aduersarum culpam vel ignavia nostra, vel temeritas, vel incogitantia, vel aliud vitium meritò sustineat. Quòd si de causis euentuum non liqueat: ut sæpe videntur quæ accidunt, præter rationem accidere: tamen ne sic quidem desinent præmentes & sapientia & iustitia laudem irilueere Deo.

Verum, ubi interueniunt hominum consilia, voluntates, studia, conatus, plus in eo est difficultatis, quomodo illic quoque regnet Dei providentia: non modò ne quid generatur nisi ex eius nutu: sed etiam ne quid deliberando agerent homines, nisi quod ipse inspirat. Edit quidè in eo quotidie præclara suæ providentiæ documenta, quum stultis hominum consilijs fræna laxans, imò dissimulans ad eorum apparatus, euentu tandem eos frustratur. Sed in alio genere potentem eius manum & dominationem celebrat Scriptura, quum impios infatuat, quum vertigine percutit, quum demorat & obstupefacit eos: similiter quum eorum corda effeminat, & pauore replet, ut ad folij cadentis strepitum concidant. Parum ergo consideratè Pighius, dum in istis angustiis concludit Deum, ut tanquam vir prudens, & dux rei militaris peritus, hostium suorum consilia præuidens, in contrarium iëpestiuus remedijs veriat. Quasi verò non utrunque disertè exprimat: Quòd deprehendat sapientes in astutia sua: & auferat spiritum principum, ac eorum prudentiam evanescere faciat. Nimis crassa etiã inscitia est, dum negat Dei voluntate mori, qui cõsultò ab homine occiditur: quia ubi intercedit hominis voluntas, Deus agere non dicitur. Quid ergo innumeris Scripturæ testimonijs fiet, quæ gladios impiorum Dei manu regi testantur? An sine hominum consilio occisi sunt filij Heli? Atqui, adscribitur elogium, quod voluerit Dominus occidere ipsos. Caterum, quin perpetuò gubernet Deus hominum

ob.

Kx

ob. H.

Kx Sed

Lib. 8. cap. 3.

2. Sam. 2.

manus, nunc ligatas teneat, nunc flectat huc & illuc ad exequendum quod statuit, quicumque mediocriter in Scriptura exercitati sunt, nō vocabunt in controuersia. Imō communi ferē omnium sensu receptum est, quicquid moliantur homines, euentum in manu Dei esse. Sed quia in tam densa humanae mentis caligine perquam tenuis & ferē euanida est illa cognitio: Scriptura altiore nobis speculam aedificat, è qua Deum contempler omnia hominum opera sic moderantem, vt in finem à se destinatum applicet.

Summa autem huc redit: Quauis homines, vt indomitæ bestia nullisque vinculis coercita, lasciuiat: arcano tamen freno gubernari, vt ne digitū quidem mouere queat, nisi ad exequendum Dei magis quam suū opus. Nam fideles, qui spontaneum illi obsequium impendunt, non secus atque Angeli, manus eius censendi sunt. Quare eos potissimum hīc commemoro, quibus nihil minus propositum est, quā habere quicquam vel consilio Dei affine, vel consentaneum eius voluntati. Ac sibi quidem quasi votorum compotes, plaudunt impij. Sed res tandem comprobatur, per ipsos, licet inscios ac nolentes, quod diuinitus ordinatū fuerat, esse impletum. Porro Deus ipse nunc impijs, ad puniendā hominum peccata, tanquam flagellis vtitur: nunc, quasi obrorto collo eos traheret, beneficentiæ suæ ministros esse cogit. Prioris membri exempla colligere, immensi operis foret. Pauca tantum attingere præstiterit. Postquam Deus Assyrium ad bellandum incitans, virgam furoris sui vocauit, nec alio quā ira suæ baculo armatum esse docuit: postea in eius superbiam inuehitur: quod se non agnosceret veluti securim vel serram aliunde agitatam. Hac ratione & sanctificati à Deo, & conduclitij eius milites dicuntur, & operam illi nauare, quos ambitio alioqui sua, & crudelitas, & auaritia impellit: & Dominus vicissim sibilo vel classico se eos ad arma vocare testatur. Diuinæ beneficentiæ viam parari hominum maleficijs, vel vnus Moysis locus satis clarè demonstrat. Plusquam scelerala, perfida, & crudelis fuerat conspiratio fratrum Ioseph, quum eum venderent. Atqui, in Deum transcribit, sed alio respectu, venditionis huius causam: Non vos estis, sed Dominus qui me pramissit, vt vos alerem. Constat ergo, quum impiè agerent, per eos tamen operatum esse Deum, vt vitam in morte inuenirent. Quantum in ipsis erat, occiderant fratrem. Inde illis vita affulget. Idem in scelerum omnium principe, & impiorum capite Satana, perspicere est. Eum Deus ad decipiendum Achab cum hoc mandato dimittit, vt sit spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Ita spiritus impostor, iræ Dei minister est ad excæcandos impios, qui veritati obtemperare noluerant. Contrà verò Paulus datum sibi carnis stimulum memorat nuntium Sathanae, à quo cedatur colaphis. Hic Sathanae venenum ad curandam superbiam antidotum est. Qualis obsecro medicus Sathan, qui nihil quā perdere & occidere didicit? Verum, Deus qui semel iussit è tenebris lucem splendē, ex inferis ipsis, cum ita visum est, salutē mirabiliter educit, atque ita tenebras conuertit in lucē. Caterum quod operatur Sathan, Scriptura Dei opus aliò respectu affirmat: quatenus scilicet ipsum Deus, suæ prouidentia obsequio illigatum tencns, quo visum est flectit, vt eius operam ad vsus suos applicet.

Quanquam si non alium agēdi modū exprimeret Scriptura, nondū adeò difficilis esset ad soluendū nodus. Magis ardua est altera quæstio: agātne Deus in cordibus hominū, consilia dirigat, huc illuc flectat eorum voluntates, ne quid agant nisi quod ipse ordinauit. Nō querimus hīc, an pios sanctosque affectus, in cordibus suorum opere-

operetur: quia cōtrouersia caret: sed an prauos quoq; impiorū affectus in potestate sua habeat, slectat huc vel illuc, ut velint quod per ipsos perficere decreuit. Certè cū Solomō pronuntiat, in manu Dei esse cor regis, ut quocunque visum fuerit, ipsum inclinet, generaliter ostendit, non minus voluntatem, quàm externa opera, Dei arbitrio regi. Obduratum ab eo cor Pharaonis dicit Moyses. Frustra hīc ad permissionem confugitur: quasi Deus fecisse dicatur, quod fieri tantum passus est. Clarè enim duritiem illam, Dei opus fuisse, Moyses affirmat. Nec sanè alio sensu hīc Dei consilio adscribitur Pharaonis seuitia quàm alibi gratiam dare populo suo dicitur in oculis Aegyptiorum. Quis enim non videt cicuratas fuisse Dei virtute & mansuefactas truces bestias, cū ad clementiam flexi repente sunt Aegyptij? Vnde ergo factum dicemus, ut tam inhumaniter Phara seuiret, nisi quia partim ad probandam suorum tolerantiam, partim ad exercendam suam virtutem, ita Domino placuit? Eadem ratione dicitur, vertisse hostium corda in odium populi sui. Nec obstat, quòd dicitur alibi Phara ipse cor suum aggrauasse: quando neque extrinseco motu impelli fingimus hominum animos, ut violenter ferantur: neque in Deum transferimus indurationis causam, ac si non spontè propriæque malitia duri & immites, se ipsos ad peruitaciam acuerent: sed quod peruerse homines faciunt, non nisi Deo ordinante fieri, Scriptura docet. Quemadmodum alibi dicitur, quòd incolæ Gibeon se Israeli opposuerint à Domino fuisse, qui obstinavit cor eorum.

Modum quoque exprimit Scriptura, quum vno in loco recitat Deum populo iratum, cor Dauidis incitasse, ut populum numeraret: in altero Sathanam facit eiusdem institutionis aut horem. Vnde intelligimus, Sathanam iræ Dei flabellum esse, ut corda hominum quocunque voluerit Deus, impellat. Quod expressius alibi habetur: Inuasit Saulem Spiritus Domini malus. Scelere quidem suo agitur Saul, ut furorem intus conceptum voluntario motu egerat. Eum nihilominus impellit Sathan: neque id Deo per otium speculate, sed ita volente. Alioqui, improprie Spiritus Domini malus diceretur, nisi ad exequendam eius vindictam minister esset, ac carnifex. Nec verò ideo tantum iræ Dei minister, quòd animos ad malis cupiditates sollicit: sed quia efficaciter trahat. In quem sensum Paulus efficaciam erroris diuinitus inmitti asserit, ut mendacio credant, qui noluerunt veritati obedire. Vides ut non modo Dei mandato Sathan in ore Prophetarum omnium spiritus sit mendax, sed eius imposturæ reprobos illaqueent, ut ratione priuati in errorem necessario trahantur. Sic intelligendum quod idem Paulus tradit, qui Deo ingrati fuerant, dari ab ipso in reprobum sensum: & tradi in cupiditates fœdas & ignominiosas, ut faciant quæ non conueniunt, & probri afficiant sua corpora. Augustinus non permissu quiescentis Dei, sed iusto eius iudicio cordis cupiditatibus fuisse addictos, qui gloriam eius indignè profanauerant. Quomodo id factum sit, declarat locus ille, quòd illis Deus mittit efficaciam erroris. Vnde perspicuum fit, quod iam attigeram, non minus interiores affectus regere Dei manum, quàm externis actionibus præesse: neque Deus, quæ decreuit, hominum manu perficeret, nisi in ipsorum cordibus operaretur ipsum velle, quod operis effectum præcedit. Tenenda igitur Augustini sententia: quum vult fieri Deus, quod non nisi volentibus hominibus fieri oportet, eorum simul corda inclinare, ut velint: ipsumque non tantum auxiliando in cordibus agere, sed etiam indicando, ut impleant, quibus nihil tale propositum est, quod manus eius & consilium decreuit. Prudenter etiam in ipsis naturæ seminiibus considerandū proponit, à quo multi tantò opere abhorrent. Tanta enim quæ in hominum ingenijs cernitur diuersitas, quæ diuinitus sit illis indita, arcana illius operationis, quæ corda regit ac mouet, luculentum est specimen.

Prou. 21.

Exod. 4. &amp; 7.

Exod. 30.

psal. 105. Exod. 8.

Iosue. 11.

2. Sa. 24. 2. Chro. 2.

1. Sam. 16.

2. Thef. 2.

Lib. de. prædest. Sancto. cap. 20.

Lib. 1. de peccat. mer. &amp; remis. cap. 20.

Hinc certè iam colligere promptum est, quàm inane & fluxum sit illud diuinæ iustitiæ patrociniū, Quæ mala sunt, non eius volūtatē, sed permissū, duntaxat fieri. Equidem quatenus mala sunt, quæ malo animo perpetrant homines, vt statim plenius exponam, Deo minimè placere f. uor: sed quòd otiosum ea permittere fingunt, quæ Scriptura non tantum eo volente, sed auctore fieri pronuntiat, nimis friuolum est effugium. Dedit hoc interdum Augustinus receptæ loquendi consuetudini: sed quum pressius insistit, & magis exactè rem examinat, nullo modo patitur, in locum actionis permissionem substitui. Non referam ad verbum omnia quæ hac de re libro contra Iulianum quinto disputat. Clausulum apponere sufficiet. Facit hæc miris & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia sua, non solum in corporibus hominum, sed etiam in cordibus operari. Qui non facit voluntates malas: sed vitur eis vt voluerit: quum aliquid iniquè velle non possit. In eundem sensum alibi Scriptura, si diligenter inspicitur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & bonas à se factas, in actus bonos & in æternam dirigit vitam: verum etiam illas quæ conseruant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate, vt eas quando voluerit, quòd voluerit, faciat inclinari: vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas. Tandem atexit. Quis non ad ista iudicia contremiscat, quibus agit Deus etiam in cordibus malorum quicquid vult, reddens eis tamen secundum merita eorum? Iterum Scripturæ testimonijs satis manifestum est, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum, iudicio vtique suo, quandoque aperto, quandoque occulto, semper autem iusto: fixum enim in cordibus vestris esse debet, quòd non sit iniquitas apud Deum. Cur autem occultum quandoque Dei iudicium esse commemoret, ex superiore loco petenda ratio est: vbi postquam sepius peccata confessus est esse pœnas, quas Deus iustè prioribus peccatis rependit, tandem ad illud altius magisque reconditum arcanum cõscendit: quòd iustæ exercendæ iræ suæ materiam Deus in omnibus inueniat, nisi quos gratis elegit. Nam ceteri, inquit, mortales, qui ex isto numero nõ sunt, & ex eadem quædam massa, ex qua & isti, sed vasa iræ facti sunt, in utilitatem nascuntur istorum. Non enim quenquam eorum Deus temerè ac fortuitò creat, aut quid de illis boni operetur, ignorat: quum & hoc ipsum bonum operetur, quòd in eis humanam creat naturam, & ex eis ordinem seculi exornat. Cur formidime & pauore nunc corda hominum consternet, nunc instruat audacia, cur auferat spiritum principibus, & sapientum consilia infatuet: cur spiritu temperantiæ donet alios, spiritum vertiginis & furoris alijs propinet: causam aliquando notam & conspicuam assignat: sed occultum eius iudicium dominari, vt voluntates quas visum est conuertat, æquè apparet: quando communis omnibus natura est, nõ gratia: vt alio loco verè admonet idem sanctus vir.

Hæc probè & sobriè reputanti minimè dubium erit, summam & præcipuam rerum omnium causam esse, Dei voluntatem. Qua etiam notitia frenari mentes nostras conuenit, ne plus quàm fis est, quærendo, intemperanter lasciuiant. Durum primò statim auditu videtur illud Augustini, quòd Dei voluntas sit rerum necessitas. Item quòd subiicit explicandi gratia, quòd sic causas inferiores condiderit Deus, vt ex illis esse illud, cuius causa sunt, possit, sed non necesse sit: altiores autem & remotas sic in se absconderit, vt ex eis esse necesse sit, quòd ex illis fecit, vt esse possit: sed attentius rem consideranti asperitas illa facile mirescet. Nam quòd alibi tradit, etsi verbis diuersum, re tamen & sensu prorsus idem est: quòd tamen nihil in se offensionis continet. Habet in seipso Deus absconditas quorundam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit, eas implet, non illo opere prouidentia

Cap. 3.

De. grat. &amp; libero arbitr. ad Valent. cap. 20.

Cap. 21.

Lib. cõtra Iulian. 5. cap. 3.

De verb. aposto. 1. timo. 11.

Lib. 6. de genef. ad liter. ca. 15. Cap. 18.

Lib. 9. e. iulid. 0. peris ca. 18.



dentia, quo naturas substituit ut sint: sed quo eas administrat prout voluerit, quas prout voluit, condidit. Ibi est gratia, qua salui sint qui perditii erant. Quid enim verius, quàm Deum in creaturis regendis plus aliquid apud se habere reconditum, quàm earum naturas indiderit? Atqui, omnium quæ geruntur, prima causa ideo censetur eius voluntas, quia naturas à se conditas, arbitrio suo ita regit, ut cuncta hominum consilia & actiones in finem à se prefixum destinet. Porro hac doctrina frænum nobis injici, quod sub modo stitantes conueniat, non immeritò dixi: quia nimis absurdum est, Dei voluntati quæ omnibus causis superior est, non cedere, nisi manifesta eius causa appareat.

Memoria quidem repetendum est quod, antè dixi: nihil nisi optima ratione facere Deum: sed quia certissima iustitiæ regula est eius voluntas: nobis præcipua, ut ita loquar, rationum omnium ratio esse debet. Nam fidei humilitas, quum ex viua diuinæ iustitiæ reuerentia nascatur, minimè stupida fingenda est. Quis enim, nisi persuasionem hanc penitus animo infixam habeat, iustum esse Deum, & recta eius operata in solo eius placito acquiescet? Itaque Sorbonicum illud dogma, in quo sibi plaudunt Papales Theologastri, detestor: quod potentiam absolutam Deo affingit. Solus enim lucem à calore auellere, imò suum ab igne calorem, facilius erit, quàm Dei potentiam separare à iustitia. Faceffant ergo procul à pijs mètibus monstræ illæ sterculationes: plus aliquid Deum posse quàm conueniat: vel eum sine modo & ratione quicquã agere. Nec verò cõmentum illud recipio, Deum, quia lege se latus sit, quicquid agat, reprehensione vacare. Deum enim ex legem qui facit, maxima eum gloriæ suæ parte spoliatur, quia rectitudinem eius ac iustitiam se pelit. Non quòd legi subiectus sit Deus, nisi quatenus ipse sibi lex est. Talis enim est inter potentiam eius ac iustitiam symmetria & consensus, ut nihil ab ipso, nisi moderatum, legitimum, & regulare, predeat. Et certè quem omnipotentem prædicant fideles, eundem simul mundi iudicem agnoscant necesse est, ut potentiam sensu suo apprehendant, iustitia & æquitate temperatã.

Nondum tamen soluta est obiectio: Si Dei arbitrio geruntur omnia, nec quicquam homines nisi eo volente & ordinante, designant, esse igitur malorum omnium authorem. Vera est illa, quæ pridem in scholis obtinuit, & passim celebratur distinctio: malum pœnæ, non culpæ à Deo proficisci, modò dextrè intelligatur: sed imperitè quidam, ac si verbulo vno rem, de qua agitur, obruere liceret, hoc ipsum de quo maximè ambigitur, securè prætereant: quomodo extra culpam sit Deus in eodem opere, quod in Sathana & reprobis tam damnatur ipse, quàm damnandum ab hominibus pronuntiat. In eodem enim opere non diuersis, malum vtriusque cernitur, ut Deo iustæ punitiois laudem, culpam hominibus adscribi necesse sit. Prædones, sancti Iob pecora rapiunt. Crudele & indignum est facinus. Sathan hoc modò eum ad desperationem sollicitat. Magis detestanda machinatio. Atqui, Iob authorem alium prædicat: Dominus dedit: Dominus abstulit. Neque immeritò in Deum transfert, quod non nisi latronibus tribuendũ foret. Nam perinde ac si oculus stesset, quæ in cœlesti confessu gesta esse historia narrat, Dominum abstulisse fatetur per manus latorum, quod non nisi eius nutu & autoritate, ablatum erat. Quod etiam explicat sequentibus verbis: Sicut Domino placuit, ita factum est. Audimus commune esse & Dei & Sathana & latorum opus. Audimus nihil accidisse, nisi quod Domino visum est. Quomodo nunc à culpæ eximetur Deus, cuius Sathan cum suis organis reus erit? Nempe si inter hominum facta discrimen à consilio & fine sumitur: ut eius damnetur crudelitas, qui cornicum oculos configit, vel occidit ciconiam, iudicis autem laudetur virtus, qui scelesti hominis cæde manus suas sanctificat. Et cur deterior erit Dei conditio, ne sua eum iustitia ab hominum maleficijs separet? Ut propius ad similitudinem

accedam: laudabitur princeps, qui iusto & legitimo bello, vim, rapinas, & latrocinia à suis finibus repellat. Interea, multos armabit milites, qui cupide ad fundendum sanguinem, ad diripienda pauperum bona, ad omne licentia genus grassando, laudem certe non merebuntur. Alij duo inter se exercitus praelio confligent: si in duce, cuius auspicijs & iussu commissum est praelium, rectum affectum perspicias, quantum homo sit mortalis, cum absolues, militibus clamantis, qui manu ad iugulandos homines nefanda mercede locant: & Deum, quia per Sathanam operatur, iustitiae suae gloria fraudabis? Ita est scilicet: ut nebulae quas terra exhalat, Solis fulgorem obscurant, ne ad hominum usque oculos perveniat: Sol tamen nihilominus lucidus manet: ita multa quasi vaporum impedimenta procreant hominum vanitas, quae divinae aequitatis conspectum auferant: ipsa tamen integra & illaesa manet. Quum idem sit opus, pari Deum & impios reatu inuolui, volunt isti. Verum non sic David, quem cum Semei probris & lapidibus impeteret, non in homine ipso subsistit: sed Dei praecipuum considerat. Dominus, inquit, illi praecipit, ut malediceret. Neque tamen contra Deum insurgit: sed humiliter tergum virgis subiiciens: quis audeat dicere, inquit, quare sic fecisti? Quem admodum & in Psalmo: Obmutui: quia tu fecisti. Quem enim piorum non ad silentium protinus adiget Dei maiestas? & cui non laudis confessionem exprimet iustitia? ut in vocem illam erumpat: Sinite maledicere iuxta praecipuum Domini, si forte afflictionem serui sui respiciat ipse Dominus.

Ergo cum iusta de causa, licet nobis ignota, à Domino procedant, quae sceleratè ab hominibus maleficia perpetrantur: etiamsi rerum omnium prima causa sit eius voluntas, peccati tamen cum esse authorem nego. Nec verò obliuione tegenda est illa, quam posui, causarum diuersitas: quod alia est propinqua, alia autem remota causa: ut sciamus quam longè inter equabilem Dei prouidentiam, & turbulentos hominum impetus, sit distantia. Turpi quidem & illiberali calumnia nos grauant, qui Deum peccati authorem fieri obtendunt, si omnium, quae aguntur, causa est eius voluntas. Nam quod homo iniuste perpetrat, vel ambitione, vel auaritia, vel libidine, vel prauo quouis alio affectu incitatus, quum Deus iusto, licet occulto iudicio, per manum eius faciat, non potest in eum quadrare peccati nomen. Peccatum in homine facit perfidia, crudelitas, superbia, intemperies, inuidia, caecus sui amor, praua aliqua cupiditas. In Deo nihil reperies tale. Semei regem suum immani petulantia infestat. Peccatum apparet. Deus tali ministro ad iustam Davidis humiliationem utitur: adeoque tali ferula eum castigat. Quis eum peccati infimulet? Arabes & Sabaei ex aliena superstitione praedam rapiunt. Manifestum latrocinij crimen. Deus serui sui patientiam, illorum violentiam exercet. Emergat potius ex re praesenti heroica illa confessio, Sit nomen Domini benedictum, quam sacrilegae obtreccationes audiantur. Denique, talis Dei est agendi ratio in hominum peccatis, ut quum ad eum ventum est, sua puritate omnem maculam prorsus abstergat.

Enchir.  
ad Laur.  
cap. 101.

Atque hic utilis est Augustini admonitio: in specie consensus magnum esse interdum Deo cum hominibus dissidium: quum bene vult Deus, quod homines male volunt: & bene non vult, quod homines male nolunt: sicut rursum in specie repugnantiae non male conueniunt, quum bene volunt homines quod Deus bene non vult, & bene nolunt, quod Deus bene vult. Optabit filius mortem patris, ut in hereditatem conuoluet. Eundem & Deus mori volet. Voluit Deus Ierosolymam excidi, Templum profanari, & funditus euertere, extremis quibusque tormentis vexari Iudeos: idem optabant Idumaei. Diro & truculento homini, qui nemini pepercit, ut eadem illi mensura remetiat, nolet Deus quicquam opis afferri, quum necessitate urgetur. Filius omne illi pietatis officium negabit: nec eum suble-

subleuare uolet. Sanioribus consilijs filios Heli parère Deus nolebat: quos statutum illi e- 1 Sam. 2.  
rat perdere. Patrem illi audire noluerunt. Quædam initio consensus species hæc se profert:  
sed quantum ad bonum vel malum, nihilò minus discordiæ, quàm inter aquam & ignem.  
Longiorem uxoris uitam optabit maritus, quam è mundo Deus euocat. Mortem horreb-  
bat & deprecabatur Christus, quæ suauissimi odoris sacrificium erat Deo. Vtriusque ta-  
men uoluntas, gauuis in speciem diuersa, extra culpam est. Non est igitur, quòd Deum in  
societatem criminis quisquam arripiat, quoties inter arcanum eius consilium, & falsam ui-  
tiosas hominum cupiditates, aliqua similitudo se ostendit. Occurrit semper illud Augusti-  
ni: Propterea magna opera Domini, exquisita in omnes uoluntates eius, ut mirò & ineffa-  
bili modo non fiat præter eius uoluntatem, quòd etiam fit contra eius uoluntatem: quia nõ  
fieret, si non sineret, nec utique nolens sinit, sed uolens.

Atque hinc etiam refellitur eorum uel inscitia, uel improbitas, qui unam & sim- Enchirid  
plicem Dei naturam fore negant, si uoluntas illi alia tribuitur, quàm quæ ab ipso in Lege pa- ad Laurẽ.  
refacta est. Quarum etiam nonnulli per ludibrium, si qua est non reuelata in lege Dei uo- cap. 100.  
luntas, quo nomine uocetur. Atqui, mente captos esse oportet, quibus nihil significat tot  
Scripturæ testimonia, quæ cum admiratione prædicant quàm profunda sit iudiciorum Dei  
abyssus. Certè Paulus quum exclamat: O altitudo! quàm inscrutabilia sunt iudicia etus! a- Rom. 11.  
liud quoddam de Iudeis fuisse Dei iudicium, aperte docet: quàm quòd exprimitur Christi Matt. 23.  
uerbis: Ierusalem, quoties uolui congregare pullos tuos? Et quòd filios Heli patri morigeros Luc. 23.  
esse nolui, uoluntas illi à Legis præcepto differebat, quo iubet filium parentibus obsequen-  
tem esse. Denique quoties misericordie Dei consilia & profundas cogitationes prædicat, non  
de præceptis loquitur, quæ ante oculos patent exposita: sed potius inaccessible illam lucem cõ-  
mendat, in qua reconditum est consilium, quòd mentis nostræ captu altius suspicere & a-  
dorare cogimur. Dicit quispiam: Si inaccessible lux est: cur ergo accedis? Ego uerò non acce-  
do, ut quæ procul latere uult Deus, proterua curiositate excutiam: sed quòd Scriptura pro-  
nuntiat, certa fide amplexus, reuerenter suspicio. Sed quomodo conueniet, Deum perpetuò  
similem esse sui, ac ne minima quidem obumbratione flexibilem: & aliud tamen uelle quàm  
præ se ferat? Respondeo, non esse mirum, si Deus cum hominibus loquens, ad eorum modu-  
lum se attemperet. Quis Deum in uisionibus apparuisse dicit, qualis est? Nam is est gloriæ  
eius fulgor, qui omnes nostros sensus nudo sui conspectu absorbeat. Se ergo manifestauit,  
quatenus capere homines poterant. Verum, siue nobiscum balbutit Deus, siue quòd nobis  
nouit incomprehensibile esse, subterit: in eius tamen sermone quicquam fictum aut simulta-  
tium esse, nego. Quod habetur in Psalmo uerissimum est: quòd Deus non sit iniquitatem psal. 5.  
uolens. Nec uerò illic per os Dauidis testatur aliud, quàm re ipsa quotidie probat, dum  
pœna: n de hominum peccatis sumit. Neque enim puniret, nisi odisset. Vltorem uides, ap-  
probatorẽ non esse, statuendum est: sed in eo falluntur multi, quòd Deum iustè uelle non  
reputant, quæ homines peccando faciunt. Quomodo inquires: Adulteria incestosque coitus  
abominatur. Quòd Absalom patris concubinas coram populo constuprat, an sit Deo nocente?  
At qui, hoc se facturum ipse per seruum suum Nathan prædixerat: Tollam uxores tuas in o- 1. Sam. 16.  
culis tuis: & dabo proximo tuo, qui dormiet cum illis in conspectu Solis huius. Tu fecisti oc- Eiusdem  
culte: ego autem coram toto populo, & coram Sole facturus sum. Plena est talibus exem- lib. 12.  
plis Scriptura. An ideo uel peccati culpam Deo imputabimus, uel duplicem in eo uolun-  
tatem fabricabimus, ut secum ipse dissideat? Verum sicuti iam ostēdi, idem eum uelle cum  
sceleratis & improbis: sed diuerso modo: ita nunc tenendū est, quæ in speciem diuersa sunt,  
eodem modo eum uelle. Ut in ista, quæ mentibus nostris occurrit, uarietate optime tem-

perata sit symphonia. Quatenus immanis aduersus patrem impietas, perfida coniugij violatio, fœdactiam ordinis naturæ profanatio est Absalomi facinus, displicere Deo certum est, cui placet honestas, pudicitia, fides, modestia, qui legitimum quem præscripsit, ordinem coli & integrum seruari vult inter homines: quia tamen illi placet, hoc modo adulterium Davidis vlcisci, quæ diuersa nobis videntur, eodem modo vult. Vna enim & simplex est voluntas, qua præcipit quid fieri debeat, & qua legis suæ transgressiones vlciscitur. Dicitum alibi est, peccata esse pœnas, quas Deus superioribus peccatis rependit. In talibus documentis an non duo nobis consideranda sunt? iustum Dei iudicium, quo se peccatum cui pœnam irrogat, testatur odisse: & hominis malitia, quæ Dei voluntati palam aduersa est. Quòd si tam immensus splendor mentis nostræ aciem præstringit: quid mirum? Ad ferendū Solis intuitū corporei oculi non sufficiunt. An vel ingenio nostro maior perspicacia: vel Dei maiestas Solis fulgore inferior? Nos ergo nimis acutos esse non conuenit: modò ne in-  
 terea, quod Scriptura clarè docet, ac experientia confirmat, vel negemus verum esse, vel  
 tanquam Deo minus consentaneum, carpere audeamus. Quum vltimus affulserit  
 dies, inquit Augustinus, tunc in clarissima luce sapientiæ videbitur, quod  
 nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione vi-  
 deatur: quàm certa & immutabilis, & efficacissima  
 sit voluntas Dei: quàm multa possit, &  
 non velit: nihil autem ve-  
 lit, quod non  
 possit.

Enchiri.  
 ad Laurē.  
 cap. 95.

LAVS DEO.

OPVSCVLO RV M OMNIV M IOAN-  
 nis Caluini, Finis.

## ERRATA SIC CORRIGITO.

Prior numerus paginam: alter lineam designat.

Iob. 13. Matt. 6. Gen. 46. Ezech. 18. 2. Sam. 1. 3. Reg. 17. Iefa. 26.  
 pag. 2. sexaginta sex, 2. 17. εἰς τὸν αἰῶνα 13. 9. Pagina 23. ad marginem, ubi legi-  
 tur Gen. 9: lege Eccle. 9. exuunt: desides tantum 14. 44. immortalē esse 26. 22. φθέρων  
 τὸ ἐνδοξὸν κρείσσως 26. 31. cōfessi sunt, 30. 24. indulgētiarum 52. 25. præteteretur, 58.  
 38. indoctos 65. 44. oppugnata 81. 34. Istā quidē 81. 45. cū Paulo verē 82. 25. quæ hor-  
 ribili Dei 88. 27. nihilo tamē, 89. 16. patris cōspectu 89. 35. maiestatē illudi, 90. 32. po-  
 test intelligere 103. 33. quæ populum 113. 4. obfiterunt: 113. 29. iudicādi. 121. 7. habē  
 dos pro 124. 18. Neque verō 124. 45. populum grassatus 226. 17. exceptione 227. 16.  
 Putāsne tantam in nostris: 227. 22. ebullierunt 128. 37. melioribus 130. 43. sollicitus  
 131. 7. charitatem 135. 2. erroris esse 145. 45. aut faltem eam pacare 146. 45.  
 spectasse 152. 30. vltro citroque 152. 42. scriptis nostris 153. 10. vitā nouitatem 169.  
 39. confingere 170. 14. in optandis 186. 33. temperare 189. 23. ceperim 216. 17.  
 cogitur 221. 43. Desinat 222. 8. sustinemus. Satis 223. 23. emicantem 214. 45.  
 promissioni 214. 19. ex Clementis 239. 3. chaos de αἰῶνων 214. 12. prodiisse  
 224. 19. nonne & illuc 245. 20. πανόσσοι, 226. 1. hac quoque nota 250. 14.  
 voluntariāne 252. 36. illud Concilium? 258. 42. opinor, 259. 10. perdidisse. Et  
 quod 261. 30. tolli æquitatem 262. 30. Augustinum 267. 4. dominium 269. 4. ni-  
 si dominium 270. 4. huic disceptationi 275. 27. pænas 275. 34. cur destrui Dei gra-  
 tiam 277. 27. qui sedato iam 281. 18. Augustinus? Voluntatem 285. 1. 2. aduersarii  
 285. 33. sibi præscribi, 287. 11. πὸ ἰσότηρ ἐπὶ γὰρ 291. 42. πὸ βία ἢ 291. 14. παρέρω  
 294. 24. flagellante, Deus 296. 33. Spiritum sanctum cognosce vnde 397. 9. & 10.  
 310. 34. nō solūm adfit 305. 29. repugnare 309. 44. Queritur enim 319. 37. vsu  
 abhorre 319. 43. an non valet quātum 321. 4. Quid Rex Niniæ 328. 6. haretice,  
 stulte 342. 40. sed ex mala 349. 44. in pacato statu 352. 21. haresum 354. 21. reprehe-  
 dātur 353. 29. & idoneos 358. 35. sic desyderiis 359. 13. alteri reuelatum, 375. 23. Cōci-  
 lii Mátuani 375. 36. statuēdum cōtinuo 376. 14. qui Cōcilio supra, 376. 32. si ad Cōci-  
 lium 378. 9. potestātē cōsecrādi. 390. 4. & vnctione 390. 30. 2. Cor. 5. ad marginē  
 linea secunda, pag. 391. Serenum 394. 35. tum ex Poëtis 396. 17. gubernari à 377.  
 36. gubernatur mundus 404. 29. solum suspicere 411. 45. qua sumus vanitate, 414.  
 26. 27. persuasio 414. 34. eorum turpitudine, 418. 33. animum oporteat afferre, 425.  
 7. & 8. cōspectum 429. 20. neminem latet 431. 32. obrepserant 432. 26. aut per si-  
 moniam 448. 14. aliud nos tumultuando, 488. 36. & 37. qui nullā 450. 35. sic tolera-  
 tur 451. 37. exoriuntur multi quorum 460. 30. alioqui non mala 460. 32. restin-  
 guendo, 461. 20. hac principes curare 463. 29. medicinam eis in manu 467. 9. aut  
 suaderemus 476. 42. stultitiæ populi 491. 12. 13. aliter teneri, 500. 21. sicuti quibus  
 nota 500. 41. veluti mutæ 507. 43. obscuro 509. 5. nec quid negare, 515. 36. ho mi-  
 nem Christianum 497. 2. id eo spectat, 557. 22. in cœlis ipsis agere 560. 40. 3. reg.  
 22. 571. 26. ad marginem. Euangelii adhærete, 574. 43. (nam miraculosi fabricandi  
 581. 28. in aerem sparsos 594. 21. ac si eo 595. 34. Certo certius est colorem 630.  
 29. 28. in νεόφωτισ 637. 11. aut præ te feras 643. 4. alii quidem 650. 22. huic quo-  
 que nodo 678. 32. ἀγασθα 679. 28. perseverauerint 699. 1. derogare, & non potius  
 per eam 699. 26. habetur 1. ad Corinthios decimo capite, 715. 19. sed ipsæ 718. 5.  
 si quis formaliter, 721. 36. fide suscepti 730. 11. non assentiat 736. 3. impiæ tyran-  
 nidi 750. 9. quod adhuc 759. 12. cum nostro spiritualem potum 762. 15. normam  
 corrigatur 775. 48. quam proculdubio 783. 8. tumultum moueant 787. 19. hareses,  
 primo, 800. 12. exhibebant Samariæ 800. 29. sepeliri iussit 817. 26. affecto cœ-  
 lo, 818. 11. eadēque grauitate 827. 16. fructus in Ecclesia 828. 9. quē constat 831.  
 41. cui sacrosanctum 832. 45. professio: sed 835. 38. sub vexillo 839. 9. quum af-  
 fiduæ 841. 23. cum fræuis 844. 17. spoliatos vident 847. 33. Si qui mortis 860. 36.  
 non resonent 862. 22. paroxissimum 862. 37. schisma 862. 42. facere videbantur  
 872. 31.



# LOCORVM OMNIUM SCRIPTVRAE

qui passim in his Caluini opusculis interpretati sunt, Index.

Numerus qui in fronte ponitur, caput indicat: duo vero posteriores, paginam & lineam.

## EX GENESI.

- 1 b. Fiant luminaria in firmamento caeli, & diuidant diem ac noctem: & sint in signa & tempora &c. 805. 8. & 813. 15. Ibidem, Producat terra animam viuentem in genere suo. 3. 26. Ibidem, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. 3. 9. Ibidem, Masculum & feminam creauit eos. 543. 43.
- 2 b. Et inspirauit in faciem eius spiraculum uitae. 3. 19.
- 3 c. Inimicitias ponam inter te & mulierem: & semen tuum & semen illius: ipsum conteret caput tuum. 500. 15. Ibidem d. Puluis es & in puluerem reuerteris. 19. 40.
- 4 d. Tunc ceptum est inuocari nomen Domini. 841. 25. & 843. 31.
- 6 b. Et cuncta cogitatio cordis hominum tantum modo esset ad malum omni tempore. 383. 1. Ibidem c. Dixit ad Noe: sinis uniuersae carnis uenit coram me, &c. fac tibi arcam. 843. 40.
- 14 d. At uero Melchisedec rex Salem proferens panem & uinum &c. 773. 35. & 873. 36.
- 15 b. Credidit Abraham Domino, & reputatum est illi ad iustitiam. 707. 11.
- 17 a. Ut sim Deus tuus & seminis tui post te. 472. 13. & 473. 15. & 474. 15. 30. & 381. 1. & 700. 34.
- 21 a. Cumque uidisset Sara filium Agar Aegyptiae ludentem cum Isaac filio suo, &c. 853. 37.
- 22 c. Cumque colligasset Isaac filium suum &c. Et ecce Angelus Domini de caelo clamauit, &c. Non extendas manum tuam super puerum &c. uiditque post tergum arietem inter uespres. 11. 41.
- 25 d. Qui primus egressus est, rufus erat, &c. uocatumque est nomen eius Esau. 807. 14. 32 f. Et ecce uir luctabatur eum eo usque mane. Qui cum uideret, quod eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. 227. 43.
- 34 b. Siche filij mei adhuc sit anima filiae uestrae. 117.
- 35 c. Egreidente autem anima praedolore, & immimente iam morte, uocauit &c. 224.
- 44 c. An ignoatis, quod non sit similis mei in augurandi scientia? 814. 19.
- 46 c. Omnes animae domus Iacob, quae ingressae sunt in Aegyptum, fuere septuaginta. 2. 18.
- 48 d. Et inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac. 780. 20.

## EX EXODO.

- 4 f. Tulit ilico Sephora acutissimam petram, & circumcidit praeputium filij sui. 800. 24. & 801.
- 7 a. Sed ego indurabo cor eius. 943. 4.
- 9 c. Circum autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam. 903. 23.
- 10 a. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti &c. 170. 40. Ibidem, Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem

quae est in caelo &c. Non adorabis ea, neque coles. 463. & 171. 35. & 395. 16. Ibidem, Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, uisitans iniquitatem patrum in filios, &c. 172. 30. Ibidem, b. Non assumes nomen Domini Dei tui in uanum &c. 173. 39. Ibidem, Memeto, ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis &c. 174. 30. Ibidem, c. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longaeuus super terram, quam &c. 176. 40. Ibidem, Non occides. 178. 4. Ibidem, Non mactaberis. 178. 25. Ibidem, Non furum facies. 178. 44. Ibidem, Non loqueris contra proximum tuum. Falsum testimonium. 179. 20. Ibidem, Non concupisces domum proximi tui. Nec desiderabis uxorem eius. 180. 3. Ibidem, c. Non loquatur Dominus nobiscum, ne forte moriamur. 20. 20.

- 32 b. Et fecit ex eis uitulum effatili m. Dixeruntque, Hi sunt dii tui Israel. 58. 17. & 609. 5. Ibidem, c. Recordare Abraham, Isaac & Israel seruorum tuorum &c. 426. 25. & 780. 21. & 900. 44.
- 34 b. Qui reddis iniquitatem Patrum filiis ac nepotibus. 901. 11.

## EX LEUITICO.

- 19 c. Non consideres personam pauperis, nec honores uulcani potentis. 900. 24.

## EX DEUTERONOMIO.

5. a. Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti &c. Horum & sequentium praecceptorum expositionem quaere supra Exod. 20.
5. b. Reddens iniquitatem Patrum super filios in tertiam & quartam generationem. 901. 10.
8. a. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna &c. ut ostenderet tibi quod non in solo pane uiuat homo, &c. 23. 29.
- 10 c. Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Deum tuum. 2903. 24. Ibidem, b. & 46. En Domini Dei tui caelum est, & caelum caeli, terra, & omnia quae in eis sunt: & tamen patribus tuis conglutinat us est Dominus, & amauit eos, &c. 911. 10. Ibidem, d. Qui personam non accipit nec munera. 911. 11.
- 13 a. Si surrexerit in medio tui Propheta &c. & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos &c. non audies uerba Prophetae illius &c. quia tentat uos Dominus Deus uester &c. 357. 14.
- 18 b. Nec inueniatur in te &c. qui ariolos faceret, & obseruet somnia, atque auguria &c. 819. 14.
- 23 c. Non offeres mercedem praestituli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, &c. 39. 32.
- 29 c. Ne sit inter uos radix germinans fel, & amaritudinem. Ibidem, Pax erit mihi &c. assumat ebria sitientem. 531. 25.
- 30 c. Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum &c. Sed iuxta te est sermo ualde, in ore tuo &c. 244

I N D E X.

39. & 301. 25. Ibidem, d, Testes inuoco hodie  
cælum & terram, quod propofuerim vobis vi-  
tam & mortem, &c. 300. 44.  
32 e Nonne hæc condita funt apud me, & signa-  
ta in thefauris meis? 310. 14.

E X I O S V E.

- 24 e Auferte Deos alienos de medio veftri, & incli-  
nate corda veftra ad Dominũ Deũ Israel 911 12.

E X I. S A M V E L I S.

- 2 e, Et non audierunt vocem patris fui, quia vo-  
luit Dominus occidere eos. 947, 1.  
3 d, Et non cecidit ex omnibus verbis eius in ter-  
ram. 573. 21.  
16 e, Et exagitabat eum fpiritus nequam à Do-  
mino. 943, 22.  
18 a, Anima Ionathæ conglutinata est animæ Da-  
uid. 2.

E X I I. S A M V E L I S.

- 1 b, Tenent me anguftiæ, & adhuc tota anima  
mea in me est. 330.  
6 a, Poftquam autem venerunt ad aream Nachon  
extendit Oza manum ad arcã Dei &c. iratus-  
que est indignatione Dominus contra Ozã &c.  
369, 19.  
12 c, Et tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo  
proximo tuo. 947, 39.  
16 b, Dimitte eum vt maledicat: Dominus enim  
præcepit ei, vt malediceret Dauid &c. 529, 4.  
& 946, 18.  
24 a, Et addidit furor Domini irafci contra Iſ-  
rael. 531, 6, & 943, 20.

E X I. R E G V M.

- 4 e, Et difputauit fuper lignis, à Cedro, quæ est in  
Libano, vfque ad hyſopum. 563, 25.  
12 g, Et excogitato confilio fecit duos virtulos au-  
reos, & dixit eis, Nolite vltra afcendere in Ieru-  
ſalem. Ecce Dii tui Iſrael &c. 58, 22, & 609, 11.  
17 d, Reuertatur, obfecro, anima pueri huius in vi-  
ſcera eius. 2, 23.  
19 d, Et derelinquam mihi in Iſrael ſeptem mil-  
lia virorum, quorum genua non funt incurua-  
ta ante Baal, & omne os quod non adorauit  
eum, &c. 46, 12, & 607, 28.  
22 b, Aſcende, & vade profpere: & tradet Dominus  
in manus regis. 571, 31. Ibidem, Nunc igitur  
ecce dedit Dominus ſpiritus mendacii, in ore  
omnium prophetarum tuorum. 571, 26.

E X I I. R E G V M.

- 5 e, Quando ingredietur Dominus meus tem-  
plum Remon, vt adoret: & illo innitente ſuper  
manum meam, ſi adorauero &c. vt ignoſcat mi-  
hi Dominus ſeruo tuo 63, 28, & 613, 28, & 639, 1,  
& 29, & 646, 14.

E X I. P A R A L I P O M E N O N.

- 15 d, Michol filia Saul proſpiciens per feneftram,

- vidit regem Dauid ſaltantem &c. 753, 9.  
22 d, Præbete igitur corda veftra, & animas ve-  
ſtras vt quaeratis Dominum. 341, 3.

E X I I. P A R A L I P O M E N O N.

- 12 d, Fecitque malum, & non præparauit cor ſuum  
vt quaereret Dominum. 340, 6.  
15 c, Iuraueruntque Domino voce magna in iu-  
bilo, & in clangore tubæ &c. 498, 30.  
26 c, Iratusque Ozias, & tenens in manu thuribu-  
lum vt adoleret incenſum, minabatur ſacerdo-  
tibus. Statimque orta eſt lepra &c. 370, 23.  
30 b, Nolite indurare ceruices veftras ſicut patres  
veſtri. 341, 4.

E X L I B R O I O B.

- 1 c, d, Ecce vniuerſa quæ habet in manu tua funt,  
&c. Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Do-  
mino placuit ita factum eſt. 528, 18, 40.  
3 b, Quare non in vulua mortuus ſum? &c. Nunc  
enim dormiens ſilerem &c. Ibidem, Impii  
ceſſauerunt à tumultu &c. 37, 41.  
4 d, Ecce qui ſeruiunt ei, nõ funt ſtabiles, & in An-  
gelis ſuis reperit prauitatẽ. 570, 27. Ibidẽ, Quã-  
to magis hi qui habitant domos luteas. 4. 20.  
7 b, Memento, quia ventus eſt vita mea, & non  
reuertetur oculus meus, vt videat bona &c. Si-  
cut confumitur nubes, & pertranſit: ſic qui de-  
ſcenderit ad inferos, non aſcendet. 38, 27.  
10 b, Memento quod ſicut lutum feceris me, & in  
puluerẽ reduces me 20, 4. Ibidem, d, Dimitte  
ergo me, vt plangã paululum dolorem meum,  
antequam vadam, & non reuertar ad terram te-  
nebroſam. 37, 4.  
13 b, Quare lacerò carnes meas dentibus meis,  
& animam meam portoin manibus meis? 22.  
14 b, Lignum habet ſpem &c. Homo vero vbi mor-  
tuus fuerit & nudatus, atque conſumprus, vbi  
quæſio eſt? 22, 4.  
17 a, d, Solum mihi ſuper eſt ſepulchrum &c. In  
profundiſſimum infernum deſcendent omnia  
mea. 38, 38.

E X P S A L M I S.

- 1 Et in lege eius meditabitur die ac nocte. 563,  
32.  
2. Qui habitat in cælis irridebit eos, & Domi-  
nus ſubſannabit eos. 517, 16. Ibidem, Et nũc re-  
ges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.  
487, 20.  
5 Mane aſtabo tibi & videbo. Quoniam non  
Deus volens iniquitatẽ tu es. 916, 19, & 947, 33.  
9 Deſyderium pauperum exaudivit Dominus,  
præparationem cordis eorum audiuit auris tua  
340, 17.  
16 Satiabor, cum eungilauero, aſpectu vultus tui.  
103, 23.  
18 Lex Domini immaculata conuertens animas.  
908, 45. Ibidem, Teſtimonium Domini fide-  
le, ſapientiam præſtans paruulis. 245, 39.  
21 Ego autem ſum vermis, & non homo, oppro-  
brium hominum &c. 503, 29.  
29 Domine, eduxiſti ab inferno animam meam  
&c. 34, 9. Ibidem, Quæ vitilitas in ſanguine  
meo



## INDEX.

meo, quum descendero, &c. Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam? 33, 33. & 34, 39.

- 31 Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum &c. 72, 73 c.
- 34 Dic animæ meæ, salus tua ego sum. 2, 14.
- 36 Iustitia tua sicut montes tui, iudicia tua abyssus multa. 91, 4, 13.
- 38 Remitte mihi, vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero. 37, 23.
- 50 Sacrificiū Deo, spiritus cōtribulatus: cor cōtritū & humiliatū, &c. 313, 38. ibidē, Vt iustificeris in sermōibus tuis, & vincas cum iudicaris. 911, 19.
- 68 Quoniam zelus domus tuæ comedit me. 606, 40. 12. 72. Vt iumentū factus sum apud te, & ego semper tecum 917, 17.
- 77 Et recordatus est, quia caro sunt: spiritus vadens & non rediens. 32, 1.
- 81 Ego dixi, dii es: & filii excelsi omnes. 31, 16. & 37, 4, 37.
- 83 Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, &c. 634, 17, & 641, 45.
- 87 Quia repleta est malis anima mea &c. A Estimatus sum cum descendētib; in lacū, &c. sicut vulnerati dormiētēs in sepulchris, quorum non es memor amplius: & ipsi de manu tua abscissi sunt. 33, 14.
- 101 Opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt: tu autem permanes &c. filii seruatorū tuorum habitabunt &c. 39, 2. 102. & 103 Benedic anima mea Domino. 2, 13.
- 111 Peccator videbit & irascetur, &c. desideriū peccatorum peribit. 31, 41.
- 113 Non mortui laudabunt te Domine &c. sed nos qui viuimus. 33, 29, & 36, 6.
- 118 Inclina cor meum in testimonia tua &c. 343, 11.
- 118 nun. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. 245, 38. ibidem, Anima mea in manibus meis semper. 2, 1.
- 142 Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. 573, 33.
- 144 Suavis Dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius. 318, 28.
- 144 Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. 184, 10.
- 145 Exibit spiritus eius, & reuertetur in terrā suā: in illa die peribūt omnes cogitationes eorū. 31, 31.

### EX PROVERBIIS.

- 4 e, Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. 14, 39.
- 15 a, Homini est animam præparare, & Domini gubernare linguam. 340, 10. ibidem. Vniuersa propter seipsum operatus est Dominus, 76, 10. ibidem, Impium quoque ad diem malum. 905, 1. ibidem, b, Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius. 235, 30. ibidem, d, Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. 528, 1.
- 21 a, Cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud. 943, 2.
- 25 d, Qui scrutatur scrutatur est maiestatis, operimetur à gloria. 532, 1.
- 28 b, Beatus homo, qui semper est pauidus. 537, 19.

### EX ECCLESIASTE.

- 3 c, Dixi in corde meo de filiis hominum, vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse beatus. Idcirco vnus interitus est hominis & iumentorum, &c. 3, 11.
- 9 a, Et tamen nescit homo, vtrum amore, aut odio dignus sit. 23, 34.
- 12 c, Et reuertatur pulvis in terram suā vnde erat, & spiritus redeat ad Deū, qui dedit illū. 548, 26

### EX LIB. SAPIENTIAE.

- 11 d, Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. 81.
- 15 b, Sed & figulus mollem terram premens, laboriose fingit, &c. horum autem vatorum quis sit vsus, iudex est figulus, &c. Et post putillum reducit se vnde acceptus est. 899, 16.

### EX ECCLESIASTICO.

- 12 c, Et reuertatur pulvis in terram suam, vnde erant, & spiritus redeat ad Deū, qui dedit illū. 7. 7.
- 17 a, Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum. 4, 6. ibidem A mortuo quati nihil, perit consilio. Confiteberis viuens. 33, 38. & 36, 44.
- 18 c. Ne veteris vsque ad mortē iustificari. 711, 10.
- 27 a, Vasa figuli probat fornax & homines iustos tentatio tribulationis, 899, 27.

### EX ISAIA:

- 2 a, Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. 484, 36.
- 5 g, Et eleuabit signum in nationibus procul, & tubilabit ad eos de finibus terræ &c. 528, 28.
- 6 c, Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere, &c. Excaeca cor populi huus, & aures eius aggrana, & oculus eius claudet: ne forte videat oculus suus, & auribus suis audiat, &c. 901, 20, & 932, 5.
- 7 c, Ecce virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel 502, 4.
- 8 c, Ne dicatis coniuratio, 407, 18. Ibidem, d. Nunquid non populus à Deo suo requirit visionem, &c. Ad legem, & ad testimonium, 245, 18. & 381, 24.
- 9 b, Paruulus enim natus est nobis &c. & vocabitur nomen eius admirabilis &c. pater futuri seculi, 16, 40.
- 10 a, Væ Assur virga furoris mei, &c. 236, 16. Ibidem d, Nunquid gloriabitur seculis cōtra eum, qui fecat in ea? aut exaltabitur secula cōtra eum à quo trahitur? 241, 37, & 236, 16.
- 19 b Vbi nunc sunt sapientes tui? Annuntient, & indicent tibi, &c. 811, 12.
- 26 a Urbs fortitudinis nostræ saluator, ponetur in ea murus & antemurale, 665, 41.
- 26 b Anima mea desiderauit te in nocte: sed & in spiritu meo intra me vigilabo ad te, 234.
- 26 c Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera, &c. 8, 38.
- 26 d Concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum, 227.

## I N D E X.

- 30 g Præparata est enim ab heri gehenna , 16,45.  
 32 d Et sedebit populus meus in pulchritudine pa-  
 cis,&c.8,36.  
 38 d Quia non infernus confitebitur tibi, neque  
 mors laudabit te&c. Viuēs viuēs ipse cōfitebitur  
 tibi,33,35. & 34,39. & 35,39. Ibidem, Et iussit  
 Isaias vt tollerent massam de ficis , & cataplas-  
 marent super vulnus eius,& sanaretur, 563,16.  
 41 f Vt sciamus , quia Dii estis vos,bene quoque  
 aut male,si potestis,facite &c.568,6.  
 44 d Ego sum Dominus faciens omnia , &c.irrita  
 faciens signa diuinorum,&c. 811,33, & 813,2.  
 45 b Ego Dominus,& non est alter,faciens lucem,  
 & creans tenebras:faciens pacem & creans ma-  
 lum,569,6,& 527,4,4.  
 47 d Non in abscondito locutus sum in loco terræ  
 tenebroso,Non dixi semini Iacob frustra,quæ-  
 rite me,245,7. Ibidē,Mihi curuabitur omne  
 genu,& orabit omnis lingua,46,16,& 607,33.  
 47 d Stent & saluent te augures cœli, qui con-  
 templabantur sydera , & supputabant menses,  
 &c.811,4.  
 52 d Exite inde,pollutū nolite tangere&c.46,40.  
 53 a Et vidimus eum,& non erat aspectus , &c.de-  
 spectum & nouissimum virorum &c.& nos re-  
 putauimus eum quasi leprosum , 503,31. I-  
 bidem, Domine, quis credidit auditui nostro,  
 907,3. Ibidem b Satisfactio pacis nostræ su-  
 per eum:& liuore eius sanati sumus, 717,38.  
 54 c. Et erunt omnes docti à Deo,391,37.  
 55 b Derelinquat impius viam suam, &c.& Domi-  
 nus miserebitur eius,516,19.  
 57 a Veniat pax:requiescat in cubili suo &c.9,2.  
 58 b Ecce in die ieiunii vestri inuenitur voluntas  
 vestra.343,2.  
 61 b Super muros tuos,Ierusalem , constitui custo-  
 des:tota die & tota nocte perpetuo non tace-  
 bunt,72,40.  
 65 a Inuentus sum à non quærentibus me,313,12.  
 66 a Ad quem autē respiciam,nisi ad pauperculum  
 & contritum spiritus,313,37.

### E X I E R E M I A.

- 3 d Reuertere auersatrix Israel,ait Dominus . Et  
 non auertam faciem meam à vobis. Ibidem  
 Conuertimini filii reuertentes , & sanabo mer-  
 siones vestras,325,19.  
 10 a Et à signis cœli nolite metuere , quæ timent  
 gentes &c.812,1,40, & 813,6. Ibidem d Scio  
 Domine,quia non est hominis via eius:nec viri  
 est vt ambulat,567,45.  
 11 d Mittamus lignum in panem eius,774,28.  
 15 d Si conuerteris,conuertam te : & ante faciem  
 meam stabis,327,4.  
 18 a Nunquid sicut figulus iste,nō potero vobis fa-  
 cere,domus Israel?570,18.  
 18 c,Venite & cogitemus contra Ieremiam cogi-  
 tationes &c.455,23.  
 31 d Conuerte me & conuertar, quia tu Dominus  
 Deus meus,314,7,&702,2. Ibidem f,Dabo le-  
 gem meam in visceribus eorum,& in corde eo-  
 rum scribam eam, 320,34,& 701,13.  
 32 d Qui facis misericordiam in millibus,& red-  
 dis iniquitatē patrum in sinum filiorum , 908,  
 11. Ibidem,g Timorem meum dabo in corde  
 eorum,vt non recedant à me,343,1,& 701,32.

Thren,3e, Serutemur vias nostras,& quæramus,  
 & reuertamur ad Dominum : leuemus corda  
 &c,339,17.

### E X B A R V C H.

- 6 a, Vifa itaque turba de retro,& ab ante, adoran-  
 tes dicite in cordibus vestris, Te oportet adora-  
 ri Domine,644,31.& 614,34.& 646,37.

### E X E Z E C H I E L E.

- 1 g, Velut aspectum arcus , cum fuerit in nube in  
 die pluuæ,9,6.  
 13 b, In concilio populi mei non erunt , & in scri-  
 ptura domus Israel non scribentur,931,7.  
 16 g, Et recordabor ego pacti mei tecū in diebus  
 adolescentiæ tuæ &c. & recordaberis viarū tua-  
 rum,& confunderis &c.339,36.  
 18 c, Filius non portabit iniquitatem patris,901,12,  
 930,26. Ibidem f, Si autem auerterit se iustus  
 à iustitia sua &c. nunquid viuēs? Omnes iustitiæ  
 eius &c. non recordabuntur, 920,21. Ibidem  
 g, Quia nolo mortem morientis , dicit Domi-  
 nus Deus: Reuertimini & viuite,317,16,& 908,4  
 33 c, Iniquitates nostræ,& peccata nostra super nos  
 sunt : & in ipsis absceumus, 327,26. Ibidem  
 e, Viuo ego, dixit Dominus Deus, nolo mortem  
 impii, 9:3,& 4,931,39.  
 34 c, Ecce ego ipse super pastores requiram gre-  
 gem meum,&c.370,25.  
 36 f, Auferam cor lapideum de carne vestra, & da-  
 bo vobis cor carneum,315,11.& 320,12.& 321,44  
 & 383,2.  
 37 c, Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis  
 veni spiritus: & insuffla super interfectos istos,  
 19,11.

### E X D A N I E L E.

- 1 a, Et ait rex Asphenez præposito &c. vt introdu-  
 ceret de filiis Israel &c. in quibus nulla esset ma-  
 cula &c. vt doceret eos literas & linguam Chal-  
 dæorum &c.814,39.  
 2 d, Mysterium, quod rex interrogat, sapientes &c.  
 nequeunt indicare regi: sed est Deus in cœlo,  
 reuelans mysteria &c.811,7.  
 3 b, Norum sit tibi, Rex, quia deos tuos non coli-  
 mus,& staruam auream, quam erexisti, non ado-  
 ramus. Et iussit vt ligatis pedibus &c. mitteret  
 eos in fornacem ignis ardentis,46,24.  
 6 c, Igitur Daniel superabat omnes principes &c.  
 & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ie-  
 rusalem tribus temporibus in die flectebat ge-  
 nua sua,47,12.

### E X O S E A.

- 2 d, Et erit in die illa exaudiam , dicit Dominus,  
 exaudiam cœlos & illi exaudient terram. Et  
 terra exaudiet triticum, &c.233,20.  
 13 c, Perditio tua Israel, tantummodo in me auxi-  
 lium tuum,289,23.& 290,3.

### E X A M O S.

- 3 b, Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non  
 fecerit?

## INDEX.

fecerit, 569, 9.

### E X I O N A.

- 3 b, Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Ibidem, Et vidit Deus opera eorum, &c. & miseratus est Deus, 908, 9. Ibidem d, Et conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum, 328, 7.

### E X M I C H E A.

- 6 c, Tu seminabis, & non metes, 233, 17.

### E X Z A C H A R I A.

- 5 a, Ecce ego video volumen volans &c. Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur: & omnis iurans, &c. 62. 40. & 618, 12.

### E X M A L A C H I A.

- 1 a, Dilixi Iacob: Esau autem odio habui, 894, 31. Ibidem c, In omni loco offeretur nomini meo inter gentes oblatio munda, 774, 8.  
2 b, Nunquid non pater vnus omnium nostrum? 318, 25.

### E X M A T T H A E O.

- 1 a, Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham, &c. 500, 27.  
2 a, Vidimus enim stellam eius in Oriente &c. ibidem b, Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum &c. 815, 25.  
3 a, Parate viam Domini, rectas facite semitas eius, 836, 23. ibidem c, Et permundabit aream suam: & cõgregabit triticum in horreum suum: paleas autem, &c. 860, 8. ibidem, Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, 477, 29.  
4 a, Tunc Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à Diabolo &c. Ibidem b, Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. 840, 32. Ibidem, Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriiuit, 785, 5, & 870, 37. Ibidem a, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. 939, 28. Ibidem b, Non tentabis Dominum Deum tuum, 564, 4.  
5 a, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, &c. 838, 39. Ibidem, Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum, 62, 27, & 617, 39. Ibidem c d e f, Audistis quia dictum est antiquis, &c. 486, 35. Ibidem e, Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum &c. 494, 30, & 495, 18. Ibidem f, Sit autem sermo vester, est est, non non, 496, 14. Ibidem, Et qui dimissam duxerit, adulterat, 771, 43.  
6 b, Sic ergo vos orabitis, Pater noster qui es in cælis &c. 186, 13. Ibidem, Sanctificetur nomen tuum, 187, 4, 2. Adueniat regnum tuum, 188, 7, & 55, 36. Fiat voluntas tua sicut in cælo &c. 188, 25. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, 189, 4. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos &c. 189, 4, 2. & 538, 10. & 573, 40. Er ne nos inducas in tentationem: sed libera nos &c. 190, 40.  
6 d, Nonne anima plus est quàm esca? 2, 3.  
7 a, Nolite iudicare, & non iudicabimini, 533, 5. Ibidem a, Hypocrita, ecce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eicere festucam &c. 533, 30.  
10 b, Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, 518 26. Ibidem c, Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium &c. 852, 45. Ibidem d, Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & eum coram patre meo &c. 635, 34. Ibidem, Vestri autem & capilli capitis numerati sunt, 937, 33.  
11 a, Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me, 831, 15. Ibidem c, Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ esset hæc virtutes, &c. 3, 8, 31.  
12 c, Qui autem dixerit verbum contra spiritum sanctum, non remittetur ei &c. 482, 35. Ibidem, Siquidem ex fructu arbor agnoscitur, 533, 27.  
12 d, Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus &c. 11, 37.  
13 a, Qui habet aures audiendi, audiat, 518, 18. ibidem b, Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum &c. ideo in parabolis loquor eis &c. 517, 25. & 902, 19. ibidem c, Qui autem super petrosam seminatus est, hic est qui verbum audit &c. Facta autem tribulatione &c. propter verbum, continuo scandalizatur. ibidem, Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum Dei audit, & sollicitudo seculi istius &c. suffocat verbum, 838, 33. ibidem d, Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, &c. venit inimicus eius, & superseminavit zizania, 855, 40. ibidem g, Simile est regnum cælorum sægenæ musticæ in mare, & ex omni genere piscium congregauit, &c. 477, 33.  
15 b, Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur, 931, 14.  
16 c, Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis &c. 750, 12.  
17 a, Et ecce appaerunt illis Moyses & Helias cum eo loquentes, 553, 15.  
18 b, Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum &c. 481, 42.  
19 b, Non omnes capiunt verbum istud: sed quibus datum est, 405, 25. Ibidem c, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, 705, & 706. Ibidem, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, 545, 25.  
21 b, Et videns fieri arborem: &c. & ait illi, Nunquam ex te fructus nascatur, 570, 39.  
22 c, Ego sum Deus Abraham &c. Non est Deus mortuorum, 15, 9. ibidem d, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, 180, 31.  
23 Ierusalem &c. Quoties volui congregare

I N D E X.

- filios tuos, &c. & noluiti, 900, 1.
- 24 b, Et multi Pseudoprophetae surgent, & seducet multos, 246, 42. Ibidem, Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est: Nolite exire, 247, 6. Ibidem c, Vbiunque fuerit corpus, illuc congregantur & aquilae, 247, 31, & 874, 34. Ibidem. Et congregabunt electos à quatuor ventis, à summis caelorum usque ad terminos eorum, 934, 3. Ibidem d, Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus filii hominis, 864, 20.
- 25 b, Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit seruos &c. & vni dedit quinque talenta &c. Euge serue bone & fidelis &c. super multa te constituam, 346, 25. Ibidem c, Venite benedicti patris mei, possidetis paratum vobis regnum à constitutione mundi, 24, 24, & 25.
- 26 c. & Mar. 14 c. Et ait, accipite, comedite. Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit: & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, 133, 5, & 14230, & 199, 27, & 209, 42, & 387, 9, & 389, 7, & 391, 9, & 41740, & 762, 40. Ibidem g, Tunc coepit de stari, & iurare quia non novisset hominem, 567, 13 b. Et non respondit ei ad vllum verbum, ita ut miraretur praesens vehementer. 643, 14. Ibidem.
- 27 d e f. Et monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. 840, 35.
- 28 d. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. 471, 33, & 472, 30. Ibidem. Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi. 164, 2.

E X M A R C O.

- 1 a, Parate viam Domini: rectas facite semitas eius, 836, 23. Ibidem b, Et statim Spiritus expulit eum in desertum, &c. & tentabatur à Sathana, &c. & Angeli ministrabant illi, 840, 32.
- 6 b, Et exequens praedicabat, &c. & ungebant oleo multos aegros, & sanabantur, 391, 10, & 766, 4.
- 10 c, Vnum tibi dices: vade: quaecunque habes, vende, 545, 25.
- 11 b, Cumque vidisset à longe ficum, &c. Et respondens, dixit ei: iam non amplius in aeternum ex te fructum, &c. 570.
- 12 c, Ego sum Deus Abraham, &c. Non est Deus mortuorum. 15, 9.
- 13 d, Et congregabit electos suos à quatuor ventis, 934, 31.
- 15 c, Et hora nona exclamavit Iesus voce magna, &c. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? 162, 15.
- 16 d, Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, 471, 35. & 472, 30.

E X L V C A,

- 1 c, Ecce concipies in utero, & paries filium: & vocabis nomen eius Iesum, 158, 1. Ibidem d, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obuiabit tibi, 503, 10. Ibidem e, Magnificat anima mea Dominum, 2, 15. Ibidem, Dispersit superbos mentis cordis sui, 31, 43.
- 2 b, Inuenietis infantem pannis inuolutum, &c.

- Et subito facta est cum Angelo multitudo militum caelestium, &c. 840, 30. Ibidem d, Secundum Legem Moysi tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, &c. 479, 23.
- 3 c, Interrogabant autem eum & milites, &c. & ait illis: Neminem concutiat, &c. 485, 13. Ibidem d, Et purgabit arcam suam: & congregabit triticum in horreum suum: palcas autem, &c. 360, 8.
- 6 d, Beati eritis, cum vos oderint homines, &c. propter Filium hominis, 838, 39.
- 7 c, Beatus est, quicumque non fuerit scandalizatus in me, 631, 15.
- 8 a, Qui habet aures audiendi, audiat, 902, 32. Ibidem b, Ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant. 902, 21.
- 9 c, Nam qui me erubescit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, &c. 44, 21. & 606, 17. Ibidem, Si quis vult post me venire, &c. & tollat crucem suam quotidie, 838, 39.
- 11 a, Cum oratis, dicit: Pater sanctificetur nomen tuum, &c. Horum & sequentium expositionem quaere supra Matth. 6. Ibidem c, Cum foras armatus custodit atrium suum: in pace sunt ea quae possidet, 852, 40.
- 12 c, Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos? 490, 33. Ibidem, Stulte, hac nocte animam tuam repetet à te, 23.
- 14 f, Et qui non baulat crucem suam, &c. non potest meus esse discipulus, 838, 39.
- 16 e, Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso, &c. Et erat quidam medicus nomine Lazarus, &c. 7 & 8.
- 17 f, Et sicut factum est in diebus Noe: ita erit & in diebus Filii hominis, 864, 20.
- 18 d, & Mar. 10, Vade, vende omnia quae habes, 752, 39.
- 21 c, Et erunt signa in sole & luna & stellis. 815, 4. Ibidem g, Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini, &c. 920, 31.
- 22 c, Reges gentium dominantur eorum, &c. vos autem non sic, &c. 491, 22. Ibidem d, Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. 283, 20. Ibidem e, Apparuit autem illi Angelus de caelo, &c. & factus est sudor eius sicut guttae sanguinis, &c. 840, 32.
- 23 f, Et tenebrae factae sunt, &c. & obscuratus est sol, 840, 35. Ibidem, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, 16, 12. & 17, 3.

E X I O A N N E.

- 1 b, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, 895, 13. Ibidem, Dedit eis potestatem fieri filios Dei, his qui credunt in nomine eius, 918, 20. Ibidem, Et verbum caro factum est, &c. & vidimus gloriam eius, &c. 036, 3. Ibidem e, Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo, 133, 33.
- 3 a, Erat autem homo ex Phariseis, Nicodemus nomine, &c. Hic venit ad Iesum nocte, 632, 14. Ibidem, Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei, 205, 35. & 700. Ibidem, Quod natum est ex carne,

# INDEX.

- ne, caro est, 303, 12. Ibidē & cap. 6, Quisquis audivit à Patre meo, venit ad me, 702, 28. & 749, 4. Ibidem c, Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, 669, 37. Ibidem, Et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim eorum mala opera, 837, 42.
- 4 b, Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est, &c. Ibidē, Donum, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, &c. Ibidem, Et nunc quē habes, noui est tuus vir, &c. Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu, 836, 37. Ibidē c, Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est, 479, 45. Ibidem, Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate, 395, 14, & 412, 14. Ibidem, Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cum ergo venerit, ille annuntiabit vobis omnia, 399, 20.
- 5 f, Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso 10, 40.
- 6 b, Iesus ergo cum cognouisset quia venturi essent ut raperent eum, & facerent Regem, fugit iterum in montem, &c. 490, 45. Ibidem d, Omne quod dat mihi Pater, ad me venit: & cum qui venit ad me, non eiciam foras, 891, 15. Ibidem e, Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, 282, 37, & 305, 2, & 891, 29. Ibidem, Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me, 345, 26. Ibidem g, Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, 521, 2.
- 7 b, Me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt, 837, 42. Ibidem g, Dixit Nicodemus ad eos, &c. Nunquid Lex nostra iudicat hominem, &c. 632, 42.
- 8 a b, Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, &c. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemuabo, 489, 10. Ibidem e, Vnum Patrem habemus Deum, 318, 23. Ibidem f, Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, &c. 169, 15. Ibidem, Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est, & pater eius, 507, 22. Ibidem g, Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: & vidit, & gauisus est, 915.
- 10 e, Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est 714, 22, & 892, 31. Ibidem f, Nonne scriptum est in Lege vestra? Ego dixi: Dni estis. Si illos dixit Deos, &c. 488, 4.
- 11 c, Omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum, 13, 5. Ibidem, Qui sermonem meum servauerit, mortem non videbit in æternum, 13, 11.
- 12 f, Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaïæ impleretur, 902, 3.
- 14 b, Pater autem in me manens, ipse facit opera, 571. Ibidem c, Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me, 712, 28. Ibidem d, Paracletus autem Spiritus sanctus, &c. ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixi vobis, 520, 9.
- 15 a, Ego sum vitis vera, vos palmites: qui manet in me, &c. 343, 37.
- 16 a, Ex Synagoga suis vos eiciant, 401, 21.
- 18 a b, Ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retror-

- sum, &c. & ministri Iudæorum, qui venerant ad Iesum, & ligaverunt eum, 10, 31. Ibidem g, Regnum meum non est de hoc mundo, 840, 9.
- 19 g, Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, &c. 632, 19.
- 20 b, Venit ergo Simon Petrus, &c. & vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, &c. 188, 23. Ibidem f, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittentur eis, &c. 716, 2.
- 21 c, Dicit ei: Parce oves meas, 79, 44.

## EX ACTIS APOSTOLORUM.

- 1 d, Et orantes, dixerunt, &c. de quo præuaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum, &c. 931, 5.
- 2 d, Iesum Nazarenū, &c. interemissus, quem Deus suscitavit, solutis doloribus mortis, 162, 6. Ibidem, Hunc definitio consilio & præscientia Dei, traditum, &c. interemissus, 721. Ibidem. Quem Deus suscitavit, solutis doloribus mortis, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab ea, 11, 23. Ibidem f, Petrus autem ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquisque vestrum, &c. 473, 1.
- 4 g, Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia cōmunia, &c. 545. Ibidem, Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes, afferebant pretia eorum, &c. 646, 24.
- 7 c, Et eruditus est Moïses in omni sapientia Ægyptiorum, 813, 29.
- 8 c, Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum, 763, 33. & 764, 34. & 391, 17. Ibidem g, Et ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet, 473, 2.
- 9 a, Saule, Saule, quid me persequeris, &c. 326, 3. Ibidem f, in Ioppe autem fuit quædam discipula, nomine Tabitha, &c. Factum est, &c. ut infirmata moreretur, &c. Petrus ponens genua oravit, &c. assignavit eam viam, 303, 31.
- 10 e, in veritate comperio, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi, 911, 21.
- 11 c, Ioannes quidem baptizavit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu sancto, 475, 27. Ibidē g, In veritate comperio, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, 325, 39. & 326, 15.
- 13 f, David enim cum suæ ætati inferuisset, consilio Dei dormiunt, 779, 32. Ibidem, Per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in Lege Moïsi iustificari, &c. 703, 16. Ibidem g, Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam, 907, 9.
- 14 c, Qui in præteritis nationibus, dimisit omnes gentes ingredi vias suas, 909, 38.
- 15 c, Sed per gratiam Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi, 702, 28. Ibidem, Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum &c. quod neque nos, neque patres nostri

INDEX.

- portare potuimus, 711. 44.
- 17 c, Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Theſſalonica, qui ſuſceperunt verbū &c. quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita fe haberent, 246. 25. Ibidem f, Præteriens enim, & videns ſimulachra veſtra, inueni & aram, in qua ſcriptum erat: Ignoto Deo &c. 59. 45. Ibidem g, Sicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus, 18. 21. Ibidem, In ipſo enim viuimus, & mouemur & ſumus, 53. 3. & 57. 26.
- 19 a, In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt: in Ioannis baptiſmate &c. His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu, 475. 12. Ibidem d, Multi autem ex eis, qui fuerant curioſas artes ſectati, contulerunt libros & combuſſerunt &c. 820. 25.
- 20 c, Anima enim eius in ipſo eſt, 2. 22.
- 21 a, Sunt nobis viri quatuor, habentes votum ſuper ſe: his aſſumpſiſ ſanctifica te cum illis, & impende illis, vt radant capita &c. Tunc Paulus aſſumptis viris poſtera die purificatus cum illis intrauit in Templum &c. 65. 13. & 614. 45.
- 23 b, Viri fratres, ego Phariſæus ſum, filius Phariſæi &c. 643. 11. Ibidem, Sadducæi autem dicunt non eſſe reſurrectionem mortuorum, neque Angelum, neque ſpiritum, 4. 45.
- 24 d, Conſiteor autem hoc tibi, quod ſecundum ſectam, quam dicunt hæreſin, ſic deſeruo patrio Deo meo &c. 643. 11.
- 28 c, Poſt menſes autem tres, nauigauimus in nani Alexandrina &c. cui erat inigne Caſtorum, 60. 7.
- AD ROMANOS.
- 2 b, Non enim erubeſco Euangelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, 837. 4. Ibidem, Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, 707. 5. Ibidem d, Tradidit illos Deus in reprobam ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt, 943. 31.
- 2 a, An diuitias bonitatis eius &c. contemnis? Ignorans quoniã benignitas Dei ad penitentiam te adducit, 315. 33. Ibidem b, Non eſt acceptio perſonarum apud Deum, 920. 28. Ibidem c, Qui oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia, 537. 8. Ibidem d, Et iudicabit id quod ex natura eſt præputium, Legem conſummans, te qui per literam & Circumſionē, &c. 519. 31. Ibidem, Et Circumſiſio cordis in ſpiritu, non litera: cuius laus nõ eſt ex hominibus, ſed ex Deo 919. 11.
- 3 a, Quid dicemus? Nunquid iniquus eſt Deus, qui inſert iram? Secundum hominem dico, 237. 22. Ibidem c, Per Legē enim cognitio peccati, &c. 299. 40. Ibidem, Iuſtitia autem Dei per fidē Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum &c. 928. 39. Ibidem d, Iuſtificati gratis per gratiam ipſius &c. per fidem &c. 706. 43.
- 4 a, Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriã: ſed non apud Deum &c. 707. 36. Ibidem, Et autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecun-

- dum debitum, 346. 20. & 385. 4.
- 5 a, Per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus. 707. 14. Ibidem, Charitas Dei diſſuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum &c. 723. 14. Ibidem c, Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. 39. 31. Ibidem d, Igitur ſicut per vnum delictum, in omnes homines in condemnationem: ſic & per vnum iuſtitiam, in omnes homines in iuſtificationē vitæ. 931. 17.
- 6 c, Non enim ſub Lege eſtis, ſed ſub gratia. 540. 10. Ibidem, Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitia. 271. 39.
- 7 c, Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum. 242. 4. & 303. 21. Ibidem, Non enim quod volo bonū, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. 568. 13. & 572. 35. Ibidem, Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. 538. 28. Ibidem d, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? 538. 20. & 687. 44.
- 8 a, Nihil ergo nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, &c. 574. 24. & 687. 28. Ibidem e, Sed accepit ſpiritum adoptionis filiorum &c. Si autem filii, & hæredes &c. 920. 24. Ibidem, Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 184. 26. Ibidem, Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, 532. 27. & 890. 8. Ibidem f, Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filii ſui, 491. 39. Ibidem, Nam quos præciuit &c. vt ipſe ſit primogenitus in multis fratribus. 159. 40. Ibidem, Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat. 920. 14.
- 9 b, Neque qui ſemen ſunt Abraham omnes filii: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen &c. Non ſolum autem illa: ſed & Rebecca. 893. 14. Ibidem, Non enim omnes qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelitæ. 935. Ibidem c, Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundum electionem &c. 914. 43. Ibidem d, Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. 297. 30. & 896. 31. & 926. 9. Ibidem, Miſerebor cuius miſereor: & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor. 896. 8. Ibidem, Quia in hoc ipſum excitauit te, vt oſtendam in te fortitudinem meam. 897. 17. Ibidem, O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? 884. 10. & 898. 30. Ibidem, Dicis iraque mihi: Quid adhuc queritur? 898. 2. & 16. Ibidem, Nunquid dicit humentum ei qui ſe finxit: quid me feciſti? 898. 31. Ibidem, Ergo cui vult miſeretur: & quem vult indurat. 897. 26. & 898. 2. Ibidem e, Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia &c. 909. 9. Ibidem g, Ecce pono in Sion lapidem offentionis, & petram ſcan dali. 832. 14.
- 10 a, Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuerunt, iuſtitia Dei non ſunt ſubiecti, 838. 2. Ibidem c, Corde enim creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem. 44. 32. & 606. 20. Ibidem, Non eſt enim diſtin-

## I N D E X.

- Etio Iudæi & Græci. 904. 29. ibidem, Quomodo ergo inuocabunt cum, in quem non crediderunt: 185. 1c. & 340. 1. Ibidem, Domine, quis credidit auditui nostro? 9c. 7. 3.
- 11 a, Non repulit Deus plebem suam, quam præscuit. 891. 6. ibidem b, Sed quid dicit diuinum responsum? Reliqui mihi septem milia virorum qui non curauerunt, &c. Sic ergo reliquæ secundum electionem gratiæ factæ sunt, 913. 40. & 925. 3. ibidem c, Propter incredulitatem fratrum sunt: tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus, &c. 715. 19. 920. 45. & 921. 15. ibidem c, Tu autem cum eleaster esses, insertus es in illis. 344. 23. ibidem d, Conclisit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium miseretur, 904. 39. ibidem, O altitudo diuinarum sapientiæ & scientiæ Dei &c. 887. 32.
- 12 d, Non vosmetipsos defendentes charitatem, sed date locum iræ. 562. 20.
- 13 a, Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali, &c. Dei enim minister est ubi bonum, & 88. 20.
- 14 b, Tu autem quid iudicas fratrem tuum? &c. omnes enim stabimus ante tribunal Christi, 533. 7. Ibidem c, Non est enim regnum Dei etica & potus, 870. 27.
- 15 a, Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, 616. 36. Ibidem, Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem, 616. 14.
- E X I. A D C O R I N T H I O S.
- 1 a, Paulus vocatus Apostolus, &c. Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi. 477. 14. Ibidem c, Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, &c. Ipsi autem vocatis &c. Christum Dei virtutem. 907. 32.
- 2 a, Et ego cum venissem ad vos fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, &c. 832. 35. Ibidem c, Quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes, 835. 10. Ibidem, Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, &c. 229. 17. Ibidem, Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, 229. 20. & 907. 16.
- 3 a, Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, &c. 83. 35. Ibidem, Ego plātaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit: Itaque neque qui plantat est aliquid, &c. 133. 43. Ibidem b, Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, 298. 23. Ibidem c, Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autē saluus erit, sic tamē, quasi per ignem. 397. 17. ibidē d, Si quis viderit inter vos sapiens esse, in hoc seculo stultus fiat, ut sit sapiens, 835. 34. & 836. 19.
- 4 a, Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. 720. 18. ibidem b, Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? &c. 294. 21.
- 5 c, Ne commisceamini fornicariis &c. aut avaris aut rapacibus &c. 481. 4.
- 6 a, Nescitis quoniam Angelos iudicabimus: quantum magis secularia? 49c. 8. ibidem c, Omnia mihi licent: sed non omnia expediunt. 540. 43.
- 7 c, Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. 331. 1. & 728. 8. & 796. 7. ibidem d, Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 541. 38.
- 8 a, De eis autem, quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum &c. Videte autem ne forte hæc licentia vestra officiculum fiat infirmis &c. 49. 3. & 608. 4. ibidem, Scimus quia nihil est idolum in mundo. 524. 4. ibidem c, Videte autem ne forte hæc licentia vestra officiculum fiat infirmis. 616. 1.
- 9 a, Nunquid non habemus potestatem, mulierem rorem circumducendi &c. 541. 13. ibidem b, Nunquid de bobus cura est Deo? 937. 11. ibidem c, Væ enim mihi est, si non euangelizauero, 75. 25. ibidem d, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar, 927. 4.
- 10 a, Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes, sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt &c. 919. 19. ibidem c, Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat, 715. 19. ibidem d, Propter quod, charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura &c. Quid ergo dico, quod idolis immolatum sit aliquid? &c. An æmulamur Dominum? an fortiores illo sumus? 48. 3. & 608. 14. & 618. 45. ibidem, Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? quoniam vnus panis & vnus corpus multi sumus &c. 387. 5. ibidem e, Omnia mihi licent: sed non omnia expediunt, 540. 44.
- 11 d, Cooueniens vobis ergo vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam māducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit. 447. 38. ibidem, Nam oportet & hæreses esse: ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. 506. 6. ibidem e, Quoniam Dominus Iesus &c. accepit panem &c. & dixit, Accipite & manducate hoc est corpus meum, &c. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. 133. 5. & 199. 27 & 387. 6. & 417. 40. ibidem f, Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. 134. 37. ibidem, Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. 135. 27. & 200. 24. & 210. 10.
- 12 a, Idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus, 530. 15.
- 14 c, Cæterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicit Amen &c. 427. 43. ibidem d, Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. 539. 16. ibidem f, Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent. 399. 19.
- 15 b, Sed abundantius illis omnibus laboraui: non autem ego, sed gratia Dei, quæ mihi aderat, 346. 44. & 316. 32. ibidem c, Si in hac vita tantum, in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. 8. 44. & 29. ibidem c, Et sicut in Adam omnes moriemur: ita & in Christo omnes viuificabuntur. 931. 32. ibidem f, Primus homo de terra terrenus: secundus autem homo de cælo cœlestis. 502. 38.

## INDEX.

Ibidē f, Seminatur in corruptione: surget in incorruptione &c. Factus est primus homo Adam in animam viucentem &c. 18.10. Ibidem g, Tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria, 21, 38.

### EX II. AD CORINTHIOS.

- 1 d, Ego autem testem Deum inuoco in animam meam, quod parcens vobis &c. 498, 1.  
 3 b, Litera enim occidit, Spiritus autem viuificat. Quod si inuifiratio mortis literis deformata &c. 519, 27.  
 4 a, Quis te discernit? 912, 38. Ibidem b, Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus &c. 835, 1.  
 5 a, Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra, &c. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, &c. ingemiscimus grauiter: eo quod nolumus expoliari, sed superuelli &c. 133, 10. Ibidem d, Et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, 906, 21.  
 6 a, Adiuantem autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, 920, 31. Ibidem c, Nolite iugum ducere cum infidelibus, 08, 5. Ibidem d, Propter quod exite de medio eorum, & separemini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, 48, 10.  
 12 b, Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, qui me colaphizet, 9+23, 4.

### EX EPIST. AD GALATAS.

- 1 b, Sed licet nos, aut Angelus de caelo euangelizet vobis præterquam &c. anathema sit, 242, 36, & 247, 45. Ibidem c, Cum placuit ei qui me segregauit ex utero matris meæ &c. 271, 34, & 927, 15.  
 2 d, Vtuo autem, iam nou ego: viuit vero in me Christus, 573, 6.  
 3 a, Quicumque enim ex operibus Legis sunt, sub maledicto iunt: scriptum est enim: Maledictus &c. 243, 20. Ibidem b, Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum, 503, 33.  
 5 a, Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. 733, 10. Ibidem, Nam in Christo Iesu neque circūcisio &c. sed fides quæ per charitatem operatur 705, 38. Ibidem c, Vos enim in libertate vocati estis fratres, tatum ne libertatē in occasione detis carni. 540, 23. Ibidem, Caro enim concupiscit aduersus spiritum, &c. 2, 38.

### EX EPIST. AD EPHESIOS.

- 1 a, Benedictus Deus &c. qui benedixit nos in omni benedictione spiritali &c. 889, 20. Ibidē, Sicut elegit nos in ipso ante mundi cōstitutionē &c. qui prædestinauit nos secundum beneplacitum voluntatis suæ. 918, 18, & 925, 10, & 927, 6. Ibidem, Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum, se-

cundum propositum suum, &c. 918, 43. Ibidem d, Qui omnia in omnibus adimplet. 345, 1, & 530, 16.

- 2 a, Et vos cum effectis mortui delictis & peccatis vestris &c. eramus natura filii iræ sicut & cæteri, Deus autem qui diues est &c. 313, 19, & 900 3. Ibidem, Et eramus natura filii iræ sicut & cæteri, 666, 16.  
 4 a, Vnum corpus & vnus spiritus: sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. 456, 35. Ibidem c, Deponere vos, secundum pristinam conuersationem, veterem hominem. 174, 34. Ibidem, 5 Veterem hominem exiuit. 687, 38.  
 b, Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei &c. 531, 5. Ibidem c, Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. 59, 33. Ibidem f, Sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentē maculā aut rugā. 165, 43. & 166, 14, 477, 35.

### EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

- 1 b, Qui cepit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu, 319, 16, & 920, 40.  
 2 b, Sed se metipsum exinanuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, 523, 5.  
 2 b, Cum metu & tremore vestram salutem opera mini. 920, 35.  
 2 b, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate, 304, 6, & 344, 37.  
 4 c, Omnia possum in eo qui me confortat, 791, 20, 35.

### EX EPIST. AD COLOSSENSIS.

- 2 c, In quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, 548, & 549.  
 3 a, Vbi Christus est in dextera Dei sedens, 164, 6.  
 4 d, Salutat vos Lucas medicus charissimus, &c. 563, 28. Ibidem, Et dicite Archippo, Vide ministerium, quod accepisti in Domino, vt illud impleas, 723, 33.

### EX I. AD THESSALONICENSIS.

- 5 d, Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere, 520, 25. Ibidem, Vt integer spiritus vester & anima & corpus sine querela in aduentu Domini, &c. 2, 35.

### EX II. AD THESSALONICENSIS.

- 2 a, Et reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adueriatur, &c. ita vt in templo Dei, sedeat,



## INDEX.

sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. 43. 15.  
 ibidem c, Cuius est aduentus secundum operationem Sathanæ, in omni virtute & signis, 393, 11. Ibidem, Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, 943. 29.  
 Ibidem, Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, &c. quod elegerit nos Deus primitias in salutem, in sanctificatione Spiritus, &c. 907. 39.

3 c, Quoniam si quis non vult operari, nec manducet, 472. 36.

### EX I. AD TIMOTHEVM.

1 d, Regi autem seculorum immortalis, invisibili, soli Deo honor & gloria, &c. 523. 10. Ibidem, Habens fidem, & bonam conscientiam: quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt, 802. 35. & 855. 17.

2 a, Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, &c. pro regibus &c. Hoc enim bonum est & acceptum coram saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, &c. 488. 8. Ibidem b, Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, 501. 44.

3 d, Quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis, 250. 34. & 58. 2. & 86. 9. & 399, 18. Ibidem, Et manifeste magnum est pictatus mysterium, Deus manifestatus in carne, 835. 28.

4 a, Et doctrinis dæmoniorum &c. prohibentium nubere, & abstinere à cibus quos Deus creauit, &c. 370. 29.

5 b, Si quis autem suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior, 67. 15.

### EX II. AD TIMOTHEVM.

1 b, Qui nos liberauit, & vocauit uocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam quæ data est, &c. 925. 18.

2 b, Nam si commortui sumus, & cõuiuemus. 840. 15. Ibidem c, Ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, &c. cognouit Dominus qui sui sunt, &c. 861. 8. Ibidem d, Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificationis & vile Domino, ad omne opus bonum paratum, 899. 35.

4 b, Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus, &c. 293. 13.

### EX EPIST. AD TITVM.

1 b, Oportet enim Episcopum sine crimine esse, &c. amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. 74. 39.

### EX EPIST. AD PHILEMONEM.

c, Iam non ut seruum, sed pro seruo charissimum fratrem, &c. 547. 8.

### EX EPIST. AD HEBRÆOS.

1 c, Nonne omnes sunt administratorii spiritus &c. 819. 40.

4 c, Vnus est enim sermo Dei &c. & pertingens usque ad diuisionem animæ ac spiritus. 237.

7 b, Translato enim sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat. 872. 7.

11 b, Credere enim oportet accedere tem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. 293. 9. Ibidem c, Iusta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis reponitionibus, sed à longe eas aspicientes &c. nunc autem meliorem appetunt, id est cœlestem. 303.

13 Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. 786. 47. Ibidem b, Iesus Christus heri & hodie capite & in secula. 16. 30.

### EX EPIST. IACOBI.

2 d, Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum, 711. & 745. 28.

4 c, Vnus est enim Legislator & iudex, qui potest perdere & liberare. 305. 4.

5 d, Indurat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini &c. 766. 14. Ibidem, Orate pro inuicem ut saluemini. 776. 21. & 783. 9.

### EX I. PETRI.

1 a, Petrus &c. electis &c. secundum præscientiam Dei patris. 897. 39.

2 b, Vobis igitur honor creditibus: non creditibus autem, lapsis quem reprobauerunt adinquantibus &c. & lapsis offensionis, & petra scandali. 833. 24. & 441. 6. Ibidem, Qui aliquando non populus Dei: nunc autem populus Dei. 937. 11. Ibidem c, Es non quasi velan. en habentes malitiæ libertatem. 546. 30.

3 d, In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus, veniens prædicauit. 6. 15. Ibidem, Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientie bonæ interrogatio in Deum: 919. 13.

### EX II. PETRI.

1 d, Et habemus firmiter propheticum sermonem, cui benefactis attendentes, quasi lucernæ &c. quod omnis propheta Scripturæ priuæ interpretationis non sit, 245. 23. Ibidem, Hi vero velut irrationabilia pecora. naturaliter in captionem & in perniciem &c. Hi sunt fontes sine aqua & nebulae turbibus exagitate &c. 507. 35. & 515. 42.

3 b, Vnum vero hoc non lateat vos charissimi, quod vnus dies apud Dominum sicut mille anni, 16. 18.

### EX I. IOANNIS.

1 c, Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsum nos seducimus, 574. 8.

2 a, Et ipse est propitiator pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro

INDEX.

- tius mundi, 919. 26. Ibidem, Ex nobis prodi-  
erunt: sed non erant ex nobis, 919. 44. & 931. 6.  
3 b, Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non  
facit, 539. 11.  
4 a, Nolite omni spiritui credere, sed probate spi-  
ritus si ex Deo sint &c. 470. 35.  
5 a, Et mandata eius gratia non sunt, 712. 10.

EX EPIST. IVDAE.

- 1 a, Angelos vero &c. in iudicium magni diei,  
vinculis æternis sub caligine reseruant, 28. 15.  
Ibidem b, Cum Michael Archangelus, cum Dia-  
bolo disputans, altercetur de Moisi corpore,  
603. 15. Ibidem, Hi autem quæcunque qui-  
dem ignorant, blasphemant: quæcunque au-  
tem naturaliter tanquam muta animalia no-  
runt, in his corrumpuntur, 508. 4. & 515. 42. &  
521. 34.


EX APOCALYPSI.

- 3 a, & 22 c, Qui vicerit, sic vestietur vestimentis  
albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ:  
& confitebor &c. 930. 43.  
3 d, Egredere ad ostium & pulso. Si quis audierit  
vocem vocari, & aperuerit mihi ianuam, intra-  
bo ad illum, 316. 2.  
4 b, Et iri: erat in circuitu sedis, 9. 7.  
6 c, Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi sub-  
tus altare animas &c. & clamabant voce ma-  
gna &c. & datae sunt illis singulæ stolæ albe  
&c. 15. 29.  
20 b, Beatus & sanctus, qui habet partem in resur-  
rectione prima: in his secunda morte non habet  
potestatem, 16. 6.

*Inis Deo.*

PACEM IN TERRAM.

NON VENI V T MITT ERE M



SED GLADIUM NATI H. X.

LYCAE XII.

